IN EVANG. MATTHAEVM

COMMENTARII, TRIBVS TOMIS DIGESTI, QVIBVS NON SOLVM singula quæq; exponuntur, sed & quid singulis Marci & Lucæ differentibus locis, notandum sit, diligenter expenditur.

Per Vuolfgangum Musculum Dusanum.

Sum ex libris Johannis Heidfeldii Valtor-Pensis

Christo seruimus, Christo credentibus uni
Nostra hæc scripta damus, cætera turba valet.

Scio cui credidi.

BASILEAE

ANNO. M. D. XLIIII.

Alexandri Zythopæi
Herbornensis

ORNATISSIMIS, INTEGERRIMIS, AC PRV-

DENTISSIMIS DOMINIS CONSVLIBVS, ET INCLYTO CELEBERRIMAE urbis Augustæ Senatui, Dominis suis ac Patribus plurimum suspiciendis, Vuolfgangus Musculus Dusanus Gratiam ac pacem in Christo Iesu seruatore nostro.

QVOD Cõmentarios istos, Domini ac Patres inclyti ac suspiciendi, & in lucẽ ædere, & D. V. nũcupare uolui, nemo bonus, opinor, uitio mihi uertet, si cũ ordinis uestri tũ ministerij nostri, cõditionem expendat. Prętereą enim quòd nihil hic alienum à more bonorũ uirorũ cõmittitur, qui lucubrationes suas publico cõmunicant, & selectis aliquot uiris certis de causis nũcupant, peculiaris tamẽ huius instituti nostri ratio est, quod & nobis cõuenit, ut doctrinæ nostræ seriem ac rationem, non nostræ tantum, cui in Domino seruimus, Ecclesiæ approbemus, sed & reliquis uniuersis modo Euangelicæ ueritatis amantibus cognoscendam ac dijudicandam exponamus: ne quid separatim aliquot Dominici corporis membris tradere uideamur, quod à catholica totius Ecclesiæ Christi fide ac religione dissideat. Catholicam autem ecclesiæ Christi fidem ac religionem non eam uocamus, quæ unius aut alterius seculi cursu compræhendatur, sed quæ omnium simul est electorum, Patrum, Prophetarũ, Apostolorum, & quorumcunq; uerè fidelium: neq; ex opinionibus humanæ sapientiæ ortum habet, sed ab ipso spiritu sancto mentibus est sanctorũ patefacta, & sacris scripturis mortalium cognitioni exposita, ut rectè Augustinus libro tertio contra literas Petiliani capite sexto dixerit, Siue de Christo, siue de eius Ecclesia, siue de quacunq; re alia, quæ pertinet ad fidem uitamq; nostram, non dicam nos, nequaquam comparandi ei qui dixit: licet si nos. sed omnino quod sequutus adiecit: Si angelus de cœlo uobis annunciauerit prætereą quod in scripturis legalibus & Euangelicis accepistis, anathema sit. Verum, ut contentiosum est hoc seculum magis quàm pium, & multo plures sunt, qui maluint in Ecclesia Christi πιχνολογεῖν quàm θεολογεῖν, non dubitamus permultos fore, quibus doctrina nostra non per ômnia arrideat. quod nemini mirum uideri debet, cum ij potissimum tales sint, quibus non tam Christus quàm seculum hoc cordi sit, & quorum consilia rarissimum quenq; ex bonis ac sensatis uiris habeant astipulatorem: quorũ omnium iudicia hoc minus moramur, quo minus ipsi diuinæ se uoluntati ac ueritati approbatos cupiunt, cum sciamus futurum esse diem, in quo cuiusq; & consilia & facta iusto sistenda sint iudici, cui sese approbasse summa sit futura felicitas. Deinde & illud accedit, quod nonnulli ex Symmystis meis, fratres in Domino obseruandi & dilecti, Cõmentarios istos non omnino inutiles futuros arbitrati sunt, ijs præsertim, quos oblectat non admodum acuta quidem, attamen aliquousq; pressa uerborum Christi consideratio & enucleatio: quam etsi non sum, ut par erat, assequutus, hactenus tamen attigisse mihi uideor, ut causam præbuerim fratribus, quibus plus est spiritus & exercitij, singula pressius intuendi et expendendi. Est enim uerborum Domini usq; adeò inexhaustus thesaurus, ut, modo accedat gratia Christi sensum discipulorum suorum ad intelligendas scripturas aperientis, & seria impendatur consideratio, nemo unq; futurus sit, qui non plura sit quærendi seduiitate ac pietate inuenturus, & ecclesijs Christi communicaturus. His itaq; causis moti Commentarios istos in lucem emisimus. Quod autem eos D. uestris inscripsimus, in promptu causa est, quod ordo hic uester non solum propter communis fidei cõsortium ad Ecclesiam hanc Christi pertinet, sed & magistratus gratia singulariter est Christo seruatori, cui à patre tradita sunt omnia, ad seruiendum deuinctus, & illis connumerandus, quibus à Propheta dicitur: Erudimini qui iudicatis terram, Seruite Domino in timore, osculamini filiũ, ne forte irascatur, & amittatis uiam. Quanquam enim aliud sit ministrorum uerbi munus, & aliud quod ordini uestro commissum est: ea tamen hactenus est utriusq; conditio, ut ad eundem sit spectandũ finem, qui est, ut piè & honestè uiuamus in hoc

seculo. Hæc omnis utrinq; referendus est conatus, ut qui uerbi sunt ministri, docendo, adhortando, et corripiendo: qui uerò in Magistratu sunt, imperando, puniendo, & protegendo: impietatem cum primis, deinde & omnis generis improbitatem ex Ecclesia Christi propellamus. Neq; enim mihi probè sapere uidentur, qui Magistratus officium, ita prophanum esse iudicant, ut nulla in re ad Christum pertineat, nec Ecclesiæ Christi ullo pacto seruire debeat aut possit, quibus Augustinus epistola 61. repugnat, cum dicit: Pertinet ad religiosos reges terræ non solum adulteria uel homicidia uel huiusmodi alia flagitia seu facinora, uerumetiam sacrilegia, seueritate cõgrua cohibere. Alioqui quanam in re seruient Christo domino reges terræ & Magistratus, gladium gerentes, nisi ad ipsos pertineat, quæ manifestè contra diuini nominis gloriam & Euangelij ueritatem committuntur, potestate diuinitus accepta cohibere ac tollere? Quid aliud spiritus sanctus Psalmo secundo ab aduersarijs regni Dei principibus ac potestatibus exigit, quàm ut conuersis animis Christo potius potestate sua seruiant quàm aduersentur? Quomodo admonet, ut filium osculentur, illiq; cum timore seruiant, si munus eorum prorsus est à regno illius alienum? Non exigitur ab ordine uestro, ut fidem Christi in cordibus subditorum potestate uestra plantetis, aut ad hanc quosuis cogatis, cum hoc non sit uestri muneris, multominus uestrarum uirium: sed hoc requiritur, ut si qua in Ecclesia Christi, quæ Magistratui uestro subiecta est, publica sunt offendicula, potestate uestra, quæ Dei est, è medio tollantur: ut sunt, falsa doctrina, falsi cultus, manifesta idololatria, & si quid aliud est, quod gloriam regni Dei labefactet, regno Christi ignominiam inferat, rudes & incautos seducat, ueritatem Euangelij Christi, uel blasphemet uel obscuret, ac sanguinem Christi quasi pedibus conculcet. Perpetuus est hic Magistratus usus in populo Dei, ut non solũ terrena publicæ pacis gratia administret, sed & gloriæ ac cultui Dei seruiat: ut sicut Moses collega fuit Aharonis, & iudiciaria potestas sacerdotio, aliquando in una & eadem persona, adiuncta, & Iosue liber legis, in quo nocte ac die meditaretur, ita commendatus fuit, ut hunc è manu sua nunquàm poneret. Ita planè & hodie ordo uester ministerio uerbi est additus: ut sicuti uerbi minister sana doctrina fidelium conscientijs, ita uos potestate gladij publico statui hactenus ministretis, ut nemini impunè sit quicquàm inuehere, quod uel ad turbandam publicã tranquillitatem faciat, uel regno Christi aduersetur. Quod si Mahometicam quisquam impietatem, in urbem hanc uestram inducere conetur, erimus né adeò impij aut stupidi, ut quid hic uestri sit officij, & quid Christo domino & Ecclesiæ eius potestas uestra debeat, uel non uideamus, uel si uideamus impudenter negemus? Dicet ne hic quisquam uerè Christianus ad Senatum Augustanũ non pertinere, quę fides, quę ue religio in urbe hac, Mahometica ne, uel alijs impia & superstitiosa, aut uerè & germanè Christiana, populo Domini prædicetur: sed hoc duntaxat illi curandum esse, ut furta, latrocinia, & adulteria, & quæ alia, huius sunt generis flagitia puniat: perinde ac si cum regno ac fide Christi nihil illi sit commercij? Nemo, opinor, usq; adeò desipiet, ut hoc dicat. Cum itaq; in confesso sit ad uestrũ ordinem eam quoq; pertinere curam, ut externa illa Ecclesiæ Christi administratio ritè instituatur, hoc est, ut doctrina sana, quæ Christi est & Apostolorum, gregi Dominico syncerè ac fideliter proponatur, & reliqua Ecclesiastica disciplina, Sacramentorumq; dispensatio talis seruetur, quæ uerbo Christi cõueniat: nõ abs re uisum est Cõmentarios istos quibus Euangelicam historiam ab euangelista Matthæo conscriptam pro mensura gratiæ Christi, tenuitati meæ cõcessa, enarraui & expolui, D. V. inscriptos euulgare, ut non solum, qui iam in uiuis sunt, sed & posteri cognoscant quæ sub uestro sit Magistratu Ecclesijs Christi proposita doctrina, nec cognoscant tantum, sed & admoneantur, ut hanc & ipsi fidei ac doctrinæ normam immotam custodiant. Non quod ad Cõmentariorum istorum præscriptum alliganda sit Ecclesia Christi, sed ut ipsa Euangelij Christi ueritas ac puritas absq; ullis traditionum humanarum cõmentis illibata seruetur, ad quem certè scopũ quæ docemus omnia bona sunt fide confirmata, quid uerò assequuti simus, pij esto Lectoris iudicium. Quicquid sit omnino hic conatus fuit atq; etiam-

Iosue 1.

num

num est, ut uox Christi sonet in auribus ouium Christi, nec sonet tantum, sed & piorum mentibus perspicua inseratur. nec immeritò. Si enim, ut ille ait, eandem conuenit esse & legis & rhetoris uocem, ut non quid rhetoris impudentia, sed quid legis prescribat æquitas considerandum sit ac sequendum, quomodo non iustius est, ut in Ecclesia Christi eadem sit uox Euangelij Christi & ministri: ita ut si à uerbo Domini diuersum sonet os ministri, nõ attendatur quid ministri uel temeritas uel inscitia, sed quid Christi tradat ueritas? Nisi enim hoc sit, unde constabunt non solum fidei nostræ fundamenta, sed & reliquæ ueræ pietatis structuræ? Vnde discrimen petetur inter superstitionem & ueram Christianæ fidei religionem: inter quas non solum ipsi olim philosophi, sed & ueteres Romani, licet id assequuti non sint, discernendum tamen esse iudicarunt, nisi ex Euangelicæ ueritatis doctrina? Vnde intelliget ordo uester quid Domino debeatis, cuius uobis commissa potestas est, cui etiam muneris uestri rationem olim reddituri estis, nisi ex uerbi Dei præscripto? Rex erat, qui dicebat: Lucerna pedibus meis uerbũ tuũ, & lumen semitis meis. Rex erat, omnium sapientissimus pariter & illustrissimus, qui de sapientia sermonum Dei dicebat: Per me reges regnant. Vnde restituetur uera ciuibus concordia, urbis tranquillitas, uitę honestas, & morum, qui Christianos deceant, incorruptio, nisi ex eo potissimum, si obtineat uerbi Dei autoritas? In quo corriget, inquit Propheta, adolescentior uiam suã? ac subdit: in custodiendo sermones tuos. Nisi uia corrigatur adolescentum, quos mores sperabimus ex adultis? Ruentibus ciuium moribus, quid proderunt obfirmata urbis mœnia? Scipio non censebat felicem Rempublicam stantibus quidem mœnibus, dilabentibus uerò moribus. Tandem ex ciuibus eliguntur in uestrũ ordinem, quibus totius urbis moderatio concreditur. Hi nisi timore Domini & pietatis studio, pariter & amore iustitiæ & honestatis sint imbuti, quid mali posteris non erit ex ipsorum gubernatione timendum? Græcorum apophthegma est μέγας ὁ κίνδυνος βουλεύσασθαι μὴ δεῖ τὸν ἀβούλητα ποιεῖν δυνάμενον. Præterea prosperitas ista & terrenarũ opum abundantia, nisi uerbo Dei, quasi freno quodam, ciuium mentes cohibeantur, & ad diuitiarum contemptum, mortisq; ac futuræ uitæ meditationem, quotidie instituantur, quid aliud efficiet, quàm quod non modo sacra scriptura, sed & Gentium literæ tradunt: nempe, quod stultos animos sit perditura, & plus datura molestiæ quomodo parta conseruentur, quàm quomodo nondum parta acquirantur? Præterea quæ præsentis seculi malicia est & corruptio, unde in aduersis rebus cõsolatio petetur adflictis, nisi ex diuini uerbi oraculis? Quæcunq; scripta sunt, inquit Apostolus, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarũ spem habeamus. Vt semel dicam. quemadmodum absq; luce uerbi Dei in uita mortalium cæca sunt omnia, ita sine illa nihil potest uspiam ueræ pietatis obtinere. Sine pietatis studio non cõstabit uera tranquillitas, nec cœlestis illa, quæ cum Deo est, nec terrena ista, qua inclytę huius ac magnificę urbis status in hũc usq; diem, beneficio Domini, quietus admodũ ac pacatus fuit. Beneficio inquam domini (Nisi enim dominus custodierit ciuitatem, inquit Propheta, frustra uigilat qui custodit eam) ita est urbs ue- 1. Cor. 10.
stra in his rerum turbis ac motibus conseruata, ut uere illud Apostoli ad Corinthios, uobis quoq; competat. Tentatio, inquit, uos nulla dum appræhendit nisi humana. Hæc cœlestis patris nostri bonitas haud quaq; est oscitanter, sed summa cum animi gratitudine pensitanda, qua datum est luce diuini uerbi, & pura patris nostri ac Christi seruatoris cognitione, in qua una, uera salus est ac uita, præ multis alijs nationibus ac Rebuspublicis in tanta rerum pace ac tranquillitate potiri. Antipater Tarsensis, cũ ex hac uita migraturus esset, fortunæ gratias egisse fertur, quod cũ semel omnino mari se credidisset, optima usus esset nauigatione: non immeritò periculosissimum fuisse ratus, quod uitam ligno tot marinis fluctibus obnoxio credidisset, ubi, ut ille ait: Tam propè mors urget quàm propè cernis aquam. Si ille agnouit diuino factum esse beneficio, quod periculosum adeò maris transcursum prosperè absoluisset, quanto æquius est, ut quotquot postremis istis temporibus non unius tantum nauigationis, sed innumeris malicioſi huius seculi Syrtibus, Charybdibus ac Scyllis obiecti,

hactenus sub Christo nauclero nostro & cœlesti duce illæsi persistimus, diuinam agnoscamus protectionem, nec agnoscamus tantũ & grati simus, ubi ex misera hac & caduca uita ad cœlestia migrandum est, sed singulis etiam momentis, præsertim, ubi minaces improborum hominum procellæ recurrunt, ut bona cum fiducia quorumuis irruentium periculorum insultus sustineamus, nihil hæsitantes præsente cœ Iesu hoc nauclero, qui præsentiam suam fidelibus est pollicitus, ita prosperam futuram hanc nauigationem, ut ad portum simus appulsuri: non maris alicuius, sed unde ad cœlestis simus patriæ peruenturi ingressum, modo cœptũ fidei ac pietatis cursum non abrumpamus: neq; nauiculam, in qua nauclerus est Christus, deseramus. Huc scilicet, ornatissimi ac prudentissimi Domini ac Patres, uniuersus ministerij nostri cursus Christo duce dirigitur. Hac spe Euangelion regni Dei, Ecclesiæ uestræ quotidie fideliter ac sedulo, cum nostra tum uestra ipsorum conscientia teste proponimus: errata delinquentium moderate quidem, tamẽ haud dissimulanter reprehendimus: ad resipiscentiam quosuis uocamus: resipiscentibus, & Euangelio Christi uerè credentibus, peccatorum remissionem secundum mandatum Dominicum annunciamus: rudes in cognitione Christi instituimus: somnolentos excitamus ad pietatis & fraternæ charitatis studia, deinde & debitam potestati uestræ obedientiam uniuersos hortamur: ueritati contradicentes refutamus: omnis generis idololatriam & superstitionem detestamur: Ecclesiasticæ mysteriorum Christi dispensationi iuxta Euangelij præscriptum incumbimus. quę omnia huc tendunt, ut nemo in hac Ecclesia nisi proprio uel obstinationis uel negligentiæ uitio, Domino seruatori nostro pereat. Hic uidelicet unicus est Commentariorum quoq; istorum scopus, quos etiam hoc nomine D. V. nuncupo, ut simul & fidei meæ, cum erga ordinis uestri præstantiam ac sublimitatem, tum erga urbem hanc insignem, & pientissimam Christi Ecclesiam, argumentum aliquod pro tenuitate mea exhibeam, et doctrinam Euangelij Christi, ad finem usq; constanter firma fide retinendam, ac nos ministros illius paterna ac solita benignitate, cura & pietate ad ædificationem corporis Christi fouendos D. uestris commendem. Magistratum & ordinem uestrum, urbem hanc inclytam, & quæ in ea est Ecclesiam seruator noster Iesus Christus, unicus dominantium Dominus, spiritu gratiæ suę moderetur, & utraq; cum cœlesti tum terrena rerum tranquillitate, quæ cum uera sit pietate coniuncta, perpetuò potiri donet. Augustæ Vindelicorum,

Anno salutis nostræ M. D. XLIIII.

Februarij VI.

Commen-

COMMENTARIORVM
VVOLFGANGI MVSCVLI DVSANI
in Matthæi Euangelium, Index diligentißimus.

A

Abijciendi uerbum 99 b & pag. 100 a
Abnegare semetipsum 416 a & b & 417 b
Abnegatio sui ipsius quomodo instituenda 417 b
Abrahæ promißio post diluuium 3 a
Abrahæ filij 30 b
abscondita Dominus nouit 17 a
absolutio Euangelica 27 b
absolutionis uis 452 a
abstinentiæ genus multiplex unde pag. 181 a
aceti uis 604 a
Achab peßimus rex 54
actio Christi omnis, nostra institutio pag. 333 a & 423 b
actionum nostrarum scopus 163 b
Adæ nomen 277 a
Adæ in paradiso promißio de Christo facta 34
adflicti quomodo sint comparati pag. 564 a
adflugi pro Christo magnum donum 73 a
adflictorum consolatio 227 b & 537 a & b
erga adflictos quomodo nos gerere debeamus 400 a
adflictis succurrendum 432 a
adimplendi uerbum 40 a
adinuentionibus humanis qui utuntur in diuersas rapiuntur sententias 28 a
admonitione fraterna nihil salubrius 168 a
adolescens Euangelicus cuius imaginem gerat 461 b
adorare quid 54 a & 238 b
adorandus Deus & colendus 54 a
adoratio Christi unde 389 b
adoratio Satanæ 53 b
adorationis uocabulum 12 a
aduenis benefaciendum 231 b
de aduentu Christi secundi signis pag. 520 b
de aduentu Christi horrenda 521 a
aduersarij ueritatis quomodo confundendi 505 b & uincendi 548 b
aduersarij ueritatis non exacerbandi 254 a
aduersariorum furori aliquando cædendum 39 a
in aduersitatibus solatium 385 b
adulandi studiū an sit in sanctis 38 a
adulatorum sors 379 a
de adultera simile 58 a
adulteræ mulieris ingenium 377 b
adulteriū inter res immundas 397 a
de adulterij pœna 964 & b
adulterij sedes 94 b
de adulterio & sanctorum inuocatione simile 127 a
adulteriorum causæ unde 95 b
aduocatorum turba 109 b
aduocatorum usus in aulis principum ob quam causam inoleuerit pag. 128 b
ædificatio in Ecclesijs non solum ad ministros pertinet 412 b
ad ædificationem in Ecclesia omnia fieri debent 170 a
in affectibus hominum multum situm est ad iudicandum res bonas pag. 261 a
affligi pios signum iræ Dei aduersus impios 351 a
in afflictione patientia 379 a
afflictionum utilitas 238 b
de agricola simile 314 a & 320 b
de agricola & concionatore simile pag. 36 b
agricolæ miserè decepti 51 a
ægroti quid agamus 211 a
de ægroto simile 58 b
ægroti nostri ad quē ferendi 400 a
de ægrotis simile 459 b
per agrū quid intelligendum 372 a
agrorum fœcunditas unde 115 a
ægyptus uicina Palestinæ 16 b
in Aegypto an Christus miracula fecerit 17 b
æquitas summa Dei 421 a
aĕre carere non possumus 34 b
Agape fidelium 559 b
אמשׁ 402 b
alapæ percußio 108 b
aliquid fieri cuiquam bifariam dici pag. 358 b
ambitio dominandi in Episcopis pag. 441 b
ambitionis pestis 474 b
ambitione dominandi Apostolos laborasse 474 a
in ambitione primatus discipulos laborasse 447 a
Amen quid 152 a
amicitiam quare proditores simulent 570 b
amicorum carnalium duo genera pag. 415 a
amictus honestus Christianum decet 24 a
amor peruersus à rectitudine Euangelij auocat 318 a
amoris proprium 416 a
amoris ingenium 125 a & 499 a
anabaptistæ de iuramento non præstando 104 b
anabaptistæ de bonorum communicatione 142 a
anabaptistæ silentes 260 b
anabaptistæ taxantur 163 b. 153 a 186 a. 196 b. 210 a. 218 b. 293 a 295 a. 304 a. 305 b. 354 a. 365 a 363 a. 369 b. 367 b. 404 b. 418 a 430 a. 447 a. 458 a. 619 b. 195 a
anabaptistraum error de uerbo dei externo 360 a
anabaptistarum salutandi mos 115 b & 292 b
anabaptistarum error de Magistratu 106 b
anabaptistas scripturis uti 50 b
anabaptistas esse sine peccato pag. 146 b
anabaptistas relinquere uxores, parentes, &c. 319 a
anachoretæ unde 380 b
Angeli castrum Romæ 15 b
angelicæ custodiæ prouidentia pag. 450 b
angeli serui & ministri 9 b & 50 b
angeli proprij an electis deputati pag. 450 b
angeli electorum ministri 522 a
angeli conserui nostri 494 b
angelorum ministerium 366 a
angelorum uirtus quanta 533 a
angelorum felicitas plurimi æstimanda 69 a
angelorū adoratores taxantur 54 b
angelorum dominus Christus 55 b
angelos non omnia scire 523 a
in angustijs constitutos à Deo non deseri 387 a
animaduersio diuina peccantibus metuenda 296 a
anima quid 567 a

animam quidam negant esse immortalem 253 b
animam capere pro uita 420 b
animarum requiem pauci curant pag. 332 b
animus noster instar ægri 501 a
animus erga Christum syncerus qua in re declaretur 536 a
animi sibi mali conscij ingenium pag. 583 b
animi candidi signum 381 a
animi maleuoli ingenium 219 b
animi adflicti curatio 211 a
animi restitutio qua in re sita 211 a
animi morbi à paucis curantur 62 a
animum credentis confirmare in rebus humanis 193 b
animorum medicus in cœlum relatus est nullus apud ethnicos 62 a
Apollinaristæ 237 b & 563 a
Apollonius ecclesiasticus scriptor pag. 46 a
Apollonium absentes res nouisse pag. 479 a
apostolica missio 215 a
apostoli missi ad prædicandum pag. 279 a
apostoli quare cœlitus uocem audiunt 427 a
apostoli quomodo sua reliquerint pag. 60 b & 200 a & 466 b
in Apostolorum scriptis quid discendum 2 a
apostolorum scripta quomodo legenda 1 b
apostolorum oculi beati quare pag. 359 a
de Apostolorum intercessione pag. 398 b
apostolorum falsorum nota 59 b
apostolorum æqualis potestas pag. 616 a
apostolorum fructus 77 a fides pag. 194 b stupiditas 401 a & 435 a & fuga 572 b
apostolis præclara facta non ascribenda 639 b
apostolos habuisse pecunias 382 a
apostolos habuisse uxores 200 a
apparitio spirituum nos turbare pag. 386 b
apparitiones Dei 63 a
aquilæ natura 540 a
arboris bonæ ingenium 32 b
arbores quales simus expendendum pag. 484 a
de arboribus simile 230 a
Archelai proscriptio 21 a
area populus Israël 34 b
arenam denotare hypocrisim 188 b
armatura contra tentationes Satanæ 481
artificum luxus 540 b
Asa pius rex 4 b
Asa rex culpatur 211 b
asino cur Christus sit usus 480 a
asino cur uectus sit Christus Hierosolymam 479 b
assentari nescientium sors 379 a
assentationibus omnia corrupta pag. 406 a
astrologorum libelli prohibendi pag. 11 b
astrorum duplex obseruatio 11 b
astrorum studiosos fuisse Orientales 11 b
astuti eludendi astutia 485 b
Athanasij locus de libris diuinis pag. 22 a
de athleta & ueritate simile 401 b
de atleta & Christo simile 454 a
auaritia quid posit 545 b
auaritia ministro uerbi summopere cauenda 154 a
auaritia Pharisæorum 154 a
auaritiæ typus Iudas 278 b
auaritiæ radix 159 b
auaritiam esse idololatriam 156 b
de auaritia & amoris affectu simile pag. 501 a
auari irrident uerbum Dei 250 b
auari taxantur 142 a
auarorum miseria 156 a & b
non audire Deum impios 177 a
audire uerbum 451 b
audiendi uerbi Dei studium populi pag. 428 b
audiendi uerbi Christi diligentia requiritur 373 a
auditores uerbi ad Christum mittendi 323 a
auditores à concione rogandi pag. 361 a
auditores uerbi Dei à quibusdam contemni 189 a
auditores uerbi Christi quomodo se habeant 188 b
auditorum capacitas obseruanda pag. 248 a
auditorum uerbi Dei uaria genera pag. 361 b
auditorum Euangelij officium pag. 337 a
Augustinus taxatur 528 b
Augustini dictum de humanis traditionibus 513 a
Augustini sententia expensa de peccato in spiritum sanctum 346 a
Augustini dictum de nostra iustitia pag. 744 a
auicularum multa genera 161 b
de auiculis & electis simile 519 a
aulicorum mores in præbibendo pag. 504
aulicorum corruptio taxatur pag. 324 b
aulicorum ingenium 379 a
auricula dextra symbolum habet obedientiæ fidei 571 b
auricularis confessio incertum habet autorem 27 b
de ijs qui in aurifodinis laborant simile 459 b
de auriga & magistratu simile pag. 335 b
de aurum quærentibus in aurifodinis simile 502 b
auri typus 15 b
auxilij diuini imago 389 a
ἄξιος dictio 291 a

B

Balthassar Cossa 41 a
Baptizare in spiritu et igne quid pag. 34 a
quum baptizatur puer parens adsit pag. 251 b
quomodo baptizarint Apostoli pag. 26 a
baptizari Christus cur uoluerit pag. 39 a
baptizari in Christum quid 222 b
an baptisma Ioannis idem cum nostro 25 b
de baptismate in Ecclesia 251 b
baptismate quare usus Ioannes 12 a
baptismus quid sit 197 a & 504 a
baptismus declarat cuius simus pag. 412 a
baptismus Ioannis multis descriptus pag. 25 b
baptismus Christi etiam sanctissimo cuiuis est necessarius 37 b
baptismus non est simplex cæremonia 619 a
baptismus initium sacramentorum omnium 554 a
baptismi puritas in mentibus fidelium 26 a
baptismum per se neminem saluare pag. 619 a
Barrabas quid 589 a
בשר quid 257 b
Basilij dictum de abnegatione sui pag. 417 b

βαττολογεῖν 122 b
Battus ineptus poëta 122 b
de beatitudine multa à multis tradita 63 b
Beelzebub 262 a
bella inteſtina noſtro tempore quid ſibi uelint 343 a
bella qui uolunt, quo ſpiritu ducantur 431 a
bellicas res adminiſtrare an impium pag. 104 b
benedicere quid 382 b
benefacere quid 112 b
beneficentia quomodo ſit comparata 112 b
beneficij genus arduum 112 b
beneficia Eccleſiaſtica quomodo à Papa largiantur 275 b
beneficia Eccleſiaſtica quomodo diſpenſentur 378 b
beneficia præſtita Chriſtum non reuocare 258 a
beneficia quæ nobis fiunt citò obliuiſcimur 209 a
beneficiorum Dei obliuio 405 b
beneficiorum diſpenſandorum ordo quidam 56 a
beneficiorum Chriſti diſpenſatores Apoſtoli 383 b
beneuolentiæ Dei indicium 198 b
Bethlehem duæ 13 b
Bethelehemitici pueri quare interfecti 19 a
Bethzaida quid 380 a
blaſphemari ſpiritũ ſanctũ qd 346 b
blaſphemia quid 345 b
blaſphemia in filium quid ſit 346 a
blaſphematorum duo genera 346 b
bonum omne ex Deo 459 a
bonum eſſe quid uerè ſit 177 b
bona uera 156 b
bona futuræ uitæ quanta 531 b
ad bona cœleſtia impetranda tria eſſe neceſſaria 175 a
bona omnia à Deo nobis data 288 b
de bonorum proprietate inter Chriſtianos 142 a
bonitatis diuinæ cognitio unde naſcatur 136 b

C

Caeremoniæ noſtræ quo loco ſint coram Deo 233 a
cæſarea Philippi 405 b
Caiaphas aliàs Ioſephus 573 a
calamitoſi qui 229 a
de calce & impijs ſimile 194
calix paßionis duplici uia tranſit pag. 567 b
calix permanens 567 b
calumniam ſtruere in re bona 261 b
calumnijs aduerſariorum occurrendum 220 a
calumniantibus nos ne occaſionem demus 454 a
cananæi qui 397 b
de cane ſimile 127 b
canes multis in locis in lege ignominia notati 173 a
Capernaũ multis donis obruta 56 b
capernaitæ notantur 291 b et 202 a
captiuitas mortalium uaria 476 b
captiui ſunt conſolandi 541 a
carbunculi precium 204 a
cardinales unde dicti 273 b
cardinales duodecim 273 b
carnis puritas in Chriſto 3 b
carnis reſurrectio in ſymbolo, non fidelium reſurrectio poſita 250 a
carnis eius quare prohibitus 397 a
carnis & ſpiritus pugna 567 b
carnis infirmitas nunquàm obliuiſcenda 566 b
carnis ingeniũ ſubdolũ 97 & b 61 b & 159 b
carnem perpetuò ſpiritui reluctari pag. 140 a
caſtigandi libertas hominis Dei pag. 376 a
caſtorem ſeipſum caſtrare 100 a
chriſtianus erga Euangelicam ueritatem quo feruore ſit 317 b
κατακρούσεις 112 a
in cathedra Moyſi ſedere quid pag. 507 a
cathedrales eccleſiæ unde dictæ 63 a
catholici qui 290 b
Cato Vticenſis quare ſeipſum interfecerit 583 b
Centurionis fides & modeſtia 191 a
Centurionis humanitas & dilectio pag. 192 a
charitas regula omnium noſtrarum actionum 170 b
charitas uinculũ perfectionis 369 a
charitas teſſera Chriſtianorum pag. 411 a
charitas inordinata 499 a
charitatis diuinæ exemplũ in Chriſto 190 a
charitatis ingenium 501 b
charitatis exemplum & ingenium pag. 398 a
charitati cædit etiam ipſa lex Dei pag. 335 a
charitatem habere ſuam auſteritatem 171 b
charitatem nõ habere præſcriptum modum corrigendi proximum pag. 170 b
Chorinthiani 237 b
ex choreis laſciuis quid conſequatur 377 b
chriſtianus qui non ſit 416 b
chriſtiano non ſatis Chriſtum corde credere 314 b
in Chriſtiano homine duo conſideranda 504 b
Chriſtiani ubiq; terrarum 195 b
chriſtiani ueri pauci 109 b
chriſtiani ingenium 66 a
chriſtiani decoris quidam nullam rationem habent 39 a
chriſtiani meticuloſi taxantur pag. 387 b
chriſtiani compellendi ad audiendum uerbum Dei 209 b
chriſtiani quo in loco ac honore habendi 355 b & 321 b
chriſtianorum una lex 168 a
chriſtianorum dignitas 365 a
chriſtianorum nomen 277 b
chriſtianorum duæ partes 537 a
chriſtianos ferè gentium ſuperſtitionem ſuperaſſe 132 a
chriſtianis omnibus non idem pietatis profectus 35 b
chriſtianos non eſſe ἀπαθεῖς 65 a
à chriſtianis duo requiruntur 23 b
pro Chriſtianis ueris qui habendi pag. 315 b
in Chriſtianis cenſendis difficiles ſumus 539 a
chriſtus quid 2 b & 6 b
chriſtus quid ſit, & quod illius officium 381 b
chriſtus electus Dei 340 b
chriſtus filius Dei 408 a
chriſtus miniſter peccatorum pag. 476 a
chriſtus in quibus imitandus 388 a
chriſtus quare ſe reſoluerit manifeſtum fieri 339 b
chriſtus imago Dei inuiſibilis 68 b
Chriſtus ſuos diſcipulos uiuo exemplo inſtituit 61 a
chriſtus imago patris 328 b
chriſtus quomodo ſequendus 320 a
chriſtus interpres animi paterni pag. 428 a
chriſtus à Deo iudex & mediator pag. 129 b
chriſtus mitißimus erga peccatores, erga hypocritas ſeueriſſimus pag. 167 b

christus filius dilectus Dei 42 a
christus & prædicator Euangelij quid differant 214 b
christus quando opportunè reuelatur 37 b
christus quare inter latrones pependerit 216 b
christus pater peccatorum 210 b
christus quare adorandus 54 b
christus quibus ante tempus uenerit 208 a
christus rex noster 6 b
christus quibus medijs reperiatur pag. 154 a
christus corruptibilis puluis dictus à Leone 261 a
christus thesauro absondito comparatur 10 b
christus quomodo ex semine Dauidis secundum carnem sit natus 6 a
christus electionis causa 226 b
christus uerus Deus & homo 10 a
christus filius Dei 577 b
christus caput electorum 609 b
christus quomodo Deum habeat pag. 603 a
christi facta & ratio factorum expendenda 44 a
christi manifestatio, quibus initijs cœperit 37 a
christi omnia chara sunt Christiano pag. 558 a
christi facta quæ imitanda 561 b
christi facta omnia aliquid habere quibus instruamur 561 b
christi regnum in nobis 424 a
christi studium & patientia 515 a
de Christi memoria augustè sentiendum 556 a
extra Christi regnũ nihil aliud, nisi labor 331 a
christi potestas 328 a
in Christi solius uerba iurandum pag. 332 b
christi inimici 471 b
christi expertes qui 34 a
christi potentia malis spiritibus horrenda 207 a
christi facta satis lucis habere 202 b
christi ingenium 211 b
christi incomparabile studiũ 263 b
de Christi pueritia liber apocryphus 22 a
christi maiores non leuium peccatorum notis insignes 3 b
christum laborasse cũ patre Ioseph pag. 374 a
christum edere quid 409 b
christum gratiæ ministrum non legis 222 b
christum confiteri 408 a
christum sedere ad dexteram patris quid 503 b
ad Christum pastorem uerè esse ductum quid 281 b
christum disci in scripturis 323 b
christum in cœlis regnare 61 b
christum qui potissimum amplectuntur 397 b
ad Christum qui cum fructu ueniant pag. 330 b
christum esse Deum 213 b
christum aliquando scripturis non uti 212 b
christum cõtingere uera fide 245 a
christum qualem Euangelicæ historiæ nobis describant 259 b
christum qui uerè non cognouerunt pag. 389 b
in Christo duæ contrariæ uolũtates pag. 565 b
in Christo non esse duas personas pag. 565 b
cum Christo esse 345 a
in Christo naturæ non sunt confundendæ 237 a
in Christo duo semper spectanda pag. 202 a
in Christo uno conscientias adflictas pacificari 331 a
christo & Satanæ nihil commune pag. 207 b
in Christo seipsum quærere 203 b
in Christo quæ consideranda 196 b
post cibum deo gratiæ agendæ 561 a
cibi sumptio experimentum ueræ uitæ 254 a
cibi prohibiti 396 b
ciborum luxus taxatur 24 b
circuncisio signaculum iustitiæ fidei 504 a
ciuitas sancta 605 b
ciuitatis ratio 289 a
ciuitates qui exugant 155 a
clamore opus habent concionatores pag. 23 b
claritas non eadem sanctorum 388 a
claudere regnum cælorum 510 b
clauium insignia omnium esse Apostolorum 413 b
per claues Christi turpissimus sacerdotum quæstus 594 a
Clemens V. Romanorum pontifex pag. 204 a
Cleombrotus sese de muro præcipitem dedit 584 a
cæci uere qui 231 a & 235 a
cæcitas impiorum quæ 490 a
cæcitas qua percutiuntur impij pag. 375 b
cæcitas ueritatẽ nõ agnoscere 337 a
cœlibatus impudicissima lasciuia pag. 181 a
cœlibatus cõsilium non præceptum pag. 455 b
cœlum 135 b
cœlum inspicientes quid cogitandum 105 a
cœli faciem iudicare an sit malum pag. 402 b
cœli Christo nunquam occlusi 40 b
in cœlorũ regno esse magnum quid pag. 446 a
cœna Domini quid 559 b
cœna Dominica non tristes requirit 438 b
cœna Domini instar medicinæ 558 b
cœnæ Dominicæ mentio 405 b
cœnam domini peragentes, ad gratiarum actionem non præsto esse taxantur 561 b
ad cœnam Dominicam omnes uocandi 416 b
cœnam Dominicam non tantũ pertinere ad Apostolos 550 a
de cœna Dominica 233 b
à cœna Dominica absterrere 246 b
de cœna Domini uariæ opiniones pag. 548 b & sententiæ 504 a
cogitationes malæ 396 a
cogitationes humiles de Christo abijciendæ 130 a
cognatio spiritalis 354 a
cognationes sæpe sunt radices magnarum discordiarum 353 b
cognitio Christi mysterium absconditum 328 b
cognitio Christi res sacratissima pag. 248 a
cognitio Christi unde 389 b
cognitio duplex Dei 329 a
cognitionẽ rerũ duplicẽ esse 473 a
In cognitione Christi administranda, discretio seruanda 248 a
Coimeterion 250 a & 605 a
colere quid 54 a
colligendi nullus finis 156 a
de colligendo auro simile 539 b
commertium gentium quare Iudæis interdictum 29 b
commiserationis affectus præstandus erga calamitosos 270 b
de communicatione bonorum inter Christianos 142 a

conatus

conatus impius quid posit 19 a
in Concilio tria obseruanda 573 b
conciliorum mentio 414 a
conciliorum status 317 b
concilia papistica quare congregentur 452 b
concilia an errent 302 a
in concilijs confessus Episcoporum taxatur 509 a
concordia in causa religionis 317 b
concordia non semper bona 209 b
cõcordia credẽtiũ cõmẽdatur 452 b
concordiæ fraternæ studium, Deum à nobis requirere 147 a
concordiam fraternam læsisse quale peccatum 152 b
concordiã fidelium deus amat 90 b
cõcupiscentia quæuis nõ mala 95 a
de cõcupiscentia impuri cordis 95 a
inter concupiscentiam et opus peccati discrimen 98 a
concupiscentiarum uis 150 b
condemnatio ex propria conscientia 492 a
condemnationis æternæ comminationes, pijs utile audire 539 b
condolendum adflictis 211 a
confiteri Christum quid 315 a
confitendum Deo 27 a
cõfessio publica nõ reprobatur 27 a
confessio in Ecclesia publica, quamdiu in usu fuerit 27 a
de confessione auriculari quædam pag. 91 a & 26 a
confessione uera Ecclesia opus habet 28 a
confessos esse quosdam Ioanni 25 b
coniecturis etiam uerisimilibus non semper credendum 9 a
coniunctionis multi gradus 110 b
in coniugio modum amoris excedere 95 b
cõiugia quomodo prosperantur 4 b
conscientiæ afflictæ pacatio 211 a
conscientiæ bonũ inæstimabile 72 a
conscientiæ malæ uox 208 b
conscientiarum infirmitas 246 b
conscientijs infirmis quid usu uenire soleat 245 a
consecrandi panis superstitio 382 b
consilium quid 83 b & 84 a
consilium habere pios 255 b
cõsilia Dei nõ esse discutienda 327 b
consilia diuina curiose non esse inuestiganda 16 a
consolatio quid 65 a
consolatio post tentationem 386 b
consolatio duplex 65 a
cõsolatio ingẽs in necessitatib. 123 b
constantia Ioannis 324 a
Cõstantinorum imperatorum dissidia 343 a
consuetudo mala quomodo deponenda 105 b
consuetudini Christũ seruijsse 373 b
consuetudines an sequendæ 556 a
consuetudines ueterum an seruandæ pag. 86 b
consultorem bonum præstare quis posset 84 a
contemnere neminẽ debemus 194 b
de continentiæ proposito Christum cautè loqui 455 b
ad concionandum peruersis nemo seipsum ingerat 174 b
concionator sciat quid uerè ex diabolo sit 262 b
cõcionatori quis finis petendus 77 b
concionatores ferre falso & 356 b 357 a
cõcionatores boni rari hodie 506 b
concionatores se captui auditorum accomodent 60 a & b
concionatores uarij 267 b
concionatorum dissidia 343 a
cõcionibus Ecclesiasticis quare quidam intersint 333 a
in concionibus suis Christum ordinem seruasse 174 a
concionibus quid opus 179 b
ex concionibus Ecclesiasticis ante horam abire 38 b
contritio cordis quid 22 b
conueniendi consuetudo non improbanda 61 a
in conuentibus Ecclesiasticis quæ fiant apud malos 338 a
conuersatio terrena quomodo instituenda 105 a
conuersionis ad Deũ initium 598 a
conuiuium gaudij symbolum 217 b
cõuiuium Christo parandum 217 b
ex conuiuijs temulentis quid consequatur 377 b
κόπτεσθαι 521 b
corban & corbona 584 b
corripiẽdi peccatores exẽplũ 376 b
cor bonum unde 363 a
cor pro affectibus cordis 155 b
cor misericors donum Dei 229 b
cordis munditia 67 b
corda per auaritiã excæcari 156 b
cordibus esse nõ corruptis magnum commodum 213 b
corpus quid 567 a
corpus Christi exhibere 382 b
corpus Christi non solum in sacramento contingimus 245 a
in corporis salute seruanda duo extrema 100 a
corpora nostra quo peccato polluantur 98 b
cranion 593 b
crastinum quid Hebræis 143 b
creata omnia esse propter hominem 520 b
in creaturis omnibus diuinam maiestatem elucescere 105 b
credere quid 423 a & 447 b
credere non posse aliquid præ gaudio 613 b
credo tantũmodo expẽditur 247 b
credentium ingenium 66 a
credentibus Christus nil negat 398 a
à credentibus non eadem fidei mensura expectanda 364 a
non credenda quæuis 81 b
crux Christianorum duplex 418 a
crux signum Christi 521 a
crux deterret multos ne Christum sequantur 62 b & 25 a
crucis dictio 320 a & 418 a
de crucis signo impostura pontificiorum 418 b
contra crucis scandalum remedium pag. 42 a
crucem ferre & tollere differunt pag. 418 a
in cruce Christi plus situm, quàm in natiuitate 414 b
in cruce Christi quid spectandum pag. 419 a
in cruce Christi duo esse obseruanda 418 b
cubiculũ orãdi locus cõmodus 132 b
cura necessitatis crastinæ abijcienda pag. 144 b
curiositas uulgi accusatur 324 b & 240 a
cultus Dei sinister taxatur 541 b
Cypriani scripta de Ecclesia deserenda 363 a

D

דבר quid 48 b
dæmones esse quidam negant 209 b
dæmones cur in sepulchris esse uoluerint 207 a
dæmonum ingenium depictũ 206 b
damnatorum status tenebris comparatur 196 b
damni temperarij inferendi triplex modus 109 b
damnis terrenis excitantur piorum animi 209 a

dandum quibus 322 a
dandum hilari animo 120 b
dandum quantum 500 b
dantium diuersitas 119 b
dare plus Christum q̃ petatur 434 a
dauid repræhenditur quod Saulem lugeat 270 b
dauid dux afflictorum 229 b
dauidis peccatum quare recenseatur 4 a
dauid humilis in regem electus 13 b
dauidis tentationes 386 b
dauidis nomen celebre tempore Christi 3 a
debiti dictio 144 b
debita pecuniaria remittẽda 148 a
decalogi expositio 168 b
decimæ quorum sint 513 a
decimæ tributa egenorum 544 a
decimarum usus 513 a
decor seruandus in omnibus 39 a
deierare per animam 105 b
deierandi formæ 104 a
ad deierandum multæ malæ causæ impellentes 105 b
delectatio impiorum 379 b
delicta aliorum quomodo tractanda 170 a
delicta fratrum occulta occulte taxanda 203 b
delictorum gradus 297 a
delitiæ pijs negligendæ 382 b
deplorationis extremæ indicium pag. 578 b
deseri à Domino qualis ultio 516 a
desertor Christi qui 369 a
Non desperandum de ijs qui tardè Euangelio credunt 361 b
desperandum de salute nullius 31 b
desperandum de nemine 502 a
desperandum de nullo hominũ genere 238 b
desperatorum hominum horrenda paßim exempla 584 b
desperationis causa duplex 97 b
desperationis lapsus quomodo fugiendus 584 b
Cõtra desperationẽ remediũ 466 a
desperãtium propè cõsolatio 247 a
detractrices linguæ taxantur 219 b
deus qualis nobis sit 199 a
deus quomodo colendus 225 b
deus misericors 256 a
deus dominus exercituum 491 a
deus Israëlis quare à Romanis non cultus 54 b
deus quos exaudiat 177 a
dei loco esse 168 b
dei uerus cultus 226 a
dei uirtus ad saluãdũ efficax 466 a
dei ingenium 446 b
dei habitatio inter homines quid pag. 512 a
dei est non deserere 603 a
dei bonitas credenda 145 b
deum tria filijs suis proponere 118 b
deum patrem imitari 113 b
deum alicuius esse 496 b
deum qui non colant 89 b
de deo quid sentiat ratio humana pag. 122 b
dij gentium scortatoribus comparantur 54 b
diabolus malus non natura 365 a
diaboli malitia 262 b
diabolum quidam pro prauo homine accipiunt 43 b
dicenda non quæuis apud quosuis pag. 324 b
dies dominicus 337 b
de die domini multi uaria prædixerunt 139 b
diffidentiæ malum causa deierationis 105 b
digni gratia dei 290 a
digni qui coram Deo 491 b
dilectio uera 498 b
dilectio ordinata Sophistarũ 110 b
dilectio dei caput omnium eorum quæ deo debentur 499 b
dilectionis mutua similitudo 499 a
dilectionis feruor 388 a
dilectionis natura quid exigat 415 b
dilectionis initium à deo 499 a
dilectionis gradus 111 a. et uis 461 b 611 b. & natura 110 b
diligere Deum quomodo debeamus pag. 498 b
diligere aliquem quid 500 a
diligendus quis sit 110 b
discipuli Christi occulti non abijciendi 608 a
discipulum qualem eligat Christus pag. 216
discipuli Christi certam teneant de eo ueritatem 407 a
discipuli Christi quorum exemplum referant 438 a
discipulorũ inhumanitas erga pueros 456 b
discipulorum imbecillitas 431 b
Per discipulos qui intelligãtur 64 a
In discipulis instruendis Christum delectum habuisse 247 b
dispensatoris boni exemplum 273 a
dispensatio bonorũ cœlestium 530 b
dispensationis diuinæ ratio in uocandis hominibus 12 a
disputationibus errantes non curari 172 a
dißiduum suorum Christum ferre non posse 474 b
dißidium propter Euangeliũ unde pag. 203 b
dißidij intestini quantũ malũ 342 b
dißimulandi studium in sanctis nullum 38 a
dißimulare ueritatem quale malum 579 b
diuendere mercimonia putrida pag. 179 b
diuersi diuersis simus 300 a
diuinæ uisionis felicitas 69 a
diuinitas Christi 205 a
diuinitatem Christi negantes taxari 194 a
diuitiæ gloriæ Dei 384 a
diuitiæ qualem reddant hominis uitam 362 a
diuitiarum pestis 462 a
diuitias corradentes taxantur 581 b
diuitias non culpari, sed corda diuitum 463 a
diuitias non esse malas per se 462 b
diues qui 66 b
de diuite nullo desperemus 217 a
diuites tenaces taxantur 608 a
diuites taxantur 462 a. & 64 b
diuites quid cogitare debeant 537 b
diuites Esau comparari 64 b
diuites huius seculi taxantur 204 a
diuites quo dæmonio obmutescant pag. 260 b
diuitum mollis educatio 229 b
diuorum cultus unde cœperit 375 b
de diuortio multa 101 b et 102 a et b
docenda non quæuis 620 a
docendi munus quid includat 617 a
docendi munus quale 264 a
docendi genus potißimum 373 a
docere sedendo 63 a
docere Christus maluit quàm imperare 264 b
doceri neminem nisi diuinitus 328 b
doctor malus populum coram Deo non excusabit, si illum sequantur pag. 419 a
doctores in Ecclesia cæci quantum damni adferant 157 b
doctores ecclesiarũ presbyteri 63 a
doctores populi pastoribus comparari 264 b
à doctoribus discat populus 428 b
in doctoribus quid requiratur 458 b

doctos

doctos in Ecclesia quales uelit spiritus sanctus 305 a
doctrina Christi & Ioannis eadem pag. 236 b
doctrina uera amplectenda 116 b
doctrina Pharisæorum 404 a
doctrina omnis examinanda 401 b
doctrina regni Dei 381 a
doctrina concionatorum perpendenda 182 a.
doctrinæ dignitas 264 a
doctrinæ Christi instructiones cœlestes 189 a
doctrinam nouam cum Euangelium prædicatur, nemo in Ecclesiam introducat 25 a
doctrinam Euangelij esse salem 75 a
dolor Christianorum 517 a
dolorẽ cordis Christũ sensisse 431 b
dominandi libido in Ecclesia taxatur 509 b & 510 a
domestici Dei 231 b
dominus ubiq; suos consolatur 20 b
domini nomen imperator Rom. quidam respuit 159 a
dominicæ diei contemptus 373 b
dominari uerbum 152 a
dominandi ambitio multos tentat pag. 52 b
dominis terrenis an seruiendum pag. 159 a
domus Israël 280 b
domus Dei 232 a
domus Dei qui usus 482 a
domos proprias negligere, sed alienas corripere 169 b
Donatistarum Ecclesia 364 b
Donatistæ quare perierint 584 b
Donatistæ taxantur 367 b & 195 b
dona Dei reddi inefficacia 375 a
donorum Dei abusus magnus 241 b
donorum Dei inæqualitas 530 b
donis Dei quomodo utendum 201 a
dormitoria 250 a
duodenarius numerus 273 b

E

EBionitæ 237 b
Ebrietatis uitium 121 b
ebrij taxantur 50 a
ecclesia quid 411 a
ecclesia an errare posit 366 b & pag. 620 b
ecclesia Christi miserè uastata 517 a
ecclesia in precationibus quare adiunxerit per Christum Iesum dominum nostrum 129 b
ecclesia Christi & doctrina & sactis purganda 482 a
ecclesia Romana quare à pijs deserenda 368 a
ecclesia uera Christi 281 a
ecclesia ubiq; terrarum 364 b
ecclesia Dei quare peius habeat pag. 432 b
ecclesia stomacho cõparatur 481 b
ecclesia Christi area 35 b
ecclesiæ Prælati quẽ referant 332 b
ecclesiæ nostræ zelotes 572 a
ecclesiæ purgatio 36 a
ecclesiæ imago 242 b
ecclesiæ minister irreprehensibilis sit 167 a
ecclesiæ Christi imago 205 b
ecclesiæ quomodo ecclesijs noceant pag. 14 b
ecclesiæ communionem contemnere, radix omnium heresium 411 a
ecclesiæ sors in hac uita 367 b
ecclesiæ ministri delicatuli taxantur 333 a
ecclesiam uarijs de causis derelinqui 368 a
ecclesiam Dei nunquam deseri pag. 469 b
ecclesiam Christi nullis erroribus patrocinari 451 b
pro ecclesiæ Romanæ impietate orandum 369 a
ecclesiæ hodiernæ facies 299 b
ecclesiæ Romanæ typus 327 b
in ecclesia malos duraturos 365 b
in Ecclesia diuersæ obseruationes, sed eadem fides 236 b
in ecclesia Dei malum eradicandum 369 b
de ecclesia primitiua quædam 383 a
in Ecclesia omnia in ædificationem debent fieri 544 b
in Ecclesia de Christo certa doctrina 1 b
in Ecclesia lingua uernacula omnia agenda 616 a
in Ecclesia multi seipsos quærunt pag. 203 b
de Ecclesia ex gentibus congregata quid tenendum 35 b
in Ecclesia mali cur adscribantur pag. 365 a
cum Ecclesia Romana non communicantes, quid agendum 367 b
ecclesiæ Christi hostes 345 a
in Ecclesia Christi qui sint 413 b
in Ecclesia sint præsides 475 a
de Ecclesia Christi quæ obseruanda pag. 411 a & b
in Ecclesia qui primus sit 475 b
in Ecclesia sermones, in quem finem fiant 360 b
in ecclesia non quæuis mendacia toleranda 182 a
ecclesiarum ministri cur parũ proficiant 412 b
ecclesiæ agrestes pessimè negligi pag. 389 b
ecclesiastica bona unde 585 b
ex ecclesiastica potestate factum esse regnum mundanum 592 b
ecclesiasticæ desertionis qui immeritò culpantur 369 a
ecclesiastica unionem duplicem consideratione habere 363 b
de ecclesiastica immunitate quædam 440
ecclesiastici conuentus ad quid utiles 412 a
ecclesiasticum quid faciat 411 b
ecclesiastici tyranni 526 b
ecclesiastici status corruptio 583 a
ecclesiasticorum ministrorum corruptionẽ esse inemendabilem 75 a
ecstases sanctorum unde 424 b
egenorum cura, opum consumptiua 460 a
eidola colere quale peccatum 239 a
electio Dei libera 3 a
electionis Dei inscrutabile iudicium pag. 79 a
electionis causam non esse nostram dignitatem 226 b
electi tritico comparantur 35 b
electi sparsi inter reprobos 36 b
electorum fides 522 a
electorum Deus curam habet 519 b
electorum est, ut sint cauti ac diligentes 520 a
electis quanta futura sit lætitia 527 a
electis cœlestia bona ab initio mundi parata 474 a
in electis diuersum carnis & spiritus ingenium 149 a
eleemosyna quid & quottuplex pag. 119 a & b
eleemosyna quomodo danda 114 b & 538 b
eleemosyna cui danda & quomodo pag. 120 b
eleemosynæ præceptum ad quem finem destinatum 119 b
eleemosynæ ueritas ubi quærenda pag. 119 a
eleemosynæ publicæ quare ab aliquibus retineantur 119 b
ad eleemosynam dandam quæ mouere debeant 120 a

eleemosynam ueram esse misericordiam 170 a
in eleemosyna præstanda quid fugiendum 117 a
de eleemosyna præstanda utilis doctrina 116 b
elephanti dentes abijciunt cum uenatu premuntur 100 a
Eleusina sacra 173 b
Elizabeth & Maria uirgo, quare cognatæ fuerint 6 a
ephrata 13 b
episcopus, sciat quid de se sentiant homines 406 a
episcopi terrenos principatus curant 53 a
episcopi nostri quos imitẽtur 580 b
episcopi unde dicti 526 b
episcopi quid præcipuè notare debeant 430 a
episcopi taxantur ob luxum 263 b & 360 b & 289 b
episcopi titulotenus 352 a
episcoporum & pastorum fides qua in re deprehendenda 525 a
episcoporum salutatio 292 b
episcoporum dominium in Ecclesia pag. 411 b
episcoporum statuta reprehenduntur 223 b
episcoporum prima cura 431 b
episcopos in nulla re Christum sequi 322 b
episcopos quales Christus non agnoscat 309 b
de episcopis inutilibus Christi iudicium 75 b
cum errantibus mansuetè agendum pag. 491 a
errantes quomodo ab erroribus abducendi 171 b
errores unde in Ecclesiam irrepserint 257 b
erugo aulica 155 a
per eruginem quid intelligendum pag. 154 b
Esseni 28 b
esuries Christi desiderium nostræ salutis 483 b
ethnici ueræ pietatis expertes 123 a
Eua quare à Satana tentata 47 a
eucharistiæ uox unde 555 b
eucharistiam omni die dominica accipere 557 a
euchitæ taxantur propter orationem 131 b
euangelist in quem usum scripserint historiam Christi 1 b
euangelistæ sibi inuicem non sunt contrarij 62 b
euangelistas magis expressisse quid ujum sit Apostolis, quam quod Christus reuera egerit 483 b
euangelistas non curasse describendorum ordinem 190 a
euangelistas non discordare 336 a
euangelistas miscellanea quædam scripsisse 172 b
ex Euangelistis quid petendum 2 a
in Euangelistis historica series non quærenda 62 b
euangelium uentilabro comparatur 35 b
euangelium regni 138 b
euangelũ qui non prædicent 267 a
euangelium cur plebs & non magnates amplexetur 490 a
euangelium quid prædicet 215 a
euangelium Christi scandalo sanctis pag. 212 a
euangelium ad quid institutũ 267 b
euangelũ quibus odor mortis 358 b
euangelium audiunt duo 328 b
euangelium quomodo conscientias liberet 338 b
euangelij prædicatio inuidis non caret 390 a
euangelij gratiam inuitis non esse obtrudendam 209 b
euangelij doctrina quare in orbem missa 618 b
ad euangelij promotionem quid necessarium 213 b
euangelij ministri qua diligentia instituendi 60 a
euangelij prædicationem esse tranquillam 69 b
euangelij prædicatio quare data pag. 362 b
euangelij lucem quosdam fugere pag. 209 b
euangelij fructus 363 b
euangelij nuncios repudiantes, quali pœna digni 294 b
euangelij doctrina an sit seditiosa pag. 141 b
euangelij doctrinam quidam à sapientibus mundi quærunt 410 a
euangelij doctrina quibus impertienda 394 a
euangelij prædicationem contemnere quale peccatum 355 b
euangelij conditio & efficacia 355 a
euangelio initio applausum 367 a
euangelio renascente feruor hominum 380 b & 381 a
euangelia legere populus simplex debet 300 b
euangelici falsi taxantur 68 b
euangelici muneris administratio in spiritu Sancto reijcitur 303 b
euangelica doctrina quales animos requirat 238 a
euangelicæ prædicationis magna uis 190 a
euangelicæ ueritati qui maximè resistant 397 b
εὐλογεῖν 112 a
euticis hæresis 237 b
exactio pecuniariam in mortuos exercere quale peccatum pag. 608 b
ab exactione communi esse liberum pag. 439 a
excæcatio reproborũ quid designet pag. 358 b
excæcationis exemplum 575 b
excommunicatio quid 164 a
excõmunicationis usus rectè à nullo condemnatur 36 a
exempli mali occasionem Christus noluit dare 479 b
exempla non concludere 123 b
ab exemplis non sunt sumendi canones instituendæ uitæ 60 b
exercitus Dei uiuentis 518 b
exercitus impiorum abominabiles pag. 518 b
exilia piorum solui morte tyrannorum 21 a
exorcismi quid hodie sint 344 a
exorcismorum usus tempore Origenis 436 a
exorcistæ taxantur 435 b
exulibus pro ueritate Dei non deest quò se recipiant 56 b
ἐξουσία quid 274 b
Ezechiam pij regis habuisse imaginem 5 a

F

Fabri filius Christus 374 a
Factorum rationes inspiciendæ pag. 123 b
fames magna prærogatiua 333 b
fames quid nos admoneat 143 b
fames malesuada 119 b
famem ferre edocti Christi discipuli pag. 332 b
falsum dicere imprudenter 341 b
famuli officium 158 a
fatuos Galatas uocat Paulus 89 a
fermentum orbis Apostoli 370 b
fermentum triplex in scripturis pag. 370 b

felicitas aut infelicitas hominum iuxta externam faciem non consideranda 64 b
feruor adulterinus 34 b
fiat uerbum dominantis 198 b
fideles non opus habere miraculis pag. 282 b
fidelibus nunquàm deerit 16 a
fides quid 79 b & 210 a
fides de periculo parũ cogitat 255 b
fides ex sacræ scripturæ regula metienda 207 a
fides, contra omnem metum firmissimum remedium 247 a
fides opera bona gignit 528 a
fides instar fructus 197 b
fides an radix salutis 197 b
fides uera 78 b
fides debet esse uisibilis 210 a
fides aliena quid possit 210 b
fides in Christum unde 410 a
fides Christi facit beatos 409 b
fides in Christum quomodo declaranda 538 b
fides uera cõfessionem parit 409 a
fides maior exercetur 400 a
fides radix omnium uirtutũ 399 a
fides latronis unde 600 b
fidei genera tria in scripturis esse assignata 436 a
de fidei nostræ mysterijs non passim disputandum 174 b
fidei nostræ fulcimentum 175 b
fidei imbecillitas in Apostolis 162 a
fidei encomium 217 a. fructus 211 a tentatio 246 a
fidei nihil ab initio à Capernaitis Christum exegisse 202 b
fidei contactus potens 242 b
fidei uirtus declaratur 435 b
in fidei rebus uelle uti luce rationis res pestilentissima 255 b
fidei ueritas dilectione exprimitur pag. 79 b
fidei natura 60 b
fides an sit fundamentum baptismatis 197 a
fidei symbolum 173 b
fidei nostræ adstipulatio, quomodo ex rebus humanis sumenda 193 b
in fidei negotio quid sequendũ 281 a
fidei & diffidentiæ pugna 433 a
fidei exemplum in leproso 190 a
fidei imperfectæ de Christo exemplum 239 b
fidei constantia in Petro laudatur pag. 411 a
fidei articuli credendi 495 b
fidei genus uarium 436 a
fidei opus & natura 398 a
fidem in Christum duo confirmare pag. 268 a
ad fidem nemo cogendus 265 a
fidem ueram infestat Satan 47 b
propter fidei imbecillitatem nemo reijciendus 194 b
per fidem quare saluemur 243 b
fidẽ respicere Christo solenne 210 a
fide opus oraturis 256 b
ex fide inuocatio 477 b
filius hominis 406 b
filius hominis pro homine 203 b
filij contumaces quomodo puniendi pag. 589 a
filij probi proprium 113 b
filij Dei qui 539 a
filij Dei ingenium 481 b
filij seculi 496 a
filiũ probũ nasci ex impio patre 5 a
de filio simile 314 b
filios Dei mundũ nõ agnoscere 70 a
de filiolo simile 320 b
flagitiosi quomodo cõsolandi 602 a
flagellum quid 241 b
fœdus cum Abraham 196 b
de fontibus & pectoribus simile pag. 169 a
fortitudo Christi 33 b
frangendi uerbum 549 b
fratres quomodo corripiẽdi 474 b
fratres Christi qui 353 a & 539 a
fratres primo corrigendi 169 b
fratrum loco discipuli à Christo habentur 614 a
fratrum imbecillitas boni consulenda 566 b
fratrum salus quærenda 210 b
fratribus quis uiuat 168 a
fructificatio uerbi Dei unde 360 b
fructus regni Dei 489 b
fucus nullus diu persistet 183 a
fuga piorum qualis 16 b
fugæ duplex genus 29 b
per fugam Deus suos plerunq; à periculis liberat 519 a
ob fugam nemo iudicandus 572 b
de furto & inuocatione sanctorum simile 127 a
furis studium 524 b
furor impiorum contra iustos 17 b
furori impiorum ad tempus cedendum 56 a

G

Gaudium mundi in rebus prosperis 65 b
Gaudium in Christo 217 b
gazophylacium quid 584 b
gehennæ metus etiã in electis 540 a
generatio Christi diligenter legenda 2 b
in Gente aliqua deprehendi singularem quandam malitiam 350 a
gentium uocatio 195 a. & 341 a
gentium uocatio æmulatio Iudæorum 196 a
gentium exemplo Christianos ad rectam uitæ conuersationem uocare 123 a
germaniæ interitum imminere 351 a
germaniæ corruptio deploranda pag. 324 b
de Germania Lactantij uaticinium pag. 562 b
Gethsemane quid 562 b
gladij magistratus utilitas 97 a
gloria mundi unico agri lilio postponitur 162 a
gloria inanis quomodo expugnanda pag. 38 b
gloria gratiæ Dei declarata per remissionem peccatorum 77 b
gloria Christi 532 b
gloria filiorum Dei 365 b
gloriæ inanis malum 379 a
gloriæ Dei ministra fragilis creatura 283 a
gloriæ uanæ fugiendæ exemplum pag. 253 b
gloriæ regnum 138 a
gloriæ inanis studiũ fugiendũ 117 a
gloriam Dei qui non sentiant 201 a
quæ gloriam Dei propius concernunt, ante omnia esse repurganda pag. 481 b
glorificandi Christi modus 283 b
golgatha 593 a
graduum nomina in ecclesia mansisse solum 174 a
gratia Christi omnibus peccatoribus oblata 58 a
gratia Dei præsens non negligenda pag. 327 a
gratia regni Christi uniuersalis pag. 617 a
gratia indepta custodienda 4 a et b
gratiæ tempus non negligendũ 92 a
gratiæ Dei contemptores taxantur pag. 517 a
gratiæ diuinæ exemplum 5 a
gratiam dei infirmioribus nonnunquam dari 590 b
gratiam Dei uendere 284 a
gratitudinis exemplum 201 a
gratitudo præposterа 257 b

Grati animi indicium 478 b
gratis oblatæ res contemni 184 a
gratis dare 288 b
Græcos non habere auricularem confeßionem 28 a
Gregorius taxatur de ieiunio 45 b

H

Haeres omnium 66 b
Hæreticus qui apud Papiſtas pag. 261 a
hæretici de perſecutione glorian- tur 70 b
Herodes quorũ figuram gerat 14 b
Herodes Hircani filius 11 a
Herodes dictus uulpes 13 a
Herodes cur ſtatim non punitus 17 a
Herodis duplex libido 376 b
Herodis impietas 13 a
in Herode multa iudiciorum Dei conſideratio 20 b
Hieronymus taxatur 563 b
Hieronymi ſententia expenſa de pec cato in ſpiritum ſanctum 346 a
Hieronymi ſententia de ſeptem ſpi- ritibus ſceleratioribus expenſa pag. 352 a
Hieronymi locus 15 b
Hieronymi commentaria in Mat- thæum 408 b
Hieruſalem terrena imago cœleſtis patriæ 470 b
Hieruſalem quare ſancta dicta 49 b
hiſtoriæ euangelicæ quomodo ex- cutiendæ 397 b
homicidij radicem Chriſtus oſtendit pag. 87 b
hominis excæcati impudentia 548 a
hominis partes tres 567 a
hominis uocabulũ malè audit in mul tis ſcripturæ locis 176 b
hominem habere duo potißimum pag. 172 a
homines lucrandi modus 12 a
homines duo plus ualent apud Chri- ſtum, quàm duo milia porcorum pag. 269 b
hominũ genera qualia contra Chri- ſtum 599 b
hominum quadruplex genus à Chri ſto curatum 259 a
hominum genus miſerum 476 b
hominum genus nullum abijcien- dum in negotio religionis 28 b
hominum genus triplex, quod in re- gnum Dei non ingreditur 510 b
honos Chriſti 16 a
honeſtatis ratio habenda apud Chri ſtianos 39 a
horreum regni Dei 34 b
de hortulano ſimile 159 b
hortulus animæ unde 122 b
hoſpitalitatis commendatio 540 b
hoſpitalia 232 a
hoſpites amicis uerbis excipere pag. 535 b
Hozias & Azarias idem 4 b
humanum genus opus habet ſale pag. 75 a
humanitatis exemplum in Chriſto pag. 380 b
humiliantis animi forma 430 b
humilitatis ueræ exemplum 398 b
humilitatis laus 444 a
humilitatis exemplum Chriſtus pag. 443 b
humilitate delectatur Deus 177 b
humilia in mundo Deum eligere pag. 13 b
de humore in plantis & liberis ſi- mile 456 a
hypocriſis quid 404 a
hypocriſis diabolica 14 b
hypocriſis uitium 166 b
hypocriſis doctrinæ gratiæ ſemper reſtitit 94 b
hypocriſis coniuncta malitiæ 548 a
hypocriſeos nota 117 a
hypocriticus animus taxatur 514 a
hypocrita quis 512 b
hypocritæ peſtilentißimum homi- num genus 510 b
hypocritarum ingenium 507 b & pag. 393 b
hypocritarum notæ 121 a
hypocritarum tria genera 404 b
propter hypocritas aliquando emi- grandum 403 a

I

Iacobo ortus ſol poſt tentationem pag. 15 b
Idolorum uanitas 125 b
de idolorum cultoribus ſimile 502 b
Ieſum non eſſe ex Ioſeph 7 a
ieiunium quid apud Iudæos 153 b
ieiunium uerum 46 a
ieiunium Chriſti 44 a
an ieiunium omne abijciendum pag. 46 b
ieiunium locum habere in luctu pag. 234 a
ieiunium monachorum 153 b
ieiunium quo in loco præcipiatur pag. 153 b
ieiunij genus triplex 46 b
ieiunij leges qui primus fixerit 46 a
ieiunij abuſus apud Iudæos 171 a
de ieiuniorum ſpecie diſceptatio pag. 45 b
ieiuniorum multitudo unde creue- rit 153 b
ieiunaſſe ueteres cum ſerio orare uellent 133 a
ignis natura 111 a
ignis metaphoricè 34 a
ignis perpetuus in lege 34 b
de ignis æterni qualitate diſputare temerarium 542 a
per ignem ſupplicium impiorum in- telligi 34 b
de igne & animi commotione ſi- mile 89 a
ex ignorantia peccare 598 b
ignorantia diſcipulorum 395 b
ex ignorantia errare 40 a
illicita petentibus ne cedamus 50 a
imago Dei in paterna bonitate pag. 178 a
imagines uiuæ 153 a
imaginum cultus in eccleſia 391 a
imaginum adoratores taxantur pag. 54 b
de imbre ſimile 350 b
immiſericordia quorundam taxatur pag. 540 b
immiſericordes taxantur 67 b
ab immunitate an Chriſtus liber fue rit 439 a
de imperfectis quomodo agendum pag. 460 a
imperfectionem diſcipulorum Chri ſtus patienter fert 471 a
impietatis natura 573 b
impietati duo uitia cognata 436 a
impietate fucata nihil deploratius pag. 484 b
impij bonis prodeſſe 14 a
impij quare uocentur maledicti pag. 535 b
impiorum irriti conatus delinean- tur 17 a
Iehudæ quid 278 b
impiorum furori cedendum 380 a
impiorum miſerrima conditio pag. 376 b
impiorum ingenium quomodo co- gnoſcendum 358 a
impiorum exemplum 515 b
impiorum ingenium 577 a
impios ſacræ ſcripturæ oracula di- ſcere 13 b
impios imitari Satanam 208 b
impijs etiam conſcientiæ morſus pag. 14 a
de impijs & nitro ſimile 69 b

impleri

impleri aliquid tribus modis dici pag. 17 b
impœnitentiæ malum 31 b & 223 a & peccatum 327 b
impœnitentes nihil loci apud Christum habere 222 a
impœnitentes qua pœna digni pag. 484 b
impoßibile nihil esse Deo 433 a
ad impoßibilia neminem adigi pag. 540 b
de impudicis uerbis 96 a
inconstantiæ concionatores accusantur 324 a
incredulitas quid 433 a
incredulitas quantum malum pag. 432 a
incredulitatis malum 596 b
increpandi modus 30 a
Indianorum baptisma 34 a
indigni gratia Dei 290 b
pro indignis, quos minister Christi habere debeat 294 b
indignitas impiorum 34 a
indulgẽtia paterna quid mali secum uehat 589 a
indulgentia qua serui tractandi pag. 380 b
indulgentiæ Romanæ taxantur pag. 529 a
indulgentiæ Romanæ 147 a
industria piorum 17 b
industriæ piæ insigne in Christo exemplum 202 b
infans in utero materno miraculum pag. 253 a
infantes an incredulitatem habeant pag. 197 b
infantes Christianorũ ad Christum pertinere 448 a
infantium apud deum longè alia ratio quàm adultorum 198 a
infantibus à Deo consultum 178 a
infirmi in ecclesia erigendi 471 a
infirmi peccatores 221 a
infirmi ratione carentes consolantur 259 b
infirmi in fide non statim abijciendi pag. 607 a
infirmorum uisitatio quale opus pag. 540 b. & 541 a
infirmos in fide tollerandi 425 b
infirmitates nostras Christum non ignorare 247 a
infirmitatibus tot quare circundati pag. 201 a
ingenium hominis multiplex 170 b
ingenij hominis prauitas 179 a
ingenij prauitas quomodo terenda pag. 417 b
ingenij humani arrogantia 58 a
ingenij humani corruptio 405 a
ingenia diabolica 152 b
ingratitudinis uitium 56 b
inhumanitas quorundam taxatur pag. 192 b
inhumanitas ferè omnium taxatur pag. 211 a
inhumanitatẽ Deo displicere 599 a
inimici odium habere efficaciam pag. 112 a
iniquitas seculi 74 b
iniuriarum genera uaria 108 b
iniuriarum impatientiam carni agnatam 106 b
innocentia defendenda Christiano pag. 572 a
innocentia Christi 574 a & b
innocentiæ restitutio per resipiscentiam 223 a
innocentes consolantur 9 a
insidiæ impiorum prudenter declinandæ 301 b
intemperantiæ uitium 513 b
intentio bona 415 a
interficere seipsum maxima tentatio 583 b
interficientes seipsos taxantur 50 a
interpretari in deteriorem partem omnia 219 b
intueri quid 161 a
inueniendi tempus 177 a
inuidentis animi ingenium 208 a
inuidiæ ingenium 230 a. malũ 354 a tormentum 501 b
Ioannes Euangelista diuinitatem Christi describit 381 b
Ioannes cur maior reliquis prophetis 325 a
Ioannes quomodo Helias 326 a
Ioannes suum ministerium extenuat pag. 33 a
Ioannes quandiu in deserto prædicârit 22 b
Ioannis imitatores quales 24 a
in Ioanne tria concurrisse 25 a
Iob per Satanæ tentationem clarus pag. 269 a
Ionæ submersio non simplex 351 a
Iosaphat factum 264 a
Ioseph quare in Aegyptum fugiat pag. 16 b
Ioseph quare dictus uir uel maritus pag. 6 a
Iosephi exemplum 386 b. & ingenium 8 b
ira cohibenda ne erumpat 89 a
ira percitus animus quid agat 88 a
ira aliquando in electis 88 b
ira futura pro ultione diuina 29 b
iræ motus in se non damnatur 88 b
iræ motus bonus 88 b
iræ genus duplex 18 b
iræ Dei placandi modus 30 a
iræ causas admoniti in alios reijcimus 88 a
iræ Dei in iustis ratio 402 b
iræ ingenium 230 a
iram Dei sequi malorum perditionem 491 b
iram Dei effugere quid 222 b
iracundum e regno dei excludi 88 a
ironia amica 567 b
irridere Christum & fideles 250 b
Isaac miraculosa natiuitas 3 a
Ismaëlis nomen 277 b
Isocratis dictum 376 b
Israël omnis an saluandus 4 a
Israëlis nomen usurpasse decem tribus 280 a
Israëlitæ unde 277 b
Israëlis nomen 277 b
Israëlitæ cur decem tribus uocentur à Prophetis 280 a
Israelitarum excisionis causæ duæ pag. 196 a
Iudah figuram Christi habuisse 3 b
Iudas quorũ imaginem gerat 544 a
Iudas typus auaritiæ 278 b
Iudæ proditoris exemplum 187 a
Iudæ pœnitentia 581 b
Iudaica cæcitas 61 b
Iudæus quomodo instituendus 248 b
Iudææ & Aegypti comparatio 16 b & 17 a
Iudæorum impœnitentia 357 b
Iudæorum sectæ tres 494 b
Iudæorum duplex genus 502 b
Iudæorum malitiosum ingenium pag. 595 a
Iudæorum consuetudo ieiuniorum diebus 171 a
Iudæorum obstinatus animus 32 a
Iudæorum obstinata prauitas 350 a
Iudæorum gens an sit perseueratura usq; ad finem mundi 522 a
iudiciariam sedem futuram nemo inquirat 533 a
iudex Christus solus 467 a
iudicis boni est reos punire 366 a
iudicis iniqui exemplum 576 a
iudicare in extremo die 468 a
iudicare in se non malum 164 a
iudicare alios quorum sit 169 a et b

iudicandi aliena facta peßimus mor bus 164 b
an iudicandi sint omnes gentes in extremo iudicio 334 a
iudicium mundi peruersum de iu= stis 519 b
iudicium pro doctrina 340 b
iudicium multiplex est 164 a
in iudicium non omnes uenire 129 b
iudicium temerarium fugiendum pag. 165 a
iudicij diem signa præcurrentia pag. 402 b
iudicij uerbum 334 b
iudicij extremi imago quomodo de= picta 366 a
iudicia siniſtra sacrificulorum 166 b
iudicia corrupta ferè in omnibus pag. 164 b
iudicia Dei curioſe non ſcrutanda pag. 19 a
iugum Aegyptiacum abijcere non ſatis eſt 332 a
iugum Chriſti 331 a
Iulianus xenodochia conſtituere iu= bet 120 b
Iuliani apoſtatæ dictum de Chriſto pag. 374 a
iure agere an liceat Chriſtiano pag. 109 a
iußio Dei cum fiducia peragenda pag. 454 a
iußis diuinis ſimpliciter parendum pag. 306 b
iuſtificari 320 b
iuſiurandum Chriſtum nõ ſuſtuliſſe pag. 104 a
iuſti dictione Paulum abſolutè uſum pag. 85
de iuſtificationis modo quædam pag. 504 b
iuſtitia uera in genere quæ 39 b
iuſtitia monachorum empta 85 b
iuſtitia regni Dei uera 502 b
iuſtitiam eſurire & ſitire 66 b
iuſtitia ſanctorum 528 b
iuſtitiæ uocabulum 85 b. partes 39 b & 40 a
iuſtus ſi ceciderit nihil mirandum pag. 177 b
iuſtitiæ ſtudioſus quis 39 b
iuſtitiæ exactam normam tenere ar= duum 322 a
iuſtitiæ pars nulla negligenda 39 b
iuſtitiæ phariſaicæ ingenium 81 b
iuſtitiæ præconibus quid expectan= dum 377 a
iuſtitiarij taxantur 215 b
iuſtitiariorum ingenium 191 b & pag. 236 b. & 470 a
iuuentus ad laborem aſſuefacienda pag. 374 a
iuuentus fidelium quomodo inſtitu= enda 28 a
iuuentus inſtituenda doctrina Euan gelica 238 a
iuuentutis malè inſtitutæ exemplum pag. 378 a
iuuentutem nullum Dei timorem ha bere 313 b

L

Labor animi 330 b
Laicus qui 263 b
languor quid 258 a
lapidis Chriſti in domo Dei uſus pag. 489 a
de lapide percuſſo et Chriſto ſimile pag. 521 a
laſciuo quæ placeant 378 a
latro pro ſpoliatore 482 a
latronis peruerſitas 597 b
latronis philoſophia 598 a
latronis fiducia erga Chriſtũ 016 a
latronis in cruce erga Chriſtum ani mus 556 b
laudari à quibus cupiamus 483 a
legatio apoſtolorũ expẽſa 286 a et b
in legatione duo uitia occurrere pag. 283 b
in legatione primaria conſultatio pag. 615 b
legati proprium munus 275 a
leproſi fides unde 190 b
lex Dei quid 84 b
lex quare data 95 a
lex à docendo 264 b
lex Dei charitati cedit 191 a
lex quomodo ſoluitur 81 a
lex Moſi quatenus abrogata 85 a
legis ſcopus 178 b
à legis mente nõ ſumus liberati 85 a
legis diuinæ explicatio 80 b
legis dictionem uariè accipi 84 b
legis primarius uſus apud Iudæos ſuppreſſus 87 a
legis diuinæ natura 180 a
legis diuinæ liber diu neglectus 5 b
legem naturæ conſentire legi diuinæ pag. 179 a
in lege quid impletum uel implen= dum 82 b
in lege nihil ocioſum 82 b
leges cuius gratia conditæ 335 b
leges omnes ad ſalutem hominũ eſſe pag. 191 a
leges gentiũ undè prodierunt 179 a
leges ciuiles cur datæ 180 a
legum ciuilium uſus 101 a
legibus tot cur opus habeamus pag. 179 b & 180 a
liberator in omnibus malis 150 b
liberi Chriſtianorum in ſædere Dei pag. 196 b
liberi locupletum quomodo erudian tur 532 b
liberi parentum amori reſpondeant pag. 239 b
liberorum calamitas etiam ſanctos afficit 239 b
libertas euangelij quæ 338 b
de ligno & amore ſimile 125 a
loca ſplendida Deum ſæpe negligere pag. 607 a
locuſtæ Parthis in cibo gratæ 24 b
lucrandi illa inſatiabilis cupido ta= xatur 421 a
lucta ſpiritus & carnis 565 b
luctus quid 65 a
luctus non interdictus Chriſtianis pag. 248 b
luctus fidelium 65 a
luctus conſuetudo tempore Chryſo= ſtomi 249 a
luctũ norunt quidã ſimulare 249 a
de ludimagiſtro & eccleſiæ diſcipu= lis ſimile 248 a
lugere Chriſtianos 65 a
lugentiũ uocem audiri in cœlis 20 a
lugendi modum excedere 248 b
lunæ defectus 431 a
de luna & ſole, Chriſto & Ioanne ſimile 57 b
lupi ſignum rapacitas 183 b
lux mundi 76 a
lux quare diſcipuli dicantur 76 a
lux mundi Chriſtus 57 a
lucis proprium 494 a
luxus huius ſeculi taxatur 545 a
luxus apud Chriſtianos nimius pag. 204 a
luxum ſanctos fugere 24 b

M

Magi qui 11 a
Magi primitiæ gentium 11 a
Magi cur Ieroſolymam non ſint re= uerſi 16 a
magi cur ad ſuos uiſo Chriſto re= uerſi ſint 16 a & b
magi cur per ſtellam ad cognitio= nem Chriſti ducantur 12 a
magorum fides an tentata fuerit pag. 15 a
magiſtratus quid præcipuè curet pag. 587 b

magiſtra=

magistratus euangelici taxãtur 51 b
magistratus minister iustitiæ 588 b
magistratus functio diuersa 568 b
magistratus usum Anabaptistæ negant 106 b
magistratus in republica idẽ, quod paterfamilias inter domesticos pag. 107 a
magistratus quidem Herodem imitantur 14 b
magistratus non sinet malũ inultum pag. 106 a
magistratus sit iustus & misericors pag. 228 b
magistratus legitimus ex æquo omnibus debet esse expositus 330 a
magistratus esse saltam doctrinam abrogare 182 a
magistratus Dei potestatem cogitet pag. 293 a
magistratus utilis & necessarius pag. 475 a
magistratus potestas quo destinata pag. 96 b
pro magistratu orandum 571 b
magistratibus quo usq; obediendum pag. 571 b. & 494 a
magistratibus illudere non esse piorum 18 b
de magistratibus nostris quid sentiendum 474 b
maiorum improbitas quibus obijcienda 348 b
maleuolorum hominum prauitas pag. 269 a
maleuolorum hominum descriptio pag. 219 b
maledictionis argumentum 540 a
maledictionem domini quid sequatur 484 b
male loqui, boni hominis non esse pag. 348 b
malefacere quid 338 a
malitia omnis reuelabitur 310 b
malitiæ uarium genus 348 b
malus suum autorem agnoscat 365 a
malum quid 107 b
malum esse quid uerè sit 177 b
malum omnis Deus uindex 166 a
mali occasio uitanda 579 a
mali suspicio etiam uitanda 385 a
maligenus duplex 107 b
mali Satanæ instrumenta 449 b
mali opinio 387 a
Manasse impietas 5 a
mandatorum Dei obseruãtiam duas habere artes 460 a
mandatorũ Dei obseruandorum studium uerum 512 b
manichæorum error de Deo 228 b
mansuetudinis uis 172 b
mansuetudinis spiritu abuti 66 a
mansuetudinis exemplum Christus pag. 331 b
mansuetudine aduersarij ueritatis uincendi 548 b
manus dextra 99 a
manus dextra contracta 338 a
margaritæ à quibus contemnantur pag. 173 b
Maria uirgo post partum 353 a
Mariæ innocens animus 9 a
Mariæ uirginis castimonia 8 b
Mariæ uirginis præpostera uenera tio 354 b
Mariæ cur tam parce recordentur Euangelistæ 355 a
maris nomen apud Ebræos 56 b
de matris sermone ad filiam 121 a
matrum ingenium 472 a
matrimonij seruitus diuinitus instituta 100 b
matrimonij necessitas 455 a
matrimonia clandestina prohibita pag. 179 b
Matthæus suam turpitudinem, detegit 278 b
Matthæi Euangelistæ uita expenditur 2 a
medicinæ usus à domino probatur pag. 220 b
de medico & Christo simile 99 a & pag. 155 b. 434 b. 461 a
medico cur salutem committamus pag. 154 b
de medico & confitentibus peccata simile 26 b
de medico simile 131 b. 189 a. 317. a
de medico & doctore ecclesiastico simile 83 a
de medico & Apostolo simile 558 b
medici finis 223 a
medici corporum multi, animorum pauci 62 a
medicorum quorundam impostura pag. 242 a
medicorum diligẽtia erga ægrotum pag. 210 b
medicos nihil posse sine Dei auxilio pag. 242 a
de medicis & Christianis simile pag. 170 a
de membro putrido & prudentia spiritus simile 100 a
mendacium nunq̃ concors 493 a
mendaciũ opus habet artificio 59 a
mendicare suauius quàm laborare pag. 336 a
mendicitas olim turpis res 336 a
mendicus nullus sit in Israël 477 a
mendici taxantur 477 b
mensæ societas apud ueteres 547 b
mensæ dominicæ cõtemptores 557 b
mentis suæ exemplar proponere pag. 260 a
mentis cæcæ miseria 157 a
qui mente carent cõsolantur 259 b
mercatores corruptas merces uendentes, taxantur 179 b
mercatores subdoli taxantur 310 b
de mercatoribus simile 320 b
merces bonis operibus 73 b
mercedem Christus suis simpliciter promittit 73 a
meritorum fiducia tollenda 74 a
meritum humanum statuentes uiam aliam ad salutem excogitasse 181 a
de merito congrui & condigni doctrina 291 a & b
meritorum humanorum nulla communicatio 529 a
ministri ecclesiæ contempti 82 a
Mejchiah quid 6 b
meticulosi nan statim abijciendi pag. 607 a
metu inani sæpe uexamur 387 a
migrationis hora incerta 92 b
migrationes Christi non temerè cõscriptas 403 a
de milite & Christiano simile 71 b & pag. 44 a
militum conditio 194 b
minister fidelis & prudens 525 a
ministri fidi honos 525 b
ministri peruersi ingenium 526 a
ministri magistratus quales esse debeant 568 b
ministri uerbi duplici honore digni pag. 224 a
ministri uerbi quale uitium præcipue cauere debeant 154 a
ministri uerbi auari taxantur 155 b
ministri uerbi quo serio uocationi inseruire debeant 204 b
ministri uerbi Christi exemplum sequantur 263 b
ministri Christi quo loco esse debeãt pag. 76 a
ministri Christi quid facere debeant pag. 76 b
ministri meliores in ecclesia non impediendi 184 b
ministri Christi quorum gratia potißimum mittuntur 280 a

ad ministri confortationem quid faciat 328 a
ministri uerbi quare sæpe cogitent, de ecclesia deserenda 431 b
ministri uerbi magistratibus obediant 494 a
ministri salutis diuinitus mittuntur pag. 515 b
ministrorum sors 376 b
ministrorum Dei electio apud ueteres 174 a
ministrorum uerbi diuersitas 525 a
ministrorum ueritatis sors in hac terra 515 b
ministrorum Christi scopus 33 a
ministrorum uerbi potestas 218 a
ministrorum uerbi tepiditas 100 b
ministrorum uerbi contemptus pag. 288 a
ministris uerbi exemplum in Christo 354 a
ministros uerbi pauperes, esse contemptos 597 b
in ministros uerbi, liberũ est omnibus quiduis 164 b
ministros Christi, spiritus excitat pag. 63 b
ministros malos uirtute ualuisse pag. 187 a
ministeria in ecclesia non exigit otiosos 271 a
ministerij ecclesiastica functio quatenus extollenda 33 b
minorum fratrum hypocrisis 287 b
miraculosis uisionibus an credendum sit 9 a
miracula sua cur Christus publicari noluerit 253 b. & 254 a
miracula quotidiana obseruanda pag. 253 b
miracula posse edere Satanam 126 a
miracula non quæ uis regno Dei præmitti 282 b
miracula inuidis non prodesse pag. 338 b
miracula esse infidelium 282 b
miracula cur impij faciant 187 a
miracula errores non probare pag. 188 a
miraculorum falsum genus 187 b
miraculorum fides 436 b
miraculorum euangelicorum usus pag. 282 b
miraculorum duplex us» 606 a
misericordia quid 228 b
misericordia quomodo ostendenda pag. 228 b
misericordia Deo coæterna 227 a
misericordiæ opus 230 a
misericordiæ fructus 230 b
misericordiæ uerus usus 228 b
misericordiam Stoici sapientibus omnem ademerunt 67 a & pag. 229 b
misericordiam consequi pios 64 b
misericordiam non esse ociosam pag. 381 a
misericors Deus natura 227 a
misericordes hæretici quidem dicti pag. 542 a
miseriæ conspectu 229 b
miseriarum nostrarum sensum esse apud Christum 256 a
miserorum duplex genus 229 a
miseris succurrendi studium 61 a
missa mali sacerdotis qualis 383 b
modestia Christi 203 b
modestiæ fons 191 a
mœstitiam soporem inducere 566 a
mœstiores consolandi 247 a
mollities in aulis 324 b
monachi taxantur 354 a
monachorũ diuitiæ unde 322 a & b
monachorum stultitia, quod sua relinquunt 61 a
monachorum ingenium uotum 455 b
moniales & monachi taxantur pag. 398 b
monitores qui appositi 172 b
Montanus hæreticus ieiunij inuentor 46 a
monumenta ueterum quomodo structa 207 a
Mores Christianorum tempore Maximini 172 b
Morbus quid 268 a
Morbus peccati tenacissimè hæret pag. 432 b
morbi unde 283 a
morbi flagellum domini 241 b
morbus corporum ex peccatis plerunq; uenire 211 a
mori ob inanem gloriam 584 a
moriendi & uiuendi certum tempus 568 a
morientes consolantur 604 b
morituris in extremis gratiam Dei adesse 602 a
mors unde 283 a
mors quid pijs sit 425 a
mors Christi uniuersalis redemptio pag. 550 a
mortis metu multos exanimari pag. 564 a
mortis genus duplex 204 b
mortem sibi ultro inferre 583 b
mortem esse somnum 249 b. 250 a
de morte peccatorum 252 a
mortui tres à Christo excitati pag. 252 a
mortui qui Christo sint 204 b
mortuorum cultus unde 375 b
mortuorum corporibus quid debeatur 379 b
erga mortuos quidam officiosi pag. 611 b
mortuos sanctos colere 514 a
in mortuos esse largos 514 b
Mosaica lex an abolita 84 b
Moses mansuetus e» uerus 66 a
Moyses quare acta cum Israële scripserit 1 b
mulierum ornatus taxatur 508 b
à mulieribus Christum facultates impensarum accepisse 607 b
muliebre genus immisericors taxatur 229 b
muliebri formæ naturaliter nihil peruersi inest 96 a
multitudo non sequenda in fidei negotio 280 b
multitudinis argumentum moueri in causa fidei 469 a
mundus pacem Christi ignorat pag. 69 b
mundus uallis lachrymarum 73 b
mundus quot modis Christum in suis persequatur 72 b
mundus potior pars mortalium pag. 449 a
mundus diuisus in duas partes pag. 344 b
mundi corde 57 b
munus concreditum fideliter administrandum 216 a
munus Deo ingratum 90 b
muneris iniuncti ratio habenda pag. 38 a
muti in ijs quæ ad gloriam Dei pertinent, quo spiritu ducantur 260 a
mutuum dandum 109 b
myrrhæ typus 15 b
mysteria regni Dei quibus obscurantur 357 b
mysteria redemptionis clausis ianuis apud ueteres celebrata pag. 173 b

N

NAtiuitas hominis immunda 8 a
naturæ duæ obseruandæ in Christo 237 a. 408 a
naturæ humanæ in Christo ueritas pag. 388 b

naturæ

naturæ noſtræ conſtitutione probè utenda 241 b
naturas eſſe duas in Chriſto 503 b
nauicula Petri 206 b
Nazaræus unde Chriſtus dictus 56 a
Nazaræus cur Chriſtus uocatus pag. 21 b. 373 a
neceſſarium nõ eſſe illicitum 220 b
neceſſaria quotidie à Deo accipere pag. 144 b
neceßitatis duplex ratio 449 a
neceßitati communi omnes eſſe obnoxios 142 a
negligentia epiſcoporum taxatur pag. 367 a
negociatores taxantur 289 b
de negociatoribus & Apoſtolis ſimile 530 b
neroniana 405 b
Niniuitæ per quam uiam diuinam ultionem euaſerint 30 a
niniuitarum pœnitentia 351 b
nitrum in puluere bombardico pag. 69 b
noctis diuiſio apud ueteres 386 a
noctu ad ſtationem ſurgendum 132 a
nomen Dei quid 136 a
nomen Dei cognoſcere 136 b
nomen Dei pro laude Dei 136 a
nomine Dei abuti eſt impiorũ 577 a
nomina alia quare Apoſtolũ à Chriſto indita 277 a
nomina miniſtrorum Dei recenſentur in ſcripturis 276 a
nomina parentum quoſdam indere filijs 277 b
nominum imponendorum duplex ratio 277 a
nubem typum habere diuinæ gratiæ pag. 426 a
nuptiæ incæſtæ damnantur 376 b
nuptiæ Chriſti ſpirituales 236 b
nuptæ nouæ taxantur 8 b

O

Obedientiæ fidelis exemplũ 546 b
obedientiæ rectæ exemplũ 216 b
obediendum uoluntati Dei, 226 b
obloquendi uitium 218 b
obſtinatus animus eorum, qui ex malitia peccant 583 b
obſtinati animi ingenium 326 b
obtemperandum ſimpliciter mandatis Dei 288 a
oculus dexter 99 a
de oculo & corde ſimile 156 b
oculi infelices 359 b
oculis mentis Deum conſpici 68 a
odium quid 88 b
odium mundi uincendum patientia pag. 306 b
odium Satanæ aduerſus regnum Chriſti 305 b
odij gradus 112 b
odij natura 590 a
odij maximi ſignum 379 b
odij cauſa in Chriſtianos 72 b
odij peccatum 306 b
erga odium mundi quid facere debeamus 306 b
œconomi probi deſcriptio 525 b
offendiculi quæuis uitanda occaſio pag. 98 b
offendicula uenire neceſſe 449 a
offenſa fratrum ægrè remitti 152 a
offenſionis uerbum 447 a
offenſionum hæc uita plena 111 b
omnipotentia Dei bene conſideranda 466 a
omnipotentia Chriſti, diuinitatis nota 433 a
omnipotentia Dei uerbo adſcribitur 192 b
opes ſacerdotum unde ita creuerint pag. 94 a
operarius malus 186 b
operarij numerum præſcriptum cupiunt 536 b
quod operariorum genus Deo potißimum placeat 470 a
operationis diuinæ ingenium 370 b
opus operatum 233 a
opus Chriſti in electis 34 a
opera Dei duplicis eſſe rationis pag. 402 b
opera religionis externa ſuperciliũ inducere 236 a
opera hypocritica nihil ualere pag. 116 b
ad opera Dei cæci 375 b
opera bona neceſſaria Chriſtianos ſequi 78 b
opera miſericordiæ quæ 538 a
opera uerè bona 78 a
opera bona radij lucis Euangelicæ pag. 77 a
opera in locum teſtimonij de uera fide locantur 314 b
opera bona à nobis Deus poſcit 32 a
operum bonorum finis 78 a. 507 b
operum bonorum peſtis 118 a
operibus bonis ſtudendum 78 a
ex operibus bonis gemina utilitas ad nos redit 78 b
de operibus bonis magna diſceptatio 536 b
oppreſſorum conſolatio 67 a
opulenti quare regnum Chriſti ſpernant 462 b
oraculis ſcripturarum accedat cœleſtis reuelatio 15 a
orare indeſinenter quid 131 b
orare ante & poſt concionem pag. 329 a
orare ad Deum quidam impie negant 124 a
orare pro inimicis 113 a
oraturus ad Deum qualis debeat eſſe 133 a
oraturos in genua procumbere pag. 239 a
oraturis quæ obſeruanda 564 a
orandus quis ſit 125 a
orandus Deus quibus potißimum rationibus 124 b
orãdus Deus ut operarios in meſſem ſuam detrudat 62 b
orandi gratia Chriſtum aliquoties ſeceſſum petiuiſſe 423 a
orandi ratio 123 b
ad orandum quæ loci ſanctitas requiratur 132 b
an orandum in templis 121 b
orandum quibus de cauſis 124 a
orandum quando ſit 131 b
orandum ubi potißimum 132 a
orantes pro nobis ipſis, plus efficimus quàm ſi alij pro nobis orarent pag. 131 a
orantium geſtus 564. b
oratio quid 125 a
oratio quid in ſe habeat 423 b
oratio Chriſti 563 a
oratio ardens ſeceſſum amat 564 b
oratio ſedula quid apud Deum poßit 133 b
oratio piorum efficax 198 b
orationis quæ ſit uirtus 133 b & pag. 424 b
orationis dominicæ inexhauſtus theſaurus 135 a
orationis piorum ſcopus 122 a
orationis natura 385 a
ad orationem ſeriam ieiunium pertinere 437 a
in oratione dominica quid obſeruandum 564 b
orationes ſanctorum gemitus & ſuſpiria 134 b
in orationibus Chriſtum pernoctaſſe 132 a
oratores tremere in orationis initio pag. 245 b
originale peccatum quomodo per baptiſmum tollatur 443 a

Origenes taxatur 567 b
Origenici taxantur 347 b
oſculum amoris ſignum exprimere pag. 570 b
oſtentationis finis 509 a
oſtentationis nota 117 a
otioſum Deum nunquam eſſe 337 b
otioſi uentres taxantur 49 a
otioſum uerbum 349 a & b
de oue ſimile 281 b
oues Chriſti etiam illi, qui in errore ſunt 280 a
ouium paſtura res negocioſiſſima pag. 271 b

P

Paedobaptiſmus 504 a
Palearum & reproborum ſimile pag. 35 b
Per paleas intelliguntur reprobi pag. 34 b
de paleis & Chriſti eccleſia ſimile pag. 35 b
paleſtinæ Cæſareæ duæ terræ 405 b
Palingeneſiæ error 375 b
Palingeneſiam Iudæos credidiſſe pag. 496 b
Panes 405 b
panis fractio 383 b
panis dictio 141 b
panẽ quidam ægrè comederũt 181 a
panem corporis Chriſti eſſe ſacramentum 383 a
papiſtarum crudelitas in pios 315 b
parabolæ uox 371 a
parabolæ quomodo tractãdæ 366 b
in parabolis quare Chriſtus loquatur 357 b
paſtores ignaui in eccleſia 309 b
paradiſi dictio 601 b
παράκλητος quid 390 b
παράπτωμα 152 b
parentes quo affectu naturaliter ſint præditi 456
parentes Chriſto non præponendi
parentes quales nactus ſis multum refert 378 a
parẽtes honorare prima naturæ lex pag. 392 b
parentum fides in inſtruendis liberis requiritur 251 b
parentum ius eneruatum in liberos pag. 391 a
parentum animus erga filios in caſtigando 540 a
parricidio apud quoſdam quare nulla lex conſtituta 392 b
paruulos credentium pertinere ad Chriſtum 457 a
paßionis genus filiorum Dei 565 a
paſcere Deum homines 160 b
paſtoris ueri indicia 381 a
paſtoris falſi inſtitutum 381 a
paſtoris boni uſus in populo Dei pag. 270 a
paſtores mali taxantur 184 b
paſtores boni beneficio domini dantur 271 a
paſtores pij & docti populo præficiendi 398 a & b
paſtorum malorum exemplum pag. 485 b
paterna bonitas quando ſe exerat pag. 178 a
paternum affectum erga liberos duo habere propria 501 a
paterni amoris exemplum 239 b
patris nomen 135 b
patris cœleſtis expreſſa imago 330 a
de patrefamiliâs & ſeruo ſimile pag. 127 b
patriſpaßiani 237 b
patria Chriſtiani 210 a
patriæ inprimis ſeruiendum 56 a
patriæ ingratæ pœna 574 b
pati propter Chriſtum 302 b
patientia Dei 379 a
patientiæ exemplũ in Chriſto 592 b
patientiæ admonemur 421 b
patientiæ uirtus 306 b
in Pauli ſcriptis quid conſiderandum 139 b
Pauli II. conſtitutio ridicula 286 b
paupertas Chriſti 204 a
paupertas euangelica 64 b
paupertas Chriſti & Petri 440 a
paupertatis uſus 463 b
pauperis & diuitis comparatio pag. 463 b
pauperes Chriſti qui 537 a
pauperes ſpiritu qui 64 a
pauperes quo loco ſint apud Deum pag. 461 a & 118 b
pauperum luxus 540 b
pauperum conſolatio 204 a
pauperum & morientium conſolatio 561 a
pauperibus an penuria obijcienda pag. 202 b
pauperibus non ægrè dandum 538 a
pauperibus duplici modo ſuccurrendum 231 b
pauperibus an ſolum in extremis neceßitatibus ſuccurrendũ 400 b
pacis genus duplex 69 a
pacis ſtudioſi credentes 69 b
pacem extra ueritatem dei non eſſe bonam 317 a
peccare ob alterius libidinem 581 b
ad peccandũ ne impio operam collocemus 583 b
an ad peccandum filij huius ſeculi tententur 149 b
peccantium multitudo deteſtabilius peccatum reddit 105 b
peccator quomodo à malo auocandus 376 b
peccator filius Chriſti dicitur 210 b
peccator manſuetè tractandus 171 b
peccatores qui 568 b
peccatores quomodo arguendi pag. 544 b
peccatores ſe eſſe pauci uerè confitentur 145 a
peccatores ne contemnamus 218 b
peccatores nos omnes eſſe 213 b
peccatores qui apud Iudæos tempore Chriſti 218 a
peccatores quo affectu increpandi pag. 30 a
peccatorum reditus 516 a
in peccatorum manus tradi 568 b
peccatorum quoddam genus 252 a
peccatum quid 345 b
peccatum peccato cumulare 378 a
peccatum peccato grauius 297 a
peccatum eſt mors 252 a
peccati conſcientia non tangi periculoſum 581 a
peccati uenenũ in mundo ab Adam uſq; ad Moſen 87 a
in peccato uno plures caſus 89 a
peccata non eſſe debita 145 a
peccata remittere ſolius Dei 146 a
ob peccata maiorum an iuſtum ſit punire 516 a
peccata circumſtantijs grauari pag. 297 a
peccatorum remiſſio ex ſola gratia Dei 211 b
peccatorũ cauſæ abſcindendæ 211 a
peccatis conſuetudinem prætexere pag. 105 b
à peccatis ſolui 9 b
pecuniæ ſtudium in religionis capitibus 545 b
pecuniæ gratia ueritatem prodere pag. 591 a
pecuniæ ſtudioſi taxantur 581 b
pedes Papæ oſculari 614 a
penuria rerum preßi ad quem confugere debeant 400 b
perditio ſpiritalis 281 a
perditio uera 130 b
perditio humani generis quæ 465 a

perditionis certißimum indicium pag. 492 a
perditionis radix 582 a
peregrinorũ mortuorum rationem habere 585 b
perfectio rei 116 a
perfectio, quæ à miniſtris requiratur 83 a
perfectionis ſtatum quidam fingunt pag. 140 b
pericula quatuor moleſtißima 518 a
periurijs omnia plena tempore Chriſti 511 b
perſecutio quid 70 a
perſecutio diſcipulorum ſeminarium quoddã regni Chriſti 307 b
perſecutionis genus omnium graueißimum 73 a
perſecutionem pati propter iuſtitiam 70 b
perſeuerantia opus habemus 306 b
pro perſeuerãtia oran lũ ſedulo 4 b
perſonã alicuius odio habere 343 b
pertinacia nulla in ſanctis 40 a
petimus ſæpe quæ nocent 473 a
in petitione omni quæ conſideranda ſint 472 b
Petrus primarius inter Apoſtolos pag. 578 b
Petrus Apoſtolorum os 395 b & pag. 407 b
Petrus non pertinax 40 a
Petrus quorum exemplum gerat pag. 426 a
Petrus an Romæ fuerit 413 a
Petri reſipiſcentia 579 b
Petri non eſſe Eccleſiam 411 a
Petri uox de ſucceſſore ſuo 264 b
Petri fides & imbecillitas 388 a
phares Chriſti figuram habuiſſe 3 b
phariſaicum ingenium 218 b
phariſæi qui 28 b
phariſæi quare ad baptiſma Ioannis non acceſſerint 26 b
phariſæorum ſenatum 390 a
phariſæorũ doctrina duplex 506 a
philacterion quid 508 a
φιλαδελφίας uis 569 b
pietatis depoſita 585 a
pietatis ſtudio nihil periculoſius pag. 449 a
pij benedicti Dei 535 b
pij inſtar triticum ex terra prodibunt 36 b
piorum ingenium 37 b & 507 b
pijs eſſe affinem, bonum 198 b
pijs ubiq; Deus proſpicit 17 a
in Pilato prudentia deſideratur pag. 587 b
pi, candi allegoria 59 b
piſcatores quare Chriſtus in diſcipulos elegerit 59 a
piſcatores quare Chriſtus uocauerit 12 a
placere omnibus quid 507 b
placendi hominibus uaria ſtudia unde naſcantur 508 a
plantatio Dei 395 a
de plantatione ſimile 361 b
ex Platone omnem Chriſti doctrinam, excepta una iuſtificationis excerpere poſſe 179 a
plebis poteſtas de Epiſcopis inutilibus 75 b
plenitudo temporis 139 a
pocula immunda 513 b
pœnæ grauiores delictis grauioribus 297 a
pœnarum gradus 297 a
pœnitentia pars fidei 222 b
pœnitentia nulla abſq; fide in Chriſtum 582 a
pœnitentia ſera uana 521 b
pœnitentia uera reddere, quod malè ablatum 581 b
pœnitentiæ ueri fructus 30 a
pœnitentiæ uirtus 222 b
à pœnitentibus tria requiri 579 b
pœnitentiarius preſbyter 27 a
pœnitudo quid 22 b
πονηρὸν quid 350 a
pontifices cum creantur nomina ſine re accipere 277 a
in pontificum aulis quid actum & ho lie agatur 543 a
pontificum poteſtas 275 b
pontificum aulæ periculoſæ 579 a
pontificorum doctrina de inuocatione ſanctorum 200 b
de pontificijs quædam 440 a
populus qui 268 b
populus unus Dei ex Gentibus & Iudæis 195 b
populi inconſtantia 324 b
populi mores ob auditum Euangelium 25 a
porcorum immundicia 173 a
portæ inferorum 412 b
Poſcennij Nigri mandatum de militibus 285 a
potentia Chriſti bifariam conſideranda 375 a
potentiæ diuinæ omnia poßibilia pag. 30 b
poteſtas eccleſiæ quomodo miniſtris conceſſa 275 b
poteſtas magiſtratui cur data 275 b
poteſtas omnis à Deo 53 a
poteſtas duplex 274 b
poteſtas Chriſti qualis 615 b
poteſtatis ratio duplicem adfert uſum 275 b
de poteſtate Chriſti 213 b
prauitas quid 402 b
prauitas humani ingenij 569 b
præcepti Dei tranſgreſſores non puniri 391 a
præcepta Dei uarij generis 459 a
præcepta cur à Deo data ſint 497 b
de præceptis regula 287 a
præceptoris erga diſcipulum auctoritas 546 b
prædicare quid 267 a
prædicare regnum Dei 282 a
prædicatio regni Dei quibuſdam ad tempus negatur 279 b
prædicationis Euangelicæ dignitas pag. 360 b
prædicatores parũ accõmodi 267 a
prædicatores Euangelij ſunt ἐφήμεροι 69 a
prærogatiua diuitum apud principes, ſed non apud Deum 607 b
prærogatiuis maiorum fidere 31 a
ad præſidem uenire 586 b
præſumptio cauenda filijs Dei 150 a
præſumptionis temeritas taxatur pag. 474 a
prouidentia Dei paterna 124 a
primatus inter Chriſtianos 475 a
primatus Petri nullus 276 b
de primatu Pontificum 277 a & pag. 413 b
de primatu Petri et põtificis 440 b
de principe & miniſterio uerbi ſimile 146 a
de principe ſimile 450 b
principes pij quare citò moriantur pag. 20 b
principes à Deo poteſtatem habere pag. 152 a
principes non excuſantur ob quorundam maleuolentiam 12 b
de principum nuptijs & Chriſto ſimile 236 b
principum impiorum mos 378 b
principum uoluntate nihil incertius 225 b
principum mos aliquando 406 a
principibus impijs famulari 606 b
principibus Chriſti ueritas ſerò innoteſcit 375 a
procumbere apud aliquem 239 a
procuratores taxantur 109 b

prognostici libelli taxantur 402 b
promissiones de Christo 2 b
propheta bonus ingens thesaurus pag. 181 b
prophetam præstare arduum 322 a
prophetarum oraculis quare Iudæi priuati 25 a
prophetiæ de Christi aduentu multa 371 a
prophetiæ donum explodere quale peccatum 578 b
ex propheticis monumentis multa perijsse 21 b
à prouidentia Dei omnia pendêre pag. 572 b
prouidentiæ diuinæ omnia tribuere in externis rebus magnus error pag. 305 b
prouidẽtiæ Christi fidendum 287 b
proximus quis 501 b
proximus quomodo sit diligendus pag. 111 a
proximi dictio tollit omnem personarum differentiam 110 b
proximi dictio 110 a
prudentiæ nostræ nõ nitendũ 300 a
prudentes seculi cæci in negotio fidei 255 b
psalmorum Dauidis fuisse tria millia 22 a
psalmorum exercitium apud Iudæos 481 a
pseudoprophetarũ proprium 182 b
pseudoprophetarum laquei 183 b
pseudoprophetas modus cauendi pag. 182 a
publicani qui 218 a
ad pudorem cogitur qui malè facit pag. 376 b
pueri assuefaciendi ad dandam eleemosynam 384 a
puerorum ingenium maiora præsumere quàm præstare possunt 566 b
pueros negligere quale peccatum pag. 447 a
pueris hodie præcox in malo maturitas 442 b
pueris ostendere seruos ebrios 121 b
in pueris quid imitandum 442 b
pulueris excussio 295 a
purgatorij ignis 147 a
purgatorij ignis mentio 601 b
de purgatorio multa 93 a & b
de purgatorio nugæ 347 b
pusilli qui 449 b

Q

Quadragesimale ieiunium 44 b
Quæstus in cultum Dei immedicabile malum 418 b
quæstus occasionem Christus amputat 279 a
quiescendi locum dat Christus suis pag. 380 b

R

Regnum Dei quid & quottuplex pag. 137 b
Racha quid 88 b
rapina hypocritarum 231 b
rationis impiæ ingeniũ contra Christum 250 b
rationes ad persuadendum simplices excogitandæ 308 b
reconciliatio ex animo instituenda pag. 90 b
reconciliationem spernentes taxantur 92 b
regeneratio duplex 467 b
regnare deum duplici ratione 137 b
regnare impium quid 377 b
regnandi affectus unde piscatoribus discipulis insit 472 b
regnum à regnando 266 a
regnum gratiæ 138 a
regnum cœlorum pro ecclesia 185 a
regnum cœlorum à prophetis prædicatum illustrißimum 370 a
regnum Dei 502 a
regnum Dei in qua re sit 520 a
regnum Christi tyrannis uirga ferrea 592 a
regni dictio 151 a
regni Dei secreta quomodo quærenda 173 a
regni Christi cursum quomodo Satan impediuerit 53 a
regni Christi præcipuus scopus pag. 165 a
regni Satanæ duplices tenebræ pag. 424 b
regni Christi claritas bifariam consideranda 424 a
regni Christi gloria quid exigat pag. 473 b
regni Christi latitudo 195 a
regni Christi ministerium commendatur 325 b
regni Christi cursum sua habuisse tempora 279 a
regnorum mundi mobilitas 405 b
religio impiorum 379 a
religio Christi totum orbem occupauit 370 a
religionis Christianæ fundamentum pag. 409 a
à religionis dißidio quomodo liberemur 141 a
religionis imparitatem non dirimit coniugium 102 b
in religionis causa perplexi, cui parti adhærere debeant inscij 331 a
in religione neutrales taxantur pag. 345 a
relinquere omnia sua 467 a
reliquiæ mensæ seruandæ 384 b
reliquiarum abusus 242 b
remißio si non petatur an nihilominus peccatum remittatur 148 b
reprobationis Dei inscrutabile iudicium 79 a
reproborum ingenium 374 a
reprobis cur uerbum Dei prædicetur 518 a
repudium certis ex causis licere pag. 102 a
requies spiritualis promittitur pijs pag. 198 a
rerumpublicarum administratores admonentur sui officij 274 a
resipiscere quid 22 b
resipiscendum semper mortalibus pag. 23 a
resipiscentia quid 222 a
resipiscentia solida non multorum pag. 25 a
resipiscentia non negligenda 521 b
resipiscentiæ initium 598 b. exemplum 5 a. ueritas 222 b. prædicatio 22 b
resipiscentiæ doctrina data in Ecclesia 316 a
resurrectio duplex 467 b
resurrectionis typus 425 b
de resurrectionis Christi uirtute pag. 620 b
resurrectionis uirtus declarationem filij Dei habet 620 b
resurrectionem domini non habere timorem in credentibus 614 a
reuelatio Christi libera 329 a
reuelationes cœlestes scripturæ concordare 15 a
rex tyrannus à Deo datur 12 b
rex superstitiosus multum incommodat 5 a
regem impium nasci quid 377 b
de rege & Christo simile 420 a
regum furor, quum sibi putant illusum 18 a
regum admonitio 152 a
regibus tria munera conueniunt pag. 15 b
Romanus pontifex taxatur 616 a
Romani pontificis potestas in omnia regna 55 b

romanum Pontificem referre Iudam 278 b
Ruth gentilis mulier 4 a

S

Sabbathum uerum 46 a
sabbathum non simpliciter operibus uiolari 334 b
de sabbathi religione quid nobis obseruandum 337 b
sabbathi diei pollutio 338 a
sabbathi duplex ratio apud Iudæos pag. 337 b
sabbathi usus quis apud Iudæos pag. 373 a
sabbathi quare 380 b
sabbathorum dies hodie temeritati & uanitati dantur 380 b
Sabellici locus 18 b. & 19 b
sadducæi qui 28 b
sadducæi quorum exemplum haberent 494 b
sadducæorum errores 28 b
sacerdos noster Christus 6 b
sacerdotes quare Euangelio præ cæteris aduersentur 472 a
sacerdotes impij cur peccata sua nõ agnouerint 583 a
sacerdotum malitia insignis 488 b
sacerdotum impotentia 487 b
sacerdotum Iudaicorum duo uitia pag. 589 b
sacerdotibus turpe si laicis non sint meliores 487 a
sacerdotium Christi exponẽtes scripturæ obseruandæ 130 a
sacerdotum leuiticum abrogatum per Christi sacerdotium 45 b
sacerdotium adipisci pretio uel prece 284 a
sacramentum quid 551 a
sacramenti unam speciem denegare 383 a
sacramenta quare patres symbola gratiæ uocârint 555 a
sacramenta uisibilia signa 616 b
sacramẽta in honore habenda 616 b
sacramenta uirtutem non amittere propter improbitatẽ ministri 26 a
sacramentorũ contemptores 324 a
sacramentorum cognitio quomodo tradenda 248 a
de sacramentis prudenter agendum 248 b
in sacramentis Ecclesiæ quid obseruandum 426 b
in sacramentis duo consideranda 38 b
sacramentis gratiam alligare 233 a
de sacramentis quomodo Patres locuti sint 552 a
in sacramentis fidem & charitatem exigere 233 b
sacrificare pro mortuis & uiuis pag. 146 b
sacrificium quid 232 b
sacrificium laudis 151 a
sacrificiorum usus 233 a
sacrificiorum uaria genera 232 b
sacrificulos imitari Satanam 208 b
salis usus 74 b
salomonis lapsus 4 a
saltatio à ueteribus celebrata 377 b
saltare nocẽtius die dominico quàm arare 338 a
saltandi inimici 116 a
saltandi mos 115 b. ratio 292 a officiositas 613 b
salutari in foro 509 a
saluari quenquam suis uiribus impoßibile 465 a
saluandorum hominum ordo 358 b
salus mortalium ex fide uerbi Dei pag. 361 b
salus beneuolentia diuinæ gratiæ constat 470 b
salus hominis perfecta in manu Christi 61 b
salutis quærendæ præposterum studium 201 b
salutis nostræ potißima ratio 124 b
sanctitas ante sanctos 514 b
sanctitatis uocabulum 606 b
sanctificari nomen Dei quid 136 b
sanctum esse, non statim esse beatum 518 b
sancti an sint inuocandi 126 a
sancti an sciunt quid nos in terra agamus 130 b
an sancti sint interceßores 128 b
sanctorum iustitia 528 b
sanctorum interceßio nulla 529 a
sanctorum patientia ingraue escente dolore in quærimonias impatientiæ solui 602 b
sanctorum cultores taxantur 389 b
de sanctorum interceßione 191 b & 192 a
sanctorum inuocatio unde 604 a
sanctos colere & contemnere sanctitatem 514 b
sanctos in cœlis pro nobis orare incertum 604 a
sanctos in infirmitate sua ad gloriam Dei seruire 201 a
sanctos compati alijs 200 b
sanctos inuocantes taxantur 331 a
ad sanctos qui currunt, quid credant 33 b
sanctos corpora sua castigasse 181 a
in sanctis etiam difficile ne contemnunt puſillos 450 a
in sanctis ueris nihil ex omni parte perfectum 4 b
in sanctis nulla pertinacia 40 a
sapere humanitus quid 415 a
sapientia uera 188 b
sapientia præpostera 258 a
sapientes raro loqui 63 a
satan qui 415 a
satan quomodo Pharaonem ante liberationem Israëlis instigauerit pag, 432 b
satan ex professo Christi hostis pag. 302 b
satan dilectos Dei infestat 365 b
satan potentiæ Dei æmulator 151 b
satan quare dicitur tentator 46 b
satan quos non tentet 150 a
satan quos tentet 43 a
satan princeps mundi 159 a
satan peripateticus ad perdendum pag. 263 b
satan simiam agit operũ Dei 187 b
satan natus ad nocendum 352 b
satanæ aduersaria potestas, quomodo se habeat 385 b
satanæ fictæ expulsiones 344 a
è satanæ regno saluari 465 b
satanæ ingenium natum ad perdendum 209 b
satanæ tentationes siti comparantur 55 a
satanæ ingenium Dei gloriam in creaturis suis opprimere 259 b
satanæ satellites 14 b. potẽtia 44 a 150 a. propositum 55 a. ingenium 207 b. infirmitas 208 b. æstus 181 a. 567 a. imbecillitas 431 a dolus 432 a
satietas uera 384. a
satisfactiones pro peccatis 146. b
Saulis crudelis animus 14 a
scandalorum offensio innumera pag. 448. b
scholastici scriptores taxantur 22 b
scortatio apud quos honesta 397 a
scortatio papistarum taxatur 8 a
scortatorem quare Apostolus excõmunicauerit, & non alios peccatores 36 a
scriptura discenda 304 a
scriptura ab omnibus legẽda 394 b
scriptura cum intellectu legenda pag. 394 a

ſcripturæ autoritatem Chriſtus extulit 224 a
ſcripturæ teſtimonio quare Chriſtus ſe tuetur 488 a
ſcripturæ ſacræ digniores mortuis reſuſcitatis 9 b
ſcripturæ uerus intellectus quærendus 51 a
ſcripturam ſolus interpretari uult Papa 303 a
ſcripturarum ueritas 572 b
ſcripturarũ ignorantia unde 495 b
ſcripturarum exercitium iucundum 335 a
ſcripturarum duplex ignoratio pag. 495 b
ſcripturas adſert & Satan 50 b
in ſcripturis diuinis mens & ſententia legislatoris conſideranda 223 b
in ſcripturis ſimus cauti 423 b
ſectarios poſt ſe diſcipulos trahere pag. 380 a
ſectæ quomodo in eccleſiam irrepſerint 58 a
ſectæ tres ante deſtructionem Hieruſalem 343 a
de ſectarum natura & ingenio 165 a
ſeculi noſtri mores 510 a
ſeculi noſtri miſer ſtatus 402 b
ſeculo futuro digni 496 a
ſedere ad dexteram patris Chriſtum quid 503 b
ſedere ad dextrã & ſiniſtram Chriſtum quid 472 b
ſeditiones regnorum quid portendant 517 b
ſeductorum ingenium 265 b
Semei exemplum 129 a
ſemen eſſe ſermonem regni 359 b
de ſemine & uerbo Dei ſimile 361 a
de ſemine & euangelico auditore ſimile 363 a
ſenatores pij Ioſephi exemplum ſequantur 608 a
ſepulchrum in horto Ioſephi quare pag. 609 a
ſepulchrum Chriſti nouum 609 a
ſeptenarius numerus 453 b
ſepultura electorum quies 609 b
ſepultura honeſta ſit propter reſurrectionem 608 b
ſepultura quietis ſymbolum 585 b
ſepultura ueteris hominis myſtica pag. 609 a
ſepulturæ Chriſti myſterium 609 b
ſepulturarum ratio 379 b
ſermonis uſus ad quid inſtitutus pag. 260 b
ſerpentis prudentia 298 b
ſeruire Deo 158 b
ſeruire omnibus quid 475 b
an ſeruiendũ dominis terrenis 159 a
ſeruus Pontificis quare à Petro percuſſus 571 b
ſerui qua indulgẽtia tractandi 380 b
ſerui mali deſcriptio 532 a
ſeruum eſſe, nihil habere turpitudinis 341 a
ſeruum uocari omnium quid 475 b
in ſeruum gratus Centurio 192 a
ſeruorum Dei duplex genus 488 a
ſigna horum temporum 402 a
ſigna in Aegypto 282 b
ſignorum duplex genus 552 a
ſignorũ cœleſtium ſuperſtitioſa obſeruatio 402 b
ſignorum petitio quid fuerit 350 b
ſignis quibuſuis non credendum pag. 520 a
Simon quare uocetur Petrus 277 a
ſimplicitate erga quos utendum pag. 300 a
ſimulachra quare in pſalmis ſuggillentur 400 a
ſimulachrorum quis cultus prohibitus 191 a
ſimulandi ſtudium in ſanctis nullum pag. 38 a
ſimulationis uitium 570 b
ſimultatis priſtinæ reliquias in corde ſentire 149.
ſimultates quomodo deponendæ pag. 115 b
ſocietas nulla quæ malos non habeat pag. 278 b
Socrates domi patientiam didicit pag. 71 b
Socratis dictum de colendo Deo pag. 225 b
Sodoma euerſa, exemplum uindictæ diuinæ 190 b
Sodomitarum peccatum 297 a & b
Sodomitas in futuro iudicio etiam puniendos 296 b
ſolaris dici curſus tripartitus 1 a
per ſolis ortum Chriſtus paternam bonitatem conſiderandam proponit 114 b
ſolem producere 114 a
de ſole & luce Chriſto ſimile 157 b
ſolitudo cauenda adflictis 43 a
ſollicitudo quæ ex incredulitate eſt prohibetur 160 a
ſomnus diuinitus homini conceſſus pag. 566 a
ſomnus Chriſti 205 a
in ſomnis Deum ſuos alloqui 21 a
ſpe ſedere in cœlis cũ Chriſto 621 b
ſpectra nocturna 386 a & b
ſpiritus ſanctus in columbæ ſpecie quare 41 a
ſpiritus ſanctus aſſiſtentia miniſtrum Chriſti ſecurum ac negligentem non reddit 305 a
ſpiritum ſanctum Deus ſuis ad promouendum Euangelium confert pag. 303 b
ſpiritus ſanctus cur ſuper Chriſtum deſcenderit 40 b
ſpiritus ſancti ductus uarius in electis 42 b
ſpiritus ſancti ductui obtemperandum 44 b
ſpiritu ſancto imbui electos 42 b
ſpiritus & mens idem 567 a
ſpiritus principalior pars hominis pag. 604 b
ſpiritus malos nunquam ſine dolore agere 340 a
ſpiritus boni notæ 34 b
ſpiritus mali orationibus & ieiunio pellendi 436 a
ſpiritus malos eſſe quidam negant pag. 43 b
ſpiritus mali ingenium 434 b
ad ſpirituum cœleſtium apparitiones hominem timeſcere 612 b
ſpirituum cœleſtium ſubſiſtendi lex pag. 140 b
ſpirituum malorum magna cognatio 353 a
ſpirituum tortura qui extra carnem ſunt 208 a
de ſpiritibus mortuorum inanis diſputatio 601 b
ſponſa Chriſti quæ 368 b
ſtatuta ciuilia ſeruanda 394 a
ſtella an ante natiuitatem Chriſti apparuerit 19 a
ſtellarum obſeruatio quid conducat pag. 11 b
de ſtellis & prophetis ſimile 325 a
ſtultitia uera 188 b
ſublimi in loco cõſtituti plus timeant pag. 49 b
ſuffraganeorum ſtultitia 263 b
ſuibus animam eſſe pro ſale 173 a
ſuperbia mentis 443 b
ſuperbia interna periculoſa 159 b
ſuperbiæ ſpiritus duplex 260 a
ſuperſtitione naſci crudelitatẽ 575 b
ſuperſtitionum omnium fons 509 b
ſuperſtitionibus omnia eſſe plena pag. 508 b

ſupplicium damnatorum allegoricè deſcriptum 492 a
Suſanna inſtituta à teneris 459 b
ſuſpicionem animi ſiniſtri etiam Chriſtianus cauet 440 a
ſynagoga quid 61 a
ſynagogæ 301 b
ſynedria 301 b
ad ſynodica conſulta qui uocandi pag. 574 a
tardi corripiendi 405 b
talionis uicem nõ ab ijs quibus malè fit, pendêre 166 a
tarpeia rupes 15 b
temerè nihil tentandum 388 a
temperantia Chriſti 405 b
templum Hieroſolymitanum robuſtiſsimum 516 b
templi aurũ à Pharaone ablatũ 4 b
templa an ſanctis erigenda 55 a
templa Chriſto ponere 425 b
templa quo in honore habenda pag. 482 a
templa uera Dei 575 b
temporis oportunitatem miniſter Chriſti negligere non debet 355 b
tenebræ cordis 57 a
tenebræ humanarũ traditionũ 76 a
tenebræ Aegyptiacæ iram Dei ſignificârunt 602 a
tenebræ denſæ, ubi lux Chriſti non fulget 57 a
tentari aliquando prodeſt 150 a
tentari Deum uarijs modis 5. a & b
tentandi principia Satanam habere pag. 150 b
tentatus Chriſtus quare 43 a
tentatio magna Chriſti 595 b
tentationis radix incredulitas 51 b
tentationem Satanæ qui experiantur 43 b
tentatione Satanæ qui careant 150 a
tentatione peracta pij gaudio afficiuntur 15 b
contra tentationes Satanæ exemplũ pugnandi 43 a
tentationes graues quomodo uincendæ 565 a
terra nõ expers diuinæ gloriæ 105 a
terrenæ res noſtræ dicuntur eſſe pag. 210 a
terror impiorum perpetuus 612 b
terrores ob negligẽtiã noſtrã 428 a
teſtamentum nouum 552 b
teſtamentum ſuum quare Chriſtus inſtituerit 555 a
teſtamentum nouum græcè quare ſcriptum 594 b
teſtes falſi 575 a
teſtes boni opera miſericordiæ pag. 296 a
teſtimonia probitatis poſt nos relinquenda 296 a
theſaurus quid 155 a
theſauro regnum cœlorum comparatur 371 b
theſaurum colligere in ſe non eſſe malum 288 a
theſaurum terrenum triplex genus hoſtium habere 154 b
throni cœleſtis gloria 105 a
thuris typus 15 b
tibicines conducere in luctu 249 a
timentes Deum non deſeri 8 b
timere Deum non ingenuo timore pag. 313 a
timore omni an careant Chriſtiani pag. 206 b
timor unde 387 b
ubi timor Dei abeſt, non eſt tutum habitare 598 b
timor Dei inſtar freni 313 b
timor mali adimitur 312 b
timoris nocturni cauſæ 386 b
timoris uerus uſus 313 a
timorem dominus pijs eximit 614 a
Timotheum quare Paulus non ſanat pag. 282 b
Timothiani 237 b
tinea aulica 155 a
per tineam quid intelligendũ 154 b
titulis ſplendidis gaudere 38 b
tituli graduum quò ſpectent 508 b
tituli qui reijciendi Chriſtiano pag. 458 b
Tobias in quo ueri Iſraëlitæ animũ oſtenderit 540 a
Tobiæ erga pauperes animus 120 b
de Tondalo figmentum 181 b
traditiones humanæ quæ in honore hodie habeantur 513 a
traditiones Phariſæorum 392 a et b
traditiones humanæ duplices 393 b
traditiones humanæ uariæ 390 b
contra traditionũ humanarum cultum 233 b
traditionum humanarum triplex malum 238 a
traditionũ humanarum uirus 397 b
tranquillitatis deſcriptio 205 a
transformatio Chriſti cuius rei typus 424 a
Triadis ſacræ myſterium 619 b
tribulationes ferendæ 17 a
tribulationum imago 205 b
in tribulationibus conſtituti quomodo ſe habere debeant 603 b
in tribulationibus ad unũ Chriſtum fugiendum 206 a
in tribulationibus quinq; occurrunt quum Deum inuocare uolumus pag. 125 b
pro tribunali dominum ſedere quid pag. 533 b
à tributo quidam liberati in Iudæa à Romanis 438 b
ob triſtitiam aliorũ pius dolet 293 b
per triticũ electi intelliguntur 34 b
Turca flagellum Dei 43 b
de Turca ſimile 539 b
Turcarum exercitus flagellum irati Dei 491 b
à Turcarum fermento cauendum pag. 404 b
tyranni ferè diu uiuunt 20 b
tyrannorum ingenium 12 b

V

Valentiniani 237 b
Vaſa Dei & Satanæ 344 b
uaticinia nõ tantum Iudæis data 11 b
ueli ſciſſura quid ſibi uoluerit pag. 605 a & b
de uenatore ſimile 172 a
de uendendis bonis præceptum Chriſti quomodo intelligendum 460 b
uenerare plus creaturam quàm creatorem 105 a
uentilabrum regnum Dei 34 b
uentri curando nullum tempus Chriſti diſcipulos habuiſſe 333 a
uerbum Dei perpetuò prædicandum etiam malis 483 b
uerbum domini in æternum manere pag. 395 b
uerbum Dei audiſſe, in tentationibus utile 438 b
uerbum Dei quid 226 a
uerbum imago noſtræ mentis 260 a
uerbum imago animi 328 b
uerbum Dei admirationi omnibus eſſe 189 b
uerbum Dei Satan mendacij conatur arguere 47 b
uerbum dei dimittere peccata 215 a
uerbum Dei in corde retinere quid pag. 362 b
uerbum Dei prædicatum, etiamſi fructu caret, tamen uerbum eſt Dei 360 a
uerbi Chriſti ueritas 572 b
uerbi Dei prædicator in quibus nihil efficit 361 a
uerbi miniſterium nemo negligat pag. 410 b

uerbi Dei utilitas 373 a
uerba Christi ad ecclesiam, nõ super panem 383 a
de uerbi Dei certitudine 82 a
uerbi D pasturæ utilitas 270 a
uerbi Christi uirtus 252 a
uerbi prædicati uaria sors 360 b
uerbi Christi efficacia 337 a
ad uerbum deferendum primus gradus 219 a
in uerbo Dei uoluntas dei spectanda pag. 186 a
de uerborum Christi certitudine locus 522 a
ueritas quare reprobis prædicanda pag. 347 a
ueritatis quanta uis 502 a
ueritatis reuelatio per auditũ uerbi pag. 358 b
ueritatis firmitudo ubi quærenda pag. 543 a
ueritatis in mundo conditio 449 a
ueritatis natura 76 b
ueritatis propagandæ conditio 59 a
ueritatis animi auidi exemplũ 305 b
ueritatis doctrinæ quæ sors 394 b
ueritatis cognitionem suos gradus habere 414 a
ueritatem quidam in abditis retinere moliuntur 610 b
ueritatem mendacijs impugnari pag. 614 b
ad ueritatem omnes uocandi 416 b
ueritatem ad tempus latere, an utile 8 a
ob ueritatem illucescentem quare quidam turbentur 13 a
ueritatem nunquam aduersarijs carere 401 a
de ueritate interrogare, principium esse cognoscendæ ueritatis 323 a
uerum quod est, non semper dicendum 414 a
uespertinum sacrificium 151 a
uestimenta scindere 578 a
uestitus Ioannis 24 a
uestitus nimius taxatur 24 a & b
uestium insanus luxus 540 b
de uestitu cur tantum Apostoli mulieribus præscripserint 24 a
uia uitæ 189 b
uiæ piorum à Deo diriguntur 15 a
uiam significare uitã hominis 180 b
de uiatore simile 459 b & 460 a
uicarius Christi reprehenditur pag. 204 a
ui cos omnes circumiuit Christus pag. 263 b
Victor episcopus Romanus 46 a
uictus cura abijcienda 49 a
de uictus cura inani 160 a
uictus labore manuum quærendus pag. 144 a
uidere Deum quid 64 a
uiduarum domos uorare quid 311 a
uiduas à nebulonibus falli 305 b
uigilandi uerbum 524 a
uigiliæ quã utilitatẽ habeant 566 b
uinctorũ an petenda liberatio 588 b
uindicta reproborum propter electos decurtatur 519 b
uindictæ diuinæ exemplum 190 b
uinum nouum 560 b
uiperinum uenenum 29 a
uires 98 b
uirginum est fugere uirorum conspectum 378 a
de uiro et muliere de interno et externo homine simile 149 a
uirtutis Dei declaratio 422 b
uisionem Dei pro cognitione illius esse accipiendam 68 a
uisus sensuum omniũ pestilentissimus pag. 95 b
uisus duo genera 95 b
uita solus Deus 408 b
uita æterna 180 b
uita iusti quotidiana quædam exercitatio misericordiæ 232 a
uita æterna domini Dei 536 b
uita nostra coram Deo non in oblitione 421 b
uita futura requirenda 600 a
uitæ conuersatio externa pensanda pag. 168 b
uitæ prolixitatem sibi nemo promittat 365 b
uitæ periclitanti omnes consulimus pag. 100 a
uitæ conseruandæ recta ratio 420 a
uitæ austeritas duplex 398 b
uitam quosdam proijcere 320 b
uitia regnatura ante mũdi finẽ 523 b
uitia inhærere facile 507 a
ultia duo mortalium 466 b
uitiorum castigationes cur tam parum in ecclesia promoueant 376 b
uitiorum nomina retinere 261 a
ad uiuentes Christus nos remittit pag. 178 b
ultio solius Dei 108 a
ultio diuina in impios 516 a
ultio priuata prohibetur à Christo pag. 108 a
ultionem innocens non petit 106 a
unanimitatis commendatio 255 a
unctio symbolum regni & sacerdotij 408 a
unctionis dictio 6 b
unguento præcioso se ungere 153 b
unguento ungere hospites 544 a
uocatio ministrorum sit iusta 530 a
uocationis diuinæ uirtus 60 b
uocationis ratio habenda 38 a
uocationis diuinæ uirtus 216 b
de uocatione ministrorũ uerbi 58 b
uocationis iustæ uis 8 b
uocati per Euangelium in timore Dei ambulent 469 b
uoluntas dei bifariã spectanda 226 b
uoluntas Dei operibus exprimenda pag. 185 b
uoluntatis diuinæ libertas 329 a
uoluntati dñi obtemperandũ 257 a
uoluntatem patris facere 487 b
uoluptuarij taxantur 246 b
uox galli prædicatio resipiscentiæ pag. 579 b
uox Dei carni terribilis 427 b
de urbe obsessa simile 345 a
urbes Euãgelicæ admonentur 327 a
urinam quidam nolebant ob sanctitatem proijcere 181 a
usura quare permissa 101 a
usurarij contra magistratũ irreprehensiles, sed nõ coram Deo 101 b
utres ueteres 236 a
uulgus modũ nulla in re tenet 506 a
uulgi inconstantia 190 a
uulpes quare dictus Herodes 13 a
uxor fratris uiuentis non licere ducere 376 b
uxor quando uirum relinquere possit 368 b
uxoris Pilati uox 591 b
uxorem quæ non præstat 103 a
de uxore proba simile 316 a
in uxore iudicanda duo esse 504 b

X

Xenodochia Iulianus constituit pag. 120 b
Xenodochia debent esse Christianorum ædes 541 a

Z

Zebedæorum temeritas 472 a
Zacchæus diuites iudicabit pag. 468 a
Zelotes quare sibi mortem intulerit 583 b
zelus præposterus 379 b
de zonarum mollicie 24 b
zonam perdere 284 b
zizaniã quid uocet Christus 369 b
zizaniæ seminatio ex Satana 367 a

FINIS.

SEQVVN=

SEQVVNTVR LOCI

SCRIPTVRAE, QVI IN TOTO ISTO OPERE sparsim declarati sunt.

Gen.3. Ne forte moriamur 47 a
Gen. 8. de columba 41 a
Gen. 28. de scala Iacob 40 b
Gen. 34. de Dina filia Iacob 96 a
Gen. 38. Iudæ historia 3 b
Gen. 49. Non auferetur sceptrum pag. 3 b
Exod. 5. de ira Pharaonis 19 a
Exod. 32. Vidit uitulum & choros pag. 88 b
Exo. 24. De ieiunio Mosi 44 a et b
Leuit. 19. Non oderis fratrem tuum in corde tuo 110 a
Nume. 15. Vt fecerant sibi fimbrias pag. 508 a
Deut. 6. Et ligabis ea quasi signum pag. 508 a
Deut. 8. Non in solo pane 48 a
Deut. 12. Nec addere, nec demere pag. 257 a
Deut. 13. De uirtute miraculorum pag. 126 b
1 Sam. 8. Regem petunt à Samuële pag. 473 a
1 Sam. 15. De Amalechitis 257 b
1 Sam. 21. De sacerdotibus domini occisis 19 a
2 Samuël. 12. De domo Dauidis punita 147 a
2 Sam. 14. De Absolone recõciliato per Ioab 128 b & 129 a
2 Sam. 14. Vade in domum tuam pag. 198 b
1 Reg. 2. De Adoniah 128 b & pag. 139 a
1 Reg. 2. Mater Salomonis instructa ab Adoniah fratre, &c. 473 a
1 Reg. 19. De ieiunio Eliah 44 b
1 Reg. 22. Micheas percussus 108 b
1 Paral. 16. De rege Asa 211 b
Esa. 29. Appropinquat mihi populus hic ore suo 393 a
Esa. 33. Væ qui prædaris, nunquid & ipse spoliaberis 165 b
Esa. 43. Præter me non est saluator pag. 126 a
Esa. 55. Quare expenditis argentum pag. 244 b
Esa. 55. Verbum quod egreditur ex ore meo, non reuertetur ad me uacuum 360 a
Esa. 58. De ieiunio falso 171 a
Esa. 63. Attende de cœlo 130 b
Esa. 66. Cœlum sedes mea 105 a
Ezech. 13. De ijs qui murum cemento oblinebant 184 a
Ezech. 34. Ecce requiram oues meas 61 a
Prouerb. 21. Cor regis in manu Dei pag. 151 b
Prouer. 22. Diuitem & pauperem à Deo factum 22 b
Psal. 6. Discedite à me omnes operarij iniquitatis 185 b
Psal. 16. Conserua me domine, quoniam sanctus sum 606 a
Psal. 91. Angelis suis mandaturus est de te 50 b
Iob 1. Nunquid Iob frustra timet Deum 220 a
Oseæ 6. Misericordiam uolo & non sacrificium 220 b. & 224 b
Hoseæ 11. Ex Aegypto uocaui filiũ meum 17 b
Micheæ 5. Et tu Bethlehem 13 b
Micheæ 7. Nolite credere amico pag. 317 a. & 318 a
Malach. 1. Vanus est qui seruit Deo pag. 51 b
Malach. 1. Esau odio habui 3 a
Dan. 2. De regno Dei 282 a
Dan. 6. De oratione Danielis 125 a
Act. 1. Non est uestrũm nosse tempora 523 a
Act. 2. Omnes autem qui credebant erant coniuncti 142 a
Act. 3. Petrus & Ioannes ascenderunt in templum 132 b
Act. 4. Quotquot possessiones agrorum 142 b
Act. 5. De Anania et Sapphira 143 a
act. 16. ubi solebat esse precatio 133 a
Act. 28. De uipera 29 a
Matth. 18. Ne pereat unus ex minimis istis 170 b
Matth. 21. Domus mea, domus orationis 132 b
Marc. 11. Cum statis ad orandum, remittite 148 b
Marc. 16. Qui crediderit 157 b
Luc. 1. Virtus altissimi obumbrabit tibi 426 a
Luc. 1. Qui respexit humilitatem pag. 444 a
Luc. 6. Omni petenti absq; te 109 b pag. 120 b
Luc. 7. De Pharisæis locus 28 b
Luc. 11. Veruntamen eleemosynam datis 229 b
Luc. 12. Putatis quod pacem uenerim mittere 141 b
Luc. 12. Sint lumbi uestri præcincti pag. 527 b
Luc. 14. Sabbatho manducare panem 141 b
Luc. 17. Vbicunq; fuerit corpus, ibi congregantur & aquilæ 520 a
Luc. 18. Ne deficiamus in oratione pag. 131 b
Ioan. 4. Patres nostri in monte hoc adorauerunt 132 a & b
Ioan. 5. Et in iudiciũ non uenit 534 b
Ioan. 6. Sunt quidam ex uobis qui nõ credunt 582 a
Ioan. 7. Qui uoluerit facere uoluntatem patris 68 b
Ioan. 7. Transi hinc 49 b
Ioan. 9. Peccatores Deus non exaudit 128 a
Ioan. 13. Quod facis, fac citius 358 a
Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata 146 a
Rom. 9. Non est uolentis, neq; currentis 226 b
Gal. 1. Oculos uestros effossos dedissetis mihi 99 b
Gal. 6. Præcipuè uero erga domesticos fidei 111 a
1 Cor. 6. Iam omnino delictum est in uobis 109 a
1 Cor. 7. ad tempus orationi uacent pag. 132 a
1 Cor. 10. Per omnia omnibus placeo 507 b
1 Cor. 11. Quisquis indigne 559 a
2 Cor. 5. Pro omnibus mortuus est Christus 550 a
2 Cor. 12. De stimulo carnis 473 a
2 Cor. 12. De petitione Pauli 177 a
2 Corin. 12. Sufficit tibi gratia mea pag. 133 b
1 Thessa. 5. Sine intermissione orate pag. 131 b
2 Thessa. 2. Rogamus autem uos fratres per aduentum, &c. 139 a
2 Thess. 2. Tunc patefiet iniquus ille pag. 126 b
1 Timoth. 2. Vnus mediator 129 b
2 Timoth. 1. Sine intermissione 131 b

2 Timoth. 4. Prædica uerbum, insta oportunè, &c. 295 a
Ebre. 6. Nequeunt renouari per pœnitentiam 347 a
Hebr. 11. Sine fide impoßibile placere Deo 197 b
1 Petr. ult. Non dominantes in clero pag. 275 b
1 Iohan. 2. Scribo uobis puellis pag. 448 a
1 Ioan. 4. Qui confitetur quod Iesus ſit filius Dei 315 a
Iacob. 1. Ne quis cum tentatur pag. 150 b
Iacob. 1. Poſtulet in fide, nihil hæſitans 133 b
Iacob. 2. Oſtende mihi fidem tuam pag. 210 a & b
Iacob. 4. Hodie aut craſtino ibimus, &c. pag. 186 a
Iacob. 5. Confitemini alter alteri peccata 27 b
Iacob. 6. Orate alius pro alio pag. 130 a

LOCORVM SCRIPTVRAE FINIS.

ERRATA QVAE INTER RELEGENDVM, OCcurrerunt, ſic emendabis.

Pag. 1. col. 1. tractu, lege tractatu, & pag. eadem leg. quibus Euangeliſta. col. 2. leg. tamen. pag. 5. col. 2. Nam ita. pag. 7. col. 2. præmiſi. pag. 8. col. 2. leg. pacatum. pag. 9. non erat & inuocans leg. innocens. pag. 12. leg. lucriſactos. pag. 13. leg. hunc. pag. 14. col. 2. miniſterium. pag. 15. col. 2. leg. contra offendiculum. pag. 16. col. 1. non. leg. enim. pag. 21. col. 2. latius. leg. Latinis. pag. 26. col. 1. abſq; pag. 30. col. 1. leg. cantionibus. pag. 31. col. 2. erat. leg. erga. pag. 35. col. 2. leg. Non ſolum coniuncti erant reprobi electis, ſed & legalium cæremoniarum ſplendore tecti pro ueris Iſrælitis habebantur. pag. 37. col. 2. ſuperbimus. pag. 43. col. 2. communiti. pag. 44. col. 1. nullus. pag. 45. col. 2. à nemine. pag. 50. col. 2. ſeducendum. pag. 53. col. 1. qua ſolemus. pag. 55. col. 1. conſortes. pag. 66. col. 1. gaudium & iugia leg. iurgia. pag. 68. col. 2. leg. ſententiam. pag. 79. col. 2. imputationem. pag. 81. col. 1. legi Dei. pag. 82. col. 1. fore. pag. 83. col. 1. leg. delirat. pag. 84. col. 2. leg. impudentem. pag. 92. col. 2. omni miſi. pag. 104. col. 2. Sed. leg. Si. pag. 106. col. 1. tam. pag. 107. col. 1. Cura & qui leg. quia. pag. 119. col. 2. datorum ead. ſimulant. pag. 126. col. 1. ſolidatis. pag. 135. col. 2. nemo filiorum. pag. 143. col. 1. Apoſtolis. pag. 154. col. 1. putere. pag. 156. col. 2. uelit. ead. reddit leg. redditur. pag. 157. col. 2. non obſcurauerint. pag. 163. col. 1. faſtum. ead. uilitatis. pag. 165. col. 1. & non dicit. pag. 167. col. 2. fratrem curemus. ead. neglector. pag. 168. col. 2. dele, ludis. pag. 169. col. 1. uter. 170. col. 1. curaſſe. ead. celiberrima. pag. 171. col. 2. quomodoq; pag. 173. col. 1. immundi. ead. tangendum. Reliqua diligens Lector, quæ tenuia ſunt, paruo marte emendabit.

ORDO TOMI
PRIMI.

aA bB cC a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z.
Omnes sunt terniones præter cC & z duerniones sunt.

TOMI SECVNDI

A B C D E F G H I K L M N O P Q R. *Omnes sunt terniones præter* R, *est quaternio.*

TOMI TERTII

S T V X Y Z *Aa Bb Cc Dd Ee Ff. Omnes sunt terniones præter Ff, est quaternio.*

COMMENTARII
VVOLFGANGI MVSCVLI DVSANI IN
Matthæum Euangeliſtam.

TOTIVS OPERIS DISPOSITIO.

QVONIAM quæ continuo tractu abſq; vlla diuiſione tradũtur Lectori, plerũq; & moleſta eſſe, & faſtidiũ generare ſolent. Viſum eſt Cõmentarios iſtos ſi non planè commoda, tamen qualicunq; partitione in hunc ordinem diſponere, ut tribus Tomis digeſti prodeant. Ad hanc me Diſpoſitionem ipſa rerum ab Euangeliſta traditarum ſeries uocat, quæ omnino perinde habet, atq; tripartitus Solaris diei curſus: in quo primam partem mane, alteram meridies, tertiam ueſpera obtinet. Sicut enim nocturnas tenebras Solis ſplendor primũ præuia ſtella, deinde & ortus ſui radijs terminãs, diurnã lucẽ inducit, & inductã clarius atq; clarius prouehit: circa meridiem uerò ſplendore & calore ſuo illuſtriſſimam pariter ac feruentiſſimam reddit, & tandem ueſpertino tempore ad imminentis noctis tenebras inclinans, rurſus aliquandiu duratura caligine abſcondit: ita & diſpenſatio Chriſti, cœleſtem regni Dei gratiam & lucem poſt prolixas ignorantiæ & cæcitatis noſtræ tenebras, mundo huic auſpicijs ſuis primum induxit, deinde acceptis incrementis circumquaq; extendit, & illuſtrem reddidit: tandem uerò imminente crucis caligine nonnihil rurſus abdidit. Hanc rerum ſeriem cum ipſe quoq; Euangeliſta haud obſcure ſequutus ſit, placuit illam in operis huius diuiſione retinere: ita, ut primus Tomus exordia, alter progreſſum, tertius conſummationem diſpenſationis Chriſti pro ſalute noſtra ſuſceptæ complectatur.

PRIMVS TOMVS

CONtinet hic nouem priora Capita, quibus Euangelium Chriſti generationem, reuelationem quæ per Magos primum, deinde per præcurſorem Baptiſtam, eſt facta, inaugurationem cœleſtem, luctam cum Satana tentatore, primordia prædicationis & miraculorum, diſcipulorum uocationem ac primam eruditionem, & ex miraculis conſequutam nominis celebritatem eſt complexus.

EVANGELIVM SECVNDVM MATTHAEVM.

PRAEVCIS præfandum eſt, primum in genere de Euangeliſtarum ſcriptis, deinde ſpecialiter de hoc noſtro Matthæo quem enarrandum ſuſcepimus. Principio uidendum eſt, quo conſilio Euangeliſtæ non contenti prædicandi munere, ſcriptis etiam prædicationem de Chriſto Ieſu, quam ore ſuis temporibus paſſim uulgabant, ad poſteros tranſmittere uoluerint. Nemini dubium certo illos uſos eſſe conſilio, & tali quod inſtinctu ſpiritus Chriſti ad propagationem Euangelij Dei, cuius erant miniſtri, faceret. Scilicet prouidit ſpiritus ſanctus fore poſt Apoſtolorum dormitionem, ut inſtinctu Satanæ multi adulciandam Chriſti doctrinam & fidem, adulterina dogmata & inania omnia mortalibus ſub Chriſti nomine obtruderẽt. Ideò ut certa conſtaret in Eccleſia de Chriſto doctrina, curauit ut primũ hiſtorico modo Chriſti natiuitas, uita, doctrina, mors, ſepultura, reſurrectio et in cœlis aſſũptio: adhæc & Euangelicæ legationis in totũ orbem emiſſio, poſtea & Euangelicæ doctrinæ, Chriſtianæq; fidei progreſſus: item declaratio & confirmatio per eos ſcriptis mandarẽtur. Qui ipſi coram omnia audiſſent ac uidiſſent, & qui ſumpta à Deo ſpiritu ſancto uirtute & autoritate primi ad prædicationem Euangelij in orbem eſſent amandati. In hunc uſum ſcripſerunt Euangeliſtæ hiſtoriam Chriſti, ſic de Luca legimus, quod iſto conſilio Euangelium ſuum adornârit. In hunc eundem uſum apoſtoli Petrus, Paulus, Ioannes doctrinam Chriſti ſuis epiſtolis illuſtrarunt, illuſq; ueluti exemplar quoddam poſteris reliquerunt, ne poſt ipſorum tempora occaſio eſſet miniſtris Satanæ conficta & adulterina dogmata fidelibus Chriſti obtrudendi. Etſi tale quid tentaretur, fidelibus in promptu eſſet ad eorum ſcripta recurrendi, de quorum autoritate & fide certi eſſent, quod ſpiritu ſancto doctore & magiſtro uſi præterquàm quod auriti & oculati teſtes actorum & dictorũ Chriſti omnium certiſſimi fuiſſent, quæ de Chriſto cognoſcenda & credenda eſſent, literis mandârint. Eodẽ conſilio & à Moyſe quæ diuinitus fuerant acta cum Iſraële, quæq; illi mandata et fœderis teſtimonia data erant, literis propter poſteros inſerta ſunt. Alioqui omnia poſt mortem eorũ qui ea uiderant & audierant intercidiſſent, nec fidem inueniſſent, ſi qui poſtea quæ coram nec uidiſſent nec audiſſent ſcriptis tradere uoluiſſent. ~~Ita factum eſt, ut licet ea~~ natio quæ poſtea ſequuta eſt, à fœdere Dei declinârit, ut uidere eſt in libris Iudicum, perpetua tum quædam opportunitas ei populo per ſcripta Moyſi relicta eſt, quæ acta eſſent diuinitus cum patribus ipſorum: quæq; à deo mandata, & quam fœderis rationem ſuſcepiſſent legendi ac cognoſcendi. Atq; ita per Dei gratiam ad uiam redeundi & errores obiter ſubintroductos abijciendi. Ad hunc modum etiam ingenti hoc apoſtolicæ & Euangelicæ ſcripturæ beneficio factũ eſt, ut miſerante nos Domino cordaq;, & oculos aperiente, relictis ſubinde erroribus perpetuo ad certam & indubitatam Chriſtianæ fidei doctrinam redire liceat.

Sic Chriſtus dicebat Iudæis, Erratis neſcientes ſcripturas.

Conueniebat itaq; maiori fide ac diligentia Apoſtolorum & Euangeliſtarum ſcripta quotidie non legere ſolum, ſed & lecta expendere: expenſa in animos recondere, & ad illorum normam cum fidem tum uitam noſtram adiuuante nos ſpiritu Chriſti conformare, nec ab

illorum luce uel latum digitum oculos mentis nostræ auertere. Quod si in isto pietatis studio perseuerueri-mus, non poterimus facile à certa Christi doctrina ad inania figmenta, & fallacia, incerta, imò pestifera dogmata abduci. Nouit hoc Satan, ideò totus in hoc est, ut quoniam autoritatem sortita sunt Apostolorum, Euangelistarum & Prophetarum scripta, nec illam facie poterit conuellere, plerisq; persuadeat non esse in Ecclesia ea tantũ quæ ἐγγραφα uocantur, sed & quæ ἄγραφα dicũtur, pro authenticis habẽda. Neq; enim omnia quæ ad Christianismũ pertinent ab Apostolis esse cõscripta. Multa eos tradidisse Ecclesijs, quæ in literas non sint relata: quæ tamen non minus Apostolicam mereantur habere autoritatem quàm quæ scripta sunt. Magna est hæc Satanæ astutia, et qua incautis facile imponitur. Isti non potest melius occurri quàm ut dicamus: quæ scripta sunt, indubitatum habere testimoniũ quod sint Apostolorum, Euangelistarum & Prophetarũ, ἄγραφα uerò non item. Relinquenda igitur incerta & retinenda quæ certa sunt. Deinde ut & paci & charitati studeatur in ἀγράφοις, admittenda esse ea quæ ἐγγράφοις conformia & consona sint, ita ut ἄγραφα propter ἔγγραφα non ἔγγραφα propter ἄγραφα locũ in Ecclesia Christi habeant. Neq; enim fieri potuit ut unus & idem spiritus in Apostolis & Euangelistis aliud scriberet, et aliud absq; scriptura Ecclesijs Christi seruandum traderet. Hactenus de consilio, quo factum sit ut Apostoli et Euangelistæ quæ ore docebãt, scriptis etiam mandârint. Deinde considerandum et hoc est, quid discriminis sit inter scripta Euangelistarum & Apostolorum literas. Quæ quatuor Euangelistæ conscripserunt, ad hunc sunt scopum directa: ut Christi natiuitas, uita, doctrina, mors, resurrectio & ascensio, ad hoc inuulgentur, ut declaretur hunc Iesum à Nazareth esse filiũ Dei, unctum illum patribus Israëlitarũ diuinitus in scripturis promissum. Hactenus progressi sunt Euangelistæ: Apostoli uerò suis literis eos qui iam crediderunt in fide Christi confirmant, & ad ueram pietatem ac uitam Christiana professione dignam excitant & adhortantur. Ex Euangelistarum itaq; scriptis historiæ de uita, morte, ac resurrectione Christi fides, deinde & doctrinæ Christianæ fundamenta petenda sunt, sine quorum cognitione nemo in fide Christi rite instituetur. Ex Apostolorum uero literis progressum in fide Christi, & instituendæ uitæ nostræ normam & incitamentum desumemus.

SPECIALITER DE MATTHAEO.

AD commendationem gratiæ Christi plurimum facit, si expendamus quis iste Euangelista ante uocationem fuerit, è qua uitæ conditione per Christum uocatus, & in apostolicam dignitatem euectus sit. Sed de illa uidebimus infra Cap. nono. Hic cogitemus quàm commodum fuerit talem fieri gestorum Christi scriptorem, qui non solum coram ipse omnia uidit et cognouit, sed qui in seipso gratiæ Christi uirtutem tantam est expertus, ut ex publicano, relicto quæstuoso uitæ genere, factus sit non solum assectator & discipulus, sed & Apostolus & Euangelista Christi. In oculis carnis huius generis commendatio parum habet æstimationis. Verum coram illis, qui magis quid gratiæ Christi commendationem quàm secularium rerum splẽdorem habeat, expendunt: haud parum commendationis gratiæ Christi & huius Euangelistæ scriptis considerata illius conditio & uocatio adferet. Sed ut in Præfatione modum seruemus, ad ipsum horũ Commentariorum initium accedamus.

LIBER generationis Iesu Christi.

Quanquam Euangelista non tantum de generatione Christi, sed & de ipsius uita, doctrina, miraculis, morte ac resurrectione, historiã texere instituit. Hoc tamẽ modo exordiri uoluit propter Ebræos, in quorũ gratiã Euangeliũ suũ conscripsit: declaraturus hunc Iesum eum esse, quem patribus Deus iam olim promisit. Huc faciebat, ut ostenderet qua generationum serie ex Abrahamo & Dauide iuxta oracula Dei natus sit. Sciebat enim hoc principium esse omniũ rerum quæ ad fidem Iudæis faciendam requirebantur. Et certe hoc exordio haud parum animos eorum qui non prorsus erant excæcati, ad legendum hos Commentarios excitauit, quod generationis seriem nõ cuiusuis, sed eius pollicetur, qui Messiach esset Christus domini, quem tanto desiderio qui ex Iudæis pij erant expectabant, unde non dicit: Liber generationis Iesu Nazareni, uel Galilæi, sed: Liber generationis Iesu Christi, id est, uncti, quem Ebræi Messiach sua lingua uocant.

Nobis, qui in Christum credimus, & illius nomine censemur, sit hoc exordium omnium desideratissimum. Si enim Iudæi etiamnum sese oblectant, quoties generationes Abrahæ, Isaac, Iacob, Moysis, Iehosuæ & reliquorum quos generis sui maiores habent, legunt: quanto magis excitari debent hoc exordio animi nostri ad cognoscendam non solum eius generationem, qui nominis nostri autor est, sed et quem credimus uerum esse redemptorem totius humani generis, & seruatorem nostrum. Qui ad hoc à patre missus & spiritu sancto inunctus est, ut facta per sanguinem suum reconciliatione, ad cœlestia nos & perpetua patriæ nostræ gaudia reduceret. Solent generationes eorum, qui aliquo mortales beneficio affecerũt scriptis mandari: et cupida legi. Quanto quæso desiderio ista series generationis seruatoris nostri debebat ab omnibus Christianis legi, teneri & cum summa animi iucunditate expendi? Maxime cum certum sit illam innumeris refertam esse mysterijs.

Filij Dauid filij Abrahæ.

Hi duo sunt ex patribus præcipui & principaliores ueluti reliquorum capita quædam, quorum existimatio & memoria Iudæis omnibus semper sacrosancta fuit, præsertim propter promissiones illis de Christo ex ipsorum semine nasciturο factas, de quibus uidere est Gene. 12. & 22. & 2. Sam. 7. 1. Paralip. 17. Psalm. 89. & 132. Sciebat hoc Euangelista, atq; ideò statim initio Iesum Christum

Christum Dauidis & Abrahæ filium uocat, ut Iudæorum animos attentiores in patrum catalogo quem subijcit expendendo, reddat.

Quod autem primum Dauidis meminit, celebritatis gratia factum est, qua Dauidis nomen ea ætate omnibus in ore erat, quandocunq; de futuro Christo sermo incidebat. Celebritatem illam Prophetarum oracula induxerant, quibus solenne erat sub nomine Dauidis Christi futuri dispensationem prædicere. Sic passim acclamabatur Christo: Fili Dauidis, Item, Hosiana filio Dauidis. Et Matt. 22. Pharisæi interrogati de Christo, cuius esset filius, responderunt, Dauidis. Et Paulus Rom. 1. Qui factus est ei, inquit ex semine Dauidis secundum carnem.

Magno consilio Dei factum est, ut promissio primum Adæ in paradiso facta, & post diluuium Abrahæ repetita Dauidi renouaretur, ne putarent Israëlitæ illam prorsus per indignationem Dei, quæ tot modis sub Mose, & post Iehosua sub iudicibus, & sub Saule declarata fuerat, intercidisse. Renouata itaq; regi Dauidi, et post illius tempora crebris Prophetarum uaticinijs, in ipso quoq; Babylonico exilio, commendata & inculcata, cœpit aliquanto celebrior haberi, quàm quæ Abrahæ fuerat olim facta: præsertim & ob id, quod in Dauide familia certa esset designata, unde expectaretur Messiach, quod in Abrahamo non erat factum. Licet enim ista prærogatiua cesserat tribui Iehudah, nondũ tamen constabat, qua nasciturus esset illius familia, donec Dauidi facta esset ista promissio, quod ex ipsius semine proditurus esset Christus: ita ut à Prophetis locus etiam natiuitatis, Bethlehem ciuitas Dauidis, designatus esset. Quod aũt Iudæi hac cognitione quod Christus sit factus filius Dauidis abusi sint, infra Cap. 22. uidebimus.

Abraham genuit Isaac.

Non Isaac tantum genuit sed & Ismaëlem. Verum ad generationem Christi non carnalis propagatio sufficiebat, sed electio diuina requirebatur. Hanc cum ignoraret Abraham, haberetq; iam ex ancilla filium Ismaëlem, & Sarai filius promitteretur diuinitus, quem bene
Gen. 17. dicturus esset Deus, orabat pro Ismaele, dicens: Vtinam Ismaël uiuat coram te. Verum & tum & postea cum egreferret abiectionem Ismaëlis, audiuit à Deo, semen
Cap. 21. ipsius fore in Isaac non in Ismaële.

Et miraculosa huius natiuitas ex centenario uiro & uxore nonagenaria hactenus: præterea sterili iam tum præludebat miraculosæ Christi natiuitati, quemadmodum & Iohannis Baptistæ natiuitas. Deinde & admira
Gen. 22 bilis Isaaci obedictia, qua primum Deo, deinde et patri ut immolaretur morẽ gessit. Imaginem habuit Christi, qui patri ad mortem usq; obediens factus est. Philip. 2.

Isaac genuit Iacob.

Gen. 25. Genuit etiam Esau, idq; eodem partu. Sed non ex Esau Christus. Iacob ad hanc dignitatẽ delectus est, licet esset posterior & natu et conditione uitæ. Esau inquit propheta, odio habui, Iacob uerò dilexi. Iterum liberam uidemus electionem Dei. Rursus quàm iudicia
Malach. 1. Dei abscondita sint plerunq; etiam sanctis. Tam enim Isaac quàm Abrahã uoluntatem Dei erga filios suos ignorarunt, ita ut quos Deus ad hanc dignitatem non delegerat, ipsi singulari affectu complexi sint. Vt nanq; Abraham Ismaëlem, ita & Isaac Esau potiorem natu, eò quod gnarus esset ad uenandum, præ Iacobo charum habebat, ita ut mater coacta fuerit benedictionem filio suo Iacobo ab inscio patre per fraudem suffurari.

Iacob genuit Iudam & fratres eius.

De Iuda Gen. 29. Is nõ fuit primogenitus, sed quartò demũ loco, nec per Rachel marito dilectũ, sed per Lean natus. Quod aũt ex ipso nasciturus esset Christus, uaticinium illud Iacobi omnium celeberrimum satis ostendebat, quod Gene. 49. his uerbis legimus: Non auferetur Gen. 49. sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec ueniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium, &c. Quid est autem quod fratrum Iudæ meminit, cum supra nec Ismaëlis, nec Esau meminerit. Isti scilicet erant fœderis & participes & capita populi Dei, illi uerò nequaquàm. Itaq; ne illos uideretur cõtẽptim præterire simul eorũ mentionẽ facere uoluit. Licet enim ex Iuda tantũ natus sit Christus, ad reliquas tamẽ tribus omnes pertinuerũt patres illi ex quibus est Christus. Ro. 9.

Iudas autem genuit Phares & Zaram è Thamar.

Gen. 38. In hac historia multa sunt, quæ à Iudah reprehensione digna cõmissa sunt. Quod discesßit à fratribus suis: quod ad Cananæos concesßit & mulieri gentili nupsit: quod nurũ suã nuptijs filij sui, promißis etiã, defraudauit: quod scortatus est: quod nurum suam indicta causa mox ad mortem rapi iußit. Ex hoc itaq; uiro, extra coniugiũ per scortationem conceptus Phares inter patres ac maiores Christi numeratur. Tam abest autem ut qui reprehensibiles sunt ad hanc Christi generationem admitti non debuerint, ut non sine Dei cõsilio factũ sit, quod pleriq; inter maiores Christi haud leuiũ peccatorũ notis insignes fuerunt. Cauendũ enim erat ne putaretur ipsius puritas à patrũ pendere sanctimonia & integritate. Et ita cõueniebat, ut qui pro peccatoribus moriturus erat, & carnem de nostra peccatrice carne sumpturus, per peccatores patres & carnem peccatricem, duceret generationẽ. Carnis enim propriæ puritatẽ habiturus erat, agnus ille immaculatus, non ex nostra carne unde natus est, pro qua & passus est, sed ex cõceptione omniũ purißima, quæ esset non ex uiri semine, sed spiritus sancti operatione. Neq; par erat ut ex maiorũ probitate commendandus ueniret in hunc mundũ: cum non ex patribus ipse nominis autoritatẽ ac dignitatem desumpturus esset, sed illis magis quàm per se non habuerant & dignitatẽ & perpetuam esset allaturus nominis celebritatem. Non carent aũt mysterijs quæ de Iudah & filijs eius Phares & Zaram scribuntur. Habent enim typos quosdam eorũ quæ in Christo futura erãt. Quod Iudah à fratribus offensus discesßit ad Cananæos, illisq; nuptiarũ copula coniũxit. Figura erat Christũ Iudæorum fratrum suorũ incredulitate offensum iuncturũ fore sibi gentes. Quod Phares rupta maceria inter se et fratrem primus natus est: typus erat eius rupturæ, quã Christus erat facturus inter Iudæos & gẽtes, ut maceria dirupta gentium populus primus egrederetur & Iudæorum posteaquàm plenitudo gẽtiũ intrasset. Licet enim Iudæo-

rum populo primum sit oblatum regnum Christi, & postea Gentibus: non tamen est illius plena facta natiuitas, sed ueluti manum ex utero protulit, ubi aliqua illius portio ad fidem Christi progressa est: Gentiũ uerò populus rupto interstitio tota natiuitate in Christo prodijt, post cuius demum plenitudinem Iudæorum quoq; natio nascetur, quando in fine omnis Israël saluabitur.

Phares autem genuit Esrom.
Esrom autem genuit Aram.
Aram autem genuit Aminadab.
Aminadab autem genuit Naasson.
Naasson autem genuit Salmon.
Salmon autem genuit Boos.
Boos autem genuit Obed è Ruth.
Obed autem genuit Iesse.

De istis octo Generationibus, quæ & Ruth. 4. & 1. Par. 2. obiter recensentur, nihil legitur præcipui, quod notari queat, dempta historia Boos & Ruth, quæ peculiari & discreto uolumine descripta est. In qua iterũ uocatio gentiũ prælineata deprehẽditur. Erat enim Ruth gẽtilis mulier ex Moab, quæ postea diuina dispensatione relicta patria, terra et cognatione cum socru sua Ebræa ad Israëlitas transijt, & à Boos ad coniugium admissa, mater est regum effecta. Ita certe populus gentium, relictis cognatis superstitionibus, ad Christum uenit, illiq; fide desponsatus est.

Iesse autem genuit Dauid regem.

Ruth. 4. & 1. Par. 2. Pater obscurus (unde & Dauid per contemptũ filius Isai uocabatur à Saule) & filij gratia nonnihil adflictatus, nominis celebritatem ex filio postea accepit. Dauid postremo loco natus, inter fratres minimus, & contemptissimus, non solũ in regiã postea, sed et istam electus dignitatẽ, ut nominatior esset inter Christi maiores: imò cui de Christo promissio renouaretur, exemplo est. Quàm non abijciat Deus quæ humilia sunt, sed relictis sublimibus, sua gratia extollat abiectos.

1. Sam. 16.

Regis sit mentio. Nam in eo cœpit regalis dignitas Sare ab angelo. Genesis XVII. promissa.

Dauid aũt rex genuit Salomonem, ex ea quæ fuerat uxor Uriæ.

Lucas generationẽ Christi ducit nõ per Salomonem linea regia, sed per Nathan filiũ Dauidis, & illius posteros, usq; ad capt. Babyl.

2. Sam. 12. Tam noluit Euangelista, ne insignis quidem huius uiri, peccata tegere, ut non contẽtus dixisse: Dauid aũt rex genuit Salomonem, id quod necessarium non uidetur, adiecerit: nempe, ex qua muliere sustulerit Salomonem, ex ea uidelicet quæ fuerat uxor Uriæ, ita infame illud Dauidis facinus ad memoriam reuocans. Et merito. Non erant enim occultanda eorũ delicta, ex quibus Christi generatio ducebatur, cum is peccatorũ gratia per illos nasci uoluerit. Ob eam causam uidetur singulari studio non hoc tantum loco, sed & supra ubi Thamar, Rachab, et Ruth mentionem fecit, cum de illis tacere potuerit, noluisse simpliciter patrum generationes texere, sed & ex quibus, quidam ex ipsis sint matribus geniti, commemorare. Quàm autẽ Domino charus fuerit puer Salomon, legere est 2. Reg. 12. Deinde quàm insigni illum sapientia & illustri regni gloria decorauerit 1. Regum declaratur. Quàm uerò male finierit hanc uitam, & in hoc Dei gratia parum constans perseuerauerit, historiæ prodũt. Unde cautionis gratia propositũ exemplũ est, quo monemur ut accepta gratia Dei cauti simus illaq; ad finem usq; bene utamur.

Salomon autem genuit Roboam.

De Roboam uide 1. Reg. 12. 2. Par. 10. Malus fuit, et cor eius non erat ad Dominum. Matre natus est Naama Amanitide. 2. Par. 12. Sub isto percussa est Iudæa, et ablatũ aurum templi à Pharaone rege Aegypti. 2. Par. 12. Facta est etiã sub isto discessio decem tribuũ. 2. Par. 10.

Roboam autem genuit Abia.

Et hic malus fuit, non recto ad Dominũ corde. Vide 1. Reg. 15, Sub hoc tamen misertus est Dominus Iudæ, ut non traderet eum in manus Ieroboam regis Israël. Vide 2. Par. 13. Uxores accepit 14. ex quibus sustulit 22. filios, & 16. filias.

Abia autem genuit Asa.

Hic bonus fuit, et Dominũ toto corde quæsiuit, sicut Dauid pater eius: nisi quod tricesimo regni sui anno, cũ contra se ueniret Baasa rex Israël ad pugnandũ, non ad Dominũ, sed ad regem Syriæ confugit, illiusq; auxilium implorauit: cuius gratia à Propheta Anani reprehẽsus, iratus est, & prophetam in neruũ conijci iussit. Deinde cum ægrotaret anno regni sui 39. non clamauit ad Dominũ, sed magis in medicorũ arte cõfisus est. 2. Par. 14. 15. 16. Admonemur itaq; & huius exemplo, sicuti in Salomone dictum est, quanta diligentia orandus sit Dominus, ut perseuerantiam nobis in uera et solida pietate ad finem usq; largiatur. Scriptum enim est Ezech. 33. non uicturũ iustum, si deserta iustitia cœperit impie agere.

Asa autem genuit Iosaphat.

De Iosaphat 2. Par. 17. 18. 19. 20. Et hic uestigia Dauidis & Asæ patris sequutus, recto corde Dominũ quæsiuit. Deliquit tum in eo quod primum cum Achab rege Israël impio fœdus inijt, illiq; bello iuuit, propter quod & à propheta Iehu correptus est: deinde præterita correptione nihil motus, post Achab etiam cum illius filio Ochozia fœdus inijt, cuius nomine iterũ correptus est à propheta Eliezer filio Dodã de Maresa. Ita uidelicet nihil est perfectè ex omniũ parte iustũ etiã in sanctis uiris.

Iosaphat autem genuit Ioram.

Hic desertis uestigijs Dauid, Asæ, et Iosaphat, piorũ regum, patrũ suorum, sectatus est impietatẽ domus Achab, eò quo habebat filiã illius uxorem. (Ita solent prosperari impiorũ coniugia) fœditq; Iudam & Ieruſalẽ fornicari à Domino Deo suo. Occidit etiam omnes fratres suos, filios Iosaphat, cũ esset cõfirmatus in regno, quam utranq; impietatẽ & crudelitatẽ Deus non est passus abire inultã. Vide 2. Par. 21. Ita uidemus aliquãdo ex probis & pijs maiorib. impios nasci posteros. Et hic fructus est fœderis quod Iosaphat cũ impia domo Achab inierat

Ioram autem genuit Hoziam. Vide 2. Par. 3.

Ioram, non Hoziam sed Ochosiam, Ochosias Ioas, Ioas Amasiam, Amasias demũ genuit Hoziam, qui aliàs Azarias dictus est: Ergo tres reges omissi sunt. Id quomodo sit factũ non liquet. Sunt qui dicant ab Euangelista eo consilio factũ, ut posteritas Iorã, quæ fuit ex flagitiosissima muliere Iezabel, excluderetur. Quidã arbitrantur ob id factum, ne generationũ numerus à Dauide usq;

ad

ad exiliũ Babyloni cũ tribus personis abundantior esset, quàm quæ sunt ab Abrahamo usq; ad Dauidem, & ab exilio Babylonico usq; ad Christum. Fieri potest, ut factum sit per incuriam interpretis, qui à Ioram lectione delapsus sit ad Hoziam: uel certe pro Ochosia legerit Hosiam, & ab illo prolapsus sit ad Ioatham similitudine nominum Ochosiæ & Hosiæ seductus. Hic Ozias primum quod rectum erat faciebat, postquàm uerò corroboratus fuit in regno, eleuatum est cor eius in interitum suum, & neglexit dominum Deum suum: ingressusq; templum Domini adolere uoluit, incensum super altare thymiamatis, ob quam rem lepra percussus est à Domino. Nolebat enim sacerdoti Azariæ dehortanti ab hoc cœpto, acquiescere, insuper & ultionem minabatur.

2. Par. 26.

Hozias genuit Ioatham.

2. Par. 27. Hic bonus fuisse et perseuerasse scribitur.

Ioatham genuit Achas.

2. Paral. 28. Hic malus fuit, & ambulauit in uijs regum Israël, statuas fudit Baalim, incensum adoleuit in ualle Ennon, lustrauit filios suos igne, iuxta ritum Gentium, sacrificauit, & thymiama succendit in excelsis & collibus, & sub omni ligno frondoso, per seipsum immolauit dijs Damasci: direptis omnibus uasis domus Dei, atq; confractis, clausit ianuas templi Dei, & fecit sibi altaria in uniuersis angulis Ierusalem. In omnibus quoq; urbibus Iudah extruxit aras ad cremandum thus, atq; ita multis nominibus ad iracundiam prouocauit Deum patrum suorum, à quo & in manus inimicorum suorum traditus est, & Iudah propter illum à Domino uehementer adflictus est. Exemplum uidemus præposteræ religionis. Quis dicet hunc regem nullam habuisse diuini cultus rationem? Verum quoniam uerbum Dei neglexit à uero dei cultu ad impias abominationes prolapsus est.

Videmus etiam hoc exemplo quantum malum sit & quæ pernicies populo, si regem habeat superstitiosum et impium. Vide ipsam historiam.

Achas genuit Ezechiam.

2. Par. 29. Hic rursus bonus fuit, relictis patris uestigijs, maiorum ac piorum regum imitatus exempla. Ita uidemus accidere, ut ex patre impio nascatur filius pius ac bonus. Et cum hoc rege mutata est etiam manus Domini, quæ contra Iehudah erat extenta, ut esset pro Iehudah contra illius hostes. Habet hic Ezechias egregiam pij regis imaginem, in quo uehemens fuit contra cultum simulachrorum zelus.

Ezechias genuit Manasse.

2. Par. 33. Hic adeò malus & impius fuit, ut omnium maiorum suorum, & regum quoq; Israëlis, imò Gentium etiam, maliciam & impietatem superauerit: tamen tandem, cum esset in angustijs pœnitẽtia ductus, ad Dominum conuersus est, à quo & gratiam impetrauit. Habemus itaq; in hoc rege præclarum resipiscentiæ, et diuinæ gratiæ exemplum.

Manasse genuit Amon.

2. Par. 33. Hic etiam patris impietatem superasse scribitur, uerum illius resipiscentiam non est imitatus.

Amon genuit Iosiam.

2. Par. 34. Hic pius fuit, ad exemplum Ezechiæ. Huius temporibus, repertus est liber diuinæ legis, qui datus fuerat per manũ Moysi, in templo Domini absconditus, quem rex cum timore Domini accepit, Dominũq; orari iussit, ut iram suã ab Israële auerteret, qui uerba diuinæ legis neglexisset. Quo uidemus exẽplo, quid tandem expectandum sit, ubi reges impij regnant, & uerbi Dei nullo sensu tanguntur. Vsq; adeò scilicet defecit à timore Domini Israël, ut ipse etiam legis liber absconditus et diù neglectus sit.

Iosias genuit Iechoniam & fratres eius in exilio Babylonico.

2. Par. ult. Non est ita intelligendum, quod Iosias filios suos genuerit in exilio Babylonico, cum illud non uiderit, morte præuẽtus, sed quod ipsius posteritas in illud abducta sit. Neq; ipse Iechoniam genuit, sed auus illius fuit. Non ita 1. Par. 3. legimus. Filij Iosiæ fuerunt primogenitus Ioannan (qui aliàs Ioachan dicitur) secundus Iojachim, tertius Sedechias, quartus Sellum. De Ioiachim natus est Iechonias & Sedechias. Filij Iechoniæ fuerunt Asir, Salathiel, &c. Ergo Iechonias non filius, sed nepos fuit Iosiæ. Nec impedit contextum huius generationis quod non legitur in regiam uenisse dignitatem. Non enim regum, sed Christi generationes scribit Euãgelista. Ad regiam administrationem qui uenerint uidere est. 2. Par. ult. Et alioqui in alijs ac posteris Iosiæ uera ac certa regiæ maiestatis dignitas cessauit.

Sed Esdr. iij. cap. j. Iechonias scribitur filius Iosiæ regis Iudæ. Verum de illo commemorãtur eadem quę de Ioachan filio Iosiæ.

Post exilium uerò Babylonicũ Iechonias genuit Salathiel.

1. Par. 3. Legitur Iechoniæ fuisse filios, Asir, Salathiel, Melchiram, Phadaiã, Senneser, Iechoniã, Samã & Nadabiã. Hos genuit in ipso exilio. Dicitur aũt eos post exiliũ genuisse, quoniã generationẽ ac posteritatẽ illius quæ subsequuta est exiliũ Euangelista recẽsere intendit.

Salathiel autem genuit Zorobabel.

1. Par. 3. ubi posteri Iechoniæ recensentur, nullius ex filijs illius nisi solius Phadaia posteritas ponitur, cui duo filij dantur, Zorobabel & Semei, ut incertum sit, an hic Zorobabel sit filius Salathiel, uel fratris eius Phadaia, quod attinet ad hunc locum. At Aggei 1. & 1. Esd. 3. 4. & 5. expresse Zorobabel uocatur filius Salathiel. Potest autem esse ut Phadaia iuxta legis præscriptum suscitauerit fratri suo Salathiel mortuo, semen: cuius coniecturam dare uidetur quod 1. Par. 3. Salathieli nulla adscribitur posteritas. Hic Zorobabel fuit dux eorum qui è Babel redierunt.

Zorobabel genuit Ãbiud.

Quæ fuerit posteritas Zorobabelis nusquàm in scripturis legitur, quod ego sciam, nisi quod 3. Esd. cap. 5. Iojachim legitur filius fuisse Zorobabelis filij Salathielis.

Abiud genuit Eliazim.

Eliazim genuit Azor.

Azor genuit Sadoc.

Sadoc genuit Achin.

Achin genuit Eliud.

Eliud genuit Eleazar.

Eleazar genuit Mathan.

Mathan genuit Iacob. Iacob autẽ genuit Ioseph uirum Mariæ.

De his nihil habetur in scripturis. De posteritate Iechoniæ, per Phadaian ducta, leguntur quatuordecim generationes, quæ, ut credibile est, ad Christi usq; tempora pertigerunt. De ea uerò quæ fuit per Salathielem, & filium eius Zorobabelem, populi ex Babylone Ierosolymam reuersi ducem, nihil habetur in sacris literis. Est autem uerisimile, posteritatem Dauidis certis uoluminibus diligenter fuisse comprehensam, de quibus tamen ad nos nihil peruenerit. Sed de patre Ioseph, uide Aug. lib. 2. Retract. cap. 7. 12. & 16.

Virum Mariæ.

Propter maritalem coniunctionem Ioseph dictus est uir uel maritus Mariæ, non propter carnalem congressum. Neq; enim illam maritaliter cognouit, ut in sequentibus audiemus.

Ex qua genitus fuit Iesus.

Non dicit, ex quo, sed ex qua. Non enim ex Ioseph, sed ex Maria uirgine genitus est Christus.

Oritur hic quæstio, cum Christus natus sit ex uirgine Maria de spiritu sancto, absq; ullo uirili semine conceptus, quomodo dicatur ex semine Dauidis secundum carnem esse natus, cum nihil acceperit ex Ioseph de quo scribitur: Quod fuerit de domo & familia Dauid, Lucæ 2. & Maria, ex qua natus est, uideatur fuisse de tribu Leui non Iehudah, eò quod ad eam dixerit angelus: Et ecce Elizabeth cognata tua: illa uero fuerit ex filiabus Aaron, Lucæ 1. Respondeo. Certitudinem hanc de Christo, quod natus sit ex semine Dauidis secundum carnem, & quod sedem Dauidis à patre acceperit, quam Euangelistæ tradunt, non debet hinc conuelli, quod Elizabeth dicitur cognata fuisse Mariæ. Potuit enim fieri, ut ex cognatis Mariæ quisquàm nubendo ad tribum Leui & cognationem Elizabeth transierit: uel, ut aut pater aut mater illius ad cognationem Elizabeth pertinuerint. Quod si quis igitur dixerit uideri Iosephum coniugem suam Mariam non ex tribu Iehudah sed Leui desumpsisse, illi certe obijci potest, credibilius esse, ut quisquàm ex Mariæ uel parentibus uel cognatis affinitatem cum tribu Leui contraxerit, ut ita Maria, non sine diuino consilio, & de tribu Iehudah fuerit orta, & tribui Leui cognata, è qua nasceretur Christus uerus rex & Sacerdos.

Hac de re Augustinus quæstionum super Iudicum lib. 1. cap. 47. ad hunc modum scribit: Solebant nubere fœminæ de alijs tribubus in alijs tribubus. Vnde & Saul cum esset de tribu Beniamin, dedit filiam suam homini de tribu Iudah. Et sacerdos Ioiada utiq; homo de tribu Leui, duxit filiam Ioram regis, hominis de tribu Iudah. Hinc factum est ut Elizabeth & Mariam cognatas in Euangelio legamus, cum fuerit Elizabeth de filiabus Aharon. Ex quo intelligitur de tribu Leui & filiabus Aaron aliquam nupsisse in tribum Iudah, unde ita fieret inter ambas illa cognatio, ut Domini caro non solum de regia, uerum etiam de Sacerdotali stirpe propagaretur. Consimili modo scribit & de consensu Euangelistarum lib. 2. cap. 2. Et lib. uno de 83. quæstionibus, cap. 61. Et contra Faustum Manichæum li. 23. cap. 9. ubi & historiam de Ioachim patre Mariæ apocryphan, à Fausto Manichæo inductam reijcit.

Ille qui dicitur Christus.

Christus Græcè, Meschiah Ebraicè, Latine unctus. Vngebantur reges & sacerdotes, & ungendo inaugurabantur. Itaq; unctionis dictio, ad regni & sacerdotij dignitatem usurpata est. Cum ergo Christus sit uerè rex & summus sacerdos, spiritu sancto adhoc unctus, ut esset rex & mediator inter Deum & homines, recte obtinuit inter Iudæos, ut Messiach diceretur, & inter Christianos Christus. Psalm. 2. Christus dicitur, & in Daniele Cap. 9. Esa. 61. de illius unctione legitur, qui locus Lucæ 4. à Christo ipso legitur & explicatur.

Admonet itaq; nos id cognominis, primum, quod sit rex noster qui nos ita gubernet ac regat, ut ne à principe quidem tenebrarum lædi queamus, et in regno ipsius æternis bonis cumulemur.

Deinde quod sit summus noster sacerdos, qui hostia corporis sui nos patri reconciliauit, & pro nobis ad patrem intercedit.

Tertio, quod in ipso facti simus reges ac sacerdotes. 1. Petri. 2.

Omnes itaq; generationes ab Abrahã usq; ad Dauid, generationes quatuordecim: & à Dauid usq; ad demigrationẽ Babylonicã, generationes quatuordecim: & à demigratione Babylonica usq; ad Christum generationes quatuordecim.

Omnes personæ ab Euãgelista in hoc generationum catalogo positæ ab Abraham ad Christum usq;, si hunc quoq; connumeres, numero sunt 41. Euangelista uerò tribus generationum ordinibus positis, singulis quatuordecim adscribit, quæ ternario multiplicatæ constituunt quadraginta duas. Ergo desideratur unius personæ generatio. Quod si Dauidẽ bis numeres, ut decimãquartam prioris classis, & primam secundæ generationem sustineat: deinde pari ratione Iosiam repetas, ut non solum secũdæ classis numerum expleat, sed & tertiæ principium faciat, constabit numerus generationum, ut non sit necesse Christum includere. Forsan non sine ratione non personas, sed generationes in has tres classes diuisit Euangelista, temporum magis quàm personalis numeri rationem habens. Nec immerito hi duo reges repetuntur Dauid et Iosias: quorum alter priori iudicum statim finem, & secundi qui regum fuit principiũ: alter secundi finem, & tertij, qui postea sacerdotum fuit, principiũ fecit. Non quod uel ipse uel posteri ipsius sacerdotium gesserint, sed quod in ipso regia dignitas, quæ certa & firma esset (filiorum enim illius postea nulli contigit, ut regia libertate potiretur. Venerunt siquidem in seruitutem aliorum regum) finem accepit, ut initium fieret tertij status, qui sacerdotum fuit, usq; ad Christum.

Quod si totidem personæ requiruntur quot generationes, opus erit, ut ubi legimus: Iosias autem genuit Iechoniam, legamus: Iosias autẽ genuit Ioiachim, in exilio Babylonico,

Babylonico. Vt Ioiachim, qui certe Iosiæ filius fuit, non Iechonias, ut supra admonui, secundæ classi finem faciat & Iechonias initium tertiæ, hoc modo: si Christum connumeres, habebimus personas & generationes pariter quadraginta duas, & constabit ternaria illa ordinum diuisio. Stapulensis scribit in uetusto quodam Græco exemplari legisse se ad hunc modum. Iosias autem genuit Ioiacim. Vel igitur hic Ioiacim, filius Iosiæ, fuit binomius Ioiacim et Iechonias dictus, quandoquidem 3. Esd. ca. 1. Iechonias scribitur Iosiæ fuisse filius. Vel scribæ uitio & negligentia pro Ioiacim positus est Iechonias.

Quid autem Euangelistæ rationis fuisse putabimus, ob quam uoluerit has generationes populi Israëlitici ab Abraham, cũ quo initũ est à Deo fœdus, quod nõ ipsum solum, sed & posteros includeret, ad Christum usq; , in quem destinata fuit promissa omnium gentium benedictio, in tres ordines & status diuidere, & singulis certum generationum numerum adscribere?

Vidit hoc Euangelista, quod ter completis quatuordecim generationibus, mutari debuerit huius populi status. Ab Abraham ad Dauidem usq; sub iudicibus. A Dauide usq; ad captiuitatem Babylonicam, sub regibus. A capt. Babylonica sub Pontificibus fuerunt. Ergo completis quatuordecim postremis à capt. Babylonica ad Christũ usq; generationibus, omnino tẽporũ dispositio exigebat: ut & ipse Pontificũ status ac regimen tolleretur, & fieret illius mutatio, per Christi aduentum: ita ut hic populus ab eo tempore nec sub iudicibus ordine subsequentibus, nec sub regibus, nec sub Põtificibus esset, sed prorsus alienæ dominationis principibus increduli subijcerentur, et in seruitutẽ eam, qua etiamnũ detinentur, conijcerentur, credentes uero in Christi regnum ueri iudicis regis, ac summi Pontificis absumerentur. De his generationibus uide August. lib. 22. de ciuit. Dei, cap. 30.

Christi autem generatio sic erat, &c.

Totus iste contextus unum hunc habet Euangelistæ scopum, ut declaret Christum Iesum, non Ioseph filium esse, ut Iudæi communiter tenuerunt, quemadmodum legimus eos dixisse, Matth. 13. Nónne hic est ille fabri filius? &c. Et Iohannis 6. Nonné hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem? Sed conceptum esse de spiritusancto et ex Maria quidẽ, matre illis nota, sed uirgine natum.

Istud autem quia erat planè nouum & inauditum, uisum est nõ simpliciter tradere, sed aliqua testimonia adiungere, quibus ista tria probaret, uel saltem credibilia faceret. Vnum quod Iesus non sit ex Ioseph semine natus. Alterũ, esse illũ conceptũ de spiritu sancto. Tertium non solum à uirgine conceptum, sed & ex uirgine natũ.

1 2 3 1

De primo. Quia supra in contextu genealogiæ dixerat: Iacob genuit Ioseph, maritũ Mariæ, ex qua genitus est Iesus, ille qui dicitur Christus. Ne putaretur hic Ioseph maritus Mariæ uerus esse Iesu pater. Primã in hoc est, ut ostendat Iesum in utero Mariæ conceptum esse, antequàm congressi fuissent. Vnde scribit: Cum mater eius Maria desponsata esset Ioseph, priusquàm conuenirent, inuenta est in utero habens. Nihil aliud his uerbis uolens, quàm probare ex Ioseph semine non esse conceptionem eam, quæ ante diem nuptiarum in utero matris inuenta sit. Et ut rem istam planius declaret, etiã ipsum Ioseph huius testem inducit, omnium certissimũ: qui cũ sciret illam à se non esse cognitam, atq; adeò ex semine suo nõ esse, quod ante diem nuptiarum conceptum in utero iam gerebatur, proposuerit sponsam se relicturum & clàm ab ea abiturum. Et ne putetur is ex animi leuitate illud ita tentasse, cõmemorat fuisse hominem iustũ ac Dei timentem, atq; ob id ipsum hoc relinquendæ sponsæ cõsiliũ cœpisse, quod iustus esset. Iam iusticia timorq; Dei non patitur relinquere coniugem desponsatam & grauidam, nisi aliunde grauida sit. Quod ergo uolebat Ioseph homo iustus sponsam suã iam ante celebratas nuptias grauidam iusticiæ & timoris Domini gratia relinquere, fortiter satis probat, eã à se nõ fuisse cognitã. Hoc ergo uult quod scribit. Porrò Ioseph maritus eius, quoniam erat iustus & nolebat illam infamare, uoluit clanculũ ab ea diuertere. Atq; huc etiã pertinẽt, quæ Lucas cap. 1. commemorat, quomodo mox à salutatione angelica cum festinatione ad cognatam suã Elizabeth profecta sit, & cum ea manserit menses tres, &c.

Iesum conceptum ex spiritu sancto.

Alterũ quod hoc loco tradit Euangelista necessario sequitur: nempe, cum Iesus non sit ex Iosephi semine conceptus, unde ergo sit conceptus. Videlicet de spiritu sancto. Atq; huius testem ac doctorem inducit angelũ, cœleste uidelicet testimoniũ adferentem. Erat quippe res inaudita, & nullius promissi exempli. Hinc dicit: Hæc aũt cum Ioseph in animo uersaret, ecce angelus Domini in somnis uisus est illi dicens: Ioseph fili Dauid, ne metuas adiungere tibi Mariã uxorẽ tuã. Nam quod in illa conceptum est, de spiritusancto profectũ est. Et ne uideretur esse merũ quoddam figmentũ & inanis illusio, adiungitur quis puer ille futurus sit, ut dignus fuerit non ex uirili semine, sed de spiritusancto concipi, quid acturus sit & præstiturus: nempe saluaturus populũ suum à peccatis suis. Atq; hæc omnia dicto prophetico corroborãtur ex Esa. ca. 7. nempe: Ecce uirgo concipiet & pariet filiũ, et uocabunt nomen eius Emmanuel, id est, nobiscum Deus. Robustissime itaq; rem hanc insolitam & magnã cœlesti testimonio, nimirum angeli, priscoq; apparendi more probat. Et ut causa esset quare oportuerit istũ ex spiritu sancto concipi, & nõn uulgari modo, additur commodissime conditio pueri futura, & ne putaretur rem agi fictam, declaratur spiritu prophetico iam olim ita prædictum hunc uirginis conceptum & partum.

2

Tertio. Ne putaretur etsi à uirgine conceptus, nõ tamen à uirgine natus, atq; ideò ad ipsum hunc prophetæ locũ non pertinere, suspitionẽ hanc tollit, cũ dicit: Excitatus aũt à somno Ioseph, fecit ut iniunxerat sibi angelus Domini, & adiunxit sibi uxorem suã, & non cognouit eam donec peperisset filiũ suũ primogenitũ. Vult enim ostendere, nec immorigerũ fuisse Ioseph cœlesti uisioni, nec tamẽ cognitam ab eo esse Mariã, donec natus esset Iesus, ita ex uirgine natus, ut ex spiritusancto in utero uirginis conceptus. Ista sunt uidelicet quæ ab Euãgelista hoc loco agũtur. Videamus iam, quæ nobis hinc sint notanda. QVAE NOTANDA SINT.

3

Iesum nõ esse ex Ioseph.

Cum esset desponsata.

1 Primum. Merito quæsierit quisquam, cur oportuerit Mariam desponsam esse, cum non esset ex marito conceptura, sed ex spiritu sancto.

Oportebat caueri scortationis probrum & suspitionem. Si enim quia maritũ habens peperit, Iudæi de Christo dixerunt: Nonné hic est filius Ioseph, quantomagis si maritum non habens peperisset, dicturi fuerant: Nonné hic est Iesus filius meretricis. Vt enim maritalis conceptio intelligitur, si maritata grauida appareat, ita si innupta gestet uterũ, & pariat illegituma & suspecta redditur cõceptio. Maluit ergo Deus, ut hæc uirgo maritalis conceptionis quàm meretriciæ & illegitimæ suspitionẽ incurreret. Admonemur igitur hoc exẽplo satius esse ut ueritas ad tempus lateat, quàm ut occasio offendiculi per speciem mali detur. Melius est in statu esse legitimo quàm extra hunc probri notam incurrere. At hodie Papistæ, malunt suis scortationibus & uaga libidine Christianum nomen probrosum reddere, quàm statum matrimonij licitum, legitimum, à Deo positum usurpare.

2 Alterum. Quanam ratione oportuerit Christũ non ex uirili semine, sed ex cœlesti illo, spiritussancti scilicet concipi, & non uulgariter, sed ex uirgine nasci. Ratio ista ab ipso angelo, paucis traditur. Nempe, quod oportebat eum fore saluatorem populi sui liberareq; illum à peccatis. Hoc certe fieri non potuisset, si & ipse natiuitatis peccatricis, quæ est ex uiri semine, particeps atq; adeò pollutus fuisset. Quod autem immunda esset ea natiuitas, quæ fieret ex uiri semine, ipsa circumcisio masculini membri declarabat. Adam enim peccauerat non Eua. Hoc est, ipsa transgressio, unde in omnes homines peccatum & mors deriuarunt Adæ, uidelicet ipsi capiti adscribitur, nõ Euæ. Atq; ideò immundus est quisquis ex ista radice per medium uirilis seminis nascitur, atq; adeò peccatis obnoxius, & filius iræ. Hinc Paulus dicit: Nascimur omnes natura filij iræ. Ephes. 2. Et Dauid: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Deinde, ut esset nihilominus uerus homo, & semen mulieris, & benedictum illud semen Abrahæ & Dauidis, caro de carne nostra, & os ex ossibus nostris &: esset quod pro peccatrici carne nostra offerretur, oportuit illum nasci ex homine, sed uirgine. Sed hac de supra dictum est.

3 Tertio obseruandum est, quæ temperantia desponsatorum & nubentium fuerit apud ueteres, & cautio ante diem iustarum nuptiarum & legitimi conuentus, non congrediendi. Si enim aliquid ad causam facit, quam sibi Euangelista priore loco probandam sumpsit: nempe ideò Mariam à Ioseph sponso suo non esse grauidatam & impregnatam, quod antequàm conuenirent inuenta sit in utero habens. Oportebit omnino tunc temporis eam fuisse castimoniam, & custodiam desponsatorum, ut piaculum fuerit illos ante diem legitimum nuptiarum congredi. Si enim istud fuisset liberum, non bene probasset institutum suum Euangelista. Nam mox potuisset obijci. Et quid est quod antequàm conuenerint, inuenta est in utero habens. An non potuit à sponso suo ante diem nuptiarum cognosci & impregnari? Sed hoc nostro seculo quæ inoleuerit impudentia, & quæ intemperantia, magis deplorandum est quàm recensendum. Atq; ideò tam casta iam habemus passim coniugia. Introducatur exemplum iunioris Tobiæ. Ridiculum est, quod plerumq; congressus non solum nuptias, sed & ipsam desponsationem præueniunt. Olim non habebantur rata talia matrimonia, sed planè adulterina. Maria cum esset desponsata, ut est Lucæ primo, quæ desponsatio facta est etiam ante salutationem angelicam, non mox iungitur sponso suo, sed primum abit ad cognatam suam Elizabeth, & cum illa mansit tres menses, antequàm domum reuerteretur. Tanta uidelicet fuit uirginis castimonia & temperantia, imò & Iosephi, qui eam non ad se coẽgerit mox post desponsationem.

Quarta obseruatio in eo est, quod Iosepho cœlitus 4
hoc grande mysterium de conceptione cœlesti & miraculosa Christi Iesu, deq; illius dispensatione & humani generis redemptione manifestatur, quod toti orbi erat incognitum. Qua in re uidemus quàm non deserat Deus eos, qui se timent, & quorum opera ad exequutionem consiliorum suorum uult uti: sed consiliorum suorum illis aliquam, etsi non omnimodam congnitionem tantam, tamen largitur, ut amplius perplexi non sint in negotio obeundo. Tametsi enim non erat Ioseph in hoc factus Mariæ sponsus, ut pater esset Iesu: tamen quia iura desponsationis & coniugij cogebatur illi coherere, illamq; tutari: & futurum erat, ut etiam periculis huius negocij gratia inuolueretur, essetq; iam in recipienda coniuge, hoc est, in obeundo negocio in quod inscius erat sed diuinitus delectus, penes se dubius & perplexus, non potuit committere diuina bonitas, ne uel angelo misso famulum suuum, quem hac in re sibi delegerat, instrueret, & peccatum redderet.

Admonemur itaq; hoc exemplo, quotquot à Domino in obsequium ipsius uocamur, ut nihil dubitamus, adfore illum nobis in omnibus, ad quæ uocamur. Etsi quid perplexi sese obtulerit, duntaxat manserimus in timore Domini, & regulam charitatis non excedamus, non aberit & nobis diuina declaratio, & cordium nostrorum pacificatio.

Et ut probè in hoc Iosepho expendamus ingenium eorum, quos ita Dominus uisitat, docet, & pacatos in rebus tristibus reddit, obseruandum est, ut sese hac in re habuerit Ioseph. Ex uno latere premebatur & cohibebatur timore Domini, ne sponsam suam dilectam aliunde iam grauidam, ad se sumeret. Suadebat ergo legis rigor ac motus, ut pœnæ permitteret, quam deprehendebat, non ex se, sed suspicabatur ex adulterio grauidam esse. Rursus ex alio latere, ne hoc faceret, prohibebat animus probus, & affectu dilectionis præditus. Cum itaq; quasi inter saxum & sacrum hoc pacto staret, uincebat affectus charitatis, ut quod in se esset, iudicio legis grauidam non sisteret. Et ne cogeretur contra legem facere illã ad se sumẽdo, quod non permittebat, timor dei quo erat præditus, hanc uiã clanculũ illã deserendi elegit. Qua quid quæso aliud feciſſet, nisi quod dũ grauidæ parceret, & nihil contra legẽ Dei etiam

Vide Aug. in Enchirid. ad Laur. ca. XXXVII. & Epist. LIIII.

etiam occultè faceret, in apertam sese ignominiam coniecisset, ab omnibus conspuendus, qui iuuenculam sibi desponsatam, & iam grauidam improbe deseruisset? At hoc uidebatur latu facilius, quàm uel contra legem Dei facere: si grauidam aliunde conseruaret, uel grauidam publicare, & infamem legis uindictæ obijcere. Dum itaq; grauidæ parcit, sibijpsi nũ erat parsurus, nisi interuenisset diuina bonitas.

Itaq; ad hunc modum animatis Iosephis reuera non defuturus est dominus. Sed quàm pauci sunt, qui hoc probitatis genere præditi sint. Pleriq; nostrum uel nimium sumus austeri prætextu timoris Domini: uel affectu amoris nimis indulgentes uel nobis uel alijs, ita ut contra legem Dei non uereamur subinde facere. Pauci sunt qui medium hoc iter ingrediantur.

In Maria quoq; obseruandũ est egregiũ innocentis animi, modesti, ac patientis exemplum. Sciebat se grauidã ex spiritu sancto, non ex Iosepho, neq; tamen inde insolescit, nec cuiquàm id aperit. Videt maritũ turbatũ, sed quid faceret? Non erat consultũ, ut secretum aperiret. Erat enim insolens, nullum tale præcesserat unquàm exemplũ, unde rei insolitæ fidem faceret. Imò magis animum Iosephi exacerbasset. Suspectã enim eam habuisset iam nõ de adulterio solũ, sed & de impostura. Quid igitur? Domino puella innocens et fidelis totã hanc causam & innocentiã suam committit. Cuius etiam prouidentia factũ est, ut Ioseph sponsæ suæ innocentiam ex angelo disceret, et de causa quæ gerebatur, instrueretur.

Discant hoc exemplo qui cum innocentes sint, mali suspitione laborant, & innocentiam suam probare nequeunt, ut Domino illam commendent, et interea uocationi suæ fideliter seruiant: bona spe fulti, futurum aliquãdo ut manifestetur rei ueritas. Sic Psal. 37. Deuolue ad Dominũ causam tuã & ipse faciet, & deducet iustitiã tuã, sicut solẽ, & iudiciũ tuũ tanquàm meridiẽ. Tale quid accidit etiã in Iosepho, in Aegyptũ uendito in ædibus Putiphari. Gen. 39. Et Susannæ, Dani. 13.

Rursum admonemur hoc loco, ut nõ facile certũ putemus, & tanquàm firmũ iudicemus, quod ex coniecturis colligitur utut uerisimilibus. Ioseph si deseruisset cõiugem suam, uel si eam prodidisset, tanquàm adulteram qualẽ eam ex coniecturis uteri grauidi putabat, grauiter peccasset. Cunctanter itaq; credendũ est cõiecturis.

Quinta obseruatio in eo est, quod licet ab angelo, teste uidelicet satis authentico, de mysterio regni Christi occulto, per uisionẽ instrueretur Ioseph. Ista tamen instructio non in sola uisione, & apparentis angeli nudo testimonio, sed adiuncto etiã sacræ & propheticæ scripturæ oraculo, facta est. Vbi admonemur, ne facile credamus quibusuis miraculosis uisionibus, neue quicquàm à quoquàm acceptemus non sacris scripturis probatum. Vult enim Dominus sacrã scripturam nobis esse quasi Lydiũ quendam lapidem, ad quem omnes omniũ reuelationes probemus. Quicquid illa non tradit, illa non probat, ut suspectum reijciatur. Vnde & Christus ipse licet miraculis plenus, & sancti Apostoli, omnem suam doctrinam scripturis sanctis probarunt.

Nemo igitur miretur, quod hanc cautionem tandem post maximam pietatis & ueritatis iacturam ad reijcienda superstitiosa quorundam somnia, et in posterum fugienda, usurpauimus, ne quicquàm recipiamus, quod non ex ipsis scripturis prodeat, & ne putemur hoc sine admonitione patrum facere. Audiatur quid Augustinus & Chrysostomus hac de re dicant. Augustinus libr. 3. contra literas Petiliani cap. 6. sic dicit: Proinde siue de Christo, siue de eius Ecclesia, siue de quacunq; re alia, quæ pertinet ad fidem uitamq; nostram, non dicam nos, nequaquàm comparandi ei, qui dixit: licet si nos, sed omnino quod sequutus, adiecit: Si angelus de cœlo uobis annunciauerit, præterquàm quod in scripturis legalibus et Euangelicis accepistis, anathema sit, Hæc August.

Et Chrysostomus in Epistolam ad Galatas Cap. 1. super illud: Quemadmodum dixi, & nunc iterum dico, &c. Abraham, inquit, cum esset rogatus ut Lazarum mitteret, dixit: Habent Mosen & Prophetas, si non audierint illos, neq; resurgentes mortuos audient. Cum autem ista dicentem inducit Christus, ostendit, quomodo scripturas sacras etiam excitatis mortuis fide digniores esse uelit. Paulus uerò (Paulum autem cum dico, rursus ipsum Christum dico. Nam is animam illius mouebat) angelis quoq; è cœlo descendentibus eas præponit, idq; ualde merito. Angeli siquidem, licet magni, serui tamen sunt & ministri. Omnes uerò sacræ scripturæ non à seruis, sed à Deo omnium Domino scribi iussæ sunt ac missæ. Hæc Chrysostomus.

Quæso te quid obtinuissent omnes impostores, si has sententias obseruassent maiores nostri? Rursus, qua ratione cogeremur credere homini peccatori, sine scripturis sua somnia docenti: si angelo de cœlis uenienti non est credendum, scripturis non consona adportanti?

Sexta obseruatio in eo est, quod dicit: Et uocabis nomen eius Iesum. Is enim saluum faciet populum suum à peccatis suis. Vbi primo notandũ est quomodo tribus quatuor uerbis omnem Christi dispensationem compræhendat, quæ in eo uno est, ut populum suum saluet. Et ne uideretur carnalis quædam salus fore, addit: à peccatis suis. Hoc est, ab ipsa radice malorum omnium liberabit eos. Sed hic quæritur, quomodo saluauerit nos à peccatis, cum adhuc peccatores simus, & nemo Christianorum audeat dicere se sine peccato esse? Respondetur: Ita sumus saluati, ut licet adhuc peccatores simus tamen peccati uenenum uires suas amiserit. Primum in eo, quod nos amplius non damnat, sic Rom. 8. Nihil damnationis est in illis, qui sunt in Christo Iesu. Deinde in eo, quod nos sibi subiectos amplius non habet, ut obediamus concupiscentijs eius, non existentes sub lege sed sub gratia. Rom. 6. Vigilanter itaq; obseruandum est, ut uirtus ista Christi saluifica in nobis ueritatem suam exercuerit. Oportet enim omnino uirus & uenenum peccati, si sub hoc Christo & saluatore sumus exhaustum esse, aliàs non bene de hoc medico gloriabimur.

Et obserua deinde, quomodo angelus una hac uoce deijciat omnem cultum legis, omnem opinionem Sacerdotum, & Pharisæorum, dum dicit uenturum demum esse qui populum suum saluet à peccatis. Quid ergo fuerunt omnia legalia, omnes patrum traditiones?

Tertio

Sic Lucæ. 1. angelus Zachariæ apparens & mirabilẽ partũ annuncians, inducit locũ ex Malach. cap. iij. de Heliæ aduentu. Et ad Mariam angelus inter cætera de Christo instruens sedẽ Dauidis introducit, admonens promissionis Dauidi factæ diuinitus.

Tertio obserua, quomodo non satis fuerit diuinæ bonitati mittere populo suo saluatorem, nisi ita studiose utriq; & Mariæ & Ioſepho de nomine Ieſu imponendo mandet. Quaſi non fuerit ſatis rem ipſam miſiſſe, niſi et conueniens nomen illi indat, ita ut omnia appareant ſummo ſtudio ad noſtram conſolationem eſſe compoſita et ordinata. Er muß nit allein der heylād ſein, Er muß ſein auch den namen haben. Iam ſcimus quo fine nomina indantur: nempe ut cognoſcātur ex nominibus, quorum uti uoluerimus opera.

Videmus hic quam non ſint inania & curioſa miracula Dei. Miraculū eſt quod uirgo peperit, ſed huius fructus eſt noſtra ſalus.

Septimo. Hoc totum inquit factum eſt. Hoc eſt, Non caſu, aut fortuito ſed conſilio diuino geſtū eſt. Quod enim Euangeliſta factū narrat, hoc olim dominus ipſe facturū ſe promiſerat, per os prophetæ Eſaiæ paucis conceptionis huius & nouitatem inauditam & fructum optabilem prædicens. Nouitas eſt: Ecce uirgo concipiet, et pariet filium. Quando enim auditū uirginitate ſalua concepiſſe ac peperiſſe uirginem? Fructus eſt. Et uocabitur nomen eius Emmanuel. Id eſt, nobiſcū Deus. Quid quæſo hoc fructu optabilius? Hic uirginis partus id nobis attulit, ut humano ſe generi Deus cōiunxerit in Chriſto. Nec putandū eſt ocioſam eſſe & infrugiferam iſtam coniunctionē, quæ primū nos Deo reconciliauit in Chriſto. 2. Cor. 5. deinde carnē noſtram ad dextram patris in cœlis collocauit, & ſupra omnia exaltauit. Tertio, etiā hoc attulit, ut in omnibus aduerſis fidēter dicere liceat: Si Deus pro nobis quis contra nos? Rom. 8. Poteſt etiam hoc nomē עמנואל Emmanuel ita Chriſto datū eſſe intelligi, ut de illius diuinitate teſtetur, quod Deus ſit. Hic uerò notandum eſt, quod non dicit, Et uocabitur nomen eius Deus, id quod admodum parum conſolationis haberet. Nihil enim inde nobis adhuc applicaretur, ſed: Et uocabitur nomen eius Emmanuel, nobiſcum Deus. Non ſolum Deus, ſed nobiſcum Deus. Nobiſcū, inquit, nō ſine nobis, non contra nos, ſed nobiſcū & pro nobis. Vt ſciamus hunc puerū nobis natum, nobis datū eſſe, ut et alibi Propheta dicit: Puer natus eſt nobis & filius datus eſt nobis. Deinde etiam hoc notandum eſt, quod non dicit, erit Emmanuel, ſed uocabitur nomē eius Emmanuel. Vt credentium fides, Chriſtum inuocantiū ut Deū, pariter & ipſa diuinitatis & humanitatis Chriſti declaratio exprimatur. Ex eo enim factum eſt, ut non ſolum eſſet Emmanuel, ſed pro illo etiam cognoſceretur, ſuſciperetur, inuocaretur & coleretur, quod diuina uirtute ad ſaluandum, & certis argumentis humanitatis, declarauit, ſe eſſe uerum Deum & uerum hominem, qui in nobis habitauit, & gloriam ſuam declarauit.

Vocatur itaq; Chriſtus Emmanuel à credētibus, qui illum confitentur uerum Deum, & uerū hominem, qui credunt illum in carnem noſtram ueniſſe uerum Deum, ut nobiſcum eſſet, & nos cum illo: ut eſſet caro de carne noſtra, & os ex oſſibus noſtris: ut nos ſibi inſolubili coniunctione coniungeret, & in ſempiternum ſaluaret: ut eſſet caput noſtrum, nos illius membra: ut eſſet ſponſus noſter, nos ſponſa: ut eſſet primogenitus Dei nos illius fratres, &c. Poſtremo. Et non cognouit eam inquit, donec peperit filium ſuum primogenitum: ergo cognouit eam poſt partum? Ergo illa poſt primogenitum, etiam alios ſubſequentes peperit? Non hoc agitur ab Euangeliſta. Dicit Mariam à Ioſepho ante partum non eſſe cognitam: ut maneat ueritas oraculi non ſolum concepiſſe, ſed & peperiſſe uirginem. Deinde dicit eam peperiſſe Ieſum primogenitum ſuum, non quod & alios poſtea pepererit, ſed ut doceat ante hunc nullū aliū eſſe ex illa natū. Totus in hoc eſt, ut Chriſti natiuitatem nobis exponat talem quæ ſit ex uirgine intacta.

Helmis.

Male colligit ex hoc loco Heluidius Mariam poſtea cognitā à Ioſepho, plures filios peperiſſe. Colligit enim primum præter Euangeliſtæ mentem ex uerbis Euangeliſtæ, deinde ipſa quoq; uerba non euincunt hanc ſequelam, qua de re uide Hieronymum.

CAPVT II.

POST deſcriptam Chriſti generationē ac natiuitatē, iam conſequenter hoc Capite Euangeliſta illius reuelationem, et quæ circa hanc per Herodis maliciam acciderunt, deſcribit, quæ omnia his capitibus comprehenduntur. Primo, quomodo Magi Orientales Chriſtum, quem ſtellæ indicio natū cognouerunt, Ieroſolymis quæſierint. 1
Altero. Quomodo Herodes eo nuncio turbatus, natū puerū aſtu è medio tollere conatus ſit. 2
Tertio. Quomodo Magi prophetico primū deinde & ſtellæ indicio Chriſtū puerum Bethlehem natū inuenerint, inuentū adorarunt, & poſt adorationem diuinitus admoniti, per aliā uiam in regionē ſuam reuerſi ſint. 3
Quarto. Quomodo Ioſeph per angelum admonitus cum matre & puero in Aegyptum fugerit. 4
Quinto, quanta cū crudelitate Herodes infantes bimulos occiderit. 5
Sexto. Quomodo Ioſeph per angelū poſt mortem Herodis in Iudæam ex Aegypto reuocatus ſit. 6

I. CHRISTI NATI REVELATIO.

Cum autem natus eſſet Ieſus in Bethlehem ciuitate Iudeæ temporibus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente acceſſerunt Hieroſolyma, dicentes: Vbi eſt ille, qui natus eſt rex Iudæorum? uidimus enim illius ſtellam in Oriente & acceſſimus, ut adoremus eum.

Poſt admirabilem natiuitatē, miraculoſa etiam reuelatio Chriſti ponitur. Aeſtimemus Chriſtū inſtar theſauri cuiuſdam abſconditi, omniumq; opulentiſſimi, cuius diuitiæ, utut inſignes & copioſæ nemini mortaliū, niſi reuelentur, proſunt. Non erat ſatis natū eſſe ſaluatorem terræ, niſi natus etiā mortaliū cognitioni reuelaretur. Recte itaq; hic noſter Chriſti natiuitati reuelationē illius ſubijcit, ut & in Luca factū uidemus Cap. 2. Illic ſcribitur Chriſti natiuitatē per angelos magno cum gaudio reuelatam eſſe paſtoribus: hic uerò per indiciū ſtellæ ad cognitionem ueniſſe Magorum Orientalium.

Cum natus eſſet in Bethlehem.

Lucæ primo legitur angelus in ciuitatem Galileæ nomine Nazareth, ad Mariam iam deſponſatā miſſus eſſe: Ergo habitatio illius erat non in Bethlehem, ſed in Nazareth ciuitate Galileæ. Per quam itaq; occaſionem Bethlehem uenerit, ut ibi Chriſtū pareret: hic quidem

taceatur

tacetur, in Luca uero Cap. 2. dilucide narratur. Oportebat autem ibi Christum nasci, propter prophetiam Micheæ, ut infra uidebimus. Erat enim ea ciuitas huic partui diuinitus propter Dauidis familiam, quæ ibi sedem habuerat, destinata.

Temporibus Herodis regis.

Hic est maior ille Herodes Hircani filius, de cuius regni initio Ioseph. libro antiquitatum Iudaicarum. 14. cap. 18. Huius temporibus iam senis, natus est Christus. Duos filios Herodes uocatos inter reliquos habuit, unũ ex Mariamne Pontificis filia, alterum ex Cleopatra Ierosolymitide, à quo Iohannes Baptista decollatus est, Christus irrisus, Iacobus occisus, & Petrus in uincula coniectus.

Ecce Magi ab Oriente.

Magi dictionẽ Persicam esse dicunt, qua Persæ suos sapientes & theologos uocent. Nec dictio ipsa nec conditio istorum uirorum aliquid habet coniecturæ, quod reges fuerint, ut uulgata tenet opinio.

Notandum est autem, quod Christi natiuitas Magis istis ueluti primitijs Gentium reuelatur, sicuti et Iudæis in pastoribus, quorum meminit Lucas. Ita scilicet mox à Christi natiuitate innuit diuina prouidentia natum esse regem ac Dominũ, qui ab utroq; populo & Iudæorum & Gentiũ adoraretur. Non enim credendum est hasce reuelationes duntaxat propter istos Magos & Iudæos pastores esse factas, qu. si nihil hic institutum sit diuinitus quod ad res in regno Christi futuras prospiceret. Præmonstrandum erat, id quod Christus etiam futurum prædixit, quod ab Oriente & ab Occidente uenturi essent, qui cum Abraham & Isaac recumberent in regno Dei. Et hic aduentus Magorum ab Oriente ad quærendum Christum, reuera nondum patefacto Christi regno admirabilis erat: unde & ab Euangelista non sine admirationis nota ponitur, cum dicit: Ecce Magi ab Oriente accesserunt Ierosolyma. Nominatim non ponit ex quibus Orientis locis uenerint, sed simpliciter ex Oriente. Vt indicet eos ex remotis & incognitis regionibus uenisse, quo Lectori mentem moueat ad cogitandũ de uirtute diuinæ prouidentiæ, quæ tam remotos homines ad Christi adoranda incunabula euocârit.

Accesserunt Ierosolyma.

Quoniam urbs illa regiam sedem habebat, putabant Iudæorum regem in ea natum esse. Hoc erat rationis iudicium. Quærebant in rebus amplis & loco illustri quem credebant regem esse natum. Verum falluntur. Destituti enim hactenus erant stellæ quam in Oriente uiderant indicio, atq; ideò rationis ductu Ierosolyma accesserunt. Sed Christus cœlestis ille rex regia loca suæ natiuitati non elegit, qui uenerat humilis in formam serui, deinde rationis iudicio non inuenitur, qui de cœlis reuelatus erat. Et hodie quoq; multi sunt, qui Christum in rebus amplis & urbibus regijs quærũt, sed nõ inueniũt.

Vbi est qui natus est rex Iudæorum?

Olim non erat nouum aut insolens Iudæis nasci regem, cum adhuc in ea Gente regum duraret prosapia. Hoc uerò tempore planè insolens erat quærere, ubi sit ille, qui natus sit rex Iudæorum. Tum enim non amplius nascebantur, sed per Romanos creabãtur Iudæis reges. Proinde necesse erat natiuitatem hic à Magis annunciari eius regis, qui de tribu Iehudah tum uĕturus erat, iuxta uaticinium Iacobi, cum esset sceptrum ablatum à Iudah. Hic erat Christus Domini. Gen. 49

Vocant eum regem Iudæorum, ignari adhuc futurum eum regem ac dominum totius terræ. Credebant futurum magnum aliquem sapientem, potentem ac reliquis illustriorem. Possibile est, prophetiam Bileam, de qua Num. 24. Orientalibus fuisse cognitã, aut alia illis fuisse uaticinia de Christo, qualia Sibyllarum circumferuntur. Neq; enim Iudæis duntaxat data sunt uaticinia de futuro Christo sed & gentibus. In uaticinio Bileam sic habetur. Orietur stella ex Iacob, & consurget uirga de Israël. Hæc Iudæorum regem pollicentur illustrẽ aliquem & insignem. Quid huic datur? Percutiet, inquit, duces Moab, uastabitq; omnes filios Seth, et erit Idumea possessio eius. Hæreditas Seir cedet inimicis suis: Israël uerò fortiter aget. De Iacob erit, qui dominetur et perdat reliquias ciuitatis. Ista prophetia quod ad literam attinet talia dat Christo, quæ insigni cuipiam regi, & admodum potenti competere possunt. Et quid mirum, si Magi nondum regni Christi rationem tenuerũt, cum illam ipsi quoq; Apostoli, etiam tum, cum iam adesset assumptio in cœlos, ignorarint, dicentes: Domine, num in hoc tempore restitues regnum Israeli? Num. 24.

Vidimus enim stellã illius in Oriente.

Astrorum studio deditos fuisse Orientales notum est. Deinde & hoc in confesso est, multam rerum siue præsentium siue futurarum cognitionem esse, ex stellarum & cœlestis cursus obseruatione. Est autem, quantum ad hunc locũ attinet, duplex astrorũ obseruatio. Vna certi illius et perpetui cursus syderum, Vnde obseruata sunt, neolunia, plenilunia eclipses cum solares tum lunares, certæ errantium stellarum coniunctiones, & si quæ huiusmodi sunt alia. Altera est rarior, qua si quid extra communem ordinem inter sydera cœlestia deprehenditur, quid portenti subsit, expenditur: ut cum Cometes, uel tres Soles, aut aliud quid huiusmodi inusitatum apparet. Solet enim Deus res magnas, ut regnorum mutationes, ingentes clades, & c. cœlestibus indicijs præmonstrare, de quibus plenæ sunt etiam Gentiũ historiæ. Huc pertinebat stella ista, quam Magi in Oriente uiderunt, insignem, singularem, inusitatã, & ut credibile est, omnium illustrissimam: unde facile colligi potuit, ortũ magni cuiusdam regis indicari. Quomodo uero cognouerint ex hac stella, in Iudæa natum esse regem, nõ liquet, nisi forsan illa recto cursu Iudæam uersus directa fuerit: uel speciali instinctu diuinitus huius admoniti sint, quod postremum mihi uerosimilius est.

Posterior hæc obseruatio rarissimos hodie sui studiosos habet. Requirit enim animum rerum diuinarum studiosum & obseruantem, & singularem numinis adflatum. Prior in abusum à nonnullis rapitur, qui nõ contenti quæ certa ars illa habet æditis libris spargere, etiã quæ ex illa disci nõ possunt, ut singulares clades, siue pestis, siue bellorum, siue fames: item magnorum regum

teritus

interitus, Pseudoprophetarum ortus & sectas, &c. magna temeritate certis annis minantur. Et cum inter se tam sint diuersi, tamq; innumeris modis fallāt Lectorē, tamen impune sua somnia æditis libris spargunt, & inueniunt qui cupide legant. Hi libelli præterquàm quod uulgi curiositatem alunt, multis sæpenumero malis occasionem præstant, iam olim digni quibus inter Christianos nullus esset locus.

OBSER.

Notatū est hoc loco à Chrysostomo, quæ sit diuinæ dispensationis ratio, quàm illa sese ad mortaliū captum in reuelanda ueritate demittat. Poterat Deus hos Magos misso angelo de Christi natiuitate docere, sicuti de pastoribus Lucas commemorat: sed maluit illis stellam destinare, è cuius conspectu hac de re instruerentur. Quare? Quia homines erant obseruandis stellis dediti. Re illis consueta usus est, ut per hanc eos ad cognoscendam Christi natiuitatem induceret. Admonemur hoc exemplo, ut & nos in lucrandis & instruendis hominibus ad hunc modum earum rerum rationem habeamus, quæ familiares illis sunt, quos lucratos cupimus, ut per has eos tanquàm notiores, ad ignotiora subducamus.

Sic Iohannes baptismate usus est, re Iudæis familiari, ad hoc, ut domino plebem pararet. Et Christus, cum piscatores uellet in Apostolatum uocare, per mirabilem piscium capturam eos in sui admirationem induxit, & de piscatore hominum instruxit. Sic Paulus occasione sumpta ab altari ignoti Dei, de uero Deo Atheniensibus loquutus est: sumptis etiam ad hanc materiā Poëtarum, quos illi familiares habebant testimonijs. Actor. 17.

Et uenimus, ut adoremus eum.

Græce est προσκυνῆσαι quod Ebræi חשתחוה uocant. Ea est adoratio, qua coram regibus & principibus in genua procumbitur, uel in faciem prouoluitur, more supplicum in signum subiectionis ac deditionis. Nihil hic agitur de adoratione illa, qua Christus à fidelibus, ut uerus Deus adoratur & colitur.

II. TVRBATI HERODIS FRAVdulentia.

Auditis autem his Herodes rex turbatus est, & tota Ierosolymorum urbs cum illo. Et conuocatis omnibus Pontificibus & Scribis populi, percōtatus est eos, ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudeæ. Sic enim scriptum
Michææ 5. est per prophetam: Et tu Bethlehem terra Iudah, nequaquàm minima es, inter principes Iudah. Ex te enim mihi proditurus est dux, qui gubernaturus est populum meū Israël. Tum Herodes clàm accersitis Magis, accurate perquisiuit ab illis quo tempore stella apparuisset. Et iussis ire in Bethlehem dixit: Profecti illuc, accurate inquirite de puero, ubi uerò inueneritis, renunciate mihi, ut & ego ueniam, & adorem illum.

Impium, tyrannicum, crudele, & subdolum ingenium describitur hac historia in Herode. Per Romanos fuerat homo obscurus, sed improbus & astutus, in regnum Iudaicum collocatus. Huic metuebat ab eo, quem scripturæ Prophetarum Iudæis regem, prioribus omnibus insigniorem, & qui omnibus inimicis suis dominaretur, pollicebātur. Vbi ergo rumorem nati iam Regis, quem Magi adferebant, audiuit, turbatur, metuens futurum ut à Iudæis per illius occasionem & potentiam è regno pelleretur. Ita solent Tyranni, ad quemuis rumorem, utcunq; leuiter ortum, tyrannidi suæ metuere, male sibi ipsis consciji de populo, quem non regunt, sed spoliant & opprimunt. Vt enim timeri malunt quàm amari, ita sciunt etiam exosos esse se illis à quibus timentur. Quem enim quisq; timet, perisse cupit. Et hoc malum, quod rex & timetur à subditis, & uicißim à quibus timetur de odio erga se suspectos habet ac timet, ex ira Dei est, propter peccata nostra. Dederat hunc Regem, imò Tyrannum, Iudæis, non Romanus imperator, Iob. 34.
diuinæ prouidentiæ minister, sed Deus, peccatis illorum irritatus, qui hominem hypocritam regnare facit propter peccata populi.

Obseruāda est autem hoc loco sors illa regis Christi, uenerat ad dandum credentibus regna cœlestia, non ad auferendum regnantibus in hoc seculo regna terrena, ut præter causam ex hoc rumore de nato Iudæorum rege, turbatus sit Herodes. At turbatus est, nimirum ex sinistra quam habebat de Christo opinione. Ad hunc planè modum ueritas Christi in hoc mundo in sensos habet eos qui rerum potiuntur: propterea quod regnis suis ab illa timent, cum doctrina illius non tollat principatus seculi, sed eos ex uerbo Dei confirmet, & ad gloriā Dei dirigat. Herodi forsan, ut turbaretur, etiam seditiosum Iudaici populi ingenium causam dedit, Verum inde non excusatur illius impietas quam erga Christum natum ostendit. Vtut enim seditiosus fuerat is populus, tamen omnibus frustra tentatis iugum subire coactus fuerat, qua in re satis declarata fuerat domini uolūtas, quod no luerit seditiosos Iudæorum conatus quicquam promouere. Vnde facile potuisset ponendi huc metum sumere occasionem, si aliquam iudiciorum & operum Dei rationem habuisset.

Ad eum modum & nostris temporibus non possunt excusari principes illi, & magistratus, qui ueritatis doctrinā opprimere, tanquàm seditiosam, conantur. Nam etiamsi non pauci seditiosi spiritus statum Reipublicæ turbare conati sint: satis tamen euidenter declaratum est, conatibus illorum nō astipulari prouidentiam Dei, quæ omnia illorū hactenus irrita reddidit, ut nihil inde iustæ occasionis habere queant doctrinæ ueritatis repugnandi.

Et tota Ierosolymorū urbs cum illo.

Quid huic causæ fuit, ut unà cum Herode propter hunc rumorem turbaretur? Aut timuerunt regno Herodis, aut timuerunt illius tyrannidem? Si regno illius timuerunt, ergo amarunt illum. Non est autem credibile quod tyrannum amārint. Si non amarunt non timuerūt etiam

etiam regno eius. Itaq; consequens est, ut metu tyrannidis illius paci ac rebus suis timuerint. Tanta namq; erat illius tyrannis, ut ad omnem illius occasionem urbs tota turbata sit. Ecce quæ potissimũ debebat ad hunc de nato Iudæorum rege rumorem gaudere & exultare, ea tota turbatur. Erat uidelicet iam in pace, & amans quietis, timebat futuros propter Christũ motus, atq; ideò unde debebat lætari, inde contristatur.

Ita uoluit Deus hoc nati Christi rumore per Magos allato isti urbi omnem contempti Christi excusatio nẽ adimere.

Verum & ipsa non minus quàm Herodes nihil habebat causæ unde turbaretur. Neq; enim quicquàm passura erat propter Christum, æque ac Herodes. Saluator uenerat Christus non rerum turbator. Ierosolymorum urbs cæca & iudiciorum Dei ignara, ruinam sui status propter reiectum Christum, & negatũ imperatori Ro. tributum metuere debebat, si sapuisset. At hic nihil erat metus unde omnimode interitus impendebat periculũ.

Hoc ingenio hodie multi sunt, qui ad rumorem illucescentis ueritatis non quidẽ ob id turbantur, quod eam in se cupiãt extinctam, sed quod tranquillitatem rerum illius nomine pessum ituram metuunt: & ipsi cæci, non animaduertentes hinc futurum certissimum exitium, si ueritas Dei repudietur.

Et conuocatis omnibus Pontificibus.

Audiuimus Herodis turbationem, audiamus etiam illius astum & hypocrisim. Poterat turbatus Magos urbe exturbare tanquàm seditionis futuros autores, homines peregrinos & ignotos. Poterat curare ut rumor hic tanquam autoribus haud fide dignis ortus, & Rom. imperio contrarius publico edicto compescereturr, decreta pœna & mulcta si quis eius meminisset. Verũ utut turbatus, nihil horum molitur, sed ad uulpina consilia (unde & à Christo uulpes dictus est) homo astutus conuertitur, uiam excogitans per quam nõ rumorem hinc, sed ipsum natum regem adhuc puerũ antequàm adolesceret, & in aliorum manus ueniret, è medio tolleret: quod putabat causæ suæ consultius, quàm ut sopito per uim rumore ipsum natum regem sineret adolescere, & sensim uires acquirere.

Hoc astuto consilio subdole primum cum Pontificibus & Scribis populi: deinde & cum ipsis Magis agit, ut ab illis locum Christi natiuitati diuinitus destinatum, ab istis uerò tempus nati pueri disceret: ita tamen ut neutra pars insidias animaduerteret.

Vide autem tyranni incogitatissimam impietatem. Vtrunq; quod cum à Pontificibus tum à Magis quærebat diuino iudicio constabat. Quod à Pontificibus scisscitabatur, erat ex scripturis propheticis, quod à Magis, erat ex cœlesti signo. Vtrobiq; numinis maiestas occurrebat, & tamen homo insanus putat se Deum posse fallere, & omnia diuina de Christo tam oracula quàm indicia irrita reddere. Quærit à Pontificibus ubi Christus nasceretur. Illi respondẽt ex propheta Micheæ: ubi non de loco natiuitatis tantum, sed & de regno Christi habetur uaticinium. Huius nullam habet rationem, contentus natiuitatis illius didicisse locum, id quod ad propositum uidebatur facere. Ita & à Magis de tempore stellæ scisscitatur, parum cogitans de eo qui stellæ indicio Christi natiuitatem reuelabat. Hactenus credit oraculo prophetico, & stellæ indicio, quatenus ad exequutionem conceptæ maliciæ faciebat, quæ inde auellere potuissent, prorsus negligit. Ita solent etiam hodie impij homines, sacræ scripturæ oracula discere, & usurpare, quatenus per obliquũ uidentur aliquo pacto ad propositũ impietatis & hypocriseos facere, quatenus uero ab illo poterant auocare, hactenus impudenti pertinacia respuunt.

At illi dixerunt: In Bethlehem Iudeæ. Sic enim scriptum est per prophetam: Et tu Bethlehem, &c.

Locus hic habetur Micheæ quinto, è quo Pontifices de loco natiuitatis Christi rogati, Herodi respondent. Quod autem dicunt: Et tu Bethlehem in terra Iudah, in propheta est, Et tu Bethlehem Ephrata. Hoc est, quæ olim uocabatur Ephrata. Vide Gen. 35. Mortua est, inquit, Rachel, & sepulta est in uia quæ ducit Ephratham hoc est Bethlehem. Quod autem Bethlehem à Pontificibus uocata est terra Iudah, ad differentiam, ut Hieronymus inquit: Alterius Bethlehem factum est, quæ est in Galilæa. Et Iudic. 19. legimus: Fuit uir quidam Leuites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit uxorem de Bethlehem Iudah, &c. Pontifices itaq; uidentur consulto pro Ephrata posuisse terram Iudah: propterea quod eo tempore uetus illud loci nomen ignotum erat, & ut aperto discrimine Bethlehem Iudeæ à Bethlehem Galileæ secerneretur. Sed uideamus uerba Prophetæ.

Propheta iucundatur spiritu in hac ciuitatula Bethlehem, propter Christum in ea nasciturum. Inducit Deũ ad eam ita dicentem, ut haud obscure ipse interea lætitiam animi sui, & affectus cordis gestiẽtis prodat. Et tu Bethlehem, inquit. Sermonem ad ipsum locum uertit, quod non caret affectu. Potuisset dicere: Et Bethlehem Ephrata, non est minima, &c. Sed ea loquutione nõ expressisset animi exultantis affectum. Deinde quod dicit, ut in Ebræo est, exigua es, ut sis in millibus Iudah & ipsum cum delitiantis animi affectu dictum est. Alioqui poterat simpliciter omissa illius tenuitate dicere: Ex te mihi egredietur dux, &c.

Interea uidemus, quomodo Deus quæ humilia sunt, et coram mundo exigua, ad res magnas deligat. Ita & Dauidem, minimum ex fratribus ipsius ad regiam dignitatem elegit. Deinde uidemus quanti fiant in oculis piorũ, quæ cum iuxta seculum humilia sint, tamen dono aliquo Dei insignita sunt. Quid habuit Bethlehem, exigua illa, et inter reliquas ciuitates Iudææ minima, unde tanti facta est à propheta? Natiuitatem scilicet Christi, eamq; omnium humillimam, et obscuram. Hoc nomine scilicet adeò magna est in oculis Dei, & prophetæ. Quid ergo apud Deum, & uere pios est, ubi regnum Christi pleno cursu obtinet? Ergo ubi quouis modo, uel aliqua regni Christi portio obtinet, etiam nobis debet is locus esse ob eam causam magnus & charus, quàmuis iuxta seculum sit contemptus. Vuitenberga

Qui gubernaturus est, inquit, populum meũ Israël) Non dicit: Qui loco meo regnaturus est, qui gloriam meam uindicabit, & gloriosus erit: licet & ista uera sint, sed, qui gubernaturus est populum meum. Supra

dixit angelis: Ipse enim saluũ faciet populũ suum à peccatis ipsorum. Vterq; locus omnino nobis gratiam Dei erga populum suum in Christo commẽdat, quem illi ducẽ & saluatorẽ misit. Ille pollicetur liberationẽ à peccatis, respiciẽs ad sacerdotiũ Christi. Iste gubernationẽ ac moderamẽ, respiciens ad regnũ Christi. Vtrũq; nobis necessariũ est, et utrũq; in Christo offertur & exhibetur.

Tum Herodes clam accersitis Magis.

Omnia plena sunt insidijs. Clam uocat eos ad se, ne quid de nato rege ad alios per eos emanet, & ne quo pacto cum alijs hac de re communicent, neue cauti reddantur per quenquam. Sic solent homines astuti, quorũ consilia sunt impia & peuersa. Nihil agunt apertè, nihil candide, nihil simpliciter, sed omnia tecte, & occultis conatibus, quia nemini fidunt.

Accurate perquisiuit ab illis quo tempore stella apparuisset.

Infra legimus: Interfecit omnes pueros qui erãt Bethlehem, & in omnibus finibus Bethlehemiticis, quotquot essent bimuli, aut minores, iuxta tempus quod exacte cognouerat ex Magis. Ergo in hunc finẽ truculẽtus homo & astutus, de tempore quo stella apparuerat, tam diligenter perquisiuit, ut si fidem fallerent Magi, nec reuerterentur, indicium haberet ætatis nati regis, secundum quod posset ita sæuire in quosuis eius loci infantes, ut ipsum inter eos Christũ, quem quærebat ad necandũ, unà occideret. Tantam scilicet crudelitatem, quam postea exequutus est, mox initio consiliorum suorum animo rex impijssimus concepit.

Et iussis ire in Bethlehem.

Ecce rex impius pio Magorum studio, licet aliud agat, hactenus seruit, ut locum illis nati regis indicet. Ita etiam bonis impij, suis conatibus prodesse coguntur.

Accurate inquirite de puero.

Vide, quamuis consilium occidendorum paris ætatis infantium animo iam conceperit, mauult tamen causam hanc ita instituere, ut uno comprehenso Christo parcere posset reliquorum multitudini. Ideò mandat Magis, ut diligenter de puero inquirant, & ubi inuenerint, ad se redeant & renuncient. Abhorrebat uidelicet etiam impij hominis conscientia tantam occidendorum infantiũ quotquot tempori stellæ respõderent, crudelitatem, atq; ideò huc tendit, ut si fieri per Magorũ indiciũ posset, ipsum Christum certo comprehenderet, & solo eo occiso reliquis parceret. Ergo etiam impijs morsus quidam est conscientiæ. Verum quia sunt mancipia satanæ, uincit in illis impietas. Ita Herodes postquàm nõ successit quod per Magos instituerat, conceptum, licet primũ abhorrente cõscientia, crudelitatem tandem parturit. Ita Saul cũ cuperet extinctũ Dauidem, nolebat hoc primum sua manu, sed opera aliorũ astute fieri, uerũ ubi id nõ fiebat, uincẽte impietate, conscientiæ morsum nõ solũ ipse illũ conatur interficere, sed et propter illũ 85. sacerdotes Dñi occidit, & ciuitatẽ eorũ mulieribus & parvulis, et quicquid in ea uiuebat, occidioni datis succẽdit. 1. Regũ. 22.

Renunciate mihi.

Ecce Magos Christũ quærentes, & adorare cupientes, astutus rex sibi obstringit, ut horum opera nihil tale opinantium, ad extinguendum Christum utatur. Mittat eos Bethlehem, iubet diligenter inquirere de puero, & ubi is inuentus fuerit, sibi renunciare, ut & ipse ueniens illum adoret, id est, occidat.

Tales Herodes iam olim habet Romana curia, quæ magno astu huc luctata est, ut omnium Magorum, id est eorum qui Christum annunciant, ministerio in suã nacta potestatem, gloriam Christi extingueret, & propriam statueret & confirmaret. Potestatem sibi sumpsit quosuis Christi ministros ad se uocandi, & quæuis iniungendi. Sumit sibi id iuris, ut omnes Christi Magos pro suo arbitrio mittat, & missos ad se reuocet, ut nemini liceat esse Christi prædicatorem, nec diutius liceat, quàm pro ipsius uoluntate. Quanquàm per gratiã Dei multi sunt inuenti, qui nec ex Herodis huius aula egressi sunt, ad Christum annunciandũ, nec ad eam reuersi.

Vt & ego ueniens adorem eum.

Hæc est illa uulpina, imò lupina pellis. Animus est, ut & ego ueniens occidam eum, & ipse in posterum, ut hactenus adorer. Verba uerò non ita, sed, ut & ipse ueniẽs adorem eum. q. d. Benefacitis, quod hũc regem quæritis, & adorare uultis. Futurus est enim magnus, agnosco & ob hoc ipse quoq; cupio illum agnoscere et adorare. Ita est hypocrisis diabolica. Aliud corde tegit, & aliud ore simulat. Intelligit non posse meliore compendio extingui Christum, quàm per huiusmodi simulationem. Ita solet satanas, ubi cupit extinctã ueritatẽ, satellites suos habet, quos in angelos lucis uertit, ut lucem extinguat. Cupit nocere Ecclesiæ & simulat profectum Ecclesiæ: cupit extinctam gloriam Dei, & simulat studium gloriæ Dei: cupit è medio sublatum cultum Dei, & simulat promotionem cultus Dei. Ita fidem bona opera, religionem, sanctimoniam, confessionem, remissionem peccatorum, satisfactionem, precandi studium, ieiunium, castitatem, obedientiam Dei, paupertatem spiritus, & id genus alia simulatione horum omnium hactenus, si non prorsus sustulit, reuera tamen labefecit.

Et nostris temporibus quid aliud agunt nonnulli ex magistratibus, qui cum Euãgelij cursum sistere cupiãt, cum hunc aperta impugnatione impedire nequeunt, astutia Herodiana dicũt: uenimus et ipsi ut adoremus eũ. Agnoscimus & ipsi ueritatem, & cupimus eam promotam. Et hoc pacto impetrant, ut in ipsorũ manus omnis administratio promouendi Euangelij ueniat. Hanc nacti callide omnia ita instituunt, ut sensim extinguatur ueritas, atq; ita obtinẽt, quod nulla aperta persequutione unquàm obtinuissent. Hi sunt pessimi Herodes, contra quos summa diligentia uigilandũ est Christi ministris, et curandũ, ut si nihil contra eos aliud possunt, uel hoc caueant, ut ad eos non redeant, nec ueritatẽ illis prodant.

III. CHRISTVS INVENITVR ET adoratur.

At illi audito rege profecti sunt. Et ecce stella quam uiderant in Oriente, præcedebat illos, donec progressa staret supra locũ, in quo erat puer. Cum aũt uidissent stellam·

ſtellã, gauiſi ſunt gaudio magno ualde. Et ingreſſi domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & proſtrati, adorauerunt illum, & apertis theſauris ſuis, obtulerunt illi munera, aurum, & thus, & myrrham. Et oraculo admoniti in ſomnis ne reuerterentur ad Herodem per aliam uiam reuerſi ſunt in regionem ſuam.

Expenderunt hic alij quibus modis credibile ſit Magorum fidem tentatam eſſe. Primum, quod Ieroſolymis natum regem non inueniunt. Deinde, quod uident urbem rumore nati regis quem adferunt non lætari, ſed turbari etiam. Tertio, quod Bethlehem proficiſcentes nemo comitatur. Quarto, quod ubi illum inueniunt, omnia regiæ ſunt Maieſtati diſformia. Verum in his omnibus non defuit ille, qui eos indicio ſtellæ ad hanc profectionem excitauit.

At illi audito rege profecti ſunt.) Ignorabãt prorſus maliciam Herodis, ſed ſimpliciter omnibus quæ ab eo audierant, fidem habebant. Et ueriſimile eſt eos ad impium tyrannum reuerſuros, et imprudenter operam ſuam ad perdendum Chriſtum per indicium de puero inuento, impenſuros fuiſſe. Atq; ideò, ut audiemus, diuinitus admonentur, ne ad Herodem reuertantur. Iuſſi ab Herode proficiſci Bethlehẽ, ex oraculo prophetæ, proficiſcuntur, adhuc ignari, quibus ſint indicijs puerum inuenturi et agnituri. Verum committunt hoc Deo, & ſimplici animo Bethlehem petunt.

Et ecce ſtella quam uiderant in Oriente, præcedebat illos.) Quæri poſſet die ne an noctu ſtella proficiſcentes Magos præceſſerit. Si die, uerè inſolẽs fuit ſtellam per diem mortalibus eſſe conſpicuam. Si per noctem, ergo oportebat Magos occulte Bethlehem proficiſci, quod forſan ita placuiſſet Herodi. Verum quicquid hic ſit, uidemus hoc exemplo Deũ non deeſſe Chriſtum quærentibus. Cum Ieroſolyma ueniſſent, nec quicquam de nato rege reperiſſent: hoc tamen inuenerunt, ut didicerint quo loco naſci debuerit Chriſtus. Ita Ieroſolyma egreſſis, mox comparet index ſtella, quam prius in Oriente uiſam facile cognoſcerent, cuius ductu puerum inuenirent. Ita ſolet Deus uias ſuorum dirigere. Sic populum ſuum duxit per columnam nubis per diem, & per columnam ignis per noctem.

Donec progreſſa ſtaret ſupra locũ in quo erat puer.) Duo indicia de loco natiuitatis Chriſti pulchre concordant, oraculum ſcilicet prophetæ, & ſtella uiæ moderatrix. Ita oportet omnino, ut reuelationes cœleſtes ſcripturis cõcordent. Ieroſolymitani ſcripturæ literam habebant, & hanc memoriter tenebant, ſtellæ tamen, id eſt, cœleſti indicio carebant. Ità hodie multi ſcripturæ literam probè tenentes, Chriſtum non quærunt ex animo, atq; ideò recte cœleſtis gratiæ ductu deſtituuntur. Orandum igitur, ut oraculis ſcripturæ accedat cœleſtis reuelatio, & cœleſti reuelationi oraculum ſcripturæ. His mediis reperitur Chriſtus, qui nunquàm rationis humanæ conſilio reperitur.

Videntes autem ſtellam gauiſi ſunt gaudio magno ualde.) Quare gauiſi ſunt tantopere? Primũ quod cõfirmabãtur iam in natiuitate regis quem quærebant, uidebant ſe non fruſtra tantũ iter confeciſſe. Deinde, ne errarent in puero quærendo, uidebant ſe diuinitus duci. Sentiebant cœpto ſuo cœlitus adſpirari. Horum gratia merito gaudebãt. Sed hinc facile colligi poteſt, quod animis nonnihil turbati fluctuauerint, antequàm ſtella illis appareret. Ex eo mœrore uoluit eos Deus eximere per apparitionem ſtellæ, & ex mœſtis facere uehementer gaudentes. Ita ſolent pij peracta tẽtatione indicibili gaudio affici, quando iucundiſſimũ diuini fauoris ſplendorem recipiunt, quo ſibi tentationum tenebris adobruti hactenus deſtituti uidebantur. Ad hunc modum & Iacobo poſt metum fratris Eſau, & luctam nocturnam cum angelo, ortus eſt ſol. Gen. 32. Non ſolum autem hoc agebatur per apparitionem ſtellæ, ut ducerentur ad locũ nati pueri, & excuſſo mœrore exhilararentur, ſed ut et contra tenuitatis & humilitatis quam in puero, et parentibus deprehenſuri erant, cœlitus præmunirentur. Vnde & factum eſt, ut confirmata fide inuentũ puerũ, nihil illius humilitatẽ auerſati, adorauerint. Sic ſolet Deus ſuos in mediis tentationibus ueritatis, et gratiæ ſuæ lucem ad hoc mittere, ut de præteritis ſuperatis gaudeant, & ad reliqua imminentia præmuniantur.

Et ingreſſi domum inuenerunt puerum.) Quæ domus illa fuerit non meminit hic noſter, Lucas uerò natiuitatem Chriſti deſcribens, dicit: Peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diuerſorio. Quod ſi in hoc diuerſorij loco puerũ inuenerunt, reuera opus habuerũt cœleſti confirmatione, ne cũ loci, tum parentum, qui & ipſi aduenæ erant, abiectione offenderentur. Verum ſpiritalibus fidei oculis hæc domus plusquàm regia uideri potuit. Neq; enim æquum erat ut locus nato regi, ſed ut natus rex loco ſplendorem & æſtimationem adferret. Vnde haud immerito Hieronymus hanc domum celebrans, dixit: Et puto hic locus ſanctior eſt Tarpeia rupe (Romanum capitolium, quod nunc caſtrum Angelicum uocant intelligens) quæ ſæpius de cœlo fulminata oſtendit, quod Deo diſpliceat.

Hieronimus Tarpeiam Ruperi Monoris eſtimat locũ Natiuitatis Christi.

Et proſtrati adorauerunt illum.) Hic mos eſt Perſicus, ut reges à proſtratis adorentur. De adoratione ſupra dixi.

Et apertis theſauris ſuis, obtulerunt illi munera.) Et hoc ex conſuetudine fecerunt, qua ſolebant noui reges paſſim muneribus, præſertim auro, thure, & myrrha, coli & agnoſci. Vide hiſtoriam Salomonis & Pſal. 72. Conueniebant autem hæc tria potiſſimum regibus. Aurum propter regiam dignitatem, & adminiſtrationem. Thus ad cultum Dei. Nam thure Deo litare ſolebant. Myrrha ad ſepulturæ ſplendorem. Ponit Hieronymus myſticam horum donorum rationem unico uerſiculo compræhenſam: nempe iſto. Aurum, thus, myrrham, regiq; hominiq; Deoq;. Verum eſt, non inepte commodantur iſta Chriſto Deo, regi, & homini. Verũ an ſtatim Magi talem agnouerint, & hæc munera iſta

tatione obtulerint, non est firmum. Interea uidemus etiam hoc loco, quàm commode parentum Iesu tenuitati ad futurum Aegyptiacum exilium his muneribus Orientalibus consulatur. Magna quidem subeunda est humilitas, tenuitas, & nonnunquàm exilium etiam, ijs qui Christum in pectore circumferunt, bono tamen hoc exemplo iubentur esse animo, ne dubitent suis adfuturam & consulturam necessitatibus diuinam prouidentiam, etiam si sit ex Oriente adferendum unde uiuatur. Honos Christi, est adfluctorum fidelium alimonia. Nunquàm deerit Christo suus honor, etiam in gente omnium infidelissima, ideò nunquam deerit fidelibus, unde propter Christum alantur.

Et oraculo admoniti in somnis.) Diuina consilia non sunt curiosè inuestiganda. Cur Magos istos per hanc rationem noluerit ad Herodem redire, facile intelligimus. Cur autem non alia uia puerum seruauerit, quæ plus habuisset miraculi, & natiuitatem illius amplius reuelasset, & illustrasset, non est curiosè perquirendum. Quæ diuinitus geruntur, id honoris & reuerentiæ exigunt, ut occultas illorum rationes nõ inuestigemus temerè. Noluit Deus optimos Magos, uiros synceros & innoxios, ad impium redire tyrannum. Ad quem absq; dubio nihil mali suspicati pro sua integritate, & fide reuersi fuissent, ne malitiæ illius uel per imprudentiam ministri fierent. Nec ille dignus erat cui fides seruaretur ad impietatem. Et iustius erat ut cœlesti admonitioni obtemperarẽt, quàm insidiosæ Herodis petitioni. Quod ad illustrandam Christi natiuitatem, & magis iam ac magis reuelãdam attinere uideri poterat. si Ierosolyma reuersi, quæ in itinere proficiscentibus acciderant, quomodo stella, quam in Oriente uiderant, præeunte, & domum signante natum Iudæorum regem inuenerant, publico rumore nunciassent, cohibenda est nostra ratiocinatio. Satis indicij accepit Ierosolymorum urbs de nato Christo, si illo recte uoluisset uti, & non magis inde turbari quàm lætari. Deinde non erat consultum, ut ei populo copia fieret aliquid propter recens natum Christum seditiosius tentandi. Expectandum erat tempus prædicationi & miraculorum uirtuti destinatum, quo regnum & aduentus Christi multo præclariùs, & maiore cum fructu manifestaretur, quàm mox ab illius natiuitate. Ideò consultius erat, ut iam post adorationem Magorum omnia in tenebras irent, et rumor de Christo nato euanesceret.

Per aliam uiam reuersi sunt in regionem suam.) Quæri poterit hìc, cur per oraculum admoniti non sint, ut non reuerterentur in suam regionem, quæ gentilis & sine Deo erat in mundo, sed cum Israële populo Dei manerẽt, uel quare ipsi non ultro hoc tentauerint, sicuti de Ruth Moabitide legimus? Ephes. 2.

Primum, ipsi Magi hunc animum habere non poterant, haud parum ut credibile est, corrupto huius populi statu offensi.

Deinde nec Deus id uolebat, ut tentarent, imò magis admonuit, ut ad suos reuerterentur. Iudaismi non finis aderat. Religio illius corrupta erat. Nec dum tempus aduenerat reuelandi regni Christi. Et quoniam breui futurum erat, ut cognitio Christi ad Gentes per Euangelij prædicationem ueniret, conueniebat ut illi per hos Magos & ipsorum posteros qualiscunq; uia pararetur.

HII. IOSEPH PER ANGELVM ADMONITUS, FUGIT IN AEGYPTUM.

Digressis autem illis, ecce angelus Domini apparet in somnis Ioseph, dicens: Surge & assume puerum, & matrem illius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi donec dixero tibi. Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Ille uerò excitatus, assumpsit puerum & matrem eius noctu, & fugit in Aegyptum, & fuit illic usque ad obitum Herodis, ut perficeretur quod dictum fuerat à Domino per Prophetam dicentem: Ex Aegypto uocaui filium meum.

Hæc est altera Iosephi tentatio & tribulatio in hac Christi causa. Prima fuit interna illa quam ob uterum sponsæ aliunde impregnatum, antequam de ueritate ab angelo edoceretur, anxius ferebat. Hac superata, ecce adest iam altera, externè ab Herode intentata. Verum ut in priore benignam erga se prouidentiam Dei, sensit, ita illam & in hac altera misso angelo experitur per quem quid agere debeat docetur. Vt uerum sit illud Dauidis. Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripit eos, &c.

Fuge in Aegyptum.) Fugere infirmorum est, & timidorum, & speciem habet, animi male sibi conscij. Quidigitur iubetur puero per fugam consulere, cum is posset statim illo momento perdere Herodem?

Verum non uenerat ad perdendum quenquàm, sed ad saluandum omnes. Ita etiam Christus discipulis suis respondit Lucæ nono. Induerat carnis infirmitatem, ideò non erubescit primus facere, quod posteà suos docturus est, cum dicet: Si persequuti uos fuerint de ciuitate una, fugite in aliam. Ob eam causam maluit fugere quàm per miraculum Herodi resistere. Nec perpetuo uerum est, quod qui fugit, propter impotentiam uel malam conscientiam fugiat. Fugiunt plerunq; & potentiores, ne cogantur non fugientes aduersarios suos perdere: quorum fuga non fuga est, sed temporaria cessio, qua plerunq; sapientes stultorum solent importunis conatibus cedere, illosq; cedendo irritos reddere.

In Aegyptum.) Cur in Aegyptum? Poterat ne fugere in Iudæam, inq; ea alicubi latitare? In Aegypto non erat facultas Herodi inquirendi de latebris pueri, utpote in aliena ditione, in Iudæa uerò fuisset. Deinde fiebat hoc iudicio Dei, ut ostenderetur futurum, ut regnum Dei Iudæis ablatum, transferatur ad Gentes. Et alioquì Aegyptus uicina Palestinæ, ad fugam commoda erat. Adhæc oportuit impleri scripturam quam hic ponit Euangelista.

Ergo Christo nullibi minus loci est, quàm apud populum

pulum hypocritam. Iudæi ſpeciem habebant ſanctimoniæ præ omnibus gentibus in toto orbe. Aegyptus plena erat ſuperſtitionum & idolorum, & tamen Chriſto cum è Iudæa fugaretur, locus paratur in Aegypto. Ita hodie uidemus Euangelij ueritatem repudiari à ſanctulis, & hypocritis, & recipi à peccatoribus.

Bene eſt. Si Iudæa pellit, ſuſcipit Aegyptus. Si cognati pellunt, ſi patria abijcit, ne deſperemus, dabitur locus intra aduenas. Si pellit Europa, ſuſcipiet Aſia. Dauidem è Iudæa pulſum ſuſcepit Paleſtina. Ioſephum à fratribus uenditum, fouit, imò uehementer euexit Aegyptus. Elias pulſus, alitur à coruis, deinde à uidua quadam, in Sarepta Sidoniorum. 1. Reg. 17.

Et eſto ibi, uſq; dum dixero tibi.) Hanc illi angelus conſolationem adijcit, ne putet ſe in Aegypto perpetuo hæſurum exilio, quod illi abſq; dubio graue fuiſſet. Ideò non dicit, & illic mane & uiue, uel illic habita: ſed eſto illic donec dixero tibi. q. d. Non negligam te ibi. In tempore admonebo, quando debeas in patriam reuerti. Habent iſta etiam cautionem, ne Ioſeph ſuo aliquando arbitrio reditum ad patriam tentet, & exilium præter conſilium Dei ſoluat.

1 Admonemur hoc exemplo, ut in adflictionibus conſtituti, patienter manum Domini expectemus, quæ inde
2 liberet. Deinde, ne dubitemus eandem nobis in tribulationibus adfuturam cœleſtis patris prouidentiam, quæ in illas nos etiam inducit. Ille qui dicit: Abi & fuge is etiam in fuga conſtitutos nunquàm deſeret, ſed in tempore reducet.

3 Sed cur Herodes non ſtatim plaga Domini percutitur, ut neceſſe non fuerit diu in Aegypto retineri Ioſephum? Iniquitates illius nondum erant completæ, ſicut de gentibus Cananæis legimus, Gene. 15. Interea ferendum erat Ioſepho exilium, donec omnium iuſtiſſima plaga, completis ipſius iniquitatibus, è medio tolleretur Herodes. Quemadmodum & filijs Iſraël in Aegypto manendum erat, donec & Pharaonis malitia, & Cananæorum iniquitates conſummarentur, ut perderentur.

Futurum eſt enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.) Atqui Herodes non ita dixerat ad Magos, ut & ego ueniens perdam eum, ſed, adorem eum. Verum angelus mentem illius tenet cum dicit: Futurum eſt, ut quærat puerum ad perdendum eum. Nihil eſt abſconditum à Domino. Fefellit Magos impius hypocrita, Deum non fefellit, qui principum conſilia nouit, & diſſipat. Quàm miſeri eſſent pij, ſi Dominum impij hypocritæ fallere poſſent?

Notandum & hoc eſt, quod non dicit: Futurum enim eſt, ut Herodes perdat puerum, ſed ut quærat ad perdendum. Hoc exemplo delineantur nobis omnes impiorum irriti aduerſus hunc Chriſtum conatus, quem dum perdere uolunt. Nihil aliud faciunt, quàm ut perdere conentur, ſed fruſtra, cum perdi nequeat à quoquàm, qui tandem omnes impios æterno ſupplicio perdendos dabit.

Idem ſentiendum eſt de iuſtis ac pijs omnibus, quos impij fruſtra querunt perdere, ob id quod à Deo deſeri nequeant. Sic ſcriptum eſt: Impius quærit mortificare iuſtum, ſed Dominus non derelinquet eum in manibus eius. Quid igitur eſt furor impiorum contra iuſtos, quàm fruſtraneus quidam, & ſolis ipſis pernitioſus conatus? Herodi permiſſum quidem fuit, ut malitiam & impietatem mente conciperet: conceptam aleret ac parturiret, ſæuiret, ac fureret, ſimularet pietatem, diſſimularet impietatem, & conceptam malitiam, ſed ut quod uolebat, & mente conceperat, perficeret, hoc illi permiſſum non eſt. Ita uſuuenit & Pharaoni, & Sauli, & contingit omnibus tyrannis, concipiunt iniquitatem, parturiunt calamitatem, ſed pariunt שקר, id eſt in partu deficiunt, ut non uiuat, quod tanto molimine parturierant. Pſalm. 37. Pſalm. 7.

Excitatus, aſſumpſit puerum, & matrem eius nocte.) Noctu fugit, fugere iuſſus ſimpliciter ubi mentem Domini cognouit, ut fugeret: qua potuit uſus eſt induſtria ut caute fugeret. Non cogitauit, quid refert quomodo fugiam? Qui me fugere iuſſit, defendet etiam fugientem, ne incidam in manus Herodis. Hoc fuiſſet tentare Dominum. Pij utuntur ſua induſtria, etiam ſi non dubitent nihil ſibi poſſe præter mentem Domini accidere. Sic Magi non qua uenerant, ſed per aliam uiam in regionem ſuam reuertuntur. Sic Dauid ne in manus Saulis incideret, mille modis propria ſibi induſtria cauit, licet ſciret ſe diuina protectione defendi, & ſeruari, et ſine illa omnes conatus elabendi fore fruſtraneos, non ignoraret.

Fuit illic uſq; ad obitum Herodis.) Sabellicus hiſtoriographus ſcribit Ioſephum cum Maria, & puero Ieſu in Aegypto ſeptem annos exulaſſe. Tantum ſcilicet temporis adhuc debebatur implendæ Herodis malitiæ. Vbi locorum in Aegypto ſeſe continuerint, & quàm illic fuerint accepti: item an nihil miraculorum acciderit circa illos, & quæ alia ſunt huiuſmodi, quoniam ab Euangeliſtis non ponitur, à nobis etiam curioſius inueſtigari non debet.

Vt perficeretur quod dictum fuerat à Domino per prophetam,) Hoc non ita legendum eſt, quod Ioſepho ob id in Aegypto uſq; ad Herodis obitum manendum fuerit, ut ex illa mora prophetæ dictum adimpleretur. Poterat enim etiam ante obitum Herodis reuocari ex Aegypto, ut nihilominus propheticum hoc dictum adimpletum eſſet.

Locus hic Hoſeæ 11. legitur de Iſraëlis erga Deum ingratitudine. Puer, inquit, erat Iſraël, & dilexi eum, & ex Aegypto uocaui filium meum. Hæc ſunt, quemadmodum & ſequentia quædam, exprobrantis, non uaticinantis. Subijciuntur minæ de captiuitate Aſſyriaca, eò quod nolit Iſraël conuerti. Quomodo igitur hic locus, cum non ad futurum aliquid proſpiciat propheta, ſed reſpiciat ad eductionem Iſraëlis ex Aegypto, faciatque Deum exprobrare Iſraëli liberationis Aegyptiacæ beneficium, per Euangeliſtam præſenti Chriſti exilio adaptatur, inq; illo adimpletus eſſe ſcribitur?

Tribus modis aliquid adimpleri dicitur. Vno, quan-

do impletur, quod futurum olim prædictum est. Sic implentur uaticinia. ut illud: Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem. Et: Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto, & quæ alia per Prophetas prædicta, in Christo sunt impleta.

Altero, quando quod fit, simile quiddam habet cum re aliquando præterita, ut hoc loco. Quum Christus ex Aegypto reuocaretur, reuocabatur ex Aegypto filius Dei, multo uerius quàm cum Israël ex illa reuocaretur. Propter similitudinem itaq; facti utriusq;, dicitur dictum illud: Ex Aegypto uocaui filium meum, hic adimpletum esse licet plurimum sit discriminis inter Israëlem à Deo in filium adoptatum, & inter Christum filium Dei naturalem, & unigenitum.

Tertio modo, quando res eadem iterum atq; iterum impletur, ut illud: Auribus audietis, & non intelligetis, de quo infra 13. & Actorum ultimo, quod etiam prophetæ tempore in Iudæis impletum fuerat. Et illud: Populus hic labijs me honorat. Impletum fuerat tempore prophetæ, & postea iterum tempore Christi, ut infra cap. 15. Videbimus, & hodie quoq; in falso Christianis, & papistis hypocritis impletur. Sic & illud 1. Timoth. 4. de ijs qui coniugium, & cibos quosdam uetant, in Tatianis quidem uerum, & postea in tyrannide Pontificis Romani impletum est.

V. HERODES SAEVIT.

Tum Herodes ubi uidit sibi illusum esse à Magis, indignatus est uehementer, ac missis satellitibus interfecit omnes pueros, qui erant Bethlehem, & in omnibus finibus Bethlehemiticis, quotquot essent bimuli, aut minores, iuxta tempus quod exacte cognouerat ex Magis. Tunc perfectum est quod dictum fuerat ab Hieremia propheta, cum ait: Vox in Rama audita est, lamentatio, ploratus & fletus multus, Rachel plorãs filios suos, & noluit consolationem admittere, propterea quod non sint.

Hæc tria habent. Primum est, quàm immani crudelitate in Bethlehemiticos infantes Herodes iratus sæuierit. Alterum, unde motus in hanc iram exarserit. Tertium est, locus prophetæ isto facinore adimpletus.

Vbi uidit sibi illusum esse à Magis.) Reges ferre non possunt, ut sibi illudatur. Habent autem plerunq; pro illusione, ubi uotis ipsorum non obsequundatum fuerit, præsertim, si spes illius sit facta. Colligunt enim certum indicium esse contemptæ Maiestatis, & nihili æstimari ipsorum indignationem: quasi irritati parum lædere possint, & potestatem non habeant necis, & uitæ. Ita Herodes ubi uidit ad se non esse reuersos Magos, collegit impositum sibi, & illusum esse ab illis, atq; ob eam causam in hunc furorem exarsit.

Quid igitur? Magi ne illusores regiæ potestatis fuerunt? Nequaquàm. Non est piorum illudere Magistratibus, imò ne ulli quidem hominum. Igitur Euangelista non quid Magi fecerint, sed quid Herodes sibi factũ ab illis suspicatus sit, scribit. Quòd enim ad illum reuersi non sunt, non est fraude aliqua, & contemptu factum, sed ex admonitione diuini oraculi. Alioqui ad illum reuersuri, & fidem seruaturi erant, nisi obstitisset diuinum oraculum.

Interea tamẽ falsus est Herodes. Recte. Dignus erat impius ille tyrannus, hostis Dei, & uersutissimus impostor, cui illuderetur & imponeretur. Id & factum est, non à Magis, sed ab eo, de quo scriptum est, quod illusoribus illudat, & cum peruersis peruertatur. Diuino nanq;, & omnium iustissimo iudicio factum est, non culpa uel astu Magorum, ut impius hypocrita, qui falsa simulatione Magorum synceritati imponere, illaque ad perdendum Christum abuti uolebat, per eandem falleretur, & illudenti illuderetur. Igitur ita causam hanc moderata est diuina prouidentia, ut Magi de loco natiuitatis Christi Herodem audirent, & adorationem pueri pollicenti crederent, indicium illius petenti, promitterent, & rursus, ut Herodes Magis reuersionem promittentibus fidem haberet. Alioqui poterat quosdam de seruis suis comitatui Magorum cautionis gratia adiungere, per quos postea de omnibus instrueretur, nisi Magos reuersuros sperasset. Totum hoc negocium, non aliqua Magorum prudentia, sed diuino consilio ad hunc modum est ad illusionem Herodis hypocritæ, & impij, dispositum & perfectum. Prouer. 3. Psal. 18.

Missis satellitibus interfecit omnes pueros.) Sabellicus Enneade septima libro primo scribit. Herodem non statim post abitionem Magorum occidisse hos pueros, sed crudelitatem hanc ad biennium usq; distulisse, propterea quod interea temporis à filijs apud Cæsarem accusatus, Romam purgandi se gratia ire coactus sit, unde reuersus, sæuierit primum in hos pueros. Verum quàm firmum hoc sit, ipse uiderit, Euangelistæ uerba uidentur aliud innuere. Videns, inquit, Herodes quod sibi illusum esset à Magis, indignatus est uehementer, ac missis satellitibus, interfecit omnes pueros. Maior ergo erat furor regis, quàm qui tamdiu potuerit à sæuitia cohiberi. Et credibilius est illum antequàm Romam profectus, imò antequàm à filijs accusatus sit, occidisse istos pueros: siquidem de sæuitia ab illis apud Cæsarem est accusatus.

Iratus, inquit, uehementer, occidit omnes pueros. Ergo crudelitatis huius causam dederunt Herodi, qui ad hunc illum furorem impulerunt. Magi hoc fecerunt, etsi non ex destinato, tamen ex eo, quod ad illum non sunt reuersi. Sunt ne igitur in culpa immanissimæ huius sæuitiæ?

Duplex est iræ genus. Meritum unum, immeritum alterum. Meritum est, quo Deus peccatoribus irascitur, quo parentes liberis immorigeris, Magistratus subditis inique agentibus, &c. Qui isti iræ causam dat, etiamsi iuste irascatur, qui irritatur, peccat tamen & in culpa

in culpa est. Talis non erat Herodis ira. Immeritum est, quando irascuntur qui ab iniusto proposito qualicunq; modo impediuntur. Qui isti dat occasionem, etiamsi id prudenter faciat, non tamen in culpa est, quanto magis si id faciat imprudenter? Ita Moyses non erat in in culpa, quod Israël ex Aegypto per ipsum reuocatus magis quàm antea premebatur à Pharaone. Proinde
Exod. 5. immeritum accusabant, qui dicebant ad ipsum, & Aaronem. Videat Dominus, & iudicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & seruis eius, & præbuistis ei gladium, ut occidat nos. Nec Dauid in culpa erat, quod sui gratia Saul occidit sacerdotes
1. Sam. 21. 22. Domini LXXXV. Nec Petrus erat in crimine, quod per angelum è carcere liberatus causam dedit Herodi, huius tyranni filio, ut custodes (iuxta sententiam Chrysostomi) occideret.

Ita nec isti Magi in culpa fuerunt, quod Herodes iratus, pueros Bethlehemiticos occidit. Qui hoc iræ genere irascuntur, uitio prauorum affectuum irascuntur. Herodes iam antea penes se concluserat, quod uellet Christum è medio tollere, etsi id nequiret aliter, uel per necem omnium eius loci puerorum. Hoc impium propositum, cum diuinitus impediretur, causam dedit isti iræ. Nisi impius, & plane excæcatus fuisset, debebat ex eo quod Magi non reuertebantur, magis admoneri quid diuinitus gereretur, ut cœpto desisteret, ne contra uoluntatem Dei pugnaret, quàm ad istum furorem accendi, ut hac sæuitia grassaretur in innoxios.

Ad hunc modum qui in sanguinem innocentem hodie sæuiunt, causam accipiunt ex eo, quod cupiunt uerbi Dei cursum impedire. Hic impius conatus est in culpa, non illi qui uerbum Dei mundo proponunt. Prædicandum est Euangelium Dei, ex præcepto Christi. Qui hoc facit, magistratum quantum in se est non irritat, sed Christo præcipienti ministrat. Sed hinc prauæ concupiscentiæ uitio irarum causas sumunt impij, unde debebant incredibilis gaudij sumere materiam. Qui calci frigidam infundit æstum quidem excitat, sed quantum in se est, non incalescendi, sed magis frigendi occasionem præstat. Quod autem hic lapis infusione frigidæ aquæ magis incalescit, causam habet, & culpam ex se ipso. Ita plane impij, irascendi ac sæuiendi causas non aliunde, sed ex se ipsis accipiunt.

Sed esto, inquiet aliquis, Magos isti crudelitati causam non dedisse: uel certe in culpa illius non fuisse, prouidentiam Dei, qui Magos ne ad Herodem redirent, per oraculum in somnis admonuit, quomodo excusabimus? Is utiq; sciebat Herodis impietatem, & crudele consilium, sciebat illum hoc pacto sæuiturum in pueros Bethlehemiticos, & poterat, & Magis & Christo puero alia ratione consulere.

Ista Dei iudicia sunt nobis non curiosè scrutanda. Punit aliquando Deus peccata parentum in liberis, cuius rei multæ sunt historiæ. Et quis nouit, num Bethlemitarum cæcitas, & incredulitas, quam erga hunc natum puerum Christum, licet de illo cum per pastores, tum per Magos edocti essent, ostenderunt, per istam sit Herodis sæuitiam iudicio Dei punita?

Verum nos hac consideratione relicta, causam expendamus. Cur pueros istos occiderit Herodes, cum Magi de uno duntaxat annunciârint, qui natus sit rex Iudæorum. Vnum Christum quærebat ad occidendum impius tyrannus. Hunc quoniam nullis indicijs deprehensurum se sperabat, quotquot eo loco, & in confinijs pari cum illo esse putabat ætate, occidit. Similitudo itaque in causa fuit istis pueris, ob quam ab Herode occiderentur.

Ita scilicet queritur in paruulis Christus, quos impius illi credit esse similes. Hoc pacto in finem usq; mundi queritur, ad extinguendum Christus in ijs, quos propter uitæ innocentiam sui similes habet. Hi occiduntur, non ob id tantum, ut ipsi occidantur, sed ut Christi ueritas in illis extinguatur, quam impietas huius mundi ferre non potest. Timet enim sibi à ueritate, quam omnium perturbatricem esse putat: uerum licet illi occidantur, Christus tamen non occiditur, nec quatenus in illis est, nec quatenus in illis non est. Pietate in illis est, & spiritu suo. Sed nec pietas nec spiritus Dei in illis extinguuntur. Corporali in illis præsentia non est, & neq; secundum hanc in illis occiditur. Bene igitur paruulis istis, in quibus Christus queritur ab impijs ad occidendum. Licet enim occidantur in eo tamen seruantur, quem impiorum sæuitia extinguere non poterit.

Quotquot essent bimuli aut minores, iuxta tempus quod exacte cognouerat ex Magis.) Laboratur hîc à nonnullis, quo tempore Magi stellam Christi in Oriente uiderint. Quidam dicunt eam ante Christi natiuitatem apparuisse, ut rationem reddant, quomodo Magi ex Oriente itinere, tam prolixo potuerint statim ab illius natiuitate ad adorandum adesse. Hi mouentur uerbis Euangelistæ, quibus initio capitis huius dicit. Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iudeæ, ecce Magi ab Oriente &c. Sed hic quæritur, quomodo Herodes in occidendis pueris biennij rationem habuerit. Respondent isti non natiuitatis, sed stellæ tempus ab Herode animaduersum esse. Sabellicus dicit Herodem, ut supra monui, à filijs Romæ accusatum, & ab ista sæuitia tantisper impeditum esse, dum Roma reuerteretur, atq; ita biennij tempus interea dilapsum esse. Quidam aliud tradunt: nempe Magos non statim à natiuitate Christi Ierosolyma uenisse, sed Iosephum cum matre & puero post purificationis tempus Nazareth repetijsse, & post anno elapso Bethlehem reuersum esse, ac tum demum uenisse Magos. Qui hoc dicunt, mouentur uerbis Lucæ, qui scribit Iosephum peracta purificatione Nazareth reuersum esse, & simul rationem habent biennij, quod Herodes in occidendis pueris obseruauit. Neq; enim putant stellam ante Christi natiuitatem apparuisse: neque arbitrantur Magos tam prolixum iter tanta temporis breuitate conficere potuisse, ut statim post ortum Christi Ierosolyma uenirent. Sunt qui simplicius dicant, Herodem, ne qua elaberetur Christus

cautionis gratia dilatasse & tempus, & locum. Atq; ideò non minores tantum biennio, sed & bimulos: neq; eos tantum qui Bethlehem, sed & qui in confinibus locis essent, occidisse, quemadmodum & Euangelista commemorat.

Verum ego nolim hic anxie sudare, cum nihil certi possit statui, neq; etiam id necessarium sit.

Notandum hic est, ubi Euangelista dicit, iuxta tempus quod exacte cognouerat ex Magis. Herodem iam tum cum Magis ad se uocatis de tempore stellæ inquireret, hoc crudelitatis consilium de occidendis paruulis Bethlehemiticis, animo concepisse, sicuti & supra memini: atq; ideò non Magorum, sed sua ipsius culpa in hanc uenisse sæuitiam.

Tunc adimpletum est quod dictum fuerat ab Ieremiah propheta, &c.) Bis hic locus impletus est. Semel cum Israëlitæ in captiuitatem adducerentur tribus uidelicet Iehudah, & Beniamin. Hic terra Iehudah, quæ per Rachel intelligitur, ob id quod prope Bethlehem sepulta est: præterea etiam mater fuit Beniamitarum, propter migrationem populi sui grauiter luxit. Hoc sensu loquutus est propheta capite 31. Postea iterum impletus est, cum propter occisos ab Herode pueros Bethlehem, & contermini loci amarè luxerunt. Ideò dicit Euangelista: Tunc adimpletum est quod dictum fuerat ab Ieremiah propheta. Vox in Rama (in excelso) audita est: Rachel plorans filios suos, &c. Similitudinis gratia, quæ inter hunc, & illum luctum fuit, dicit hunc prophetæ locum hic adimpletum esse.

OBSER.

1 Videmus hic Euangelistam primum animum intendere ad considerandum luctum matrum horum paruulorum, quantus ille fuerit. Sunt enim pij nõ ἄσυργοι, ut humanis calamitatibus non moueantur.

2 Deinde cum admonet huius prophetici loci, pulchre Bethlehemitanos consolatur, & admonet ut simul consolationem Dei, quæ apud prophetam adiecta est, animo concipiant.

3 Et hoc notandum est, quod Rachelis plorantis uocem in excelso auditam, & mox Domini consolationem sequutam esse, scribit propheta. Admonemur hic uocem lugentium audiri in cœlis, neq; id frustra, sed cœlitus consolationem mitti lugentibus, & plorantibus.

VI. IOSEPH CVM MARIA ET PVERO reuocatur ex Aegypto.

Cæterum defuncto Herode, ecce angelus in somnis Domini apparet Ioseph in Aegypto dicens: Surge & assume puerum, & matrem eius, & uade in terram Israël. Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. At ille surgens assumpsit puerum, & matrem illius, & uenit in terram Israël. Verum cum audisset Archelaum regnare in Iudæah loco Herodis patris sui, timuit illuc abire, sed oraculò admonitus in somnis, secessit in partes Galileæ, ac profectus habitauit in ciuitate, quæ uocatur Nazareth, ut impleretur quod dictum fuerat per prophetas: Nazareus uocabitur.

Ita uidelicet uerum est illud Dauidis. Multæ sunt tribulationes iustorum, sed ex omnibus illis liberat eos Dominus. Et simul hic uidemus quàm initio statim apparuerit regnum Christi non esse ex hoc mundo. Nazareth concipitur, Bethlehem nascitur. Hinc in Aegyptum fuga abigitur, ubi annos aliquot in exilio detinetur. Inde non in Iudæam propter metum Archelai, sed in Galilæam Nazareth transfertur, ubi & educatur. Illinc rursus eiectus habitat Capernaum, Lucæ 4.

Defuncto Herode.) In hoc impio tyranno multa esset iudiciorum Dei consideratio, si quis mentem intenderet. Quis enim non merito admirabitur, & stupebit, si cogitet quanta fuerit huius impietas, simul & crudelitas. Impietas in Deum, crudelitas non in subiectum tantum populum, sed & in uxores, pariter & proprios liberos, & iuxta, quàm diuturne annos nempe 71. regnârit. Qua de re uidere est apud Iosephum antiquit. Iudaicarum lib. 17. capite nono, & decimo. Vbi etiam scribitur quo morbi genere interierit: tali nimirum, qui indubitatam Dei plagam expresserit.

Nos hoc uidemus exemplo fieri subinde per iram Dei, ut impij tyranni prolixe uiuant, & boni principes cito è medio tollantur, propter populi peccata.

Deinde, utut multis annis tolerentur impij, tandem tamen meritam illis immittit diuinitus ultionem: quæ ubi Herodem comprehendit, quæ quæso illi potuit esse tam annosæ tyrannidis, & libidinis uel iucunditas uel utilitas?

Angelus Domini apparet Ioseph in Aegypto.) Supra illi pollicitus fuerat, quod in tempore uellet eum de reditu instruere. Hic oraculi illius ueritas scribitur. Obseruemus Deum suos etiam missis angelis ne in Aegypto quidem deserere. Angelis ad Aegyptum quoq; patet accessus. Non est locus tam impius, quem horreat diuina prouidentia, quò minus suos in illo constitutos inuisat, & consoletur.

Surge, & assume puerum, & matrem eius.) Angeli uerba studiosè format Euangelista, ut non dicat: surge & accipe puerum tuum, sed simpliciter, accipe puerum, & matrem eius. Vt cum præcedentibus, quæ capite primo declarata sunt sequentia concordent.

Et uade in terram Israël.) Quid opus erat puerum in terram Israël reportare, antequàm tempus manifestationis illius aduenisset, quæ anno demum tricesimo ætatis illius fieri debebat? Poterat nanq; ad id ætatis usq; in Aegypto educari. Primum in terra Israël erat puer educandus, non in Aegypto, ne uideretur

Aegyptius

Aegyptius esse, & non ex Israële. Deinde, erat etiam Ioſephi, & Mariæ habenda ratio, quibus absq; dubio graue fuisset soluto metu Herodis, amplius sine causa morari in Aegypto, & patria, religione, & terra diutius priuari.

Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.) Reuocantur ab exilio in patriam terram. Quare? Quia defuncti sunt, inquit, qui quærebant animam pueri. Per mortem igitur impiorum tyrannorum soluuntur exilia piorum. Huius rei multa sunt exempla in historijs Ecclesiasticis. Ne timeamus igitur eorum tyrannidem, quorum uiolentia unica mortis horula dissoluitur, & irrita redditur, ut postea de illis dici queat: defuncti sunt qui quærebant nos perdere.

Verum cum audisset Archelaum regnare loco patris.) De hoc uide Ioſephum libro 17. antiquitatum Iudaicarum, capite decimo & undecimo. Annos regnauit nouem, post quos Viennam ciuitatem Galliæ, in exilium relegatus est. Sciebat forte Ioſeph Archelaum Herodis filium, tanquàm mali corui malum ouum, paternæ impietatis, & tyrannidis uestigia sequuturum, id quod plerunq; fieri uidemus.

Sed oraculo admonitus, in somnis.) Ecce hæsitanti & timenti iterum adest diuinum oraculum. Hoc sperent quicunq; iussis Dei parent, & per illa duci se ac reduci sinunt.

In somnis.) Iam quinquies audimus Deum suos in somnis de rebus agendis instruere. Semel supra capite primo, Et hoc capite quater. Cur in somnis? Mirabilis uidelicet doctor, qui dormientes docere potest? Primum, Mens hominis dormientis à curis, & negotijs secularibus aliquanto liberior, & ad suscipiendum cœlestia oracula accommodatior est. Deinde, hoc pacto pulchre innuitur, quæ sit Dei erga suos prouidentia, qua dormientes etiam, & nihil de necessarijs sollicitos, paterna uigilantia, quid agendum sit, quidue cauendum, instruit.

Secessit in partes Galileæ.) At in istis regnaturus erat Herodes iunior, & ipsi impij Herodis impius filius, & patris in tyrannide successor, id quod in Iohanne Baptista, & Iacobo fratre Domini: item Apostolo Petro, declaratum est. Quod autem hic Herodes Galileæ dominatum obtinuerit, Lucæ uigesimo tertio uidere est. Fieri potest tamen, ut initio regni huius maior fuerit securitas in Galilea, quàm sub Archelao, præsertim cum nulla suspicione de futuro Christo laboraret ea regio. Vnde & Scribæ dicebant: Lege & uide, quod nullus è Galilea propheta surgat. Poterat recens occisorum infantium memoria periculosam Ioſepho & Mariæ Iudææ habitationem sub Archelao reddere.

Habitauit in ciuitate Nazareth.) Lucæ quarto legitur quod in hac ciuitate fuerit nutritus. Iungendus est hic locus ei, qui Lucæ secundo habetur, ubi sic legimus. Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini (loquitur autem de lege Purificationis) reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth. Ne putet quis illos statim à purificatione in hanc se ciuitatem recepisse, obstat historia Magorum, & exilium Aegyptiacum, ut à Matthæo ista exponi uidemus: post quorum tandem finem in Galileam, & hanc ciuitatem Nazareth reuersi sunt.

Vt impleretur quod dictum fuerat per Prophetas: Nazareus uocabitur.) Poterat Euangelista aliam assignare rationem, ob quam in istam profecti sint ciuitatem: nempe, quam Lucas uidetur innuere, cum dicit: Reuersi sunt in ciuitatem suam Nazareth. Verum suo more noluit occasionem adimpletæ prophetiæ negligere, ut disceremus omnia quæ circa Christum gesta sunt diuinorum oraculorum præsignata esse uaticinijs.

Quod Nazareus dictus sit, ex Euangelicis literis patet, & ipse titulus crucis abunde testatur. Deinde, quod id cognominis ex eo habuerit, quod in hac ciuitate Nazareth educatus esset, ex præsenti loco satis innuitur. Quod uerò Euangelista hac in re impletam esse dicit, quod sit per prophetas iam antea prædictum, non absque re lectorem torquet, cum nusquàm tale quid in propheticis literis reperiatur. Alij aliud dicunt. Alius dictionem נזיר, quæ sanctum & separatum, alius נצר, quæ surculum significat, quæ utræq; in scripturis ita reperiuntur, ut CHRISTO adaptari possint, inducit: alius quod de Sampsone Iudicum decimotertio capite dictum est: nempe, Erit enim Nazareus Dei. Typicos de CHRISTO dictum intelligit, & huc Euangelista respicere putat, quæ omnia meo iudicio, utut plausibiliter adornentur, parum huic loco conueniunt. D. Chrysostomi sententia probabilior uidetur, qui simpliciter quod uerum est, fatetur, dicens: Multa ex propheticis periere monumentis, quod de historia Paralipomenon probare possibile est. Desides enim cum essent Iudæi, nec desides modo, sed & impij: alia quidem perdiderunt negligenter: alia uerò tum incenderunt, tum conciderunt prophanè. Et de prophanitate quidem tali Hieremias refert. De negligentia uerò in quarto Regum libro legimus, quod post multum temporis uix Deuteronomij sit uolumen repertum, defossum quodam in loco, ac penè deletum.

Itaq; si absq; ulla incensione templi, absq; ullo ciuitatis tumultu, sacri tamen libri uarie deperierunt. Quis iam istud inter illas depopulationes, uastationesque hostium, inter illa templi ac totius urbis incendia contigisse miretur? Hæc ille.

Proinde non est anxie laborandum, quibus propheticæ scripturæ locis Euangelista prædictum esse dicat, quod CHRISTVS uocandus sit Nazareus, cum uerisimile sit Euangelistæ temporibus, nonnulla fuisse prophetarum scripta in Israëlis manibus, quæ postea interierint.

Habet & Athanasius Magnus ille, in calce Synopsis suæ, qua cum ueteris tum noui instrumenti scripturam breuiter complexus est, quædam isti Chrysostomi sententiæ adstipulantia: quæ quoniam latius

hacte-

hactenus sunt incognita, hoc loco aßignanda uidentur. Nathan, inquit, & Addo & Achiæ Silonitæ, & Semei, & Iehu, scripti libri in libro Regum referuntur. Sunt autem isti prophetæ ex ijs qui prophetias suas literis mandârunt, quæ tamen non reperiuntur. Tria millia Psalmorum Dauidis fuisse memoratur in Paralipomenis, & tamen ex illis 150. duntaxat, ab amicis Ezechiæ regis selecti sunt, reliqui uerò absconditi. Quinq; Paræmiarũ millia ædita esse à Salamone scriptura Paralipomenon refert, quæ tamen iam non habentur, nisi tantũ Ecclesiasticæ. Canticũ, ex pluribus mystico sensu decerptum est & inscriptum. Quin & Odarum illius quinq; millia fuere. Loquutus est insuper & de arboribus, à cedro quæ est in Libano, usq; ad hyssopum, quæ in muris nascitur. Itẽ et de iumentis, & de uolucribus, & de serpentibus ac de piscibus. At ista iam nusquàm in Ebraicis literis inueniuntur. Narrat Iosephus duos prophetiæ libros ab Ezechiele conscriptos esse, quorum tamen unus tantum ad nostram notitiam peruenit. Manifestũ igitur est quod hæc omnia impiorum Iudæorũ socordia & negligentia interierint. Hæc Athanasius. Cum ergo ista negari nequeant, quis dubitat, esse nonnulla lecta Euangelistis, & reliquis illorum temporum pijs, quæ postea uel Iudæorum negligentia aut malicia, uel temporum iniuria perierint.

CAPVT III.

IN diebus illis, accedit Ioannes Baptista, prædicans in deserto Iudææ, dicensq; Pœnitentiam agite uitæ prioris, in propinquo est enim regnum cœlorum. Nam hic est ille, de quo dixit Esaias propheta, qui ait: Vox clamantis in deserto, parate uiam Domini, rectas facite semitas eius.

Hactenus Euangelista primo capite Christi generationem, altero reuelationem natiuitatis eius per Magos factam: deinde simul Herodis fraudes & crudelitatẽ, ac fugam Iosephi cum matre & puero: postea & reditum exposuit. Consequens iam erat, ut Christi pueritiã usq; ad tempus prædicationis traderet. Verum neglecta illa, licet absq; dubio scitu digna, ad ea tempora properat, quibus dispensatæ nostræ salutis primordia cœperunt, & initium factum est reuelandi filij Dei. Ideò orditur à prædicatione Iohannis Baptistæ, per quem ueluti præcursorem ac præconem, ad hoc diuinitus missum, ut de luce hac testaretur. Primum Iudæis Christus manifestari cœpit, id quod à reliquis quoq; Euangelistis factum uidemus, qui nec ipsi quicquàm de pueritia Christi tradunt, unica historia dempta, quam Lucas de duodecimo ætatis illius anno memoriæ mandauit. Noluit uidelicet, Spiritus sanctus mortalium seruire curiositati, unde & liber ille qui de Christi seruatoris pueritia circumlatus est hactenus, merito tanquàm apocryphus reiectus est.

In diebus illis.) Quibus? An illis, quibus Ioseph ex Aegypto reuersus habitare cœpit in ciuitate Nazareth, ut exordium huius capitis cum fine præcedentis cohæreat. Nequaquàm, Lucas exactius hanc temporis particulam initio capitis tertij tradit, cum dicit: Anno decimoquinto imperij Tiberij Cæsaris, Pontio Pilato præside Iudææ, tetrarcha uerò Galileæ Herode, Philippo autẽ fratre eius tetrarcha Itureæ & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilenes tetrarcha, sub Pontificibus Anna et Caipha factum est uerbum Domini super Iohannem Zachariæ filium in deserto. Et uenit in omnem regionem finitimam Iordani, &c. Luce 3

Accedit Ioannes Baptista, prædicans in deserto Iudææ.) In deserto factum est super eum uerbũ Domini. Quamdiu uerò in deserto prædicauerit, certum non est. Hoc constat, uenisse illum in omnem eam regionem, quæ circa Iordanem est, ibiq; prædicasse & baptizasse. Quid autem prædicauerit, summatim subijcitur.

Dicensq;: Pœnitentiam agite uitæ prioris, in propinquo est enim regnum cœlorum.) Ista Iohannis concio bimembris est. Primum docet quid sit faciendum, deinde rationem huius reddit. Pœnitentiam agere iubet. Quare? Quia, inquit, in propinquo est regnum cœlorum. Idem omnino fuit, ut capite sequenti uidebimus, Christo prædicandi exordium.

Pœnitentiam agite.) Græce est μετανοεῖτε, hoc est, resipiscite. Resipiscere autem est relicta delinquendi stultitia ad se redire, & pristinam animi sententiam mutare. Interest autem inter resipiscentiam, & pœnitudinem. Resipiscentia complectitur non solùm agnitionem delicti, deinde & cordis dolorem, sed & animi ac uitæ immutationem, & conuersionem ad Deum, cum fiducia diuinæ gratiæ & misericordiæ. Inuenias multos impios, è quibus & Iudas fuit, qui peccatorum suorum grauitatem cum pœnitudine cordis agnoscant, & fateantur, qui tamen ne sic quidem immutatis animis ad Deum cum gratiæ illius fiducia conuertantur. Est itaq; pœnitudo cordis necessaria quidem ad resipiscentiam (nam sine illa non potest quisquàm uerè resipiscere) uerum ita comparata non est, ut ad conuersionem & resipiscentiam sufficiat. Est itaq; abusus uocabuli quod Scholastici pœnitentiam pro resipiscentia usurpant, dantes illi partes contritionem cordis, confessionem oris, & satisfactionem operis, cum contritio cordis nihil sit aliud quàm ipsa pœnitentia. Flagitat igitur hac concione Iohannes resipiscentiam, quam Prophetæ uocârunt conuersionem ad Deum, de qua & angelus ad Zachariam patrem ipsius meminit, cum dicit: Et multos filiorum Israël conuertet ad Dominum Deum ipsorum. Hoc erat uidelicet parare Domino plebem perfectam, quo suis ad agnitionem peccatorum, pœnitudinem præteritæ uitæ, animorum immutationẽ & ueram pietatem erga Deum uocare. Est aũt prædicatio resipiscentiæ talis, quæ non solũ necessaria sit ad hoc, ut gratiæ Dei, qui deliquerũt participes fiant, sed quæ etiã elementa habeat et principia sermonis gratiæ, sine quibus nemini mortaliũ ad thronũ gratiæ Dei fit aditus. Sic Luce 1.

Ebr.

Ebr.ca.6. Quapropter inquiũt intermittentes inchoationis Christi sermonem ad perfectiora feramur, nõ rursum iacientes fundamentũ pœnitentiæ, ab operibus mortuis. Et hæc est ratio ob quam Iohannes quemadmodũ et Christus, deinde post Christum Apostoli, principio ad Deum conuertendis resipiscentiam prædicarunt. Illi Iudæis, isti & Iudæis & Gentibus, ut ad gratiã Dei quos uis uocarent, quam proposuerat deus orbi in filio suo. Proinde haud parum dedecoris adfert Christiano nomini, quemadmodum tum temporis & populo Israëli, quod etiamnum, cum ad perfectiora pietatis studia promouisse debeamus, prædicatione resipiscentiæ ab operibus mortuis opus habemus. Verum utinam uel postremis istis temporibus locum ista sermonum Dei elementa, & principia apud nos inueniant. Nam si hæc ueluti fundamenta probe iacta essent, spes esset ædificium Dei in iustam altitudinem & perfectionem euasurum.

In propinquo est enim regnum cœlorum.) Hoc est alterum membrum concionis præcursoriæ, quo quur resipiscendi tempus sit, rationem subnectit Christi præco. Semper quidem resipiscẽdum est mortalibus, uerum tum potissimũ, si citra resipiscentiam in regnum cœlorũ peccatores non admittũtur, quomodo nos peccatis uiuemus, qui iam in illo sumus? resipiscendi tempus est, quando gratia Dei ultrò resipiscentibus offertur. Miserat Deus filium suum, qui destructo regno Satanæ nos miseros & captiuos ad regni sui gratiam, & sempiternam libertatem ac felicitatem transferret. Ea gratia, gratia uidelicet redemptionis & inaugurationis in regnum Dei, uocatur hic regnum cœlorum. Et quoniam regnũ hoc iam olim à deo per prophetas promissum, & magno desiderio à sanctis patribus expectatum, impleto iam tempore efficaciam suam exerturum erat, dicit illud appropinquasse. Certe si sapuissent Iudæi, præconem hunc & annunciationem saluberrimi huius temporis magno cum gaudio amplexi essent. De hoc regno Dei uide plura infra cap. 8. circa finẽ, ubi locus erit de illo pleraq; expendẽdi. In præsentia notemus quæ ratio potissimum pios & electos, quorum utiq; gratia Christus uenit, qui & soli ueri regni huius ciues fiũt, ad resipiscentiam permoueat: nempe nõ ea quæ irã Dei & maledictionem, sed quæ gratiam Dei, & regni illius felicitatem proponat. Ideò cũ dixisset: Resipiscite, subiecit: Appropinquabit enim regnum cœlorum. Adiecit quidem, ut infrà uidebimus, etiam minas de uentura ira & securi ad radicem arborũ posita, nisi iusti fiant resipiscentiæ fructus. Verũ huiusmodi cõciones potissimum impiorum, & incredulorum gratia acceſſerunt, quibus nulla prorsus est cura gratiæ Dei, quam electi tamen nec cum toto quidem mundo commutarent.

Nã hic est ille, de quo dixit Esaias propheta qui ait: Vox clamantis in deserto, parate uiam Domini, rectas facite semitas eius.

Rationẽ reddit eius, quod dixit in propinquo adesse regnũ cœlorum. Hanc de seipso sumit, ex persona uidelicet præcursoris ac præconis quam gerebat. q.d. Ecce adsum uobis præco & præcursor ante faciem Domini, annuncians uobis regni Dei aduentum. Proinde parate illi uias & curate, ut uenientem cum gaudio excipiatis. Vt autem fidem huius faciat, inducit uaticinium de se Esaiæ prophetæ quod habetur cap. 40. admonens hoc iam adimpleri suo ministerio, quod per prophetã olim de temporibus istis prædictum est.

Vox clamantis.) Id est, uox clamans. Clamandi feruor et sedulitas conuenit testi Christi. Nam huius est nec remisse, nec dubitanter, aut occulte, sed palam, diserte, & asseueranter de Christo ita testari, ut nemo sit qui se excusare queat, quasi clamorẽ hunc non audierit. Ita Iohannes Euãgelista, cum testimonia quædam præconis huius de Christo adducturus esset, dixit: Iohannes testificatur de ipso, & clamauit, &c. Innuens illum omnia clara ac sedula uociferatione quibusuis inculcasse.

Exemplo hoc Ioannis sit uox clamans in hoc mundo, quisquis Christum & resipiscentiam prædicat. Quæ in aurem, inquit Christus auditis, prædicate super tecta. Sic Esaiæ quinquagesimo octauo. Clama ne cesses, exalta sicut tubam uocem tuam. Est enim reuera clamore opus, si sit mundo huic plane surdo prædicanda resipiscentia et uera in Christo pietas.

Parate uiam Domini, &c.) Ad similitudinem præconis dictum est, qui cum regis aduentum annunciat, quosuis excitat ad sternendas & ornandas uenienti regi uias, ut cum honore & gaudio excipiatur. Ita uidelicet Iohannes Christi præco Iudæos excitauit suo clamore, ut ad regis olim promissi aduentũ sese parent, animos adaptent, resipiscentiam prioris uitæ apprehendant, ut gratiæ illius cum gaudio participes esse possint. Nam hæc duo potissimum requiruntur ab illis, qui gratiæ regni Christi participes fieri cupiunt. Vnum ut oblatã illius gratiam cum gaudio, obuijs ut dicitur ulnis, complectantur. Alterum, ut uitam per studium resipiscentiæ emendantes, quæ oculos diuinæ Maiestatis offendere possunt, abijciamus. Et reuera gratia Christi dignus non est, qui ad prædicationem illius nullo gaudio afficitur, nec contentus antea in tenebris maleuixisse etiam oblatam gratiam ita contemnit, ut dignam non putet cuius gratia prioris uitæ mores exuat.

Ipse uerò Ioannes, habebat indumentum suum è pilis Camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos. Porrò cibus illius erant locustæ, & mel syluestre.

Commendat Iohannem Euangelista ab austeritate uitæ, quam declarabat in tribus, ueslitu scilicet zona, & cibo. Nam omnino oportebat Christi præconem singulari uitæ sanctimonia ad hoc commendari, ut testimonium quod Christo dabat, fidem apud Iudæos inueniret.

DE INDVMENTO IOhannis.

Indumentũ suum, inquit, habebat è pilis Camelorũ. Quoniã in montanis & in solitudine agebat, recte ei se uitæ cũ indumento tũ zona & cibo conformabat. Indumẽtũ è pilis camelorũ factũ, cõueniebat austeritati uitæ ac loci

ac loci sicut et cibus ex locustis: ne quis Iohannem putet religionis aut singularitatis gratia id genus indumenti, zonæ ac cibi usurpasse. Faciebat tamen ad hoc, ut populo esset commendatior, & pondus seueritatis ac ueritatis prædicationi ipsius addebat. Sic Christus infra ca. 11. Quid existis inquit, uidere in deserto? Num arundinem quæ agitatur à uento? Age quid existis ut uideretis? Num hominem mollibus uestibus amictum? Ecce, qui mollia gestant in domibus regum sunt. q. d. Ipsa loci asperitas non alit hominem inconstantem, leuem ac mollem: id quod et indumenti asperitas satis cõuincit. Proinde, quæ ex ore illius audistis, uerba sunt hominis firmi & constantis, in nullius gratiam quod uerum est obticentis. Hactenus seruiebat hoc indumenti genus cursui & officio Iohannis. Oportebat eum magnum esse & haberi omnibus. Vt magnus esset, datum ei est, ut non in urbium frequentia, sed in solitudine uiueret. Et quoniam in solitudine agebat, non conueniebat eius uitæ ut uulgari uteretur indumento. Ideò uili hoc aspero & comparabili indumento usus est, quemadmodum & eos qui in montibus agunt, longe uilius & asperius indutos esse uidemus, quàm eos qui in agris: & rursus eos qui in agris agunt aliter quàm qui in urbibus uiuunt.

Nemo itaq; putet hanc uestem Iohannis uestem esse sanctam in se, & quæ sanctis uiris sit illius exemplo usurpanda: quasi sanctus non sit, qui communi utitur indumenti genere. Nam alioqui certe Christum oportebat cum primis ad hunc modum uestiri, deinde post Christum Apostolos. Sed nihil huius de Christo & Apostolis legimus. Vulgariter uestiti fuere, nec cuiquam singularitatis exemplum dedere. Viuebant enim non in solitudine, sed in conuictu mortalium, in ciuitatibus, pagis, et populi frequentia. Tam abest igitur ut indumentum Iohannis patrocinetur monachis illis, qui se hæremitas uocari uolunt: ut non solum quod Christus & Apostoli fecerunt, sed & hoc ipsum quod de Iohanne legimus illis sit aduersum. Belli homines singulari & insolenti utuntur indumento, cum in solitudine ac desertis locis non agant, sed in medijs urbibus omnis generis solatijs fruantur. Hoc genus indumenti à sanctis uiris sanctitatis gratia usurpatum eße rati, & non magis propter conditionem loci, in quo agebant.

Interea tamen nolim uideri seculi huius detestando luxui, & ridendis ineptijs patrocinari, quasi nihil referat ut quisq; indutus inter Christianos incedat. Honestus amictus Christianum decet, in quo nihil sit quod molliciem sapiat, quæ notatur in diuite epulone, & ijs qui uersantur in aulis principum, quam hodie plerique ciues etiam plus satis amplexi sunt. Rursus qui nihil habeat ostentationis, nihil leuitatis, nihil studiosæ uarietatis, nihil superflui, nihil insolens, recens inuentum, aut peregrinum. At proh dolor has ineptias uidemus hodie in amictu Christianorum pleno impetu regnare, cum interea Christus in membris suis frigore tabefiat ac torpeat. Vide 1. Pet. 3. 1. Timo. 2. Zephan. 1.

Quod Apostoli mulieribus tantum de uestitu præscribunt, dandum est moribus illorum temporum, quibus maior erat uirorum grauitas, quàm ut istis ineptijs more mulierum delectati essent. Laborauit ferè semper hoc morbo mulierũ sexus, ut exquisitè indutæ uiris placere gestiant. Sed nostro seculo ita in uiris quoq; obtinuit ista uanitas, ut olim ridiculum fuisset, si tantum ineptiarum sibi permisissent mulierculæ, cum ipsa sexus grauitas uiros aliud monere debeat.

DE ZONA.

Et zonam pelliceam circa lumbos. Idem legitur de Elia Thesbite 2. Reg. 1. Sunt hoc loco duo expendenda. Vnum quod scribitur zonam gestasse circa lumbos. Notata est & à gentibus discinctorum mollicies, quæ crescente ocio & luxu inoleuit. Hanc puto Pharisæis & Scribis obijcere Christum, cum dicit: Qui amant ambulare in longis stolis. Lucæ 20. Alterum, quod zona illi data non quæuis, sed pellicea, id quod arbitror nõ frustrà esse positum. Obtinuit etiam hac in re muliebris quædam leuitas & mollicies, ut uiri quoq; cingulis uterentur uel lineis, uel sericis, uel laneis. Si nanq; uulgo nemo non pelliceam zonam gestasset, quid rationis fuisset Euangelistæ commemorare de zona pellicea Iohannis. Vide Esa. 3. Et erit pro zona funiculus, &c.

DE CIBO.

Esca autem eius erant locustæ, & mel syluestre. Cibo usus est parabili illis qui agunt in solitudine. Piscibus nõ est usus ut Christus, quia nulla erat acquirendi illos copia. Sancti ut luxum fugiunt, ita & insolentiam, et ostentationem sanctimoniæ cuiusdam singularis non amant. Conformant se conditionibus ac necessitatibus locorũ, in quibus agunt, ne quid præter causam offendant. De melle syluestri nihil est quod miremur, cum in saltu mel syluestre legamus ubertim fluxisse. 1. Sam. 14. De locustis forsan uidetur nonnihil esse insolentius quod Euangelista scribit. Verum cum Leuitici cap. 11. legantur inter mũda animantia quæ comedi poßint, recenseri etiam locustas, ut latina translatio habet, & Plinius libro 11. cap. 29. scribat eas Parthis in cibo gratas esse: cogimur sentire hoc genus animantis in illis regionibus tale haberi, ut cibo sit aptius quàm quod apud nos habetur. Scribit etiam Plinius alicubi reperiri locustas mensura trium pedum.

Rursus hoc Iohannis exemplo docemur, ut cibis utamur qui parabiles sint, & naturæ sustentandæ sufficientes. Luxus ciborum damnabilis est Christianis, quorum professio sobrietatis est, modestiæ mortificandæ carnis & uitæ cœlestis. Sobrietas & temperantia cibi ac potus, omnibus mortalibus est honesta, utilis, iucunda, facilis, & naturæ accommoda & amica. Contra luxus turpis, noxius, iniucundus, difficilis, & inimicus naturæ. Hæc grauantur circumstãtijs personarum, temporum, conditionum & locorum.

Tunc egressa est ad illum Hierosolyma, & tota Iudæa, totaq; regio undiq; finitima Iordani, & baptizabantur in Iordane ab illo, confitentes peccata sua.

Tria dicit: Primum quod populus undiq; ad Iohannem cucurrerit. Alterum quod ab eo baptizatus sit. Tertium quod peccata sua confessus sit.

De

DE POPVLI ACCVRSV.

Tria uidentur in Iohanne concurrisse, quæ populum undiq; attraxerint. Primum est, quod à secundo templo ad id usq; temporis prophetis caruerant. Ob eam causam ueluti prophetam uisuri tanto ad illum ardore accurrebant. Sic infrà cap. 11. Quid existis in desertum ut uideretis Prophetam? Iusto Dei iudicio factum fuerat, ut prophetarum oraculis priuarentur, quorũ dum illorum esset copia, nullam unquàm rationem habuerant. Postea senserunt quantum bonum proprio uitio amiserint. Hinc illud Psal. 74. Signa nostra non uidemus, iam non est Propheta, & non est inter nos qui cognoscat usquequo? Tale quid & maioribus nostris accidit, qui mendacijs credere cœperunt, quoniam dilectionem ueritatis non retinuerunt. Vide 2. Thess. 2. & 2. Tim. 2.

Alterum est ipsum prædicationis genus nouum, & insolens. Neq; enim ut priores prophetæ neq; ad morem legis ac sacerdotum simpliciter resipiscentiam, & legis obseruantiam prædicabat, sed uiam iubebat parare Domino, & regnum cœlorum aduenisse annunciabat. Credibile est multos nouitate doctrinæ permotos aduolasse, qui postea saturata curiositate ad uomitum sint reuersi, quales & nostro sæculo haud paucos deprehendimus. Non quod nouam, & antea in Ecclesia Christi inauditam doctrinam induxerimus, sed quod quæ uere est uetus illa Christi, & Apostolorum, uisa sit esse, noua uitio maiorum nostrorum, qui Euangelicæ doctrinæ simplicitatem, & synceritatem in nouas quasdam, & humanitus excogitatas fabulas commutarunt.

Tertium est, austera illa uita Iohannis, cuius supra facta est mentio, de qua & Christus Matth. 11. Venit Iohannes nec manducans nec bibens. Et Lucæ. 7. Venit Iohannes nec manducans panem, neq; bibens uinum. Magna erat conuersationis illius & sanctimoniæ lux, quæ & ipsa certe propter nauseam sacerdotum, & Scribarum quàmplurimos excluit. Verum ut fieri solet, ubi principia feruent, remisso tandem isto feruore pauci per ueram resipiscentiam constanter à Iohanne admoniti ad Christum uenerunt. Quàm enim nec austera Iohannis uita nec Christi mansuetudo quicquam in hoc populo profecerit, uidere est infrà cap. 11. Neq; enim multorum est uera & solida resipiscentia. Iugum legis excutere cupiebant forsan inter Iudæos, multi, uerum solidam amplecti pietatem, non ita multi sustinebant. Perinde atq; hodie multos inuenias, qui iugum traditionum humanarum cupidissime reiecerint, Christi uerò iugum qui ex animo sint amplexi, haud ita multos uidemus. Arrident primum quæ noua putantur, uerum ubi carnis mortificandæ studium, & post Christum ferenda crux imponitur, retrocedent absterriti permulti.

DE BAPTISMO.

Et baptizabantur ab eo in Iordane.) *Marci 1. & Lucæ 3. scribitur Iohannes prædicasse baptismum resipiscentiæ in remissionem peccatorũ. Hoc est, quosuis uocasse ad resipiscentiam, & resipiscentiam professos baptismi signaculo obsignasse, cum promissione remittendorum peccatorum, si in eum crederent quem*

Actor. 19.

prædicabat, & regno cœlorum bona fide sese coniungerent, Baptizandi autem facultatem à Deo acceperat ad hoc, ut manifestaret eum qui baptizaturus erat spiritusancto, & igni. Iohannis primo. Sunt ergo in baptismate Iohannis ista consideranda. Primum esse illud à Deo Iohanni commissum. Ideò Lucæ 7. Iis qui Iohannis baptismate baptizati sunt datur quod Deum iustificauerint. Pharisæis uerò & legisperitis, qui à Iohanne baptizati non sunt, quod consilium Dei spreuerint. Alterum, esse initiationem in Christum, et regnum Dei. Baptizabat enim nec in se, nec in Moysen, sed in Christum, quem annunciabat, ac regnum Dei. Id uidemus in uerbis Pauli, Acto. 19.

Tertium, exigebat professionem resipiscentiæ, & fidem in Christum. Ideò dicitur prædicasse baptismum resipiscentiæ, & exegisse fructus resipiscentiam testantes, & ut in Christum crederetur.

Quartum, adiecta fuit gratia, quæ resipiscentibus, & credentibus in Christum pollicebatur peccatorum remissionem. Hoc est quod in Marco & Luca dicitur prædicasse baptismum resipiscentiæ in remissionem peccatorum.

Quintum: Habet typum quendam, & imaginem eius rei, quam in electis & fidelibus operatur baptismus Christi, qui est in spiritusancto, & igne. Adumbrat enim externa illa tinctio & mystica ablutio, quæ fit in corpore, renouationem mentium et ablutionem sordium quibus corda mortalium ex primæ natiuitatis corruptione polluuntur. Nec solum renouationem istam uel regenerationem adumbrat, sed simul pollicetur eam credentibus in Christum, ne sit inanis quædam significatio. Ideò constanter prædicabat de Christo, quod is esset baptizaturus spiritusancto, & igne.

Vbi ista considero nequeo ab illis dissentire, qui inter Iohannis baptisma, & hoc nostrum, quo in Ecclesia Christi baptizamur, nihil statuunt discriminis, sed asserunt idem hoc nostrum esse, cum eo quod Iohannes cœlitus acceptum administrauit, quo tincti sunt, & Christus, et Christi discipuli. De hoc nostro loquor, quatenus & ipsum ab homine Christi ministro in aqua corporaliter administratur, non quatenus opus Christi animam spiritu suo tingentis ac regenerantis accedit. Baptizamus in Christum, & initiamus in regnum Dei, in populum & Ecclesiam Dei, in corpus Christi. At idem fecit & Iohannes. Baptismus noster exigit professionem resipiscentiæ, & mortificandæ carnis. Idem exegit & Iohannis baptisma. Exigit fidem in Christum, eandem postulauit & Iohannes. Promittit resipiscentibus, & credentibus remissionem peccatorum, eandem & Iohannes prædicauit. Externum signum habet inuisibilis gratiæ, quæ per spiritum Christi operatur in cordibus electorum, & credentium. Idem habebat & Iohannis baptisma. Iohannes non baptizabat spiritusancto & igne, sed hoc uni Christo assignabat. Nec qui hodie baptizant hoc sibi adscribunt, sed soli Christo tribuunt. In summa ut noster baptismus idem habet in sacramento, quod ipsa Euangelij prædicatio offert in uerbo, ita & Iohannis baptisma idem habebat in sacramento, quod uerbis

de Christo & regno cœlorum Israëli annunciabat. Ista simpliciter de Iohannis, & nostro baptismate sentire malo, quàm ueterũ, tam sibi non constantibus implicari sententijs.

In Iordane.) Ita baptizarunt & Apostoli Christi, nihil additum legimus. Sufficiebat elementũ aquæ. Vide Acto. 8. Posterorum superstitio magis quàm religio de suo salem adiecit & oleum, exorcismos quoq; quibus mali spiritus ex aqua pellerentur, ut sanctus esset baptismi liquor. At quanto satius fuerat curare, ut si quid exorcismis proficeretur baptizantium sacerdotum malitia & impuritate fugata mundæ, & sanctæ essent illorum manus purum & sanctum ministerium? Iam peruerso modo, cum spurcissimus subinde scortator, & execrandus Simon, nonnunquam & parum sobrius baptizet, elemento consecrando magna cura impenditur, quasi baptismi puritas non sit in mentibus fidelium magis quàm in elemento inanimato. Quis non mallet in Iordane à Iohanne uel ab discipulo aliquo, & Apostolo Christi, quàm nefando scortatore aut Simonis discipulo in aqua per exorcismos consecrata, & uncta baptizari? Scio uirtutem baptismi, institutione diuinæ, & spiritus sancti gratia, & operatione niti, non probitate, & puritate ministri. Quomodo autem sanæ mentis putandus est, qui de elementi consecratione anxius baptizantis impuritatem boni consulit?

DE CONFESSIONE.

Confitentes, inquit, peccata sua.) Videntur sibi quidam hic locum habere stabiliendæ cõfessionis, quam auricularem uocant. Verũ si recte expendas, nihil hinc colligi potest, quod ad illius probationem faciat. Primũ enim incertum est, cui sint confessi peccata sua, Deo ne apud seipsos tacite, sicut publicanus ille Euangelicus, uel Iohanni. Simpliciter dicit Euangelista, & baptizati sunt ab eo in Iordane confitentes peccata sua, fieri potuit, ut ad prædicationem Iohannis, qua resipiscentiam & baptismum resipiscentiæ prædicabat, cordibus compuncti agnouerint se peccatores esse, propositumq; resipiscendi mente conceperint, atq; ita baptismum resipiscentiæ suadenti annuerint, percontatiq; sint à Iohanne, quid faciendum suadeat, sicuti Lucæ 3. legimus, ubi scribuntur turbæ rogasse Iohannem dicentes: Quid ergo faciemus? Item & de publicanis, quod illi quoq; ad baptismum illius uenientes, dixerunt: Quid faciemus? Similiter & milites interrogasse scribuntur. Et nos quid faciemus? Ad eum modum & ij, qui Petri prædicationem Ierosolymis audierant, qua dixerat, certissime sciat ergo omnis domus Israël, quod Dominum eum, & Christum fecerit Deus hunc Iesum, quem uos crucifixistis, cordibus compuncti dicebant. Quid faciemus uiri fratres? Certe qui ita quid facere deberent, prædicatione resipiscentiæ compuncti interrogabant, peccatores esse se haud quaquam dissimulabant, licet peccata sua expressis uerbis non recensérent. Quis dubitat istos, ubi cordibus compungebantur ad prædicationem resipiscentiæ peccata sua intimis cogitationibus confessos esse Deo secretorum omnium cognitori? Act. 2.

Sed quomodo inquies, cognouit hoc Euangelista, ut dicat eos confessos esse peccata, si illa penes seipsos in cordibus suis Deo tantum confessi sunt? Respondeo, hoc ipso quod cordibus compuncti quid faciendum esset, interrogabant, satis manifeste confitebantur, quod peccatores essent, & ad se prædicatio, & baptismus resipiscentiæ pertinerent, ut recte dixerit Euangelista, confessos illos esse peccata sua, ubi à Iohanne baptismo resipiscentiæ in Iordane baptizabantur. Perinde ac si medicus quispiam curandi morbi Gallici artem professus inueniat qui se curandos offerant, quidq; faciendum sit interrogent, & consilio ac medicina ipsius utantur. An non de illis recte dixeris usi sunt consilio & medicina medici huius confitentes morbum suum, etiamsi de illo nihil expresse dixerint? Qua nam ratione pharisæi baptismo Iohannis non sunt usi, sicuti legimus Lucæ 7. nisi quod nolebant uideri peccatores, cum essent hypocritæ, & seipsos coram hominibus iustificarent? Sciebant hoc factum apertam habere peccatorum confessionem, etiamsi commissa uerbotenus non recensérentur.

Deinde etiamsi quis urgeat peccatorum confessionem factam esse Ioanni, nec sic tamen euincet eam ad morem auricularis confessionis, et ita esse factam ut singula peccata sint confessi. Venerunt ad Ioannem publicani, interrogantes quid sibi faciendum iudicaret. Venerunt & meretrices ut est Matth. 21. Venerunt etiam milites idem interrogantes. Hic uero simile est primum istos uitæ suæ genus & conditionem & acta, quorũ gratia in conscientijs compũgebãtur Ioanni confessos esse, nõ ut eos absolueret à peccatis, sed ut cognito uitæ ipsorum genere ac statu intelligeret, qui essent, & cognosceret hos esse milites, hos publicanos, illas meretrices, & sciret singulis quid facerent consulere. Alioqui unde dixisset publicanis, ne supra id quod constitutum esset à quoquam acciperent, nisi ab ipsis didicisset, quod publicani essent, & auidius, & supra quàm par sit uectigalia exegerint. Similiter & de militibus sentiendum, quos nisi ex ipsorum de se confessione cognouisset, quomodo ne cui calumniam facerent, & stipendijs suis contenti essent, monere potuisset. Ad hunc modum legimus & Actorum 19. de illis, qui ad Pauli prædicationem conuertebantur ad Christum, & in cordibus compungebantur. Multi inquit, credentium ueniebant confitentes & annunciantes facta sua. Multi autem ex eis qui curiosas artes exercuerant, comportatos libros exusserunt coram omnibus, & supputatis precijs illorum repererunt pecuniæ quinquaginta milia. Hoc genus confessionis perinde habebat, ac si istis temporibus quisquàm ad Euangelij prædicationem corde compunctus ministro uerbi uitæ suæ conditionem aperiat (id quod & sæpenumero fieri scimus) & consilium emendandæ illius petat. Quid hic loci habet Papistica illa confessio, quæ primum necessario imponitur, deinde omnium peccatorum recensionem quotannis extorquet, ter tio ad hoc instituitur & exercetur, ut illius uirtute peccatorum impetretur remissio, & in qua pro commissis ad arbitrium sacerdotis certa satisfactio iniungitur. Hi, de quibus Euangelista meminit, primum uirtute prædicationis Euangelicæ compuncti, libere sua sponte Iohanni Act. 19.

hanni (si ita intelligendum quis urgeat) peccata sua confitebantur nemo cogebat, nemo id efflagitabat, nec dici potest quod omnes id fecerint, nec qui faciebant omnia peccata sua per speciem recensuerint, idq; non eo animo, ut à peccatis per Iohannem uirtute confessionis huius absoluerentur, sed ut instituendæ & emendandæ uitæ consilium acciperent. Proinde quæ hic facta sunt, longe alia sunt ratione, & alio modo facta, quàm quæ in confessione auriculari exiguntur.

Triplex confessio

Quid ergo? Peccatorum ne confessionem reijcimus? Insimulant nos huius regni Pontificij magis quàm ueritatis Dei assertores. Sed absit. Confessio peccatorum, & necessaria est peccatori & admodum salutaris, modo rite instituatur. Primum enim Deo confitendum esse docemus, ad exemplum Publicani, Lucæ 18. Et ut Dauid dixit, Psalm. 32. Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Hæc confessio si ex animo fiat, per fiduciam diuinæ gratiæ peccatorum remissionem impetrat, sicut duobus hisce locis iam adductis patet.

1ª fidei

Deinde eam etiam confessionem docemus, quæ proximo facienda est, de qua Lucæ 17. Si frater dixerit, pœnitet me, remitte ei. Et Matt. 5. Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & uade reconciliari fratri tuo. De hac est locus Iacobi, ubi dicit: Confitemini alter alteri peccata uestra, & orate alius pro alio, ut saluemini.

2ª proximo

Tertio nec eam reprobamus, quæ olim fuit in usu Ecclesiæ, publicam scilicet illam, cuius meminit Eusebius, de qua iam nihil superest in Ecclesia. Hæc erat publicorum criminum, ad hoc instituta, ut satisfieret Ecclesiæ & tollerentur offendicula. De hac est locus, Matth. 18. & 1. Corinth. 5. Tantisper usus huius in Ecclesia fuit, dum Christiani nondum erant Magistratus, & Episcopi ac ministri Ecclesiæ inculpatam uitæ conuersationem, ac disciplinæ Ecclesiasticæ uigorem retinebant: ubi uero Magistratus cœperunt esse Christiani, & cœptum est publicæ pœnitentes, occasione publicæ confessionis ac pœnitentiæ in periculum uitæ nominis, & facultatum rapere, ac Ecclesiasticæ castigatos gladij quoq; rigori subijcere, ad hæc Episcopi & ministri Ecclesiæ segniter primum, deinde & culpate cœperunt uiuere, ut sine pudore nequirent publicæ deliquentes in Ecclesia ipsi reprehensibiles corripere, tum demum sensim ista publicæ confessionis ac pœnitentiæ consuetudo omitti, & in desuetudinem duci cœpit, substituta in locum secreta confessione, quæ seorsum fieret presbytero ad hoc deputato, quem hodie Pœnitentiarium uocant. Quid Constantinopoli tali Pœnitentiario, cum muliercula pœnitentiam simulante acciderit commemorat historia Tripar. Vnde & occasio sumpta est, etiam hunc confitendi modum abrogandi. Et isto modo non cogebantur omnes fideles certo tempore confiteri, sed qui ita peccassent, ut meriti essent excommunicationem. Postea, ut fieri solet in huiusmodi traditionibus parum religiose habebantur, qui non aliquoties ita peccata sua confiterentur. Subsequuta est tandem lex, cogens etiam sub excommunicatione quemuis Christianum, non solum publica, sed occulta etiam, & soli Deo cognita, nec enormia tantum, sed simpliciter quæuis peccata certo anni tempore proprio, ut loquuntur sacerdoti confiteri. Ita tandem factum est, ut quod in prima Ecclesia moderatum fuit, degenerarit in immoderatum, quod publicum in secretum, quod specialium ac manifestorum quorundam delictorum, in quorumuis etiam occultissimorum, & quod uerbo Christi & Apostolico exemplo institutum erat, in libidinem & imperium hominum magis quomodo in Ecclesia dominentur, & detestanda curiositate fidelium secreta discant, & conscientias sibi obstrictas habeant, quàm quomodo Christo legitime seruiant, & mortalibus consulant quærentium.

3ª omit

Auricularis autem ista confessio, quæ uiolenter extorquetur usq; adeo incertum habet autorem, ut assertores illius inter se dissentiant, unde originem duxerit. Quidam conantur asserere iuris illam esse diuini, præceptum à Christo, ubi discipulis usum ac potestatem gladij dedisse legitur. Sed quæ de ligandi & soluendi potestate Apostolis data in Euangelicis scriptis habentur, talia sunt quæ Apostoli Euangelium prædicando exequuti sunt. Qui nanq; Euangelio per ministrum Christi prædicato credunt, & cum prioris uitæ pœnitentia fide remissionem peccatorum accipiunt, certe à peccatis absoluuntur, qui non credũt ligantur. Nec legimus uspiam alio modo Apostolos hac usos esse potestate, nisi quod publice delinquentes è grege Domini excluserunt, pœnitentes receperũt, 1. Cor. 5. et in posteriore ad eosdem. De auriculari confessione non legimus. Nec usi sunt illa nec aliquid mandati de illa dederunt. Alij scribunt hanc confessionem institutam esse ab Apostolo Iacobo, ubi dicit: Confitemini alter alteri peccata uestra. Sed hæc uerba ad mutuam fratrum reconciliationem pertinent, nec legem statuunt (nam Christus ante Iacobum hoc genus reconciliandi præcepit) sicuti nec sequentia, cum dicit: Et orate alius pro alio, ut saluemini. Hortationem habent ad resarciendam fraternam charitatẽ, legem de cõfessione auriculari, quæ iubeat laicum confiteri secreta delicta sacerdoti, non habent: alioqui iuberetur eadem lege & sacerdos uicißim confiteri laico omnia sua, utut occulta facinora. Confitemini enim inquit, alter alteri ἀλλήλοις, peccata uestra. Et Scotus super sententias libro quarto distinct. 17. quæst. 1. hac de re sic scribit. Nec mihi uidetur Iacobus inquit, hoc præceptũ dedisse, nec à Christo acceptum promulgasse. Primum enim unde fuisset illi autoritas obligandi totam Ecclesiam cum esset tantum Episcopus Ecclesiæ Hierosolymitanæ, nisi dicas illam Ecclesiam in principio fuisse principalem, & per consequens illum fuisse principalem Episcopum, quod non concedunt Romani. Deinde non magis dicit confessionem fiendam sacerdoti quàm alij. Subdit enim statim: Et orate pro inuicem ut saluemini, ubi nullus dicet eum instituisse præceptum diuinum, sed intellectus eius est sicut in illo uerbo, confitemini alterutrum, persuasio ad humilitatem ut scilicet generaliter nos confiteamur apud proximos esse pec-

Scotus.

catores, iuxta illud 1. Iohan. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, &c. Hæc Scotus. Et eodem loco iterum sic dicit, & concludit. Vel igitur tenendum est, quod sit de iure diuino promulgato per Euangelium Iohan. 20. Vel si illud non sufficiat, dicendum est, quod sit de iure diuino positiuo promulgato à Christo, Apostolis, absq; omni scriptura, sicut multa alia tenet Ecclesia oretenus per Apostolos sibi promulgata sine scriptura, cuius fundamentum est illud Iohannis. Multa quidem & alia signa fecit Iesus quæ non sunt scripta, &c. Hæc ille.

Alij aliud fingunt. De pœnit. distinct. 5. ca. In pœnitentia, glossa sic tradit. Sed melius dicitur confessionem institutam fuisse à quadam uniuersalis Ecclesiæ traditione potius, quàm ex noui uel ueteris testamenti autoritate. Et ibidem. Ergo, inquit, necessaria est confessio in mortalibus apud nos, apud Græcos non, quia non emanauit ad illos traditio talis sicut nec conficiunt in azymis, sed in fermentatis. Illud ergo Iacobi, confitemini alterutrum fuit consilij primo, alioqui ligaret & Græcos non obstante eorum consuetudine. Hæc ibi. Sed ita coguntur in diuersas nutare sententias, qui humanas adinuentiones palliare nituntur.

Sed ut ad confessionem redeamus, cuius hic Euangelista meminit, nemo piorum opinor inficias ibit, multorum profuturum conscientijs, si id obtineat in Ecclesia Christi, ut qui ad prædicationem resipiscentiæ, & regni cœlorum cordibus compuncti, de emendandæ uitæ ratione consilium petituri ministrum gratiæ Christi accedant, illiq; aperiant, si qua in re perturbata conscientia intricati hæreant, aut si quid tentationis sentiant, ut ex uerbo Domini antidota, uel in rebus tristibus consolationem petant. Sed hic locum non habet ulla coactio, sicuti nec isti, qui peccata sua à Iohanne baptizati confessi sunt, cuiusquàm sunt uiolentia & imperio impulsi. Quicquid hic factum legitur, uirtutem prædicatæ ueritatis, & liberos ad pietatem amplectendam motus, non imperium humanæ cuiusquàm traditionis, & coactionis resipit.

De instituenda iuuentute fidelium, alia est ineunda ratio. Hic locum habet coactio, ut parentes, & si qui alij potestatem hanc habent, adolescentiores etiam inuitos ministris Ecclesiæ sistant, ut de fide & oratione, Christianorum, deq; præceptis decalogi, & gratiæ Christi sacramentis interrogati respondeant, respondentes instruantur, & si qua in re culpabiles fuerint, ad iudicia maiorum corrigantur, & ad studium pietatis incitentur, idq; tum potissimum, quando celebranda est sacrosancta Dominicæ mensæ communio, ut ad hanc ij qui infra matrimonij statum sunt, nisi explorati, non admittantur.

Cum uidisset autem multos ex pharisæis & Sadducæis uenientes ad baptismum suum, dixit illis: Progenies uiperarum, quis uobis submonstrauit, ut fugeretis à uentura ira.

Acrem reprehensionem pharisæorum, & Sadducæorum commodum Euangelista in historia Iohannis præmittit, ut mox initio quale fuerit hoc hominum genus discentes, in progressu eorum, quæ de Christo subijcientur minus offendamur, ubi pharisæos, & Sadducæos Christo summe aduersatos esse legimus. De pharisæorum autem, & Sadducæorum sectis, & tertia illa quæ Essenorum uocabatur, uide Iosephum libro de bello Iudaico secundo capite septimo. Pharisæi profitebantur certiorem legalium rituum cognitionem, obseruabanturq; reuerenter à populo, et potiorẽ dominationis partẽ ad se traxerant, nec solũ scriptæ legis, sed & traditionum suarum onere populum premebant, qua in re illis Sadducæi plurimum aduersabantur, ut uidere est in Iosepho Antiquit. Iudaic. lib. 13. cap. 17. De Sadducæis, quo צדיקים, id est, iustos appellabant, mentio fiet infra cap. 22. Resurrectionem negabant, negabant item angelos esse, & spiritus, nec credebant animabus mortalium post mortem quicquàm uel honoris, uel supplicij expectandum, traditionibus Scribarum, & pharisæorum asserebant non esse obediendum, sed tantum scriptæ legi Dei. His adhærebant opulentiores. Esseni, tertium genus sectarum, quasi עשׂרים, id est, operantes, consimilem fermè uitæ conuersationem instituerant ei, quam simulant inter Christianos Cœnobitæ. Pars coniugium repudiabant, pars, sed cum summa cautione, admittebant. De his Iosephus lib. 2. de bello Iuda. cap. 7. copiose disserit.

Cum uidisset autem.) Quomodo, & unde cognouit eos homo in solitudine conuersatus? Sectarij erant singularis uitæ insolentiam absq; dubio, amictu quoq; externo à uulgi consuetudine separato, & notabili profitentes, unde perinde eos cognouit, atq; si hodie ex amictus insolentia monachum cognoscas.

Multos ex Pharisæis & Sadducæis uenientes ad baptismum suum.) Quo animo ad Iohannem uenerint, quæri potest. Mihi uerisimile est bono animo uenisse. Non enim simpliciter eos ad Iohannem, sed ad baptismum eius uenisse dicit. Proinde quod Lucæ 7. Christus pharisæos consilium Dei aduersus semetipsos, non baptizatos à Iohanne, spreuisse dicit, non ita intelligendum est, quasi nemo ex pharisæis Iohannis prædicationi paruerit. Neq; enim credibile est omnes fuisse in tanto numero deploratos. Nam & Nicodemus Iohan. 3. & Gamaliel Actorum 5. Vtiq; pharisæi fuerunt, & tamen animo pio, & bono prædit.

Admonemur hoc loco, ne quod genus hominum, etiamsi perditissimum, & ueritati insensissimum uideatur, penitus abijciamus, quasi prorsus nemo illi insit, qui lucrifieri possit, cum uideamus inter pharisæos fuisse qui cum Iohanne, tum Christo haud illibenter paruerint. Pharisæorum secta, quam Iohannes hic progeniem uiperarum uocat Christo, Nicodemum & Gamalielem postea, & Paulum dedit. Ex ordine senatorio, per quem condemnatus est Christus, datus est Ioseph ab Arimathæa. Militaris ordo centuriones dedit. Sceleratorum ac seditiosorum factio latronem, quem habuerat in flagitijs socium Christo tandem in cruce pendenti ac paradisum

radiſum intranti coniunxit. Hæc & quæ alia huiuſmodi in ſcripturis leguntur cogitanti, ut præſentis ſæculi experientiam taceam, quid aliud ſtatuẽdum erit, quàm ut certo teneat, nullum eſſe mortalium genus tam flagitioſum, tamq; deploratum, è quo non aliqui ueritati Chriſti lucrifieri poſſint?

Dixit illis, progenies uiperarum.) Satis dura & acerba eſt hæc προσηγορία. Irreuerenter excipit religioſos uiros, imò contumelioſe, uiperinam illis maliciam opprobrans, quin ne hoc quidem tantum, ſed & patres ipſorum uiperas faciens, cum eos progeniem uiperarum uocat. Viperinum genus omnium ſerpentum peſtilentißimum eſt, cuius ſanies, ut Plinius ſcribit, irremediabile malum mortem leui contactu incurabiliter infert. Vnde & Melitani barbari uidentes uiperam de manu Pauli poſt naufragium ſarmenta colligentis pendentem inter ſeſe dicebant. Omnino homicida eſt homo hic quem ſeruatum è mari ultio non ſinit uiuere. Aſt ubi uidebant illum excuſſa in ignem uipera nihil mali pati arbitrati futurum, ut incenderetur aut concideret repente mortuus, mutata mente dicebant eum eſſe Deũ. Tam uidelicet præſentem mortem adfert uirus uiperæ. Cum ergo ſciret Iohannes phariſæos, Sadducæos, cum reliquis eiuſdem malitiæ Scribis, ſacerdotibus, ac legiſperitis eadem laborare malitia, qua parentes ipſorum prophetas occiderant, ita ut parentum eſſent impleturi menſuram, opprobrat illis non propriam tantum, ſed & paternam malitiam, cum dicit: Progenies uiperarum. Hoc elogio & à Chriſto commendati ſunt infrà capite duodecimo & 23. ubi occaſio erit de illo quædam expendendi.

Actor. 28.

Quis uobis ſubmonſtrauit, ut fugeretis à uentura ira?) Satis emphaticè & cum admiratione dictum. Quis inquit, uobis tam peruerſis, tam deploratis, tamq; certo exitio quod breui futurũ eſt & generationi huic peßimæ imminet, præ alijs omnibus deſtinatis hunc animum indidit, ut futuram iram fugiatis? Et uerbum ſubmonſtrauit, quo Græce eſt ὑπέδειξεν notanter eſt poſitum. Significat enim clanculum iam iam capiundo, & pœnas daturo euadendi uiam, & conſilium tacitis nutibus, & indicijs monſtrare. De illis qui præſens malum quod inopinatis imminebat, ſiue caſu, ſiue ex animi præſagio admoniti, effugiunt, nos Germani dicimus, ſie haben ein guten geiſt gehabt, hoc eſt, uſi ſunt fideli ſubmonitore. Hoc ſenſu mihi uidetur Iohannes phariſæis, hic & Sadducæis admirabundus dicere. Quis uobis ſubmonſtrauit, ut fugeretis à uentura ira? q. d. Certe in tempore ſapitis, uſi bono aliquo genio, cuius ſubmonitu ad reſipiſcentiam confugitis, alioqui certißime perituri.

Quod autem admiratur quis iſtis phariſæis, & Sadducæis ſubmonſtrauerit, ut fugerent à uentura ira, haud eſt præter rationem. Erat enim hoc genus hominum primum ſumma infectum malitia, unde eos progeniem uiperarum uocauit, & præ alijs Iudæis cum primis dignum, quod ſingulari ultione periret. Deinde erat ingenio præditum ſupra modum pertinaci, & plane hypocritico, unde Chriſtus illos plerunq; uocat hypocritas, & tertio, erant in ſumma autoritate, habebantur pro iuſtis, doctis, & ſapientibus. His ueluti remoris fiebat, ut nunquàm ſuſtinerent ad aliquam permoueri reſipiſcentiam, ita ut Chriſtus dixerit: Publicani & meretrices præcedent uos in regnum Dei. Iam etiamſi iſti, quibus Iohannes loquitur, non adeò mali fuerint, ut reliquorum pertinaci malitiæ coniungi debeant, nihilominus reuera dignum erat admiratione, quod cum inter uiperas iſtas eſſent educati, fermento phariſaico imbuti, & abſq; dubio nonnihil reliquæ fecis contagione infecti, moribus phariſaicis relictis, & abiecta propriæ iuſticiæ opinione, nominis etiam gloria, & exiſtimatione, turbæ ſe reſipiſcentium coniungebant, & accepto pœnitentiæ baptiſmo peccatores eſſe ſe cum alijs confiteri haud erubeſcebant. Quanta nanq; ſit fermenti phariſaici uis, quamq; pertinax ſit nominis, & exiſtimationis retinaculum, non eſt opus ut in Iudaicis phariſæis & Sadducæis diſcamus, cum hæc noſtra tempora quotidie ob oculos noſtrorum phariſæorum & Sadducæorum pertinaciam obijciant.

Vt fugeretis à uentura ira.) Per iram futuram intelligit ultionem diuinam, quæ paulo poſt excidium illud erat iſti nationi allaturа, in quo iam annos 1500. miſera, & uaga detinetur. De hoc infrà capite uigeſimotertio & 24.

Vt fugeretis.) Certo erat ira illa ſuper nationem Iudæorum uentura. Interea tamen copia dabatur euadendi per fugam. Eſt autem duplex genus fugæ. Vnum uanum & irritum, quod eorum eſt qui corpore tantum fugam moliuntur. Horum fuga prorſus erat inanis. Nam etiam qui nec Hieroſolymis, nec in Iudæa opprimebantur, capiebantur tamen & uel ſeruituti ſubijciebantur uel occidebantur extra Iudæam, uel in Syria, uel in Aegypto, uel in Aſia. Nam paſſim in Iudæos iraſcente illis Deo ſæuiebatur. Qui ſic fugiunt manum Domini effugere haud quaquàm poterunt. De hac fuga eſt illud Amos quinto. Quomodo, inquit, ſi fugiat uir à facie Leonis, & occurrat ei urſus, & ingrediatur domum, & innitatur manu ſuper parietem, & mordeat eum coluber. Et Ezechielis ſexto. Qui longe eſt peſte morietur: qui prope, gladio occurret: qui reliquus eſt, & ſecurus, fame morietur. Hinc illud Dauidis. Quo à facie tua fugiam? Et Amos 9. Non erit fuga eis, & qui fugerit ex eis, non ſaluabitur. Si deſcenderint uſq; ad infernum, inde manus mea educet eos, & ſi aſcederint uſq; ad cœlum inde detraham eos. Etſi abſconditi fuerint in uertice Carmeli, inde ſcrutans auferam eos. Et ſi cælauerint ſe ab oculis meis in profundum maris, ibi mandabo ſerpenti, & mordebit eos, etſi abierint in captiuitatem coram inimicis ſuis, ibi mandabo gladio, & occidet eos, &c.

Alterum genus fugæ eſt, quo ſolo diuinam ultionem effugere datur. De hoc meminit hic Iohannes, dicens: Quis ſubmonſtrauit uobis, ut fugeretis à uentura ira? Quæ erat hæc fuga? Qua ſcilicet per reſipiſcentiam & animi humilitatem ira Dei placabatur. Veniebant ad baptiſmum Iohannis, qui baptiſmus erat reſipiſcentiæ. Hæc erat unica ratio à uentura ultione fugiendi.

Hæc fuga est eorum, qui uerbo Dei fidem habent, & Deum erga se placatum reddere cupiunt. Per hanc fugam Niniuitæ diuinam ultionem euaserunt.

Illi uerò omnium sunt insanissimi, qui nec priore, nec posteriore modo fugam irascente Deo moliuntur, sed utribus uel suis uel aliorum, æque impiorum, freti sæuienti ultioni temere reluctaturi obuiam ire non uerentur.

Facite igitur fructus qui deceant pœnitentiam.

Q. d. At posteaquàm ad baptismum pœnitentiæ cum alijs uos, ut iram imminentem fugiatis, adestis, reliquum erit, ut ipsa ueritate, hoc est, certis & competentibus indicijs testemini uos ex animo resipuisse. Neq; enim fucis, & hypocrisi hic agitur. Absit simulationis fermentum, ut baptismo isti, qui animum resipiscentem poscit, uera quoq; resipiscentia accedat, & talis quam fructibus qui pœnitentiam deceant, testemini.

OBSER.

1 Videmus hic quo affectu sancti peccatores increpare soleant. Qui sinistro animo increpant nihil aliud agunt, quàm ut eos quos increpant pudore suffusos, & contemptos exufflent, & abijciant, deinde seipsos tanquàm iustos palpent, nihil minus quærentes, quàm ut qui male egit, delicta emendet, ut seruari possit. Iohannes uero licet acriter pharisæos istos, & Sadducæos corripuerit, salutem tamen illorum quærit, admonens, ut quod foris baptismi symbolo præferebant, ipsa re ueritate testentur, si uere imminentem iram effugere cupiant. Morbi magnitudo sectionem flagitabat, illi uero ut prodesse possit consilium ueræ sanitatis adijcit, docens quid sit salutis gratia faciendum.

2 Deinde uidemus hoc loco, si placanda sit ira Dei, non fucis agendum, sed uera ac solida pœnitentia, quæ suis fructibus, uelut certis indicijs demonstretur. Simulant Pontificij quotannis quorundam ciborum abdicatione, auriculari confessione, cineris aspersione, & quibusdam cautionibus resipiscentiam, ac pœnitentiam uerbis sonantibus. At interea dum hæc omnia simulantur, quotus quisq; est, qui exemplo Niniuitarum uitam emendet, & ueros fructus pœnitentiæ ædat? His omnibus pœnitentiæ prædicator inclamat: Facite fructus qui deceant pœnitentiam.

3 Tertio loco, quærendum est, qui sint ueri pœnitentiæ fructus. Qui peccata sua ex animo agnoscit, deq; commissis uere dolet, is procul abijciet omnem hypocrisim, induet ueram animi humilitatem, medicum salutis non solum admittet, sed omnium cupidissime expetet, à pristinæ uitæ delictis, & à quibuscunq; alijs, non modo abstinebit sed summo studio quasuis illorum occasiones etiam uitabit, imò abhorrebit uehementer, & ut antea turpitudini uitæ ita iam puritati innocentiæ, & ueræ pietatis singulari diligentia inuigilabit. Hi sunt in genere fructus animi uere resipiscentis.

Et ne sitis hac mente, ut dicatis intra uos ipsos, patrem habemus Abraham. Dico enim uobis, quod possit Deus facere, ut ex lapidibus his filij surgant Abrahamo.

Quid hoc est? Qua de causa uetant ne dicant se patrem habere Abrahamum? Primum, erant semen Abrahæ, teste etiam Christo, Iohan. 8. Scio quod semen Abrahæ sitis, inquit. Deinde fœdus Dei, non solum cum Abrahamo, sed & cum semine eius ictum erat. Gen. 17. Tertio, poterant etiam cum fructu memores esse posteritatis Abrahæ, unde admonerentur, ut & uestigia Abrahæ sequerentur. Cur ergo dicit: Et ne sitis hac mente, ut dicatis intra uos ipsos, patrem habemus Abrahamum?

Respondeo. Principio sciebat hoc Iohannes, quod essent posteri Abrahæ. Deinde sciebat etiam memoriam Abrahæ, ad quam Esa. 51. prouocantur, si illa rite seruetur multum posse ad excitandum in posteris illius pietatis auitæ studium. Hanc illis, si uoluissent Abrahæ patris uestigijs ingredi, nunquàm eripuisset. Verum quoniam præpostero modo securitatem sibi ex promissis Abrahæ diuinitus factis, quàmuis impij, & magis uiperarum, quàm Abrahæ progenies in peccatis pollicebantur, sibiq; ipsis persuadebant fieri non posse, ut ultione diuina excinderentur, propter fœdus Dei cum Abraham, ac posteris eius in sempiternum erectum, indeq; fiebat, ut nullis diuinæ ultionis minis ad pœnitentiam permouerentur, commodum post adhortationem ad fructus pœnitentiæ declarandos istam illis præposteram securitatem, de prærogatiuis Abrahæ patris ipsorum conceptam, eximendam putauit, quasi dicat. Magnifica quidem patri nostro Abrahæ, seminiq; illius diuina bonitas pollicita est, quæ pro ueritate quoq; sua omnium certissime præstabit, ob eam tamen causam necesse non est, ut uestram impietatem, & impœnitentiam abire sinat inultam, quasi defuturus sit ueritati promissionum suarum, si uos penitus extirpet. Absit. Ea præditus est potentia, ut uobis omnibus funditus exterminatis germanos Abrahæ filios, uel ex lapidibus istis excitare queat, quibus quæ pollicitus est Abrahæ uerax Deus seruet. Neq; enim carnali propagatione æstimat filios Abrahæ. Alioqui & Ismaël, & Esau ex Abrahamo erant.

Dico enim uobis, quod possit Deus, &c.) Hæc est ratio adiecta admonitioni. Hanc sumpsit ex consideratione diuinæ potentiæ, qua possibilia sunt etiam quæ nobis uidentur esse impossibilia. Putabant Iudæi impossibile esse, ut promissiones suas Deus irritas fieri sinat. Et hactenus recte. Deus enim uerax est, omnis homo mendax. Hoc autem falsum erat, quod putabant si ipsi perderentur defuturos Abrahæ filios, in quibus diuina promissa compleantur. Huic cogitationi occurrit per argumentum potentiæ Dei, quasi dicat. Hoc uobis assero, eius esse potentiæ Deum, ut etiam si uos omnes, ut meriti estis, prorsus deleat, aliunde queat Abrahamo dilecto suo suscitare filios, etiam ex hisce lapidibus, utut ad eam rem inepti uidentur, quos in fœdus suum assumat, & quibus quæ Abrahamo promisit præstet. Consimili argumento usus est, & Christus, Lucæ 19. dicens: Quod si hi tacuerint, lapides clamabunt. Ad hanc potentiam Dei respexit Abraham,

cum

cum iuberetur immolare filium suum Isaac, Hebr. 11.

Extra hunc sensum, adiecta ratio propositam admonitionem parum solide roborabit. Alioqui quæ esset ista consequentia. Nolite dicere, patrem habemus Abrahamum. Quare? Dico enim uobis, quod potens sit Deus, de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Quæso, prohibebat ne hoc eos dicere, quod filij essent Abrahæ, quod Deus potens est undecunq; suscitare filios Abrahæ? Potest Deus ex lapidibus facere homines. An ob eam causam ego non dicam me esse hominem? Faciebat Christus ex aqua uinum. An ideò uinum ex uite natum non erit uinum? Num ideò non sum Christianus, quod potest Deus ex lapidibus facere Christianos? Iudæi in Christum credentes, non erant ueri filij Abrahæ, propterea quod qui ex Gentibus in Christum crediderunt facti ueri filij Abrahæ sunt? Nulla est hic contradictio. Necesse igitur est Iohannem ista sensu quem notaui dixisse.

OBSER.

Monemur hoc loco ne fidamus quibuscunq; prærogatiuis, siue nostris, siue maiorum nostrorum, si fuerimus in peccatis obstinati, & impœnitentes. Iudæi prohibentur gloriari in Abrahamo, quem habent & generis, & fidei parentem, & in quo benedictionis diuinæ exordium acceperunt, & hodie Pontificij gloriantur in Petro, Romana sedes iactat sedem, & successionem Apostolorum, nauiculam Petri mergi non posse, hoc est, securi sunt ex prærogatiua Petri, quasi perdi non possint, cum omnium sint impiissimi, qui potissimum hæc iactant. Consimili modo, qui in Ecclesia ipsissimi sunt χριστεμποροί, non Christum, sed quæstum, & fastum, & luxum, ac turpissimum ocium, ut impunitam illam, ac uagam scortandi libidinem taceam, sectantes Ecclesiam, ac præsentiam spiritus sancti, homines uanissimi iactant. Sunt qui de Benedicto quodam, aut Francisco, aut Dominico, uel Augustino, nonnulli etiam de beata uirgine, tanquàm ipsorum sorore gloriantur, & nescio quam sibi salutis securitatem pollicentur. Isti omnes falluntur, nisi uitam emendent, & synceræ fidei prærogatiua salutem in Christo unico Magistro, doctore, ac seruatore quærant.

OBSER.

Potens est enim Deus ex lapidibus.) Argumentum hoc potentiæ Dei, & nobis hodie potissimum notandum est, ne dicamus intra nos, Christiani sumus, & modica portio ex omnibus illis Ecclesijs, quæ Christum confessæ sunt. Christo datum est regnum æternum à patre, cuius modicæ adhuc in nobis supersunt reliquiæ. Si perderemur, perderetur penitus regnum Christi. Sed hoc fieri nequit. Ergo securi sumus, ne penitus perdamur. Hic dicetur nobis. Etiamsi uos ad unum usq; omnes propter impœnitentiam uestram è medio tollat ultio diuina, non tamen ob eam causam finem habebit regnum Christi. Potest enim Deus pater filio suo regni perpetuitatem absque nobis conseruare, & credentes illi, uel ex durissimis lapidibus suscitare.

Deinde admonemur etiam hoc loco, quàm non debeamus desperare de illis, qui ad suscipiendam Euangelicæ doctrinæ formam, quouis sunt lapide duriores, & ineptiores, cum posit Deus filios Abrahæ ex lapidibus formare.

Auferam inquit, cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum. Item. Spiritum nouum ponam in uisceribus eorum, &c. Ezech. 11.

Iam uerò & securis ad radicem arborum posita est. Omnis igitur arbor, quæ non facit fructum bonum, excidítur, & ín ignem mittitur.

Minatur excidium illud, quod per Romanos postea isti Genti illatum est. Et quoniam eos ad ueram pœnitentiam impellere conatur, omnia ita formát, ut non qualemcunq; plagam, sed omnimodum exitium idque non longo post tempore futurum, sed iam iam paratum nisi resipiscant, ob oculos exponant.

Huc utitur similitudine hortulani, qui etiamsi aliquandiu arbori infrugiferæ parcat, circum illam fódiat, noxios ramusculos amputet, & quæ alia solent contra sterilitatem arboribus impendi remedia, cum patientia impendat, hoc animo tamen non est, ut eadem perpetuo erga infrugiferam arborem utatur lenitate. Sed tandem ubi omnia deplorata uidentur admota securi sterilem & inanem arborem excidit. Ad hunc inquit modum, posteaquàm toties estis uirga disciplinæ Dei frustra correpti, nunc bello, nunc peste, nunc fame adflicti, primum in Aegyptum, deinde in Assyriam, post in Babylonem captiui abducti, ad hæc toties per prophetas frustra ad pœnitentiam uocati semper in eadem pertinacia, & malitia perduraſtis, tandem ita exarsit in hanc Gentem ira Dei, ut nisi confestim resipiscatis, radicitus sitis excidendi. Iam enim non culter sarmentarius, sed securis excisionis admota est, non ramis, sed ipsis arborum radicibus, non purgationem frustraneam ut antea, sed omnimodum excidium illatura. Vnde & infert: Omnis igitur arbor, quæ non facit fructum bonum, excidítur, & in ignem mittitur.

Habet hæc similitudo magnam lucem, obijcitq; omnium iustissimam æquitatem diuinæ ultionis, qua puniuntur impœnitentes. Hac utitur & CHRISTVS infrà capite septimo, & Lucæ decimotertio capite. Quid enim iustius quàm infrugiferam arborem, cuius sterilitas nullo pacto tolli potuit, è medio tollere, & igni deputare? Quid illis, qui per impœnitentiam omnem diuinæ bontatis curam, omnemq́ue lenitatem, & patientiam uincunnt, & irritam reddunt, aliud expectandum esse potest, quàm quod merito infertur arbori perpetuo sterili?

OBSER.

Securis ad radicem arborum.) Quod ad extremam perditionem minatur isti nationi, de qua & CHRISTVS infrà capite uigesimoquarto. Oportet magnum peccatum fuisse in eo populo, quod priorem malitiam longe superarit, & iram

Dei huc permouerit, ut quos antea uirga disciplinæ castigarat, tandem penitus exterminare proposuerit. Quod autem peccatum illud fuerit, Christus ipse alicubi satis aperit, ut Lucæ 19. Quia inquit, non cognouisti tempus uisitationis tuæ. Et infrà capite 21. in parabola uineæ, ubi illis obijcitur, quod seruos ad petendum fructum uineæ missos, probris affecerint, & contumeliosè occiderint, tandem etiam ipsum filium extra uineam eiectum interemerint. Et capite 23. Ecce inquit, ego mitto ad uos prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis uestris, & persequimini de ciuitate in ciuitatem, ut ueniat super uos omnis sanguis iustus, qui effusus est supra terram, &c.

Peccatum ergo Iudæorum erat quo ad extremum usq; excidium iram Dei contra se exacerbarunt, fuit primum deplorata, & obstinata malitia, & incurabilis impœnitentia, qua omnem cum prophetarum, tum Iohannis, tum ipsius Christi, deinde & Apostolorum admonitionem uanam & irritam reddiderunt.

Deinde pertinax impugnatio etiam diuinæ ueritatis, quàm Stephanus illis obiecit, dicens: Duri ceruice, uos semper restitistis spiritui sancto.

Tertio immanis illa crudelitas, qua sæuierunt in ministros Dei, & ad se diuinitus missos contumeliosè occiderunt, ita ut & ipsum filium Dei summis probris ac turpissima morte affectum, omnibus exosum, & explosum reddere conati sint. Videat nunc orbis Christianus, num ab his peccatis liber sit, etsi pari obnoxius est malitiæ impœnitentiæ, & crudelitati an fieri possit, ut non aliquando pari sit ultione puniendus.

2 Iam posita est securis.) Quomodo erat posita? Securis illa erat potestas Romanorum, instrumentum iræ Dei, cui iam tamen erant Iudæi subiecti, breui post per illam excindendi. Sed uide num etiam nobis admoueatur securis iræ Dei, tyrannis illa Turcica, cui maior portio Christiani orbis iam dudum cesit.

3 Qui non facit fructum bonum.) Hæc est adiecta conditio, per quam licebat imminentem iram effugere. Vide quomodo etiam irascente Deo, & exterminationem minitante, adhuc locus relictus sit auertendæ ultionis. Interea dum irascitur mittit monitores, qui peccatores, tot modis dignos qui perdantur, ad resipiscentiam uocent, & uenturæ plagæ subripiant. Tantam gratiam isti populo nunquam antea obtulerat, quanta tum per Christum adferebatur, & per Iohannem adnunciabatur, cum extremum ei genti immineret excidium. Quid hodie cogitandum sit Germaniæ, quidq; cauendum, exemplo isto Iudæorum qui corda intelligendi habent abunde satis admonentur.

4 Expendenda ista conditio, qua dicit, quæ non adfert fructum bonũ. Poscitur à populo dei, ut sint ueluti bonæ arbores, ueræ pietatis, & omnis boni feraces. Et qui hoc poscit simul gratiam suam, sine qua nemo quicquàm boni fructus ferre poterit, sedulus impendit. Vide Esa. capite quinto, & Matth. uigesimo primo. Et hoc potissimum faciebat per aduentum filij sui. Vt merito Iohannes dixerit: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur, quasi dicat. Iam istis arboribus tamdiu sterilibus, & malis, extrema cura, & omnium efficacissima impenditur, quæ si uana fuerit causam dabit illas radicitus excidendi. Iam cogitemus, quid nobis expectandum sit, si malitia nostra curam hanc, & gratiam Dei, quæ per Euangelium Christi adfertur, inanem reddiderimus. Videat quisq; qualis sit arbor, & quid fructus adferat. Nemo excipitur. Omnis inquit, arbor. Nec dicit, omnis arbor quæ fert fructus malos, exciditur. Bonæ arboris est non solum malis carere fructibus, sed etiam bonos adferre. Ipsa sterilitas arboris est malitia. Nemo igitur sese palpet, quasi satis sit non facere quæ mala sunt. Primum quidem est in studio pietatis, abstinere à malo, at satis haud quaquàm est, nisi & alterum accedat, fœcunditas scilicet boni fructus, hoc est, ueræ fidei, charitatis, spei, timoris Domini, & solidæ pietatis, &c.

Ego quidem baptizo uos aqua ad pœnitentiam. At ille qui post me uenturus est, fortior me est cuius non sum idoneus ut calciamenta portem, ipse uos baptizabit spiritu sancto & igni, cuius uentilabrũ in manu ipsius, & repurgabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleam autem exuret igne inextinguibili.

Ista non ad pharisæos duntaxat, & Sadducæos, sed ad uniuersum populum, Deinde & ex certa causa, dicta sunt. Vtrunq; uidere est in Luca capite tertio. Lucæ 3. Vbi sic legimus. Expectante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Iohanne, num ipse esset ille Christus, respondit Iohannes, dicens uniuersis: Ego quidem aqua baptizo uos, sed ueniet fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calciamentorum, ipse uos baptizabit spiritu sancto, & igni, cuius uentilabrum in manu ipsius, &c. Quod ad uniuersum populum dicta sint ex eo patet, quod dicit, respondit Iohannes uniuersis. Qua uero ratione hæc dixerit, inde manifestum est, quod Euangelista præmittit, dicens: Expectante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Iohanne, num ipse esset ille Christus, respondit Iohannes dicens uniuersis: Ego quidem aqua baptizo uos, &c. Volunt istam opinionem omnium animis eximere, & huius gratia, primum diserte prædicit adfuturum post se alium, qui multo sit fortior, cuius ipse dignus non sit corrigiam soluere calciamenti. Deinde simul declarat etiam quomodo is se sit fortior idq; per collationem facit sui, & Christi baptismi. Baptismum suum extenuat dicens: Ego quidem baptizo uos, sed in aqua quasi dicat: Ego ille quem uos arbitramini esse Christum, aqua tantum uos baptizo, per quam certe nec peccatis liberamini, nec mentes uestræ purgantur aut renouantur. Quod facio ministerium est serui, & præparatio ad futuram gratiam, per pœnitentiam qua uos ad Christum iam

iam

iam adfuturum dirigo. At qui post me uenturus est, fortior me est, &c. Ipse, non ego, baptizabit uos cœlesti aqua, per prophetas promissa, spiritu uidelicet sancto & igni, hoc est, regenerabit uos, mentes uestras immutabit, illustrabit & purgabit. Hoc non facit meus baptismus quo non mentes, sed corpora tinguntur, facit autem eius, quem breui adfuturum affirmo. Huius tanta est uirtus, ut omnium corda in manu sua habeat, illaq; per spiritum suum regenerare ac renouare possit. Præterea Christum se fortiorem esse etiam in eo declarat, quod is potestatem habeat discriminandi inter electos ac reprobos, electos seruandi, & reprobos perdendi. Cuius inquit, uentilabrum in manu ipsius, & repurgabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleam autem exuret igni inextinguibili. Quibus certe uerbis omnino diuinam Christo potestatem adscribit, sicuti & in eo quod illi assignat baptismum spiritus.

His itaq; uerbis Iohannes officium suum fideliter exequitur, cuius gratia Christo erat præcursor à Deo missus. Quosuis à se ad Christum dirigit, & ob eam causam & se, & ministerium suum extenuat, Christum uero, & uirtutem illius extollit. Hic est unicus Iohanni scopus, quem utinam omnes Christi sequantur ministri. Sed uideamus ex ordine singula.

Baptizo uos aqua.) De baptismate Iohannis, & quo Christiani utimur, dixi supra. Quod ad hunc locum attinet obseruanda est ratio, ob quam & se, & baptisma suum Iohannes tantopere deijcit, cum tamen à Deo esset ad hoc missus, ut prædicaret baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Baptismum suum non ita modici momenti facit, quod in se talis esset æstimandus, absit, sed quod intelligebat, & se, & illum pluris fieri, quàm oportebat, & quod ad præparanda credentium corda, & ad Christum dirigenda diuinitus erat institutum sentiebat in diuersum rapi, & occasionem fieri impediendæ cognitionis Christi. Licet itaq; magni momenti esset pœnitentiæ baptisma, quod ad remissionem peccatorum ex uoluntate Dei prædicabat quia tamen ex eo principalis scopus, qui erat, ut Christus manifestaretur, interuertebatur hac uulgi opinione, qua Christus esse putabatur, recte per collationem uirtutis ac baptismatis Christi, & se & suam functionem deijcit, ut uirtus Christi quæreretur ac susciperetur.

Ad hunc modum & à Paulo factum uidemus, 1. Corinth. 1. & 3. ubi dicit se ad baptizandum non esse missum sed ad Euangelizandum, & eum qui plantat esse nihil, nec eum quicquàm esse qui rigat, sed Deum qui dat incrementum. Huc adigebatur improbitate falsorum Apostolorum, qui baptizando non Christo, sed sibijpsis discipulos colligebant, & unitatem Ecclesiæ Christi scindebant, per id, quod pluris fiebant quàm Christi ministris conueniebat. Quapropter recte Apostolus & baptismum, & totum uerbi ministerium nihil esse dicit, sed Deum omnia facit, qui solus dat incrementum, sine quo nihil certe uterq; & plantans, & rigans unquàm efficiet.

1. Cor. 1. 3.

Admonemur ergo hoc Iohannis. Primum deinde & Apostoli exemplo quatenus extollenda sit ministerij Ecclesiastici functio, & quatenus deprimenda. Quatenus Christo seruitur, non humanæ autoritati contra Christum, hactenus auguste sentiendum est de Christi ministris, illorumq; functione. Vbi uero non Christo seruitur, sed mortalium cupiditatibus, gloriæ, regno, quæstui, superstitioni, & erroribus, & quæ Christo sunt attribuenda ministerio, & autoritati seruorum dantur, ut Christi gloria transferatur in ministrum, hic omnino sequendum est præsens Iohannis exemplum, idq; absq; dubio facient germani Christi ministri, dicentq; cum Iohanne & Paulo.

Nos quidem baptizamus aqua & uerbum uocale illud administramus, uerum Christus unus est, qui baptizat spiritu sancto & corda mortalium regenerat. Nos plantamus & rigamus, uerum quod nos facimus plane nihil est, nisi Deus det incrementum.

Fortior me est.) Non intelligebant Iudæi, qualis futura redemptio per Christum, qualem exigeret uirtutem redemptoris, quia miseriam & perditionem redimendi humani generis non intelligebant. De hac Christi fortitudine loquitur hic Iohannes, q. d. Opus Christi futurum, & regnum quod à Deo patre accepit, maiores uires requirunt quàm uel à me uel à quoquàm præstari poterunt. Ego minister illius sum, ille uero Dominus est, omnium potestate à patre accepta præditus. Quod ergo Iohannes imbecillitatem suam agnoscit, & fatetur, ut Christo gloriam uirtutis, & potentiæ tribuat, ad saluandum uidelicet, & ad perdendum, ad saluandum electos, & perdendum reprobos, simul nos admonet, neminem prorsus ex omnibus sanctis saluandi uirtute, neq; perdendi etiam præditum esse, præter unum Christum. Si nanq; Iohannes ille, quo maior inter natos mulierum nemo unquàm surrexit, ad eam rem nihil habet uirtutis, quis nam ex reliquis est, qui habeat? Quis sanctorum de satana, morte, peccati tyrannide, & ipsis inferorum claustris triumphum referre potuisset, præter unum Christum? Proinde qui ad sanctos confugiunt, nec sanctorum imbecillitatem, nec mortis, peccati, & satanæ tyrannidem, nec Christi intelligunt potentiam.

Cuius non sum dignus, &c.) Commendatur hic à plerisq; Iohannis humilitas, quæ sanè merito prædicatur, & obseruatur. Mihi uerò magis Christi uirtus, & gloria hoc loco, & à Iohanne commendari, & à nobis obseruanda uidetur. Prædicat enim hic de Christo ampliora, quàm cuiquàm mortalium conueniant. Quis enim hominum adeo uilis est, ut indignus sit, qui homini seruiat quàmuis præclaro. Notabimus ergo hic, quantæ dignitatis sit ulla in re seruire Christo, etiam omnium leuissima, si Iohannes indignum se dicit, qui corrigiam illi calciamenti soluat. Quæso quanta dignitas est Christum esurientem pascere, nudum uestire, infirmum uisitare, peregrinum hospitio suscipere, si tanti est corrigiam illi calciamenti soluere. Si ad ista indigni sumus, quomodo digni sumus, ut uerbo & spiritu illius regamur, ut fratres illius simus, & cum illo in

sempiternum

sempiternum uiuamus & regnemus? At utut indigni simus ad hæc omnia per gratiã illius uocati sumus. Quàm decet ergo ut ad istam bonitatem Dei, agnita nostra uilitate, & Christi gloria, perpetuo grati simus.

Deinde & hoc notandum est. Iohannes agnoscit se indignum etiam uilissimo ministeriolo Christo exhibendo, & interea tamen illi ad res certe magnas seruit, nec uocationem suam deserit. Ita fateamur quidem ubiq; nostram uilitatem, dicamusq; cum Iohanne: Indigni sumus qui Christo corrigiam calciamenti soluamus, interea tamen quod iniunctum ab illo est fideliter exequamur, & beneficijs illius, utut indigni simus, cum gratiarum actione fruamur.

Ipse uos baptizabit spiritusancto & igne) Hoc
1 est opus Christi in electis, baptizare in spiritu, & igne, est corda electorum regenerare, innouare, & purgare, est in adoptionem filiorũ Dei inaugurari, & consecrare. Hoc cum Christo adscribitur, plane diuina potentia
2 adscribitur. Quis enim potest corda mortalium immutare, & ex carnalibus spiritalia, ex impuris pura, ex impijs pia, & iusta facere, & ex regno satanæ peccati & mortis, ereptos esse filios Dei constituere, nisi is per quem omnia sunt facta, qui omnium corda in manu sua habet, qui omnem potestatem à patre accepit.

Obseruandum autem est, quod non hoc solum Chri
3 sto datur à Iohanne, quod possit baptizare spiritusancto & igni, sed quod hoc etiam faciat. Baptizabit, inquit, &c. Necesse est igitur expertes esse Christi quotquot hoc spiritussancti baptismo destituti sunt. Qui spi
Rom. 8. ritum Christi non habet, inquit, hic non est eius. Hunc spiritus sancti baptismũ pollicitus est Deus electis suis per prophetas, ut uidere est Ezech. 36.

Et igni.) Fertur de quibusdam Christianis in India, quod non aqua solum, sed & igni suos baptizent, signaculo crucis per ignitum ferrum fronti impresso. Quod an uerum sit non ausim affirmare. Videntur forsan ex his uerbis moti, quod Christus suos non spiritu tantum, sed & igni baptizet. Verum quæ hic Iohannes dicit, ut non de spiritu illo, quem aërem uel auram, uel flatum uocamus, ita neq; de igne illo terrestri, intelligenda sunt, sed de uirtute Dei, qua corda credentium regenerantur, illuminantur, purgantur, & accenduntur, hoc est, qua ex carnali homine, & terrestri, spiritalis, & cœlestis formatur. Ita uirtus illa Dei, qua imbuebantur Apostoli, in specie ignis, & sonitu spiritus uehemẽtis cõparuisse legitur. Spiritus et ignis dictiones
Actor. 2. metaphoricè sumptæ sunt hoc loco. Vere nanq; uirtus Dei, quam scriptura spiritum uocat, nec spiritus est, nec ignis, sed his dictionibus quemadmodum & aquæ operationes illius utcunq; delineantur. De spiritu habes Iohannis tertio. Vocem inquit, eius audis, & nescis unde ueniat, aut quo uadat. Quod Iohannis quarto Christus dicit: Deus spiritus est, non est de flatu nobis cognito, & sensibili dictum, sicut nec illud quod sequitur. Et eos qui adorant eum in spiritu, & ueritate oportet adorare, aliter dictum est, quam de mente hominis, non de flatu oris eius. Magna est uentorum uis in rebus penetrandis & immutandis, quæ totum orbem circumquaq; pertingit. Magna est uirtus aëris, sine qua nec homines, nec bestiæ, nec plantæ in uita consistere possunt. Igni uis est illuminandi, consumendi, & purgandi, aquæ humectandi, fructificandi, & mundandi, unde factum est, ut his dictionibus spiritus sancti operationes nobis in scripturis considerandæ proponantur, quæ certe multo sunt agiliores, fortiores, ac penetrantiores in regno Christi, quàm in corporalium rerum natura sunt uel spiritus, uel ignis, uel aqua. Ignei huius baptismatis, quo suos Christus in nouo testamento baptizat, typus in lege fuit ignis ille perpetuus, de quo legere est Leuitici sexto. Et cum lex daretur populo Israëlis, in flamma ignis dabatur, ad innuendum fore aliquando, ut uirtute spiritus corda populi Dei illuminentur, accendantur, & purgentur. Et huc uidetur respicere Moses cum de Deo dicit: Et ignea lux à dextera eius.

Vt ergo Christianorum corda uirtute spiritussancti illuminantur, ut ueritatem cognoscant, regenerantur in nouam uitam, ut Deo in sempiternum uiuant, purgantur ut sancte uiuant, dum per gratiam Christi operante spiritusancto baptizantur, hoc est, in sortem filiorum Dei inaugurantur & obsignantur, ita certe et inflammantur, ut studio pietatis, & uera dilectione Dei ferueant.

Videndum autem est, ut cuiusq; feruor quemadmodum & spiritus, qualis sit probetur. Est enim feruor quidam adulterinus, zeli uidelicet & æmulationis peruersæ. Caro suis inuentis afficitur impensius. Et hinc est, quod plerunq; plus feruoris in reprobis, pro humanis statutis, quàm in pijs pro ipso uerbo Dei deprehenditur. Præ Phariseis discipuli Christi, imò Christus ipse, frigere uidebantur. Et ueri prophetæ, quemadmodum & ueri Apostoli, falsis prophetis & Apostolis collati in speciem, propemodum sordebant. Verum utri recto feruore præditi fuerint, finis ipse declarauit. Quid quisq; zelet & æmuletur, quoue feruore ducatur nõ est melior nota quàm quæ ex syncera charitate ducitur. Boni spiritus notæ Gal. 6. exprimuntur.

Cuius uentilabrum in manu sua, &c.) Orationem suam ut cœpit, ita & minarum seueritate concludit. Initio dixit, uenturam iram imò iam tum radicibus arborum appositam esse securim, ita iam conclusurus ad easdem comminationes redit, sed sub alia allegoria. Illic similitudine arborum, hic uero similitudine agricolæ, triticum suum purgantis, iudicium Dei, quod Israëli imminebat, ob oculos exponit dicens: Cuius uentilabrum in manu sua, & purgabit aream suam, & triticum colliget in horreum suum, paleas uerò comburet igni inextinguibili. Per aream intelligit populum Israëlis: per horreum, regnum Dei: per uentilabrum, sermonem regni: per triticum electos ac ueros Israëlitas: per paleas, reprobos & incredulos: per ignem qui extingui nequeat, supplicium impiorum, & incredulorum. Iam enim tempus aduenerat probandi, ac discernendi Israëlis, quod per Euangelij prædicationem factum est, per quam patefactum est, qui ueri, qui

falsi

Lucæ 2. falsi fuerint Israëlitæ, ad quam respexit Simeon, dicens: Hic positus est in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Hoc est, quod Christus dixit, se non pacem, sed separationem adferre, Lucæ duodecimo. Qua separatione facta, subsequutum est iudicium Dei, quo corporaliter per Romanos, spiritaliter uerò per spiritus diuini iudicij ministros, in ignem coniectæ sunt Iudæorum paleæ, & in horreum regni Dei congregatum triticum.

Poterat Iohannes apertis uerbis sine omni allegoria, huius admonere Iudæos, sed maluit non solum uerbis futurum Dei iudicium inculcare, sed & omnium notißimæ rei similitudine, ueluti reipsa ob oculos considerandum exponere. Quid enim omnia illa beneficia Dei, Israëli iam inde à patribus ad id usq; temporis, cum per Moysen, tum per prophetas, & ipsum denique Iohannem impensa fuerant aliud, quàm agricultura quædam ad hoc instituta, ut electi in fide Dei alerentur, & ueros pietatis fructus ferrent? Vbi uero tempus aduenerat, ut filij Dei in regnum Dei uelut triticum in horreum, congregarentur, quid aliud futurum erat per aduentum Christi, quàm ut per sermonem regni Dei fieret discriminatio tritici à paleis, hoc est, separatio bonorum ac reproborum, quam statim reproborum exciperet condemnatio & perditio, & mali male perderentur? Hoc uult quod dicit, cuius uentilabrum in manu ipsius.

Ad hunc modum & in gentibus instituta est agricultura regni Dei, de qua 1. Corinth. 3. Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. Hæc aliquandiu durauit. Iam uerò nihil est expectandum aliud, quam agricolæ uentilabrum, quo triticum à paleis separetur, & tandem in horreum Domini cum reponatur, paleæ uerò comburantur, hoc est, ueri ac synceri Christiani per Euangelij prædicationem à falsis discernantur, ac tandem in fine mundi in regnum cœlorum recipiantur, reprobi uero in ignem æternum abijciantur.

Exponunt hunc locum plerunq; de extremo iudicio, in quo agni separabuntur ab hœdis, boni à malis, de quo est infrà capite uigesimoquinto. Mihi tamen quam posui simplicior uidetur istorum uerborum sententia. Interea tamen uerum est, separationem bonorum, omnimodam illam & finalem, non nisi in die iudicij futuram, etiamsi oues perditas domus Israël Christus ex hœdis triticum electorum ex paleis reproborum Israëlitarum per Euangelij prædicationem & spiritum sanctificantem colligere uenerit, & hanc separationem Iohannes ista allegoria ob oculos exponere uoluerit, in qua sunt ista notanda.

Quod Euangelium regni Dei, quod prædicandum erat postremis illis temporibus Israëli, uentilabro comparat, quo paleæ discernuntur à tritico, & leuitas ac inanitas illarum manifestatur. Per Euangelium prodebantur falsi Israëlitæ, qui ex Deo non erant & ueri manifestabantur. Qui ex Deo est inquit Christus, uerbum Dei audit. Propterea uos non auditis, quia ex Deo non estis. Ante prædicatum in Iudæa Euangelium non solum coniuncti erant reprobi electis sub legalium cærimoniarum splendore tecti, pro uero & aeitis habebantur. Ast ubi accesit Euangelicæ prædicationis uentilabrum, facta est separatio pariter, & manifestatio utrorumq;. Idem & nostris temporibus usuuenire uidemus, quibus missum est Euangelium, instar uentilabri, quo reproborum & falsorum Christianorum inanitas hactenus cærimoniarum splendore tecta manifestatur, & qui ueri Christiani sunt conspicui redduntur.

sed & pro veris Israël

Tritici & paleæ. 2

Quod electos tritico & reprobos paleis, similitudine omnium aptißima comparat. Vt enim triticum & paleæ, ex eodem quidem nascuntur semine, seminis tamen naturam non referunt paleæ sed triticum, ita & Israëlitæ tam mali, quàm boni ex carne quidem erant paterna Abrahæ, Isaac, & Iacob, fidem tamen paternam non referebant nisi electi. Et nos Christiani ex Christianis parentibus descendimus quidem omnes, fidem tamen illam, quam maiores nostri in Christum habuerunt, non omnes, sed ij tantum referunt, qui electi sunt ac ueri Christiani.

Deinde, ut paleæ eodem humore aluntur quo triticum, medullæ tamen pinguedinem inde non concipiunt, sicuti triticum, ita & reprobi Israëlitæ eandem quidem cum electis spiritalem escam manducauerunt, & eundem spiritalem potum biberunt, spiritus tamen, & pietatis pinguedinem eandem cum illis non sunt assequuti, quoniam fide caruerunt. Sic & Christianis omnibus idem quidem nomen est, eadem sacramenta, idem uerbum, uerum non idem pietatis profectus est reprobis qui est electis. 1. Cor. 10.

Tertio, sicut paleæ tritico cohærent usq; ad tempus separationis, hoc est, maturitatis, ita ut ante maturitatem tritici, sine damno auelli ac separari non possint, ad eum modum in Ecclesia coniuncti sunt electis reprobi, in quorum medio ueluti concoquuntur & ad maturitatem obdurantur, ut tam absit, ut ueris Christianis impedimento sint reprobi, ut illis prosint etiam ad incrementa pietatis, proinde atq; paleæ prosunt tritico, donec perfectam maturitatem nactum, absq; illis saluum & illæsum durare queat. Hactenus tamen similitudo ualet, quatenus per paleas intelliguntur ij pseudochristiani, non qui infecti falso Dei cultu per idololatriam fidem electorum extinguere conantur, sed qui in eadem pietatis professione cum electis perdurant, cuius tamen fructum non assequuntur. Cum idololatris nanq; non est habenda in falsis cultibus communicatio. 3

Aream suam.) Quod Ecclesiam Israelis uocat aream Christi, cum tamen in illa plus palearum fuerit quàm tritici, documento nobis esse debet, quid de Ecclesia ex gentibus congregata sentire debeamus. Nempe eam esse Christi aream, etiamsi paleas habeat innumeras, & perparum tritici, cuius nomine ad Christum pertinet. Vt enim ager in quo triticum est, non à paleis sed à tritico nomen habet, ut ager tritici uocetur, & in ipso tritico, ante separationem, nihil nominis habent paleæ, sed licet multitudo palearum triticum complexa sit, nemo tamen paleas, sed triticum uocat, ita et de Christi sentiendũ est Ecclesia, antequàm

reprobi

reprobi seperentur ab electis, ut recte uocetur Ecclesia Christi, & qui in illa sunt uocentur Christiani, & fideles, licet innumeri sint in illa pseudochristiani, in quibus nihil est fidei ac mentis Christianæ. Conuenit enim, ut huiusmodi rerũ nomina, quæ ex uarijs composita sunt, à digniori parte sumantur. Itaq; tantisper dum in Ecclesia sunt ueri credentes, ueri & germani Christiani, non est illa uocanda Ecclesia satanæ, sed Christi, etiamsi innumera sint in illa membra non Christi sed satanæ.

4 Quod Ecclesiam suam Christus sit purgaturus. Purgabit, inquit, aream suam. Duo sunt hic notanda. Vnum quod post uentilationem palearum ac tritici in Ecclesia Christi sit futura purgatio. Immundiciæ illæ, quæ iam in Ecclesia regnant, & numero & autoritate superiores habent, & per Euangelium regni Dei produntur, breui prorsus eijcientur, ut constituatur Ecclesia, sponsa Christi pura, quæ nullam habeat maculam. Alteram, repurgationem Ecclesiæ fieri non posse, nisi per Christum. Illi nanq; uni pater dedit iudicij potestatem, cui et secreta cordium manifesta sunt, qui & horreum habet in quod triticum reponat, & ignem æternum in quem abijciat paleas.

Quæ est igitur Anabaptistarũ insania, quod opus Christi sibi uindicare nitũtur, dũ aream Christi abiectis paleis repurgare conantur, uel certe uerius hoc se facere simulant, ut interea sectam suam prouehant? Primum, tempus repurgationis præueniunt, quod à patre ad hoc est constitutum. Deinde opus alienum usurpant, quod non ipsorum est, sed Christi, qui angelos suos emittet, ad separandum hœdos ab agnis. Recte itaq; illis dicitur. Sinite utraq; crescere ad diem usq; messis, ne uolẽtes euellere zizania, eradicetis simul & triticum. Quid enim aliud faciũt, quàm quod cum sint ipsissima zizania, pro zizanijs eradicant triticum, hoc est, pro reprobis ueros Christianos: quos partim temerario iudicio condemnant: partim in errores suos & peruersum illud schisma è gremio Ecclesiæ abducunt, quantũ in ipsis est, perdũt?

Quid igitur? Tuemur ne impios, & foueamus eos, qui Ecclesiam Christi polluunt? An non Apostolus iubet scortatorem separari, & excommunicari? Nequaquàm
1. Cor. 5. tuemur reprobos, nec improbamus rectum excommunicationis usum. Is autem est, ubi Ecclesia potest excommunicando reprobos, hoc est, manifeste flagitiosos, ædificari ut non fiat schisma corporis Christi, id quod in scortatoris excõmunicatione timẽdũ Apostolo nõ erat: timendum autem erat in illis, de quibus dicit: Timeo au-
2. Cor. 12. tem ne forte cum uenero, non quales uolo inueniam uos, &c. Et lugeam multos ex his qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immundicia, & scortatione, & impudicitia quam gesserunt. Item: Ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter uos. Cur quæso istos omnes non excommunicauit, perinde atq; unicum illum scortatorem?

Non poterat hoc facere absq; metu destructionis Ecclesiasticæ. Timebat tritico, atq; ideò tolerabat zizania. Interea tamen ab officio docendi, hortandi, corripiendi, non desistebat. Hoc faciendum & nobis, et quod Domini est relinquendum Domino, & suo tempori. Moneamus, doceamus, adhortemur, corripiamus, sed ex charitatis affectu, & cum spiritu mansuetudinis. Hoc non solum concessum, sed & officij nostri est. Peccant quidam, & uidentur esse paleæ? primum uide ne erres. Deinde si non erras, uide num doleat tibi quod nolunt esse triticum. Tertio, si dolet, conare ex paleis facere triticum. Quomodo hoc possum inquis? At qui satius est, ut hoc coneris, quod & debes, & in plerisq; cum fructu fieri potest, quàm quod nec iussus es, nec præstare, imò non sine detrimento tritici conari potes. Quid causæ est, quod magis in eo es, ut eijcias, quàm ut colligas? Ad huc tempus est colligendi in aream Domini, nondum illam repurgandi, & quæ immunda sunt, eijciendi.

Congregabit triticum in horreum suum.) Magnam habent ista consolationem. Qui electi sunt, inter 5
reprobos sparsi sunt in hoc sæculo, ueluti triticum inter zizania & paleas. In hac dispersione innumeris premuntur molestijs, ut appareat eos non meliori loco esse apud Deum, quàm sint reprobi, in quorũ medio uiuũt. Verum sicut agricolæ cordi est triticum, ut huius gratia faciat omnia, arando, seminando, metendo, triturando, & uentilando, ita & propter electos omnia à Deo fiunt, donec tempus in regnum cœlorum colligendi aduenerit: in quo manifestum fiet, quo loco semper apud Deum fuerint pij. Congregabit, inquit. Non dicit, poterit congregare, sed per affirmationem congregabit. Deinde quo? In horreum suum, hoc est, in regnum cœlorum. Hac de re infrà cap. 24. Curemus itaq;, ut triticum simus, nec dubitemus agricolam nostrum, quæ sua sunt haud quaquàm neglecturum, nedum ignoraturum. Nouit Dominus qui sint sui. Vbicunq; terrarum fuerimus etiam in abditissimas cauernas abiecti, siue ignis, siue uermes, siue bestiæ, uel terrestres, uel æquoreæ, corpora nostra absumpserint, instar tritici prodibimus, & in horreum dominicum per angelicum ministerium colligemur.

Paleas comburet igni inextinguibili.) In hac 6
particula sita est comminatio æternæ damnationis, & supplicij nunquam finiendi, ad hoc instituta, ut duriores ad pœnitentiam permoueantur. Paleas non hoc tantum manet, ut à tritico separentur, sed in ignem quoq; pro more eius regionis, abijciuntur & comburuntur, sicuti & infrugiferi palmites non solum abscinduntur, sed & igne absumuntur, ita non hoc tantum expectandum est reprobis, ut tandem à pijs secernantur, sed post separationem instar palearum, et inutilium sarmentorum igni sempiterno tradẽtur. Idem Christus infrà ca. 25. sed alijs uerbis: nimirum proprijs non metaphoricis, minatur pseudochristianis, cum dicturum se olim in extremo iudicio præmonet. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius, ubi quædam de hoc igne commemorabuntur.

Tunc accedit Iesus à Galilæa ad Iordanem ad Ioannẽ ut baptizaretur ab illo, At Ioannes prohibebat illũ, dicens: Mihi opus est ut abs tẽ baptizer, & tu uenis ad me.

mei? Respondens autem Iesus, dixit ad illum: Omitte nunc, sic enim decet nos, ut compleamus omnem iustitiam. Tunc omittit illum. Et baptizatus Iesus ascendit protinus ab aqua, & ecce aperti sunt illi cœli, & uidit spiritum Dei descendentem tanquam columbam, & uenientem super ipsum. Et ecce uox de cœlis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est.

Hactenus Euangelista de prædicatione, & baptismo præcursoris, deq; testimonio illius, quod Christo dedit, quantum ad propositum faciebat, quædam commemorauit, iam consequenter narrat, quibus initijs manifestatio Christi cœperit, quando, & quomodo ille dispensationem humanæ salutis exorsus sit.

Sunt autem loci huius partes quatuor.

1 *Prima. Cur Christus, & unde, & quando ad Iohannem uenerit.*

2 *Altera. Quomodo Iohannes ministerium baptismi Christo negauerit.*

3 *Tertia. Quã ob causam Christus baptizari uoluerit.*

4 *Quarta. Quomodo per apparitionem spiritus sancti, & uocem paternam, cœlitus delapsam, inauguratus sit.* PRIMA PARS.

Tunc accedit Iesus à Galilæa ad Iordanem ad Iohannem, ut baptizaretur ab eo.) Dominus ad seruum uenit, unigenitus Dei ad ministrum Dei accedit. Videamus qua id sit ratione factum, & unde, & quando uenerit. Cur ad Iohannem uenerit, ostendit Euangelista, dicens: *Vt baptizaretur ab eo.* Atqui poterat Iohannes Christi gratia, non in Iudæa, sed in Galilæa baptizare, ibiq; de Christo testificari, ut opus non fuerit Christo, relicta Galilæa, baptismi gratia uenire in Iudæam. Poterat certe in Galilæam proficisci, ubi Christus agebat, idq; uidetur conuenientius fuisse, quàm quod ad seruum Dominus è Galilæa in Iudæam uenit. Ita iudicat humana ratio, ubi utriusq;, cum Christi, tum Iohannis conditionem considerat. Verũ aliud diuino consilio erat constitutum. Certis rationibus Iohannes non in Galilæa, sed in Iudæa prædicare, baptizare, deq; Christo testari debebat. Ita prophetico uaticinio prædictum erat, quod uox ista præcursoris, ac præconis in deserto Iudææ clamatura esset. Et de Christo habebant oracula prophetarum, quod esset Nazaræus uocandus. Vt itaq; Iohannes pro suo officio, ad quod erat missus, Christum manifestaret Israëli, idq; in Iudæa, maioris autoritatis gratia, & agnum Dei tollentem peccata mundi coràm ueluti digito ostenderet, exigebat res ipsa, ut ad Iordanẽ Christus baptizandus, & manifestandus accederet.

Vnde? Quod autem à Nazareth Galileæ uenerit, non præter rationem commemoratur. Erat enim causa ista ita instituenda, ne quæ Iohannes de Christo testificabatur, ex pacto & familiaritatis affectu prodire crederẽtur. Ideò factum est, ut ille in deserto Iudææ, iste Nazareth Galilææ educaretur. Et hoc est quod Iohannes aliquoties dicebat: Et ego nõ noui eum. Ioh. 1. nẽ quid suspicionis daretur, quasi de noto amico, & cognato tam præclara testimonia ferret.

Quando ad Iohannem uenerit, in eo notatur, quod dicit: *Tunc accedit Iesus.* Tunc. Quando? Cum uidelicet Iohannes iam aliquandiu prædicasset, ac baptizasset, omnisq; populus magna frequentia accurreret, ut baptizaretur, ut uidere est Lucæ 3. Tum scilicet opportunum erat accedere, ut initia reuelationis fierent præsente populo, & iam prædicatione, ac baptismo pœnitentiæ per Iohannem præparato, & desiderio uidendi, & cognoscendi Christum, de quo tanta audierat præconia, prædito. Tunc uidelicet opportune reuelatur Christus, quando corda mortalium prædicatione pœnitentiæ compuncta, desiderio gratiæ Christi tenentur.

ALTERA PARS.

At Iohannes prohibebat illum dicens: Mihi opus est ut abs te baptizer, & tu uenis ad me?) Negabat ministerium suum Christo, ex consideratione primum manifestatis illius, deinde propriæ tenuitatis, & egestatis. Ita et supra dixerat, indignum esse se, qui uel corrigiam illi calciamenti soluat. Sciebat Christo non opus esse, ut hoc pœnitentiæ baptismo baptizaretur. Imò sibi opus esse, ut ab ipso baptizaretur. Arbitrabatur itaq; indignũ & absurdum, si baptizaretur à seruo Dominus, cum illius etiam nulla uideretur necessitas, & necessarium magis esset, ut ipse baptizaretur à Christo, atq; his rationibus motus, recusabat Domino baptismum suum.

Mihi opus est.) Intelligit de baptismate spiritus, cuius supra meminit. Non autem dicit: Conuenientius est, ut abs te baptizer, sed mihi opus est, quibus uerbis significat se quoq; perinde atq; alios opus habere gratia, & beneficio Christi.

Videmus hoc loco, quo ingenio sint pij. Acceperat hic Iohannes gratiam spiritus sancti ad huc in utero matris constitutus, teste angelo, Lucæ 1. Deinde ea uiuebat uitæ sanctimonia & austeritate, ut miraculo esset omnibus. Mundo reuera erat mortuus, & talis propheta factus, ut maior, ipso Christo teste, nemo ex natis mulierum surrexerit. Et tamen hic ille tantus, ad huc fatetur opus esse sibi baptismate, & gratia Christi, cum interim quosuis pœnitentiæ symbolo baptizaret, et ad Christum mitteret, quibus iam non poterat baptismum spiritus impertiri, ut ipse quoq; gratiam illius desideraret. Non agnoscebat se esse iustum, aut perfectum. Ita sancti perpetuo sentiunt, & agnoscunt sibi multa deesse, & nunquàm non opus habere diuina, & cœlesti gratia. Nunquàm enim non sentiunt in se carnis illam, qua polluimur omnes, immundiciam, & prauum ingenium. Quid nos itaq; miseri superbimur? Ecce, uir ille sanctus qui pro Christo ipso plerisq; haberi cœperat, adhuc agnoscit se adeo esse imperfectum, ut opus habeat Christi baptismo, gratia uidelicet regenerationis per spiritum Christi, & inueniuntur qui gratiam Christi uel prorsus contemnant, uel ad auspicandã duntaxat uitæ renouatio nẽ necessariã esse putẽt. Est itaq; baptismus Christi talis qui nunquàm non etiã sanctissimo cuiuis sit necessarius. Donec enim in hac carne sumus perpetua spiritus sancti

gratia, qua mundemur ac sanctificemur, opus habemus.

Et tu uenis ad me.) Inconueniens arbitrabatur, quod is ad se ueniebat, qui ut omnibus ita & sibi ad salutem necessarius, adeoq; summo desiderio accedendus, ac petendus erat, ideoq; cum admiratione stupefactus, dicit: Mihi opus est ut ad te ueniam & abs te baptizer, & tu uenis ad me. Dignum quippe est, ut qui nullius ipse opem desiderat, & omnibus tamen prodesse potest, ab egenis oretur, ac petendi gratia accedatur. Quis enim non admiretur, si uiderit diuitem quempiam pauperum terere fores, cum conuenientius sit, ut diuitum ædes pauperum accessu frequententur? Ita & nobis Christi agnoscenda, & admiranda est ingens illa charitas, & φιλανθρωπία, qua factum est, ut cum esset à peccatoribus ambiendus, & orandus, ipse ultro ad nos descenderit, ut & nos cum Iohanne dicamus. Nobis opus erat ut ad te iremus, & tu uenisti ad nos.

TERTIA PARS.

QVAM OB CAVSAM CHRISTVS A Iohanne baptizari uoluerit.

Respondens autem Iesus dixit ad illum. Omitte nũc. Sic enim decet nos, ut compleamus omnem iusticiam. Tunc omittit illum. Et baptizatus Iesus ascendit protinus ab aqua, &c.) His uerbis Euangelista commemorat primum, quomodo recusationi Iohannis Christus occurrerit. deinde quare baptizari uoluerit. tertio quomodo audito Christi responso Iohannes, utut modestus, & submissus, morem illi gesserit, & quod antea detrectauerat, obediendo fecerit.

SINE MODO.

Non negat uerum esse quod Iohannes dixerat. Mihi opus est, ut abs te baptizer. Non dicit: Non est tibi opus ut à me baptizeris, uir sanctus es, & tantus propheta, ut nemo te maior ex mulieribus unquàm sit natus (quod tamen alibi de illo, sed absente dicit.) Et ob hanc causam ad te uenio, sed tacitè quidem uerbis Iohannis, ut ueris assentitur, propositum uero reluctandi, quod ex illis erat natum, infringit, dicens: Sine modo: Sic enim decet nos, & c.

OBSER.

1 Videmus ergo hoc loco, quàm non habeat locum in sanctis studium illud adulandi, simulandi ac dissimulandi: simulandi per adulationem, quod non est: & dissimulandi quod est. Iohannes ex animo, id quod res erat dixerat. Christus contra nihil adulatus uerum esse sinit quod uerum erat, nec quicquàm de sanctimonia Iohannis obijcit, sed simpliciter, quid utrũq; deceat, admonet.

2 Deinde notandum est, quod non tantum dicit, sine, sed addit, modo, innuens etiam id quod uerum in se, iustum ac dignũ erat, tum tamen esse omittendũ, & id potius agendum, quod in præsens susceptæ dispensationi competebat. Non imperat, dicens: Sic uolo, sic iubeo, sed rationem reddit, cur iam ita sit faciendum.

Admonemur ergo hoc loco, non semper esse faciendum, quod in se iustum est, & bonum, sed rationem habendam uocationis, & muneris iniuncti, & rursus ubi conditio & ratio uocationis id exigit etiam quod putatur inconueniens, & indignum esse faciendum. Iustum omnino & dignum fuisset, si non Iohannem Christus, sed Christum Iohannes, non seruum Dominus, sed Dominum seruus accessisset. Deinde res indigna uidebatur, & erat etiam consideratis utriusq; personis, quod ad Iohannem Christus ex Galilæa in Iudæam baptismi illius elementarij gratia ueniebat. Verum non illud, sed hoc requirebat humilitas ac tempus susceptæ dispensationis.

Quæ diuinitus aguntur cum filijs Dei, ita sunt dispensata, ut primum humilitatis tempus sustineant, deinde ad cœlestem gloriam assumantur, pro dignitate quam ex Deo nati acceperunt. Sic Petrus priores dicit esse in Christo passiones, & posteriores glorias, & Paulus primum humilem, deinde exaltatum Christum prædicat. Philipp. 2. Tempus humilitatis durat, donec in hac uita sumus. Nec in Christo ante mortem, ac sepulturam finem habuit. Hæc cogitatio ad multa nobis est utilis, præsertim contra studium inanis gloriæ, contra sectas contra insolentiam & fastum, plurimum etiam conducit ad firmandam patientiam in rebus aduersis. Proderit autem cum primis ijs qui præ cæteris aliquid à Domino acceperunt, siue eruditionem, siue pietatem, siue diuitias, siue generis nobilitatem, siue potentiam, &c. Vt temporis huius in quo sunt, rationem habentes, malint quæ humilia sunt sectari, & quæ pro cuiusq; uocatione facienda sunt facere, quàm rationem habere propriæ dignitatis, quæ non est in præsenti humilitatis tempore spectanda, sed futuræ uitæ relinquenda, in qua quisq; recipiet, secundum quod in hac uita sese gesserit. Quod si, ut plerunq; usuuenit, accesserit monitor, qui nos propriæ dignitatis & amplitudinis admoneat, sicuti Christo hic à Iohanne factum esse uidemus, etiam si id bono zelo fiat, curandum tamen nobis est, ne ab humilitatis proposito auocemur, sed cum Christo respondeamus: Sine modo frater. Tempus hoc non est cogitandi, qui simus & quanti, sed humiliter quod uocationem nostram decet curandi & agendi. Quo ergo spiritu ducuntur, qui cum planè uani sint, & inanes, nihilominus magnis ac splendidis titulis gaudent, si Christianorum, est etiam eorum, qui reuera magni sunt, quæ humilia sunt cum Christo in hac uita spere ac sectari?

Sic enim decet nos, ut impleamus omnem iusticiã.) Subiecta αἰτιολογία est, quare id, quod fiebat à Christo, fieri deceret. Non quidem redditur necessitatis ratio (neq; enim baptismo isto Christus opus habebat) talis tamen redditur, quæ cuiuis pio, hoc ipso quod pius est, plurimum debet habere momenti. Inducitur πρέπον, cuius apud honesta ingenia, & Dei timentia multa perpetuo uis est ac ratio. Deinde ratio sumitur ab ipso Iohannis baptismate, quod diuinitus erat institutum. Sunt in sacramentis duo consideranda. Vnum quod diuinam habent autoritatem. Alterum quæ sit necessaria illorum efficacia, quis finis. Hæc duo consideranda sunt etiam in Iohannis baptismate. Quod ad posterius attinet, nõ erat ratio cur Christus ab illo baptizaretur. Erat autem, quod ad prius attinet. Videlicet, ut hunc illi

illi daret honorem quatenus à Deo patre erat institutũ. Et hoc depu[illegible] iusticiæ seruandæ studio, quod non solum ex una, sed ex omni omnino parte decet pios homines. Pars erat iustitiæ, quod à patre erat institutum, licet ipsi non esset necessarium, non contemnere ac negligere, sed cum honore agnoscere & complecti. Et hoc est, quod dicit: Sic enim decet nos, ut impleamus omnem iusticiam. Ita & circũcidi uoluit, ita etiam legis ceremonias seruauit, ita parentibus quoq; subditus fuit. Possunt & aliæ rationes aßignari, quare baptizari uoluerit Christus, quæ etiam cum à ueteribus, tum à recentioribus aßignantur, mihi tamen ista, quam ipsa Christi uerba reddunt, abunde sufficere uidetur.

OBSER.

2 Sic decet nos.) Qui tales sumus. Quo quisq; maior est in regno Dei, hoc magis illum decet adimplere omnem iustitiam. Locus hic probe notandus est, contra eos qui nullam habentes decoris Christiani rationem, nihil sibi seruandum putant, quod non sit expresso mandato Dei præceptum, & tale quod omissum damnet, nec cauenda & uitanda, quæ non sunt manifestis scriptu-
1. Cor. 11. ræ locis uetita. Apostolus nõ adducebat expressum Christi mandatum, cum dicebat, mulieri non licere, ut in Ecclesia oret capite non uelato, sed simpliciter. Iudicate, inquit, uos, an deceat mulierem nõ uelato capite orare? Volebat inter Christianos non solum expreßi mandati diuini, sed & decoris & honestatis haberi rationem. Sic & 1. Timot. 2. Similiter & mulieres cum uerecundia, & sobrietate ornantes se, & non intortis crinibus aut auro, uel gemmis, uel ueste preciosa, sed quod decet mulieres profitentes pietatem. Huc referenda sunt quæcunq; conformia sunt Christianæ professioni. Nam illa cum decoro omitti nequeunt. Habet unaquæq; professio suum πρέπον. Id seruandum est illius candidatis. Nos decet omnis pietas, ueritas, sanctimonia, mansuetudo spiritus, mortificatio carnis, renouatio uitæ, & quæ huiusmodi conformia sunt sanctis. Sic Ephes. 5. Fornicatio autem, & omnis immundicia, aut auaritia, nec nominetur inter uos, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed gratiarum actio. Et Philipp. ultimo. Quæcunq; inquit, sunt uera, quæcunq; honesta, quæcunq; iusta, quæcunq; sancta, quæcunq; accommoda, quæcunq; boni nominis, si qua uirtus, si qua laus, hæc cogitate, quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & uidistis in me, hæc facite, & Deus pacis erit uobiscum. Cur quæso ista nobis præscribit Apostolus, nisi quod decorũ habent Christianæ professionis? Et hodie qui toti sunt in luxu, & pro desiderio carnis uitam instituunt, siue edendo & bibendo, siue uestiendo, siue ædificando, putant se probe defensos, si correpti regerant, quæ faciunt nullo esse expresso mandato Dei uetita. Cogitemus ergo primum quotquot Christiani sumus, diligenti nobis studio ea esse meditanda, quæ professioni nostræ sunt conformia. Deinde quisq; seruet sui status πρέπον. Non decent adolescentes quæ decent senes. Non matronas quæ uirgines, et uicißim non subditos, quæ Dominos, non priuatos quæ Magistratum, &c. Et est cuiq; tempori, cuius etiam loco suum decorum seruandum.

Omnem iustitiam.) Exprimitur hic studium perfectionis, quæ non in eo tantum est, ut quæ maiora sunt diuinæ legis, sed & quæ minora sunt adimpleantur, etiã ea quæ nihil nobis ad pietatis incrementum uidentur adferre momenti, sed propter rudiores & imperfectiores diuinitus sunt instituta. Nulla pars est iustitiæ negligenda ijs, quibus incumbit perfectionis studium. Horum diligentia & ἀκριβείᾳ similis esse debet studio auaritiæ & φιλαργυρίας quo nõ magno duntaxat, sed & minuta quoq;, ad augendum opum cumulũ diligenter coacer uantur, & ut qui in omni rerum scientia docti uideri uolunt, nullius disciplinæ cognitionem negligunt, ita & Christianæ professionis perfectio huc nos debet adigere, ut nullam iustitiæ partem prætereamus.

Admonemur ergo hoc loco, ut quoniã omnibus nobis ita iustitiæ studium incumbit, ne quam illius partem negligamus, expendamus etiam, quæ nam sit uera pij hominis iustitia, & quæ illius partes. Vera iustitia est in genere, diuinæ conformem esse uoluntati. Partes huius sunt, credere uerbis Dei, omnem in illum fiduciam ac spem collocatam habere, nomen illius in tribulationibus in ueritate inuocare, sacrificium illi laudis, & gratiarum actionis quotidie offerre, toto illum corde diligere, mandatis illius ex animo cum debiti timoris reuerentia, & obseruantia obedire. Priores partes fidei scilicet ac fiduciæ, pro iustitia fidelibus deputantur, teste cũ ueteris, tum noui testamenti scriptura. Videndum autem hic etiam atq; etiam, ne illis solis cõtenti, quæ timorem, dilectionem, & mandatorum Dei obseruantiam concernunt, quasi illa ad studium ueræ iustitiæ non pertineant, susq; deq; faciamus. Hæc pars iustitiæ, quam mandatorum Dei obseruantiam uocamus, bifariam consideranda uenit. Primum, ut quæ sunt uitanda, uitemus. Deinde, ut facienda & seruanda seruemus.

OMITTENDA ET VITANDA.

Hæc diuidantur in interna & externa. Interna sunt affectus mali, incredulitas, contemptus Dei, odium Dei, diffidentia, φιλαυτίαι, fastus, inuidentia, praua concupiscentia, contemptus proximi, & quæ alia sunt huiusmodi. Qui contra ista non luctatur cum primis, dici non potest iustitiæ studiosus. Externa sunt, quæ ex istis, tanquàm ex malis radicibus, mali fructus nascũtur. Vt sunt cultus simulachrorum, temeraria diuini nominis usurpatio, furta, rapinæ, adulteria, scortationes, mendacia, fraudulentæ impostura, maledicentia, homicidia, detractiones, ebrietas, periuria, & quæ similia sunt alia. Qui hæc non uitat, certe iusticiæ amans non erit.

SERVANDA ET FACIENDA.

Et hæc interna sunt & externa. Interna, primum quæ ad Deum, ut fides, spes, dilectio, timor, &c. Deinde quæ ad proximum pertinent, ut fraterna charitas. Nemini inquit Apostolus quicquàm debetis, nisi ut alius alium diligatis. Ioh. 15. Hoc est præceptum meum, inquit, Rom. 13. ut diligatis uos inuicem. Charitas proximi comites habet, misericordiam, συμπαθείαν, mansuetudinem, & benignitatem, &c. Externa. Partim hæc moralia sunt, partim ceremonialia. Moralia. Reconciliatio cum fra-

tribus Matth. 5. Benedicentia pro maledicentia, beneficium pro maleficio, oratio, pro persequentibus, & ut fleamus cum flentibus, defendamus fratris honorem, demus petentibus, demus accommodato & mutuum, nec quicquàm inde petamus, uisitemus infirmos, suscipiamus hospitio peregrinos, consolemur lugentes, reuocemus errantes, & quæ alia eiusmodi sunt innumera.

Ceremonialia, quæ Ecclesiasticam congregationem & illius disciplinam concernunt, ad hoc instituta, ut ad interni hominis ædificationem faciant. Vtpote. Prædicatio & auditus uerbi Dei, usus sacramentorum, quæ Christi nobis sunt autoritate commendata. Oratio Hymnorum & Psalmorum, exercitia & collectæ pro pauperibus. Hæ uidelicet sunt partes iustitiæ, quarum singulæ Christianis sunt omnibus seruandæ. Et tamen licet hæc omnia ad iustitiæ studium pertineant, cauendum interea est, ne ex illorum nobis obseruantia, uel potius seruandi studio, iustificationis spem & fiduciam concipiamus, quæ ex sola in Christum fide certo, et cum bona ac quieta conscientia acquiritur & possidetur, secundum quam solam iusti coram Deo reputamur.

Adimplere.) Et uerbum hoc adimplendi notanter est positũ, ut intelligamus decere nostram professionem plenæ ac consummatæ iustitiæ studium, ut nihil illius imperfectum relinquamus, nihil illius tam sit minutum quod non seruemus.

Deinde & hoc obiter notandum est, quod non dicit. Sic enim decet nos omnem scire iustitiam, deq; illa inter nos conferre ac disserere, sed: Sic decet nos adimplere omnem iustitiam. Bonum quidem & necessarium quoq; est, scire omnem iustitiam, deinde & utile de illa conferre ac disserere, uerum nisi accesserit scientiæ isti adimplendæ iustitiæ studium, non solum illa nihil profuerit, sed etiam omnem excusationem auferet, iuxta illud: Seruus sciens & non faciens.

Tunc omisit illum.) Nihil reluctatur Iohannes, sed audita ratione, quod ita deceret adimpleri omnem iustitiam, licet antea indecorum & absurdum uideretur, acquiescit tamen, & Christum baptizat.

Videmus hoc exemplo sanctos licet aliquando tergiuersentur, & quæ ex diuina sunt uoluntate aliquandiu recusent, omnem tamen ab illis abesse pertinaciam, & quod tergiuersantur esse ex ignorantia rerum gerendarum, mox uerò intellecta diuina uoluntate ad obediendum esse promptissimos. Sic Petrus etiam primum indignam rem arbitratus, si sineret sibi à Christo lauari pedes, obnitebatur tantisper dum quid serio uellet Dominus, agnosceret: re autem intellecta, non solum inquit pedes, sed & manus, & caput. Qui errant ex ignorantia, ubi ueritatem docentur et agnoscunt, facile acquiescunt. Nequeunt enim cognitæ ueritati aduersari.

QVARTA PARS.

Et baptizatus Iesus ascendit protinus ab aqua, & ecce aperti sunt illi cœli, & uidit spiritum Dei descendentem tanquam columbam, et uenientem super ipsum, Et ecce uox, &c.) His uerbis Euangelista commemorat, quomodo post baptismum de cœlis inauguratus sit Christus, de quo uidenda sunt ista.

Baptizatus Iesus, ascendit protinus ab aqua.) Lucas tradit Christum post baptismum orasse, & interorandum apertum esse cœlum, descendisseq; super ipsum spiritum sanctum in specie columbæ, & auditam esse cœlitus uocem paternam. Orabat Christus non sua, sed adstantium gratia, quemadmodum & quæ cœlitus ibi facta sunt, non ipsi, sed Iohanni & adstantibus seruierunt. Docemur hoc Christi exemplo, ut communicationi mysteriorum Dei iungamus precationem, ut quæ externa communione percœpimus, per illius gratiam ad interni hominis, & ueræ pietatis prosint incrementa.

Et ecce aperti sunt illi cœli.) Illi, id est, super illum. Alioqui Christo nũquàm occlusi fuere cœli. Aperti 1
sunt autem super ipsum propter illius inaugurationem, quæ mox à baptismate futura erat. Significatum uerò est primũ, hunc esse qui de cœlis uenerit, cœlestia doctus rus, id est, uoluntatem patris mortalibus annunciaturus. Sic Iohan. 3. Qui de terra est, de terra loquitur. Qui de cœlo uenit, super omnes est.

Deinde, hunc esse, qui per suam incarnationem & 2
sanguinẽ, humana cœlestibus conciliaret, ac pacem inter cœlestia & nos restitueret. Vide Ephes. 1. Colos. 1.

Tertio, Christum esse eum qui cœli ianuis reseratis aditum nobis ad cœlestia, & thronum gratiæ fecerit. Et in summa id quod Iacobo Gen. 28. in uisione cœli aperti, et scalæ desuper ad terrã usq; demissæ, prælineatũ est, id per istã Christi inaugurationẽ cœlitus est declaratũ.

Et uidit spiritũ Dei descendentem tanquàm colum- 3
bam, & manentem super ipsum.) Duo sunt hic quærenda. Primũ, cur oportuerit spiritũ sanctum uisibiliter descendere super Christũ. Alterũ cur in specie columbæ descenderit. CVR SVPER CHRISTVM descenderit spiritus sanctus.

An ob id ut illi in rebus gerendis adesset? An hactenus illo caruit? Nequaquàm. Non ob eam causam super illum uisibiliter descendit, cum ab eo nunquàm sicuti nec à patre seperatus fuerit, sed ut mundo Christus innotesceret. Confirmandum erat testimonium Iohannis, quod nec dum uiso, nec cognito dederat. Sciebat ille adesse quidem Christum, unigenitum Dei, agnum Dei tollentem peccatum mundi, baptizaturum spiritu sancto & igni, personam tamen illius nondum cognouerat. Ob eam causam indicium hoc diuinitus acceperat, unde Christi personam liquido cognosceret. Ita Iohannem di- Ioh. 1.
xisse legimus. Et ego non noueram eum, sed qui misit me, ut baptizarem aqua, is mihi dixit, super quem uideris spiritum descendentem, ac manentem super eum, hic est qui baptizat spiritu sancto. Quod ergo hic noster dicit: Et uidit spiritum Dei, intelligendum est de Iohanne, qui uiderit spiritum Dei delapsum super Christum. Si spiritus sanctus hic primum Christo datus esset, potuisset in uisibiliter absq; ulla corporali specie in illum descendere. Sed hoc non agebatur, atq; ideo adiecta est uisibilis species, ut hac uisibili specie Iohanni innotesceret. Potuit quidem hoc & alio uisibili signo fieri, uerum ita erat significandum hunc esse, qui suos baptizaturus esset spiritus sancti baptismate, & prophetarum impleturus uaticinia. Esa. 44. Ezech. 36. & simul

illum

illum uisibili hoc signo ad obeundam redẽptionis humanæ cœlestisq; regni dispensationem. Venerat rex cœlestis & sacerdos, aderat iam tempus, ut & regni & sacerdotij auspicaretur in terris exordia. Itaq; commodum cœlitus uisibili hoc signo, & simul paternæ uocis testimonio inaugurandus erat.

Non est autem putandum, quod hæc uisibilis inauguratio tum primum ex Christo regem fecerit, & sacerdotem, sicuti nec filiũ dei, sed quod illum ut filiũ Dei, ita & regem cœlestem, & summum esse Pontificem declarârit. Et quoniam regnum eius ac sacerdotium nõ erant terrenam habitura administrandi, ac dispensandi formam, sed spiritalem, ideò conueniebat eum non terreno oleo, more regum ac sacerdotum huius seculi, sed spiritusancto inungi, & inaugurari. Huc uidelicet pertinet uaticinium, Esa. 61. quod à Christo Lucæ 4. citatum est. Spiritus Domini super me, &c. Itaq; descensus iste spiritussancti ad hoc est uisibili specie super Christum sanctus, ut quam diuinitus habebat autoritatem, in terris declararetur. Tale quid & Apostolis contigit, cum essent in uniuersum orbem euangelizandi gratia mittendi. Et cum in opus euangelicæ prædicationis electis manus ab Apostolis inaugurandi gratia imponerentur, dabatur illis uisibili signo uirtus spiritussancti, qua in re consulebatur rudi adhuc Ecclesiæ: non quod illis tum primum daretur gratia spiritussancti, quam iam antea per fidem in Christum acceperant, sed ut singulari, & uisibili dono spiritus in opus ministerij designarentur, instruerentur, & confirmarentur.

CVR IN SPECIE COLVMBAE.

Arbitrantur allusum esse ad columbam ex arca
Gen. 8. Noë dimissam, & postea cum ramo oliuæ reuersam: quo sit præfiguratum Christum eum fore, qui pacem adferat mortalibus, iuxta canticum angelorum, & uerbũ Apostoli, Eph. 2. Hæc cogitatio non est inanis, uidetur tamen simul ostensum esse, quid in cordibus Christo credentium operaturus fuerit spiritussanctus. Nempe hoc ipsum quod Christus infrà cap. 10. dicit: Estote simplices sicut columbæ, &c. Significatum est hac apparitione, qualis futurus esset cœlestis hic rex, quàm mitis ac benignus, deinde quos mores, quæ ingenia habituri essent, per spiritussancti baptismum in Christo regenerati. Non uisa est species aquilæ, sed columbæ. Columba simplex est, & innoxia, gemẽs non clamorosa, sine felle, uictu innoxio de frugibus terræ nõ de cede uiuens, mansueta, & amantissima consortis, unde & Ecclesia in in Canticis columba uocata est. Spiritussanctus non generat coruos, aquilas, accipitres, ἱεροκακους & id genus animantia ex raptu uiuentia, sed columbas. Proinde uiderit quisq; quale referat ingenium. Et ij qui concilijs indubitatam adscribunt spiritussancti præsentiam: doceant primum, num columbina sit in illis seruata cum simplicitas, tum mansuetudo. Nota est historia Romani concilij sub Balthasare Cossa, quam Nicolaus de Clemengijs de Bubone concilij illius consecratore, & initiatore scripsit.

Et ecce uox de cœlis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est.) Testimonium hoc patris de filio cœlitus terris illatum, declarationem habet uoluntatis eius erga genus humanum, imò simul & manifestationem Christi, quod sit unigenitus Dei. Et pulchrè signis illis, de quibus iam audiuimus, ne ex mutis, & obscuris ostentis quiduis colligeret humana temeritas, additum est uerbum Dei patris, quod & ostenta declararet, & testimonia Iohannis de Christo confirmaret. Sunt autem hic tria notanda. Primum, quod patris uocem de cœlo delapsam dicit. Alterum, quod pater dixit: Hic est filius meus dilectus. Tertium, quod adiecit, in quo mihi bene complacitum est.

Vox de cœlis.) Non simpliciter uocem hanc auditam esse dicit, sed nominatim de cœlis inquit. Nec angeli cuiusquàm uox delata est, sed patris. Neq; enim dixit: Hic est filius Dei, in quo illi bene complacitum est, sed: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est. Ista coniuncta sunt, non præter consilium diuinæ prouidentiæ, ut testimonium hoc Christo datum plus haberet autoritatis. Vox Iohannis in terra audiebatur, idem sonans, nempe: Hic est filius Dei. Verum ut id esset confirmatius, accedit uox primum cœlestis de cœlis detonans, deinde non angeli cuiusquàm, sed ipsius patris. Apostolus Petrus fidei ac doctrinæ Christi certitudinem ex hoc patris testimonio, quod in monte ad apparitionem Mosis & Eliæ repetitum esse, infrà cap. 17. legimus, in posteriore cap. 1. desumit.

Hic est filius meus.) Hoc uult pater notum esse mortalibus. Nam in eo sita est illorum salus. Qui credit in filium, inquit alibi, habet uitam. Qui non credit iudicatus est: quia non credit in nomen unigeniti Dei. Declaranda & manifestanda erat dilectio Dei, qua mundum usq; adeò dilexit, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam, qua dilectione maius quicquàm ac mirabilius nec terra uidit, nec cœlum. Hanc nobis pater hac uoce cœlitus demissa commendauit, cum dixit: Hic est filius meus dilectus. q. d. Quem hic uobis misi, & in carnem uestram uenire feci, filius meus est, quem unice diligo, in quo uidetis, quàm genus humanum diligam, salutemq; illius sitiam: nempe, ut illius gratia, ne filio quidem meo parcam. Proinde uidete, ut huic uni uos addicatis, & adhæreatis, si salutem uestram ex animo quæritis. Misi hactenus seruos meos Prophetas, sed hos contumelioſe tractatos reprobastis, & occidistis, ob quam causam poteram uos in uniuersum abijcere, & ea quoq; quæ pollicitus sum incredulis, & obstinate rebellibus denegare. Verum ne quid omittatur, quod Deo salutem mortalium curanti competere poterit, ecce mitto hic ipsum filium meum, ut uel hunc uereamini, & per fidem in illum ab æterno exitio seruemini. Quod si hunc contempseritis, & in auita incredulitate perrexeritis, non expectabitis post hac ullam gratiam, per quam salutem consequi, & iram sempiternæ duraturam euadere poteritis. Tale quid uidentur mihi uerba hæc paterni testimonij includere.

OBSER.

Est autem hoc testimoniũ patris de filio cœlitus la- 1
tum documento nobis, non solum quod Christus sit filius

Dei, sed quod filius esse Dei à nemine queat mortalium cognosci, nisi per reuelationem patris innotuerit. Sic Christus infrà cap. 11. dicturus est: Et nemo nouit filium nisi pater. Et capite 16. Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est. Et Ioh. 6. Nemo uenit ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Item: Omnis qui audiuit à patre, & didicit, uenit ad me. Proinde rogandus est Deus, ut cognitionem filij sui illustret in cordibus nostris. Vide quid Apostolus hac de re Ephe. 3. scribat.

2 Deinde & hoc notandum est, quod addit & hic & infra cap. 17. Filium hũc esse sibi dilectũ, dicens: Hic est filius meus dilectus. Ne uidelicet quisquàm fidelium malignam suspitionem de Christo, æstu Satanæ tentatus, concipiat, quasi per indignationem patris in has mortalium detrusus sit erumnas, ut qui illi sit detestabilis factus, sicuti usuuenit angelo superbienti. Vsus huius particulæ primum ad hoc proderit, ut admirabilem erga nos dilectionem Dei, qui nostri gratia dilecto filio non pepercerit, agnoscamus. Deinde, ut uniuersam Christi dispensationem ratam et firmam esse coram Deo patre haud dubitemus. Et præterea sciamus omnes Christo credentes dilectos esse Deo patri in dilecto filio, & quicquid in illius nomine petierint absq; dubio accepturos. Tenendũ igitur est inconcussa fide, non solũ filiũ esse dei Christum, sed dilectum esse patri filium, contra scandalum crucis, quod patiebantur Iudæi, dicentes: Si filius Dei est, liberet eũ, si uult: eũ, hoc est, si amat eum. Caro nanq; ægre credit fieri posse, ut filium suum Deus, quem diligat, in tantas calamitates, & tam insignem ignominiam maledictæ mortis tradat. Et ob hanc causam prædicatio crucis Christi mundo huic perpetuo summa uidetur esse stultitia. Quid enim aliud iudicarent, qui dilectionem & consilium Dei erga genus humanum ignorant, etsi audiant, non credunt, sed magis irrident?

Ephe. 1. Charos nos reddidit in dilecto filio suo.

In quo mihi bene complacitum est.) Duo hic de se prædicat cœlestis pater. Primum, quod factus sit beneuolus, erga genus uidelicet humanum. Sic enim meo iudicio intelligendum est, quod dicit εὐδόκησε, quod uerbum significat propenso esse erga aliquem beneuolentiæ affectu. Alterum, quod per filium sit placatus, & beneuolus posita indignatione factus. Et hoc erat quod angeli in natiuitate Christi cantabãt: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bona uoluntas, ubi est, εὐδοκία. Atq; ita uoce paterna Christus de cœlo testimonium habet, quod sit mediator inter Deum & nos, qui nos patri reconciliârit. Et ob eam causam dicitur Apostolo pax nostra. Sed de hac uoce uide infrà cap. 17.

CAPVT IIII.

PRæcedenti capite Euangelista cursum & ministeriũ Iohannis Baptistæ, quod de Christo testatus est, uitamq; illi in Israëlis populo præparauit, breuiter quidem, attamen quantum ad propositum faciebat, satis diligenter complexus est. Iam consequenter rerum gestarum series exposcebat, ut quid post baptismum, & cœlestem illam demissi spiritus inauguration em Christus egerit, & quomodo dispensationem à patre impositam orditus sit, commemoraret. Itaq; præsenti hoc capite, primum describit, quomodo mox à baptismo per spiritum sit ductus in desertũ, ibiq; Satanæ tentationes deuicerit. Deinde quomodo prædicare cœperit. Tertio, quos discipulos exordio prædicationis ad se uocârit. Quarto, quomodo primum in Galilæa, circueundo, docendo, & male adfectos sanando, nominis sui celebritatem per totã Syriã prouexerit.

Tunc Iesus subductus fuit in desertũ à spiritu, ut tentaretur à Diabolo.

Postquàm à Iohanne baptizatus, & spiritus sancti descensu ac uoce paterna cœlitus declaratus, & inauguratus esset: quoniam exordium dispensationis susceptæ instabat, non conueniebat, ut ad ea quæ hactenus parentibus subditus exercuerat, rediret, atq; talis, qualis antea fuerat, permaneret. Sed ut qui in aliũ mutatus esset uirũ, ductu spiritus ad obeunda regni Dei negocia rapitur, atq; hoc est, quod dicit Euang. Tunc Iesus, uidelicet post cœlestẽ declarationẽ, & inaugurationẽ, subductus fuit, è medio uulgi ac pristinæ uitæ conuersatione, in desertum locũ, nullis habitatũ hominibus (unde & Marcus dicit illũ egisse cũ bestijs) à spiritu sancto scilicet, quo iam de cœlis erat declaratus, & inauguratus. Quod autem hic Christus commemoratur, spiritus ductu in desertum secessisse, non ita intelligendum est, quasi hactenus caruerit ductu spiritus sancti, sed quod iam ab apparitione spiritus sancti manifestiore illius impulsu, & ad sublimiora agi cœperit. Ideò noluit Euang. simpliciter dicere: Tunc abijt Iesus in desertum, sed ut ostenderet ab hoc iam tempore præcipuo quodam modo, & ad maiora regni uidelicet Dei negocia, actu spiritus sancti esse progressũ, dicit: Tunc Iesus subductus fuit spiritu, &c.

OBSER.

Hoc exemplo uidemus eos, quos spiritus sancti uirtus ad gloriam diuini nominis selectos peculiariter imbuit, in alios uiros mutari, & per spiritũ Domini ad res magnas obeundas impelli. Sic Moses, cum esset in ministerium Dei, ad educendũ ex Aegypto Israëlem selectus, planè reddebatur alius, & pristina uitæ conuersatione deserta, ad ea rapiebatur, quæ negocio imposito competebant. Et Dauid cum esset unctus à Samuele, & in regẽ inauguratus, statim apparebat alius, & relictis paternis ouibus ad sublimiora: nempe quæ regium animum, & diuino spiritu imbutũ declararent, subripiebatur. Itaq; uirtute spiritus Dei ducebatur, ut Saul quoq; in illo, licet homo impius spiritũ Domini agnoscere cogeretur. Ad eum modum & Apostoli accepta spiritus sancti inauguratione, uirtuteq; Dei ex alto induti, longè alij apparebant, & multo quàm antea maiore animi constantia & feruore regni Christi negotia tractabant, ita ut exerente sese in illis diuina quadam uirtute quosuis ad stuporem cogerent. Hæc sunt singularia quidem exempla selectorum organorum Dei, ad quæ nõ sunt uulgo examinandi fideles. Interea tamen uerum est quod Paulus dicit: Qui spiritũ Christi non habet hic non est eius. Et: Qui spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei. Varius est in electis spiritus sancti ductus, sicuti & uaria sunt illius charismata. Constans tamen in omnibus est hæc illius uir-

tus,

tus, qua electi ad studium ueræ pietatis, dilectionis ac timoris Domini, fidei ac spei, & quæ alia sunt huiusmodi, gubernantur, & aguntur.

Vt tentaretur à Diabolo.) Si quærat quisquàm, cur in desertum Christus sit à baptismate per spiritum sanctum subductus, hic redditur illius ratio. Vt tentaretur inquit, à diabolo. Verum mox legentis animũ subit alia cogitatio: nempe, ob quam causam tentari uoluerit à diabolo. Nos hic nihil habemus certi, quoniã Euang. cur hoc fieri oportuerit, non meminit. Dicã tamen quid mihi sentiendum uideatur hoc loco. Primum, ueniebat Christus in hunc mundum, tanquàm fortissimus athleta regnum Satanæ destructurus. Habiturus erat hunc infensissimum hostem. Atq; ideò mox dispensationis suæ initio, magna illum confidentia ad pugnam prouocaturus in solitudinem egreditur: ut audaciam ac temeritatem illius primo congressu uictor nonnihil labefactaret, qua inde ab initio mundi genus humanum deploratissima tyrannide oppressérat, talemq; ac tantã illi potentiã obijceret, contra quam nihil posset, et simul contra luctando infirmaretur et elumbis redderetur, quasi diceret: Ecce impostor pessime, antagonistã habes, qui uires tuas infringat, quandoquidem nunquam cessas filios Dei tentationum tuarum iaculis impetere, gloriarisq;, & exultas ueluti uictor ac princeps totius humani generis. Ecce tibi hominem, mulieris semen, cuius robore conteraris. Tenta itaq; quid possis, ut cognoscas qua iam sit regnũ tuum potentia destruendum. Deinde, oportebat etiam, tentari Christum à Satana, ut sicuti Ebr. 2. legimus, misericors redderetur Pontifex, qui & nos, qui tentamur, in quo ipse tẽtatus est adiuuare, & infirmitatũ nostrarum sensu tangi queat, tentatus ipse per omnia dempto peccato. Tertio, dabatur etiã nobis in ipso duce nostro exemplũ pugnandi contra tentationes Satanæ, quo simul & hostis insidias, & quomodo illis occurrendum sit, disceremus. Non est autem præter rationẽ factũ, quod non in hominum conuictu & frequentia, sed in loco deserto tentari uoluit. Adornabatur haud uulgare, sed planè singulare certamen contra Satanam. Danda igitur illi erat singularis etiam congrediendi, & tentandi occasio, hoc est, tale quid erat illi obijciendũ, quod singularẽ quandam, diuinam uidelicet uirtutẽ prætendere uideretur: quo irritatus hostis quicquid haberet uiriũ ad tentandũ impenderet. Tale fuit, quod quadraginta dies ac noctes cum bestijs agebat, nec manducans, nec bibens. Accedebat hic loci ad tentandum opportunitas. Nam ea est astutia Satan, ut solitarios potissimũ adoriatur. Ad tentandũ enim opportunissimi animis anxijs, & cogitationũ ad desperationem sollicitantium uarietate, quasi quibusdam procellis naufragiũ intentantibus, adobrutis. Qui tales sunt ipsa solitudine, ueluti ab omnibus deserti, ad desperationem sollicitantur. Proinde tribulatis, & adflictis cauenda est solitudo, nisi uelint ultro contra se prouocare tentatorem.

OBSER.

Notandum hic est filijs Dei, qui spiritusancto inaugurantur, sanctificantur, & ex hoc mundo subducũtur, habituros se antagonistã ac tentatorẽ Satanam. Nam is eos tentare solet, quos uidet regno suo renũciasse, & ad regnum Dei adspirare. Reliquos aũt, nihil opus est ei, ut tentet, sed agit eos quocũq; lubet, 2. Tim. 2. Nos uerò ut spiritu Dei ducimur, ita & mũdo isti ualedicimus, & ut mundo ualedicimus, ita & à Satana tentamur. Quotus hodie quisq; est, qui tentari se à Satana sentiat? Pleno impetu curritur in omnia scelera, quod quid est aliud, quã nullum Satanæ locũ tentandi relinquere. Tentationẽ Satanæ experiuntur ac sentiũt hi, qui ex animo pietati student. Vt exempli gratia, qui humilitati studet, sentit sibi argumentũ superbiendi obijci à Satana, quoties occasio datur emergendi, & aliquid existimationis acquirendi. Qui uerò humilitati nõ studet, imò illam abhorret etiã, & inanem gloriã cupide sectatur, quando sentiet se inani gloria tentari? Non consulo ut hostem nostris freti uiribus prouocemus ad pugnam, sed hoc summopere necessariũ est, ut pietati studentes, in timore Domini cauti simus bene armati & uigiles, ut si quando nos adoriatur tentator, gratia Dei coniuncti fortiter illi in fide Christi resistamus. Semper interim orantes. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Fugienda est autem imò ex animo detestanda impiorũ hominum temeritas, qua quidam ausi sunt dictionem diaboli de prauo quodam homine, qui Christum in solitudine tentárit, exponere, id quod ob eam causam faciunt, quod negant esse spiritus malos, quos diabolos ac dæmonas uocamus. Forsan nec angelos, id est, spiritus bonos, ut de Sadducæis legimus, esse credentes, ut eadem opera infrà, ubi accessisse angelos, Christoq; ministrasse legimus: quo Christi gloriam ac diuinitatem imminuant, per angelos intelligant bonos homines. Rogãtur isti, quid intelligant Christum eiecisse ex dæmoniacis, quoties dicitur eiecisse spiritus malos & immundos? Peccata erant inquiunt. Et quomodo peccata clamârunt: Tu es filius Dei? Deinde quomodo peccata eiecta intrarunt porcos, & totũ porcorum gregem in mare proiecerunt? Insani homines dum malos esse spiritus negant, non obseruant quo dæmonio laborent. Homo inquiunt, homini dæmon. Præterea non sunt alij dæmones. Atqui simili ratione dicitur: Homo homini Deus. Non erit ergo præterea Deus aliquis? De liberis nostris Germani dicimus. Hi sunt nostri Turci, qui nos abacturi sunt. Dicemus ne ideò non esse præterea alios Turcos? Verum seculi nostri corruptio experietur, an non sint ueri Turci, quibus Dominus flagelli uice ad castigandum nos utitur. Execrabilis est horum hominum impietas, non minus quàm eorum, qui sempiternam impiorum ausi sunt negare damnationem. Nouit uersutissimus impostor Satan, extinctum fore studium pietatis, si crediderimus nullos esse dæmonas, & malos spiritus: perinde ac si militibus persuadeatur, nullos uspiam esse hostes, et ouibus fabulam esse quæ de lupis feruntur. Petrus monet fideles, ut sobrij sint ac uigilent, redditq; rationẽ cur id moneat, dicẽs: Quoniam aduersarius uester diabolus, sicut leo rugiens, circuit quærens quem deuoret. Quid opus est esse sobrium & uigilare, si nullus est dæmon, & figmentũ est, quod Apostolus hic de aduersario diabolo rugiente, ac nos perdere cupiente, tam diligenter admonet. At nos relictis istis seductoribus, qui olim experiẽtur, quod iam nõ credunt

Actor. 23.

Lucæ 4.

credunt, non solum credamus esse spiritus malos, sed simul etiam ingenia illorum, æstus, uires, & irremissa perdendi studia obseruemus. Hostis infirmus, & nullius potentiæ facile contemnitur: quæ res quid multum sæpenumero dedit damni, prouerbio locum apud Germanos fecit: Es soll niemandt seinen feind uerachten. Cuius uerò potentiæ sit aduersarius noster Satan, ab Apostolo satis describitur, Ephes. 6. Quàm sit uersutus & callidus, idem Apostolus docet, ubi dicit Satanã transfigurare se in angelum lucis, 2. Cor. 11. Quàm sit auidus, & appetens nostræ perditionis, locus Petri iam citatus declarat. Væ nostræ somnolentiæ, qua usq; adeò depressi sumus, ut insidias satanæ, nec curemus, nec obseruemus. Qui in castris sunt, magna diligentia hostium uires conatus, consilia & æstus, idq; nonnunquàm haud citra periculum perdiscunt, ne incauti adobruantur. Nos uerò qui in Christi castris sub tanto duce, cui tot hostes infensi sunt, degimus absq; ulla uigilantia insidijs malorum spirituum patemus.

Et cum ieiunasset dies quadraginta ac noctes quadraginta, tandem esurijt.) Memorantur ista propter sequentem tentationem, ut uidebimus. Sunt autem hic tria uidenda.

Primum. Quale fuerit hoc Christi ieiuniũ, & quid in illo nobis doctrinæ gratia sit obseruandum. Alterum. Quàm male ex hoc facto Christi desumptum sit quadragesimale, ut uocant, ieiunium. Tertium. Quod sit uerum ieiunium, & quomodo apud ueteres seruatum.

DE IEIVNIO CHRISTI.

Quale fuerit hoc Christi ieiunium puto considerandum esse ijs, qui rerum à Christo gestarum, exactam cognitionem expetunt. Illis non tam factum Christi perpendendum, quàm facti ratio. Siquidem factorum rationes cum primis sunt inquirendæ, sine quarum cognitione nemo de cuiusquàm gestis rite iudicare poterit. Ita et de hoc Christi ieiunio nunquàm recte iudicabimus, nisi rationẽ illius expẽderimus. Nempe, an principalis quædam res sit hoc ieiunium, aut accidens, uel ad aliud quid faciẽs, uel accessoriæ cohærens. Euangelista tradit Christum spiritu actum esse in desertum locum, non ut illic ieiunaret, sed ad aliud quiddam quod principaliter agebatur. Quid illud? ut tentaretur, inquit, à diabolo. Non dicit, ut ieiunaret dies quadraginta, & noctes quadraginta. Opus spiritus est, quod dicit: Ductus est Iesus in desertũ à spiritu. Ratio illius est, ut tentaretur à diabolo. Quod hic est factum Christi? Quod ductu spiritus desertum petijt, ut in illo tentationẽ Satanæ sustineret ac uinceret. Hic ut nulla erat humanus conuictus, ita & nulla erat rerum necessariarum, quas exigit uictus humanus, comparabilis copia. Vnde et cum bestijs egit. Opus erat ergo, ut diuina uirtute ueri hominis corpus ἄσιτον seruaretur, ut non solum sine cibo uiueret, sed & ne esuriret quidem, tantisper dum tempus tentationi destinatũ appeteret. Neq; id insolens erat, cum & antea tale quid in Mose & Elia præcessisset. Exod. 24. & 34. cũ legem à Deo accepturus esset in monte Sina, tamdiu sine cibo, & potu in monte mansit Moses, donec impletis quadraginta diebus & noctibus, tabulas legis digito Dei scriptas esset adeptus. Quis dicit Mosen ob id uocatum esse in montem, ut in illo dies 40. ieiunaret, cum & in medio populi uel seorsum in aliqua solitudinis parte, siquidem Domino uisum fuisset, abunde satis ieiunare potuerit, ut nihil fuerit opus ascendere ad Deũ in montẽ? Non dicebat illi Deus: Ascende ad me in montem, ut ieiunes ibi, sed: Ascende ad me in mõtem, & esto ibi, daboq; tibi tabulas lapideas, & legem, & mandata quæ scripsi, ut doceas filios Israel. Cũ ergo ob eã esset causam à conuictu hominũ uocatus in montem, recte illi & hoc datũ est diuinitus, ut quàmdiu ibi manendum esset sine cibo, & potu uiuere posset. Ad eundem modum & de Eliah legimus, 1. Reg. 19. quod non ieiunandi gratia uocatus sit ad montem Horeb, sed ut mandatũ illic à Deo, de duobus regibus Syriæ & Israël, & propheta Elizeo ungendis acciperet. In hoc quidẽ itinere dies quadraginta sine cibo perdurauit, uerũ non huius gratia id itineris susceperat. Vt itaq; nec Mosis, nec Eliæ ieiunia talia fuerũt, ut illorum gratia ille in montem Sina, iste in Horeb uocatus sit: atq; ideò in illis magis quod principaliter agebatur utrinq;, quàm quod accessoriè contigit, considerandum est, ita & in hoc Christi facto, nõ tam quod dies quadraginta, & noctes quadraginta nihil comedit, quã quod ductui spiritus obsequutus tentationes Satanæ fortiter elisit ac uicit. Docemur itaq; hoc loco. Primum, ut & nos ductui spiritussancti obtemperemus. Deinde nihil dubitemus seruaturum nos Dominũ, si eo loci deducti fuerimus, ubi humanum desit subsidium, atq; ita corroboraturum, ut ne fames quidem ulla infestet nõ solum 40. sed, si ita illi uisum fuerit, integros etiam annos tantisper uidelicet dum pro nominis eius gloria ductu spiritus magis inter bestias, quàm inter homines constituti fuerimus. Christus, cũ esset inter homines, cibo & potu usus est cum gratiarumactione, cũ uero ducente spiritu uenisset in locum desertum, & ageret cum bestijs, quia patri sese crediderat, diuina uirtute absq; cibo & potu permansit, donec superato tentatore ad hominũ conuictum rediret. Ad eũ modũ & nos unum hoc curemus, ut à patris prouidentia firma fide pendeamus, nihil dubitantes alturum nos illum, siue inter homines, siue inter bestias ductu spiritus agamus, siue id cum cibo & potu, siue absq; ullo humano uictu faciat. Tertio, ut paratos nos præstemus, & firma fide muniamus ad deuincendas tentationes Satanæ, ut iam supra memini.

QVAM MALE SIT EX HOC CHRISTI FACTO IEIVNIVM QVADRAGESIMÆ DESVMPTVM.

Vetus est quadragesimalis ieiunij obseruatio inter Christianos: primũ per inconsultam quorundam religiosorũ imitationem ex Christi facto desumpta, deinde mandato quoq; Rom. Pontificum sub prætextu diuini præcepti roborata. Itaq; de utroq; uidendum est. Quod ad exemplũ Christi attinet, adferũt tritum illud: Omnis Christi actio, est nostra instructio. Deinde subijciunt. Et ieiunium 40. dierum est Christi actio, atq; ita concludunt. Ergo ieiuniũ quadragesimæ est nostra instructio. Vtinam Christum quæreremus ex animo, & ex illo uno ueræ pietatis normã statueremus, sed secundũ scientiã.

Verum

obseruandum quid principale quid accessorium in facto Christi

Verũ est quod dicunt omnẽ Christi actionem esse nostrã instructionem, uerũ etiam est, ieiunasse Christũ dies 40 nec hoc fálsum est, factum hoc Christi habere, unde instruamur. At interea obseruandum erat primũ, quid in hoc Christi facto sit principale, quid accessorium, de quo iam diximus. Deinde, quid in illo tale sit, quod ad instructionẽ nostri faciat, & imitabile sit. Neq; enim omnia quæ Christus fecit, talia sunt, quæ uel possimus, uel debeamus etiam imitari. Aliud est instrui ex facto Christi, & aliud factũ illius quodlibet imitari. Proinde, quod omnis Christi actio nostra dicitur esse instructio, non idem est, atq; si diceretur: Omnis Christi actio, est nostra imitatio. Supra admonuimus, quid instructionis insit isti Christi ieiunio. Habet hoc factum longe potiora, & magis ad pietatem facientia, quæ imitemur, quàm sit ieiunium hoc quadraginta dierum, cur illa negligimus? Deinde quæso quam egregiam laudem Christo Domino paramus, dum hoc tantopere extollimus, & perpetua putamus obseruatione imitandum, quod in deserto constitutus quadraginta dies, nec comedit, nec bibit: cum de Mose & Elia Iudæi non quadraginta tantum, sed pluriũ certe dierum ieiunium nobis obijcere queant. Verum uiderunt non esse ieiunia, sed alia quædam longe altiora. Cur ergo nos Christũ non magis in eis rebus extollimus, in quibus nec Mosen, nec Eliam, nec quenquàm mortalium parem habet, quàm in ista 40. dierum ἀσιτίᾳ?

Deinde etiamsi largiamur Christum ieiunandi gratia ductum esse spiritu in desertum: quis non uidet, ieiunium hoc tale esse, ut sit imitabile? Nihil erit comedendum prorsus, imò nec esuriendum. Pari ratione poterant & reliqua Christi miracula Ecclesiæ imitanda proponi. Quod si quis imitator esse potest miraculosæ huius ἀσιτίας, bene imitetur et reliqua Christi miracula, det cæcis uisum, surdis auditum, pascat quinq; millia hominum septem panibus, ambulet sicco pede in superficie maris, sedet maris tempestatem, & uentorum impetum uerbo, suscitet etiam mortuos, nemo uituperabit quidem, attamen ista laudabilia non erunt, nisi certo ad gloriam Dei, & regni Christi profectum fiant. Nec fieri potest, ut factorum Christi sit imitator, etiã is qui quæ ipse gessit, opere adimplet, nisi simul & eam operibus adhibeat mentem, qua Christus præditus, tam admiranda patrauit. Proinde imitatores miraculosæ huius ieiunij, ne sic quidem essemus, etiamsi 40. dies, nec ederemus, nec esuriremus, nisi & reliqua quæ principaliora sunt, adimpleremus. Iam cum edamus ac bibamus, deinde mentem Christi non adferamus, uideri uolumus imitatores Christi. Quis intelligens ista probauerit?

Tertio, Præterea cogitandum erat & hoc, quod ieiunium hoc suum Christus ne uerbo quidem nobis præcepit. Magna differentia est inter ea quæ Christus & fecit ipse, & nobis facienda proposuit: & quæ fecit quidẽ ipse, nobis uero ut faceremus non præcepit. Fatetur hoc & Chrysostomus, qui super Matth. homil. 47. sic dicit. Non enim dicit ieiunium suum esse imitandum, quàmuis quadraginta illos dies posset proponere, sed: Discite à me quoniam mitis sum, & humilis corde. Imò uero contra. Omne quod apponitur uobis comedite, inquit. Hæc ille. Quæ quæso est ista peruersitas, quod quæ Christus & fecit & docuit, negligimus, & quæ miraculose fecit, nobis etiam facienda non proposuit, imitanda nobis putamus? Declaremus potius quàm diligamus Christũ obseruantia uerborum ac præceptorum eius, quàm incon sulta illa miraculorum imitatione. Si quis diligit me, inquit, sermones meos seruabit. Et alibi. Seruus sciens uoluntatẽ Domini sui, & nõ faciens, uapulabit multis. Non dicit, sciens facta Domini sui, & non faciens. Et cũ amandaret discipulos suos in orbem uniuersum, non dixit, docẽtes eos seruare, quæ ego feci, sed, quæ ego mandaui uobis. Iohan. 14.

Chryſoſt.

IEIVNIVM QVADRAG. NON esse ex præcepto diuino.

Quoniam uiderunt Rom. Pontifices factum Christi nullum habere præceptum, & intellexerunt non fore firmam hanc quadrag. Ieiunij constitutionem, sine auctoritate diuini præcepti, commentum istud, quod De consec. dist. 5. cap. Quadragesima habetur, induxerũt, quo Greg. 7. sic argumentatur. Iubemur ab omnipotẽti Deo omnium bonorum nostrorũ dare decimas (id præcepti est Deut. 14.) Quadragesima est decima dierum totius anni. Debemus ergo ex præcepto diuino seruare ieiuniũ quadragesimæ. Quod ad maiorem attinet præterquàm quod lex loquitur his, qui sub lege non sumus, Rom. 3. Nos uerò sub lege non sumus, Rom. 6. nec iudicandus est Christianus in cibo ac potu, nec quicquàm constitutum est ijs, qui ex gentibus in Christum credunt per concilium Apostolicum, quàm ut abstinerent ab ijs quæ simulachris essẽt immolata, & à sanguine, & suffocato, & scortatione. Præter ista inquam animaduertendum erat decimas deputatas esse sacerdotio Leuitico, quod per sacerdotium Christi est abrogatũ: ut lex decimarũ, ut illa per Mosem lata est, ad nos nihil pertineat. Minorem, nempe quod dicit, quadragesimam esse decimam dierum totius anni. Eo sensu quo posita est, nõ accipimus, etiamsi Iudæi essemus. Est enim hic sensus præter mentem legislatoris, nec unquàm à Iudæis intellectus qui à nomine etiam prophetarum unquàm reprehensi sunt hoc nomine, quod quadragesimale ieiunium ex hac lege decimarum non intellexerunt esse seruandũ, nec seruarunt etiam. Proinde omnino friuolũ est hoc commentum Greg. ut merito mirandum sit, quàm fuerit ætas illa in rebus Dei stupida, ita ut pasta sit quæuis sibi quocunq; prætextu obtrudi.

Arg: Gregorij 7

Quod autem quadragesimalis ieiunij obseruantia præter legem Dei ac Christi præceptum in Ecclesiam uenerit, satis testimonij uel ex eo sumi poterit, quod in libertate fuisse in prima Ecclesia deprehenditur. Legimus enim in Ecclesiastica historia lib. 5. cap. 24. uerba Irenæi ab Eusebio ad hunc modum citata. Sed & de ipsa specie ieiunorum est disceptatio. Quidam enim putant una tantum die obseruari debere ieiunium, alij duobus (loquitur autem de ieiunio ante Pascha) alij uerò pluribus, nonnulli autẽ etiam quadraginta, ita ut horas diurnas nocturnasq; computantes diem statuant. Quæ uarietas obseruantiæ non nunc primũ neq; nostris temporibus cœpit, &c. Et tamẽ nihilominus omnes isti etiã cũ in obseruantia uariarent, inter semetipsos & nobiscum pacifici

Eccl. Hiſtoria lib. 5 cap. 24. uerba Ireneij

pacifici fuerunt semper & sunt, nec dissonantia ieiunij fidei consonantiam rapit. Hæc Ireneus ad Victorem Episcopum Romanum, qui Victor anno CXCI. ad Episcopatum assumptus est. Et in historia Tripartita lib. 9. capite 38. sic legimus. Nam in ipsis ieiunijs aliter apud alios inuenis obseruari. Romani enim tres ante Pascha septimanas, præter Sabbathum & Dominicam sub continuatione ieiunant. Illyrici uerò, & tota Hellada, Alexandria quoq; sex septimanas ante ieiunant, eaq; ieiunia quadragesimam uocant. Alij uero ante septem Paschæ septimanas ieiuniorum facere noscuntur initia, & tres tantummodo septimanas ieiunant, &c.

Ex his abunde satis patet, quadragesimale ieiunium, ut uarium, ita & liberum, subq; nullo præcepto fuisse, nisi quantum quæq; Ecclesia sponte illo usus est. Vnde & Apollonius Ecclesiasticus quidam scriptor inter alia quorum nomine Montanum hæreticum taxat, etiam hoc memorat, quod primus ieiunij leges fixerit, ut est apud Euseb. Eccles. histor. libr. 5. cap. 18. Hinc est & illud Augustini non solum de quadragesimo, sed & de quouis alio ieiunio Epist. 86. Quibus diebus inquit, non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini uel Apostolorum non inuenio definitum. Hæc ille. Ex quo apparet, hanc ieiuniorum imparitatem hinc esse, quod cum nullum esset de illis, uel Christi, uel Apostolorum præceptum, regnaretq; adhuc in Ecclesijs harum rerum libertas, & præposteræ irreperent quotidie religiones, quisq; suo sensu uteretur. Patet etiam quadragesimam non fuisse solum liberè seruatam, sed neq; à quibusuis Ecclesijs seruatam esse, imò ne ab ipsis quidem Romanis, isto certe tempore, cum hæc scriberentur.

DE VERO IEIVNIO IN GENERE.

Hactenus de quadragesima, nunc de ieiunio in genere dicendum. Principio, quoniam in rebus incognitis facile erratur, uidendum est, quid sit uerum ieiunium. Si dictio pensatur, nihil est aliud quàm sine cibo & potu aliquousq; ultra consuetum persistere. Si uero ratio ieiuniorum respicitur, patet ieiunium uerum non consistere in abstinentia tantum cibi & potus, unde & Chrysostomus Tomo 4. homil. 3. sic dicit: Abstinentia ciborum tantum ieiunium definiens, hic est qui ipsum maxime uituperat. Et Hieron. super Iohelem cap. 2. Si omne ieiunium placeret Deo, non diceret Dominus, non tale ieiunium elegi. Esaiæ 58. Quemadmodum enim si de Sabbatho quis roget, non est respondendum, esse ocium à labore necessario, quandoquidem multi sunt qui ita ociantur, de quibus tamen non dicimus, quod Sabbathum agant, ita & de ieiunio rogati non respondebimus esse abstinentiam cibi & potus, sed ut Sabbathum alio respicit, ita & ieiunium, ut magis considerandum sit, quo fine ieiunetur, quàm quod simpliciter à cibo ac potu abstinetur. Quid ergo dicemus uerum esse ieiunium? Abdicationem scilicet omnium eorum quæ corpori sustentando solent impendi, cum luctu & humilitate animi diuinam clementiam suppliciter ambientis. Vnde & Pharisæi ut ita uiderentur ieiunare, obscurabant facies suas, ut lugentibus similes esse uiderentur quà de re infrà cap. 6. & infrà 9. interrogatus Christus quare discipuli ipsius non ieiunarent, respondit: Quomodo possunt filij sponsi lugere, quàmdiu cum illis est sponsus? Cum auferetur ab eis sponsus, tunc ieiunabunt. Vnde manifestum redditur ieiunium, uerum esse luctum certis causis, ad ambiendam diuinam clementiam susceptum uel illatum.

Reperitur autem triplex ieiunij genus. Primum quod ad carnis castigationem assumitur. Atq; hoc improprie uocatur ieiunium. Est enim uerius abstinentia ac temperantia, quàm ieiunium. Atq; hoc ieiunij genus instar medicinæ est, de quo uide Chrysostomum tomo quarto homilia 3. Et hoc semper seruandum est.

Alterum est, quod à Deo imponitur, non sponte eligitur, cum uidelicet fames immittitur, aut cœlo occluso ac terra obdurata, aut bellicis tumultibus quæq; uastantibus. Tale quid accidit Abrahæ & Isaac, item Israeli in solitudine constituto, præterea & temporibus Eliæ, adhæc & Samariæ, 2. Reg. 7. In hoc ieiunio opus est insigni fide & patientia. Verum contra hoc prædicatores illi ieiunij Papistici sese, ut arbitrantur, probe communierunt. Vide 2. Corint. 6. 11.

Tertium est, de quo diximus, nempe quod certis causis cum luctu & animi humilitate ad flectendum iram Dei sumitur, & ubi uisum fuerit, finitur. Alterum uero ieiunij genus, ut non ultro accersitur, sed à Deo, ubi uisum fuerit imponitur, ita ultro etiam non abijcitur, sed per solam misericordiam Dei tollitur.

Hoc tertio ieiunij genere usi sunt ueteres, primum, si qua clades erat accepta, ut Iudicum 20. 1. Sam. 31. deinde si qua erat præ foribus, ut 2. Par. 20. Ester. 13 & in historia Niniuitarum. Tertio, Si quid peccatum fuerat ut 1. Sam. 7. 1. Reg. 21. Neemiæ 9. Daniel. 9.

Vsi sunt autem ad hunc modum. Conuocabatur populus per seniores Ecclesiæ, ad lugendum & orandum, indicebatur ieiunium ita ut & animantibus aliquando cibus sit negatus. Abstinebant ab omni cibo, luctui toti, fletibus, & precationibus dediti, confitebantur peccata sua, & ut dolorem cordis testarentur, saccis induebantur, iacebant in puluere, cinere capita aspergebantur, incurui ingrediebantur. Tale quid uidere est Psalm. 35. Quid quæso sunt papistica ieiunia, istis comparata?

Quid igitur? Laudamus ne eos qui prorsus omne ieiunium abijciendum putant? Absit. Quin ob eam causam abusus ieiuniorum notamus, ut uero ieiunio fiat locus, præsertim nouissimis istis temporibus, in quibus omninò plures sunt ieiunandi ac lugendi causæ quàm ullo unquàm sæculo. Desideramus hic officium eorum qui rerum potiuntur, quorum erat commissum populum cum testatis acceptæ autoritate, tum proprio exemplo ad iustam pœnitentiam & luctum Christiana plebe dignum, & inuitare & cogere, quale exemplum in rege Niniuitarum propositum est.

Et cum accessisset ad eum, ille qui tentat, &c.

Iam orditur descriptionem tentationum Satanæ. Et principio eum, quem iam uocauerat diabolum, uocat tentatorem, ut malitiam hostis notet, qua solet filios Dei tentando

tentando, & ad ruinam sollicitando adoriri. Hoc est
1. Cor. 7. illius ingenium, quod ut caueamus, admonet Apostolus, ne tentet uos, inquit satanas. Et 1. Thessalon. 3. Ne forte tentauerit uos ille qui tentat. Merito hoc nominis habet satanas, ab eo tempore, quo genus humanum in primis parentibus insidiosa tentatione morti reddidit obnoxium, ut sciamus nobis esse contra illius tentationes diligenti & irremissa cautione uigilandum.

Quàm autem callidum sit & astutum tentatoris huius ingenium, quo non solum callidè & uersutè tentat, sed & insidiosè, obseruata tentandi opportunitate, filios Dei aggreditur, in præsenti nobis exemplo obseruandum est. Intra quadraginta illos dies, cum nullam adhuc Christus sentiret esuriem, non accessit ad tentandum tentator, sed tum primum accessit, cum intelligeret eum esurire. Non enim uidebatur esse tentationi locus in eo qui non comedens non esuriebat. Vbi uerò cœpit esuriem pati, quæ alioqui, ut ille ait, malesuada est, & famelicum ad impatientiam sollicitat, tum demum ut malesuadæ fami uires adderet, et impatientiæ cogitationes augeret, tentationibus suis esurientẽ adoritur. Ita credibile est & Euam primam generis nostri parentem non aggressum esse tentatorem, nisi cum obseruasset illam delectari uetiti pomi aspectu, deinde & de uerbo Dei nonnihil dubitare. Dicebat enim, ne forte moriamur, cum à Deo non audisset, ne forte moriamini, sed quo die de illa comederitis, morte moriemini.

Quod autem delectata sit aspectu uetiti pomi, scriptura non tacet ubi ista animaduertit, tum confidenter pessimus consultor, & uersutissimus tentator alioqui nutantem accessit ac tentauit. Ita nos Germani dicimus: Der teufelist bey redtig. Ad hunc modum mœstos & adflictos animos, quos ad desperationem alioqui animaduertit esse propensos, ut desperent, sibiq; ipsis manum inferant sollicitare solet. Hoc pacto & eos, quos intelligit desiderijs prauis, & corruptis teneri, tentationibus suis ad hoc impellere solet, ut libidini, & prauis affectibus obsequantur.

Sic callidissimus hostis tentandi occasiones ex nobisipsis uenatur, ut iam non solis ipsius tentationibus ad peccandum sollicitemur, sed proprijs etiam affectibus tentatoris conatus prouehamus, non solum externe per hostem, sed & interne domestico malo impugnati, de quo est illud Iacobi, cap. 1. Vnusquisq; tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.

Si filius es Dei, dic ut lapides hi panes fiant.

Hæc est prima satanæ tentatio, qua Christum occasione famis adoritur. Est autem illius hic sensus. Putas te esse filium Dei, forte uoce illa quam post Iohannis baptismum audisti, nempe: Hic est filius meus dilectus, persuasus, sed uehementer deciperis, id quod iam res ipsa declarat. Quis enim Deum passurum credat, ut filius eius agat in solitudine cum bestijs, & omni humano subsidio destitutus cum fame luctetur. Iam esuris. Quid comedes? Vnde esuriem pelles? Vbi est panis quo uescare? Lapidum hic satis est, panes uerò nulli. Age itaque, si filius Dei es, quid opus est ut esuriem feras, cum queas ex lapidibus istis parare tibi panis copiam, & istam quam pateris arcere famem? Iube itaq;, si filius Dei es, si non fallit uox illa quam audisti, ut ex his lapidibus panes fiant.

Quid quæso aliud agit hic tentator, quàm quod in paradiso primum Euam tentando egit? Dixerat Deus, morte moriemini, quocunque die ex hoc ligno comederitis. Tentator contra. Nequaquàm inquit morte moriemini, sed eritis sicut Dij scientes bonum & malum. Ita scilicet uerbum Dei mendacij conatur arguere, idq; efficere, ut non Deo, sed sibi credatur, quo nos constituat desertores Dei, & incredulitatis crimine inuoluat. Sic uocem patris de filio suo impugnat, & in dubium uocat, tanquàm perpetuus aduersarius Dei, totus in eo, ut de mendacio Deum reddat suspectum, ipse mendacissimus, imò pater mendacij, & ueritatis gloriam illi adimat, ac sibijpsi adaptet.

Impugnatur itaq; hac tentatione ueritas paterni testimonij in filio Dei. Deinde sollicitatur filius Dei ad eam impietatem, ut paternæ uoci non credat, atq; ita à fide illius, ac prouidentia deficiat. Nouit enim callidissimus hostis hæc duo esse coniuncta, nempe gloriam diuinæ ueritatis, & nostram salutem, si in fide uerbi Dei immotè persisterimus, quæ utraq; ferre nequit cum primis Dei, deinde & humani generis propter Deum hostis.

Vigilandum ergo nobis est, ne fidem in nobis, qua ex ueritate uerbi ac testimonij Dei nos esse filios Dei credimus, tentationibus satanæ labefactari sinamus. Nam hanc miris modis infestat ad quod sæpenumero opera impiorum hominum utitur, præsertim, sicubi nos uiderit alioqui non admodum firmos, & proprijs etiam cogitationibus ad incredulitatem sollicitari, id quod uel in tribulationibus usuenit, uel in luctu, quem peccatorum nostrorum nobis immittit consideratio, cum conscientia peccatorum pondere pressa, ommum ægerrimè fidem hanc admittit, quod sumus filij Dei. Cum Christus esset in cruce, dicebant instrumenta satanæ. Si filius Dei est, descendat de cruce, & credemus ei. Item qui confidit in Deo, saluum faciat eum, si uult eum. Ita & hodie aduersarij uerbi Dei, qui satanæ contra Deum militant, ubi eos, qui à ueritate uerbi Dei pendent, adflictionibus uident esse obnoxios, confestim inferunt, indicium esse quod hæretici sint & irascatur contra eos Deus detesteturq; illorum sententiam. Item ubi labuntur filij Dei ex imbecillitate fidei, & carnis partim, partim satanæ impulsu, mox adhibentur ministri satanæ, qui dicant eos non esse Christianos, non esse filios Dei, esse extra gratiam Dei, impios ac reprobos. Muniendæ sunt fidelium conscientiæ, contra hanc periculosissimam tentationem, una uerbi Dei fide, cuius etiam Apostolus nos admonet, dicens: Cui resistite fortes in fide.

At ille respondẽs dixit: Scriptũ est, Non solo pane uicturus est homo, sed omni uerbo

uerbo quod egreditur per os Dei.

Audiuimus insidias, & uersutiam tentatoris, consideremus, nunc etiam quomodo illi Christus occurrat.

Scriptum est, inquit.) Merito quæritur, quare scripturæ præsidio sese tueatur, quod non hic tantum, sed & contra sequentes reliquas duas tentationes facit, cum potuerit satanæ id quod uerum erat dicere. Sicut pater uitam habet in semetipso, ita dedit & filio uitam habere in semetipso. Ego ipse sum uita. Putas me sine pane uiuere non posse? Potuit ne diuina sua uirtute satanam in abyssum abijcere? Vtiq; Verùm nolebat illi certum diuinitatis suæ experimentum dare, deinde nõstri gratia tentationes illius ità conueniebat uincere, ut non solũ irritaretur tentatoris insidiæ, sed nobis etiam quod sequeremur, exemplum pugnandi proponeretur. Ad hæc tentationes istæ tales erant, ut non fuerit necesse diuina illis uirtute elidere, cum solo uerbi Dei gladio tentatori resisti potuerit.

Discamus ergo exemplo Christi, qua sit nobis armatura contra tentationes satanæ pugnandum. Nempe gladio spiritus, uerbo uidelicet Dei, id est, fide uerbi Dei, qua nos etiam Apostolus armatos esse uult, Eph. 6. Hæc armatura non tam Christo filio Dei, quàm nobis illius tyrunculis conuenit. Vti tamen illa uoluit, ut nos suo doceret exemplo, quibus debeamus armis occurrere tentatori. Perinde atq; si fortis quidam gigas, hostem non suis, sed tyrunculi sui armis feriat & prosternat, nõ hoc tantum agens ut hostem uincat, sed simul & hoc, ut tyrunculum suum instruat, & animatum reddat.

Non in solo pane.) Locus hic ex octauo capite Deut. desumptus est, ubi sic ad Israëlem loquutus est Moses. Et recordaberis cuncti itineris, per quod duxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, ut adfligeret te atq; tentaret, & nota fierent quæ in animo tuo uersabantur, utrum custodires mandata illius, an non. Adflixit te penuria, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu, et patres tui, ut ostenderet tibi, quod non in solo pane uiuit homo, sed in omni, quod egreditur ex ore Domini, &c. quibus uerbis Moses Israëli consilium Dei aperit, quare per desertum illum annis quadraginta duxerit, nempe, ut, sicut statim subijcit, erudiret eum sicut pater filium, ad hoc uidelicet, ut disceret primum uitam hominis esse ita in manu Dei, ut quouis illam modo in deserto quoq;, & omnis generis τῶν βιωτικῶν penuria sustentare posit, deinde ut disceret timere, & colere Dominum, mandataq; eius obseruare. Tertio, ut primum uarijs modis adflictus, ubi in terram lacte ac melle fluentem uenisset, & rerũ omnium abundantia potiri cœpisset, benediceret Domino Deo pro terra optima, nec obliuiisceretur mandatorum, & cæremoniarum eius.

Ex hoc itaq; loco Christus, cum quadraginta dies, & quadraginta noctes in deserto cum bestijs agens, nec manducasset quicquàm, nec bibisset, imò ne esurisset quidem, & iam esuriens tentaretur à satana, arma sibi contra illius impetum, non tam sui, ut dixi, quàm nostri gratia desumpsit, atq; ita non solum facto, sed & uerbis uiam nobis monstrauit, ad considerandam diuinæ prouidentiæ uirtutem, qua nitamur in omnibus.

Habet autem ista gnome duo, primum quod neget, alterum quod asserat. Cum dicit: Non in solo pane uiuet homo, negat uitam hominis esse in solo pane. Per panem autem intelligit omnem illum uictum corporũ nostrorum, quem quotidiana consuetudo uelut necessariũ complectitur. Negat autem hoc non præter rationem. Nam ita comparata est caro nostra, ut quoniam uirtutem diuinæ prouidentiæ ignorat, in externis hæreat, nec putet sè uiuere sine pane posse. Hinc tot anxiæ cogitationes, labores, uigiliæ, & omnis generis inuenta, quibus curatur hoc unum, ne sit quod uentri desit. Hinc erant illa murmura incredulorum in deserto, iam aquam, iam panem, iam carnes petentium, quasi sine his rebus uiuere non possent. Hanc diffidentiam carnis prima huius sententiæ pars reijcit. Deinde quoniam non satis est, falsam opinionem ex animis mortalium excutere, nisi & ipsa simul ueritas, qua nitendum sit tradatur, subiungitur mox altera parte, unde constet uita hominis. Sed ex omnium uerbo inquit, quod egreditur per os Dei. Est autem Ebraico more dictio uerbi hoc loco usurpata, primum à Græcis interpretibus, deinde & à Christo, prò re quauis quæ à Deo ad hoc destinatur, ut homini sit alimenti loco, sicuti man erat Israëlitis. In Ebræo nanq; nõ habetur דבר uerbum, sed simpliciter ad hunc modum

כי לא על חלחם לבדו יחיה האדם כי על כל מוצא פי יהוה יחיה האדם׃

Hoc est, quod non in pane solo uiuat homo, sed in omni quod egreditur ex ore Dñi. Et uerbũ דבר quod Græcis est ῥῆμα, sæpenumero non pro uerbo, sed re aliqua, & facto sumitur. Lucæ 2. legimus. Et uideamus uerbum hoc quod factum est. Verbum uideri non potest, nisi facto aliquo exprimatur, & conspicuum reddatur. Egreditur autem uerbũ ex ore Domini, ut illo alemur, quando diuina prouidentia decernit aliquid, quo uiuamus. Generaliter decreuit panem, ut cor hominis confirmet, sed non ità ut in solo pane sit uita hominis. Quod panis pascit non habet aliunde quàm ex prouidẽtia Dei, quæ tantæ est uirtutis, ut si mortis cibum destinet homini ad uitam, iam non sit mortis sed uitæ cibus.

OBSER.

Notandum est primum, quomodo hic locus à Christo usurpetur. Non dixerat satan: Si es homo, dic ut lapides isti panes fiant, sed: Si es filius Dei. Respõsum uerò Christi nõ habet, quod soli competat filio Dei, sed quod pertineat generaliter ad omnes homines. Neq; enim dicit: Non in solo pane uiuet filius Dei, sed: Non in solo pane uiuet homo. Atq; ita plus habet Christi responsum, quàm exigebat intentio tentatoris. Si nanq; talis est cuiusq; hominis conditio, ut uita ipsius non sit alligata pani, quanta magis talis est conditio filij Dei? Ita uidelicet studiosè fugit hoc quod quærebat callidus tentator, & nihilominus tentationibus illius dexter occurrit. Et hoc non præsenti tantum, sed & duabus sequentibus tentationibus facit. Vt enim multo minus filij Dei uita alligata est pani quàm cuiusquàm hominis, ita certe multo minus competit filio Dei tentare Deum, & alium quempiam præter Deum adorare, & colere, quàm cuiquàm homini

homini quisquis ille sit. Et hoc quoq; loco uidemus, quod suprà monui, Christum non pugnare cum Satana armis propriè sibi competentibus, sed cum talibus, qui nobis tyrunculis ipsius conueniant, ut intelligamus hac illum pugna magis nostram quàm suam ipsius egisse causam, atq; ideò præter בנים filij Dei nostræ se attemperasse conditioni. Nec mirum, cum omnia ista, quæ dispensationem incarnationis concernunt, non sui sed nostri gratia, redemptor humani generis à patre ad nos missus, subierit, ut insolens uideri nequeat, quod etiam hanc pugnam nostræ conditioni adaptauit.

OBSER.

2 Quoniam plerunq; in procurando uictu nimiũ solliciti sumus, illiusq; gratia plurimis Satanæ tentationibus petimur, quasi omnis nostra, nostrorumq; alimonia, à nostra pendeat industria & sollicitudine, armandi sumus præsenti ueluti gladio, quem nobis dux noster Christus ad uincendum Satanæ impetum consecrauit, ut & nos dicamus: dicamus autem cum fide. Non in solo pane uiuet homo, sed in omni uerbo quod egreditur ex ore Dei. Scientes panis loco futurum, quicquid diuina nobis prouidentia ad alendum deputauerit, etiamsi in desertis locis inter bestias sit uiuendum. Verum hac de re uidebimus infrà plura cap. 6. Ibi. Ne sitis solliciti quid edatis, aut bibatis, &c. Hinc tamen non excusantur ociosi uentres, & manus remissæ. Neq; enim hic ociari, & curam domesticam abijcere discimus, sed spem uictus, & totius uitæ sustentandæ curam, non nisi diuinæ prouidentiæ assignare. Alioqui, ut Paulus inquit: Qui non laboret non manducet. Et ad Adamum Deus: In sudore uultus tui, inquit, uesceris pane tuo. Et Paulus alibi. Quod si qua suis & maxime familiaribus, non prouidet, fidem abnegauit, & est infideli deterior.

Tunc assumit illum Diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculũ templi, dicítq; illi: Si filius es Dei præcipita te deorsum. Nam scriptũ est: Angelis suis mandaturus est de te, ac manibus tollent te, ne quando impingas in lapidem pedem tuum.

Hæc est altera tentatio Satanæ, qua quid molitus sit, ex Christi responso uidebimus. Quàm autem etiam hic callidissimus fuerit, singula expendentibus facile liquet. Quoniam primo congressu non solum nihil profecerat, sed & animum Christi firma erga prouidentiam patris præditum esse fiducia compererat. astute id genus tentationis obijcit, quod ijs potissimum solet esse periculosum, qui Deo se, ut filios Dei, credunt esse plurimũ commendatos, & de illius sibi prouidentia optima quæq;, et omnia tuta pollicentur. Id uerò est, ut fiducia partim diuinæ protectionis, partim affectu inanis gloriæ, res periculosas ultro subeant, ut nominis aliquid acquirant, atq; ita eò labantur insaniæ, ut præter ullam necessitatem diuinã erga se prouidentiam, miraculo aliquo declarandam tentent? Hoc uidelicet quæritur ista tẽtatione ab improbissimo Satana, idq; omnium uaferrime.

3 Assumit illum in sanctam ciuitatem.) Quare non sustulit eum in rupem aliquam deserti, è qua se præcipitem daret? Quid opus erat ducere illum in sanctam ciuitatem, ac super pinnaculum templi statuere? Astute hoc factũ est. Sciebat adesse tempus Messiah in lege promissi, nec uidebat hominẽ, in quẽ magis illius posset cadere suspitio quàm hunc Iesum. Cogitabat. Tẽtabo, num causæ huius aliquam liceat acquirere certitudinem. Prima uia non est effectũ aliquid, uidebo alia. Experiar, an uir tutẽ filij dei sit demõstraturus, inani gloria ductus, libentius & cupidius in urbe Ierosolymorũ populosissima, & quæ regni sedem ac templum Dei habet, quàm hic in loco deserto, ab omniũ mortaliũ conuictu semotus. Sentio nanq; me nihil hic effecturũ. Quærendæ sunt occasiones, quæ hominẽ alliciant. Ducam itaq; illũ in urbem celeberrimam, ubi sedes habetur regni, statuamq; super pinnaculum templi, sublime illud & celeberrimum, & suadebo, ut hinc se præcipitem det, spe ductus obtinendi regni, id quod certe faciet, si pro filio Dei, & Messia haberi uoluerit. Talis erat etiam, nimirum ex spiritu malo & tentatore, suggestio fratrum Christi, quæ Ioh. 7. ad hũc modum legitur. Transi hinc (id est, à loco obscuro, ubi nõ potes magni aliquid fieri) Et uade in Iudæam, ut & discipuli tui uideãt opera tua, quæ facis. Nemo quippe in occulto facit aliquid, & quærit ipse palàm esse. Si hæc facis, declara teipsum mundo. Hoc astu Satan uidetur Christum non in rupem aliquam deserti, quod facile potuisset, sed super pinnaculũ tẽpli tẽtaturus collocasse.

OBSER.

1 In ciuitatem sanctam.) Notandum hoc loco est, quod Ierusalem uocat ciuitatem sanctam, cum esset ciuitas omniũ corruptissima. Sancta uocata est non propriæ iustitiæ, sed eius gratia, quod habitationem nominis sui in illa Deus esse uoluit. Ita & nos licet peccatores simus, populus tamen Dei sanctus sumus, propter nomen Dei, in quod sanctificati sumus, quod super nos inuocatur etiam. Et hic titulus debebat nos admonere, ut ueræ sanctimoniæ ex animo studeremus. Quod si nomini Dei ignominiosi fuerimus, nihil expectandũ erit aliud, quàm quod ciuitati isti Ierosolymorũ iusto dei iudicio accidit, ut hoc uidelicet grauiori condemnationi reddamur obnoxij, quo maioribus ac potioribus Dei donis iam frustra cumulati sumus.

OBSER.

2 Timeant etiam hic sibi, qui sublimi loco constituti, reliquos potissimũ in religione, excellunt. Nã quo quisq; reliquis est sublimior, hoc magis Satanæ tentationibus est obnoxius, & ad præcipitium expositus. Nam is totus in eo est, ut in templi pinnaculo constitutis, præcipitium suadeat, hoc est, inanis gloriæ studio ad ruinã sollicitet.

Dicitq; illi: Si filius Dei es, &c.) Iterũ obijcit illud: Si filius Dei es, q. d. Quoniam omnino niteris uoce illa de cœlo delapsa: Hic est filius meus dilectus, atq; ita pendes à prouidentia patris, ut ne esuriens quidem in summa rerũ penuria dubites te, ab illo etiam sine pane sustentari posse, benefac hoc testatum omnibus, ut nemo non uideat te esse filium illum Dei, in prophetis promissum, & tu quoq; certus reddare, ut non sit necesse inani opinione perpetuo fluctuare. Vtrũq; uerò consequeris,

si te deorsum præcipitaueris. Nihil enim periculi tibi futurum est, ut timendum sit, ne qua corporis parte lædare. Nam miraculo seruaberis, & efficies, ut te quotquot Ierosolymis sunt, pro filio Dei, & uero Meßiah sint agnituri ac suscepturi. Vide tentatoris uafriciem, quibus argumentis Christo præcipitium suadeat. Si filius es Dei inquit, quasi non poßit alia uia declarari, quod sit filius Dei, quàm miraculosa ista præcipitatione: uel quasi non poßit in prouidentia & cura patris cõsistere, nisi illam præcipitio isto non necessario experiatur. Sperabat Satan cogitaturum Christum: Si non obsequar, dicet te nõ esse filiũ Dei, nec certa fiducia à paterna cura, & prouidentia pendere, atq; ita uideberis propè negare patrem. Si uerò præcipitem me dedero, & diuina uirtute illæsus permansero, fiet ex hoc miraculo, ut cognoscar ab omnibus pro filio Dei. Nam ita plerunq; comparati sumus, ut illicitis malorum hominum petitis cedamus, si quid obijciant, quod obnixius uideri, & haberi uolumus, ne si non morem illis geramus, tales non uideamur, quales uideri uolumus, ut exempli gratia. In quibusdam principum aulis id moris est, ut ad ebrietatem usq; bibituri, alter alteri ita præbibat, ut quã charã habeat principis sanitatem, bibendo declaret, & pro amore principis præbibenti respondeat. Hic ne uideatur quisquàm talis, qui principi sanitatem inuideat, tali adhortatu fit, ut quotidie sint ebrij, & principi dedecori, sibiq; ipsis plurimum noxij, quasi non poßit amare principem melius, qui non bibit, quàm qui bibendo sese inebriat.

Tale est & illud, quod altercantes solent alter alterum ad consertionem manuum, & congressum prouocare, dicentes: Si ex probis es parentibus, si quid in te est honoris, prodi, & congredere mecum. Quasi talibus argumentis declarari poßit, quàm sit quisq; legitimis parentibus ortus. Hæc omnia suggestu Satanæ fiunt, qui cõsimili hic Christũ adortus est uia, dicẽs: Si filius es dei, præcipita te deorsum. Proinde uidendũ est, ut in talibus tentationibus uocem Satanæ agnoscamus, & fugiamus.

3 Præcipita te deorsum.) Quare non ipse Christum præcipitem dare conatur, sed suadet, ut sese ultro præcipitet? Nemo Deum tentat, qui non ipse periculis sese ultro absq; ulla necessitate exponit, sed aliunde exponitur. Deinde prouidentia Dei curam gerit non eorum, qui periculũ amant, sed qui periculis aliunde præter animi sui sententiam inuoluuntur. Ideò Satan, ubi filios Dei tentat, non hoc agit, ut ipse illos præcipites ad ruinam impellat, sed ut ipsi sese ultro præcipitent. Et præterea non est in manu illius, ut filios Dei uiolẽtia sua quouis impellat. Vt tentet, hoc permittitur, ut præcipitet non ita. Hinc est, quod non ipse desperabundos, uel in flumina abijciat inuitos, uel laqueis trabi annectat, uel cultris trucidet, sed tentationibus suis eò ducit, ut sibi ipsis ultro manum inferant.

4 Scriptum est enim.) Vide dolum Satanæ. Vbi uidit Christum pugnare contra se scripturis, illisq; plurimum dare, adfert & ipse scripturas, quibus quod suadebat, persuadere conatur. Adfert autem eos non syncerè, sed uersutè, ut illarum autoritate Christum tanquàm in scripturarum exercitio, non adeò uersatum ac tritũ, fallat & seducat. Sciebat enim eũ literis non dedisse operam. Admonemur ergo hoc loco, ut spiritus illos probemus, qui cum in Ecclesia Christi primum ad seducendos filios Dei non sint usi scripturis, iam ubi uident se scripturis impugnari, scripturas adferunt & ipsi, sed ita, ut illis contra sensum spiritus, & consonantiam reliquarum scripturarum, utantur, atq; hoc astu rudioribus imponant. Satan iste plurimum cauendus est. Transfigurat enim se in angelum lucis. Regnat autem plurimum in secta Anabaptistarum, ut per illam planè idem uideatur falsa scripturarum usurpatione conatus, quod præsens exemplum depingit. Quanquàm nulla unquàm secta inter Christianos fuit, quæ non scripturas ad confirmandam sententiam suam usurpârit. Et hoc genus tentationis locum non habet, nisi inter eos, qui scripturis plurimum tribuunt. Est itaq; potißimum hisce temporibus, in quibus sanctarum scripturarum autoritas nonnihil facta est augustior. Satan iste, scripturarum gnarus, & ad decipiendum instructus, fidelibus summopere cauendus. Nec dubitare debemus, in hanc illum uersutiam intentißime incumbere, ut eos qui solis scripturis credendum arbitrantur non concilijs, decretis Pontificum, humanis traditionibus, aut sententijs patrum, sed scripturæ locis falso usurpatis seducat.

Angelis suis mandaturus est de te.) Locus hic ex Psalmo 91. desumptus est, qui totus in eo est, ut felicitatem ac securitatem eorum, qui sub protectione diuinæ prouidentiæ commorantur, describat ad quod argumentum & hæc uerba pertinent, Angelis suis mandat de te, ut custodiant te in omnibus uijs tuis. In manibus suis portabunt te, ne offendas ad lapidem pedem tuum. Sunt enim angeli Dei ministri electorum constituti, quod multis scripturæ locis traditur. Vt Psal. 32. Matth. 18. Ebr. 1. Est igitur usus istius loci, & aliorum consimilium, ut in fiducia diuinæ prouidentiæ confirmemur. 5

Vide autem uersutiam tentatoris. Senserat ex responso Christi, animum à uirtute diuinæ prouidentiæ cum fiducia pendentem. Ideò illam nõ ausus amplius impugnare, ex ea ipsa argumentum alterius tentationis uenatur, dicens: Scriptum est, angelis suis mandaturus est de te, ac manibus tollent te, ne quando impingas in lapidem pedem tuum. q. d. Bene fidis Deo patri, atq; illius prouidentia totus pendes. Recte hoc facis. Nam ille curam tui gerit, nec quo pacto feret, ut qua in re deserare. Et ob eam causam, sicut scriptum est, angelis suis tuo nomine mãdata dedit, ut ad ministerium tuum parati sint, tuiq; curam tantam habeant, ut etiam in manibus suis te portent, ne quo modo lædi queas. Proinde, cum sis filius Dei, ut id conspicuum facias populo Israëli in urbe hac frequentißima, & loco isto ad eam rem appositißimo, præcipita te deorsum.

Obijcit ergo duo. Primum nihil fore periculi. Adfuturam enim custodiam angelorum. Alterum, neq; fectum eum hoc citra mentem ac uerbum Dei. Hæc duo conabatur Christo uaferrimè persuadere, quæ ex argumento diuinæ prouidentiæ, cui illum senserat inconcussa fiducia inniti, subdole quasi quosdam laqueos struxerat, quibus & hodie solet uti, quoties falsam securitatẽ,

& falsam

& falsam diuinæ uoluntatis persuasionem mentibus nostris indere conatur. Ita per ministros suos, qui se in angelos lucis transfigurauerant, ad seditionem concitatæ plebeculæ persuaserat, nihil fore periculi, etiamsi se armatis inermes obijciant adfore opem Dei, illumq; pro ipsis ita pugnaturum, ut uniuersa tela in ipsos sint hostes relapsura. Verum miseri longè sunt diuersa experti.

Taxant Conciliatores scripturæ Rüpinus

Dixit illi Iesus: Rursum scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum.

Responsio Christi duo habet. Primum, quod scripturam scripturæ opponit. Alterum, de loco scripturæ quem adducit.

1 Rursum, inquit, scriptum est.) Scripturam ergo Christus scriptura impugnat, ac reijcit? Si hoc facit, est scriptura sibijpsi contraria. Sed absit. Non scripturam impugnat, quam Satan adduxerat, quasi illa falsa sit, sed id reijcit, quod falso ex adducto scripturæ loco suadebat dicens: Præcipita te deorsum. Quod itaq; dicit: Rursus scriptum est. Non in hoc dicit, quod scripturæ uelit aduersari, sed ut iterum testimonio scripturæ tentationi Satanæ occurrat.

Est autem hic diligenter notandum, quod non contendit super mente, ac sensu scripturæ, quam tentator uersutus adduxerat, licet certis ac firmis rationibus euincere potuerit: ad hoc illam non ualere, quod suadebat Satan, sed omnium simplicißimè pariter ac fortißimè alia scriptura inducta fraudem & dolum illius redarguit, ita ut iterum confusus ac uictus, nihil habuerit quod regereret.

Videmus ergo hoc loco, quàm non sit Christiani hominis, ita adducere sanctam scripturam, ut per illam id doceatur, quod cõtra scripturam sit. Deinde, si hoc fiat non posse melius occurri, quàm ut isto Christi exemplo admoniti, falsum adductæ scripturæ sensum, alio scripturæ loco redarguamus. Ad eam rem autem opus est singulari quodam sanctarum scripturarum exercitio, ut & mentem illarum teneamus, & quid cuiq; repugnet, in promptu cognoscamus. Alioqui fiet, ut uel probabili, ac uerisimili pro uero scripturæ sensu adducto cedere, uel eũ qui uerus est, uerisimili quidè alio, sed falso, impugnare cogamur, atq; ita uel seducamur ipsi, uel alios seducamus, si non ipso effectu, saltem quantum in nobis est.

2 Non tentabis Dominum Deum tuum.) Locus hic habetur Deut. 6. ad hunc modum. Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis. Adiecta particula historiam respicit, quæ legitur Exo. 17. Tentauerant Israëlitæ Dominum in Raphidim, cum siti laborarent, dicentes: Est ne Deus in nobis an non? Dubitabant enim de præsentia Dei, ideóq; uelut de re incerta quasi planè nihil signorũ uidissent, miraculo certi reddi uolentes, dicebant ad Mosen: Da nobis aquam, ut bibamus, quasi diceret: Si Deus in nobis est. Quapropter locum illum Moses tentationem uocauit. Huius meminit & Psalm. 95.

1 Tentatur ergo Deus, quando non contenti promissionibus illius, signum petimus, quo de prouidentia illius erga nos certi reddamur. Sic Christum Iudæi tentabant, dicentes: Quod signum facis, ut uideamus & credamus tibi? Quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna. Ioh. 6. Et Lucæ 11. Quidam illum tentantes, signum de cœlo quærebant.

Tentatur etiã Deus quando aliquid periculose agitur, uel contra uerbum Dei, sicuti fecerunt Israëlitæ, Numerorum 14. uel præter uerbum Dei, sicut erat consilium quod Christo hic dabat Satan, uidelicet, ut præcipitem seſe daret, cum de illo non extaret aliquod Dei uerbum. Hoc plerunq; fit, quando media diuinitus data contemnuntur. Si dixeris plantanti, noli plantare. Scriptum enim est: Qui plantat nihil est, tentationem Dei suadebis, rem periculosam præter uerbum Dei suggerens. Si dixeris Magistratibus: Nolite custodire ciuitatem, scriptum enim est: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilant, qui custodiunt eam. Rem periculosam suadebis præter uerbum Dei, ut & tibi merito regeratur. Rursus scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Neq; enim usquam in scripturis promittitur meßis, absq; præmissa semente ociosis, nec conseruatio ciuitatis, negligentibus & dormientibus. 2

Tentatur Deus etiam ab illis, qui impiè agunt contra uerbum Dei, utut impijs Deus iram & uindictam minetur, quasi in corde dicant: Pergemus ut cœpimus, quicquid prophetæ minentur. De talibus legere est Malachiæ 3. Vanus est inquiunt, qui seruit Deo, & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus tristes coram Domino exercituum. Ergo nunc beatos dicimus arrogãtes. Siquidem ædificati sunt facientes impietatem, & tentauerunt Deum, & salui sunt. Ita uidelicet ab impijs tentatur patientia dei, iustitia Dei, ira Dei: quando per impœnitentiam in peccatis pergant, uelut tentaturi, quid sit facturus Deus. Radix huius mali est incredulitas. Ideò Psalm. 78. cum dixisset, Tentauerunt Deum in cordibus suis, statim subiungitur: Quia non crediderunt Deo. Qui per omnem uitam in scortatione, adulterio, masculorũ concubitu, idololatria, Simonia, & quæstu omniũ turpißimo perseuerant, tentantq; utiq; Deum. Sed unde? Quia uidelicet non credunt uerbo Dei. Quid illis reliquũ est, quàm ut quod credere nolunt, reipsa experiantur, & uideant olim quid interſit inter iustum & impium, & inter seruientem Deo, & non seruientem ei?

Papatus tentat Deũ.

Videmus hodie etiam inter eos, qui maxime uideri uolunt Euangelici, genus hoc tentationis dei pleno impetu grassari, ut & ipsi in auaritia, quæstu, & fastu, non sine contemptu uerbi pergant, & impœnitentia sua deũ tentent. Et hi tamen cum admonentur, ut cursum uerbi apud subditos prouehant, & quæ illi repugnant abrogent, mox regerunt, rem hanc esse plenam periculis, & obtentu impoßibilem, adeóq; se nihil facturos aliud, si falsum cultum tollant, reluctantibus ijs qui potentiores sunt, quàm ut Deum tentent, & nihil efficiant, imò etiam occasionem dent uerbi hostibus, grassandi, & innoxios persequendi. Belli homines nolunt uideri tentatores Dei, ubi pro gloria & uerbo Dei subeunda sunt pericula, & ubi seruiendum est quæstui, auaritiæ, fastui. Ibi pleno impetu Deum tentant, quasi tentetur, quando odium filiorum huius seculi subeundum est

Qũi maxiẽ uideri uolũt Euãgelici tentant Deũ.

pro nomine & uerbo dei, id quod & Christus ipse & prophetæ & Apostoli, nihil minus quàm tentatores Dei fecerunt, & non tentetur Deus, quando quæstus gratia cum ira Dei, & omnium certissima uindicta, tum etiam mundi huius odium, ut innumera pericula taceam, indubitanter prouocatur.

4 Præterea & hi Dominum tentant, qui iugum fidelibus importabile imponunt, id quod Apostolorum tempore faciebant, qui legis onera Christianis imponenda censebant, ad quod Petrus Actorum 15. dicebat. Nunc ergo quid tentatis Deum, imponentes iugum super ceruices discipulorum, quod neq; nos, neq; patres nostri portare potuimus, sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus nos saluari, quemadmodum & illi. Quod si illi Deum tentarunt, qui non contenti gratia Christi, etiam iugum legis Christianis imponere conabantur, quid de illis dicemus, qui traditionibus etiam humanis, conscientias Christianorum, quasi iugo quodam intolerabili aggrauarunt. Enumeratis iam tentationibus Dei omnibus, quibuscunq; modis Satan illas obijciat, unico isto Christi responso fortiter occurrendum est, ut dicamus: Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.

Rursum assumit illũ diabolus in montem excelsum ualde, & commonstrat ei omnia regna mundi, & gloriam illorum & dicit illi: Hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraueris me.

Hæc est tertia tentatio, duabus prioribus nihil efficerat tentator. Neq; enim uel fami, uel scripturæ perperam, ac subdolè adductæ cesserat Christus. Itaq; iam aliud tentationis genus comminiscitur, nec ut antea postulat ea, quæ miraculo præstanda essent. Nam ne secunda quidem tentatione aliquid miraculi elicere potuit. Obijcit igitur Christo spem mundanæ potentiæ, & gloriæ, eiusq; non mediocris alicuius, sed quæ uniuersa totius mundi regna includeret, an forsan ambitione dominandi uictum in nassam attraheret.

Primum itaq; assumit illum in montem excelsum ualde, & commonstrat ei omnia regna mundi, id est, totius orbis climata. Exponit illi quæ ubiq; terrarum sint regna, & ubi locorum quodq; situm sit: præterea, quæ & quanta cuiusq; sit potentia & gloria. Ista commonstratio regnorum huius mundi, quomodo sit facta, an uerbis tantum declarata, uel etiam animi sensibus obiecta (sicuti Lucas uidetur innuere, cum dicit: Ostendit illi omnia regna orbis terræ in puncto temporis) non est curiosius inuestigandum.

Deinde, dicit illi: Hæc omnia tibi dabo. Et ut in Luca est: Tibi dabo potestatem hanc uniuersam, & gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, & cuicunq; uolo do illam. Postquàm obiecisset sensibus Christi potentiam, & gloriam totius mundi, id quod astute fecit (nam obiecta mouent sensus) tum demum subijcit, hæc omnia tibi dabo, & addit: Nam mihi tradita sunt, & cuicunq; uolo, do illa. q. d. Ego sum Deus ille, ac princeps mundi huius, in mea manu sunt omnia mundi huius regna, id quod Deus ita ordinauit, ut ego sim Deus terræ, ipse uerò cœlos retineat. Proinde, si uis esse rex regum, & Dominus dominantium in hac terra, quæ mihi subiecta est, oportet, ut à me gloriam hanc accipias, alioqui nunquàm illa potieris. Offero autem eam tibi pro mea liberalitate, qua soleo cui lubet, dare mundi huius regna. Nam uideris mihi dignus, qui non unius tantum regni, sed plane totius mundi dominatum & imperium per me accipias. Adijcit conditionem haud iniquam, nec adeò difficilem, dicens: Si prostratus adoraueris me. q. d. Pro hac liberalitate, & munificentia mea nihil abs te quod arduum sit, aut iniquum, petam, præter unum hoc, ut mihi supplex fias, agnoscasq; Dominum huius mundi, cum debita subiectione ac reuerentia, qua decet eum adorare, à quo tantam queas adipisci potentiam & gloriam. Quid autem factu facilius, quàm procumbere in genua & suppliciter adorare rerum Dominum? Quid etiam iustius quàm agnoscere benefactorem? Deniq; quid plus adferre poterit emolumenti, quàm si facias ista mei adoratione, ut totius mundi rex ac Dominus euadas, quod certo tibi futurum polliceor, si conditionem suscipias?

OBSER.

In montem excelsum ualde, & commonstrauit ei omnia regna mundi.) Quod nõ in quouis deserti loco, sed in monte excelso cõstituto, regna mundi ostendit, & ambitione dominandi tentat, idem est, quod perpetuo facit. Neq; enim abiectos, & humili loco constitutos hac tentatione etiamnum adoritur, sed eos qui sublimius aliquanto euecti, spem concipere possunt obtinendi dominatus. Quid est, quod non quosuis Episcopos, quarumcunq; Ecclesiarum, sed Romanum, Antiochenum, Alexandrinum, & Constantinopolitanum, ista ambitione dominandi, ad petendum in Ecclesijs Christi primatum impulit? Erant illi Episcopi quasi in quibusdam excelsis montibus constituti. Ideò ostendit illis potentiam & gloriam mundi, atq; haud parum tentando profecit, qua de re testari possunt historiæ, & nos quod ad Romanum tyrannum attinet, satis experti sumus. Isti quasi ex uehementer sublimi specula, gloriam & potentiam regnorum, & principatuum Romani imperij iam olim ostendit, ac spem fecit obtinendi in illis primatus. Metuant itaq; sibi, quotquot sunt in sublimi constituti, adeoq; qualicunq; occasione dominandi libidine tentari possunt.

OBSER.

Hæc omnia tibi dabo.) Promittit Christo regna 2
mundi, & gloriam illorum, cum esset rex cœlestis, cuius regnum, ut non de hoc mundo, sed cœleste, adeoq; sempiternum & inuictum, uehementer metuebat. Maluisset itaq; reuera eum fieri terrenum regem, idq; totius orbis, quàm talem, quem suspicabatur & metuebat. Neq; id frustra. Nam paulò post regni eius uim ac maiestatem sensit, ita ut clamârint spiritus immundi. Venisti ante tempus perdere nos? Et cum gloriarentur discipuli de eiectione spirituum immundorum, dicebat Dominus. Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Conatur itaq; hac tentatione experiri, num

possit

possit se metu isto cœlestis regni, ac potestatis liberare. Eiusdem Satanæ tentatio erat, quod Iohan. 6. populus Christum regem facere conatus est. Et quoniam nihil etiam hac tentatione obtinere potuit, tandem impudentissimus spiritus per suos, Christum, satellites de ambitu regni coram Pilato accusari fecit.

Huius tentatoris opera factum est, ut regni Christi, regni spiritalis ac cœlestis ministri facti sint terreni principes, ne sint Christi ministri. Non potuit Satan astutiore ratione cursum regni Christi, quo regnum suum destrui sentit infringere, quàm hac una, quod potentiã & gloriam terrenorum principatuum ministris Christi, cuius regnum de hoc mundo non est, obiecit: eoq; impulit, ut malint in hoc seculo dominari, quàm regno Christi adhuc in hoc seculo contempti, seruire. Et hac in re illi Romanus tyrannus, quem habet in regno suo fidelissimum, & constantissimum capitaneum, ut uocant, diligenter seruit, per quẽ Episcopi de ministerio prædicandi regni Christi, ad terrenos principatus transferuntur.

OBSER.

3 In Luca. Quia mihi tradita sunt, & cuicunq; uolo do illa.) Peculiare est tentatorum (eorum qui ad malum tentant) ut mentiantur. Ita & Satan, cum sit hostis Dei, & principatum sibi in genus mortalium rapuerit, falso sibi adscribit, quod tradita acceperit omnia regna mundi, & quod suæ sit potestatis illa dispensanda, cui uelit tradere. Primũ enim quem in terris habet principatum, cuius gratia à Christo uocatur princeps mundi huius, & ab Apostolo Deus huius seculi, habet tantum in reprobos, & habet ex permissione quidem diuina, sed ex raptu & tyrannice. Alioqui Domini est terra & plenitudo eius, orbis terrarum & uniuersi qui habitant in eo. Deinde neq; id potestatis habet, ut reges constituat & principes, sed omnis potestas, inquit Apostolus, ex Deo est. Et quæ potestates sunt, à Deo ordinatæ sunt, & Deo ministrant, etiamsi sint impiæ: scriptum tamen est, Dominus regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi. Et rex Babyloniorum erat seruus Dei. Est itaq; impudens mendacium, quod traditam sibi dicit esse omnium regnorum potestatem, & quod posit illam dare cui uelit, etiamsi permissu Dei plura in turbando rerum statu posit.

Mendacium hoc imitatur Romanus Episcopus, qui sibi traditam esse dicit cœlestis ac terreni imperij potestatem, & quod regnorum dispensatio ad se pertineat, quodq; suæ sit munificentiæ, quod Imperium uenerit ad Germanos.

OBSER.

4 Si prostratus adoraueris me.) Hic est spiritus ille qui diuinum sibi honorem ab eo sibi tempore poscit à mortalibus, quo superbiæ gratia in inferiora ista cœlitus deiectus est. Conditionem hanc præscribit subditis suis, quibus terrenam potentiam & gloriam pollicetur, ut se adorent. Et obtinuit id etiam in hoc seculo, ut uarijs licet formis in idem tamen impietatis tendentibus & cultus sit, & colatur etiamnum à filijs huius seculi. Et hæc potissima causa, præsertim Romanis fuit colendi dæmonia, quod hinc sibi pollicerentur mundi huius regna & principatus.

Videmus hic duo ista coniungi. Nempe ut qui à Satana quærunt quod Dei est: idem etiam Satanæ uicissim id honoris impendant, quod Dei est. Hinc est cultus ille sanctorum, quem etiamsi ipsi sancti non expetunt, negligere tamen nequeunt, quotquot à sanctis quærunt quod Dei est. Dei est conseruare suos, & è medijs periculis eripere. Qui huius gratia sanctos inuocant, non poterunt ullo pacto effugere, quò minus quos inuocant etiam colãt, perinde atq; Gentibus in cultu Deorum accidisse legimus. Ita Romanus Pontifex posteaquàm Ecclesijs Christi persuasit, traditam esse sibi potestatem cœlestis & terreni imperij, consequenter etiam adorationem obtinuit. Quisquis igitur adorationem Satanæ, suorumq; satellitum auersatur, caueat omnibus uiribus, ne quo illius utatur beneficio, hoc est, ne seduci se sinat, ut credat aliquid sibi ab illo benefieri, alioquin haudquaquàm adorationem illius effugiet.

Tunc dicit illi Iesus: Abi Satana. Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles.

Et hæc Christi responsio bimembris est. Primũ repellit Satanam. Deinde, cur hoc faciat, ex scriptura rationem reddit.

Satanam impudentissimum tentatorem à se repellit dicens: Abi Satana, quibus certe uerbis quandam animi, eamq; haud leuem, indignationem exprimit, qua solennius eos reijcere & auersari, quos aliquandiu cum molestia toleratos, tandem insigni improbitate uicti semel in uniuersum abijcimus. Ita & Christus hoc loco post unam & alteram tentationem impudentissimè tentatus commoto animo impostorem reijcit. 1

Rationem reddit, dicens: Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles. Quid est quod non dicit: Dabis ne tu mihi omnia regna mundi? Mihi ne dabis, cui pater omnia in manus dedit? Deinde putas me terrenorum regnorum gloria posse capi, cum sim filius Dei cœlestis, & æterni regni gloriam possidens? Præterea, quàm impudenter mentiris, quod dicis, hæc omnia tibi esse tradita, & in tua esse potestate, ut des ea cui placuerit? Potuit ne Christus Satanæ ad hunc modum respondere? Planè. Verum non conueniebat. Deinde, ut supra dixi, moderanda erat responsio ad nostrum captum & usum. Igitur scripturam iterum inducit, & hoc in Satana impugnat, quod potissimum erat diuinæ gloriæ aduersum uanum erat, quod pollicebatur omnia regna mundi. Mendacium erat, quod dicebat ea sibi esse tradita, & dare cui uellet. Et tamen ista negligit in hoc solum reijciendum intentus, quo subiecerat. Si prostratus adoraueris me. Nam in eo petebat manifestam negationem Dei, & id honoris sibijpsi uendicabat, quod soli Deo competit. 2

Est autem hic locus desumptus ex Deut. cap. 6. ubi sic legitur: Dominum Deum tuum timebis, & illum coles. Aduersus tentationem mutatum est uerbum timendi in uerbum adorandi. Quanquàm sensus idem est. Nam adorare Deum & timere Deum, eiusdem ita sunt pietatis, ut recte alterum pro altero usurpetur. Deinde particula solum, in Ebræo quidem non est, habetur tamen in

men in Græco. Et merito. Loquitur enim ibi Moses non simpliciter de eo, quod timendus & colendus sit Deus, quod nemo forsan negat, sed de eo, quod solus sit timendus & colendus. Propterea quod præter hunc non sit alius Deus. Vnde & mox subijcitur: Non ibitis post Deos alienos cunctarum Gentium, &c.

OBSER.

Breuissimum quidem est hoc dictum, at interim tale, ut ueram & uniuersam erga Deum pietatem complectatur, unde illud Christus haud quaquàm frustra grauissimæ isti Satanæ tentationi obiecit. Sunt autem etiam huius duæ partes. 1 Deum esse adorandum & colendum. 2 Solum esse adorandum & colendum.

DEVM ESSE ADORANDVM ET colendum.

1 Hoc forsan nemo negat. At nõ omnes illud ritè præstãt. Neq; enim labijs aut externo quopiam cultu, quem impij æque atq; pij præstare queant, sed corde adimplendum est quod dicit: Dominum Deum tuum adorabis. Populus hic inquit, labijs me honorat, cor autem eorũ procul abest à me. Cur hoc quæritur, nisi quia corde uult adorari? Et hoc est quod Christus Ioh. 4. dicit: Spiritus est Deus, & eos qui adorant eũ spiritu ac ueritate oportet adorare. Vbi dicit in spiritu: reijcit opinionem cultus externi, & exigit spiritalem. Cum dicit: in ueritate, reijcit cunctã in uniuersum hypocrisim, & requirit talem spiritũ adorantẽ, in quo nõ sit dolus aliquis, sed uera pietas, fides ac synceritas. Et hoc est quod Abrahamo dicebat Deus: Ambula coram me, & esto integer. Et alibi quæritur propheta de Israële. Cor autem eorũ non erat rectum cum eo, nec ueraces fuerunt in testamento eius. Item alio loco, cum dixisset: Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum, subiecit, inuocantibus eum in ueritate. Quare additum est, in ueritate? Quia tales inuocatores & adoratores diligit, hypocritas uerò detestatur. Sic Christus ubi supra dixit. Nam pater tales quærit qui adorent ipsum. At quotus quisq; talis est, licet nemo non confiteatur adorandum esse Deum?

Differẽtia Adorare & Colere.

Quid est autem discriminis inter uerbum adorandi et uerbũ colendi aut seruiendi? Illud est Ebr. חשתחוה quod est incuruari suppliciter, istud uero אבד quod est seruire & colere. Est itaq; primum corde esse erga deũ subiecto, incuruato, reuerenti, ac suspicienti. Alterũ uerò in omnibus sese præbere morigerũ & obedientem, perinde atq; seruuli est Domini sui obedire uoluntati, & dicto esse obsequentem. Et posterius hoc absq; ulla contradictione ex priori nascitur. Nec poterit ullo pacto adorator Dei dici, qui non simul ad omnia illi præstat obedientem. Quam igitur uerè quisq; Deum in corde, spiritu & ueritate adoret, quæ adoratio prorsus spiritalis est, & abscondita, melius cognosci non poterit, quàm ex altera hac particula, tanquàm arboris fructu. Quum non rite adorauerint Israëlitæ Deum, ex eo uidere est, quod toties arguuntur inobedientiæ ac duræ ceruicis. Sit ergo & nobis hæc nota ueræ adorationis proposita, ut obedientia erga uoluntatem ac uerbum Dei discernamur à reprobis & hypocritis, qui magis in speciem, quàm ex animo Deum colunt, quiq; magis suis ipsorum adinuentionibus, inueteratæ consuetudini, & humanis placitis quàm ut uerbo Dei obsequuntur, utut Christus dicat. Frustra colunt me docentes doctrinas & mandata hominum, & timentes me mandato hominum ut est in Propheta.

DEVM SOLVM ESSE ADORANdum & colendum.

2 In hac particula telũ est, quo tentator confossus est ac reiectus. Deum enim adorandum esse, & colendum, nec ipse Satan negat. At solum esse adorandum, hoc demum ferre nequit. Nouit autem illum unice ac solũ uelle coli & adorari, eamq; gloriã nemini communicare, ita ut nisi solus adoretur & colatur, adoratorem & cultorem respuat: imò acriter ulciscatur aliorum deorũ cultores, & adoratores, haud aliter quàm si maritus uxorem adulterantẽ puniat, & abijciat. Hinc est illud Exo. 20. Non habebis deos alienos iuxta me. Et huc pertinet, quod non simpliciter dicit: Dominũ deum adorabis & coles, sed, Dominum deum tuũ inquit, adorabis & coles Sic Exod. 20. Ego enim, inquit, sum dominus deus tuus, æmulator, &c. Hoc inquam haud ignorat uersutissimus tentator, ideoq; non hoc agit, ut suadeat omnimodam, & manifestam abnegationem Dei, sed ad adulteriũ sollicitat eos, qui uni Deo uelut desponsati sunt, ut iuxta deum suum simul & alios adorent & colant, hoc est, se in alijs adorent. Nouit enim se, hoc obtento, ipsam obtinuisse abnegationem dei. Rectè ergo Christus uoculam solum, adiecit. Augustinus alicubi de eo disputat, quare Romani, cum omnes omnium gentium deos coluerint, nunquàm deum Israëlis colere sustinuerint. Et rationem huius reddit istam, quam etiam Socrates alicubi tradit: nempe, quod ad cultum dei exigatur, ut quisq; Deus pro sua, non colentium uoluntate colatur. Falsi autem dij, perinde atq; scortatores, non exigant à cultoribus suis, ut soli colantur, exigat uerò à suis uerus ille Deus, deus Israëlitarum. Ideò factum esse, ut à Romanis coli nequiuerit. Neq; enim illi unius gratia omnes reliquos abscedere sustinebant.

Nota,

Viderint hic inuocatores & cultores sanctorũ, adoratores imaginum, & angelorum. Neq; enim negare possunt, se non adorare, inuocare, & colere deũ solum. Etiam deum inquiunt adoramus, inuocamus & colimus. At ille non uult etiam, sed solus adorari & coli. Sanctos inquiunt, & angelos inuocamus & colimus, non deos gentium, qui uel dæmones fuerunt, uel mali homines. At responsio Christi non sic habet. Scriptum est: Non adorabis dæmonas, aut malos homines, sed dominum deum tuum adorabis, & illum solum coles. Quisquis non est dominus deus noster, hunc nec adorare licet nec colere. Nec sancti nec angeli, domini dij nostri sunt, ministri domini dei nostri, & conserui nostri sunt. Ideò nec adorandi sunt, nec colendi. Christum etiam non adoramus & colimus, propterea quod & sanctus est, & iustus, deoq; charus: sed propterea quod uerus deus est, eiusdem cum patre ac spiritu sancto diuinitatis. Augustinus hac de re in lib. de uera religione cap. ult. sic scribit: Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum. Quia si pie uixerunt, non sic habentur, ut tales quærant

Augusti.

honores,

honores, sed illum à nobis coli uolunt, quo illuminante letantur meriti sui nos esse conseruos. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi, propter religionem. Si autem male uixerunt, ubicunq; sint, colendi non sunt. Et aliquanto post. Hoc etiam inquit, ipsos angelos, & excellētissima Dei ministeria uelle credamus, ut unum cum ipsis colamus Deum, cuius contemplatione beati sunt. Sequitur. Quare honoramus eos charitate, non seruitute, nec eis templa construimus. Nolunt enim sic honorari à nobis, quia nos ipsos cum boni sumus templa summi Dei esse nouerunt. Rectè itaq; scribitur hominem ab angelo prohibitum, ne se adoraret, sed unum Deum, sub quo ei esset & ille conseruus. Apoc. 22. Hæc ille. Idem li. 10. de ciuit. dei ca. 25. sic scribit: Nullo itaq; dubitante, qui hæc deposita maligna obstinatione, considerat, omnes immortales beati, qui nobis non inuidēt (neq; enim si nobis inuiderēt essent beati) sed potius nos diligunt, ut & nos cum ipsis beati simus: plus adiuuant, quando unum deum cum illis colimus, patrem, & filium, & spiritum sanctum, quàm si eos ipsos per sacrificia coleremus. Hæc ibi. Vtamur ergo responso hoc Christi, quasi scuto quodam contra maligni dæmonis tentationem, qua nos ad quarumcunq; creaturarum seu bonarum seu malarum adorationem, inuocationem & cultum sollicitat, ne deum nostrum solum uerum deum, solum uere, & pure adoremus & colamus. Quicquid argumentorum inferat, quicquid uel polliceatur, uel minetur per suos satellites, cum Christo duce nostro respondeamus. Scriptum est, Dominum deum tuum adorabis, & illum solum coles.

August.

Tunc omittit illum Diabolus.

Particula hæc probè notanda est, quomodo uidelicet tentationibus Satanæ liberemur, non acquiescendo sed constanter resistendo. Resistite, inquit Iacobus, diabolo, & fugiet à uobis. Et Petrus, cui resistite fortes in fide, inquit. Propositum Satanæ est, non ut semel atq; iterum nobis imponat, sed ut prorsus perdat, & sibi nos subijciat. Proinde plurimum desipiunt, qui putant se liberos fore à tentationibus illius, si illis semel atq; iterum locum præbuerint. Ille uerò, ubi semel admissus fuerit toties recurrit, donec quod uolebat, efficiat. Habet hic locum uersiculus ille: Principijs obsta, sero medicina paratur. Dum mala per longas conualuere moras. Proditori Iudæ primum furta, deinde admissus etiam Christi proditionem, tandem & desperationem persuasit. Dauidem primum ad adulterium, deinde & suppositionem pueri ex adulterio concepti, post & ad homicidium, non solum hominis innoxij, sed & fidelissimi serui imò mariti eius mulieris, cum quo adulterium commiserat, impulit, & absq; dubio, nisi resipiscentiæ beneficio liberatus fuisset, miserum prorsus perdidisset. Tentationes Satanæ siti comparari possunt, quam patiuntur hydropici. Illi quia putant se bibendo sitim hanc restincturos, bibunt: at tam abest, ut hac ratione sitim restinguant, ut morbum potius quo laborant, auctiorem magis atq; magis reddant, donec prorsus intereant. Qui desperant sē per omnem uitam Satanæ posse tentationibus resistere. Primum in eo peccant, quod de gratia Dei, qui non sinit nos tentari supra quàm ferre queamus desperant, deinde in eo desipiunt, quod putant se posteaquàm tentationibus aliquoties obsequuti fuerint, leuius habituros, cum peccando tam non liberemur à seruitute peccati, ut illi magis etiam mancipemur. Qui facit peccatū, seruus est peccati, inquit Christus. Hac de re diligenter admonēdi sunt adolescētiores, ut nō desperēt de gratia dei, sed fortiter Satanæ resistāt certi quod resistendo iuxta Christi exemplum fugetur.

Et ecce angeli accedebāt et ministrabāt ei

Qua in re domino ministrārint angeli Euangelista non memorat. Credibile est corporis illi necessaria subministrasse, donec ad hominum rediisset conuictū. Dixit enim illū postquàm ieiunasset dies quadraginta, & noctes quadraginta esurisse. Angeli sunt ministratorij spiritus. Sic & Eliæ ministrauit angelus, etsi non ut Domino, tamen ut seruo Dei conseruus, 1. Reg. 19.

OBSER.

Videmus hic Christū esse dominum angelorum. Id etiā Christus ipse significauit Ioh. 1. dicens: Amen amen dico uobis, posthac uidebitis cœlum apertū, & angelos dei ascendentes ac descendentes super filium hominis.

OBSER.

Discimus hoc loco nunquam defuturum illis auxilium Dei, qui Satanæ tentationibus constanter resistunt. Christus noluit tentare deum patrem, sed perseuerantem erga illum fiduciam retinuit. Noluit per uiam temeritatis angelorum experiri ministerium, & curam erga se patris, atq; ideò rectè deuicto tentatore, ministri angeli paternæ curæ testes accesserunt. Sequamur exemplum Christi, ne per consilia Satanæ uoluntatem dei experiamur, neue ministerio Satanæ gloriam & potentiam huius mundi affectemus, sed constanti fide domino adhærentes, per illius gratiam uerè, & cum æterna felicitate multo potiora consequamur, quàm quæ Satan impostor falso cultoribus suis pollicetur. Promiserat Christo, si se adorasset principatū in homines. Sed ecce promissionē tētatoris respuēti accedit ministeriū angelorū.

Cum autem audisset Iesus, quod Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam, & relicta Nazareth, profectus habitauit in Capernaū, quæ est ciuitas maritima in finibus Zabulon, & Nephtalim, ut impleretur quod dictum fuerat per Esaiā prophetam, dicentē: Terra Zabulon & Nephtalim iuxta uiā maris, ultra Iordanē, Galilæa gentiū. Populus qui sedebat in tenebris & umbra mortis, uidit lucem magnā, & qui sedebāt in regione & umbra mortis, lux orta est eis.

Post descriptam Christi uictoriam, quam de Satana tentatore tulit, iam consequenter Euangelista ad exordium manifestationis ac prædicationis illius progreditur. Et primum narrat quo se ex heremo regressus contulerit, nempe in Galilæam. Sed ita, ut primum rationem assignet, cur non in Iudæa manserit.

Cum audisset, inquit, Iesus quod Iohannes traditus

esset, secessit in Galilæam. Ergo ut Iohannis gratia uenerat in Iudæam, ita ubi ille traditus erat, relicta Iudæa
Cap.3. rediit in Galilæam. Patet autem ex Iohanne, quod aliquandiu Christus cum discipulis in Iudæa moratus baptizauerit, etiam cum adhuc baptizaret Iohannes in Ennon iuxta Salim, nondũ in carcerem coniectus. Vnde liquere puto, quod hic noster scribit, non esse confestim post regressum ex heremo, sed aliquanto post factum: cum in Iudæa aliquandiu Dominus esset, hoc est, tantisper moratus, dum Iohannes esset traditus in manus uidelicet Herodis. Quod enim in Iudæa discipulos primum acquisierit, uidere est Iohannis primo, ne quis miretur unde ex heremo reuersi discipuli fuerint, cum quibus in Iudæa sit iuxta uerba Iohannis moratus, quasi primos discipulos in Galilæa collegerit.

Quod Iohannes traditus esset.) De traditione Iohannis obiter hic Euangelista meminit, infrà capite 14. plura de illa dicturus.

Secessit in Galilæam.) Græcè est ἀνεχώρησεν, quod uerbum significat aliquando reuerti, aliquando secedere, seq; subducere, ubi quid imminet periculi. Lucas cap. 4. habet. καὶ ὑπέστρεψεν ὁ Ἰησοῦς ἐν τῇ δυνάμει τοῦ πνεύματος εἰς τὴν Γαλιλαίαν. Et reuersus est Iesus in uirtute spiritus in Galilæam. Nam inde uenerat in Iudæam ad Iohannem, ut recte uerti poterit & hoc loco, reuersus est in Galilæam. Verum quoniam reditus huius causa traditio uidetur fuisse Iohannis, ut appareat Iesum tyrannidis tempestati, quæ Iohannẽ abripuerat, ad tẽpus cessurũ, in Galilæa esse relicta Iudæa reuersum, haud male redditũ est, secessit in Galilæam.

Admonemur hoc exemplo, ut furori impiorum, in ministros Dei sæuienti, ad tempus cedamus, ubi id licet.

Et relicta Nazareth profectus habitauit in Capernaum.) Ergo primum è Iudæa reuersus est Nazareth, ubi fuerat educatus, unde & Nazaræus dictus est. Meminit huius Lucas dicens: Et uenit Nazareth ubi erat enutritus. Gratiam salutis primum obtulit patriæ suæ. Boni uiri est, si quid donorum Dei habet, quo possit prodesse mortalibus, ut id offerat primum patriæ, cupiatq; illi esse consultum. Licet enim diligendi sint omnes mortales, & nemini non sit beneficiendum: ipsa tamen naturæ lex, imò & Dei, hoc exigit, ut proximos diligamus. Et Paulus dicit eum infideli deteriorem esse, qui suorum rationem non habeat. Est enim ordo quidam dispensandorum beneficiorum, quem & ipse Christus, nihil minus, quàm personarum acceptor, seruauit.

Sed quid est, quod patriam suam reliquit, & Caper
Lucæ 4. naum profectus est? Quare hoc sit factum Lucæ quarto memoratur. Ingratitudo patriæ Christum eiecit. Non credebãt Christo Nazareni, quod ipsis esset notus. Deinde succensebant ei, quod ipsos corripuisset, ideoq; eum præcipitem agere conabantur, ut uere de illis dixerit: Non est propheta acceptus in patria sua.

Morbus hic uetus est, sicuti & Christus exemplis Eliæ & Elizei docuit, & nos hodie quoq; experimur. Vilescunt quæ sunt optima, quotidiana, diutina, abundanter exhibita, & familiaria. Hoc accidit non prophetis, duntaxat & Christo, sed & quibuscunq; Dei donis, ea uidelicet est nostra prauitas, ut digni simus, qui donis Dei priuemur, ut uel ablata desideremus. Ingens bonum erat, quod Christum habebant enutritum apud se, in quo sunt omnes sapientiæ Dei thesauri absconditi. Verum quia erat apud eos educatus, facie & conuersatione notissimus, ideò, etsi ad doctrinam eius obstupescere cœperint, non tamen propter diutinam consuetudinem, & conuersationis, parentumq; humilitatem præclare, sed contemptim de eo sentiebant, atq; ideò quod debebat illis ad salutem facere, magis illam ipsorum uitio impediebat.

Redditum est nobis postremis istis temporibus, multis modis miseris & calamitosis, singulari Dei beneficio Euangelion Christi. Sed quid illi accidit? Iam propemodum uiluit in oculis nostris. Quare? Quia simplex est et humilis doctrina, mundo isti & sapientibus ac prudentibus contempta, deinde quotidiana, tertio iam diu auribus nostris decantata: & præterea, non per Episcopos, sed eos predicata, quorum propemodum nulla est reputatio. His de causis accidit idem doctrinæ Christi, quod ipsi Christo. Sed quid manet istam ingratitudinem? Auferetur à nobis donum Dei. Sistetur spiritus ille gratiæ in ministris Dei, ut posthac tanto feruore, quanto hactenus non dicant, imò ne possint quidem. Sic legimus infrà 13. & Marci 6. Christum non potuisse apud Nazarenos doni Dei contemptores aliquid eximij præstare, propter ipsorum incredulitatem. Deinde auferrentur etiam ipsi ministri, ut relicta ingrata Nazareth, proficiscantur aliò.

Et Elias & Elizeus nihil uirtutis inter ingratos Iudæos faciebant. Lucæ quarto.

Habitauit in Capernaum.) Hoc est, frequentiùs ibi moratus est. Fieri etiam potuit ut domesticam habitationem matris ac fratrũ eò transtulerit. Eiectum ergo à Nazarenis accipiunt Capernaitæ. Ita non deest eiectis pro ueritate Dei, quò sese recipiant. Nacta est hic Capernaum ingens donum, & maximam præ alijs ciuitatibus prærogatiuam: deinde & commoditatem singularem cognoscendi regni Dei propter Christi præsentiam. Sed ut infrà uidebimus, dono hoc non est bene usa. Vide infrà cap. 11. Væ tibi Capernaum.

Quæ est ciuitas maritima in finibus Zabulon & Nephtalim.) Ebræi quamuis aquarum congregationem mare uocant, ideò illis & lacus & paludes maria dicuntur. Sic stagnum Genezar, mare uocatur, & Capernaum ciuitas maritima, quod ei stagno adiaceat, ubi fines Zabulon & Nephtalim coëunt. Alioqui Nazareth mari mediterraneo uicinior est, quàm Capernaum, ne quis putet illius gratia ciuitatẽ hanc uocari maritimã.

Vt impleretur quod dictum fuerat per prophetã.) Cur è Iudæa reuersus sit in Galilæam, deinde ob quã causam relicta Nazareth Capernaũ uenerit, ex Euãgelistis didicimus. Quid ergo est quod Matthæus hic dicit: ideo Christum relicta Nazareth uenisse Capernaum, ut prophetæ dictum impleretur? Non rarum quod ea quæ diuinitus aguntur, etiam humanis quibusdam causis ut fiant, promouentur. Constitutum ita erat à Deo, ut in hac regione Christus lucem suam exereret, ad id faciebat primum, quod propter traditionem Iohannis in Gali-

in Galilæam secedebat, deinde quod propter ingratitudinem Nazarenorum relicta patria, Capernaum uenit. Sic nos Germani dicimus. Sein soll schickt sich.

Terra Zabulon, & terra Nephtalim.) Locus hic habetur initio capitis noni in Esaia, iuxta consuetam diuisionem, & legitur Ebr. ad hunc modum.

כי לא מועף לאשר מוצק לה בעת
הראשון הקל ארצה זבולון וארצת נ
נפתלי והאחרון הכביד דרך הים עבר
הירדן גליל הגוים ׃ העם החולכים
בחושך ראו אור גדול יושבי בארץ
צלמות אור נגה עליהם ׃

Hoc est. Quoniam non caligo ei terræ, quæ in angustia est, sicuti primum terram Zabulon ac terram Nephtalim leuiter, & postea grauiter adflixit uia maris, trans Iordanem, in confinio Gentium. Populus ambulantium in tenebris uidit lucem magnam, habitantibus in terra umbræ mortis, lux orta est super eos. Omnino propheta de rebus hic etiam sui temporis uaticinatur. Sed ut mos est Prophetarum, in illis interim delineat ea, quæ futuram Christi dispensationem concernebant. Quod ad tempora prophetæ, & res Israëlis pertinet, uidenda est historia secundo Regum 15. 17. 18. & 19. ubi uidemus hanc regionem Galilææ primum leuiter, postea uero admodum grauiter per Assyrium adflictam, & in captiuitatem abductam: reliquam uerò partem, quæ tribus Iudah erat, licet in angustijs constitutam, magno tamen diuinæ potentiæ miraculo ereptam, magnam uidisse diuinæ gratiæ lucem. Ista quasi typus quidam fuerunt earum rerum quæ per Christum in hoc sunt populo dispensatæ. Quoniam igitur Propheta magnæ lucis meminit, quæ illuxerit sedentibus in tenebris, & nominatim recordatus est terræ Zabulon, & terræ Nephtalim, ideò Euangelista uaticinium hoc prophetæ impletum esse scribit, ubi Christus ei terræ illuxit, quæ certè in magnis erat tenebris errorum, & ignorantiæ Dei. Viderunt illi magnam lucem, quando gratiam & uirtutem Christi docentis, & miracula facientis uiderunt.

OBSER.

1 Ergo densæ tenebræ obtinent ubicunq; non fulget lux gratiæ Christi. Primum tenebræ cordis sunt, quando non habetur cognitio Dei. Deinde tenebræ illæ etiam ipsam uitam obscurant. Generant enim omnis generis flagitia, quæ Apostolus opera tenebrarum uocat. Ephes. 4. & 5.

2 Vidit Lucem magnam.) Christus seipsum uocat lucem mundi. Lucis opus est pellere tenebras, & quæ in tenebris sunt, illustrare. Ephes. 5. Sic Christus reuera lux mundi est, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, hoc est, tenebras mentium disijcit, & occulta cordium nostrorum arguit, & quam non habemus cognitionem Dei mentibus nostris spiritu suo largitur.

3 Simul notandum, quomodo aduentum Christi Euangelistæ similitudine hac lucis, quæ sedentibus in tenebris oriatur, commendent, & ignorantiam Dei, & cæcitatem mentium dictione tenebrarũ horrendam reddant. Quid enim horridius ac miserabilius esse poterit, quàm in tenebris omni luce destitutum sedere? Rursus quid iucundius & optatius, quàm si lux oriatur illis, qui in tenebris sedent? Illi demum miserabiles sunt, & reuera insani, qui cum in tenebris tot errorum, & simul impurissimæ uitæ sedeant, tamẽ uel putant se uersari in luce, uel lucem diuinæ ueritatis, quæ per Euangelium Christi orbi illuxit, clausis oculis auersantur, eligẽtes tenebras præ luce, eò quod, ut Christus inquit, mala sunt ipsorum opera. Qui male agit, inquit, odit lucem.

Ex eo tempore cœpit Iesus prædicare & dicere: Resipiscite, instat enim regnum cœlorum.

Iam tandem ad exordia prædicationis Christi contextus historiæ peruenit. Ex eo inquit, tempore, hoc est posteaquàm traditus esset Iohannes, cœpit Iesus prædicare. Quæritur hic cur demum post Iohannis traditionem prædicare cœperit. Neq; enim credendũ est, quod sit præter rationem factũ. Habet hic Chrysostomus suas cogitationes, quæ mihi haud quaquàm displicent. Ante Iohannem nõ prædicauit Christus, ut quæ dicturus erat prius à Iohanne dicerentur, qui tanti nominis, & autoritatis apud Iudæos erat, ut Christus esse putaretur, ut prædicatione sua de Christo primum testaretur, antequàm ille prodiret in publicũ. Cum enim Iudæi post tanta tamq; conspicua testimonia Iohannis ad Christum dixerint: Tu de te ipso testimonium affers, testimoniũ tuũ non est uerum, quid non dixissent, si Iohannis testimonia non præcessissent? Nec prædicat cum Iohanne, ne populus in partes scinderetur, sed præcursori illum relinquit usq; ad destinatum tempus. Idcirco & Iohannes nullum signum fecit, sed ea gloria Christo, ueluti soli præcipuus splendor seruabatur, ne causa esset cuiquam à præcursore neglecto Domino pendendi. Si enim discipulis Iohannis tanta fuit illius absq; signis autoritas, quãta fuisset si signorum illi splendor accessisset? Pulcherrimo ordine ita diuinitus dispositũ est, ut de Christo uenturo testaretur præcursor Iohannes: testaretur autem ut testis fide dignus, magnæ uidelicet autoritatis, sed id tantisper dum tempus adesset manifestandi Christi, qui o ille minueretur iste creseeret, nec minueretur ille, nisi peracto testificandi munere. Perinde atq; lunæ non datur, ut una cum sole oriatur, ac splendeat, sed illa nocti, iste diei deputatus est, uelut lucifer, stella matutina uenientis solis prænuncia: de sole quidem testatur, sed ad ortum illius euanescit. Ita planè inter Iohannem & Christũ dispositum fuit, ut Iohannes aduentũ ac manifestationem Christi præcederet, & annunciaret. Christus uerò tum primum sese prædicando, & miracula patrando manifestaret, cũ ille in uincula cõiectus cursum suũ absoluisset.

Resipiscite, appropinquauit enim regnum cœlorum.) Hæc erat & Iohannis prædicatio, de qua supra cap. præcedenti uidimus. Sunt aũt quædam singulariter hoc loco notanda.

Quod eodem prædicandi exordio usus est Christus, 1
quo ante se Iohannes quosuis ad resipiscẽtiã uocauerat,

ut præ-

ut prædicationem illius confirmaret. Conueniebat enim cursui regni Dei & gratiæ orbi inuulgandæ, ut resipiscentiæ prædicatio cum primis hominum mentibus inculcaretur. Nihil ergo pudet Christũ idipsum prædicare, quod ante se ad nauseam usq; præcursor eius prædicauerat, longè diuersus ab illis, qui ut præcipui aliquid adferre uideantur, quæ ante se dicta sunt ab alijs, utut recta & syncera, tam abest ut approbent, ut conuellere etiam non dubitent. Hæc est ingenij nostri arrogantia, ut non placeant nisi nostra ipsorum inuenta. Sic quisq; cupit nouus autor haberi. Hinc tot sectæ in Ecclesiam irrepserunt.

2 Quod ad regnum Dei uocatur populus omnium corruptissimus, & malicioſissimus, quem Christus ipse uocauit nationem prauam & peruersam, & ante Christum Moyses populum duræ ceruicis, & post Christum Stephanus, populum qui spiritui sancto semper restiterit, & ut in parabola est, qui seruos Dei prophetas contumelia affectos occiderit, ipsum etiam filium Dei, hæredem uineæ occisurus. Hic inquam populus primum per Iohannem, deinde per ipsum quoq; Dominum filium Dei, ad regnum dei uocatur, modo resipiscat, & ut in Marco est, Euangelio credat. Et hæc gratia, qua peccatoribus annunciatur regnum Dei, si resipiscant, tanta est, ut ne insigni quoq; facinore illo sistatur & cohibeatur, quo Iohannes, à Deo ad hunc populum missus, ab Herode in carcerem fuerat coniectus. Poterat ne Christus dicere: Indignus est hic populus, qui ad gratiam regni Dei uocetur, cui non est satis quod tot seculis tam peccauit enormiter, nisi iam ipsum quoque resipiscentiæ preconem, & regni Dei præcursorem in uincula conijciat? Pereat suo malo in sempiternum. Verum tanta erat dispensandi regni Dei gratia, ut nec priscis flagitijs, nec recenti isto, cursus illius sisti potuerit.

3 Quod nihil poscitur, nisi ut resipiscant, & credant prædicationi gratiæ. Quis hanc gratiam ac bonitatem Dei satis expendet? Poterat nationem istam, ut merita fuerat, tanquàm summe flagitiosam, & peruersam, iusto iudicio perdere in uniuersum. Verum non solum non perdit, sed saluare etiam cupit. Deinde non solum paratus est condonare male commissa, si ultro conuersi ignoſci sibi petant, sed impœnitentes adhuc gratia sua præuenit, & nihil minus cogitantes, quàm resipiscentiam ad resipiscentiam & regni sui felicitatem ultro inuitat & uocat, idq; non per seruum duntaxat, sed per ipsum quoq; unigenitum. Nos arbitramur magni quicquàm præstitum esse, si nos ipsos non ulciscamur, maximum, si rogati utcunq; ueniam dederimus. At hic uidemus tantam esse gratiæ Dei erga nos peccatores exuberantiam, ut non solum non puniat, quos iure poterat, nec paratus tantum sit ad ignoſcendum si petatur, sed misso quoq; filio impœnitentes adhuc ultro ad regnum suum uocet, modo resipiscant, & oblatam gratiam regni eius fide amplectantur. Omnium itaq; iustissimo iudicio pereunt dignissimi, qui nunquàm saluentur, quicunq; hanc gratiam Dei spernunt impœnitentes & increduli. Adultera merito prorsus reijcitur, quæ à marito ad resipiscentiam, & reconciliationem, cum puniri potuerit, uocata, oblatam gratiam per impœnitentiam respuit. Aegrotus ille recte perit, qui non solum medicum ad se non uocat, sed ultro ad se uenientis manum non admittit. Perfidus ille populus merito subuertitur, qui non solum regi suo rebellis, reconciliationem & ueniam non petit, sed ultro oblatam clementiam regis, si resipiscat, obstinata ceruice reijcit & contemnit. Nam ultra hos limites gratiæ, resipiscentiæ uidelicet & fidei, non est ullo modo sperandæ salus.

Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilææ, uidit duos fratres, Simonem qui uocatur Petrus, & Andream fratrem eius, iacientes rete in mare (nam erant piscatores) & dicit illis: Sequamini me, & faciam uos piscatores hominum. At illi relictis illico retibus, secuti sunt illum. Et progressus illinc, uidit alios duos fratres, Iacobum filium Zebedæi, & Iohannem fratrem eius in naui, cum Zebedæo patre suo sarcientes retia sua, & uocauit eos. At illi protinus relicta naui, & patre suo, secuti sunt eum.

Paucis Euangelista quorundam discipulorum uocationem attingit, in qua sunt ista ex ordine uidenda. Primum. Quos uocet Christus. Alterum, ad quid. Tertium. Quando eos uocet. Quartum. Quomodo uocet. Quintum. Quomodo uocati se gesserint.

QVOS VOCET.

Duo sunt hic consideranda. Primum qui, deinde 1
quales fuerint. Vocauit Petrum & Andream, deinde Iacobum & Iohannem, filios Zebedæi. At de prioribus Petro uidelicet & Andrea uidetur Iohannes capite primo tradere, quod ante hanc uocationem ad Christum uenerint, Andreas testimonio Iohannis Baptistæ, Petrus uerò indicio et impulsu Andreæ permotus. Verũ est ad Christũ uenerant ante istam uocationem, sed non ut illius essent assectatores continui. Neq; dum enim ad hoc fuerant uocati. Discipulatus & Apostolatus singularem quandam ultra generalem illam, quæ omnium est credentium, exigunt uocationem. Venerant ad illum, ut cognitione eius imbuerentur, non ut perpetuo illum sequerentur, nec apud eum hæserunt, nisi unum forsan & alterum diem, postea uerò ad suos reuersi sunt, unde & Lucæ quarto ante istam uocationem Christus in domum Simonis uenisse, ac socrum illius curasse, deinde capite sequenti Simonem cum Andrea piscationi operam dedisse legitur, ubi demum ut discipuli essent, & continui sectatores, uocati sunt.

Quales autem fuerint, hoc est, cuius conditionis, 2
ac reputationis, ex eo patet, quod Euangelista dicit. Erant enim piscatores. Quid hoc rei est? Rex omnium potentissimus, cui angeli quoq; ministrabãt, piscatores, homines idiotas, et nullius reputationis in ministros eligit. Poterat ne Hierosolymis ex ordine uel sacerdotum, uel pharisæorum

pharisæorum, uel seniorum, eligere uiros, qui & docti essent, & opinione sanctitatis conspicui, & autoritate apud populũ uerendi, quorum opera regnum suum disponeret. Poterat quidem, si gloriæ Dei conuenisset. Verum id magis faciebat ad argumentum diuinæ uirtutis, quod causam regni Dei per homines humiles & contemptos iuxta seculum administrare uoluit, quos spiritu suo ita imbueret, ut in admirationem sui traherent etiam doctos ac potentes, nec ulla seculi huius potentia à promouendo regno Dei auellerentur. Sic Actorum 4. legimus. Videntes autem Petri in dicendo libertatem, ac Iohannis, compertoq; quod homines essent illiterati & idiotæ, admirabantur, & agnoscebant eos, quod cum Iesu fuissent: hominem autem uidentes stantem cum eis, qui sanatus fuerat, nihil poterant contradicere. Ecce aduersarij Christi, docti, sapientes, ac potentes comperto quod Apostoli isti, homines essent idiotæ & illiterati, obstupescunt & confunduntur, nec inueniunt quod contradicant. Sic Apostolus 1. Cor. 1. Quæ stulta sunt huius mundi elegit, ut pudefaceret sapientes, & quæ imbecillia in mundo, elegit Deus ut pudefaceret ea quæ sunt robusta, & quæ ibi sequuntur.

Non ita solent seculi huius principes. Hi magis quæ eximia sunt, prudentia, docta, robusta, & nobilia administrandis regni negocijs deputant. Quare? Quia impotentes sunt, nec possunt ministris suis dare sapientiam, & prudentiam, & quæ alia ad obeunda negotia necessaria sunt. Ideò opus est, ut doctos, sapientes, ac prudentes eligant. At hic rex ex infirmis robustos, ex indoctis doctos, ex ignobilibus nobiles, ex rudibus, & rerum imperitis, doctos & intelligentes diuina sua uirtute reddere potest, ita ut illis cedere cogatur, quicquid in hoc seculo eximium est. Hac ratione magis faciebat ad gloriam Christi, ut idiotas eligeret, quàm doctos & eximios.

Notandum est itaq; hoc loco, quæ sit ueritatis administrandæ & propagandæ conditio. Veritas Dei quia per se firma est, deinde diuina uirtute probè munita non habet opus mundanæ sapientiæ, uel potentiæ subsidio. At falsa doctrina, quia per se subsistere non potest, opus habet ut humana industria, & uiribus huius seculi suffulciatur. Et hæc est ratio, cur regnum Antichristi doctis, sapientibus, prudentibus, specie sanctimoniæ conspicuis, regnis etiam ac principatibus huius seculi, hoc est, quibuscunq; humanis utribus munitum sit, ut subsistere posit, alioqui prorsus ruiturum. Mendacium multo habet opus artificio, ut uerisimile uideatur. Opus habet etiam tyrannide, ut uiolenter defendatur. // At ueritas Christi per Apostolos orbi inuulgata, ut lux est, ita per se satis est commendata, ut per uiros ignobiles & humiles, modo Dei timentes, & spiritu Christi imbutos probè posit administrari. Deinde & hoc notandum est. Quàmuis piscatores isti humiles fuerint in oculis mundi, habuerunt tamen egregia in se cum pietatis seminaria, tum honestatis ac probitatis argumenta. Quod ad pietatem attinebat, // quidam eorum Iohannis auditores fuere, imò & discipuli. // Deinde testimonio Iohannis, quod Christo dederat, permoti in Christi uenere cognitionem. // Tertio, cognitionem Christi acceptam ad alios quoq; detulerunt. De quibus uidere est Iohannis primo. Quæ omnia indicia fuere iam tum diuinitus inditæ pietatis. Honestatis ac probitatis argumenta fuerunt: // Primum quod panem non comederunt ocioſi, sed ex arte honesta, & utili uictum quæsierunt. // Deinde quod concordes inter se uixere, cum erga parentes, tum frater erga fratrem. Item erga conciues, & artis socios, ut uidere est Lucæ quinto. Videntur quidem ista perexigua, uerum si filios seculi consideres, talia sunt, ut paucissimos inuenias, quorum sit uita istis honestatis argumentis decorata.

AD QVID EOS VOCET.

Vt ministri essent prædicandi regni cœlorum, hoc est, ut filios Dei in hoc mundo dispersos in regnum Dei congregarent. Id est, quod dicit: Sequamini me, faciam uos piscatores hominum. Non dicit: Faciam uos principes mundi, Dominos rerum, & oppressores hominum, sed piscatores hominum. q. d. Mittam uos in mundum, qui est instar maris fluctuosissimi, in quo sunt electi ac reprobi, ut electos mihi in nassam Euangelicæ prædicationis illectos colligatis.

Expendamus hanc piscandi allegoriam. // Homines minime ocioſos ad functionem laboriosissimam uocauit. Rete, quo pisces capiuntur doctrina est Euangelij, qua omnis generis homines in hoc seculo colliguntur. Rete hoc non est abdendum in latebras, sed mittendum in mare, incorruptum & integrum. Væ illis qui rete hoc uel sciderunt, uel neglexerunt: atq; interea hamis, & esculentis traditionum humanarum, ad hanc piscationem non deputatis, usi sunt. // Mare in quo piscandum est, præsens hoc seculum est, multis tempestatibus obnoxium, quas bonus ac sedulus piscator sibi nouit esse ferendas. // Pisces capiendi, sunt homines. Non dicit, faciã uos piscatores auri, argenti, luxus, & honorum, sed hominũ. Homines capiũt etiam ij, qui non nisi sua quærũt. At non ut quos capiunt, Domino capiant, sed sibi, ut eos exugant, & uel gloriam, uel quæstum ex eis auferant. Paulus dicebat: Non enim quæro uestra, sed uos. Hic erat syncerus hominum piscator. Nec dicit, faciam uos piscatores Iudæorum, pharisæorum, sacerdotum, plebeiorum, sed in genere faciam uos piscatores hominum, nõ diuitum, potentum, iustorum, sapientum, sed simpliciter hominum. Quisquis homo est, Euangelico piscatori ex præsentis seculi tempestuoso mari capiendus, & extrahendus est. Non sunt itaq; piscatores hominũ, qui tantum ambiunt diuites, potentes, nobiles, sapientes, iustos, & eximios, neglectis pauperibus, ignobilibus, humilibus, insipientibus, peccatoribus, & abiectis. Falsorum Apostolorum est, diuitum penetrare domes, & nobiles ambire familias. Qui perituro uentri perituros pisces piscantur, quosuis flexus, ac reflexus, sinus, tractus, ac recessus fluminũ ac lacuũ habent exploratos: cœlũ diligentissimè obseruant, frigus horridũ perferunt, mille artes excogitãt, retia in captura pro ratione piscium moderantur, integras noctes operantur (Lucæ 5. præceptor inquit, totã noctem laborauimus) & tamẽ etiamsi plerunq;

homines piscatores

Rete

Mare

pisces

paulus bonus piscator

plerunq; uel nihil, uel parum capiant, piscandi tamen propositum non ponunt, sed cum summa patientia quic quid ferendum est laboris & molestiæ perferunt. Sic piscabatur Paulus, qui noctes atq; dies hortabatur singulos, Actor. 20. Et omnibus omnia fiebat, ut uel aliquos lu
1. Cor. 9. crifaceret. Habemus itaq; hac imagine depictam Apostolici muneris prouinciam. Viderint qui se Apostolorum gloriantur esse successores, quibus perpetuo sedes Apostolica in ore est, quomodo isti imagini respondeãt.

QVANDO EOS VOCET.

3 Vt in Euangelica uidemus historia, confestim prædicationis suæ initio illos uocat, qua in re apparet prouidentia dispensandi regni Dei. Non uocantur ut mox prædicent, sed ut cum Domino circueuntes omnium ipsius dictorum, & actorum spectatores essent, & auditores. Erant enim tanquàm diuinarum rerum rudes primum instituendi, & fingendi. Et hoc est quod dicebat: Sectamini me, faciam uos piscatores hominũ. q.d. Estote discipuli mei, & continui assectatores, et instituam uos, & ad hoc instructos reddam, ut seruiatis mihi in piscandis hominibus. Hæc est prouidentia Christi, qua statim prædicationis suæ initio formandos eligit & uocat, qui postea nostræ saluti seruiant.

Admoneamur hoc loco qua sint instituendi diligentia, qui muneri prædicandi Euangelij destinantur. Rudes quidem uocauit, sed uocatos diligenter primum eruditiuit, & instructos reddidit, antequàm in opus ministerij amandarentur. Notent hoc primum, qui ad exemplum Apostolorum putant indoctos, & rudes ministerio uerbi deputandos esse, quasi aptus sit ad prædicandum regnũ Christi, qui nihil ad eam functionem adfert quàm ignauam quandam inscitiam. At Apostolus exigit Episcopum, qui sit instructus sana doctrina, & potens in sermone, ut possit nõ docere tantum ignaros, sed & contradicentes refellere. Et Timotheum admonet, ut iugi sanctarum scripturarum lectioni incumbat. Deinde notant & illi, qui neophytis nimium præproperas manus imponunt.

4 QVOMODO EOS VOCET.

Quomodo eos uocârit, uidere est in Luca cap. 5. Miraculosam piscium capturam doctrinæ subiecit, qua uocandis uirtutem Euangelij regni Dei ob oculos exponeret. Totam noctem piscati nihil cæperant. At iubente Domino, cum iam retia lauarent, piscationem renouarunt, & ingentem piscium multitudinem cæperunt, ita ut rete rumperetur, & sociorũ opera posceretur. Quo sanè miraculo conspicue præmonstratũ est, adfore prædicantibus diuinam uirtutem, ut maximam sint hominum multitudinem regno Dei lucrifacturi. Istam potentiam Dei probè experti postea sunt, ubi rete Euangelicum in seculi mare undosum ad piscandos homines in nomine Domini laxarunt. Obseruanda est hæc accommodatio Christi, qua se captui eorum quos uocat, attemperat. Cum Magos uocaret, ex Oriente attraxit eos per apparitionem stellæ. Erant enim cognoscẽdis stellis dediti, Sic piscatores istos miraculosa piscium captura ad se trahit. Capernaitas terreni cibi gratia sequẽtes per anagogen de cœlesti cibo instruxit, Ioh. 4. per occasionem fontis, ad quam Samaritana mulier aquam haustura uenerat, de cœlestibus fluentis disputat. Hoc exemplo doctores Euangelici monentur, ut se auditorum captui diligenter accommodent, quò facilius illos ad Christi cognitionem pertrahant.

QVOMODO VOCATI SE 5
gesserint.

At illi, relictis ilico retibus, sequuti sunt eum. Item: At illi protinus relicta naui, & patre suo, sequuti sunt eum.) Consideranda est hoc loco natura fidei, deinde & uirtus diuinæ uocationis. Natura fidei in eo declarata est, quod citrà rationis humanæ consilium uerbo uocantis Christi obedierunt, idq; absq; ulla tergiuersatione, Nihil sunt causati. Non dixerunt. Disponemus primum domibus nostris, loquemur hac de re domesticis nostris, sicut ille, Lucæ 9. dicebat: Permitte primum ut sepeliam patrem meum. Deinde, etiamsi haud quaquàm intelligerent, ad quam rem uocarentur, nec certi essent quem esset ista causa cursum habitura ac finem, unde esset uiuendum, & exemplum Iohannis esset præ oculis ut metuere potuerint aduersariorum uim ac tyrannidem, simpliciter tamen absq; ulla hæsitatione uocanti obtemperarunt. Præterea nec suam ipsorum uilitatem expenderunt. Potuerunt cogitare. Quid est, quod nos uocat homines piscatores, ac nullius reputationis? Quid per nos efficiet? Si Christus ille est, cur non uocat potentiores? Potest fieri ut fallamur. Nihil horum cogitârunt? Quare? Quia fidei ductu non rationis consilio sunt usi. Vbi fides obtinet, ibi cessat rationis humanæ prudentia. Sed unde tantum in illis potuit fidei ductus? Ex operatione spiritus corda credentium moderantis. Tale erat, quod in Elizeo quoq; declaratum est. 1. Reg. 19. Sed hac de re etiã infrà ca. 9. in uocatione Matthæi dicitur.

Relictis retibus, naui, & patre, &c.) Tria sunt hic uidenda. Primum, quare. Alterum, ad quid. Tertium, quomodo ista reliquerint Apostoli. Primum, Si rationem roges, ob quam reliquerint sua Apostoli, in promptu reddi potest, quia id iussi fuerant ab eo, qui dixerat: Sequamini me, faciam uos piscatores hominum. Alioqui non licet derelictis parentibus, uxoribus, liberis, & labore ad uictum necessario, id uitæ genus appræhendere, quod diuina uocatione, eaq; speciali & peculiari caret. Vocatio Dei est prouidere domesticis, uxoribus, liberis ac parentibus, & posterioribus, si infrà coniugij tempus sis, ad omnia obedire. Hanc sponte etiã religionis prætextu, deserere & abijcere nõ est eorum, qui uoluntati Dei cum scientia student. Ex istis Apostolorum factis, sicuti etiam ex Abrahæ exemplo, non sunt instituendæ uitæ sumendi canones. Quare?

Deinde si quæras ad quid ista reliquerint, iterum mox reddi potest ratio. Videlicet, ut Christum sequerentur, & ab illo ad ad piscaturam hominum instituerentur. At hoc facturis necesse erant hæc omnia relinquenda. Neq; enim commodum, imò impossibile erat simul administrare rem domesticam, & Christum circueuntem ac docentem indiuulse sequi. Ad quid?

Tertium. Quomodo reliquerunt? Ita scilicet, ut ubi necesse erat, sua repeterent potius, quàm de alieno uiuerent. Quomodo

uerent. Sic de Petro infrà 8. legitur, quod domum adhuc habuerit. Et poſt reſurrectionem ad piſcaturam redijt. Et Matthæus infrà 9. licet confeſtim ſequutus ſit uocantem Dominum, poſtea tamen magnum illi in domo ſua conuiuium inſtruxit. Apoſtoli igitur quantum exigebat uocationis ratio ſua relinquebant, ubi uerò per hanc licebat, & neceſsitas exigebat, rurſus ſuis utebantur, non alienis. Poſtea, ubi in orbem erant amandati, ut de ſuo propter iniunctum Apoſtolatum uiuere non poſſent, de Euangelio uiuebant, metentes illorum carnalia, quibus ſeminabant ſpiritalia.

Nihil ergo loci hic habent, qui prætextu monachatus, & religionis Apoſtolorum exemplo omnia ſua reliquiſſe uideri uolunt. Vt enim quid quiſq; reliquerit, et quantum religionis prætextu conſequutus ſit, non excutiam. Reſpondeant primum, cuius iuſſu ſua reliquerint. Deinde, ad quid etiam reliquerunt. Vt uidelicet ſuauius de alieno & ſibijpſis ocioſi, uiuant.

Et circuibat totam Galilæam Ieſus, docens in ſynagogis illorum, ac prædicans Euangeliũ regni, & ſanans omnem morbum, & omnem languorem in populo.

Rectè Euangeliſta iſta præmiſſæ Apoſtolorum uocationi ſubijcit, uelut de eo rogatus, quid Dominus acceptis iam diſcipulis geſſerit. Circuibat, inquit, ut ſemel dicam, totam Galilæam, docens ac ſanans. Rem ſingularis ſtudij, & plenam paterni affectus, breuiſsimè complexus eſt. Ezech. 34. prædictum eſt, quod hic Chriſtus feciſſe ſcribitur. Ecce ego, inquit, requiram oues meas, & uiſitabo eos, ſicut uiſitat paſtor gregem ſuum, &c. Prophetiam hanc diligens ac bonus paſtor circueundo, docendo, ac ſanando adimpleuit, & hoc pacto diſcipulis quos recens uocauerat, exemplum piſcaturæ propoſuit, de qua dixerat: Sequamini me, faciam uos piſcatores hominum. Neq; enim uerbis eos duntaxat, ſed uiuo exemplo inſtituere uoluit, quod poſtea in uniuerſum orbem amandati ſequerentur.

Circuibat, inquit, totam Galilæam.) Quare Galilæam? An ad regnum Dei ea natio propter ſingularem quandam pietatem præ alijs uocanda fuit? Nequaquàm. Erat populus ſedens in tenebris, maiore præ alijs caligine errorum preſſus. Et tamen habebat intra ſe electos, licet errantes ac perditos. Hos quærebat. Illis uidelicet primo loco ſuccurrit, qui reliquis peius habebant. Sic ſolent qui ex animo miſeris ſuccurrunt. Exprimitur autem ſingulare ſtudium ſuccurrendi miſeris, quod non ſimpliciter dicit circuibat Galilæam, ſed addit, totam.

Quid autem circueundo egit? Docens, inquit, ac prædicans Euangelium regni. Deinde, ſanans omnem morbum & languorem in populo. Docuit autem in ſynagogis illorum. Synagoga Græcè, latine conuentus & concio populi, quo nomine etiam loci conuentuum Eccleſiaſticorum uocati ſunt. In his docuit Chriſtus: primum, ne uideretur declinare publicum, uelut malæ ſibi doctrinæ conſcius. Deinde ne putaretur conueniendi conſuetudinem damnare, quam populus ille ad inſtitutionem pietatis, & lectionem legis diuinitus acceperat. Neq; enim illa ueritati docendæ repugnabat, ſed magis ſeruire poterat.

Sanans omnem morbum ac languorem.) Docendo animas, uirtute curationis corpora ſanauit, uerus & perfectus ſeruator, qui non unam tantum hominis partem, ſed ſimul totum hominem ſaluaturus uenerat. Non dicit, morbos curauit, ſed omnem inquit morbum, & omnem languorẽ. Quid quæſo poteſt aliud innui, quàm in huius manu conſtitutam eſſe plenam & perfectam hominis ſalutem? Declarabatur aduenisſe tempus, quo reſtitui ac ſanari genus humanum debuerat, de quo prædictum fuerat Eſaiæ 36. qui locus infrà cap. 11. citatur. Rectè planè conſtitutum fuerat diuinitus, ut nullo alio miraculorũ genere Chriſtus inclareſceret miſeris mortalibus, quàm quo miſeris ac laborantibus ſuccurreretur. Multa ſunt prodigiorum ac portentorum genera, quibus ad ſtuporem ſpectantes moueri poterant. Si hoc unum ſpectatum fuiſſet, & quæſitum, uerum non agebatur aliud quàm ut ſaluator mundi quibuſuis innoteſceret, ad quam rem nullum aliud ſignorum genus, quàm hoc ipſum, accommodatius fuit.

Quis ergo fidelium tanto, & uni iſti ſeruatori, curatori, & cum animarum, tum corporum medico ſeſe non addicat? De quo nam ſanctorum legitur, quod omnes morbos & lãguores curauerit? Sanctus quiſquàm ſemel ægrotum in uita per operationem Dei curaſſe legitur, & ſunt qui poſt mortem etiam opem ab illo in ſimili morbo petant, quaſi miraculi gratia certum ſit in cœlis illum agere poſt mortem, & eadem adhuc præditũ eſſe curandi uirtute, cũ ſecus moneamur infrà cap. 7. de Chriſto uerò, quotus quiſq; eſt, qui id ſibi perſuadeat quod eadem ſit animi bonitate in cœlis præditus, qua erat cum corporaliter in terris ageret, ut quoniam in terris conſtitutus omnem morbum curauit, id iam ſit nõ minore bonitate, & uirtute facturus, cum certi ſimus illum non in cœlis tantum eſſe, ſed regnare etiam, nec hanc bonitatem illius propter exaltationem eſſe diminutam? Locus hic de circuitu, doctrina & curatione Chriſti iiſdem uerbis infrà cap. 9. circa finem recurret, ubi ſingula fuſius explicabuntur.

Et dimanauit fama illius in totam Syriam. Et adduxerunt ad illum omnes male affectos, uariis morbis ac torminibus contractos, & dæmoniacos, & lunaticos, & paralyticos, & ſanauit eos.

Hoc uidelicet agebatur iam tum, ut non in Iudæa duntaxat & Galilæa inclareſceret nomen Chriſti, ſed etiam apud gentes. Tametſi enim uocandarum gentium tempus nondum aduenisſet, interea tamen gratiæ illi uia parabatur. Et reuera magna fuerit oportet Iudæorum cæcitas, quod ſaluatorem ad ſe miſſum, tanta diuinæ gratiæ luce conſpicuum, ut fama illius totam etiam Syriam, nationem Gentilem, occupârit, tam pertinaciter reſpuerunt. Hanc cæcitatem Iudaicam notat Euangeliſta, cum ſcribit famam nominis & factorum Chriſti in totam dimanaſſe Syriam.

Et adduxerunt ad illum omnes male affectos.) Argumentum erat famæ, quæ de factis Chriſti in Syriam dimanauerat, quod ægrotos ſuos Syri ad illũ deferebant.

Notandum eſt autem hic ingenium carnis. Chriſtus

duo faciebat. Prædicabat Euangelium regni. Sanabat ægrotos ac morbidos. Priori beneficio non admodum mouebantur plerique. Posteriori uerò quàmplurimi. Hi adferebant ægrotos suos, curationem illorum quærentes, de doctrina uerò uitæ nulla fit mentio, quod hanc quæsierint, ut non iniuria Cicero in Tuscul. quæst. principio libri 3. miretur, cum homo ex animo constet & corpore, qui fiat, quod medicina corporis tam sit quæsita diligenter, & culta postquàm inuenta, ita ut Aesculapius medicus in Deorum sit numerum relatus: medicina uerò animorum nec sit quæsita antequàm inuenta, nec culta posteaquàm est inuenta, imò à multis etiam contempta & inuisa habita, ut nemo philosophorum, quorum erat curandorum animorum professio inter deos sit relatus. Quæritur hoc Cicero de Gentibus, de Iudæis nemo dubitat, quod medicos prophetis prætulerint, de Christianis quid dicemus? Et illis acceptior esset Christus sanans corpora, quàm instruens animos. Quare? Quia morbos corporis sentimus, animi uerò nõ ita. Qui bibendo sitim magis accendit quàm restinguit, intelligit se periculoso morbo laborare, utiturq; medicorum ope, & consilio. Qui nullis quantumuis magnis opum accumulationibus satiari potest, non cogitat se animo ægrotũ esse, & auaritiæ morbo laborare, neq; medelam quærit. Non est hæc ingens stupiditas? Qui corpore ægrotus est, absq; rubore morbum suum medico reuelat. Qui animo ægrotat, uicia sua studiose celat, & nonnunquàm etiam specie uirtutis palliat. Si facile irascitur, zeli nomen obtendit. Si peccatores fastidit, amorem iustitiæ prætexit. Si timidus est, cautionem simulat. Si paulò tenacior, curam domestici rũ causatur. Si pertinax, constãs uideri uult. Ita uidelicet ferè omnes animi morbos palliamus, tam abest ut remedia quæramus.

Et curabat illos.) Neminem excludebat. Deinde de fide non quærebat, sicuti posteaquàm aliquandiu docuisset ac sanasset, ubi cœpit accedentes ægrotos interrogare, num crederent se id posse quod petebant. Nam si initio fidem postulasset, plerosq; non curasset, id quod impotentiæ suspitionem generasset. Perinde atq; si medicus primo quosuis absq; discrimine curet, nulla habita pecuniæ ratione, donec cognita iam ac probata curandi uirtute inclarescat.

Similia habebimus infrà cap. 8. Ibi. Cum appetisset uespera, adduxerunt illi dæmoniacos multos, &c. ubi quædam præter ista annotanda erant.

Et sequutæ sunt eum turbæ multæ à Galilæa, ac Decapoli, & Hierosolymis, & Iudæa, & à regionibus trans Iordanem sitis.

Hoc est, non solum illi qui curandos morbidos & ægrotos adferebant, Christum circueuntem accedebãt. Sed & undiq; accurrebant multi, nouitate rei moti, aliqui etiam insidiandi & carpendi gratia, nonnulli bono animo, ut uitæ doctrinam imbiberent. Iam tum delineabatur, quomodo ad celebritatem nominis Christi ex omnibus undiq; nationibus Ecclesiæ essent coituræ. Verum ut illic initio seruebãt omnia, cruce uerò ingruente tepescebant, ita & postea accidit in Ecclesijs Christi. Christus tantisper dum illustris est, & accommodus, plurimos habet sectatores. Vbi uerò crucem subit & ignominiam, etiam eos amittit, qui uidebantur nominis illius studiosissimi.

CAPVT V.

Vm uidisset autem turbas, ascendit in montem.

Eandem historiam Marcus & Lucas, sed nõ eodem gestorum ordine describũt. Matthæus curationem leprosi, sanationem paralytici, uocationem suam, & duodecim Apostolorum electionem post hunc Christi sermonem ponit. Lucas uerò & Marcus ista præmittunt. Neq; ideò putandum est contrarios esse sibi inuicem Euangelistas. Non enim propositum illorum est ordine historico, ut quæq; sunt gesta narrare, sed selecta quæq; quantũ memoria ductu spiritus suggerebat, annotare. In eo uerò potissimum inter illos conuenit, quod nullus eorum quicquàm quod ab alijs scribitur factum esse negat. Proinde arbitror nulla nos necessitate adigi, ut historicam seriem inuestigemus, sed hoc magis esse curandum, ut quid Christus & fecerit & dixerit, quàm ubi, & quando quæq; sint dicta ac gesta, studiose obseruemus, nisi forsan historiæ cognitio talis sit, ut ad rerum ipsarum sensum illustrandum dictorum ac factorum circumstantiæ nonihil conducant.

Matthæus succinctè quædam, Lucas uerò explicatius tradit. Vterq; Christum ascendisse in montem scribit, Lucas addit ad orandum. Matthæus noster dicit illum sedisse, ac discipulos ad eum accessisse. Lucas dicit eos uocatos esse, ut accederent: nimirum ut ad Apostolatum eligerentur. Sedit ergo ad eligendum Apostolos. Lucas addit, quod in locum campestrem descenderit, ibiq; stando turbas docuerit. Hæc noster omisit.

Videns Iesus turbas ascendit in montem.) Ergo propter turbas ascendit in montẽ. Quid est igitur quod Lucas dicit: Exijt in montem ad orandum? Nihil est discrepantiæ. In montem ascendit ad orandum, cum populi frequentiam conspexisset, non ut turbas commode dimitteret, sed ut præmissa oratione operarios in messẽ, quæ multa apparebat & matura, deligeret. Hoc satis apparet ex collatione Matthæi ac Lucæ, quorum alter uisis turbis Christum, alter ad orandum ascendisse in montem, ibiq; duodecim Apostolos, quibus uidelicet ad futuram messem uteretur, elegisse, & cum illis in locum campestrem ad docendum populum descendisse commemorat.

Discamus hoc loco, quanta sit diligentia orandus Deus, ut messis suæ rationem habeat, & operarios in illam eligat ac mittat, quorum ministerio corda quærentium Dominum instituantur, &c.

Et cum sedisset, accesserunt ad illum discipuli eius.

Orto uidelicet iam iam die (nam noctu in oratione perseuerauerat) ad eligendum discipulos, consedit & ad se uocauit, quos uoluit, ut Lucas & Marcus habent. Nemini dubium sit sedendo Christum suos, & docuisse,

& ad

& ad Apostolatum elegisse. Consuetudo hæc docentibus fuit, ut sedendo docerent. Augustinus in eo agnoscit magisterij dignitatem, Lucæ. 4. Cum Esaiæ uaticinium in synagoga Nazareth legisset, reddito ministris libro, consedit ac docuit. Et Matth. 26. ad milites dicebat in horto, tanquàm ad latronem egressi estis cum gladijs ac fustibus, cum quotidie apud uos sederim, docens in templo. Et Ioh. 8. Omnis inquit, populus ueniebat ad eum, & sedens docebat eos. Consuetudinem hanc imitati sunt Episcopi, quia uidebatur maiestatis aliquid præferre, censueruntq; non nisi Episcoporum esse ad hunc modum docere. Hinc est Episcopalis cathedra, unde Ecclesiæ cathedrales uocantur. Quicquid hoc sit, facile donari posset hæc docendi maiestas, modo populum in doctrina Christi instruerent. Iam uerò cum nec stando, nec sedendo doceant, quo nam pacto excusari poterunt. Christus docuit cum stando, tum sedendo, pro loci opportunitate. Doctores Ecclesiarum presbyteri uocabantur, id est, seniores. Senibus & pro ætatis autoritate, & corporis imbecillitate rectè competit, ut sedendo doceant. Hinc postea mos iste etiam ad iuniores translatus est. Tandem eò peruenit, ut cathedræ sint sine doctore. Gloriantur Romani de sede Apostolica, sed inani & ficta, utpote quæ doctrina Christi careat, de qua nunquàm uerè gloriari poterunt.

De electione duodecim Apostolorum, cuius Lucas hoc loco meminit, dicendum erit infrà cap. 10. ubi noster illam commemorabit.

Et postquàm aperuisset os suum, docebat illos.

Ista periphrasi Euangelista mentes nostras attentas ad futuram doctrinam facit. Alioqui satis erat si dixisset, & docebat eos. Quis enim docet uerbis, ore non aperto? Habet hunc scriptura morem, ut uiros eximios, ubi quid præcipui dicturi sunt, os aperire dicat, ut animum auditoris excitet. Nam ora talium non nisi sapientiam, ac si qua sunt salubria meditantur. Os iusti inquit propheta, meditatur sapientiam, & lingua eius loquitur quod iustum est ac rectum. Et Prouerb. 10. Vena uitæ inquit, os iusti. Cum ergo iusti ac sapientes raro loquantur, nec facile silentium rumpant, nisi dicenda sint necessaria & utilia, ut è thesauro cordis pie ac sapienter instituti uerba salutis proferant, rectè scriptura hoc loquendi modo doctrinam illorum commendat. Sic Psalm. 78. Aperiam in parabola os meum, &c.

Psalm. 37. Prou. 10.

Ad hanc uerò oris apertionem Christum & turba discipulorum, & numerosa populi frequentia facile permouit. Memorat enim Lucas copiosam ibi fuisse multitudinem plebis ex omni Iudæa & Ierusalem, & à maritima Tyro & Sidone, qui ad hoc uenerant ut audirent eum, & sanarentur à morbis suis. Meminit huius & noster in calce capitis præcedentis. Multitudinis itaq; tam copiosæ, & ad audiendum auidæ conspectu motus, os suum ad docendum aperuit, qui ad hoc uenerat, ut errantes ad uiam ueritatis reduceret, id quod ubi occasio eius dabatur, absq; dubio omnium cupidissimè fecit. Nam hoc sunt animo, qui quod faciendum est cum delectatione faciunt, ut quàm primum exequendi muneris datur occasio, absq; ulla cũctatione opus suum aggrediantur. Experiuntur hoc Christi ministri, ubi auditorum frequentiam, & discendi cupiditatem conspiciunt. Nam hic ipse spiritus cuius instinctu loquũtur, alacrior insurgit, & ora docentium aperit, qui alioqui frigente auditorio friget ac torpet.

Moueat igitur ad audiendum non corporis duntaxat, sed cum primis & cordis auribus, quod os aperit filius Dei, qui de cœlo ad nos descendit, qui ipsa est patris sapientia, ipsa ueritas & uita uerba salutis ac uitæ habens, qui cum ad iudicandum posset, maluit ad docendum os suum aperire, quem pater ad hoc misit, ut uitæ doctorem haberemus, & audiremus, audientesq; saluaremur. Non est contemnendum os docentis Christi, quod contemptores suos olim iustissimo iudicio æterno supplicio adiudicabit. Satius sit audire cum mansuetudine docentem, quàm olim cum summa seueritate iudicantem.

Beati pauperes spiritu.

Hoc est initium futuri sermonis, in quo non solum quid dicat Dominus animaduertendum est, sed simul & quo animi affectu dicat. Videntur enim hæ sententiæ gestientis animi exclamationem præferre, nec docere tantum, sed simul & commendare eorum felicitatem, quibus regnum cœlorum est destinatum. Non absimilis apparet hic esse affectus ei quem Lucæ 10. expressit, dicens: Beati oculi qui uident, quæ uos uidetis, &c. quibus uerbis regni Dei gratiam, & illorum temporum, quibus illa mũdo offerri incipiebat, felicitatem extollebat. Quod aũt ad dispositionem orationis huius pertinet, uidentur illius tria esse membra. Primum quo credentium felicitatem commendat. Alterum, quo illos ad expressionem ueræ iustitiæ hortatur. Tertium, quo ueram legis iustitiam, id est mentem & spiritum legis exponit.

Tria membra orationis Christi.

Beati.) De beatitudine multa sunt à multis conscripta ac tradita. Versata sunt in hoc campo philosophorum ingenia, qui utut de scientia rerum gloriati sint, nunquàm tamen quod quæsierunt & alijs commonstrare uoluerunt, inuenire & cognoscere potuerunt. Defuit enim illis lux illa, quæ ad cognoscendam & apprehendendam ueram felicitatem sola mortalium mentes illustrat. Quæ illa sit non exprimitur hoc loco. Verum credentibus in Christum satis liquet, cœlestis gratiæ, regni, uitæ ac gloriæ participationem, uel exactius & compendiosius, fruitionem Dei esse ueram felicitatem. Siquidem in hac una sempiternus est omnium bonorum fons, & inexhausta scaturigo. Si ἐν ζωῇ καὶ εὐπραξίᾳ felicitas est, ubi illa continget, nisi in fruitione Dei?

Dei fruitio est uera & solida seu felicitas

Pauperes spiritu.) Videamus iam quibus ueram hanc felicitatem adscribat. Ponit hic noster pauperes spiritu, lugentes, mites, esurientes, ac sitiẽtes iustitiam, misericordes, mundos corde, pacificos, persequutionem propter iustitiam passos, & probris propter Christum agitatos. Lucas, pauperes, esurientes, flentes, & hominibus propter filium hominis exosos. Quos autem tales prædicabat? Apparet ex utroq; Euangelista ad Apostolos ac discipulos ista esse dicta. Nã licet hic noster

non habeat. Beati pauperes spiritu, quoniam uestrũ est regnum cœlorum, sed quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Lucas tamen apertè dicit: Et ipse attollens oculos suos in discipulos, dicebat: Beati pauperes, quia uestrum est regnũ Dei: Beati qui esuritis nunc. Item: Beati qui fletis, &c. Et noster: Beati estis cum probra iecerint in uos, &c. Item illa sequentia, uos estis sal terræ. Item. Vos estis lux mundi, talia sunt, quæ cum populo adaptari nequeant, satis euincant ad discipulos ista pertinere. Per discipulos autem intelliguntur quotquot tales sunt, de quibus ista prædicari ualeant.

Considerandum uenit hoc loco, quare non potius dicat: Beati qui Deo credunt, qui Deum diligunt & colũt qui iusti sunt, qui timentes Dei sunt, qui mandata Dei custodiunt, cum ista sint & principaliora, & in scripturis etiam felicitatis promissionem habeant, & præterea minus etiam sint paradoxa? Iam his omissis felices prædicat pauperes, lugẽtes, flentes, esurientes, iniuriam, probra, odium & persequutionem patientes, cum hoc hominũ genus magis miserum, quàm felix esse uideatur? Non negat Christus credentes, Deũ timentes, diligentes, ac colentes esse felices, sed exclamationẽ hanc ad discipulorũ suorum futuram conditionem ac sortem attemperat, & mox initio post illorum uocationem & electionem consolationem, qua postea in rebus miseris utantur, parat, præmonetq; tam ad futurum, ut illarum sint gratia futuri miseri, ut magis censendi sint felices.

Loquitur suis, credentibus in se & pro se penurium patientibus.

Beati pauperes spiritu.) Lucas simpliciter habet, Beati pauperes, & in antithesi subijcit: Væ uobis diuitibus, quia habetis hic consolationem uestrã, unde apparet Christum de miseris & adflictis loqui, qui nullam hic consolationem habent, sed mala in hac uita recipiũt quos scriptura uocat עניים, quibus etiam iuxta uaticinium Esaiæ Euangeliũ prædicatur. Esa. 61. & Luc. 4. Item infrà 11. Quod autem hic noster addit, spiritu, ad hoc factum est, ut animũ pauperum, & adflictorũ deiectum, & humilem exprimat. Sunt enim illi plerunq; animo contrito, & humiliato, qui nec insolescat, nec ferociat, nec magna de se ipso sentiat, cum contraria in diuitibus inflatis, & superbientibus reperiantur.

Sed quomodo beati sunt pauperes, & adflicti, cũ pauertas & adflictio magis ad miseriam, quàm ad felicitatem pertineat? Sicuti nanq; de uera felicitate non potest prædicari paupertas, ita certè nec de paupertate potest prædicari felicitas. Etenim si pauperes sunt beati, uicissim & beati erũt pauperes, quod est absurdissimũ. Audiamus igitur rationẽ, ob quã dicit pauperes esse beatos

Quoniam illorum est regnũ cœlorũ.

Ergo pauperes non paupertatis gratia, sed ob id felices prædicantur, quod illis deputatũ sit regnũ cœlorũ. Est autem quod dicit, quoniam illorũ est regnum cœlorum, nihil aliud, quàm, quod talibus peculiariter prædicandum sit Euangeliũ regni, non quod regnũ cœlorum accipiant, quotquot pauperes sunt, sed quod illis porissimũ Euangelij consolatio & annunciatio afferatur, sicuti supra citati loci testantur. Si roget quispiam, an nõ et diuitibus præ licetur regnũ cœlorum, cũ aliquot legantur diuites illius factos esse participes, ut mirũ sit, quare hic pauperũ dicatur esse regnũ cœlorũ, non potest alia assignari ratio, quàm primũ quod pauperes & adflicti accommodatiores sunt ad amplexandum cœlestem gratiam, deinde quod ea sit bonitas Dei, quæ adflictorũ potissimum habeat, et humilitatem, quibus in hoc seculo nihil est cõsolationis, sicuti diuiti dicebatur: Fili recordare, quod acceperis bona in uita tua, Lazarus uerò mala. Quapropter hic modo refocillatur, tu uerò cruciaris. Est itaq; locus ille Luc. 6. probè notandus, ubi Christus dicit: Væ uobis diuitibus, quoniam accepistis hic cõsolationem uestram. Vt enim pauperes felices, ita diuites miseros & infelices pronunciat, illos propter futuram felicitatem, istos propter futuram illam ac sempiternam miseriam, quibus certe admonemur non esse iudicandum de mortalium uel felicitate, uel infelicitate iuxta externam faciem, & huius seculi fortunã. Habere hic cõsolationem res est carni iucunda, tam abest, ut uideantur miseri diuites propter præsentis uitæ consolationem, ut uulgo beati iudicentur. Si uictum respicias, iam non nisi peregrina, exquisita, & preciosa esculenta conquiruntur, cum pauper interea uix pane eoq; cibario & arido uescatur. Si amictum, & ædificia, an non omnia sunt splendidissima, cum interim pauper frigore contrahatur, domi adflictus, foris nihili habitus, nusquàm non iacens, miser, & abiectus. At uitam hanc terrena consolatione plenam, quam omnes ferè suspiciunt, pauperes optãt, diuites amittere timent. Christus infelicissimam pronunciat: Væ minatus diuitibus, eò quod consolationem suã in hoc seculo recipiant, in futuro miserrimi. Et nota, quod nõ dicit: Væ uobis diuitibus, quia multis uersutijs non sine aliorum iniurijs uestras acquiritis diuitias, & acquisitis pessimè utimini, pauperibus nihil impartientes. Sed hoc obijcit quod consolationem suam in hac uita recipiant. Quid ergo illis futurum est, qui fraude, dolo, ma[illegible]tibus, & cum pauperum oppressione opes iniustas co[illegible]igunt?

Præterea & hoc nota, quod non simpliciter dicit, quoniam consolationem recipitis in hac uita, sed addit: uestram, quasi ista sit ipsorum portio ultra quàm nihil illis boni sit expectandũ amplius. Neq; enim pars illis est cum ciuibus regni Dei, qui more Esau pro uili edulio primogenituræ suæ hæreditatem uendunt. Vnde in Græco pulchrè positum est ὅτι ἀπέχετε τὴν παράκλησιν ὑμῶν. Id est, quoniam tulistis, recepistis, insumpsistis, consolationem uestram. Germanicè uerbum hoc melius exprimitur. Ihr habt dahin eweren trost. Pauperibus uerò miseris & adflictis, quibus nihil est consolationis in hac uita. Si Euangelium gratiæ amplectantur futuræ uitæ consolatio reseruatur. Proinde rectè Christus hic discipulos suos contra paupertatem futuram munit ne arbitrentur se miseros esse, si quam pro nomine suo sint passuri rerum necessariarum penuriam. Non habent autem locum hic, qui ut ociosè de aliorum bonis uiuant uoluntariam paupertatem, ut uocant, monastica uoto simulant hypocritæ, & Deo & hominibus illudentes. Non loquitur hic Christus de uoluntaria illa, simulata, quæstuosa, & ociosa paupertate, sed de uera, uel diuinitus imposita, uel propter Euangelij doctrinã tolerata.

Beati

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolationem accipient.

Luctus est animi ægritudo & deiectio, quæ ex amissione rei uel charæ uel necessariæ, uel ex illatione tristium, & aduersorum nascitur. Huius multæ & uariæ sunt causæ. Itaq; de quo luctu Christus hic loquatur uidendum. Ferè omnes de peccata sua lugentibus intelligunt, quorum conscientiæ per legem, & iræ diuinæ sensum pressæ per Christum releuentur, & consolationem cœlestis gratiæ inueniant. Sensus hic non est absurdus, nec præter uerum. Nam planè nusquàm alibi consolationem inueniunt, quàm in uno Christo, qui peccatorum onere pressi lugent. Mihi uerò uidetur (cum pace aliorum) Christus hic, ut & supra monui, non de quibuslibet lugẽtibus, sed de discipulis ac fidelibus suis loqui, quorum hæc est in hac uita conditio, ut in mundo pressuram patiantur, lugeant & contristẽtur. Vnde in Luca legimus ad discipulos dictum: Beati qui fletis nunc, quoniam ridebitis. Arbitror autem neminem ita desipere, ut faciat ex Christianis Stoicos ἀπαθεῖς, homines lapideos, et omni sensu humano destitutos, qui nullo rerum tristium sensu tangantur. Dolent etiam credentes, lugent, contristantur, ac plorant, uerum non sine modo non sine diuini nominis inuocatione, non sine spe rerum meliorum. Lugebat absq; dubio Ecclesia credentium, cum per Herodem in uincula coniectus esset Apostolus Petrus. Lugebant, quando enormiter contra Deum pec-
1. Cor. 5. cabatur, quem luctum Apostolus exigebat à Corinthijs
Rom. 12. in causa scortatoris. Et idem Apostolus exigit, ut fleamus cum flentibus. Et Christus prædixit suis futurum,
Matth. 9. ut se sponso ablato, sint luctum habituri ac ieiunaturi. Matth. 9. Ita lugebant etiam in ueteri Testamento pij, propter Israëlis abominationes, quas amoliri non poterant, de quibus est Ezech. 9.
Ezech. 9.

Quoniam ipsi consolationem accipient.

Consolatio uel sublatio est uel mitigatio rerum aduersarum. Hanc sapientes huius mundi primum ex eo struunt, si docere possunt malum non esse, cuius gratia lugetur: utpote. Si quis ob mortem amici lugeat, hic tradunt, mortem non esse numerandam inter res malas ideoq; de illa non esse suniendam luctus causam. Vel si hac uia nihil efficitur, docent malum, propter quod lugetur, uel non esse magnum, uel non nouum & insolens, nec priuatum, sed commune & humanum, humana uerò leuiter esse ferenda. Omnia hæc externè uerbis ingeruntur, & plerunq; parum uel certè nihil efficiunt. Verum hic alia promittitur consolatio, quæ non rhetoricis constructa sit argumentis, sed quæ diuinitus adferatur.

Ea uerò duplex est. Vna qua in hac uita mentes credentium dulcedine spiritus sancti in Christo pacantur, quàm Apostolus gaudium uocat in spiritu sancto. Hæc consolatio mirabili modo in medijs aduersis administratur, ita ut in tribulationibus constituti suauitatem hanc diuinæ consolationis experiantur pij. Sic Apostoli ibant
Act. 4. gaudentes à conspectu concilij, in quo & probra & uer-
Rom. 5. bera pro Christo passi fuerant. Et Rom. 5. Sed & gloriamur, inquit, in tribulationibus. Et Ebr. 10. Rapi-
Ebr. 10.

nam bonorum uestrorum cum gaudio sustinuistis. De hac consolatione est illud 2. Corinth. 1. Deus totius con- 1. Cor. 1.
solationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus & ipsi consolari eos, qui in pressura sunt, per consolationem qua nos ipsos consolatur Deus. Quoniam sicut abundant afflictiones Christi in nobis, ita per Christum abundat & consolatio nostra. Sic adimpletur in fidelibus Christi quod à Dauide dictum est. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde
meo consolationis tuæ lætificauerunt animam meam. Psal. 94.
Huc etiam referri potest ea consolatio, quæ prædicatione remissionis peccatorum per Euangelium Christi offertur pœnitentibus. De illa est locus Esa. 61. Vt Esa. 1.
consolarer omnes lugentes.

Altera consolatio est, quæ reseruatur in futuram uitam, cuius nullus erit unquàm finis. De hac loquitur
Apostolus 2. Thessalon. 2. cum dicit: Ipse uerò Do- 2. Thess. 2.
minus noster, Iesus Christus, Deus ac pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam per gratiam, &c. Hanc intelligebat Abraham ad diuitem, dicens: Nunc hic consolatur, tu uerò cruciaris. Lucæ 16. Et hæc consolatio non ut prior in rebus aduersis administratur, sed in summa & absoluta felicitate, ubi nullus amplius rebus tristibus locus esse potest. Absterget ibi Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, &c.

Expendenda est hoc loco antithesis, quam Lucas Lucæ 6.
ponit: Væ uobis, inquit Christus, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Non loquitur simpliciter de risu oris, sed de gaudio & lætitia mundi huius in rebus prosperis. De illis uidelicet loquitur, quibus in hoc seculo omnia pro animi sententia succedunt, qui delitias huius seculi uenantur, nec in laboribus hominum sunt, nec cum hominibus flagellantur, qui pro nomine Dei, & ueritatis causa nihil patiuntur, nullam Dei rationem habent, imò res diuinas, & negocium regni Dei rident, dum pij illius nomine lugentes exploduntur, abijciuntur, probris afficiuntur, & neci traduntur.

Damnatur ergo hac Christi sententia gaudium filiorum huius seculi, quod præterquam quod uerum non est, sed uanum, nec certum ac firmum, sed incertum & instabile, etiam hoc in se malum habet, quod tandem in luctum mutatur, eumq; non temporarium aliquem, & mediocrem, qui consolationis capax sit, & spe rerum meliorum mitigari possit, sed qui & maximus, & deploratus, nullo sit unquàm fine terminandus, Iob 21. Ducunt inquit, in bonis dies suos, & in puncto ad inferos descendunt. Et Christus illis dat, quod ignis eorum non sit extinguendus, & uermis non moriturus.

Cogitemus hic qui Christi, hoc est, cœlestis conuersationis, professione censemur, quàm non deceat nos uana huius mundi gaudia sectari, cum mundo isti debeamus esse crucifixi ac mortui, præsertim nouissimis istis, & omnium corruptissimis temporibus, in quibus plerique boni uel pereunt fame, uel opprimuntur tyrannicè, uel errant seducti miserè, uel zelo per ignorantiam ueritati Christi repugnant, in quibus pessimi quiq; tripudiant & exultant, in quibus flagitiosissimè in om-

nem impietatem proruitur, & impune peccatur, in quibus uera pietas proſtrata iacet, & impiorum pedibus conculcatur, ueritas eiecta exulat, & loco illius portentoſa mendacia miſeræ Chriſti plebeculæ obtruduntur. Quis piorum in his rerum turbinibus ridebit, etiamſi mundi huius gaudiũ non ſit perpetuus excepturus luctus?

Beati mites, quoniam ipſi hæreditatem accipient terræ.

Apparet Chriſtum ſeſe ſcripturis prophetarum in iſtis accommodare exclamationibus, ne nouum quid & inſolens inferre uideatur, ſicut & infrà prophetarum mentionem faciet. Quæ ſupra de pauperibus ac lugentibus dixit ex Eſaia deſumpta uidentur. Quæ hic de mitibus meminit, abſq; ulla controuerſia, ex Pſalmo ſunt triceſimoſeptimo, ubi ad uerbum iſta leguntur. ענוים ירשו ארץ id eſt. Et manſueti hæreditatem accipient terræ. Non autem loquitur de alijs, quàm de credentibus, quorum ingenium eſt haudquaquàm ferox, aut uindictæ cupidum, ſed mite, tractabile, manſuetum ac lene, facile condonans omnem iniuriam, odio habens iurgia & contentiones, paratum ad cedendum cuilibet, malens animo tranquillo omnia committere Domino, quàm lite aliqua ius proprium perſequi. Exemplum huius perfectum & abſolutum eſt in Chriſto ſeruatore noſtro, qui dicit: Diſcite à me, quoniam mitis ſum, & humilis corde. Qui huiuſmodi ſunt, omnia facillimè Deo committunt, & quicquid accidat, gratias agunt, Deoq; benedicunt. Et hoc eſt, quod eodem Pſalmo legitur: Expectantes Dominum, hæreditate poſſidebunt terram. Item: Benedicentes Domino, hæreditabunt terram. Item: Iuſti hæreditatem accipient terræ, quibus omnibus, & quæ infrà ſubijcientur, Chriſto credentium ingenium deſcribitur, celebratur, ac prædicatur.

Non eſt autem ſpiritus ille manſuetudinis eo trahendus, ut in rebus diuinam gloriam concernentibus arbitrandum ſit eodem modo agendum eſſe pijs, quo in rebus temporarijs ac priuatis. Nam hic Moſes omnium mitiſſimus, in ulciſcenda populi idololatria ſeueriſſimus apparuit. Et Chriſtus ipſe, quo abſq; dubio nemo unquàm inuẽtus eſt mãſuetior, prophanationẽ domus dei magno zelo & ſingulari ſæueritate ultus eſt. At hodie uidemus diuerſum. In rebus priuatis & terrenis ſæueri exactores, in rebus uerò diuinis prorſus remiſſi ſumus.

Quoniam ipſi hæreditatem accipient terræ.) Non loquitur de terrenæ cuiuſdam ditionis poſſeſſione, quam mites ſint hæreditario accepturi, ſed conſueta ſcripturæ loquutione ſignificat mites, ac manſuetos fideles tam non poſſe lædi ac bonis diuinitus deſtinatis improborum maliciæ cedendo, et condonando priuari, ut illi ipſi ſint terræ hæredes, id eſt, omnium domini futuri utut in hoc ſeculo nihil uideantur poſſidere, imò rebus ſuis per malorum calumnias ſpoliari. Tanquàm nihil habentes, inquit Apoſtolus, et omnia poſſidentes, tanquàm egentes, & tamen alios locupletantes.

Pugnat hæc ſententia iudicio rationis. Nam qui colligendis opibus ſtudent, longè aliter ſunt animati. Arbitrantur illi non eſſe certiorem ad penuriam, Viam quam ſi pacis gratia manſuetudinem ſeruare debeant, ſi cuius fraude circumueniantur, uel ſi quiſquàm ui & iniuria res ipſorum inuaſerit. Non cedendo, condonando, ferendo, omnemq; iniuriam Deo committendo, ſed acceptã iniuriã ulciſcendo, nihil de iure proprio cedendo, iurgando, litigando, & quauis ratione quodcunq; compendium perſequendo, opes accumulari, & ditiones terrenas acquiri iudicat humana ratio. Verũ longè diuerſum prædicat hæc Chriſti ſententia. Quod igitur qui multa in hoc ſeculo poſſident, uidẽtur hæredes eſſe terræ, ac Domini quidam: pauperes uerò ac præanimi manſuetudine nullas non iniurias ferentes, miſeri, inopes ac ſpoliati, non eſt niſi inanis quædam larua. Diues enim eſt, qui regni cœlorum ciuis ac hæres eſt. Is omnia habet, tametſi mundo uideatur pauperrimus. Omnium hæres eſt, etiamſi ab omnibus pellatur, & explodatur. Rurſus, qui regni cœlorum ciuis non eſt, qui omnia rapit, poſſidet ac mordicus tenet, tuetur, ac defendit, quoniam in Deo diues non eſt, reuera omnium pauperrimus eſt. Quid enim prodeſt homini, etiamſi mundum lucretur uniuerſum, ſi animæ ſuæ detrimentum faciat?

Beati qui eſuriunt ac ſitiunt iuſtitiam quoniam ipſi ſaturabuntur.

In Luca ſimpliciter legitur. Beati, qui eſuritis nunc, quia ſaturabimini. Et in antitheſi. Væ uobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis. Videntur iſta propè ad locum Eſaiæ cap. 65. reſpicere, ubi ſic legimus: Ecce ſerui mei comedent, uos autem eſurietis, ecce ſerui mei bibent, uos autem ſitietis. Exemplum huius in diuite & Lazaro delineatum eſt. Non quod in futura uita beati eſurient, ac bibituri more huius ſeculi, ſed ita ſignificata eſt illinc fidelium felicitas, quibus omnia uerè beata ac ſecunda pro ratione & conditione futuri ſeculi, & hinc infidelium calamitas & miſeria, quibus omnia prorſus infauſta ſunt obuentura.

Et hoc ſenſu uidetur Dominus futuram ſuorum eſuriem uoluiſſe ſolari, & infidelium ſaturitatem condemnare. Quid autem huius acciderit diſcipulis Chriſti, Apoſtolus ſatis innuit, cum dicit: Vſq; in hanc horam, & eſurimus & ſitimus, & nudi ſumus & algemus. Item 2. Corinth. 11. In labore, inquit, ærumna, uigilijs multis, in fame & ſiti, & ieiunijs multis. Et infrà cap. 25. Chriſtus ipſe in fine mundi dicturum ſe prædixit: Eſuriui, & dediſtis mihi cibum, ſitiui, & potaſtis me. 1. Cor. 4. 2. Cor. 11.

Quid eſt autem quod hic noſter dicit: Beati qui eſuriunt ac ſitiunt iuſtitiam? Quidam exponunt de ijs, qui ſenſu peccatorum preſſi, cupiant illis liberari, ac iuſtè uiuere. Iſti iuſtitiæ eſuriei, ſatisfacit fides in Chriſtum, quæ pro iuſtitia imputatur. Rom. 4. Videtur tamen, ſi Lucam & hunc noſtrũ coniungamus, de illis eſſe magis intelligendum hunc locum qui iniuria preſſi, non poſſunt in hoc ſeculo, quod iuſtum eſt obtinere: propterea quod Chriſtiani ſunt, qui uidelicet pro fide Chriſti malorum calumnijs obnoxij redduntur, ſpoliantur, & enecantur, dum non eſt, qui innocentes tueatur, & malorum libidini eripiat. Condemnantur hæreſeos

& hoc

& hoc nomine opprimuntur, dum iustitia illorum mundo isti est incognita. Ita iustitiam esurierunt ac sitierunt ante Christum prophetæ ab impijs occisi. Christus ipse, & uniuersa martyrum, cum illorum, tum nostrorum quoq; temporum, multitudo, qui omnes innocenter oppressi animas suas iusto iudici commendarunt. Illi saturabuntur, eo uidelicet die, quo omnia occulta manifestabuntur, & omnia in iudicium trahentur. Hic prodibit quasi lumen iustitia eorum, & iudicium eorum tanquàm meridies. De hoc iudicij die intelligit cum dicit: Quoniam saturabuntur. Psalm. 37.

Proinde sit hæc sententia consolationis loco, quotiescunq; uel ipsi pro fide Christi, & causa ueritatis opprimimur, uel loco iustitiæ regnantem iniustitiam fratres nostros iniuste opprimere uidemus, adeoq; iustitiam esurimus ac sitimus, scientes olim futurum, ut unicuiq; propria sit responsura iustitia, & manifestum futurum, quicquid in hoc seculo tenebris obuolutum contegitur. Sed quæso, quid accidet illis, quorum culpa innocentum iustitia opprimitur in hoc seculo, quando nunc iustitiam esurientes ac sitientes, in die extremi iudicij abunde & cumulatè saturabuntur? Quis diei illius angustias, quas impij iudices, magistratus ac tyranni eluescente innocentum, & Christo credentium iustitia patientur, satis expresserit? Vt enim isti felicissimi, ita illi omnium infelicissimi comparebunt. Vt istorum immensa erit gloria, ita illorum incredibilis erit confusio & ignominia.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Ita comparati sunt credentes in Christum, ut pro ingenio patris, è cuius sunt spiritu regenerati miseris condoleant, præsertim cum & ipsi adflicti sint, & uarijs modis tribulati, ut etiam ex suis ipsorum adflictionibus hanc mentem concipiant, ut faciles sint ad misericordiam, & compatiendum adflictis. Videmus eos qui in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur, ut in Psalmo est, plerunq; arrogantes, inhumanos, immites & omni misericordiæ affectu destitutos esse. Ita dues ille Euangelicus, quia famis ignorabat miseriam, esurienti Lazaro nihil impendebat misericordiæ. Sed quare beati uocantur misericordes, cũ sint bis miseri. Neq; enim propria duntaxat, sed & aliena adficiuntur & contristantur miseria. Hinc est quod Stoici sapientibus omnem misericordiam ademerunt, quasi beati esse nequeant, si uel aliena, uel propria miseria adficiantur. Esse autẽ sapientes beatos, ideoq; fieri non posse, ut in illos cadat misericordiæ affectus, tradiderunt, imò magis ineptierunt. Quoniam, inquit, misericordiam consequentur. Hæc est ratio, ob quam beati sunt misericordes, quam ignorarunt Stoici.

OBSER.

De misericordia dicetur infrà cap. 9. Ibi: Discite, quid sit, misericordiam uolo, & non sacrificium. Quod ad hunc locum attinet, notandum est, quod dicit: Quoniam ipsi misericordiam consequentur. Ergo credentes & misericordes ideò beati sunt, quod misericordiam sunt consequuturi. Alioqui in se & ipsi sunt miseri. Nisi enim miseri essent, misericordiæ capaces non essent. Quod igitur saluamur non est meriti nostri, sed gratiæ & misericordiæ diuinæ. Misericordia diuina est, quod per Christum uisitati ac saluati sumus. Sic Lucæ. 1. Per uiscera misericordiæ uisitauit nos Deus. Et Tit. ult. Secundum misericordiam suam saluos nos fecit. Deinde & hoc notandum est, quamuis in miseris locum habeat misericordia, ut uideatur ad illius consequutionem satis esse, si miseri fuerimus, nisi tamen misericordes fuerimus erga adflictos, fieri non posse, ut misericordiam Dei consequamur. Nam ea est talionis lex, ut idem quisque patiatur, quod erga alios committit. Et adeo est æqua lex ista, ut nemo sit mortalium, qui non iudicet omnium esse iustissimum, ut qui nulla est erga miseros misericordia, nullam etiam ipse in adflictionibus misericordiam consequatur.

Quid igitur hinc aliud concludemus, quàm omnem illam gratiam regni Christi per sanguinem Christi partam, qua sola saluamur & beati reddimur, negari illis, qui sunt erga adflictos immisericordes. Videamus nunc quid in Christianismo sperandum nobis sit, si ut pleriq; cœpimus, istam immisericordiam erga fratres nostros retinere uoluerimus. Quomodo gloriabimur de fide iustificante ac saluante, omni misericordiæ affectu destituti, duri, immites, & inhumani?

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt.

Loquitur de ijsdem, hoc est, in se credentibus. Illi ut sunt mites & misericordes, ita sunt etiam mundo corde. Est autem cordis mundicia primum omnimoda innocentia ab omni peccati labe aliena. De hac est illud Iob 14. Quis potest facere mundum de immũdo conceptum semine? Et Prouerb. 20. Quis potest dicere, mundum est cor meum? Hanc cordis munditiem, nemo mortalium, donec in hac uita sumus, consequitur. Optabat eam Dauid, dicens: Cor mundum crea in me Deus. Credentium corda fide quidem purificantur, sed primum ita, ut fides illis pro iustitia imputetur, deinde & reliqua cordis impuritas per gratiam & sanguinem Christi condonetur, reipsa tamen, donec in carne sunt nunquàm perfectam cordis mundiciam consequuntur. De hac non loquitur hic Christus. Loquitur enim non mortuis, sed discipulis suis adhuc in carne peccatrice uiuentibus. Deinde cordis mundicia est candor ille cordis synceri ac integri, cuius simplicitati duplicitas illa, profunditas ac uersutia opponitur, quam scriptura multis locis reprehendit. De hac mundicia, id est, integritate, ac syncritate cordis, quam credentes habent, loquitur hoc loco Christus, tribuitq; illam suis. Hanc intelligit etiam propheta Psalmo 24. cum dicit: Innocens manibus & mundo corde. Et Psalm. 17. Probasti Domine cor meum, & uisitasti nocte igne, me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. Quibus uerbis de innocẽtia sua quam Saul oppugnabat, loquitur. Dicit itaq;: Beati mundo corde, hoc est: Beati reuera sunt, qui simplici, sincero, & candido animo sese mihi coniungũt, & ueritatis Actor. 15.

doctrinam absq; ulla malitiosi cordis uersutia amplectuntur. Damnantur hac sententia uersuti, callidi, iuxta seculum prudentes & cauti cunctatores ac tergiuersatores, quorum corda ut profunda sunt ac subdola, ita & de ueritatis doctrina siniſtre ac peruerse sentiunt ac iudicant. At discipuli Christi diuerso plane ingenio mox oblatam ueritatis doctrinam amplexi, testati sunt se nihil de illa suspicari siniſtri. Talis erat & Nathanaël, de quo Christus dicebat: Ecce uere Israëlita, in quo dolus non est.

Sed quæso quomodo hoc genus hominum beatum uocat, cum ut est simplex & incautum, ita nihil mali suspicatur, & omnium facillime decipitur? ἀφύλακτον, inquit ille, ἡ ἁπλότης, καὶ ἥκιστα κακίαν ὑφορᾶται τὸ κακίας ἐλεύθερον. Nam ut quisq; animatus est, ita & de alijs uel bene uel male sentit. Quomodo ergo beati dicuntur, qui omnium sunt dolis expositi? Rationem huius reddit, cum dicit:

Quoniam ipsi Deum uidebunt.) Sunt hic tria expendenda. Vnum, de qua uisione Dei Christus loquatur. Alterum, quare mundis corde detur, quod Deũ sint uisuri. Tertium, Quare beati sint Deum uidentes.

DE QVA VISIONE DEI CHRISTVS loquatur.

Quoniam Deus spiritus est & inuisibilis, impossibile est, ut ab hominibus uideatur. Hinc sunt illa: Non uidebit me homo & uiuet. Et Iohan. 1. Deum nemo uidit unquàm. Et 1. Iohan. 4. Nemo uidit Deum. Et 1. Timoth. 1. Regi autem seculorum immortali, & inuisibili. Et 1. Timoth. 6. Quem nemo hominum uidit, sed nec uidere potest. Hæc omnia de essentia Dei sunt intelligenda. Quando uerò de quibusdam legitur, quod deum uiderint, intelligendum est de apparitionibus Dei, per quas se quibus uoluit, & ut uoluit manifestauit, formis quas uoluntas elegit, non quas natura formauerit.

Exod. 33. Iohan. 1. 1. Ioh. 4. 1. Timot. 1. 1. Timot. 6

Relinquitur ergo quod ad hanc præsentem uitam attinet, uisionem Dei pro cognitione illius accipiendam esse. Neq; enim alijs quam mentis oculis conspicitur. At uisus mentis, intellectus est, & cognitio rerum inuisibilium. Deinde cognitionem hanc Dei, non referri ad essentiam Dei, cum hac parte sit incomprehensibilis, sed ad illius mentem ac uoluntatem, necq; id in uniuersum per omnia, sed quomodo sit erga nos affectus, quæ sit illius erga nos in Christo filio suo uoluntas, à condito mundo abscondita. De futura uita, nolim anxiè disputari de modo uidendi Deum. Sunt qui arbitrantur uisuros nos esse Deum corporeis oculis, contra quos Augustinus multis argumentis dimicat. Sunt qui mentis tantum oculis hanc felicitatem tribuant. Nobis arbitror hoc unice curandum, ut per gratiam Christi mundi corde simus, & sanctimoniam custodiamus, sine qua nemo Deum uidere poterit. Etenim omnis, inquit Iohannes, qui hanc spem habet, seipsum mundat, sicut & ipse mundus est. De modo uidendi Deum in futura uita ipsa nos docebit experientia, modo in hac uita solliciti simus de cognitione diuinæ uoluntatis.

Ebr. 12. 1. Iohan. 3.

QVARE MVNDIS CORDE DETVR quod uisuri sint Deum.

Potest huius duplex assignari ratio. Prima, quod ita placitum sit Deo. Hanc Christus ipse assignat Mathæi 11. dicens: Confiteor tibi pater Domine cœli ac terræ, quod absconderis hæc à sapientibus ac prudentibus, & reuelaris ea paruulis. Ita pater. Quoniam sic placitum fuit ante te. Et nemo nouit patrem nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. At isti paruuli ipsi sunt mundi corde.

Altera, quod hoc genus hominum, ut simplex est & candidum, ita simplici ac syncero animo ad apprehendendam Christi cognitionem accedit, ad hoc intentum, ut doctrinam ueritatis cognoscat, & uoluntati Dei studeat. Sic Christus Iohan. 7. dicit: Qui uoluerit facere uoluntatem patris mei, ille intelliget de doctrina mea, quod ex Deo sit, quasi dicat. Quod pharisæi, scribæ, & seniores, doctrinam meam non agnoscunt, non est aliunde, quàm ex eo, quod non audiunt eam corde mundo & syncero, hoc est, diuinæ uoluntatis cognoscendæ cupido. Iam qui Christum cognoscit, quod doctrina eius ex Deo sit, is utiq; & uolũtatem Dei patris cognoscit. Qui uidet me, inquit, uidet & patrem meum. Est enim Christus imago Dei inuisibilis, id est, expressa quædam diuinæ uoluntatis facies. Cum itaq; nemo Deum uideat, nisi in Christo, & Christi cognitio non nisi à simplicibus, syncers & mundis corde accipiatur, quorum studium est, ut diuinæ obediant uoluntati: consequens est, secundum hanc Christi sequentiam, solis illis hoc dari gratiæ, ut Deũ uideãt. Nemo igitur miretur, qui fiat, quod tam sunt perpetuo pauci, qui Christum, & per Christum Deum patrem reuera uideant & cognoscant. Sunt quidem qui ore se Deum cognoscere fateantur, factis uerò idipsum negant. At qui uerè Deum uideant, & cognoscant quis non uidet esse paucissimos? Causa est, quod paucissimi sunt, de quibus hoc dici queat, quod mundi sint corde, quod ueritati cognoscendæ ac seruandæ diuinæ uoluntati syncero, & candido animo studeant. Etiam illorum, qui frequentes sunt in concionibus Euangelicis, quotus quisq; est, qui animo ad audiendum, discendum, & obediendum ueniat simplici, candido, syncero, ac mundo? Alius ex consuetudine, alius ex curiositate, alius fallendi temporis gratia: quidam etiam per hypocrisim, ut uideantur quod non sunt, nonnulli ut alijs gratificentur, pleriq; hoc animo ueniunt, ut externo hoc cultu Deo satisfaciant, sicuti in Papatu uisitari solent Ecclesiæ, & audiri boantium catilenæ ac missæ. Non desunt, qui etiam Coryphæos agant in rebus fidei, salutem mortalium concernentibus, ita ut uix decimus bono, simplici, & mundo animo adsit, hoc tantum quærens, ut de uoluntate Dei cognoscenda reddatur instructior.

Iohan. 14.

QVARE BEATI SINT DEVM uidentes.

Si ad uisionem illam referas qua Deum, sicuti Iohannes ait:

ait: Videbimus in futura ulta ſicuti eſt, & ſicut Paulus facie ad faciem, in promptu cauſa eſt, cur qui ita Deum ſunt uiſuri, beati dicantur. Nam ea uiſio, ſine uera ac ſempiterna felicitate eſſe non poterit.

Si uerò ad eam referas, quæ datur in hac uita credentibus, arbitror non eſſe certiorem cauſam cur deum cognoſcentes beati dicantur, quàm quod cognitio Dei fons eſt & origo omnis pietatis, ſicuti ignorantia illius omnis impietatis cauſam habet. Quis enim Deo fidet, quis in illum ſperabit, quis inuocabit, quis obſeruabit, quis colet, quis diliget, niſi illum cognoſcat? Vt rectè Iohan. 7. Chriſtus dixerit: Hæc eſt uita æterna, ut cognoſcant te Deum patrem, & quem miſiſti, &c.

Quanta uerò futura ſit diuinæ uiſionis felicitas, nemo mortalium ſatis expenderit, quando quidem in cor hominis non aſcendit, nec oculus quiſquàm uidit, nec auris audiuit, quanta ſint illa bona, quæ Deus diligentibus ſe parauit. 2. Par. 9. Omnes reges terræ deſiderabant uidere faciem Salomonis. Et 1. Reg. 10. Regina Saba dicebat ad Salomonem: Beati ſunt uiri tui, & beati ſerui tui, qui hic ſtant ante faciem tuam ſemper, et audiunt ſapientiam tuam. At quæſo, quantæ felicitatis eſt, non hominis alicuius, ſed ipſam Dei faciem uidere? Pſalm. 42. dicebat Dauid: Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitit anima mea ad Deum fontem uiuum, quando ueniam & apparebo ante faciem Dei? Atqui quod hic Dauid uocat faciem Dei, erat arca teſtamenti, figura tantum cœleſtis uiſionis. Quo nobis deſiderio optandum eſt, ut reuelata facie diuina uiſione potiamur? Angelorũ felicitas plurimi æſtimatur. Et merito. At noſtra minor non erit. Nam unde illi iam beati ſunt, inde beati erimus & nos. Angeli eorum inquit, uidẽt faciem patris, qui in cœlis eſt. Hæc eſt ipſorum felicitas, eadem & noſtra.

Beati pacifici, quoniam ij filij Dei uocabuntur.

Quoniam pacis genus duplex eſt, cum Deo unum, cum hominibus alterum, fit ut hic locus bifariam exponatur. Qui de pace cum Deo, quæ per Chriſtum eſt, intelligunt, ſentiunt hanc ſententiam pertinere ad prædicationem Euangelij, quæ prædicatio eſt pacis. Rom. 10. de qua & infrà Chriſtus cap. 10. diſcipulis ſuis mandat, ut hanc ijs qui digni ſint offerant. Hoc ſenſu prædicatores Euangelij ſunt εἰρηνοποιοὶ facientes pacem inter Deum, & eos qui per pœnitentiam & fidem ad Deum conuertuntur, & reconciliantur. Sic Paulus 2. Corinth. 5. Quoniam Deus inquit, erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis uerbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquàm Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo. Hæc ille. Iſti εἰρηνοποιοὶ quid aliud faciunt, quàm quod annunciant orbi ſublatas eſſe inimicitias, quæ inter Deum & genus humanum per Adamum introductæ fuerant: ideoq; quoſuis hortantur ad amplectendum iſtam reconciliationem cum Deo per ſanguinem Chriſti partam?

Pacificatores iſtos mundus tam non agnoſcit, ut magis eos pro inimicis ac turbatoribus publicæ pacis, quàm pro pacificatoribus habeat. Ignorat enim pacem Chriſti, nec aliam curat, quàm terrenam. At iſta plerunq; prædicatione cœleſtis pacis turbatur, ita ut etiam inter domeſticos inimicitiæ, & diſſidia excitentur, de quo eſt illud Chriſti infrà 10. Nolite arbitrari quod uenerim pacem mittere in terram. Non ueni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici eius. Iſta fiunt culpa non eorum qui reconciliationem & pacem cum Deo ineundam prædicant, ſed eorum qui prædicationem hanc reijciunt, deteſtantur, & impugnant, & huius gratia electos perſequuntur, qui inter mortales haud aliter ſunt, quàm ut eſt nitrum in puluere bombardico, qui ex carbonibus contuſis, ſulphure & nitro confectus eſt. Vt enim nitrum uel ad tenuiſſimum ignis contactum irritatur, & tumultum mouet, ita ut non ſolum globo, ſed nec ſulphuri, nec carbonum puluerì parcat, utut illis coniunctiſſimum uideatur, ita impij ac reprobi, ad auditum Euangelij, imò plerunq; citra auditum, mox inſaniunt ac ita ferociunt, ut ne cognatiſſimis quidem, & coniunctiſſimis parcant. Pacis cupidi & ſtudioſi ſunt credẽtes quantum eſt in ipſis. Quod autem filij huius ſeculi uiam pacis ignorant, & oppugnandæ ueritatis gratia iura ac fœdera ſocietatis humanæ infringunt, & beſtijs quoq; truculentiores fiũt iſti pro uoluntate Dei ferre coguntur, cum nullam horum cauſam dederint, niſi quod ueritatem Dei, quam agnoſcunt & amant, cupidè ſunt amplexi.

Rectè ergo Chriſtus conſolandi gratia diſcipulos ſuos honeſtiſſimo iſto titulo ornat, ut uocet eos pacificatores, contra ſententiam & iudicium mundi huius. Nam alioqui pijs ſupra modum graue eſt, ſi audire cogantur, quod ſint publicæ pacis, & humanæ ſocietatis corruptores, & intolerabiles hoſtes, cum reuera filij ſint pacis, & diſſidia deteſtentur ex animo, & aduerſarij ueritatis ipſiſſimi ſint pacis hoſtes ac turbatores, ut idem accidat hic, quod Ieremiæ & pſeudoprophetis accidit. Pſeudoprophetæ habebantur pro pacificatoribus. Prædicabant enim impijs ac impœnitentibus pacem, clamantes: Pax pax, cum non eſt illis pax à Domino. Ieremias uerò prædicans ultionem à Domino, & corripiens populi impietatem, habebatur pro uiro diſcordiæ & rixæ. Hac de re conqueſtus eſt capite 15. dicens: Væ mihi mater mea. Quare genuiſti me uirum rixæ ac diſcordiæ in uniuerſa terra. Non fœneraui, nec fœnerauit mihi quiſquam, & tamen omnes maledicunt mihi.

Hic ſenſus uerborũ Chriſti uidetur mihi præſenti loco conuenire. Interea tamen nõ reiecerim eam, quã uideo quoſdam de pace quæ inter homines ſeruanda, & adornanda eſt, adferre. Nam pij ita comparati ſunt, ut ſoli reuera pacis ſtudioſi, et ueri amici eſſe poſſint. Vt rectè Baſilius dixerit, τῷ ὄντι μόνοι φίλοι θεοῦ καὶ ἀλλήλοις οἱ ἅγιοι. Qui hanc ſententiam amplectitur, habet materiam & facilem, & copioſam, ut nihil opus ſit de illa admonere.

Quia

Quia filij Dei uocabuntur.) Beati sunt pacificatores Christi discipuli. Quare? Quia filij Dei uocabuntur. Certè merito beati prædicantur, qui filij Dei sunt. Facificatores autem filij Dei sunt: primum ex Deo nati, unde spiritum pacis biberunt, deinde & per imitationem. Vt enim Deus non dissidiorum, sed pacis Deus est, ita isti, pacis sunt non dissidiorum amantes, ingenium Dei exprimentes. Contra, qui iurgia & lites amant, ut ex diabolo sunt, ita & diaboli ingenium referunt. Inter hos malitiosissimi sunt, qui Euangelium pacis impugnant, & pacificatores Christi ministros illius gratia persequuntur, homines omnium miserrimi & infelicissimi.

Felicitatis huius, admoneamur quoties orando dicimus: Pater noster qui es in cœlis. Nam si pater noster est, quid relinquitur quàm ut hæredes illius simus, & cohæredes Christi unigeniti eius. Vide Rom. 8.

Quid est autem quod non dicit: Quoniam filij Dei sunt. Sed: Quoniam filij Dei uocabuntur? An non beatius est ac pluris esse, quàm uocari filium Dei? Deinde potest uocari filius Dei, qui nihil minus est, quàm filius Dei. Qui uerò filius Dei est, uerè beatus est, etiamsi non uocetur filius Dei, imò si uocetur etiam filius diaboli. Mundus non agnoscit filios Dei. Quid igitur obest 1. Ioh. 3. filijs Dei, si à mundo uocentur filij diaboli? Et rursus quid emolumenti adfert filijs diaboli, si à mundo uocentur filij Dei?

Proinde necesse est Christum hic loqui non de eo, quid à mundo uocentur pacificatores isti, sed quid uocentur à credentibus, ueram pacem agnoscentibus & amplexantibus. Vel certe quid Deo ipsi uocentur. Vocari filium Dei, est agnosci & haberi pro filio Dei. Siue id fiat à Deo ipso, siue ab illis, qui spiritu Dei præditi, filios Dei uerè agnoscunt, certam habet æternæ felicitatis consolationem.

Videtur autem Christus hic discipulis suis consolandi gratia futurum prædicere, ut licet à mundo habendi sint pro turbatoribus pacis & publicæ tranquillitatis, ideoq; & pro filijs diaboli, non tamen desore pios, qui ministerium pacis ac reconciliationis sint agnituri, & ita cupide amplexuri, ut huius eos nomine sint haud aliter ueneraturi, quàm ut filios Dei suscipere ac uenerari conuenit.

Beati qui persequutionem patiuntur propter iusticiam, quoniam illorum est regnum cœlorum.

Solenne est filijs huius seculi, ut pios persequantur. Ingenium hoc prauum innumeris ab initio mundi declaratum est exemplis. Quoniam igitur futurum sciebat, ut in se credentes, præsertim pacificatores, id est, qui Euangelium pacis mundo essent annunciaturi, de quibus iam meminit, persecutionum procellis in hoc seculo iactarentur, quod & illis infrà cap. 10. disertis uerbis prædixit: ideò iam consequenter hac eos sententia contra futuras persequutiones præmunit. Persequutio est, pertinax ad perdendum insectatio, qua nullus datur quieti ac securitati locus, sed quouis genere cum uiolentiæ, tum insidiarum innocentis perditio quæritur. Est itaq; non simplex quædam ac momentanea iniuria, sed talis insectatio discipulis à Christo prædicta, quæ non sit habitura finem, nisi intercedente morte, si diuina prouidentia permittat.

Addit, propter iustitiam. Alioqui miseri sunt, & infelices, qui propter iniusticiam adfliguntur, quod non est Christianorum, sed reproborum. Christianorum est usq; adeò studere iustitiæ ac pietati, ut huius gratia potius sustineant in quæuis abijci pericula, quàm ab eo quod iustum est, uel latum unguem cedere. Quid est enim aliud persequutionem pati propter iustitiam, quàm nolle uiam iustitiæ deserere, etiamsi propter illam sit periclitandum? Inuenias qui doctrinam iustitiæ, ac pietatis primum studiosè amplexentur, uerum ubi propter illam molestiæ aliquid subeundum est, confestim retrocedant. Hi sunt temporarij illi de quibus est infrà capite 13. in parabola seminantis. Nihil est igitur aliud persequutionem pati propter iustitiam, quàm in studio iustitiæ radicatum & immotum ad finem usq; perseuerare, ita ut ab eo nullis queas aduersis auelli, nec ullis pollicitis auocari.

De persequutione plurimum gloriantur hæretici, quasi mox hæc Christi sententia ad eos pertineat, qui persequutionem patiuntur, ut eorum sit regnum cœlorum hoc nomine, quod persequutionem sustinent. Nec referat, qua illam causa, & quo animo sustineant, & statim sit impius, qui persequutionem infert, nec intersit hic quicquàm quàm id iuste uel iniuste faciat, cum ipse propheta Dauid glorietur etiam se persequutum esse hostes suos, nec conuersum, nisi illis interemptis, Psal. 18. Ergo Dauid impius, quia persequutor, & hostes illius pij ac beati, quia persequutionem passi? Absit Dauid non minus pius erat persequendo impios populi Dei hostes, quàm persequutionem à Saule illatum propter iusticiam ferendo. Et Sarah sancta erat, etiam iudicio Dei defensa, ubi Agar ancillam insolescentem merito adfligebat, & domo eijciebat. Verum hoc interest inter persequutionem quam inferunt pij malis, & quam mali inferunt pijs. Mali bonos primum persequuntur immeritos & iniustè, deinde animo etiam perdendi. Rursus. Pij persequuntur malos, primũ iustè ac merito, deinde quantum fieri potest, non ut perdant, sed ut seruent uel eos ipsos quos persequuntur, uel eos, qui ab illis læde bantur, uel certe, ut gloriæ Dei, quæ à malis obscurabatur, rationem habeant. Nemo igitur toleratæ persequutionis gratia beatus est, nisi hãc propter iustitiã tulerit.

Quoniam ipsorum est regnum cœlorum.) Miserum in se est, persequutionem ferre propter iustitiam, cũ illius nomine magis cõueniat passim honorari, quàm adfligi. Cur igitur hoc genus hominũ dicit esse beatum? Quia ipsorum inquit, est regnum cœlorũ. Quamuis de hac felicitate supra dictum sit, ubi pauperes spiritu commendantur, quibus & ipsis id consolationis est datum, quod ipsorum sit regnum cœlorum, tamen, quod ad præsentem locũ attinet, notandum est, quàm appositè dicat, regnũ cœlorũ esse eorũ, qui persequutionẽ propter iustitiã patiuntur. Indicat enim consolandi gratia, ne à studio iustitiæ deficiant, in regno cœlorũ eã haberi iustitiæ

rationem

rationem, ut illius studiosi in eo pro ciuibus agnoscantur ac suscipiantur, utut in mundo hoc corrupto & peruerso adfligantur & iactentur. q. d. Ne despondeant animos, nec studium iustitiæ ponant quicunq; illius gratia persequutionem in terra patiuntur. Affirmo enim illis, talium esse regnum cœlorum, qui in hac terra propter iustitiam abijciuntur, ut nusquàm tuti sint. Hi terram hanc cœlo, & terræ huius gloriam & regnum, regno & gloria cœlorum commutant.

Beati estis cum probra iecerint in uos, & insectati fuerint, & dixerint omne malum uerbum aduersus uos, mentientes, propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces uestra multa est in cœlis. Sic enim persequuti fuerunt prophetas, qui fuerunt ante uos.

Per apostrophen iam declarat, quibus hæc omnia dixerit: nempe discipulis in se credentibus, & Euangelij gratia in hoc seculo contemptis, abiectis, & uarijs modis adflictis. q. d. Ad uos ista pertinent, ô mei discipuli. Extrudam uos prædicandum regnum Dei, ut pacem annuncietis tam ijs qui procul, quàm qui propè sunt, in quo munere multa patiemini aduersa. At nolite terreri, nolite animũ abijcere, si quando cœperitis propter me persequutionibus in hoc seculo iactari, & probris affici, imò gaudete potius. Tam abest enim, ut horum gratia sitis futuri miseri, ut magis summam sitis adepturi felicitatem.

Est autem ista apostrophe congratulatoria, magno & ardenti consideratæ futuræ felicitatis affectu prolata, cuius respectu omnino quicquid poterit fidelibus adflictionis accidere, fortiter extenuat. Hoc animo primum ea recensет, quæ molesta uidentur, & quæ in se credentes in hoc seculo passuri erant. Cum probra inquit, iecerint in uos, deinde & insectati fuerint, ad hæc, & omne malum uerbum aduersum uos dixerint, non simpliciter dicit, & conuitijs uos affecerint, sed: Et quodcunq; malum uerbum aduersum uos dixerint, id est, quacunq;, etiam omnium impudentißima uos ignominia cunctis exosos ac detestabiles reddiderint hoc est, cum nec corporibus uestris, nec nomini ac famæ pepercerint, sed pro libidine ipsorum uestra, & corpora, & nomina lacerauerint, beati estis, &c.

Deinde, adiungit causam, ob quam sint beati, si ista patiantur. Nempe, quod magna eos felicitas maneat in cœlestibus. Quoniam, inquit, merces uestra multa est in cœlis. q. d. Ne contristemini, si quid meo nomine, quod acerbum sit, passi fueritis. Non solum nihil amittetis, sed quæ alioqui reliquenda sunt aliquando inenarrabili cum fœnore cœlestibus bonis commutabitis. Negociationem facietis non iacturam. Notandum autem est, quas hic conditiones adijciat. Mentientes inquit. Ergo consolationis huius participes non sunt, qui quæ patiuntur aduersa, & probra, merito suo patiuntur. Deinde, addit, propter me. Alibi, propter regnum Dei. Item propter Euangelium regni. Inuenias qui quidem & ipsi immeritis probris lacerentur: uerum quia illa non propter regnum Dei, sed alijs de causis patiuntur, nihil ad eos pertinet hæc consolatio. Postremo, confirmat eos exemplo prophetarum. Sic enim persequuti, inquit, fuerunt prophetas, qui fuerunt ante uos. q. d. Scitis magnam esse autoritatem prophetarum, & sacrosanctam memoriam. At idem illis accidit ab hac peruersa generatione, quod uobis euenturum est. Nihil erat illis sanctius. Ad hoc ipsum mumus mittebantur ad hunc populum diuinitus, ad quod mittemini & uos: nempe, ut illi prædicarent pœnitentiam & conuersionem ad Deum. At tanta perpetuo fuit generationis huius prauitas, ut uiros ac seruos Dei ad ipsorum salutem missos, contumelijs affectos occiderint. Passi sunt hæc prophetæ ante uos, & tam abest, ut illorum gratia sint facti uel contempti, uel infelices, ut nemo sit, qui se non cupiat felicitatis ipsorum fieri participem. Ita illud, ante uos, non solum ad tempus præteritum, sed ad ipsum munus quoq; quod erat Apostolis iniungendum, referendum est, in quo prophetæ ante Apostolos laborarunt. Dat enim Christus his uerbis Iudaicæ nationi auitam quandam, & peculiarem malitiam, & obstinationem, qua perpetuo uiris Dei aduersata sit, nec unquàm disciplinam tulerit.

Ad hunc itaq; modum discipulos suos Christus, tanquàm prudens & fidelis dux ad futura certamina præparat, & ingenti consolatione præmunit, de qua sunt ista expendenda & nobis.

PRIMVM.

Cum probra, inquit, iecerint in uos, & insectati fuerint, &c. Admonemur hic, quid expectandum sit illis, qui Christum sequuntur in hoc seculo. Omnes, inquit Apostolus, qui uolunt pie uiuere in Christo Iesu, persequutionem patientur. 2. Timoth. 3. Et Christus. In mundo inquit, pressuram habebitis. Item. Si de mundo essetis, mundus quod suum esset diligeret. Iohan. 15. Et Iohan. 16. Hæc dixi uobis ne scandalizemini, & ut cum facta fuerint recordemini, quod illa uobis prædixerim. Cum ista nobis prædicta sint à Domino, oportebat more athletarum nihil cauere magis quàm corporum illam & animorum mollitiem, quæ tanto hodie inter Christianos alitur luxu. Nemo miles ad bellũ cũ delitijs uenit, nec de cubiculari umbra, & mollicie ad aciem procedit, & nos qui Christum ducem ad pugnam sequimur, si tamen sequimur, omnis generis delitijs uacamus? Socrates domi uxoris ferendo conuitia, patientiam suam firmabat, qua sciret & foris ad reproborum obsurdescere maledicta. Nos contra, nec domi, nec foris ad rerum aduersarum, ac tristium tolerantiam exercemur.

ALTERVM.

Mentientes.) Quoniam qui spiritu Christi præditi sunt, ita uiuunt, ut nequeant suo merito odio haberi, adfligi, & probris lacerari. Mundus uerò tametsi impius talis uideri non uult qui innocentes, ac ueros uerbi Dei ministros, Deiq; cultores persequatur, conuitijs lædat et occidat, quin potius, qui tales summo semper honore prosequatur, uerbo Dei credat, ac Deum colat. nec esse ut filij huius seculi, quoniam nequeunt non odisse

ac per-

ac persequi pios, pro ueris falsa crimina confingãt, quæ tanquàm causas odij ac persequutionis prætexant. Hic dicunt se non abijcere uerbum Dei, sed ferre non posse illos nescio quos rerum nouatores, pacis disturbatores, et omnis receptæ religionis diuiniq; cultus contemptores, quorum doctrina nihil sit aliud quàm quædam pertinacia, ad turbandam omnem honestatem & religionem. Sic Christus apud Pilatum accusabatur, quòd seduxisset populũ, et aduersus imperium seditiosus fuisset Et Christiani malefici, infanticidæ, factiosiq; uocabantur, qua de re apud Tertullianum. Si qua calamitas incidisset, conclamabatur contra Christianos: Ad bestias, ad bestias. Tolle sacrilegos, sceleſtos, non licet uiuere, & id genus alia acerba & probrosa.

Mendacijs huiusmodi, quorum uix modum aut numerum inuenias. Audiuimus hodie quosdam impudentißima temeritate, primum impudicitiam pariter & nequitiam suam obuelare, ut uideantur Ecclesiæ cultusq; diuini tutores, cũ ipsißimi sint Ecclesiæ, & omnis pietatis hostes, deinde sanguinem eorum, qui ueritatis Euangelicæ studiosi sunt, tyrannicæ uiolentiæ fundendum tradere. Sit ergo solatio innocentibus, quod per gratiam Dei datum est non meritis, sed immeritis probris proscindi, idq; ab eo impiorum hominum genere, qui non solum uiuunt flagitioſißimè ac spurcißimè, sed simul omnem etiam mundanæ honestatis pudorem exuerunt. Inæstimabile bonum est, testimonium bonæ & insontis conscientiæ, cuius integritatem nulla unquàm coram Deo mendacia labefactare poterunt. Loquor autem de innocentia, quæ seruata sit ad normam sanæ doctrinæ, quicquid contra hanc decernat, uel uulgaris consuetudo, uel autoritas humani iudicij. Vt exempli gratia. Qui turpißimis scortationibus polluti sunt, eam induerunt impudentiam, ut eos, qui contra humana statuta, magis Deo quàm hominibus obedientes, matrimonio sacrosancto, legitimo & immaculato iunguntur, uocent Veneris seruos. Quid contra impiam hanc calumniam faciet animus fidelis, non libidini uetitæ, sed necessitati & honestati à deo inditæ & constitutæ cedens? Solabitur seipse testimonio ueritatis, contra huiusmodi conuitia, in quibus nihil est ueri, cogitabitq; futurum olim, ut de omni uerbo ocioso, nedum tam sceleſto & impio, reddenda sit ratio.

TERTIVM.

1 Propter me inquit.) Primum, significat hic Christus, se fore instar cuiusdam signi, cui contradicendum sit in hoc mundo, iuxta uaticinium Simeonis, Lucæ 2. Satan enim mundi huius princeps, omnes ad id neruos intendit, ut Christi regnum, nomen, doctrinam, ac fidem supprimat.

2 Deinde, significat in se credentes, & præsertim regni, et Euangelij sui ministros, cõtradictionis huius fore participes. Hoc est, ob eam causam fore mundi exosos, ac detestabiles, & innumeris probris ac persequutionibus obnoxios, quod ad se pertineant, & non ad mundum. Si de mundo essetis, inquit alibi, mundus quod suũ esset, diligeret. Nunc autem quia de mundo nõ estis, sed ego elegi uos de mundo, propterea odit uos mundus. Causa igitur odij, nominis Christi est, quod nec ipse de hoc mundo est, nec quos ad se uocat, mundo sinit esse conformes. Odij huius participationem facit coniunctio illa, qua per fidem Christo adhæremus, inq; illius religionem transiuimus, præsertim, si hanc studiosius profiteamur. Nam illi demum propter Christum mundo redduntur exosi, qui plus cæteris fidem ac religionem nominis eius, & profitentur ipsi, & ad professionem hanc quosuis serio inducere conantur. Propter Christum enim aliquid pati, nihil est aliud, quàm ea pati, quæ non inferrentur, nisi Christi essemus, & hunc spiraremus & uiueremus. Quapropter illi, qui nihil habent spiritus Christi, nec religionem Christi profitentur, nullam in se habent causam, ob quam pro Christo poßint 3
adflictari, nisi forsan nominis tantum gratia quod Christi esse dicuntur.

Tertio, consyderandum est, quot modis Christum hic mundus in suis persequatur. Primum persequitur eum non ut Christum, sed ut seductorem. Sic Iudæi Christum persequuntur in fidelibus. Nolunt enim uideri hostes Christi, quem tanto desiderio expectare se simulant sciuntq; in lege ac prophetis promissum. At hunc Iesum Nazarenum crucifixum non agnoscunt pro Christo, ideoq; dum hunc detestantur, nolunt uideri tales, qui Meßiach in lege ac prophetis promissum detestentur ac spernant. Verum isti hostes Christi excusationem impietatis suæ non habent. Nisi enim uenisset, & illis loquutus esset, excusationem haberent. Iam uerò non habent. Vide Ioh. 15. Quicquid igitur Apostolis, & reliquis fidelibus in Iudæa Christianæ fidei gratia accidit, certe propter uerum Christum accidit, & illi huius gratia omnia ea perpeßi sunt. Neq; enim Iudæi illa intulissent, nec isti paßi essent, nisi Christo coniuncti fuissent. Licet enim Iudæi Christum ignoranter persequuti sint, persequutionem tamen istam credentes propter Christum, non ignoranter paßi sunt. Sciebant enim cum Apostolo, cui credidissent.

Deinde Christum mundus ut Christum in credentibus persequitur. Ita gentes incredulæ nomen Christi persequuntur. Illis nihil curæ fuit, uerus ne esset an falsus Christus. Legis enim dei ac prophetarũ erant ignari, atq; ideò absq; ulla dißimulatione nomen ac fidem Christi in credentibus: propterea quod Christi essent, uel dicerentur saltem, aperto bello persequuti sunt ac detestati. Hoc genus persequutionis apertum est & utrinq; plenum, ita ut non solum fideles hic Christi gratia probra & aduersa patiantur, sed & aduersarij ea, aperto nominis Christiani odio propterea illis inferant, quod Christi sunt.

Tertio, fit aliquando, ut qui Christi uideri uolunt, persequutionem & probra Christianis inferant, non propterea quod Christi sint, sed quod cum præsenti Ecclesia non per omnia communicant. Hoc fit aliquando per ignorantiam ac zelum, qui non est secundum scientiam: aliquando per simulationem zeli, cum uerius uel quæstus, uel proprij nominis opinio, uel studium dominandi in Ecclesia, in causa sit. Hic qui persequutionem ferunt, & probris scinduntur propter ueritatem ac syn-

ceritatem

ceritatem doctrinæ Christi, cuius studio impediuntur, ne erroribus, superstitionibus & falso cultui locũ dent, certe propter Christum adflictantur, quicquid persequutores ac cõuiciatores uel sentiant uel simulent. Hoc genus persequutionis est omnium grauissimum, propterea quod nomine Christiano tecti sunt, qui uerbi Christi studiosos persequuntur, tamq; abest, ut odium uel erga Christum uel Ecclesiam Christi profiteantur, ut etiam propter Christum & Ecclesiam se quæ faciunt facere dicant. Magni sit animi, & singulari fidei plerophoria præditus, oportet, quisquis hanc persequutionem Christiana parrhesia firmatus tolerat, nec dubitat se quæ patitur Christi gratia pati. De hac persequutione queri-

Epist. 70 tur alicubi Basilius dicens: καὶ τὸ ἔσχατον, ὅτι ὅτε οἱ κακόμοιροι ὑπὲρ πληροφορίας μαρτυρίου τὰ παθήματα δέχονται, ὅτε οἱ λαοὶ ὑπὲρ μαρτύρων τάξεως τοὺς ἀθλητὰς θεραπεύουσι, διὰ τὸ χριστιανῶν ὄνομα τοῖς διώκουσι περικεῖσθαι. Neq; enim hic aperto marte nomen Christi impetitur, et tamen studium Christi in causa est, quòd qui ueritatem amplexi sunt persequutionibus et probris iactantur. Proinde hoc loco notandum est, non solum eos propter Christum adfligi, qui propter nomen eius, uel à Iudæis uel Gentibus incredulis, sed & qui propter ueritatem Euangelij eius à Christianis, uel errantibus uel simulatoribus adfliguntur. Sed hac de re infra cap. 10. quædam notabuntur.

QVARTVM.

Beati estis. Et. Gaudete & exultate, quia merces uestra multa est in cœlo. Magnum reuera donum est, pro Christo adfligi in hoc seculo. Vitam alioqui miseram uiuimus, ut merito mundus hic uallis lachrymarum uocetur, deinde ut omnia corrupta sunt, quis est qui non sua quandoq; culpa adfligatur? Iam in hoc seculo ita uuere, ut non maliciæ cuiusdam gratia. Sed ob hoc duntaxat adfligamur, quòd Christo sumus addictiores, quis satis expenderit, quanti sit doni diuini, quantæq; dignitatis, si quis Christus sit consideres, ut recte Apostoli gaudentes à cõspectu sacerdotalis Concilij discesserint, quòd digni haberentur, qui pro Christo aduersa paterentur. Iam hic accedit etiam mercedis pollicitatio, eiusq; non uulgaris alicuius, sed magnæ, de qua quid considerandum sit, uideamus.

1 Primum, nihil determinat de mercedis huius uel substantia uel qualitate, uel quantitate, sed simpliciter dicit: Merces uestra multa est in cœlo. Mos hic eorum est, qui liberaliter & largissime, quæ impensa sibi sunt compensare uolunt, ut nihil determinent, sed simpliciter insignem & copiosam mercedem polliceantur. Contra, qui parce repensuri sunt, idq; ita, ut ultra debitum nihil faciant, horum ingenium est et mos, ut determinatum quid & certo numero, certaq; conditione comprehensum, & circumscriptum statuant. Significat ergo Christus hoc loquendi modo, copiosissimam ac liberalissimã paratam esse mercedem illis, qui propter se quid patiuntur. Et præterea tanta talisq; est hæc merces, ut etiamsi Christus illam exprimere uoluisset, cor tamen humanũ donec in hac uita est capere non posset. Magni tudo huius cogitari potest, primum ab authore Deo omnium ditissimo, largissimo ac benignissimo. Deinde ab illius proximo Christo filio Dei patri charissimo. Quicquid à patre in gratiam filij unigeniti ac dilectissimi datur maximũ et augustissimum sit oportet. Tertio, à loco, in cœlo inquit, Hic nihil est humile, nihil tenue.

Deinde quod dicit, in cœlo, spem requirit, quæ non præsentia, sed futura prospiciat. Huc pertinet quæ Apostolus 2. Cor. 4. scribit. Nam momentanea leuitas afflictionis nostræ, inquit, mire supra modum æternum gloriæ pondus parit nobis, dum non spectamus ea quæ uidentur, sed ea quæ non uidentur. Nam quæ uidentur temporaria sunt, quæ non uidentur æterna. Hic duo innuuntur, unum, mercedem hanc seruari nobis in futurum, alterum fore æternam, ob id quod & in cœlo reseruatur, & inuisibilis est, ut spe sit expectanda. Itaq; carnales homines nihil mouet mercedis huius qualiscunq; prædicatio et pollicitatio. Neq; enim ducuntur nisi primum præsentibus, ut futuris prorsus non tangantur. Sic tempore Chrysostomi dicebant: δός μοι τὸν σήμερον καὶ λάβε τὸν ἄυριον. Deinde & carnalibus ac terrenis, ut cœlestiũ rerum affectũ prorsus ignorent.

Est autem consolationis loco notandum illis qui in hac terra Christi gratia non solum persequutionibus iactantur, & probris lacerantur, sed & corpore & uita spoliantur, quod merces ipsorum nec in hanc est uitam, nec in hunc mundum, sed in futuram uitam, & in ipsum cœlum collocata, ubi contingere potest occisis etiam. Quæ nanq; in hac uita et in hoc seculo dantur et acquiruntur talia sunt, ut mortuis nihil prosint, utuntur hoc loco, qui doctrinæ fidei & gratiæ Christi, iniquiores sunt, ad defendendam operũ ac meritorũ humanorum fiduciam, quam causam aut nõ intelligũt satis, aut quæstus & proprij nominis gratia maliciose diuexant. Nos ita sentimus. Primum nemo pius negat, esse mercedem 1
bonis operibus, & patientiæ ac synceritati Christianæ repositã in cœlis. Nam de hac multi sunt scripturæ loci, è quibus hic unus est. Quibus sanè luculenter docemur futuram esse remunerationem eorum, quæ Dei nomine uel bona fiunt, uel mala feruntur. Non est enim iniustus deus, inquit Apostolus, ut obliuiscatur laboris uestri. Et Ebre. 6.
infra cap. 10. Qui dederit uni ex minimis meis potum aquæ frigidæ, Amen dico uobis, non perdet mercedem suam. Quis enim dicet eũ regem esse iustum & suorum amantem, qui nullam habeat eorum rationem à quibus colitur & amatur, & quos habet, etiamsi non perfecte per omnia, tamen aliquousq; mandatis suis obtemperantes, & à se syncera fiducia pendentes?

Deinde nemo pius negat, credentium Christo per- 2
petuũ hoc esse debere studium, ut pro nomine illius dicant, faciant, ac ferant omnia.

Tertio, neq; hoc arbitror uerè Christianũ negare, 3
neminem prorsus esse, qui (nisi nec se cognoscat, nec quid à Deo acceperit, & quid illi debeat, intelligat) uerè & ex animo dicere possit, dignum se esse ac meritum, cui mercedis loco quicquàm à Deo debeatur, & non magis, sicuti discipulos suos Christus admonuit, inutilem se seruum esse fateatur, etiamsi omnia fecerit.

1 Quid nanq; premij exigemus ab eo, cuius toti sumus quanti quanti sumus? Non estis uestri inquit Apostolus. Empti enim estis precio magno. 1. Cor. 6. Et Ro. 14. Domini sumus, siue uiuamus, siue moriamur. Nemo nostrũ
2 sibi uiuit. Deinde, qui ne cogitare quidem boni quicquàm sufficientes sumus ex nob's. 2. Cor. 3. Deus nanq; est, qui operatur in nobis et uelle et perficere pro bona sua uoluntate Phil. 2. Vnde certe nemo quicquàm habet quod à deo nõ acceperit, fides, spes, charitas, timor dei, patientia, & si qua sunt huiusmodi spiritalia bona, nedum terrena illa, omnia à deo sunt, unde omne bonũ est. Quomodo igitur mercedem petemus operis nõ nostris
3 sed alienis uiribus præstiti? Ad hæc, quomodo nõ plagæ magis timendæ essent, si subeunda esset diuinæ iustitiæ censura, & respondendum pro delictis, quæ in ipsa nostra iustitia reperiũtur, quàm expectanda merces, uniuersæ nostræ iustitiæ inquit propheta, tanquàm pannus menstruatæ mulieris. Et Aug. li. 9. confess. Væ uniuersæ nostræ iustitiæ inquit, si remota misericordia iudicetur. Præter hæc omnia in expectatione meritæ mer-
4 cedis consideranda est utrinque & laboris & mercedis æqua mensura, & talis analogia, qua nec merces excedat laborem, nec à labore superetur. Nos uerò tales operantes non sumus, quorum labores æquent æternorum bonorum mercedem, nedum superent. Ista considerantibus quid statui potest ad dirimendam hanc litem aliud, quàm quod Augustinus dixit, deum dona sua in nobis pro sua clementia coronare, reddentem debita, cum nemini quicquàm debeat. Quis enim prior dedit ei, inquit Apostolus, et retribuetur ei? Tollant igitur meritorũ doctores fiduciam illam meritorum, quæ sola impugnatur, & dicãt cũ pijs, Inutiles serui sumus etiam si omnia faciamus, itaq; quod bonum est faciant, ut nesciat ipsorum sinistra quid faciat dextra, & interea fiduciam ac spem salutis in solam Christi gratiam per sanguinẽ ipsius mortalibus partam, syncera fide collocent, ut maneat gloria gratiæ dei, et sublata erit opinor, quæ in hac causa uertitur quæstio. Neq; enim timendum est, defuturam in cœlis mercedem pro Christo omnia facientibus & patientibus, si illu magis gratiæ dei, quàm proprijs meritis innitantur. Qui Christũ in suis in hac uita complectuntur, alunt, uestiunt, & consolantur, etiam si non obseruent ista se Christo facere, quæ pauperibus faciunt: nihilo tamen secius in extremo die audituri sunt illud Christi: Venite benedicti patris mei, accipite regnum &c. Obliuiscamur nos eorum quæ bona facimus, ut non obliuiscatur Christus, agnoscamus in promissionibus mercedis, non nostra merita, sed immensam illam dei bonitatem, qua quæ bona nobis redditurus est, non secundum nostram dignitatem, sed secundum suam misericordiam, longè alia meritis redditurus est. Hactenus de illis operibus dictum esto, quæ ex fide uerbi Dei synceræ dilectionis affectu, secundum uoluntatem dei fiũt. Quæ uerò ex doctrinis et mandatis hominum, & detestabili illa totius mundi peste, ἐθελοθρησκείᾳ, fiũt, iam dudũ uerbi dei sentẽtia condẽnata sunt, tã abest, ut merces illis aliqua debeatur. Frustra colũt me inquit. Christus infra ca. 15. Docẽtes doctrinas et mãdata hominum.

QVINTVM.

Sic persequuti sunt & prophetas, qui fuerunt ante uos.) Duo sunt hic notanda. Primum in eo, quòd prophetarum exemplum proponit, notandum est, quid consolationis habeat, si propter iustitiam adflicti coniungamur illis, quorum ob id sacrosancta est memoria, quòd pro nomine Dei acerba sunt passi in hoc seculo. Siquidẽ id beatius est, quàm illis assimulari, qui male agentes filijs huius seculi chari fuerunt, & in delitijs habiti sunt. Sic dicit Luc. 6. Væ uobis cũ benedixerint uobis omnes homines. Sic enim fecerunt falsis prophetis patres eorũ.

Alterum est, quanta sit seculi huius iniquitas, quod etiã in populo dei præcipui ministri dei mendacijs, probris & persequutionibus adfliguntur. Cum hoc illis accidat in Ecclesia dei, ad quam sunt destinati, quid expectandum apud exteros. Ita & Prophetæ & Christus & Apostoli, omnis generis probra, & aduersa ab Ecclesia Israëlis illata perpessi sunt. Quid ergo stultius illis esse poterit, qui hodie neminem putant iniuria posse ab Ecclesiarum præfectis adfligi & opprimi, quasi melior sit cõditio ministrorũ Christi præsenti seculo, quàm ipsius Christi, Prophetarum & Apostolorum suo fuit? Respiciant ergo ministri Christi in sortem eorum, qui ante ipsos in ministerio uerbi dei fuerunt, nec sperent à suo seculo meliora, si syncere Christum doceant, quàm illis acciderunt ab ipsorum seculo.

Vos estis sal terrę. Quòd si sal infatuatus fuerit, quo salietur? Ad nihil ualet ultra, nisi ut proijciatur foras, & conculcetur ab hominibus.

Quæ hactenus dicta sunt à domino, felicitatem credentium discipulorũ concernunt. Quæ iam sequuntur, institutionem habent instituendæ uitæ, ut qui ita sunt propter regni cœlorũ hæreditatem felices, pietatis studio, etiam felicitati isti respondeant. Et hic ordo omniũ est optimus, ut principio quid ex gratia Christi simus, deinde, quomodo pietatis studio & gratiæ respondendum sit admoneamur. Quod ad discipulos Christi attinet, habent hæc uerba hunc sensum: Audistis, quàm sitis ex me felices, iam audite, quid uos doceat uicissim, ut professioni huic ad quam uocati estis, non desitis. Alia est uestra conditio, quàm sit uulgi imperiti & errantis. Ad hoc elegi uos, ut mundum hunc in cognitionem Dei & ueræ pietatis instituatis. Proinde curandũ uobis est, utipsi cũ primis, quod alij per uos docendi sunt, reipsa præstetis, ut officio uestro digne adsitis. Si hoc neglexeritis, nullus erit uestri usus, & digni eritis, qui ut inutiles abijciamini. Neq; enim erunt qui uos, siquidem desipueritis, in uiam reducere queant. Vt eadem sit uestra conditio, quæ salis est. Salis usus est, ut acrimonia sua, quæ insipida sunt saliat ac sapida reddat. Quòd si ipse desipuerit, quo salietur? Quis erit amplius illius usus? planè nullus. Nam ad nihil ualet ultra quàm ut proijciatur foras, & conculcetur ab hominibus. Estis itaq; sal terræ. Terra hæc prorsus est insipida. Hanc uestrũ erit per doctrinam Euangelij ac ueræ pietatis reddere sapidam. Hoc erit munus uestrũ. Huius habebitis rationem.

Si uos

Si uos ipsi desipueritis, idē uobis accidet, quod sali desipienticōpetit. Sunt aūt hoc loco obseruanda quædam.

1 Vos estis sal terræ.) Terram, id est, genus mortalium, significat opus habere, ut condiatur, ne corrumpatur ac pereat. Est enim humanum genus planè insipidum, deinde & perditioni obnoxium, nisi cœlesti sale condiatur ac seruetur.

2 Doctrinam Euangelij esse salem, quo condiri debeat genus humanū, ut cœlestis uitæ saporē acquirat. Quòd enim Apostolos uocat salem terræ, factū est propter iunctum Euangelizandi munus. Hæc doctrina propter suam acrimoniam inuisa est putrescenti mundo. Exigit enim carnis mortificationem, fidem ac pœnitentiam ab operibus mortuis, & quæ alia sunt huiusmodi, carni non admodum iucunda. Vnde non debet uideri mirum, si perpetuo huic mundo est exosa.

3 Salis acrimonia si iusta sit, non habet opus, ut magno adhibeatur cumulo. Modicum salis plerunq; multum cibi sapidum reddit. Vbi multo sale opus est, ibi facile intelligitur deesse illi iustam acrimoniam. Ita Christus pauculos discipulos, quos hic uocat salem terræ, ad condiendum totum orbem emisit, sicuti & modicum fermenti totā massam fermentat. Postquàm uerò sal Euangelici ministerij desipere cœpit, auctus est illius cumulus in immensum, ita ut orbis Episcoporū, Cardinaliū, Sacerdotum et Monachorum sumptus uix ferre queat. Et utut insatuato sale sint omnia referta, interea tamen Christianus orbis supra modum desipit, & corrumpitur. Et iudicio dei pœnas dant ecclesiæ Christi, quæ iam olim sanæ doctrinæ sale abiecto magistros insatuati salis magno sibi numero coaceruarunt.

Quòd si sal insatuatus fuerit, quo salietur?) Vt sale insatuato, nec quod saliendum est, nec sal ipsum aliunde saliri potest, ita, si quorū est alios per Euangelicam doctrinam ad studiū cōdire pietatis, desipuerint, duo hæc damna sequentur. Vnū, quod humani generis insipientia et corruptio, non potest alia quapiā doctrina emendari. Nihil hic ualent siue splendor ceremoniarum, siue traditiones ac præceptiones humanæ. Vana est hic philosophia, uana quæcunque carnis sanctimonia, quibus nunquàm potuit mundi huius corrigi corruptio & insipientia. Alterum quòd sal insatuatus non potest aliquo condimento, quacunq; ratione composito condiri. Hoc est, ministri Ecclesiarum, si desipuerint et insatuati fuerint, non possunt aliqua cuiuscūq; disciplinæ conditura emendari ac restitui. Agnouit hoc alicubi & Chrysost. & ipsa non præteritorum tantum, sed & præsentis seculi experientia satis conspicuum facit, corruptionem Ecclesiasticorū ministrorū esse inemendabilem. Sæpenumero tentata est Episcoporum et Sacerdotum emendatio, & status Ecclesiastici reformatio. Sed nunquàm admisit medicam ista podagra manum. Quin absq; ullo pudore clamant Romanorū Pontificū decreta. Episcopos et Clericos non debere corrigi à Laicis. Vnde ergo corrigentur? Ipsi sunt instar salis insatuati. Quomodo restituent seipsos? Et uulgus Christianorū ipsum quoq; desipit. Quomodo ergo saliet insatuatos Episcopos?

Ad nihil ualet ultra, nisi ut proijciatur foras, et conculcetur ab hominibus.) Hoc est iudicium Christi de sale insatuato, hoc est, de inutilibus Episcopis & ministris. Qui Episcopus est et minister Christi, tam diu ualet, quàm diu facit officium suum, quàm diu condit insipida mortaliū corda sale doctrinæ Euangelicæ, et tantū ualet, quantū in hoc munere exequendo sedulus est. Vbi uerò muneri suo deest, primū dicitur hic à Christo, nihil ualere ultra, hoc est, prorsus esse inutilem. Sicut sal insatuatus ne ad sterquilinīū quidem ad impinguandum agros accommodus est, ita prorsus est inutilis. Deinde, quoniam inutilis est, dicitur abijciendus & proculcandus, id est, planè contemnendus, & omni honore priuatus quorūuis ludibrio obijciendus. Admonet igitur hac sententia Christus, non esse retinendos inutiles Episcopos, doctores & ministros, sed procul abijciendos. At hodie longè aliud obtinuit corruptissimus Ecclesiæ status, in quo pro Episcopis habere cogitur grex Christi salem hunc insatuatū, quem iure posset ut inutilem abijcere. Vnde & Cyprianus lib. 1. epist. 4. disertis uerbis ad hunc modum scripsit. Propter quod plebs obsequens præceptis dominicis, et Deū metuens à peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi Sacerdotis sacrificia miscere, cum ipse maxime habeat potestatem uel eligendi dignos Sacerdotes, uel indignos recusandi. Hæc ille. Hæc potestas plebi Christi est adempta, ut iam non solū priuata sit utilibus Episcopis, sed inutiles etiam ferre cogatur. Verum qui hoc iudiciū de insatuato sale tulit, tandem illi etiam iusta exequutione aderit, et inutilem seruum in tenebras abijciet.

Vos estis lux mundi. Non potest abscondi oppidū supra montem situ: neq; accendunt lucernam, & ponunt illā subter modium: sed super candelabrū, et lucet omnibus qui sunt in domo. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona opera, glorificentq; patrem uestrum, qui est in cœlis.

Idem agit his uerbis, quod præcedentibus, nisi quod admonitionem apertiorem annectit. Primū iterū discipulis suis declarat, quid sint mūdo isti ex officio et ministerio regni cœlorū futuri. Vos estis inquit lux mundi. q. d. Ad hoc uos elegi, ut mundū hunc in tenebris ignorantiæ dei sedentem doctrina regni dei illuminetis. Deinde, admonet eos, ut ad quod electi sint munus concreditum fideliter obeant, sciantq; se futuros in hoc mundo uelut ciuitatem in ædito monte sitam, omnibus uidelicet exēpli gratia propositos, & uelut lucernā in domo ad hoc accensam, et super candelabrum positam, ut luceat omnibus qui sunt in domo. Proinde curandum ipsis ut lucem diuinitus acceptam non extinguant, sed mortaliū oculis ad lucendū per bona opera exponant. Tertio adiungit incitamenti gratia, finem horum, nempe gloriam patris cœlestis. Et glorificent inquit, patrem uestrum, qui in cœlis est. Sunt itaq; loci huius tres partes ordine expendendæ.

PRIMA PARS.

Vos estis lux mundi.) Primum, quemadmodum

supra ex eo quòd dixit: Vos estis sal terræ. Innuit mundũ hunc esse coràm Deo plane insipidũ, et corruptioni sempiternæ obnoxiũ, nisi cœlesti gratia ueluti sale condiatur & conseruetur, ita et hoc loco cũ dicit: Vos estis lux mundi. Satis aperte significat, hunc mundum extra doctrinam regni Dei, cuius discipuli futuri erant ministri, caligine errorũ ac peccatorũ esse pressum. Deinde uidemus, quo loco esse debeant ministri Christi. Loco uidelicet lucis, mundi huius tenebras illuminantis. Lux mundi sunt, propter doctrinã ueritatis, quam toti orbi annunciant. Et hæc doctrina ministerio Apostolico toti orbi illuxit, ut nihil habeant excusationis, qui tenebras amant magis quàm lucem. Tenebras inquam traditionum humanarũ, et prolixæ consuetudinis, doctrinæ cœlestis luci præferunt. Nam hoc est iudicium, inquit dominus Ioh. 3. quod lux uenit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quàm lucem. Est aũt doctrina Euangelij lux, primũ impietatem & ignorantiam Dei, ac ueræ pietatis prodens, detegens, & arguens. (Et hoc nomine plurimum est mundo isti inuisa. Nam qui male agit, odit lucem, nec uenit ad lucem, ne manifestentur opera eius.) Deinde pulsis ignorantiæ tenebris, cognitionem dei ac ueræ pietatis mortaliũ cordibus offerens.

Est autem reuera admirandum, homines piscatores et idiotas cõstitui lucem mundi, id est, doctores omnium ubiq; non Gentium tantũ, sed & sapientũ, ut Petrus piscator, sapientiam philosophorum, & doctrinam Phariseorum, cum uniuersa mundi huius sanctimonia, stultitiæ et impietatis damnet. Et hæc est gloria diuinæ uirtutis, quæ per rudes & ignobiles, doctos ac sapientes mundi huius confundit, uide 1. Cor. 1.

Sed quæritur hic, quomodo discipuli sint lux mundi, cũ id Iohannes præcursori Christi dare noluerit dicens: Ioh. 1. Non erat ille lux: Christo aũt hoc dederit, quòd sit lux mundi, & ipse Christus de se dicat: Ego sum lux mundi. Ioh. 8. Christus est uera lux, quæ non sit aliunde accensa, sed ex seipsa uim habeat illuminandi. Apostoli nõ ita, sed propterea lux dicuntur, quòd de luce uera testantur, & splendorem diuinæ cognitionis ab illa luce acceperunt, quæ dicit: Ego elegi uos, & posui uos. Et, Sine me nihil potestis. Sic & Iohannes erat lucerna ardens ac lucens, sed non ex seipso. Erat enim & ipse ab hac luce, qua Christus est, accensus.

ALTERA PARS.

Non potest oppidum abscondi supra montem situm, neq; accendunt lucernam &c.) Quæ duobus istis similibus proponit, futuræ admonitioni uiam parant. Habent autem argumentum à ratione et conditione iuncti muneris sumptũ, quod tale est, ut lucem amet non tenebras, imò quòd data opera institutum sit, ut omnibus sit cõspicuũ. Perinde atq; oppidum in monte situm, non ad hoc est in ædito loco structum, ut mortaliũ conspectum fugiat, imò etiam si cupiat oculi, pro natura tamen loci abscondi nequit: & sicũt lucerna non ad hoc accenditur, ut accensa abdatur, sed super candelabrum ponitur, ut luceat omnibus, qui sunt in domo. Innuit his similibus doctrinam suam talem esse, & ad hoc institutam, ut nec debeat, nec possit occultari. Mysteriũ illud regni Dei, quod per Apostolos est in orbe prædicatum, absconditum quidem fuit ab origine mundi, usq; ad tempus reuelationis Christi, Eph. 3. Col. 1. at post tempus reuelationis dictum est Apostolis. Quod in aurem audistis prædicate super tecta. Et prædicate Euangelium omni creaturæ. Tunc uidelicet Apostoli, uelut in theatrum totius mundi, omnibus totius orbis nationibus expositi sunt. Tunc doctrina regni Dei super candelabrũ posita est, de qua dicit Apostolus: Quòd si Euangeliũ nostrum 2. Cor. 4. opertũ est, in his, qui pereunt opertũ est, in quibus Deus huius seculi excæcauit mentes infideliũ, ut non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Christi. Veritatis hæc est natura, ut amet lucem, ac fugiat latebras. Contra hæreticorum ingeniũ est, ut lucem primũ fugiant et latebras sectentur, donec obtinente errorum lue robur aliquod acquirant. Rectè ergo Christus hic suos dicit esse instar oppidi in ædito monte siti, & instar lucernæ super candelabrum positæ, quibus utrisq; hæc est conditio, ut sint illustria & conspicua.

TERTIA PARS.

Sic luceat lux uestra coràm hominibus &c.) Hæc est adhortatio ex præmissis sumpta, qua admonet, huc esse conandũ discipulis, ut non obliti, quo loco sint, muneri ac professioni suæ diligenter ac fideliter respondeant. q. d. Ecce in hanc uocati estis dignitatem, ut sitis lux mundi. Magna quidem est hæc dignitas & amplissimus honor. Verũ etiam atq; etiam curandũ uobis erit, ut ad quod electi estis gnauiter exequamini. Prodeundũ uobis erit in theatrũ totius orbis, non delitescendum in tenebris. Splendore uestro mundum hunc illustrabitis. Nam huius gratia uos elegi, & ueluti in æditũ montem euexi, ut mortaliũ tenebras luce uestra dispellatis. Vobis non erit satis, si diuinæ uoluntatis ac regni Dei cognitionem teneatis, sicut lucernæ satis non est, ut ipsa sit illustris: sed hoc exigitur à uobis, ut lucem quam accepistis, qua estis illuminati mortalibus totius orbis impertiatis, & ad gloriam patris uestri, qui in cœlis est quàm plurimũ fructum adferatis. Sunt itaq; quatuor hic consideranda. PRIMVM.

Quid facere debeant Christi ministri. Luceat, inquit, lux uestra. Hoc est, gratiam diuinæ cognitionis, quam per me accipitis, proferatis in apertum. Admonentur ergo ministri Christi, ut talentũ diuinitus acceptum nõ abscondant, sed in usuram collocent. Ministro satis nõ est, ut gratiam cognitæ ueritatis pro se habeat, nec hanc temerè abijciat, aut contemnat, sed ex officij debito reus erit perfidiæ, si quod accepit fidei suæ creditum, non expendat. Quo nam quæso pacto excusabuntur inutiles illi serui, qui nullam habent officij sui rationem, nec quicquàm lucis sanæ doctrinæ de se proferunt? Quid de illis dicendum, qui densissimis tenebris cũ falsæ doctrinæ, tũ uitæ multis nominibus damnandæ, oculos subditorum excæcant magis quàm illuminant?

ALTERVM.

Vbi debeat lucere lux ministrorũ Christi. Non dicit: Luceat lux uestra in seipsa, sed coràm hominibus. Coràm hominibus inquit, in genere, nõ tantũ coràm Israëlitis. Vocandi enim erant ad gratiam regni Dei omnes totius

totius orbis habitatores. Lux ista doctrinæ ac ueritatis Euangelicæ accensa erat, & destinata omnibus mortalibus. Nulla hic locũ habet personarũ acceptio, sicuti et supra generaliter dictum est: faciam uos fieri piscatores hominum. Quisquis homo est, uel diues sit uel pauper, uel doctus uel indoctus, uel nobilis uel ignobilis, uel Iudæus uel Græcus, uel seruus uel dominus, ad hanc lucem Euangelij Dei uocandus est. Quem non contempsit, nec excluſit diuina dilectio, quæ mundo filium unigenitum misit, multominus contemnere debet quantũuis magnus lucifer Christi minister. Cogitet discipulus Christi ad hoc se esse uocatũ & missum, ut quoscunq; poterit luce ueritatis illustret. Lucernæ in domo accensæ imitetur exemplũ, quæ non minus lucis, quantũ in ipsa est, offert seruo, quàm ipsi hero, modo se capacem illius adhibeat. Sol iste mundum illustrans, non est alius diuiti alius pauperi, alius hero alius seruo, sed omnibus ijsdem radijs, eodemq; splendore lucis beneficium offert.

TERTIVM.

Quomodo lux ministrorũ Christi lucere debeat, ut uideant inquit, opera uestra bona. Ergo bona opera radij sunt lucis Euangelicæ. Intelligit autem per bona opera fructus Apostolici muneris, quorum gratia discipulos suos in orbem emisit, de quibus Ioh. 15. dicit: Ego elegi uos, & posui uos, ut eatis, et fructum adferatis, & fructus uester maneat. Hi fructus sunt cognitio Dei per Christum, conuersio quarumcunq; nationũ à tenebris errorũ ad uiã ueritatis ac ueræ pietatis, renouatio uitæ prioris per resipiscentiam ac fidem in Christum, & in summa salus mortaliũ per fidem & cognitionẽ Christi. Tale opus Apostolicæ lucis erant Corinthij, quibus Paulus dicit: Nunquid opus meũ uos estis in domino? 1. Cor. 9. Et 1. Thess. 5. Rogamus autem uos fratres, ut noueritis eos, qui laborant inter uos &c. ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorũ. Apostolicæ lucis fructus erat, de quo Eph. 5. scribit, dicens: Eratis aliquando tenebræ, nunc aũt lux in domino. Exigit itaq; Christus à suis, ut ministeriũ suum, hoc est, prædicationem Euangelij dei tanta fide, tantaq; diligentia ac sedulitate exequantur, ut cõspicui fructus illius in ipsos mor-
2. Timo. 4 taliũ oculos incurrant. Ad hoc & Timotheũ suũ Paulus hortatur cum dicit: At tu uigila in omnibus, obdura in adflictionibus, opus perage Euangelistæ, ministeriũ tuũ ad plenũ probatũ reddito. Opus bonũ est Episcopatus, inquit Apostolus. Qui Episcopatũ affectat bonum opus affectat. Verũ oportet Episcopũ ita adesse muneri suo, ut fructũ adferat quàm plurimũ. Quemadmodũ igitur mala sunt eius opera, qui non adfert Christi doctrinam,
1. Ioh. quem Iohannes in domũ recipi uetat, nec qui hunc recipit malis illius operibus cõmunicet, ita bona sunt opera Christi doctrinam sanam & integram lucis instar adferentis, ac syncero corde docentis.

Notandum autem est, quomodo ministros suos cohonestet, bona illa Euangelicæ lucis opera, hoc est, conuersionem ac resipiscentiam errantiũ ac delinquentiũ, cognitionem Dei, renouationem mentiũ, & ueræ pietatis studiũ ipsis adscribens, cũ dicit: ut uideant bona uestra opera. Cũ tamen reuera omnia illa non ipsorũ, qui organa duntaxat sunt, sed Dei sint opera, qui operatur 1. Cor. 12.
omnia in omnibus. Non uos estis inquit, infra ca. 10. qui loquamini, sed spiritus patris uestri loquetur in uobis. Ita uidelicet suos pro cooperatoribus agnoscit, et quòd spiritus sanctus opus est, ipsis tribuit, animos eorum ad diligentiã ac sedulitatem exequendi muneris excitans.

QVARTVM.

Quis finis sit petendus ministro Christi. Et glorificent inquit, patrem uestrũ, qui in cœlis est. Non dicit: Et glorificent uos, qui terram illuminatis, sed, patrem uestrum. Ergo quanquàm ipsis bona Euangelicæ prædicationis opera tribuit, gloriam tamen illorũ non ipsis, sed Deo tribuit, cui sit omnis honor, & gloria in secula, Amen. Nec dicit: Et glorificent Deum, sed patrem uestrũ & specificandi gratia, qui in cœlis est, inquit. Exigit à suis affectũ syncerũ erga Deũ, tanquàm filiorũ erga patrem. Nec dicit: Et glorificẽt me, qui in terras descendi, sed patrem uestrum. Neq; dicit: Et glorificent patrem meum, sed patrem uestrũ. Simul et patris gloriam quærendam ducit, ne suam quærere uideatur, & animos ipsorũ ad studiũ diligenter promouendi Euangelij Dei, tanquàm ad patris ipsorum gloriam facientis, accendit.

Sed quomodo uisa ministrorũ Christi opera animos mortaliũ incitant ad glorificandũ Deũ patrem ipsorũ? Et qui sunt illi homines, qui uisis bonis ministrorũ Christi operibus deũ glorificent? Cõspicuum enim est, quod nõ omnes hoc fecerint, qui lucis huius Apostolicæ opera uiderũt. Primũ, oportet per Euangelicæ prædicationis fructus tale quid declarari mundo, quòd causam det glorificandi Deũ. Quid igitur per Apostolica opera, quòd Deum concernat declaratum est? Primum declarata est uirtus Dei, quæ per infirma illa organa mundum reformauit, & ab impietate ac regno Satanæ, ad ueram pietatem ac regnũ cœleste reduxit, quæ credentiũ mentes immutauit, et ita corroborauit, ut nullis potuerint quibuscunq; aduersis, neq; fame, neq; exilijs, neq; uinculis, neq; gladio, nec mille mortis speciebus à uia ueritatis abduci. Deinde declarata est gloria gratiæ Dei per remissionem peccatorum, & iustificationem impiorum. Reprobi quidem neq; uirtutem, neq; gratiam dei intellexerunt, quibus obscuratũ erat Euangeliũ dei. Verum electi & credentes, & agnouerunt, & glorificauerunt deum. Hactenus quæ Christus per salis ac lucis similitudinem discipulis dixit, de ipsis ut regni Dei preconibus ac uerbi ministris exposuimus. Nolim tamen illis admodum repugnare, qui hæc in genere ad omnes Christianos referunt. Nam etiam hoc suo modo uerum est, quòd ecclesia Christi sal terræ et lux mũdi dicitur. Qui nanq; in hoc seculo inter errantes & corruptos atq; insipidos ipsi illuminati, restituti, & pietatis condimentũ adepti uiuunt, quid aliud sunt uitæ probitate ac pietatis studio, quàm sal quidã & lucerna in loco tenebricoso accensa. Item oppidum supra æditum montem situm? Ideò non absurde ex hoc loco admonemur omnes, ut professioni nostræ respondeamus. Nam primũ, si Christiani fuerint insipidi, per quos poterũt cõdiri ac saliri? Si Christiani fuerint tenebræ, unde illuminabuntur? Deinde, quantũ dedecoris nomini Christiano inuretur, si quæ nationes,

Christũ non amplexæ, laborant impietate, eadem laborauerint & ipsi? Proinde illud: Sic luceat lux uestra, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrẽ uestrũ, qui in cœlis est, tanquàm uniuersis dictum diligenter est considerandum. Sunt autem de bonis operibus, quorum studium ad omnes Christianos pertinet, hoc loco quædam notanda. PRIMVM.

Vt uideant bona opera uestra.) Admonemur ergo hic, studendũ esse bonis operibus, idq; ita luculenter, ut ex ipsis operibus, quæ pietas insit cordibus nostris, ab illis quibuscum uiuimus deprehendi, & certo cognosci possit. Nihil minus in suis ferre poterit Christus, quàm nominis titulorũ, opinionũ, & fictæ sanctimoniæ uanitatem. Proinde hoc à nobis requirit, ut omnium non auribus audiendam ex uerbis, sed ipsis oculis liquido spectandam bonorum operũ lucem emittamus. Non dicit: Sic luceat lux uestra, ut audiant uestrã intelligentiam, sapientiã, & rerũ cœlestiũ cognitionẽ. neq; dicit: ut uideant singularẽ quendam selectorũ rituũ ac ceremoniarũ splendorẽ, sed: ut uideant uestra bona opera. E bonis arboribus merito non requirũtur folia tantũ, sed multo magis boni fructus. ALTERVM.

Videmus hic unde sint bona opera. Sic luceat, inquit lux uestra, ut uideant bona uestra opera. Ergo bona opera ex cognitione diuinæ ueritatis sunt, sicuti splendor est ex luce. Loquitur aũt de luce ueritatis Euangelicæ, non quatenus illa in scripturis legitur, uel auribus audita, ut cunq; naturali intellectu capitur, & memoriæ mãdatur. Sed quatenus cordibus credentiũ per uirtutẽ spiritus sancti illucescit, ut qui olim tenebræ fuerũt, nunc sint lux in domino. Nequit igitur fieri, ut ex corde diuinæ ueritatis ignaro ueniant bona illa opera, de quibus hic Christus loquitur. Ideò peccata uocantur Apostolo opera tenebrarũ, hoc est, ignorãtiæ Dei, ut rectè opera bona sint opera lucis, & credentes sint filij lucis. Quapropter omnino impossibile est mundũ hunc bonorũ operũ fructus adferre posse, donec lucẽ diuinæ ueritatis persequitur, & extinctam cupit.

TERTIVM.

Apparet etiam hic, quæ nã sint illa bona opera, quæ ab illuminatis Christianis requiruntur, & uerè bona opera censeri debeant. Nempe, non ea, quæ ueniant ex iudicio rationis, & humanæ sapientiæ ductu, aut uiribus humanis qualibuscunq;, aut ex præceptis ac statutis hominũ, uel ex propria præsumptione, sed quæ ex luce Euangelica, id est, cognitione Christi, quæ fides est certa & indubitata, oriantur, quod etiam Paulus notat, cum dicit: Sed fides, quæ per dilectionem est efficax, & quæ talia sint, ut etiam ab incredulis probari possint, qui certe ceremonias nostras probare nequeunt. At ea non sunt, nisi opera dilectionis, quibus proximis seruitur.

QVARTVM.

Et glorificent patrem uestrũ, qui in cœlis est.) Hic finis petendus est bonorũ operũ studiosis. Non dicit: ut bonorũ operũ meritis uitã, quæ in cœlis est acquiratis. Nec dicit, ut per bona opera mereamini, recipi in filios Dei. Estis iam inquit filij dei, ideoq; et hæredes, estis filij lucis, tantũ curetis, ut acceptam gratiã bene collocetis: ad hoc, ut per bonorũ operũ splendorem causam detis ueritatis ignaris, glorificandi patrẽ uestrũ, qui in cœlis est, qui uos tales ex impijs reddidit. Igitur respectus bonorũ operũ debet esse gloria patris nostri, qui in cœlis est. Sic Petrus quoq; dicit: Conuersationẽ uestrã inquit, inter Gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant de uobis, tanquàm de malefactoribus, ex bonis operibus uos considerantes, glorificent Deum in die uisitationis.

DE FIDE ET OPERIBVS.

Quoniam hoc seculo haud parum de fide & bonis operibus controuertitur, operæprecium, imò necessariũ fuerit, per occasionem præsentis loci causam hanc diligentius introspicere, ac declarare, quo loco habenda sint bona credentium opera, ut qui doctrina fidei ac iustificationis offendũtur, intelligãt quid sit de bonis operibus sentiendum, quis uidelicet sit illorum usus, & quàm sint necessaria.

Quàm credentibus necessaria sint bona opera, satis patet ex literis Apostoli, iustificantis fidei doctoris, ubi nominatim de fide, quæ per dilectionem sit efficax loquitur. Sentimus itaq; solam fidem non idem esse atq; uacuam, & inanem fidem, quam nulla bona opera comitentur, id quod suspicantur imperitiores, maxime qui per hostes gratiæ seducuntur, cum audiunt nos docere, quòd sola fide absq; operibus iustificemur coram Deo, qui error et Augustini tempore apud plerosq; inualuisse legitur. Suspicantur autem hunc de nobis errorem absq; ulla ratione. Licet enim ipsis fidei operibus, & nouis fidelium mentium motibus, iustitiam, qua in iudicio Dei persistere possimus, haud quaquàm adscribamus, sed solã fidei, de mortua tamen & inani fide non loquimur in hac causa, quæ ut sterilis est foris, ita certe nihil habet ueri in corde. Coram Deo non agitur fictis, sed ueris, & dona Dei, è quorum numero & fides est, non sunt res inanes, sed ueræ & efficaces. Deinde bonorum operum hunc statuimus usum. Consideramus primum, quid ex illis ad Deũ omnis boni autorem. Deinde quid ad nos. Tertio quid ad proximos nostros redeat. Quarto quem locum habitura sint in iudicio Dei.

De primo, quid ex operibus nostris bonis redeat ad Deum, admonemur uulgata præsentis loci expositione, ubi Christus dicit: Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificẽt patrem uestrum, qui in cœlis est. Ecce gloria quædam redit ad patrem nostrum cœlestem, si fidei nostræ lux per bonorum operũ radios mortalium oculis adfulserit. Deinde gemina ex bonis nostris operibus ad nos redit utilitas. Prima est, quòd electio & uocatio nostra certa ex illis redditur conscientijs nostris, dum illorũ testimonio gratiam & uirtutem Christi in nobis magis atq; magis experimur. Sicut enim cordis nostri malicia, adeoq; & uicio corruptæ ex Adam naturæ per mala superbiæ, iræ, adulterij, & cum primis incredulitatis ac diffidentiæ opera sese prodit, inq; cognitionem nostram ac certissimam experientiam uenit, ita planè in regeneratis per fidem cordis boni puritas, synceritas, & noui motus, qui ex regeneratione induntur, sese per bona opera produnt, & uirtutem ac gratiam in nobis Christi sen-

sibus

fibus noſtris magis atq; magis exponunt.

Altera utilitas eſt, quod bonis operibus fides noſtra uelut alitur, prouehitur, & corroboratur. Vt enim uſu & exercitio rerũ habitus acquiritur ritè agendi, quod in omnibus artificijs fieri uidemus: & ſicut ignis impoſita ligna comburendo augeſcit ac robuſtior redditur, ita certè bonorũ operũ ſtudio Chriſtiani pectoris pietas prouocatur, alitur, uegetatur & confirmatur. Sic Paulus Timotheo præcipit ἀναζωπυρεῖν donum in ſe Dei. Et 2 Pet. 1. ſic legimus: διὸ μᾶλλον ἀδελφοὶ σπουδάσατε βεβαίαν ὑμῶν τὴν κλῆσιν καὶ ἐκλογὴν ποιεῖσθαι. Quod certè nõ eſt de propoſiti Dei firmitate intelligendũ ad quã opera noſtra nihil poſſunt. Cum illa ſit perfecta æterna, ſed de ea quæ noſtrã conſcientiã, noſtros ſenſus, & qualitatẽ illam noui hominis in nobis cõcernit. Tertio. Et ad proximos noſtros, ex bonis noſtris operibus ampla prouenit utilitas. Primum, quod attinet pietatis exemplum, quo ad ueram pietatẽ per bona noſtra opera prouocantur, & ædificantur. Deinde quod pertinet ad ſubſidiũ externũ, quo pauperes alũtur nudi operiuntur, infirmi curãtur, peregrini ſuſcipiũtur &c.

Quarto. Seruiunt opera noſtra etiam iudicio Dei, ad hoc, ut quod in ſe iuſtum eſt, iuſtum eſſe appareat, & miſericordiæ quoque Dei, ut illa in uaſis miſericordiæ nota fiat. Electionis ac reprobationis diuinæ inſcrutabilia ſunt iudicia, quapropter opus eſt externis teſtimonijs, quibus declarentur, & ad mortalium uſq; cognitionem pertingant. Deo alioqui non eſt opus, ut per facta externa ad cordiũ noſtrorum cognitionẽ perueniat, cum ſit cordium, & cogitationum noſtrarum ſcrutator & cognitor. Quod igitur in ſcripturis legimus, reddet unicuiq; ſecundũ opera ſua, & Matth. 25. Venite benedicti patris mei, accipite regnũ. Eſuriui enim & dediſtis mihi cibum, &c. Iſta non ita ſunt intelligenda, quod opera noſtra neceſſaria ſint cœleſti iudici, ut per ea qualis quiſque ſit cognoſcat, & quid de unoquoq; ſit iudicandum inſtruatur, ſed quod tenenda ſit forma, & legitimi iudicij, cuius nõ ſolum hoc eſt, ut rectè iudicetur, ſed etiam, ut quàm rectè iudicetur aliorũ cognitioni patefiat, ad quam rem ſanè teſtimonio opus eſt externo, uel oris uel operis. Neq; enim ſatis eſt Deo, ut iuſte iudicet, ſed & hoc requiritur, ut iuſtitia eius mortalibus manifeſtetur. Sic Chriſtus infra 12. dicit: Ex uerbis enim tuis iuſtificaberis, et ex uerbis tuis condemnaberis. Et illud: Tunc manifeſta erunt conſilia cordium.

Quemadmodum itaq; ex eo quod dicit: Ex uerbis tuis iuſtificaberis, non eſt colligendum, quod uerbis noſtris innitatur noſtri iuſtificatio, ita non ſunt opera noſtra ad hoc rapiẽda, ut in illis putemus fundari iudicium Dei, ſed relinquenda ſunt in ordine præſcripto, uidelicet, ut ſeruiant illuſtrandæ iuſtitiæ Dei, in cognitione, & conſcientia mortaliũ. Scimus enim coram Deo iam eſſe iudicatum quemcunq; incredulum & impium. Inſtituitur tamen iudiciũ Dei ſecundum cuiuſq; facta, ut appareat, & notum fiat, quàm ſit iuſtũ, et irreprehenſibile, quod in ſe, etiamſi cognitionem noſtram perpetuo fugeret, & iuſtiſſimum eſt, & æquiſſimum. Quis ita inſanit, ut ex uerbis quenquam putet fieri iuſtum, & nõ magis intelligat ex illis qualis quiſq; ſit? Ex abundantia quippe cordis os loquitur. Et qualis quiſque eſt talia, & dicit, & facit.

Accedit & hoc, quod opera bona, uelut fidei fructus Deo non poſſunt non probari in credentibus. Primum enim, cum iuſtus ſit, iuſtitiã quoq; diligit, fidem, ſpem, dilectionem, opera dilectionis, & quæ huiuſmodi ſunt, ſicut & uiciſſim nõ ſolum ipſam cordis impietatem, ſed & omnes illius malos fructus, quocunq; tandem nomine compræhendantur, deteſtatur. Hinc illa: In omni Gente qui timet Deũ acceptus eſt illi. Et: Non Deus uolens iniquitatem tu es: Odiſti omnes qui operãtur iniquitatem, perdes omnes qui loquũtur mendacium. Dein, quoniam & uerax eſt, ueritatem quoq; diliget & ubiq; requirit. Fides, qua miſericordiam ipſius appræhendimus, eſſe nõ poteſt, nedum placere Deo, ſi ueritate careat. Caret autem ueritate, ſi dilectione deſtituatur. Veritas nanq; fidei nulla re alia ita exprimitur, atq; dilectione Dei & proximi. Et hac itaq; ratione commendantur Deo bona opera, quod fluant ex fidei ueritate, quam ille ubiq; reſpicit, ita ut ea opera quæ ex fide non ſunt, pro peccatis habeantur, teſte Apoſtolo.

Hinc eſt, quod paſſim legimus de remuneratione eorum quæ pro Dei nomine, uel bona fiunt, uel mala ferũtur. Non enim eſt iniuſtus Deus, inquit Apoſtolus, ut obliuiſcatur laboris ueſtri. Et ſuprà: Gaudete & exultate, quoniam merces ueſtra multa eſt in cœlis. Et infra 10. Qui dederit uni ex minimis meis potum aquæ frigidæ, Amen dico uobis, non perdet mercedem ſuam. Huc etiam faciunt legales illæ ſententiæ: Qui fecerit ea homo, uiuet in eis. Quis dicit eum regem eſſe iuſtum ac ſuorũ amantem, qui nullam habeat colentium, & amantium ſe, & mandatis ſuis aliquouſq; obtemperantiũ rationem, ſi corde ſint ſyncero? Hinc tamen uerè colligi nequit uitam nobis, et æternam ſalutem conſtare aliunde, quàm ex ipſa gratia Dei, quam fide appræhẽdimus, ita, ut iuſtitia, quam nondum reipſa ſumus aſſequuti, propter Chriſtum credentibus in nomen eius imputetur, ut firmiſſima ſit ſententia: ſola nos fide coram Deo iuſtificari propter Chriſtum unicum noſtrum mediatorem ac ſeruatorem. Licet enim opera noſtra Deo placeant, atq; ab ipſo pro ſua bonitate remunerentur, tanti tamen in ſeipſis nec ſunt, nec æſtimari debent, ut ipſorum gratia uitam nobis ac ſalutem, tanquam iuſtis, polliceri debeamus, cum ſint imperfectè bona, & ut Propheta ait: inſtar panni menſtruatæ mulieris ſint omnes noſtræ iuſtitiæ.

Quapropter ita ſentimus. Primum quod ad ſalutem opus ſit uera ac ſolida fide, qua gratiam Chriſti appræhendamus, & quæ nobis iuſtitiæ, quæ in Chriſto eſt, amputationem ac participationem gratuitam adferat. Hac unica in omnibus tentationibus confirmandæ ſunt noſtræ conſcientiæ, propter diuinarum promiſſionum ueritatem ac certitudinem. 1

Deinde, tenendum hanc fidem non eſſe inanem quandam opinionem aut ocioſam in nobis qualitatem, ſed eſſe donũ Dei electis diuinitus, & gratis datum, efficax & operoſum per dilectionem. 2

3 Tertio, licet ex operibus nostris qualibuscunq; apud Deum iustificari saluariq; nequeamus, magnũ tamen et præclarum esse bonorũ operũ usum, quod ad gloriã cœlestis patris faciant, quod fidem nostrã alant, & prouehant, quod electionẽ ac uocationẽ nostri corroborent, quod proximos pietatis exemplo prouocent, & ædificent, & in rebus necessarijs in hac uita iuuent, quod iudicio Dei iusto mortalium cognitioni dilucidando seruiant, quòdq; propter iustitiæ & ueritatis rationẽ Deo placeant, & pro ipsius clementia remunerationẽ inueniant, & postremo quod nihilominus dicendũ nobis sit, etiamsi omnia mandata fecerimus, quod inutiles serui simus, & orãdus Deus, ne sine misericordia facta nostra iudicet, sed per Christũ quicquid in nobis uiciosum est, paterna indulgentia remittat.

Hac ego sententia nihil arbitror derogari iustitiæ fidei, nihil bonorũ operum æstimationi, nec quicquàm relinqui controuersiæ in locis scripturæ, siue qui fidem nobis, siue qui opera bona cõmendent. Ipsa nanq; fidei & bonorũ operũ causa in se tam nihil habet contradictionis, quàm nihil controuersiæ est inter iustitiã ac bonitatem Dei. Credimus Deum esse iustum, qui malos puniat, & iustis bona retribuat, ad quam sententiã pertinet tota malorũ & bonorũ operũ ratio. Vt igitur nemo pius quicquam hæsitat, cum audit Deum esse iustũ iudicem amantem boni, & quæ mala sunt, auersantem, ita certè nemini pio insolens uideri poterit, nec debet etiam, cum
1 Corin. 5 audit hasce sententias: Omnes nos manifestari oportet antè tribunal Christi, ut referat unusquisq; propria corporis pro ut gesserit, siue bonum siue malum, & qui bona egerunt, ibunt in uitam æternã, qui uerò mala in ignem æternum. Et: Reddet Deus unicuiq; secundũ facta sua. Item gloria & honor omni operãti bonum. Et: Non auditores legis, sed factores legis iustificabũtur, apud Deũ. Item: Si uis uitã ingredi serua mandata. Et: Merces uestra multa est in cœlo, etsi qua sunt alia huiusmodi. Sunt enim omnia uera, & diuinæ iustitiæ consona. Hinc tamen non sequitur, bonitati diuinæ ac gratiæ Christi per hanc iustitiæ rationem esse præscriptum, ut nõ sit locus gratiæ Dei quæ est in Christo, & credentibus gratis & promittitur, & præstatur. Qui punit iusto iudicio reprobos, quis uetat ne pro sua bonitate, & misericordia saluet electos? Quis prohibet ne qui iustè quos uult reprobat, quorũ uult misereatur? Quid absurdi habet, si qui sola gratia saluat electos, et credentes propter Christum, etiam bona ipsorum opera acceptet, & approbet propter eundem Christum? Si quisquàm est, qui nullius unquam peccati reus quod bonum est, indesinenter & perfectè facit, quis dubitat huius iustitiã locum habere apud Deum? Sed quis est talis, cum scriptum sit: Non est qui faciat bonum, nõ est ne unus quidem. Et ne intres in iudiciũ cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Cum ergo per uiã perfectæ nostræ iustitiæ saluari nequeamus, quis poterit prohibere, ne qui nostra iustitia nõ possumus, Christi iustitia per fidẽ gratuito saluemur? Qui centũ florenos debet, si soluendo est, soluendo certè liberari potest. Si uerò nequiuerit hac uia, quid uetat ne remisso debito per gratiam liberetur? Sic est in parabola, cum non haberet unde redderet, remissum est illi omne debitũ. Paulus in Romanis dicit factores legis iustificantur. Deinde, & hoc dicit. Nemo ex operibus legis iustificatur. Vtrũq; uerũ est, subordinata ista inter se nõ pugnant. Qui legem facit Deo acceptus est. Quoniam aũt nemo illam perfectè facit, uerum et hoc est quod dicit: Nemo ex operibus legis iustificatur. Vnde ergo iustificamur? Gratia, per fidẽ, propter Christum. Vt ergo per priorem sententiã non negatur posterior, ita nec per posteriorem neganda est prior, si sit quisquã ita perfectè iustus, ut legem in omnibus seruet. Quid itaq; opus est contentione? Si quisquam est, qui Deo prior quicquã dare potest, quis neget hunc meritò expectare retributionẽ? Si quisquã est qui quod Deo debemus omnes perfecta poterit obedientia præstare, bene, faciet hoc, & habebit coram Deo laudem. Si uerò nemo mortaliũ est, qui hoc poßit, quæ est ista insania, quod non cum Apostolo gratiam Dei in Christo per synceram et indubitatã cordis fiduciam grato animo et cupidè acceptamus, per quã immeritis, imò longè aliud meritis, datur uita æterna? Quis enim Christianorũ unquam ita iustè uixit, ut moriturus dicere queat: Domine pro tua iustitia, quod meritus sum redde, & non magis dicat: Domine ignosce peccatis meis, & pro tua misericordia, per quam ad saluandos peccatores in hunc mundum ueniisti, conserua me? Hanc sententiã arbitror omniũ esse simplicißimam, & nisi spiritus contentionis accedat, ad cõciliandas timentium Dei mentes cum primis appositam. Sed redeamus ad Euãgeliſtam nostrum.

Ne existimetis quod uenerim ad destruendam legem, aut prophetas: imò nõ ueni ut destruam sed ut compleam.

Iam inde ad finem usq; capitis instituitur uera & genuina diuinæ legis explicatio, cõtrà illius corruptionẽ, quæ per Pharisæos & Scribas fuerat introducta. Illi quædam præfatur ad eum usq; locum, quo dicit: Audistis quod dictũ sit ueteribus: Nõ occides. Sunt aũt præfationis huius duæ partes. Vna, qua negat se ad destruendam legẽ ac prophetas uenisse. Altera, qua uehementi assertione, significat legem esse adimplendam, ita ut nec iota unum sit præteriturum ex lege, donec omnia facta fuerint, & doctori curandum, ut ne unum quidem ex minimis illius mandatis soluatur, uidendumq; ipsis ut in iustitiæ studio Scribas & Pharisæos excellant, si uelint ingredi in regnum cœlorum. Præfationis huius duplicem arbitror fuisse causam. Vnum quam Pharisæorũ ac Scribarum dederit malicia, alterã, quam exhibuerit sollicitudo præmonendi discipulos, ne quam siniſtrã de negocio regni Dei suspicionem animis suis admitterent. De utraq; dicam, quæ mihi uidentur consideranda.

Primum, Pharisæi & Scribæ, tametsi nec legẽ seruarent, Ioan. 7. nisi quædã illius minima, Matth. 23. illãq; suis traditionibus ita eneruassent, ut luxatus esset plane, uerus illius sensus ac debilitatus genuinus uigor, infra 15 atq; interea omnem iustitiam cum suis ac patrum traditionibus, tum legalibus cerimonijs adscriberẽt, ut sua tuerentur, huc singulari dilabebantur malicia, ut Christum apud populum uelut legis inimicum ac destructo-

rem

rem ſuſpectum redderent, & tanquam inimicum Dei, omniſq; ueræ iuſtitiæ, & hominem peccati, uoratorem ac potorem uini, publicanorumq; ac peccatorũ ſocium traducerent, & exoſum facerent. Sic Ioan. 9. dicebant eum non eſſe ex Deo, eò quòd ſabbatum non cuſtodiret, cum tamen legem ille tam non ſolueret, ut magis eam adimpleret etiam, per ipſos uerò cum falſis expoſitionibus, tũ adiectis humanis cõſtitutionibus deſtrueretur.

Et hanc ſuſpicionem firmare nitebantur, primum ex doctrinæ genere quo utebatur. Neq; enim docebat ſicut Scribæ infra cap. 7. Deinde ex contemptu humanarum traditionum, infra cap. 15. Tertio ex eo quod nec ſabbata cuſtodire, nec ſacrificia, neq; legales illas purificationes admodum magnificere uidebatur. Ioan. 9. infra 15. Cum hæc ſciret Chriſtus, quẽ nihil latebat, quoniam rectum legis ſenſum declaraturus erat, uoluit primum ſiniſtram iſtam ſuſpicionem à ſe abijcere, deinde aduerſariorum ſuorum improbitatem detegere.

Deinde, quoniam fieri poterat, ut & diſcipuli in id ſuſpicionis erga ſe inciderẽt, quaſi ſeueritatẽ eius iuſtitiæ, quæ lege Dei traditur, perinde atq; patrũ traditiones, & Scribarũ ac Phariſæorũ cõmenta, ſublaturus ac reprobaturus eſſet, eoq; ipſum cupiduis, ad conſequendam carnis libertatem, ſequerentur, & hoc nomine iſta præſãri uoluit, quibus diuerſum traderet, & exactũ ueræ iuſtitiæ ſtudium requiri in regno Dei ſignificaret.

Huc uidelicet iſta pertinent, quæ hoc loco dicit: Nolite exiſtimare, quod uenerim ad deſtruendã legem, aut prophetas, imò non ueni ut deſtruam, ſed ut compleam. q.d. Apparet me nouũ quoddã doctrinæ genus inducere, quod lege Dei & ſcriptis prophetarum aduerſetur, & quo ſtudium illud iuſtitiæ, quod legis ac prophetarũ ſcriptura requirit, è medio ſit tollendũ. Quòd ſi hoc exiſtimatis longe erratis: tam enim abeſt, ut hoc agã, ut magis in eo ſim, ut legem ac prophetas compleam.

Sed uideamus quomodo Lex ſoluatur, & quomodo adimpleatur, primum in genere à mortalibus, deinde ab ipſo Chriſto ſpecialiter.

1 Soluitur Lex à mortalibus, primũ cum per falſas expoſitiones, aut traditiones humanas irrita redditur, & inanis. Hoc ſenſu adimpletur etiam, quando rectè traditur, & hoc docendo agitur.

2 Vtritè ſeruetur. Soluitur deinde quando uel carnis imbecillitate uel impio & contẽptore animo præcepta illius uiolantur. Hoc ſenſu adimpletur, quando pietate cordis, et innocẽtia manuũ pure cuſtoditur. Duobus hiſce modis lex dei uel ſoluitur, uel impletur à mortalibus.

Peculiariter uerò Chriſtus legem Dei & prophetas compleuit. Primũ per aduentũ ſuum in carnẽ, cum quæ in lege ac prophetis de regno ipſius & humani generis redemptione olim promiſſa fuerãt, adimpleret. De hac adimpletione meminit Lucæ ultimo. Deinde per ſpiritum ſuum, quo cordibus credentiũ, per fidem repurgatis, legem Dei inſcribit, qua de re uidere eſt, Hiere. 31. Ioan. 7. Duo iſti adimplendæ legis ac prophetarũ modi nemini niſi ſoli Chriſto adſcribi poſſunt, in prioribus duobus licet ipſe quoq; ſolus legẽ rectè docẽdo ac uiuendo perfectè adimpleuerit, pij tamen, quoniam dono gratiæ ipſius ali quouſq; cum docẽdo tum uiuendo legẽ adimplent, ea in re illi cõmunicant. Rectè itaq; Chriſtus dicit: Ne exiſtimetis quod uenerim ad deſtruendam legem aut prophetas. Imò non ueni ut deſtruã, ſed ut cõpleam. Quemcunq; nanq; ſoluendæ legis modum reſpiciamus, non poteſt illi aſſignari hoc impietatis, ut ad deſtruendam legem uenerit, deinde nõ poteſt excogitari modus adimplendæ legis, quem non uel ſolus, uel cum alijs imperfectis ipſe perfectus adimpleuerit.

OBSER.

Primum, antiquum & ſolenne eſt phariſaicæ iuſtitiæ ingeniũ, impietatis notam inurere ueræ iuſtitiæ ſtudioſis. Qui legẽ ſolus uerè adimplebat, à Scribis & Phariſæis audiebat legis ac prophetarum deſtructor. Quare? Quia corticẽ diuinæ legis, ſabbata, ceremonias, purificationes, & ſacrificia non eo, quo ipſi, modo ſeruabat, ſed ueram iuſtitiã ac genuinã diuinæ legis obſeruantiam cuſtodiebat, & cuſtodiendã tradebat. Sic Apoſtolus eidem hominũ generi uidebatur deſtruere legẽ, cum de uera illius adimpletione quæ per fidẽ eſt in Chriſtũ, tanta ſedulitate doceret. Vnde & Rom. 3. dicit. Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit. Imò magis legem ſtabilimus. Nam reuera magis ad impletionẽ legis facit doctrina fidei, quàm ad deſtructionem. Lex enim requirit uerã cordis iuſtitiã, quam nõ ipſa ſed fides per gratiam Chriſti præſtat. Ideò ad Chriſtũ illa mittit, poſteaquam ſuo eſt functa officio. Sic alibi dicit: Chriſtus eſt finis legis, ad iuſtitiam omni credenti. Et Gala. 3. Lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide iuſtificemur.

Tale quid, & Euangelicis doctoribus hoc noſtro ſæculo accidit. Vbi docent non eſſe quæuis credenda quæ uel per Pontificũ decreta, uel cõciliorũ ſanctiones, uel monachorum ſomnia ſunt inducta, audiunt confeſtim à Pontificijs, Chriſtianæ fidei deſtructores, cum toti in eo ſint, ut Chriſtianam fidem ſyncerã & illibatam ſponſo Chriſto ſeruandã Eccleſiæ cõmendent. Vbi ſacramentorum rectũ & genuinum uſum docent, & cõtrarium, præſertim cum idololatria & quæſtu coniunctũ reprobrãt, traducũtur tanquam cõſpurcatores ſacramẽtorũ. 3

Ad eundẽ modũ uocantur hoſtes Eccleſiæ, propterea quod docent ſponſo Chriſto cõpetere os loquendi et imperandi. Eccleſiæ uerò aures audiendi & obediendi, ideoq; magis audiendũ ouibus quid unicus ac uerus paſtor Chriſtus præcipiat, quàm quid ſerui illius, etiam ſi ſint quod dicũtur, mandent. Vocãtur ruptores unitatis Eccleſiaſticæ, eo quod cũ Chryſoſtomo, imò primũ cum Paulo docent, magis hoc eſſe curandũ, ut capiti cũ membris ipſius, quàm ut membris ſine capite adhæreatur. 4

Ne ſingula recenſeam, ubi uerũ Dei cultũ, & honorem, uerum Eccleſiæ Chriſti ornatũ, ueram peccatorũ confeßionem, reſipiſcentiã, & remißionem, uera bona opera, & rectum illorũ uſum, uerum orãdi, ieiunandiq; rationẽ docẽt, et iuxta horũ omniũ corruptionẽ, ſuperſtitionẽ, & impietatẽ impugnãt, cõfeſtim ab hypocritis proſcindũtur ac lapidãtur, tanquã abrogatores ueri ac genuini cultus, ſanctorũ hoſtes ac blaſphematores, Eccleſiarũ ſpoliatores, cõfeßionis, pœnitentiæ, remißionis peccatorũ, bonorũ operũ orationis, ieiunijq; contẽptores,

res, cum nõ isti sed illi reuera hæc omnia iamdudũ proculcârint. Isti uerò rectũ eorũ usum tradant, & urgeãt.

Deinde, quod tum discipulis Christi accidere potuit, ut suspicarẽtur ex amore libertatis carnis, & odio legis ac traditionum paternarũ, Christum nouo suo docendi genere, & legẽ et prophetas pessundaturũ, ideoq; desideratam carni quiduis agẽdi inducturum, licentiã: idem certè hoc seculo quàmplurimis accidisse uidemus, qui nulla alia ratione Euangelicæ doctrinæ sese coniunxerunt, quàm quod rectè uiuendi seueritatem abrogatum, & concupitam carni delinquendi libidinem indultum iri putabant. Vbi audiebant impugnari falsa bona opera, bonorumq; operum fiduciam, & soli fidei iustificationẽ adscribi, reprobari papisticam confessionem, superstitiosas & impias precationes, & coacta illa partim etiam superstitiosa, nonnunquàm & simulata ieiunia reprehendi, cœperunt statim animum ad bonorum operum ueræ confessionis, ac ueræ ieiunij abiectionem adhibere. Proinde non debet mirum uideri Christi ministro, si apud carnales auditores hac ipsa fuerit suspitione grauatus, qua suo tempore & Christus & Apostoli grauati fuere. Sed hoc cum primis curet, ut & doctrinæ & uitæ integritate probè communitus sedulo cautionem, hanc Christi inculcet, dicẽs: Ne existimetis doctrina hac mea carnis libidini patrocinari &c. Sciatq; cum primis hoc sibi curandum esse, ut nemo non intelligat, quid toto suo ministerio agat. quid non agat, quem scopum petat, quem auersetur, ne qua cuiquam relinquatur sinistræ suspicionis causa.

Amen quippe dico uobis, donec prætereat cœlum & terra, iota unũ aut unus apex non præteriérit ex lege, quoad omnia facta fuerint.

Per assertionem ac diuinæ legis ueritate ac firmitudine sumptam rationẽ reddit eius quod dixit: nempe legem Dei non esse soluendam sed cõplendam. Integra est ueritas Dei, nõ in quibusdam duntaxat uerbis, sed prorsus in omnibus. Nullum enim potest esse in Deo mendacium. Huius enim omnia etiã quæ uidentur nullius propè esse momenti, ex omni parte uera sunt, & firma. Hoc dicit hic se Christus agnoscere, imò non agnoscere tantum, sed & constanter de diuinæ legis ueritate & constantia asseuerare, tam uidelicet aberat, ut legis destructionem meditaretur. Et huius gratia non simpliciter dicit: nõ præteribit lex, quoad fiat, sed: iota unũ aut apex non præteribit ex lege, quoad omnia fiant. Quod dicit donec cœlum & terra prætereant, hoc loco non est ultra mentem ipsius diuexandum. Nihil enim dicit aliud, quàm uel firma forte, quæ in lege sunt, ad finẽ usq; mundi, uel, citius cœlum ac terram, quàm unum apicem ex lege periturum. An machina illa cœli & terræ peritura sit olim, & quatenus, tota ne uel aliqua sui parte, non est huius loci consideratio.

OBSER.

1 Locus hic est, de certitudine ac ueritate uerbi Dei. Etenim dictio legis hoc loco, non tantum de præceptis legalibus, sed in genere, de omnibus quæ in lege sunt, intelligenda est, præsertim de promissionibus. Ita scilicet pie sentiendum est de uerbo Dei, ut non dubitemus, nullum esse illius apicem, nullum iota, in quo non sit declarãda certissima & ueracissima Dei ueritas. Eloquia Domini, inquit, eloquia casta, argẽtum igne examinatum, probatum septuplum. Hac ueritate uerbi Dei nititur piorum fides, inq; omnibus quibuscunq; tentationibus inuicta illius soliditate uictrix euadit. Reperias, qui multum dent fidei uaticinijs Sybillarum, Theoduli ac similium, ut quæ in illis scripta legunt, diligenter obseruent, & cursum temporũ, quibus singula uel in speciem compleantur, notent, et ex præteritis de futuris adhuc irremissam expectationem concipiunt. Quanto quæso satius fuerat, si non maiori, uel pari saltem fide ac diligentia quæ in uerbo Dei traduntur obseruare, & propter inconcussam & indubitatam illius ueritatem, toties declaratã, de promissionibus illius nihil prorsus ambigere? Psal. 12

2 Quoad omnia facta fuerint.) Non dicit, quoad omnia lecta, uel audita, uel cognita, sed facta fuerint. Ergo quæcunq; in lege sunt, ociose posita nõ sunt, nec possunt sciendo, audiendo, dicẽdóue compleri, sed facto adimplentur. Sunt in lege ceremonialia, quorum quædam non humano aliquo sed diuino, quædam uerò, & diuino & humano facto adimplentur. Rursus sunt in lege moralia, quæ ab hominibus adimplẽda sunt. Præterea, sunt in lege promissiones diuinæ, quarũ adimpletio diuinam ueritatem concernit, cuius gratia Christus factus est minister circuncisionis, ad confirmandas promissiones patrum. Sunt quædam nondum adimpleta, sed adimplenda suo tempore, quale est, quod de conuersione Israëlis in Mose prædictum est, Deut. 4. Sunt & minæ quædam, partim adimpletæ, ut est eiectio Israëlis ex terra promissa: partim adhuc in effectu existentes, ut est cæcitas illa Israëlis, & uocatio gentium: partim olim adimplendæ, utpote de interitu impiorum. In summa, nihil ociosum est in lege, quod non sit uel diuinitus adimpletũ, aut adhuc adimplendum, uel per homines præstandum, & ipso opere seruandum. Rom. 15 Deut. 4

Quisquis igitur soluerit unũ ex mandatis hisce minimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno cœlorum. Quisquis aũt fecerit & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cœlorum.

Ista conclusionis uice ex præmissis inferuntur, & cum primis doctores regni cœlorum concernunt. Non enim simpliciter dicit: Quisquis soluerit unum ex mandatis hisce minimis, minimus uocabitur in regnõ cœlorum. Quisquis autem fecerit, hic magnus uocabitur, sed utraq; parte addit: & docuerit. Videtur autem hac conclusione partim respicere ad id quod dixit: Ne existimetis quod uenerim ad destruendam legem aut prophetas: partim admonere discipulos, quæ doctrinæ pariter ac uitæ perfectio à doctoribus requirenda sit in regno cœlorum, id est, Ecclesia illa noui Testamenti. q. d. Longè alia perfectione uitæ ac doctrinæ opus est doctoribus in regno cœlorum quàm à Scribis & Pharisæis præstari uidetis, tam uidelicet abest, ut uenerim

ita

ita annunciare regnum Dei, ut diuinæ legis ueritatem ac uigorem eneruem. Affirmo enim uobis, minimos fore uos in regno cœlorum, si Scribarum more uel minima legis mandata solueritis, & sic docueritis homines.

OBSER.

1 Admonet itaq; hic locus, quæ requiratur à doctoribus noui testamenti in Ecclesia Christi perfectio. Nempe, primum ea, quæ non solum sit in doctrina, sed & in uita, ita ut quod uerbis docetur etiam ipsa uita exprimatur. Quisquis fecerit, inquit, & docuerit. Sic Paulus castigabat corpus suum, & in seruitutem redigebat, ne
1.Cor. 9. cum alijs prædicaret, ipse reprobus efficeretur, deinde & ea, quæ etiam minuta Dei mandata omnia cum uiuendo tum docendo seruet. Est enim doctrina regni cœlorum doctrina non humanarum traditionum, sed uerbi Dei, cuius etiã quæ minima uidentur, ad iustitiæ perfectionem requiruntur. Vbi autem perfectio requiritur cum uitæ tum doctrinæ hic certè ne minuta quidem neglegenda sunt. Nequit enim regni cœlorum perfectio seruari, si quid illi fuerit ademptum, utut minutum in speciem, ut haud alia sit ratio perfectionis in regno cœlorum, quàm quæ est uitæ nostræ, cui si quid desit certè consistere haud quaquam poterit, ut & hic locum habeat illud Greg. Nazan. οὐ μικρὸν ἐν βίῳ τὸ παρὰ μικρόν. Huc scilicet facit, quod non dicit: quisquis igitur soluerit mandata legis, sed quisquis soluerit unum, ex mandatis istis minimis.

2 Et docuerit sic homines.) Quoniam à ministro ac doctore regni cœlorum non hoc tantum requiritur, ut ne unum quidem uel ex minimis mandatis Dei soluat, sed omnẽ iustitiam cum Christo adimpleat, uerumetiã, ut hanc perfectionem iustitiæ solidæ & integræ quosuis doceat, absq; ulla contradictione sequitur, studium hoc perfectæ iustitiæ non ipsis tantum doctoribus, sed simul etiam uniuersis competere auditoribus. Alioqui nulla ratio apparet, ob quam doctrina iustitiæ eandẽ requirat integritatis perfectionem, quæ in uita doctorum debeat exprimi, nisi qui docẽdi sunt ad eandem astringantur. Minus quidem ueniæ habet doctor errans & peccans, quàm auditor, si erret ac delinquat. Verũ hoc non ita exponendum est, quasi minus per se iustitiæ requiratur ab auditoribus quàm à doctore, sed quod doctor errans ac delinquens minus habeat excusationis, & plus adferat detrimenti, quàm auditor errans ac delinquens. Alioqui utriq; ad studiũ perfectionis adstringuntur pro ratione pietatis, cuius obseruãs esse debet omnis homo. Perinde enim atq; medici sanitas, et sanandi studium nõ eò rapi debet, quasi medicorũ duntaxat sit, integra esse ualetudine, sed à medicis potißimum requiritur perfecta sanitas, & curandi diligentia, ut qui infirmi sunt, sanitati per eos restituantur. Quis enim ita declarat, ut contentus sit, si interea cum ipse morbo decumbit, medicus bene ualeat?

3 Minimus uocabitur in regno cœlorum, & magnus uocabitur in regno cœlorum.) Videntur Scholastici ex hoc loco occasionem sumpsisse in speciem, ut quæ Christus hic de minimis mandatis loquitur, interpretẽtur de consilijs Euangelicis. Nam ut est 14. quæst. 1. arbitrantur aliam esse rationem præceptorũ quàm consiliorum. Domini illic inquiunt, si non obtemperaueris peccati pœnã sustinebis, hic uerò, si non acquieueris, minus quidem boni adipiscēris, mali autem nihil perpetrabis. Si de præcepto inquiunt esset ista perfectio, quam Christus hoc capite tradit, non dixisset: Si quis soluerit unum ex hisce mandatis minimis, & docuerit sic, minimus uocabitur in regno cœlorũ, sed, regnũ cœlorũ non ingredietur, nec dixisset: Qui uerò fecerit et docuerit sic, magnus erit in regno cœlorũ, sed, regnum cœlorũ ingredietur.

Respondeo. Primum, si de consilijs Christus hoc loco et nõ de præceptis loquutus esset, non dixisset: Quisquis soluerit unum ex mandatis hisce minimis, sed, quisquis soluerit unum ex consilijs hisce minimis. Qua igitur temeritate dicemus esse cõsilia, quæ Christus uocat mandata? Quod autem ea minima uocat, non ideò factum est, quod inter mandata non debeant censeri, uel quod in se sint minima, sed quod à Scribis & Pharisæis sine peccati conscientia soluebãtur. Deinde quod dicit: Minimus uocabitur in regno cœlorũ, etiam cõsentiente Chrysostomo, nihil est aliud quàm, abiectus erit, & excluſus è regno cœlorum. Et ipse tractatus horum minimorum mandatorũ satis indicat, quid expectandum sit ei, qui aliquod horum mandatorũ soluerit. Primum in eo quod dicit: Nisi abundauerit iustitia uestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum non intrabitis in regnum cœlorum. Deinde, quod dicit. Quisquis irascitur fratri suo, reus erit iudicij. Tertio. Quod dicit: ne quando tradat te aduersarius iudicij &c. Quarto, quod dicit: Quicunq; uiderit mulierẽ ad concupiscendum eam, iam adulterium commisit cum ea in corde suo, & quæ sequuntur alia. An periculum non est similem fieri publicanis, & gratiam nullam habere apud patrem cœlestem? An nihil habet periculi ædificare supra harenam, cum tanta iactura? An periculo caret reum fieri iudicij & gehennæ? & gratiam filiorum Dei amittere? Atqui huiusmodi sunt, quæ minatur Dominus minimorum horum mandatorum solutoribus.

Præterea, huc etiam facit, quod non dicit uspiam toto orationis huius contextu: si uultis, hoc & hoc facite, sed ubiq;. Ego autem dico uobis: Quis non uidet Christum hic loqui nõ de rebus nihili, quibus sine periculo carere possimus, & quæ nostro permissa sint arbitrio, sed de rebus magnis, & ad ueram ac solidam iustitiam ita necessarijs, ut digna sint, quæ à præceptore tanto tanta cum autoritate præcipiantur?

Sed esto, demus aduersarijs, quæ hoc capite traduntur à Christo, esse consilia, uerũ perpendamus primum quid sit consilium, deinde quis sit consilij finis, tertio, quis sit hic consultor, quarto, quibus consulat, quinto, qua in re consulat.

CONSILIVM QVID SIT.

Consilium, opinor, est rerum agendarum aut omittendarum sapienter excogitata ratio. Quomodo igitur 1
poterit à sapiente negligi bonũ consilium. Pro. 12. Qui audit consilium inquit, sapiens est. Quia salus est ubi bonum consilium est. Pro. 11. Itaq; qui consilium cõtemnit, & sapientiam pariter & salutem contemnit.

QVIS

QVIS FINIS CONSILII.

2 Consilij finis est, iuuare impũdentem, quo sapienter posit uel cauere damnũ, uel acquirere salutẽ. Proinde consilij appetentißimi sunt, angustiati & adflicti, & qui nolunt agere temerè. Qui uerò consilium non admittunt, & auxilio priuantur, & suopte uicio pereunt. Sic nos Germani dicimus Vuem nit zu radten ist, dem ist auch nit zu helffen. Propterea ad consulendum opus est, nõ solum prudentia, sed & animo beneuolo, qui miseris cupiat esse quàm consultißimum. Et ob eam causam, quibus opus est consilio, non quosuis accedunt, sed præcipuos ac synceriores amicos.

QVIS SIT HIC CONSVLTOR.

3 Ex præmißis satis apparet, quis nam bonum posit præstare consultorem. Nimirum, qui sapiens est & uir bonus. Si Christus hic consulit, ut uolunt, negabimus ne illi sapientiæ laudem. Cum sit ipsa sapientia Dei? Negabimus illi bonitatis encomium, cum seipsum nostri gratia impenderit quo seruaremur? Non puto. Imò nemo melior illo poterit esse cõsultor? De eo nanq; dictum est: Et requiescet super eum spiritus domini, spiritus consilij, sapientiæ & prudentiæ Esa. 11. Sunt itaq; ipsius consilia non hominis, sed Dei, ideoq; summe necessaria, & toto corde uniuersis pijs amplectenda. Quam igitur gloriam Christo tribuũt isti homines, qui non solũ ex præceptis illius consilia faciunt, sed illa talia esse docẽt, quæ sine periculo & damno negligi queant?

QVIBVS CONSVLAT.

4 Si consulit hoc capite Christus, certè discipulis suis in se credentibus consulit. At horum est non solum præceptis, sed & consilijs præceptorum suorum esse obtemperantes. Nam hoc est boni discipuli ingenium. Conferatur hic utrinq; cum præceptoris tum discipulorũ conditio. Præceptor est optimus. Amat uehementer discipulos, ideoq; illis non potest nisi salutaria præcipere. Christus est medicus, nos ægroti. Quis ægrotus sine periculo uitæ suæ boni ac sapientis medici consilia contempserit?

QVA IN RE CONSVLAT.

5 Plurimum refert qua in re detur consilium. Si de lana caprina, perexiguum erit negligenti periculum. At hoc capite Christus, sicut & aliàs ubiq;, non de rebus nihili, sed de causa salutis ac regni Dei præcipit, id est, de ueræ ac solidæ iustitiæ perfectione. Quis hic, salutis suæ cupidus sus. q; deq; faciet, quid ab hoc præceptore præscribatur? Quænam est ista insania, qua docẽt perfectam iustitiam non esse necessario meditandam, cuilibet Christiano? Quis non cupit perfectæ sanari? Vulnerati usq; adeò curari cupiunt, ut ne uestigiũ quidem ullum accepti uulneris reliquum appareat. Minoris ne facienda est animæ quàm corporis curatio?

Verum haud præter consilium est Satanæ peßimum hoc figmentum. Nouit Satanas, quid hoc capite tradatur, & quanta sit hic perfectio iustitiæ præcepta, deinde haud ignorat ingenium carnis, quàm illa genus hoc doctrinæ auersetur. Itaque uiam reperit, qua & cursum perfectæ iustitiæ, quæ in regno Dei requiritur, impediat, deinde carnis ingenio fucum faciat. Tertio locum aperiat pestilentißimis hypocritis, qui professione perfectionis turgidi, obseruantiam horum præceptorum, quæ ipsi consilia uocãt, sibi solis uindicent, & hoc prætextu turpißimum quæstum uenentur, nundinatione uidelicet operum supererogatorum, quasi quæ præcepta sunt omnibus absq; ulla reprehensione ita præstiterint, ut præabundanti spiritu & ocio etiam non necessaria, quæ alijs uenum exponant, congesserint, ô diabolicam temeritatem. Hæc uolui concessionis gratia adijcere, ut uideat lector quæ sit absurditas impij huius figmenti, quæ tam luculenta Christi præcepta male consulti homines in consilia non necessaria mutarunt.

Oritur hic quæstio de lege Mosaica, fuerit ne illa 4
abolenda uel secus. Videtur aũt hic Christus perpetuitatẽ illius asserere, quæ etiã per noui testamenti tempus in regno cœlorũ inter Christiana fidei professores dura re debeat, cum asseuerat, nec iota unũ, nec apicẽ, donec cœlum ac terra prætereat, præteriturum, donec omnia fiant, & eum fore minimũ in regno cœlorũ, qui ex mandatis hisce minimis uel unũ duntaxat soluerit, & sic homines docuerit, ut uideantur hæc Christi uerba, & quæ Apostolus Gala. 5. scribit, cum dicit: Ecce ego Paulus dico uobis, quod si circumcidamini, Christus uobis nihil proderit, & cum Ephe. 2. Christum legem mandatorum in decretis sitam abrogasse dicit, inter se admodum pugnare.

Verum, quoniam hæc quæstio à multis doctis, cum ueteribus tum recentioribus diligenter est excussa, & explicata, uidetur hic breuiter attingenda. Legis dictio uarie accipitur. Aliquando pro uniuersa illa Mosaica populi Iudaici institutione, cum uniuersis illius cerimonijs usurpatur. Nõnunquàm pro cerimonijs tantum aut operibus legis, quandoq; etiam pro decalogo. Sic Rom. 2. cum Gentes Apostolus naturaliter quæ legis sunt facere scribit. At propriè lex Dei תורת est uitæ institutio, ad uoluntatem diuinæ ordinata. Vel, est mens illa & uoluntas Dei, ad quam uita nostra omnibus est dirigenda. Sic Paulus plenitudinem legis uocat dilectionem. Roma. 13. Est enim Deus charitas ideoq;, et unicus legis scopus & plenitudo est, ut charitatis spiritu imbuamur ac reformemur. Ita et Christus Matth. 22. dicit. In his duobus mandatis tota lex & prophetæ pendent. Et Apostolus Gala. 5. Omnis lex in uno sermone impletur. Diliges proximum tuum sicut teipsum. De hac lege Dei loquitur hic Christus, quæ scilicet mentes mortalium ad ueram ac solidam iustitiam reuocantur, ita ut integer fiat homo Dei ad omne opus bonum instructus. 2 Timo. 3. At hæc lex non est tum primũ orta, quando Mosaica illa scribi cœpta est, sed est æterna cum mente ac uoluntate Dei. Nõ erat lex de colendo Deo scripta cum Abel Deũ diligeret, & offerendo coleret. Non erat scripta lex de diligendo, & non occidendo fratre, cum Cain dicebat: Maius est peccatum meum quàm ut ueniam merear. Et tamen quis non uidet summam legis scriptam fuisse in cordibus utrorumq; iam mox initio mundi? Huic legi Dei Mosaica illa literis tradita, cum suis præceptis ac ritibus seruiunt ad tempus, tanquã pædagogus quidam, donec adueniret temporis plenitudo, qua per Christum in hunc mundum missum spiritus daretur adoptionis in

corda

corda credentium, quo imbuti clamarent Abba pater, hoc est, uerè & ex animo legem illam Dei adimplerent. Galatas 4.

Hanc certè legem Christus non uenit ut solueret, sed ut adimpleretur. De hac ne iota quidem aut unicus apiculus intercidet, & huius ne minimũ quidam mandatũ, nec uita, nec doctrina soluendum est in regno cœlorum.

Circumcisio non perijt, quando spiritu Dei finis illius in cordibus credentium adimpletur. Rom. 2. Col. 2. Oblationes pecudum, & quæ alia pro peccatis offerebantur, Christus non soluit sed adimpleuit, cum corpus suum pro peccatis nostris Deo patri in cruce offerret. Purgationes illæ legales nõ sunt factæ irritæ, & inanes, quando corda nostra per sanguinem Christi, in spiritu Dei, Euangelio credentibus expurgantur. Purgationem enim hanc ueram præfigurarũt, non præstiterunt. Sabbata non in uanum abierunt in regno Christi, sed magis adimplentur, quãdo iam Christo credentes toti Deo uacant, abstinentes ab operibus seruilibus. Sabbati huius umbram habuit lex Mosaica, corpus uerò in Christo est. Colo. 2. Summa usq; adeò lex Dei nõ perijt, quando umbris illius abrogatis, ipsa ueritas cordibus credentium per spiritum Christi iuxta uaticinium Hiere. cap. 31. inscribitur, ut iam uerius ac plenius agantur, et perficiantur illius omnia: perinde atq; exemplari nihil perit, adimpleto iam ædificio, nec umbræ detrahitur, acquisito, & obtento illius corpore, nec imbecillitas & imperfectio habent, quod quærantur, accedente robore & perfectione, nec potest flos interijsse dici, quando fructus est maturitatem consequutus.

Ex his facile uidere est, quatenus abrogata sit lex Mosi, quatenus non sit. Cortice illius cerimonijs uidelicet illis externis liberati sumus, deinde & in pædagogia illius nihil in nos habet iuris, qui sub Christo sumus, ita ut illius maledictiones ad nos haud quaquam pertineant, cum simus sub gratia. Verum à mente & scopo legis, dilectione uidelicet Dei & proximi liberati non sumus, de qua ne apiculus quidem tolletur in perpetuum, donec conformes reddamur imagini filij Dei, quod omnino futurum est. Est enim necesse, ut impleatur etiam in nobis lex Dei æterna illa, & perfecta. Quæ semel erant adimplenda, per Christum sunt adimpleta, quæ ad tempus duntaxat, tempus uidelicet pædagogiæ, seruanda erant, & Iudæos concernebant per aduentum Christi sunt abrogata. Quæ sempiterna sunt dilectio uidelicet Dei & proximi, nec sunt abrogata, nec unquàm abrogãda, sed in electis omnibus perpetuo sunt adimplenda.

Dico enim uobis, nisi abundauerit uestra iustitia, plus quàm Scribarum & Pharisæorum non possitis ingredi in regnum cœlorum.

Q. d. Tam abest ut legis ac iustitiæ remissionem inducere uenerim, ut in regnum cœlorum, quod annuncio, non sitis ingressuri, nisi Scribarum ac Pharisæorum iustitiam superetis, quæ utut magna uideatur, in regno tamen cœlorum nihil erit.

Dico enim uobis.) Quis non uidet quo serio Christus hic loquatur, & quantam exigat à suis iustitiæ perfectionem? Dico uobis inquit, hoc est, affirmo uobis hoc, quicquid alij dicant ac statuant. Vobis inquam qui mei estis hoc affirmo. Si mihi quicquam creditis, nolite regni cœlorum uel uobis uel alijs polliceri ingressum, nisi maiorem ostenderitis iustitiam, quàm qua Scribæ et Pharisæi turgent, & præ se quosuis contemnunt. Absit enim hoc à regno cœlorum, ut ad remittendum, & non magis intendendum uerũ iustitiæ studium prædicetur.

Nisi iustitia.) Ex ipso argumento quod Christus hoc locõ tractat, satis apparet, uocare illum hic iustitiã, totius uitæ rectitudinem uel integritatem, aut certè plenam diuinæ legis obseruãtiam, ut iustus sit ille qui omnis iuris & æqui seruans est, quem Gentiles literæ uirũ bonum uocant. Sic Paulus 1 Timo. 1. iusti dictione absolute usus est cum dixit, iusto non est lex posita. Cum ergo Christus exigit à suis iustitiam, nihil exigit aliud quàm animum integrũ, syncerum ac probum, cum diuini tum humani iuris seruãtem, cuius hoc sit studium, ut omnem iustitiam adimpleat.

Vestra.) Non exigit à suis Christus alienam, sed ab unoquoq; suam ac propriam iustitiam. Vulgo in Papatu magnis opibus empta est sacerdotum ac monachorum iustitia, eoq; tandẽ usq; creuit ista seductio, ut propè nemo fuerit qui non spe illius cœlos sibi pollicitus sit.

Abundauerit.) Nunquid arduum satis uideri poterat, si dixisset nisi par fuerit uestra iustitia? Si pares nõ habent locum in regno cœlorum, inferiores quomodo habebunt?

Plusquàm Scribarum & pharisæorum.) Scribæ & pharisæi erant omnium inter Iudæos spectatissimi, iustissimi ac sanctissimi habiti. Illis nihil uidebatur absolutius. Erant in lege præ reliquis docti. Erant legis explanatores. Erant etiam obseruandæ illius seuerissimi exactores, imò non legis duntaxat exactam simulabant obseruantiam, sed & traditionum paternarum studiosissimi erant æmulatores, ut hoc Christi dictum eo tempore haud aliter sonuerit, quàm si antè annos aliquot dixisset quisquam, nisi abundauerit iustitia nostra plus quàm Minoritanorum & Carthusianorum, non intrabimus in regnum cœlorum.

Nec frustra est, quod non dixit nisi abundauerit uestra iustitia plus quàm publicanorum aut peccatorum, cum tamen & istorum uita talis fuerit, ut regno cœlorum non potuerit admitti, sed, plus quàm Scribarum ac Pharisæorum. Sunt huius duæ rationes.

Prima est ut exprimeret, quanta requiratur in regno cœlorum iustitiæ perfectio, hoc est, quousq; excellere debeat Euãgelica iustitia, eam quæ est ex operibus legis, & obseruantia traditionum paternarum. 1

Altera est, ut præmoneret suos quatenus sibi à fermento Scribarum & Pharisæorum, hoc est, ab ipsorum uita & doctrina cauerent, id quod & infra cap. 16. monet. Erat illustris illorum opinio, & incredibilis hypocrisis, ad seducendum & imponendum rudioribus appositissima. Igitur cum primis opus erat, ut eorum opinio et autoritas apud ueræ iustitiæ studiosos ac regnum cœlorum ingressuros labefactaretur. Tulerant enim illi 2

clauem scientiæ, & regnum cœlorum, nec ipsi intrabãt nec alios ingredi sinebant. Publicani & peccatores faci le uitabantur, at hoc hominum genus non ita.

Reijcit itaq; ab ingressu regni cœlorum, doctissimos ac sanctissimos inter Iudæos, nec aliquos tantum ex illis, sed in genere totum illorum ordinem, idq; non manifestorum scelerum, sed iustitiæ ipsorum gratia, quæ erat externorũ legis operũ obseruantia quædã in specie &c.

Non intrabitis in regnum cœlorum.) Tolerabile esset, si excluderet à uili quodam consortio, uerũ excludi à regno cœlorum, in quo solo uita est ac sempiterna fœlicitas, id demum conscientiæ non prorsus impiæ durum est, & horrore plenum. Diceret saltem, difficile intrabitis, uel metuendum ne nõ sitis ingressuri. At cum dicit, non intrabitis, prorsus omnem intrandi spem amputat, nisi Scribarum et Pharisæorum iustitiam superemus. Quid ad ista inepti homines, qui hanc Christi doctrinam consilia non necessaria complecti tradiderunt, quæ tantum his competant, qui professionem ac statum perfectionis assumpserunt: quasi professio perfectionis non sit omnium Christianorum, nisi soli monachi ingressuri sint regnum cœlorum? Deinde, si Scribarum ac Pharisæorum iustitia, quæ tamen lege puniri non potuit, à regno cœlorum excluditur, quid futurum est illis, qui in Ecclesia Christi omnium uiuunt spurcissime, quorum uita usq; adeò scelesta est, & detestabilis, ut ne in terrena quidem republica, & laicorum, quos præ se fastidiunt, honestate, locum habere queant?

Tangit ubq.

Audistis quod dictum sit ueteribus: Non occides. Quisquis autem occiderit, obnoxius erit iudicio. Ego autẽ dico uobis quod quisquis irascitur fratri suo, obnoxius erit iudicio. Quicũq; uerò dixerit fratri suo rhaca, obnoxius erit concilio. Quisquis autem dixerit fatue, obnoxius erit gehennæ incendio.

1 Ab hoc loco ad finem usq; capitis, exemplis quibusdam declarat, quomodo non uenerit soluere legem sed adimplere, & quæ sint illa minima mandata, quorum ne unum quidem soluere liceat in regno cœlorum, quomodoq; in se credentes, modo regnum cœlorum ingredi uelint, Scribarum & Pharisæorum iustitiam excellere debeant. Nisi enim præmissa aliquot exemplis declararet, auditorem perplexum relinqueret, propter dictorum obscuritatem. Est autem hic modus, quæ aliàs obscure & breuiter, per gnomas comprehensa sunt, explicandi ac dilucidandi, rudioribus uehementer necessarius, & mirè cõmodus, quem ij potissimum imitari debent, quorum munus est doctrinam ueritatis cœlestium rerum adhuc imperitis ac rudibus ita tradere, ut illam pro captus sui imbecillitate ac tarditate, si non statim perfectè aliquo tamen usque cum pietatis fructu percipere queant.

2 Commodùm etiam usurpata exempla ita formatt, ut per collationem primũ pharisaicæ, deinde suæ doctrinæ ac iustitiæ causam hanc uelut ob oculos spectandam exponat.

Ad hæc, exempla ista non sumit de quæstionibus illis cerimonialibus, utpote, de circumcisione, sabbato, purificationibus, & oblationibus, quæ ad ueram pietatem nihil faciũt, & tamen magno serio à Scribis & Pharisæis haud secus agitabantur, quàm si prorsus totius iustitiæ ratio & cardo in illis uersetur. Nihil horũ in medium de iustitiæ perfectione disserturus, sed ea inducit, quæ ad charitatem, legis uidelicet plenitudinem faciũt, inducit. Vbi certè admonemur, quibus fructibus iustitiæ nostræ studium declarare debeamus. 3

Audistis quod dictum sit ueteribus.) Præcepta ista legis non ita adducit, ut in lege habentur, sed ut erãt à Scribis & Pharisæis deprauata, & populo rudi perperam inculcata, quod ideò facit, ut pharisaicam illam doctrinam, & iustitiam in lucem educat, & uitandam moneat. Non enim dixit: Nisi abundauerit uestra iustitia, plusquàm ea quæ per Mosen est tradita, sed, plus quàm Scribarum & Pharisæorum. Erat itaq; necessarium, ut non simpliciter legis præcepta, qualiter à Mose sunt lata, sed qualiter à Scribis & Pharisæis erãt eneruata adduceret. Vnde non dicit: Scitis quod in lege sit scriptũ, sed, audistis, quod dictum sit ueteribus. Et illud: Quisquis autem occiderit obnoxius erit iudicio, ex lacunis est pharisæorum, non ex puro fonte legis, qua adiectione rudis populus persuasus est, iudicio se non fore obnoxium, nisi manu occidisset.

Quod itaq; dicit: Audistis quod dictum sit ueteribus, idem est ac si diceret. Non est obscurum quid Scribæ & Pharisæi de præcepto contrà homicidium lato commenti sint. Siquidem quid traditum sit ueteribus, non est in occulto sed manifestum. Audistis hoc sæpenumero, publicum est & inuulgatum. Lex habet: Non occides. Mentem huius illi uelut obducta caligine adiecto glossemate oppresserunt, dicentes: Quisquis uerò occiderit, obnoxius erit iudicio, quasi iudicio nemo, quod ad hanc legem attinet, sit obnoxius, nisi manu occidat. Verum quidem est, lex non iudicat in foro reipublicæ, nisi ista qui ipso opere homicidium perpetrarũt. At illi non contenti hoc iudicio fori, etiam coràm Deo, in foro conscientiæ, non esse obnoxium iudicio uoluerunt, nisi qui manu occidisset, ut iustus sit coràm Deo, qui in pœnas illas legis externas propter externum facinus nõ incidit. Quodq; commentum hoc pessimum non fuerit tempore Christi recens adinuentum, sed iam olim ueteribus traditum, & inueteratum ex eo satis patet, quod dicit: Audistis quod dictum sit ueteribus.

Videmus itaque hoc loco, primum non esse firmum quemcumq; errorem, ex diuturnitate quantumcunque prolixa. Deinde nec facere ad confirmationem & iustificationem dogmatis, si passim ab omnibus fuerit susceptum. Alioqui potuissent his argumentis, uetustatis uidelicet & catholici consensus Christo occurrere, Scribæ & Pharisæi non minus quàm aduersarij ueritatis hoc nostro seculo conantur. Est hoc falsæ doctrinæ ueluti proprium, ut citò recipiatur, & recepta tenaciter retineatur, præsertim si uulgi fuerit errore confirmata. Exempla sunt in Iudæis, Turcis & Papistis: uerum Christus nihil erroris huius catholici iam ac uetusti robore impeditus,

impeditus, quod uerũ est fortiter illi opponit, quod qua ratione faciat, expendamus.

Inueterato & perpetuo errore Iudæi iustitiam non coràm hominibus tantum sed & coràm Deo, externis illis legis Mosaicæ operibus dederunt, nec aliam condemnationẽ posuerunt, quàm quæ legis est posita transgressoribus, qua re primarius legis usus apud eos prorsus erat suppressus. Is autem est, ut peccatum in carne nostra latens ac regnãs prodatur, & cognoscatur. Erat enim peccati uenenum in mundo ab Adam usq; ad Mosen, uerum non sentiebatur, non urebat mortalium conscientias, quia nondum erat datus exactor ille urgens et peccati reos condemnans. Subintrauit itaq; lex, ut peccatum abundaret & inualesceret, adiuncta simul iniustis maledictionis cõminatione, quod eò tendebat, ut per legem peccatum cognosceretur et simul aperiretur iræ diuinæ grauitas, quo uia pararetur gratiæ Dei, quæ mũdo erat in Christo destinata. Mysteriũ hoc Iudæi ignorantes, iustitiã quærebant coràm Deo, non fide ad exemplum Abrahæ, sed in operibus legis, præsertim ceremonialibus, utpote, præstitu facilioribus: cum tamen lex nihil posset præstare aliud, quàm ut reuelato peccato cordis immundiciam detegeret, iram Dei minaretur iniustis, atq; ita iustitiæ cordis quæ est per fidem, inseruiret excitando gratiæ Dei ac ueri medici desiderium: deinde, quantum pertinebat ad conuictum politicum, ne libera esset maliciæ in publicũ eruptio, habebat suas ueluti cathenas, certas pœnas malefactoribus ac transgressoribus intentatas, quibus peruersæ naturæ nostræ feritas coherceretur. Cum ista Iudæi ignorarent, non urgebant cordis iustitiam, neq; obseruabant illius impuritatem, nec intelligebant legem esse spiritalem, & non solum manibus ac linguæ, sed cum primis ipsi cordi quæ sancta sunt & iusta præcipere, non solum externè malefacta sed & cordis condemnare immundiciem. Ideò mandatum hoc legis: Non occides, nõ aliter populo exposuerunt, quàm, ut suprà dictum est, transgressorem uidelicet legis huius non esse, nisi qui manu occiderit, quasi radices suas homicidij malum non habeat in ipsis cordium nostrorum receßibus, & homicida non sit, qui uoto cordis proximum neci destinat iratus & inuidus. Sic Saul dicebat: Non sit manus mea in eo, sed manus Philistinorum. Et Pharisæi quamuis Christum Pilato crucifigendum tradidissent, prætorium tamen ingredi nolebant, prætextu uitandæ cõtaminationis quo purè possent manducare pascha. Et Act. 5. dicebant: Vos uultis inducere super nos sanguinem hominis istius, ac si dicerent: Nos non sumus rei sanguinis huius. Non enim nos occidimus illum, sed Gentes: Pilatus uidelicet, cum militibus suis, qui illum crucifixerunt.

primarius legis Vsus.

1 Sam. 18

Ioh. 18.

Ad hunc itaq; modum Scribæ & Pharisæi uirtutem legis huius, & principalem efficaciam expositionibus suis eneruarunt, idq; effecerunt, ut cordium iniustitia non proderetur, sed operum legaliũ fiducia obtegeretur, id quod nihil erat aliud quàm uiam ad gratiam regni Christi occludere. Ideò cum primis necessarium erat, ut præposteræ istæ ac peruersæ Scribarum & Pharisæorũ expositiones reijcerentur, quæ non solum Christo, sed post Christum etiam Apostolis plurimum peperere negocij, id quod Paulinæ epistolæ, presertim quæ ad Romanos & Galatas scriptæ sunt, satis declarant.

Christus non uenerat ob eam causam simpliciter, ut per rectam legis declarationem anxia redderet ac desperabunda mortalium corda, sed potius ob id, ut prædicaret annum acceptũ Domino, & captiuas conscientias liberaret, prædicaret Euangelium regni pauperibus, & quietas redderet peccatorum conscientias, uerum quoniam per falsas Scribarum ac Pharisæorũ glossas seductæ erant & malè securæ Iudæorum mentes, obtinueratq; in hac Gente suprà modum propriæ iustitiæ ex operibus legis acquisitæ fiducia, ita ut nisi hac reiecta, iustitiæ Dei, quæ per fidem est, capaces esse nõ possent, essetq; illis omnis interclusus ad regnum Dei aditus: necesse erat, ut Mosis officium Christus tantisper usurparet, dum per genuinam legis declarationem humani cordis impuritatem, diuino iudicio obnoxiam, aperiret & ream constitueret: quatenus timore maledicti impulsæ Iudæorum conscientiæ ad prædicationem gratiæ acceleràrent. Eodem modo et Apostolus duabus illis Epistolis ad Romanos & Galatas id usurpat, quod quidem non erat propriè Apostolicæ functionis, uerum ita necessarium, ut sine illo Euangelicæ gratiæ prædicatio prorsus fuisset infrugifera, quo certè opus non habuisset, si Iudæi intellecta lege uidissent, nõ ad hoc illam esse datam, ut iustificaret impios, sed ut impietatem & maliciam cordis humani argueret, atque ita ueræ iustitiæ, quæ per fidem est uiam pararet. Idem omnino & hodie faciendum est contra eorum seductionem, qui iusticiam quærunt in externis cerimonijs, non solum à Christo, sed & humanitus institutis, quum illa non sit, nisi ex fide Iesu Christi.

At ego dico uobis, quod quisquis iræscitur fratri suo, obnoxius erit iudicio.) Hactenus Scribarum & Pharisæorum seductricem ac perniciosam doctrinam uidimus, iam consequenter eam quæ Christi, expendamus. Iterum graui asseueratione sententiam suam inducit, imò autoritatem suam opinioni pharisaicæ fortiter opponit, dicens: At ego dico uobis, Ego inquit, præceptor uester, qui è cœlis in hunc mundum ueni, uobis discipulis meis aliud edico, perfectius quàm sit doctrina illa pharisaica. Docẽt illi iudicio esse obnoxium, eum duntaxat qui ipso opere occiderit, ego uerò uobis affirmo, usq; adeò detestabilem esse coram Deo cordis iracundi maliciam, ut qui iratus tantum fuerit fratri suo, etiamsi manu non occiderit, homicidij ac iudicij reus sit.

OBSER.

Principio obseruandum est in causa iustitiæ, & iusti iudicij, expendi diuinitus cordium nostrorum qualitatem, etiamsi illa in opus externum nõ erumpat. Homo iudicat secundum faciem, Deus autem intuetur cor. 1

Deinde, notandum est, quomodo recto ordine primum omnis homicidij radicem ac fontem ponat, & damnabilem coram Deo esse ostendat: iram uidelicet, quæ nihil est aliud, quàm commoti animi impetus, ad sumendam uindictam anhelans, qui ab ipso homicidio nihil 2

Jra quid!

differt, nisi quantum discriminis est inter radicem & fructum. ita, ut homicidium, iræ fructus, nulla alia ratione in lucem & opus non emergat, quàm quod uel impotentia, uel netu pœnæ conceptũ maleuolentiæ æstum effundere, aut non possit, aut non audeat. Nam ita comparatus est animus ira percitus, ut cui irascitur, statim exitium inferre cupiat, cedantq; omnia corporis membra in animi irascentis ac furentis imperium, illiusq; seruiant insaniæ. Cain iratus, de occidendo fratre cogitat, & quia nemo erat qui prohiberet, quod cogitabat, opere etiam adimpleuit, concepto obsequutus irati animi furori. Genesis 4. Esau in iram aduersus fratrem accensus, necem illi minatur. Vide Gene. 27. Sic Saul indignatus Dauidi cogitat de nece illius, quam & manu propria tentat. 1 Sam. 18. Quin & in electis nonnunquam hic affectus inualescit, ut de Dauide, 1 Sam. 25. legimus, qui iratus stulto Nabal statim in ultionem exardescit, occidendiq; illius consilium captat. Rectè ergo Christus hic dicit: Quisquis irascitur fratri, reus est iudicij: coram Deo uidelicet cui uoluntas cordis humani, iuxta Germanicum prouerbium, operis loco est. Hinc Apostolus Galatas 5. iracundum excludit è regno Dei, in quo quid aliud significat, quàm damnabilẽ esse naturæ nostræ prauitatem? Vnde & Christus Ioan. 3. dicit: Nisi quis renatus fuerit è supernis non poterit uidere regnum Dei.

Der Weil für das Zorn ch. Gala. 5

Irascibile a regno Dei exclusus.

Quis autem quæso ita mansuetus esse poterit, ut iræ motui, inordinato illo, quo ad uindictam inferendam rapimur, non sit obnoxius? Et tamen quosdam ita uidemus hãc Christi susq; deq; facere sententiã, ut etiamsi non irascantur modo, sed prorsus in furorem rapiantur, neq; sic tamen culpam ullam agnoscere sustineant, quam uniuersam in eos abijciunt, quibus irascuntur. Nemo opinor iratus suam ipsius culpam facilè agnoscit, sed ferè omnes ita animati sumus, ut sicubi admoneamur, & ab iræ motu auocemur, causam iræ in aliorum non nostram improbitatem conijciamus. Hic rarissimus quisque est, qui uicium corruptæ in se naturæ accuset. Proinde hæc Christi sententia paucissimorum conscientias tangit, præsertim iustitiariorum, qui sibi ipsis de spiritu mansuetudinis blandientes, latens in pectore uicium non agnoscunt, quod tamen subinde per occasionem ueluti æstus in calce latens per frigidæ aspersionem excitus, prorumpit in apertũ. Quoties igitur, cum tales simus iudicio Dei obnoxij reddimur irati?

Cauendum autem hic est, ne prorsus omnem iræ motum hac Christi damnari sententia putemus. Proinde quædam exemplaria græca habent ad hunc modum, ὅτι πᾶς ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ εἰκῆ. Id est, Quod quisquis irascitur fratri suo temerè, frustra, præter causam: qua particula quisquis eam adiecerit, temerarius iræ motus, non iustus & meritus, damnatur: & tamen: hæc particula caute est usurpanda. Neq; enim per sententiam Christi hic tantum damnatur, qui præter causam, hoc est, præter ullam acceptam iniuriam fratri irascitur, sicuti Cain Abelo, & Saul Dauidi irascebatur. Sed & is qui fratris iniuria, & improbitate læsus irascitur, sicuti Esau irascebatur fratri suo Iacobo. Nam etiam iste iræ motus ex corruptæ uicio naturæ, uidelicet ex φιλαυτίᾳ, id est, amore sui ipsius, & superbia mentis oritur, & ad sumendam uindictam, nisi aliunde cohibeatur, impellit. Verum is demum iræ motus excipitur, qui & oritur è bona radice, & ad bonum finem tendit. Qualis erat ira Mosis, alioqui omnium mansuetissimi, de qua legitur, Exo. 32. ad hunc modum. Cumq; appropinquasset ad castra uidit uitulum & choros, iratusq; ualde proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis, arripiensq; uitulum, quem fecerant, combusit & contriuit usque ad puluerem, quem sparsit in aqnam, & dedit ex eo potum filijs Israël, dixitq; ad Aaronem: Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum? Neq; his contentus, adiunctis sibi Leuitis, occidit è populo 23000. hominum. Ingens ira. Sed unde & ad quem finem? Iniuriam Deo illatam ferre non poterat animus Dei amantissimus. Asserebatur itaque hoc iræ motu gloria diuini nominis, & peccatum illud enorme ita castigabatur, ut paucis percussis, reliquæ multitudini parceretur. Arbitror itaq; hanc Mosis iram non fuisse isti iudicio Dei obnoxiam, cuius hic Christus meminit. Ergo non damnatur in se iræ motus, quo carere non possumus, tanquam summe necessario, sed si sit inordinatus, & malam habens originem, & ad malum finem impellens radicis, & finis gratia damnatur. Ad eundem modum, & de odio sentiendum est, quod ab ira perinde differt, atq; uinũ uetus à nouo. Est enim odium nihil aliud quàm ira inueterata. De hoc 1 Ioan. 3. ita legimus. Omnis qui odio habet fratrem suum homicida est. Isti sententiæ non erat obnoxius Dauid cum dicebat: Qui odiunt te Domine, odio prosequor, & erga inimicos tuos cõtabesco, perfecto odio prosequor illos. Psal. 139

Quicunq; uerò dixerit fratri suo Rhaca, obnoxius erit concilio, id est, iudicum consessu, ut grauius iudicetur. Hac & sequenti particula significat Dominus peccatum iræ tanto esse grauius quanto plenius. Plenius autem est quando interne non cohibitum foras erumpit. Primum in signa animi commoti, deinde in uerba, tertio in ipsum opus ultionis, quod cum fit, omnino certum est, maiorem illi accedere irascentis consensum, ut ob eam causam maiore etiam ac certiore sit pœna dignum.

Qui dixerit rhaca.) De hac uocula uaria dicuntur. Sunt qui illi certam significationem assignent, utpote quod significet hominem nihili. Basilius in ὅροις κατὰ τὴν ἐπιτομὴν ἐρωτ᾽ναε sic dicit: τί ἐστι ῥακά; ὦ χώριον ῥῆμα, ἀπὸ τῆς ὕβρεως πρὸς τὸν οἰκειότερος λαμβανόμενον, id est, Verbum suæ regionis populo peculiare, lenioris conuicij gratia aduersus familiariores usurpatum. Simplicius est ac uerò similius, ut dicamus esse animi commoti, & inter se fremẽtis interiectionem, qua ueluti signo quodam indignantis fremitus proditur. Intelligendum hic est damnari omnia qualiacunque rancoris, & maleuoli animi signa, quouis illa modo prorumpant, siue murmurando, siue frendendo, siue expuendo, siue faciem indignãter auertendo,

tendo, siue frontem rugando, siue nasum suspendendo. Nam huiusmodi signis irascentis animi commotio plerunq; proditur, quemadmodum & diligentis suauitas certis ac peculiaribus notis significatur. Gene. 31. intelligebat Iacob cor Laban soceri sui non esse erga se rectum, eò quod uideret faciem illius erga se non esse eam quæ fuerat heri & nudiustertius.

OBSER.

Admonemur ergo hoc loco, ut si quando irascamur, iram cohibeamus, ne fòras erumpat, idq; duabus de causis. Prima, ne crescente ueneno crescat & pernicies. Vigor est ignis, si libero queat impetu in flammã exurgere. Sic animi commotio, si in apertum excurrat, augescit, & certiori nos condemnationi reddit obnoxios, facilis est hic animi motus, qui subinde ita inopinus excitatur, ut priusquàm intelligas, intus obtineat. Verum Christiani est illi nullum permittere imperiũ membrorum, ne quo pacto illorũ a diutus ministerio sese exerat, sed maliciam illius per gratiam Domini fortiter cohibere ne illam quouis modo effundat. Altera: Ne per iræ indicia lædatur mens proximi, & iaciantur futuræ discordiæ exordia. Plus satis est, si ipsi simus animo commoti, malum duplicatur, si & proximus exacerbatur. Non est præter causam factum, quod quæ hominis sunt cogitationes non intelligat, nisi spiritus hominis, qui in illo est. Nam alioqui pax & tranquillitas inter mortales non posset ulla constare. Satius est hactenus falli proximum, ut putet te animo esse erga se candido & placido, quàm rescire quid corde geras, ne & ipse incipiat aduersum te commoueri, atque ita fraterna charitas utrinque extinguatur, & reconciliationi futuræ aditus præcludatur.

Quisquis autem dixerit, fatue, obnoxius erit gehennæ incendio.) Gradus hic est, certæ & consummatæ iræ, ideoq; certam illi, & consummatam pœnam assignat. Qui nanq; fatuum uocat proximum, expresso iam conuicio, certam animi cõmotionem declarat. Per hanc autem dictionem, fatue, intelligit omnia reliqua conuiciorum dirarum, calumniarum, probrorum, & imprecationum genera. Dictionem minoris probri ponit, ut quæ grauiora sunt, hoc minus excludantur, sicuti & infra cap. 12. de omni uerbo ocioso reddendam esse rationem dicit: ut de noxijs ac probrosis hoc minus dubitemus reddendam esse rationem, quò grauior est istorum quàm illius culpa. Videmus itaq; hoc loco, quomodo in uno peccato plures sint gradus, deinde pœnam peccatorum secundum illorũ assurgere gradus, sicuti & morborum in corpore gradus sunt, iuxta quorum auxesim mors quoq; grauior atq; grauior redditur.

Sed quæritur hic, si gehennæ incendio dignus est, qui fratri dicit, fatue, quomodo Galatas Paulus stultos, & Ioannes Bapt. Scribas & Pharisæos progeniem uiperarum uocârit: deinde, quis nam saluari queat, cum nemo sit qui non irascatur, & rarissimus sit qui iratus mala non imprecetur ei, cui irascitur. Ad primum tenendum est, id quod suprà de ira notatum est, quando illa uel bona sit uel mala. Quod enim ibi dictũ est, de iræ radice & fine, ex quibus illa uel sit laudabilis, uel reprehensibilis, id etiam in signis, & fructibus iræ locum habet. Ad alterum cogitandum est, hanc legis expositionem non huc dirigi à Christo, ut desperemus, sed ut corruptæ naturæ perditionem, & diuinæ legis integritatem, & perfectionem agnoscentes, ad thronum gratiæ, quem pater cœlestis proposuit, uel uocati confugiamus. Proinde non dicit: Qui dicit fatue, damnabitur ad gehennam, sed obnoxius erit gehennæ incendio: uidelicet dignus qui æternum pereat, nisi misericordia Domini saluetur, quod ob id dicit, ut agnita morbi nostri pernicie, ad se medicum curramus?

Itaque si obtuleris munus tuum ad aram, & illic recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque illic munus tuũ coram altari, & abi, prius reconcilieris fratri tuo, & tum ueniens offer munus tuum.

Per occupationem sunt hæc, & quæ proximè sequuntur adiecta. Quasi enim, si quid rancoris & dissidij inter fratres oriatur, quid faciendum sit, interroganti respondet. Habet autem ista occupatio duo membra: unum quod doctrinam, alterum, quod adhortationem complectatur. Doctrina hæc est, quæ significat non placere Deo oblationem eius, qui charitatem fraternam læserit. Hanc complectitur his uerbis: si obtuleris munus tuum ad aram, & illic recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque illic munus tuum coram altari. Quare? Quia uidelicet Deo non placet oblatio eius, qui proximo est iniurius. Nec cõuenit, nec sine irritatione diuinæ maiestatis fieri potest, ut Deo offeratur munus ingratum. Proinde non dicit hic, offer primum munus tuum, & postea uide ut reconcilieris fratri tuo: sed relinque illic munus tuum coram altari, & abi prius &c.

Locus hic bene notandus est, quo primum in genere docemur Deum ab illis coli non posse, quicquid illi offerant, quicquid cultus gratia faciant, qui maiestati eius displicent. Ita Malach. 1. reijcitur oblatio sacerdotũ reproborũ. Deinde, in specie, sine charitate fraterna non placere Deo, quicquid illi offeramus. Adhortatio in eo est, quod dicit abi prius, ut reconcilieris fratri tuo. Hæc ex doctrina præmissa fluit. Si enim non acceptat Deus oblationẽ eius, qui fratri est iniurius, nisi uelit contemnere diuinæ maiestatis iram, & gratiam eius susq; deq; facere, necessariò sequitur, opus esse reconciliatione fraterna, sed uideamus singula.

Itaq;.) Indicat hæc particula quæ dicuntur hoc loco, inferri ex præmissa legis expositione, q. d. Dominus: Cum itaq; ista sit diuinæ legis mens & iustitiæ illius perfectio, nemo putet se Deo placere posse, si iniurius fuerit fratri, & fraternæ charitatis uiolator, & contemptor.

Si obtuleris munus tuũ ad aram.) Iudæorũ errorem et falsissimũ persuasionem notat, quam sibi de oblationibus legalibus conceperãt, in quas cultũ Dei ita referebant,

ferebant, ut putarent se abunde Deo gratificari, si multi essent in offerendis illi muneribus, quorum illum putabant eam habere rationem, quam habent huius seculi principes, quibus munera plus cordi sunt, quàm subditorum inter se concordia, & φιλαδελφια. Cum ergo Iudæi neglecta fraterna charitate toti essent in oblationibus, atq; hoc pacto corticem legis lambentes nucleum pedibus conculcarent, recte Christus ex præmissa legis expositione doctrinam hanc, & adhortationem de studio reconciliationis infert, atq; id legalibus oblationibus præferendum esse docet.

Et ibi recordatus fueris.) Admonet hæc particula, quod oblaturus, seu quouis modo diuinam gratiam ambiturus quomodo sibi cum fratribus conueniat, in mentem reuocare debeat antequàm offerat.

Quod frater tuus.) Dictione fratris, admonet seruandæ ac restituendæ concordiæ.

Habet aliquid aduersum te.) Hoc est, quod peccaris qua in re erga fratrem. Habet aliquid inquit. q. d. quamuis minutulum modo fecerit ad dissidium, modo scias illum inde esse offensum. Si quam iræ & maleuolentiæ significationem erga eum dedisti, seu quouis illum modo offendisti. Non est autem oscitanter factum, quod non dicit, quod peccaris in fratrem, sed quod frater tuus habet aliquid aduersum te. Potest enim fieri, ut peccaris quidem in fratrem ipse tamen id nesciat. Hic non erit consultum semper, quod dicit: abi prius ut reconcilieris fratri tuo, præsertim si nihil illi damni accesserit, uel accidere poterit, ut timendum sit eum nonnihil inde uel offensum esse, uel offendendum. Alioqui periculum est, ne fratris animus, qui antea quietus erat, & nihilo erga te offensus, demum offendatur. Proinde caute dicit: si recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te. Hoc est, si certum fuerit inter te, & fratrem dissidium, si frater qua in re tibi succenseat, & tua culpa offensus sit. At nos qui Christi fidem profitemur, quoties quæso uel recordatione propria, uel aliunde de fratrum offensis admoniti, admonitionẽ hanc Christi contemnimus, ne tantilli quidem ducentes, quod fratres habent, quæ de nobis conquærantur?

Relinque illic munus tuum.) Quare non dicit: Tolle tecum munus tuum, & abi. Displicet enim Deo, quicquid offeras. Nõ uult, ut desperemus de gratia Dei recuperanda, nec uult, ut colendi Dei propositum prorsus abijciamus. q. d. Quod constituisti Deo offerre munus iuxta legis præscriptum, bonum est, modo quod primum est nõ negligas. Proinde si recordatus fueris, quod fraternam charitatem læseris, etsi nequeat Deo placere munus à tali oblatum, colendi tamen illius animum et propositum ne ponas, sed relicto ibi munere abi, & cura primum, ut fratri reconcilieris.

Vt prius reconcilieris fratri tuo.) Quare prius quæri uult reconciliationem fraternam, antequam munus ad aram iam allatum offeratur. Quid impedit, quo minus cœptum offerendi propositum expediatur primum, & postea, absoluta oblatione, fraterna reconciliatio quæratur? Hoc uidelicet impedit, quod non est offerendum Deo munus ingratum. Ingratum est illi munus, quod persona offerentis inuisum reddit. Est enim maior Deo offerentis quàm muneris ratio. Præterea, hoc quoque impulsu adigitur oblaturus, ut uideat quomodo fratri reconcilietur, quod certè post consummatam oblationem, uelut cultum Deo præstitum, tardius ac pigrius fieret.

Videmus hic à Deo cum primis exigi à nobis, ut inter nos concordes simus, & sine hac illum concordia, etiam quæ sibi offeruntur, & ad ipsius uidentur pertinere cultum, non acceptare. Non intelligebant hoc Iudæi, neq; istam legis expositionem à Scribis & Pharisæis acceperant, sed hoc magis didicerant, gratificandum esse Deo per oblationes, & hac in re situm esse, primum ac uerum cultum Dei, reliqua omnia esse secundaria. Sacerdotes enim quæstum sectabantur in cultu Dei, ideoq; muneribus Deo oblatis, quæ in ipsorum usum cedebant, neglecta fide & charitate, omnem pietatem tribuebant. Quòd si idem docuissent, quod Christus hic suis inculcat, non fuisset tanta oblationum copia, & frequentia. Vnde uerisimile est Christum hoc præsertim doctrinæ genere non admodum gratificatum esse sacerdotibus Iudæorum. Taxatur hic error Iudæorum, Esa. 1. 58. Hiere. 7. & Psal. 50. Quid de nostris sacerdotibus sentiendum sit hoc loco, non est opus, ut admoneam.

Verum relictis cum Iudæorum sacerdotibus, tum nostris illis χειειμπόροις, expendamus hanc Christi admonitionem de restituenda fratrum concordia, facilis est lapsus in dissidia & simultates, donec in hac carne sumus. Consultum est igitur imbecillitati nostræ, præsenti hoc reconciliationis remedio. Poterat nos Dominus, quos sanguine suo Deo patri reconciliauit, & spiritu suo in unum corpus adunauit, si neglecta illa coniunctione rursus dissiliremus, prorsus abijcere. Verum pro sua in nos clementia locum permittit reconciliandi, & ad concordiam redeundi. Sit ergo remedium hoc reconciliationis omnibus pijs quàm commendatissimum.

Videndum autem, quoniam subdolum est, & hypocriticum carnis ingenium, ut non uerbis tantum, sed ex animo quæratur, & instituatur reconciliatio, sicut & infra cap. sequenti exigit Christus, ut peccata fratrum ex corde remittamus. Nihil enim coram Deo detestabilius est hypocrisi. Quæ sit autem uera non hypocritica reconciliatio ex ipso reconciliationis uocabulo patet. Quid enim aliud est recõciliari, quàm omni odio & dissidio abiecto pristinam restituere concordiam, amicitiam, necessitatem & familiaritatem? Vbi nondum restituitur pristina beneuolentia & conuiuendi, colloquendi ac beneficiendi consuetudo, quis dicet iustam esse reconciliationem? Exemplum ueræ reconciliationis quod imitemur, in ipso Deo patre nostro cœlesti propositum est, cui per Christum Iesum unicum mediatorem ita reconciliati sumus, ut nihil supersit pristinæ indignationis, imò plus adepti simus per gratiam reconciliationis quam in Adamo perdiderimus.

Et tum

Et tum ueniens offer munus tuum.) Iubet ergo Christus legali more offerre? Nequaquàm. Neq; dum tamen prohibet. Nondum enim erat tempus, quo debebant ista cessare, uerum cautè agit, ne offendat Iudæos, qua cautione etiam infra cap. 23. usus est, dicens: Hæc oportebat facere, & illa non omittere. Simul hac particula significat omnem illatæ iniuriæ culpam coram Deo esse remissam, si per reconciliationem restituta fuerit fraterna concordia. Tum, inquit, ueniens offer munus tuum. q. d. ubi reconciliatus fueris fratri tuo, ut ille iam contra te nihil habeat amplius, de quo merito possit conqueri, tum demum gratum erit, & acceptum munus tuum in conspectu Dei. Propterea, quod ipse illi recuperata iam eius gratia, placere cœperis, utinam studium huius reconciliationis eò serio Ecclesiæ Christi traditum esset, quo confessio illa auricularis, & præcepta est & exacta. Christus eum, qui deliquit ad fratrem offensum reconciliandi gratia mittit, & reconciliatione fraterna restituta aditum ad gratiam Dei, alioqui occlusum, reseratum esse significat. Romani pontifices ad sacerdotem miserunt, cui fiat delictorum confessio, & huic absoluendi potestatem, neglecta fraterna reconciliatione tradiderunt. Christus dicit: uade, ut reconcilieris fratri tuo, et tum ueniens offer munus tuum. Romani dicunt: uade, confitere sacerdoti, & tum ueniens, accede ad cõmunionẽ Ecclesiasticam. Si dixisset Christus: uade primum ad sacerdotem, ut ab illo reconciliationem impetres, & tum ueni ad communionem altaris, quæso quid non isti secretorum aucupatores pro stabilienda ipsorum tyrannide ex pauculis hisce uerbis molirentur? Iam cum non ad sacerdotem, qui alioqui in templo erat præsens, sed ad fratrem offensum, hominem plerunq; laicum, mittit, quam poterunt causam assignare, neglectæ huius dominicæ admonitionis? uidelicet, non faciebat ad dignitatem, & quæstum sacerdotalem.

Habeto beneuolentiam cum aduersario tuo cito, dum es in uia cum illo, ne quando te tradat aduersarius iudici, & iudex te tradat ministro, & in carcerem conijciaris. Amen dico tibi, non exibis illinc, donec persolueris extremum quadrantem. Luthers in Postilla domestica

Sunt qui locum hunc exponant, non de eo, qui fratrem læsit, reconciliationem q; ambire præcedenti Dominica sententia iussus est. Sed de eo qui læsus est, ut is fratri ueniam roganti, non pertinaciter aduersetur, ne quæsitam reconciliationem impediat. Verum ista expositio plane dissidet, ab ipsis Christi uerbis, licet in se sit pia.

Primum enim, quomodo tradet ille iudici, qui reus est, & ueniam orat, eum quem per iniuriam læsit, & cuius est debitor?

Deinde, quis erit ille iustus iudex, qui creditorem ad debitoris accusationem coniecturus sit in carcerem?

Tertio, etiamsi hoc per improbam uiolentiam fiat, quomodo conueniet, quod subijcit: Non exibis, donec persolueris nouissimũ quadrantem? Quid enim reddet, qui non debitor est, sed creditor, quem magis conuenit exigere, & accipere quàm reddere?

His argumentis luce clarius est, Christum hic loqui, non ad eum, qui læsus est, sed qui læsit, cui supra præcepit, ut relicto ad altare munere, abeat, & priusquàm offerat, fratri, quem recordatur habere aliquid aduersum se, reconcilietur. Eidem hic iniungit hanc curam, & sollicitudinem de recuperanda cum fratre concordia, ut, nisi uelit dissidio non ablato iudici Deo sisti, & de illata iniuria debitorum reus fieri, quæ neque at persoluere, quàm primum curet, quibus poterit conditionibus læsam cum fratre restaurare concordiam.

Huc ut suos permoueat simili utitur à consuetudine persequendi, ac tuendi iuris sumpto, quam contra illius uiolatores in hoc seculo usurpari uidemus. Hic qui debet, etiamsi creditoris gratiam contemnat, iudicis certè seueritatem, si creditor insteterit, euadere non poterit, nisi curet cum creditore redire in gratiam. Si enim hactenus creditorem contempserit, ut sinat se ab illo tradi in manus iudicis, iam ex illis non poterit alia liberari ratione, quàm ut quæ debet, soluat. Vt hic ergo consultius est, iudicis cauere seueritatem, qui iuris tuendi sustinet exequutionem, & causam cum fratre seorsum componere, ubi de iuris seueritate nonnihil potest deteri, & causa mitius componi: ita & hoc loco multo est consultius, ut cum fratribus, quos per iniuriam offendimus reconciliemur, quàm ut illis contemptis, diuini iudicij seueritatem experiri cogamur. Vt ergo præcedenti loco per occasionem diuini cultus, & ambiendæ cœlestis gratiæ, ad quærendam cum primis fraternam concordiam hortatus est, ita in præsenti per metum seueri iudicij Dei, ubi nullus erit gratiæ locus, ad hoc ipsum impellit, ut dum in hac uita sumus cum fratribus per reconciliationis medium in gratiam reuertamur.

Sunt autem in his Christi uerbis quatuor præcipua argumentorum genera.

1. A causa.
2. A personis.
3. A temporum ratione.
4. A minori.

A CAVSA.

Primum, qui debet & debiti gratia reus efficitur, non habet, quò se possit apud iudicem defendere, eò quòd malam habeat causam. Proinde si sapit, cum creditore redibit in gratiam, & ad huius uoluntatem sese componet. Iam si ita habet in hoc seculo, ut malam causam habeat, qui debitor est proximo, quid futurum est in regno Dei, ubi summa absque dubio regnat æquitas? Itaq; causæ consideratione, adigantur ad reconciliationem, dum in hac uita sunt, qui proximis sunt iniurij. 1

A PERSONIS.

Creditoris uidelicet et iudicis. Alia est creditoris, et alia

iudicis conditio. Creditor in ſua ipſius cauſa liberi eſt arbitrij, in qua poteſt uel uniuerſum debitum, uel partem illius, uel plane nihil remittere. Et quæ remiſerit, etiam apud iudicem pro remiſſis habentur. Iudex uerò non ita. Ille cauſam agit, non ſuam, ſed alienam, in qua nihil poterit pro ſuo arbitratu remittere, ſed cogitur, niſi uelit iuris infringere tenorem, quod iuſtum eſt decernere, & poteſtate diuinitus accepta, decretum tueri, & exequi. Huius etiamſi uelis contemnere ſententiam, coniuncta illi quandæ iuſtitiæ poteſtas eſt, et potentia. Huc pertinet quod dicit: & iudex tradat te miniſtro, & in carcerem conijciaris, Amen dico tibi, non exibis illinc, donec perſolueris extremum quadrantem, hoc eſt, uniuerſum debitum. Ad hunc modum et in regno Dei cogitandum eſt, quæ ſit in præſenti fratris conditio, quem læſimus, & quæ futura ſit iudicis omnium. Frater hic poteſt remiſſa noxa, recipere nos in gratiam, at ſeueritas iudicij futuri ea erit, ut excluſura ſit omnem gratiam, ſi illam non fuerimus apud fratrem in hac uita adepti. Quæ eſt ergo illa inſania, quòd contemptis fratribus, cum quibus licet hic cauſam uniuerſam componere, & hac compoſita, cum Deo quoq; redire in gratiam, malumus illa nõ compoſita iudicium Dei experiri, quaſi ſperanda ſit gratia apud iudicem, qui quia iuſtus eſt, non poterit cauſam læſi indefenſam relinquere?

A TEMPORVM ratione.

3 Tertium argumentum eſt à temporum diuerſitate ſumptum. Habeto beneuolentiam cum aduerſario tuo inquit, cito, dum es in uia cum illo. Alia eſt enim præſentis, alia futuri temporis conditio. In præſenti licet, quod in futuro non licet. Ideò urget, dicens: cito, dum es in uia cum illo. Neq; enim tempus gratiæ & reconciliationis negligendum eſt, niſi uelimus illo contempto in tempus incidere iudicij. In regno Dei ſiquidem diuerſa eſt temporũ ratio. Dum enim in hac uita ſumus, poſſimus cum fratribus, & cum Deo redire in gratiam. Poſt hanc uerò uitam, nihil expectandum eſt aliud, quàm tempus iudicij.

A R G V M E N T V M à minori.

4 Quartum argumentum à minori ſubintelligendum datur. Habet enim hic locus ἀνανταπόδοσιν, eò quòd id, cuius gratia abductum eſt hoc ſimile, non redditur. Ducitur autem argumentum à minori: nimirum à terreno iudice ad cœleſtem. Terrenus falli poteſt, corrumpi poteſt, perſonam nonnunquàm accipit, & utut puniat, temporaliter tamen duntaxat punit. At cœleſtis, nec falli poteſt, nec muneribus corrumpi, nec perſonam cuiuſquàm accipit, nec temporariam, ſed æternam pœnam infligit.

Cauendum itaq;, ne fiat, ut neglecta fraterna concordia auocemur ex hac uita ad cœleſtem iudicem, ad quem iter quoddam eſt hæc præſens noſtra uita, in qua non licet tam diu conſiſtere, quàm uolumus, ſed nolentes uolentes ad propoſitam metam currimus. Quod ſi aduerſarius noſter ad hanc nos præuenerit, quomodo poterimus cum illo redire in gratiam, antequàm ſubſequamur? Simili modo periculũ eſt, ne nos illum præuenientes, æque nequeamus neglectam in hac uita, poſt migrationem recuperare concordiam. Ideò notanter dicit: cito, dum es in uia cum illo: quibus uerbis omnino urget ut reconciliationem fraternam, dum in hac uita ſumus, abſq; ulla mora interiecta, properanter ambiamus. Primum enim uia hæc, qua itur ad iudicem, breuis eſt, deinde incertum, quando ad metam propoſitam ſimus peruenturi. Eſt enim nihil incertius hora illa migrationis, quæ nobis etiam dormientibus uolucri pede adproperat.

Sed cogitans. Quomodo tradet me iudici cœleſti, quem in hoc ſeculo offendi, etiamſi irreconciliati utriq; ex hac uita deceſſerimus? Si bonus eſt, quomodo inhiabit meæ perditioni? quomodo cauſam ſuam tanta ſeueritate perſequetur in futura uita, qui hic dum uiueret, omnibus omnem remiſit offenſam, ſiue cum pro delictis ſuis ueniam à Deo oraret, ſiue cum ex hac uita migrãret? Si uerò malus eſt, quomodo audebit contra me comparere coram iudice, quem æque atq; ego habebit offenſum, & ſentiet ſeuerum ultorem?

Reſpondeo, uana eſt hæc carnis cogitatio. Etiamſi à fratre non tradaris iudici Deo, ipſa tamen te cauſa, quam domino, ut iuſto iudici, cum in hac uita eſſet, commendauit, pro uindicta, & iuſtitiæ exequutione indeſinenter clamat. De Abelo non legimus, quòd Cainum frater, à quo fuerat interemptus, iuſto iudici tradiderit. Putabimus ne ideò Caino impunè ceſſiſſe inſignẽ illam fratricidij maliciam? Nequaquàm. Etſi Abel ipſe non clamauit ad Deum, uox tamen ſanguinis eius clamauit, & clamando audita eſt. Non ita comparatus eſt cœleſtis ille iudex, ut non puniat, niſi fuerit ad hoc, ut iuſtitiam exequatur, interpellatus. Imò haud ullorum maiorem habet rationem, quàm horum ipſorum, qui pro ſua bonitate non ſunt erga quenquàm uindictæ appetentes.

Rogas, quid ſit agendum, ſi aduerſarius nolit ullam ineundæ reconciliationis admittere conditionem, utut maturè, cupidè ac diligenter rogatus? Neq; enim raro inueniuntur tales, qui quouis ſaxo duriores, ac beſtijs inhumaniores, quàmuis diligenter quæſitam reconciliationem prorſus negent. Quòd ſi reconciliationem cum aduerſario, uerè, & ex animo fraternæ concordiæ cupido ita quæris, ut ſimul omnem diſſidij cauſam & materiam, quoad eius pro tua uirili fieri poterit, amputes ac tollas: ille uerò omnino conceptum cordis rancorem ac maleuolentiam retinere ſtatuit, ut nullo pacto emolliri ſuſtineat. Non poteris aliud in hac cauſa facere, quàm ut de pertinacia fratris doleas, dominum pro eo preceris, & interea quamcunq; occaſionem flectendi illius animi, utut obiter oblatam ueneris, certus, ſi hoc facias, te iam coram Chriſto domino abunde excuſatum, & aduerſarium, niſi conuerſus reconciliationem acceptet, eidem fore iudicio obnoxium, quod in malum illum ſeruum latum eſt, qui fratri petenti centum denarios, remittere nolebat,

cum

eum ipsi ab hero suo decem millia talentorum essent remissa, infra cap. 18.

DE PVRGATORIO.

Torquent hunc locum, qui quæstum in Ecclesia pertinaci sectantur impudentia, ad probandum in speciem quæstuosum illud Pontificij purgatorij figmentum. Ex carcere hoc faciunt locum ignis purgatorij, in quo sint repurganda reliqua delicta, quæ migrantes ex hac uita secum asportauerint, post quorum sint solutionem è pœnis absoluendi. quod uidentur ex eo uelle colligere, quod dominus dicit: non exibis illinc, donec persolueris nouissimũ quadrantem. Ergo, inquiunt, tandẽ exibunt, qui in hunc carcerẽ conijciuntur. Soluto uidelicet uniuerso debito. At qui in infernum conijcitur, nunquàm exibit. In inferno nanq; nulla est redemptio. Relinquitur igitur præter pœnas infernales, quæ damnatorum sunt, esse alias quasdam satisfactorias, è quibus tandem, ubi pro ratione delictorum, pœnarum tolerantia diuinæ satisfactum est iustitiæ, liceat exire &c.

Quid hic dicemus? Quamuis lectorem uel ad Chrysostomum, uel ad Augustinum mittere queam, ne tamen desim officio meo, nugis istis Pontificiorum etiam ipse occurram.

Principio, certum est Christum hoc loco hortari ad resarciendam concordiam fraternam, dum sumus in hac præsenti uita constituti, in qua licet utrinq; redire in gratiam, atq; ita cœlestis iudicis cauere sententiam, ne neglecto gratiæ ac reconciliationis tempore, in futura uita sistamur iudici Deo, qui de uniuerso debito nihil sit omnino remissurus, sed summum in nos iustitiæ rigorem exerciturus. Quòd enim de solutione quadrantis extremi adiectum est, ad hoc facit, ut significet, nihil sperandum esse gratiæ apud cœlestem iudicem, si nondum posita simultate ad illum ex hac uita migrauerimus. Sed illic quenq; talem, pro meritis suis, & iusti iudicij sententiam acceptũrum, & maliciæ suæ debitas pœnas daturum. Hic quæso quis liberabitur? Quis nam soluendo erit cœlesti iudici, si remota misericordia iudicetur? Math. 18. qui 10000. talentorum remissionem gratuitam nactus conseruo suo centum denariorum debitum remittere nolebat, acceptam gratiam merito ita amisit, ut in carcerem coniectus, uniuersam debiti summam sit exactus. Sic faciet & uobis pater cœlestis, inquit Christus, nisi remiseritis fratribus uestris ex cordibus uestris. Et infra cap. sequenti. Si nõ remiseritis &c. neq; pater uester remittet uobis peccata uestra. Quis saluabitur, si Deus nolit remittere peccata? Si iniquitates obseruauerit deus, quis sustinebit? inquit propheta. Quòd si præter omnem misericordiam punietur, qui læsus delictum fratri non condonauit, quid futurum est illis, qui non solum læserunt fratres, sed etiam hanc maliciæ obstinationem aduunxerunt, ut de resipiscentia & restauranda fraterna concordia, nunquàm cogitarint, nec à læsis ignosci sibi petierint, sed iniuriam fratribus illatam, omni reconciliatione spreta ad tribunal iusti iudicij Dei ulciscendam uenire permiserint? At de talibus loquitur hic Christus. Vrgent uoculam, donec. Donec, inquit, persoluerit nouissimum quadrantem. Ergo inquiunt, ubi persoluerit, exibit. Verum, si soluerit. Sed quæ est ista stupiditas (ut mitius instem) quod non uident, non mox sequi, ergo soluet debitum, in qua particula quæstionis huius est κρινομένου. Qui decem millia talentorum debebat, hac lege coniectus est in carcerem, ut illinc non egrederetur, nisi uniuerso debito soluto. Quis quæso ita insanit, ut sic colligat, ergo tandem egressus est carcerem istum? quasi quisquis debiti gratia in carcerem conijcitur, statim sit soluendo, & soluto debito carcerem euasurus: nec fieri queat, ut quia soluendo non est, non egrediatur, sed in carcere moriatur. Proinde non est opus, ut urgeant particulam istam, donec, quin potius probent, eum qui ex hac uita cum fratre, suo uicio, non reconciliatus migrat, cœlesti iudici, omnium misericordia & peccatorum remissione priuatum, ita satisfacere posse, ut coram tribunali diuini et exacti iudicij possit absolui. Quòd si quisquàm hoc poterit, quis dubitat eum pœnalis carceris claustra, etiam iusti iudicis sententia absolutum, euadere posse, nisi dicturi sumus Deum esse iudicem iniustum? Vidit hoc Augustinus, atq; ideò præsentem locum de pœnis non purgatorij alicuius ignis, sed sempiterni illius, qui damnatos manet exposuit.

Sed rogo, unde soluetur debitum in hoc purgatorio carcere? Pœnis inquiunt tolerati ignis. Quæro hic, si per ignis tolerantiam ita potest satisfieri diuinæ iustitiæ, ut peccator absq; ulla misericordia & remissione delictorum, sola satisfactione pro peccatis suis præstita, possit pœnalem carcerem absolutus egredi, quomodo non liberabuntur, qui in inferno tam diuturnis pœnis torquebuntur? Quomodo illi non satisfacient pœnis, quas perferent, & satisfaciunt isti? In inferno inquiunt, non est liberatio. Recte. Sed quam ob causam? Quia qui in inferno sunt, extra gratiã sunt. Ideò scilicet nunquàm euadent debitas pœnas, quia peccatorum remissione priuantur. At hoc quid est aliud, quàm quod hic Christus dicit. Non exibis illinc, donec persolueris nouissimũ quadrantem? Quæ est hic gratia, ubi tam exacta petitur uniuersi debiti solutio? Cogentur ergo figmenti huius doctores nolint uelint concedere, aut pœnis non satisfieri diuinæ iustitiæ, aut Deum esse iniustum. Alioqui si iudicio Dei pœnis alicuius ignis satisfieri potest, uel damnati in infernũ, olim liberabuntur, uel Deus iniustus est, si perpetuo teneat in carcere, quos uigore iustitiæ, accepta iam pro peccatis sufficienti uindicta debebit absoluere, ac liberos dimittere.

Relinquitur ergo (neutrum enim præmissorum quisquàm piorum dicturus est,) quoniam damnati in inferno per extrema, quæ patientur, ac diuturna illa, & perpetua tormenta nunquàm poterunt diuinæ satisfacere iustitiæ, debita illa, quorum gratia coram iudice Deo rei constituemur, & absq; ulla misericordia repetemur, nullis pœnis solui posse. Quòd si pœnis post hanc uitam non satisfit iustitiæ Dei, quis non uidet, quàm sit inanè ac friuolum cõmentum illud purgatorij ignis nouissimis istis temporibus excogitatum? Proinde summo-

ſummopere notandum eſt, quòd tanta diligentia inculcat Apoſtolus, non eſſe cuiuſquàm mortalium ſalutem, niſi ex mera gratia per ſanguinem Chriſti, quo redempti, & patri cœleſti reconciliati ſumus, ſi Chriſto firma fide adhæſerimus, cui doctrinæ ſomnium hoc purgatorij ignis manifeſtè repugnat. Deinde, ſi quiſquàm ita deſipiat, ut largiatur Chriſtum hic loqui de carcere purgatorij ignis, quem ſomniatores iſti confinxerunt, reſpondeant quæſo, quis locus relinquatur orandi pro detentis in illo ficto carcere? Quid eſt quod Vigilijs ſuis & Miſſis, ſolutionem ac liberationem animarum in purgatorio exiſtentium, modo illæ argento redimantur, pollicentur, cum Chriſtus tam aſſeueranter dicat: Amen dico tibi, non exibis illinc, niſi perſolueris nouiſſimum quadrantem? Quid precibus relinquitur, ubi ſolutio debiti ita exigitur, ut ſine illa carcerem hunc non liceat egredi? Poteſt ne quicquàm contra iſtorum hominum impoſturas, Vigilias & Miſſas, quibus in Eccleſia negociantur, & animarum liberationem promittunt, expreſsius & euidentius dici? Illi dicunt: date nobis pecunias, & orabimus pro animabus, & ueſtris et maiorum ueſtrorum, ut è purgatorij carcere liberentur. Chriſtus uerò (ſiquidem ita exponunt) affirmat contrarium, dicens: Amen dico uobis, non exibunt illinc, niſi perſoluerint uniuerſum debitum, ad nouiſſimum uſq; quadrantem. *Væ iſti impudentiſſimæ impudentiæ. Sed his nugis oportuit dari fidem, iuſto Dei iudicio ad hoc miſſis, ut credant mendacijs, qui credere nolunt ueritati. Parum eſt, quòd hoc figmento corraſæ ſunt portentoſæ opes, quibus ſacerdotali luxui conſuleretur, hoc ſummopere dolendum eſt, quòd tam innumera animarum millia his nugis ſeducta negligenter in hac uita ſeſe geſſerunt, & uana ſpe purgatorij ignis decepta, neglecta reſipiſcentia, & fraterna reconciliatione, contemptaq; hac Chriſti adhortatione, ex hoc ſeculo migrarunt. Sed ſpretis his nugis, redeamus ad Euangeliſtam.

Audiſtis, quòd dictum fuerit antiquis: Non committes adulteriũ. At ego dico uobis: quòd quicunq; aſpexerit uxorem alterius, ad concupiſcendum eam, iam adulteriũ commiſit cum ea in corde ſuo.

Non eſt relinquendus præfixus ille à Chriſto ſcopus, ad quem quæcunq; hoc capite aguntur diligenter ſunt referenda. Is autem eſt, Chriſtum uſq; adeò non tollere legem Dei ſua doctrina, ut illam magis adimpleat, perfectioremq; à ſuis iuſtitiam exigat, quàm fuerit Scribarum ac Phariſæorum, qui tamen apud Iudæos propter ſanctitatis, & conſummatæ iuſtitiæ opinionem tantum non adorabantur. Et ut iſta exemplis declararentur, ſubiecta eſt quorundam præceptorum declaratio, è quibus primum fecit, de non occidendo, et iam alterum, de non adulterando. Hic perinde atq; in præcedenti docebant Scribæ & Phariſæi, uiolatæ legis reum non eſſe, niſi qui corpore ipſo uxorem alterius attigiſſet. Interea cordis immundiciam, qua coràm Deo delinquitur, prorſus non obſeruabant, etſi obſeruabant, ſine conſcientia tamen uiolatæ diuinæ legis obſeruabant, planè ſecuri, quòd opere ipſo non eſſent adulteri.

Quæ putas fuerit populi huius iuſtitia, ubi qui erant optimi, hac tenentur ſecuritate, ut nihil referre putent, ſi cordibus ſint libidinoſiſſimi, deinde nutibus etiam, ſignis ac uerbis libidinem cordis foris teſtentur, nihil interim diminuta nominis opinione, modo ſedulo orẽt, lauent, & offerant &c. Erat ne hoc ritè docere legem Dei, & per huius declarationem radicalem humanorum cordium impuritatem & maliciam detegere, arguere & condemnare?

Rectè itaq; Chriſtus, ut peruerſam iſtam ſecuritatem iterum ſuorum animis eximat, & hoc præceptum declarat, & ſuo uigori reſtituit, explicans, quàm non ſolum corporis, ſed & cordis mundiciem exigat, & radicalem illam libidinem cordis, in qua ſedes eſt adulterij, condemnet, & coràm Deo non ſolum opere adulterantem, ſed & corde cõcupiſcentem adulterij coràm Deo reum conſtituat. Dicit igitur: Audiſtis quid de non adulterando traditum ſit antiquis. Nimirum: ne quiſquàm corpore adulteretur, idq; ita eſt traditum, ut ſanctus & inſons habitus ſit, quod ad hanc legem attinet, quiſquis ſua contentus abſtinuit manum ab aliena. Ego uerò, ne erretis ſeducti, aſſero uobis, non ſolum impurum eſſe & adulterij reum, eum qui opere alienam attigit, ſed & eum, qui oculis impudicis intuetur proximi uxorem. Hic etiamſi terrenus iudex non damnat, damnat tamen cœleſtis, in cuius iudicio reus eſt criminis, non ſolum, qui opere patrauit, ſed & qui corde concupiuit.

Videmus itaq; Chriſtum etiam hoc loco non agere cum publicanis & peccatoribus, ſed cum hypocritis & iuſtitiarijs, quorum hypocriſis ſemper doctrinæ gratiæ reſtitit. Cum enim eſſent impuri, & peccatores tales tamen uideri nolebant, eò quòd cordium impuritatem externa illa ſanctimoniæ ſpecie obtegerent. Hanc ut prodat legis huius uim ac uigorem reſtituit, ideoq; non ſubiungit de eo, qui non ſolum corde concupiſcit, ſed & opere cordis concupiſcentiam abſoluit ac perficit. Non enim propoſitum eſt, niſi cordium impuritatem, & condemnationem exponere. Opus nanq; lex ipſa manifeſtè damnat. Ita & in præcedenti præcepto non adiecit: Qui autem manu occiderit, uel illi, uel iſti pœnæ erit obnoxius. Non enim neceſſe erat ullam de eo facere mentionem, cum hic nulla eſſet hæſitatio.

QVAE SINT HIC obſeruanda.

Manifeſtum itaq; eſt eandem eſſe præcepti huius rationem, quæ eſt præcedentis de non occidendo. Nam ut ibi Chriſtus primum radicem homicidij, iram uidelicet, deinde ſigna quoq; illius, ac teſtimonia in apertum prorumpentia condemnauit, ita & hoc loco primum impuri cordis concupiſcentiam, deinde & illius externa iudicia condemnat.

Quapropter operæpreciũ fuerit, præſentem locum ad formam

Iuo magna mala paſſit conditum ex mis pgatorij

ad formam præcedentis redigere, ut sic legamus. Audistis, quòd dictum fuerit antiquis: Non committes adulterium. Quisquis autem commiserit adulterium, reus est iudicij. Ego autem dico uobis: Quisquis concupiuerit uxorem alterius, reus est iudicij. Quisquis uerò nutibus, signis, ac uisu impudico uxorem alterius inspexerit, reus est Concilij. Quicunq; uerò uerbis etiam non suam sollicitauerit, obnoxius est gehennæ incendio. Nemo putet istam non esse peccati huius conditionem, ob id quod non his uerbis, sicuti in præcedenti à Christo exprimitur. Non enim opus erat, ut gradus istos peccati pariter ac pœnæ, semel declaratos in singulis præceptis repeteret. Expendamus itaq; primum peccati huius radicem, deinde & de signis illius uidebimus.

DE CONCVPISCENTIA cordis impuri.

Quisquis aspexerit, inquit, uxorem alterius, ad concupiscendũ eam, iã adulteriũ cum ea commisit in corde suo. His uerbis aperte adulter pronunciatur, quisquis proximi uxorem concupiscit. Concupiscentiam istam & lex ipsa damnat, dicens: Ne concupiscas uxorem proximi tui. Sciebant hoc Iudæi, uerum adulterij loco haberi coràm Deo cordis concupiscentiam, non animaduertebant. Opus igitur erat, ut hoc declararetur. Nam ob eã causam data est lex, ut cordis maliciam detegeret et accusaret. Cum essemus, inquit Apostolus, in carne, affectus peccatorum, qui sunt per legem uigebant in membris nostris, ad fructificandum morti. Id cum non agnosceretur, data est lex, quæ hanc cordis maliciam argueret. Ideò idem Apostolus subiungit: Sed peccatum non cognoui, nisi per legem. Nam & concupiscentiam non cognouissem, nisi lex dixisset: Non concupisces. Sed occasione accepta peccatum per præceptum genuit in me omnem concupiscentiam. Siquidem absq; lege peccatum erat mortuum. Rom. 7.

Non est autem hic locus de quauis concupiscentia intelligendus. Neq; enim hoc exigitur, ut prorsus omni uacui simus concupiscentia, eò quòd non mala sit quæuis concupiscentia: mala est, quæ corruptæ naturæ est, uoluntati dei, ac dilectioni proximi repugnans, cui spiritus repugnat, & quæ contra spiritum uicissim concupiscit, non ea, qua spiritus concupiscit aduersus carnem. Habet autem caro aliam quandam concupiscentiam, quæ quia non repugnat uoluntati Dei, neq; dilectioni proximi aduersatur, damnari non potest: ut cum esuriens cibum, sitiens potum, algens calorem, calens refrigerationem, lassa requiem, timens securitatem, dolens consolationem, moriens uitam, & quæ alia sunt huiusmodi concupiscit. De hac nihil hoc loco dicendum est. Sed neq; in uniuersum de quouis concupiscentiæ genere. De ea loquitur hic Christus, qua erga alienam mulierem inardescit caro corrupta. Erga alienam inquam, non erga propriam. Qui suam concupiscit, ut illam tangendo non fit adulter, ita neq; concupiscendo adulterium cõmittit. Non enim hic prohibetur simpliciter cõcupiscentia mulieris, quæ ad coniugij ברשפת & humani generis conseruationem necessaria est, sed inordinata illa, qua quod uetitum est, magis quàm quod licet appetitur. Et quoniam in hanc materiã incidimus, admonuerim uniuersos uerbi Dei ministros, ut Satanæ astutiam præsenti hoc seculo diligenter obseruantes, coniuges adhortentur sedulo, ut sese mutuo diligant, & concupiscentiæ peruersitatem hactenus infringant, ut sicuti carnis corruptio alienas, ita ipsi proprias uxores ament & complectantur. Noui fieri posse, ut etiam in coniugio modus excedatur, & haud parum peccetur. Verum ubi considero præsentis seculi corruptionem, & matrimonij legitimi deprauationem, infrenem uidelicet alieni thori appetendi libidinem, ac simul Magistratus tepiditatem, planè arbitror necessarium, ut coniuges ad mutuam dilectionem & concupiscentiam, qua status hic carere non potest, sedulis adhortationibus impellantur. Reipsa uidemus & experimur, quàm cito propriæ uxoris appetitus euanescat, alienæ uerò tenaciter inhæreat. Deinde quis non uidet causas adulteriorum hinc esse, quòd fastidium propriarum coniugum absq; peccati conscientia admittitur, & concupiscentia alienarum pectora accenduntur? Vbi hæc duo mala corda mortalium obsederint, nemo dubitet usque adeò adfore, Satanam instigatorem, ut nisi singulari gratiæ Dei male suscepti hospites eijciantur, adulterij peccatum etiam ipso opere complendum, uitari nequeat.

DE VISV LIBIDINOSO.

Qui uiderit, inquit, uxorem alterius ad concupiscendum eam.) Duo sunt uisus genera, quantum ad præsentem locũ attinet. Vnũ quod concupiscentiã præcedit, alterũ quod sequitur. Primũ per se quidẽ peccatum non est, carni tamen timore dei non refrenatæ causam adfert concupiscendi, hoc est, concupiscentiæ malum in corde latens excitat. Alterum quo concepto concupiscentiæ stimulo oculi salaces in mulierem cupidius inijciuntur, notam habet libidinis, & hac Christi sententia adulterij condemnatur. De hoc est locus Petri. 2. Petri 2. Oculos, inquit, habentes plenos adulterio. Neq; enim apertius testimonium est libidinis in corde glisscentis. Et Esa. 3. impudicitia filiarum Israël notatur his uerbis. Et nutibus oculorum ibant. Malum concupiscentiæ huius peruersæ, in corde quidem est, unde adulterium, teste Christo, infra 15. egreditur, uerum illam externa obiecta, etiam si non inferunt, tamen excitant & inflammant haud aliter atq; scintillam flatus. Obiecta uerò, quibus concupiscentia excitatur, per sensus externos capiuntur, & uirus illud malum in intimis uisceribus hærens irritant. Vt sunt auditus, tactus & uisus. Sensuum autem omnium uelocissimus, ac pestilentissimus est uisus, ut rectè ille dixerit: Nequius oculo quid creatum est? Per hunc obiecta species corde penitus insculpitur, et concupiscentiæ libidini amplectenda traditur. Proinde magno timore Dei, & diligenti cautione custodienda est oculorum procacitas ac temeritas, ne laqueis illorum irretiti, cõcupiscentiæ tyrannidi subijciamur. Quàm enim periculosum sit oculis cautionis adimere frenum, & liberum permittere excursum, præter quotidianã nostri seculi experientiã, etiam Eccle. 31.

aliquot

aliquot scripturæ exemplis declaratur. Gene. 6. Viderunt filij potentũ filias hominum, quòd essent pulchræ, & acceperunt sibi ex illis, quascunq; lubebat Gen. 34. Diua egreditur incautius ad uidendum mulieres regionis illius, uidetur, concupiscitur, rapitur, opprimitur. Gen. 39. Vxor Putipharis oculos in Iosephum conijcit, & concupiscentia erga adolescentem accenditur. Et ne quis causetur horum impietatem. Dauid propheta & uir Dei, cum uideret lauantem Beersaba, uidendo concupiscit, & concupiscendo in opus adulterij abripitur. Hæc non ideò dicuntur, quod uel oculis uel formæ muliebri peruersi quicquàm naturaliter insit. Absit. Vtraque bonæ dei creaturæ sunt, in quibus sapientia ac prouidentia creatoris etiam cũ fructu considerari queant. Vicium non est in obiectis, neq; in uidendi organis, sed in cordibus nostris: quæ si infirmata concupiscentia defecatisq; carnis affectibus spiritus imperio subessent, possemus utiq; absq; periculo, imò non absq; periculo tantum, sed et ad laudem creatoris quasuis contemplari uel mulierum, uel aliarum rerum formas, sicuti de Abbate Pambone traditur

DE VERBIS IMPVDICIS.

Si coram Deo iudicatur adulter, qui uxorem alterius ad concupiscendum intuetur, quid ille iudicabitur, qui non solum concupiscit, & concupiscendo intuetur, sed & affatu impudico pudicitiam illius sollicitatur? Qui concupiscit tantum, adhuc sibi soli peccat, & noxius est, qui uerò conceptum intus ardorem foras etiam effundit, & alienæ uxoris castitatem lasciuis uel nutibus, uel affatibus in periculum uocat, iam non suæ tantum, sed & alienæ perditionis autor efficitur. Nam etiamsi mulier non acquiescat, tamen ille uenenum miscuit et bibendum porrexit, mulieris animum inficiens, quantum in se est. Quæ si propinatum uenenum corde hauserit, nisi singulari gratia dei custodiatur, euadere non poterit, quo minus conceptum corde peccatum aliquando pariat, ut rectè hic dicatur: Quisquis alienam uxorem uerbis ad impudicitiam sollicitauerit, obnoxius est gehennæ incendio.

DE OPERE IPSO AC POENA Adulterij.

Supra monui, quare non subijciat, qua pœna dignus sit, qui alienam uxorem non solum concupiuerit, et uerbis ad impudicitiam sollicitauerit, sed & opere ipso temerarius stuprauerit. Sciebant Iudæi, sciebant discipuli, hoc esse expresse uetitum in lege, & morte dignum. Lex ipsa facinus hoc certa pœna damnat. Hanc tam abest, ut tollat sua doctrina Christus, ut eam etiam confirmet. Quapropter plurimum delinquunt, qui hoc postremo & omnium corruptißimo ac libidinosißimo seculo hactenus isti nequitiæ patrocinantur, ut dicãt in nouo testamento sublatam esse adulterij pœnam, eo quod Christus de illa non subiecerit hoc loco. Belli homines. Dicant eadem ratione etiam ipsum homicidij & adulterij opus non esse coràm deo peccatum, eo quòd de illo nullam Christus faciat mentionem hoc loco. Quid opus erat de pœna utriusq; admonere, cum de hac esset à deo patre iam antea decretum? Quòd si pœnam in lege positam amotam uoluisset, poterat ne ea de re palàm ac diserte præcipere? Et ipse Apostolus post Christum tam abest, ut pœnæ legali detrahat, ut hanc etiam corroboret dicens: Scimus quòd lex bona sit, si quis ea legitime utatur, Iustis non est lex posita, sed iniustis et immorigeris, homicidis & adulteris &c. Ecce, legem dicit esse bonam, si quis ea legitime utatur. Deinde usum illius hunc esse docet, ut coherceantur improbi, homicidæ, adulteri &c. Proinde defendi non potest, quòd adulterij cohercendi seueritas, cum diuina tũ Cæsarea lege decreta, remissa est, imò prorsus expuncta, præsertim hoc peßimo & impio seculo. Adulterium Christus uenit non prouehere, sed restringere ac tollere, in electis uidelicet, qui in se credunt. Cum illis, qui scortantur, adulterantur, occidunt, furantur, & quæ huiusmodi sunt facinora committunt, negocium est non uerbo & gratiæ Christi, sed castigationi ac pœnis legalibus. Adulteram nolebat condemnare. Verum, Non enim erat regnum illius de hoc mundo. Interea tamen rogabat, num quis eam pro ritu legis damnasset, satis innuens, si iam per legis fuisset damnata sententiam, se illam haud quaquàm fuisse absoluturum.

1. Timo. 1.

Leuit. 20. Deut. 22. Lex Iulia.

OBIECTIO.

Dixerit hic quisquàm. Quoniam adulterium committit, qui alienam uxorem ad uidendum intuetur, quid efficiet Magistratus, etiam si opus adulterij morte puniat? Nũ ideò sublatũ erit adulterij malũ, quod in cordibus regnat, etãsi opus ipsum corpore nõ fuerit perpetratum? Videatur itaq; potius, quomodo malum hoc cordibus mortalium eximatur, id quod certe Magistratus gladio suo nunquàm efficiet.

RESPONDEO.

Eadem ratione deum ipsum stultitiæ arguis, quòd corporalis pœnæ decreto opus adulterij condemnauit. Proinde cohibenda est ista stulta, & inepta raciocinatio. Vsus Magistratus & gladij à deo dati potestas non huc destinatur, ut corda iustificet, sed ut certis legibus ac pœnis humani cordis maliciam, ne in publicũ erumpat coherceat, & si eruperit, exempli ac retundendæ maliciæ gratia, seueritate gladij ulciscatur, efficiatq; saltem ne sint crebra homicidia et adulteria, si nequeat efficere, ut omnino sint nulla, quo liceat in hac uita tutius ac tranquillius consistere, & publicam honestatem conseruare. Quis maritus, modo curam habeat honestatis, & existimationis suæ ad hunc modum argumentabitur? Quid efficero, etiamsi uxorem, ne opus adulterij corpore cõmittat, cohibuero? Num mox concupiscentiam aliorum uirorum cordi ipsius exemero, etiamsi illi libertatem excurrendi, uidendi, colloquendi, et quæuis patrandi non permisero? cum corde sit adultera, quid refert, opere ne adulteretur uel minus? Quin magis in hoc incumbam, ut corde non sit adultera. Est ne quisquàm ita demens, ut de uxoris castitate et honestate ad istum modum argumentetur? Non puto. Sicut igitur honestus maritus, etiamsi cordis concupiscentiam

uxori

uxori nequeat eximere, nequitiæ tamen libertatem illi, imò uerius licentiam, haud quaquàm permittit, sed prouiribus, si opus sit, restringit, ita & Magistratus, quàm uis gladio suo mortalium corda iustificare nequeat, totus tamen in hoc debet incumbere, ut illorum malitia carceribus includatur, ne ruptis uinculis, instar ferarum quosuis lædat & statum publici tranquillitatem perturbet. Gladius Magistratus non hoc tantum præstare debet, ut puniantur mali, sed etiam ut protegantur insontes. Vxorem habes uenustam? Vtut illa sit uel Susanna castior, nunquàm tamen efficies, quominus sint qui illam concupiscant, & concupiscentiæ flamma accensi intueantur, adeoq; in corde adulterium cum illa committant. Hoc inquàm nec tuæ, nec Magistratus facultatis erit prohibere. Quid tum? Concupiscant & intueantur ut uelint, donec in opus ipsum non audebunt erumpere, non poterunt efficere, ut uiciatam habeas uxorem. Nulla matrona honesta, quantumuis improbi nebulonis concupiscentia polluitur. Quod autem peccare non audent ipso opere, & mulierem ad libidinem sollicitare, ex formidine pœnæ est, ut ille ait: Non audent peccare mali formidine pœnæ. Hactenus uidelicet gladius Magistratus uxoris pudicitiæ, & domus tuæ honestati ac tranquillitati seruit, ut merito gratus esse debeas, & diuinam agnoscere prouidentiam, quæ legibus ac pœnis corruptæ carnis prauum & peruersum ingenium ueluti catenis quibusdam cohercere uoluerit, & simul intelligere, quantum discriminis sit inter cordis concupiscentiam & opus ipsum. Est qui res tuas concupiscit. Concupiscat, modo manum illis non iniiciat. Concupiscendo, tibi ne obulum quidem auferet. Auferret autem reipsa, nisi esset formido pœnæ. Est qui tibi usq; adeò irascatur, & infensus est, ut extinctum cupiat. Irascatur, odio prosequatur, mortem optet, ut uolet, modo manum cohibeat, uitæ tuæ nihil deteret. Sed hoc cui debes? Gladio uidelicet Magistratus, qui nisi formidaretur, statim inimici sentires impetum.

Cum igitur seculum hoc omnis generis malitia refertum, & peruersa illa furandi, occidendi, & adulterandi concupiscentia nusquàm non mortalium cordibus insita sit, ita ut omnia plena sint furibus, homicidis, & adulteris, quod ad cordiũ prauitatem attinet. Quis non intelligit, quanta futura sit rerum omnium perturbatio, si dempta pœnarum formidine, humanæ malitiæ ac temeritati liber excurrendi campus permittatur, ex quo facile liquet, quanta sit Magistratus ac certarum pœnarum necessitas, quantumq; bonum (ut & Paulus dicit, minister Dei est, inquiens, tibi in bonum) etiamsi potestas Magistratus, ut ut malos puniat, corda tamen iustificare nequeat, quantumq; simul discriminis sit inter eos, qui concupiscendo tantum furantur, occidunt & adulterantur, & eos qui ipso opere flagitiosi sunt. Videamus huius aliquot exempla.

Gen. 34. Si concupiscentia filij principis Sichemitarum in opus stupri non prorupisset, non fuisset data causa tam horrendæ stragi. Si concupiuissent tantum Israëlitæ, & non etiam ipso opere scortationem & idololatriam commisissent, non fuissent ipsorum principes iussu Dei patibulis appensi, nec è populo 24000. occisi.

Num. 25. Si Beniamitæ alienam uxorem concupiuissent tantum, & non etiam infando stupro enecassent, tanta clades non fuisset sequuta, qua ceciderunt Beniamitarum 25000. & Israëlitarum 40000. Iudic. 19. 20.

Si concupiscentiam suam rex Dauid cohibuisset, nec alienam uxorem impregnasset, nec tegendi facinoris gratia adulterio homicidium coniunxisset. 2. Sam. 11.

Istis & alijs huiusmodi exemplis facile colligitur, quantum discriminis sit inter adulterium cordis, & adulterium corporis, quod ad præsentis uitæ statum & conuictum attinet.

ALIA OBIECTIO.

Subdolum planè & peruersum est carnis ingenium, ut uix satis obseruari queat. Cum Christus dicit: Ego autem dico uobis, quod quisquis aspexerit uxorem alterius ad concupiscendum eam iam adulterium, cum ea commisit in corde suo, statim caro infert. Quid igitur impedit, quo minus concupiscentiæ obsequar, & ipsa operis uoluptate potiar, si concupiscendo coram Deo adulter iudicor & condemnor? Quæ fuerit utilitas, si ab opere adulter iam coram Deo iudicatus, abstinuero? Si adulter sum, & damnatus propter concupiscentiam cordis, quid amplius timendum esse potest, etiam si opus ipsum adiunxero? Nunquid miserum est propter solam concupiscentiam damnari, cum operis uoluptate nondum sis potitus? Præcipe saltem uoluptatem aliquam ex hoc peccato, ne frustra damneris. Hæc suggestio non carnis tantum est, sed & Satanæ improbissimi consultoris, qua non solum illi tentantur, qui ad opus adulterij nondum sunt progressi, sed & adolescentes, & puellæ scortantes, ipsi etiam adulteri, ut cogitent: peccauimus, facti sumus scortatores, & adulteri, non est locus ueniæ, damnati sumus iudicio Dei, quid profuerit etiamsi desistamus? pergamus igitur, ut uel in hac uita uoluptate aliqua perfruamur.

Isti suggestioni uerè diabolicæ in tempore occurrendum est, ne animum desperabundum in barathrum perditionis abijciat. Expendamus igitur, quàm absurda, peruersa, & pernitiosa sit.

Principio, impiè abutitur hæc suggestio, doctrina ista & sententia Christi seruatoris, cuius omnis doctrina ad hunc unicum scopum dirigitur, ut destruatur opus diaboli, & seruentur peccatores, ne pereant. Quæ est igitur ista peruersitas, quod ex uerbis Christi tam impia cogitatio concipitur, quæ huc tendat, ut opus diaboli corroboretur, & perficiatur, & miser peccator sese magis atq; magis æternæ damnationi reddat obnoxium?

Deinde, notam habet animi desperabundi, qui omnem misericordiæ Dei spem abiecerit, & scienter ac prudenter æternam damnationem expectare statuerit id quod non Christianorum, sed planè impiorum est. Desperationis huius duplex est causa. Vna quod qui tales sunt, putant neminem seruari posse, nisi qui prorsus non peccauerit. Vbi uerò semel peccatum sit, non esse sperandam salutem. Seponuntur hic ex animo omnes illi scripturæ loci, qui resipiscentibus peccatorum re-

misisti nem, & gratiam Dei, uitamq; æternam pollicentur, ut sunt Ezech. 18. Matth. 9. 1. Ioh. 1. 2. cum innumeris alijs. Altera est, quod huiusmodi animus tanta est carnalis uoluptatis, cupiditate ac libidine absorptus, & usque adeò concupiscentiæ uinculis irretitus, ut planè statuerit malle se perire in sempiternum, quàm carnis uoluptatibus, & peccandi consuetudini renunciare. Tales erant qui dicebant: Desperauimus, post cogitationes nostras ibimus. Hierem. 18.

Secus sunt animati credentes ac pij. Illi spem misericordiæ Dei, deinde & futuræ uitæ nunquam ponunt, etiamsi subinde peccent & ipsi. Vbi peccant more probi filij, non cogitant: Deploratum est, non est ullus apud patrem ueniæ locus, etiamsi resipiscas, & quod male commisisti emendes, sed mox pœnitentia ducti sese humiliant, & toti huc feruntur, ut patrem placent, beneuolentiamq; illius recuperent, qua nullo modo carere possunt, citius omnia abiecturi, quàm ut patris indignationem perpetuam sustineant.

3 Tertio, talis suggestio supra modum indignationem Dei prouocat & irritat. Intelligis te corde contra uoluntatem Dei delinquere, qui dixit: Ne concupiscas uxorẽ proximi tui, & tam abest, ut doleas ac pœniteas ueniamq; ores, ut summa temeritate etiam ipsum peccati opus adiungas? Infrà 21. dicebat patri senior filius: Non eo in uineam tuam. Vox erat plagis digna. Quod si postea cogitasset. Exhibuisti te uerbis patri immorigerum, debitamq; obedientiam negasti. Iam absq; dubio tibi succenset plurimum. Quid igitur fuerit, etiamsi eas in uineam eius, & quod iussit præstes? Non placebit illi, quantumcunq; opereris, certe peccatum peccato addidisset, & meritam parentis indignationem plenè confirmasset: uerum ubi pœnitentia ductus in uineam se parentis contulit, & operis obedientia patris iram, quam uerbo mouerat, sedauit, & quod probi erat filij præstitit, Hier. 44. reprehenduntur Israëlitæ, quod non solum ore contra Deum loquuti essent, sed & quæ loquuti fuerant ore, manibus etiam adimplebant, quæ temeritas absq; dubio supra modum indignationem diuinæ Maiestatis irritat.

Quarto. Etiam hoc cogitandum est. Quàmuis cor-
4 dis concupiscentia adulterij damnetur, multum tamen non in humano tantum statu & conuictu, sed & coram Deo, inter concupiscentiam & opus peccati, discrimis esse deprehenditur. Primum ob eam causam, quod non solum concupiscentia cordis, sed & opus adulterij speciali præcepto prohibitum est, ut necesse sit grauius peccare eum qui opere quoq; uxorem proximi stuprat, quàm qui illam duntaxat concupiscit. Iam supra notatum est, pro ratione & gradibus peccatorum gradus etiã esse pœnarũ. Deinde quod ut Apostolus 1. Cor. 6. admonet, corpora nostra tẽpla sunt spiritussancti, quæ polluere non debeamus. Deinde sunt membra Christi. Num tollens, inquit membra Christi, faciam scorti membra? Absit. 1. Thess. ult. orat ut Deus pacis non solum animam & spiritum, sed & corpus nostrum integrum seruet, sanctificans nos per omnia. At nullo alio peccato ita polluũtur corpora nostra, atq; peccato scortationis & adulterij. Omne peccatum, inquit, quodcunq; fecerit homo, extra corpus est, sed qui scortatur in proprium corpus peccat. Præterea & hoc accedit, quod peccatum adulterij opere non potest aliter adimpleri, quàm cum eius perditione, cum qua committitur. Habet hoc præcipuum malum præ omnibus alijs peccatis, opus adulterij, ut nequeat sine alterius perditione perfici. Iam quis non uidet maius esse peccatum, si non solus ipse peccem, sed & alios peccati consortes efficiam? Ad hæc quàm difficile est, ut, etiamsi resipiscat adulter, ne pereat, mulierem etiam, quam peccati fecerat, faciat simul & resipiscentiæ consortem? Quomodo poterit autem resipiscentis conscientia non angi ac plurimum dolere, si uideat animam, pro qua Christus est mortuus, in peccato cuius occasionem olim & causam dedit, pergere & perire? Postremo, & ex eo plurimum grauatur opus adulterij, quod à Christiano commissum, causam dat blasphemandi nominis Dei. Vide 2. Samuel. 12. quomodo sit hoc malum Dauidi obiectum, & singulariter punitum. Sicut enim opera nostra bona causam dant glorificandi patris nostri qui in cœlis est, ut supra uidimus, ita certe mala opera eò tendunt, ut blasphemetur nomen Dei propter nos. Si ista consideremus, & diligenter expenderimus, planè conspicuum erit, quàm etiam coram Deo opus adulterij, cordis concupiscentiam plurimum excellat.

Imò & hoc cogitandum est. Tam abest, ut libidini in corde conceptæ, operis patratione satisfiat, ut per hanc magis accendatur, corroboretur, & eousq; inualescat, ut planè tandem inuincibilis reddatur, & locum inueniat dictum illud omnium uerissimum. Consuetudo est altera natura. Et illud: Durum est consueta relinquere. Ignosce Lector prolixitati. Ipse uides quantum habeat mali peruersa ista carnis, imò ipsius Satanæ suggestio, contra quam ista quæ iam in mentem uenerunt, iuuentutis gratia, ne imprudenter in nassam hanc alliciatur, admonitu necessaria putaui.

Quod si oculus tuus dexter obstaculo tibi fuerit, erue illum, & abijce abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, ac non totum corpus tuum conijciatur in gehennam. Etsi dextera tua manus obstiterit tibi, amputa eam, & proijce abs te. Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, ac non totum corpus tuum conijciatur in gehennam.

Habet hic locus aliquid obscuri, licet conspicuum sit Christum his uerbis admonere, ut quæuis offendiculi caueatur occasio. Diuidemus eum in duo membra, ita ut primo uideamus quid præcipiatur à Domino, altero quæ præcepti huius ratio subijciatur.

Quod si oculus tuus dexter obstaculo tibi fuerit, erue illum & abijce abs te.) *Primum hoc membrum est, quod uariè exponitur. Alij per oculum obstantem, atq; ideò eruendum & abijciendum, intelligunt pra-*

uam

prauam concupiſcentiam. Alij quia adiungitur, dexter, intelligunt de bona intentione eruenda, ſi obſtaculum pepererit. Et per manum dexteram, exponunt bonum opus, amputandum ſi ſit occaſio ruinæ. Rurſus ſunt, qui per oculum dextrum, ac manum dextram intelligant doctorem ac miniſtrum ſacrorum, ſi uel doctrina, uel uita ſit offendiculo, è corpore Chriſti eruendum & abijciendum. Nemo non uidet Chriſtum hic non loqui de oculo & manu corporis, alioqui quid opus erat nominatim dextri oculi, & dextræ manus meminiſſe? Si nanq; offendiculo poteſt eſſe dexter oculus, poteſt utiq; & ſiniſter. Si dextra manus, poteſt & ſiniſtra. Ob hanc cauſam ferè omnes exiſtimarunt hæc Chriſti uerba allegoricòs eſſe exponenda, quæ opinio uarietatem iſtam peperit expoſitionis. Nemini propoſitum eſt præiudicare. Simpliciter dicam quid mihi uideatur his uerbis agere Chriſtus, deinde uidebimus, quæ ſint hoc loco notanda.

Habet hæc particula adhortationem, ut dixi, de uitanda peccati occaſione, ex præmiſſa de cordis adulterio ſententia natam. Imitatur hoc loco Chriſtus ſtudium boni medici, qui nõ ſolum morbi cauſas, & grauitatem ægroto aperit, ut ſciat quàm periculoſè decumbat, ſed ſimul quid faciendum ſit præcipit, & ut infirmitatis ſuæ rationem habeat admonet, quatenus etſi nequeat in uniuerſum excutere morbum, uires illi tamen, & occaſionem inualeſcendi amputet. Atq; hac ratione iubet quæcunq; morbo uires addunt ſtudioſè uitare, niſi uelit de ipſa uita periclitari. Planè ad hunc modum uerus ille animarum noſtrarum medicus, de uitanda peccati occaſione adhortationem ſubijcit: Præcedenti diuinæ legis expoſitione morbum corruptæ noſtræ naturæ in imis uiſceribus latentem aperuit, & quanti ſit periculi expoſuit. Iam conſequenter conſiderato morbi huius, id eſt, concupiſcentiæ corruptæ, ac peruerſæ ingenio, quàm neceſſarium ſit, ut omnem illi occaſionem ſeſe exerendi, & inualeſcendi amputemus, diligenter admonet.

Tantundem itaq; eſt quod hic dicit: Quoniam ita comparati eſtis, ut peruerſa ſitis concupiſcentia corrupti, & malum illud cordis ueſtri opinione citius per obiecta externa, ſi illa oculos ueſtros incurrant, excitetur, & ſeſe exerat: deinde quoniam ea eſt diuinæ iuſtitiæ ἀκρίβεια, ut adulterij condemnetur, quiſquis alienam uxorem ad concupiſcendum intuitus fuerit, etiam atq; etiam uidendum uobis eſt, niſi perire uolueritis, ut infirmitatis ueſtræ rationem habentes, omnem occaſionem offendiculi, aut incitamenti ſtudioſiſimè declinetis: nec quicquàm uſq; adeò charum uobis eſſe ſinatis, cuius gratia, ſi cædat ad ruinam, ſempiterno uos permittatis obnoxios fieri exitio. Nihil tam eſt uobis affine, nihil adeò coniunctum, nihil etiam agnatum & ita intimum, quod non ſit amputandum, ſi ruinæ occaſionem adferat, hoc eſt, ſi cauſam præſtet contra Deum delinquendi, etiamſi membrum aliquod corporis ueſtri, imò præcipuum & neceſſarium membrum, qualia ſunt oculus dexter, & manus dextera. Nam etiam ſi carendum ſit his membris, ſatius tamen abſq; illis ſeruari quàm cum eis abijci in gehennam.

Hoc loquutionis genere, ſi ſimpliciter accipiatur mens Chriſti, non reſpicitur ad res myſticas, quæ per oculum dextrum, ac manum dexteram allegoricè ſint intelligendæ, ſed hyperbolica loquutione neceſsitas uitandi offenſaculi proponitur. Tale eſt quod Germani ad eos dicimus, quos aliquò mittimus, ſi ſerio & uelociter ſit aliquid exequendum. Vnd wañ dir ein aug entfiele, ſo hebs nit auff. Apoſtolus cum uellet ſignificare, quàm principio aduentus ſui ad Galatas charus illis fuerit, hyperbolica iſta loquutione uſus eſt, dicens: Teſtimonium reddo uobis, quod ſi fieri potuiſſet, oculos ueſtros effoſſos dediſſetis mihi. Quis hic ita inſanit, ut allegoricè per oculos effoſſos myſticũ aliquid ſignificatum eſſe putet? Quis non uidet Apoſtolum nihil aliud dicere, quàm adeò ſe Galatis fuiſſe charum & acceptum, ut nullis rebus quantumcunq; neceſſarijs parſuri fuerint, ſi eas deſideraſſet? Conſimilis cum ſit hæc Chriſti loquutio, arbitror patere, nullum hic locum eſſe allegoricis expoſitionibus.

Quod Auguſtinus per oculum dexterum, & manum dexteram doctorem & miniſtrum ſacrorum Eccleſiæ, id eſt, è corpore dominico, eijciendum intelligit, ſi is cœperit eſſe reliquo corpori offenſaculo, utut aſcititium eſt hoc loco, optãrim tamen in Eccleſia Chriſti, præſertim corrupto hoc ſeculo, ſtudioſè obſeruari, ſaltem iuxta Pontificia decreta, quæ ſententiæ huius recordantur, 24. Queſt. 3. ca. Illud. Verum ea inualuit in ordine miniſtrorum Eccleſiæ impudentia, ut nullis quantũuis magnis ſcinoribus abſtineant, & in populo Chriſti tanta obtinuit ſtupiditas, ut nihil ſacerdotali laſciuia, luxu, auaritia, & Simonia offendatur.

QVAE NOTANDA SINT.

Principio notandum eſt, Chriſto hic negocium eſſe non cum deploratis, & præter omnem peccati conſcientiam temerè peccantibus, ſed cum illis qui timore Dei ſunt præditi, & ſalutis ſuæ rationem habent. Alioqui qui hoc animo non ſunt, ne tantillum quidem uitandi offenſaculi gratia declinabunt. At qui de ſalute ſua ſolliciti ſunt, non poterunt non ſtudioſè ingenij ſui prauitatem & corruptionem obſeruare, ſcientes ſenſum & cogitationem hominis procliuem eſſe ad malum ab adoleſcentia ipſius.

Deinde notandum eſt, quantam nobis Dominus uitandi offenſaculi neceſsitatem proponat. Primum cum dicit: Si oculus dexter, &, ſi manus dextera, &c. Si tam neceſſaria corporis membra retinenda non ſunt, ſi obſtaculo ſint ad ſalutem, quid dicendum de illis, qui rebus uilibus, utpote ſeculi huius uanitatem concernentibus, adeò tenaciter adhærent, ut citius ſint de ſalute æterna periclitaturi, quàm illas abiecturi? Deinde & in eo quòd dicit. Erue & abijce. Leuius eſſet, ſi diceret: caue, obſerua, cohibe, aut aliquid aliud huiuſmodi. Iam cum dicit, erue, quis non uidet, quanto ſerio, & quàm penitus admoneat tollendam eſſe omnem offendiculi occaſionem: ut ſimul ſignificet magnitudinem tantam eſſe periculi, ut niſi id fiat, prorſus ſit pereundum, perinde atq; ſi quis uiperam à manu pendentem concitus abripiat & abijciat. Et: Verbum abijciendi eadem eſt em-

phasi positũ. Non dicit: & sepone, uel reconde, sed: abijce, sicuti res noxiæ prorsus abijci solent: quale est quod Esa. 2. Esa. 2. de idolorũ cultoribus prædictũ est, quod sint idola argẽtea et aurea in die uisitationis domini proiecturi.

Obseruemus itaq; in hac Christi admonitione, quo serio, quo feruore, quamquàm uehementi cautione opus sit regnum Dei quærentibus, ut offensaculorum occasiones undecunq; irruentes amputent.

Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorũ tuorum, ac non totum corpus tuum conijciatur in gehennam, &c.) Hoc alterum membrum esse dixi præsentis loci, quo adhortationi suæ Christus rationem subijcit. Nam alioqui & durum uidetur, & noxium membrum tam necessarium corpori adimere, & uelut inutile abijcere. Sumitur autem hæc ratio ab utilitate conseruandi uniuersi. Satius enim est, ut pereat pars aliqua corporis, quàm ut uniuersa totius corporis salus in periculum uocetur. Habet hæc ratio simile sumptum de illis quibus morbida membra, unde reliquo corpori salutis periculum nascitur, per chirurgos amputantur, quo uel illorum amissione salua retineri possit totius corporis constitutio. Ista prudentia, quàmuis dura, necessitati tamen conseruandi uniuersi corporis, acceptabilis redditur. Ad hunc modum comparata est & prudentia spiritus, quæ unicum hunc scopum habet, ut uera ac perpetua salus retineatur, quicquid sit interea, utut cbarum & singularis commoditatis abijciendum. Ideò post quàm dixit: Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quod in se non uidetur expedire corpori, sed magis detrimento esse, subiecit: ac non totum corpus tuum conijciatur in gehennam. Quod ad conseruandam uitam, & totius corporis salutem attinet. Videmus hunc animum hominibus ineſſe naturaliter, ut dispendio membrorum, si aliter fieri nequeat, uitam corporis redimant. Quin & bruta animantia naturaliter ita comparata sunt, ut quoquo modo possibile sit, periclitanti uitæ consulant. Aucula laqueo irretita, uel alæ uel pedis dispendio, si id liceat, intentatam perniciem rapidissimè fugit. De Elephantis meminit Solinus cap. 38. quod cum uenatu premuntur, utroſq; dentes pariter confringant, ut ebore damnato, amplius non requirantur. Hanc enim sibi causam periculi sentiunt. Quale est, & quod idem de Castore cap. 23. scribit, uidelicet, quod seipsum castret, sciens sibi ex ea corporis parte esse periculum. Iam si tanto serio corporis uita retinetur, quanto maiore retinẽda est animæ salus ac uita? Quid enim habet eximij momenti, si corpus abscisa dextera seruetur, breui postea moriturũ? Animæ uerò longè alia est ratio, id quod & Poëta gẽtilis agnouit, dicẽs:

Vt corpus reddas, ferrum patieris & ignem,
Arida nec sitiens, ora lauabis aqua.
Vt ualeas animo, quicquàm tolerare negabis?
At precium pars hæc corpore maius habet.

Ac non totum corpus tuum conijciatur in gehennam.) Sicut in corporis salute conseruanda duo sunt extrema, quorum alterum cupidissimè retinetur, alterum extremè fugitur: nempe uita & mors, ita & in uera illa ac sempiterna animæ pariter & corporis salute tuenda, duo sunt extrema: quorum alterum ab electis obnixè speratur & expectatur, alterum ex animo fugitur, æterna uidelicet uita, & gehenna. Postremum hoc loco positum uidemus, utraq; uero infrà cap. 18. adducta legimus. Etsi oculus tuus, inquit, offendit te, erue eum, & proijce abs te. Bonum est tibi, ut luscus intres in uitam, potius quàm ut duos oculos habens, mittaris in gehennam ignis. Vtrinq; igitur ad cauendam offendiculi occasionem, argumentis omnium fortissimis sollicitamur. Hinc, ne uitam æternam amittamus, illinc, ne gehennæ incendium, damnationem perpetuam, & mortem sempiternam incurramus. Si quis spe uitæ non afficitur, moueatur saltem horrore gehennalis incendij, ac mortis æternæ. Est enim ea horum duorum conditio, ut omnino incurrendum sit in alterutrum. Si uitam amiserimus, felicem illam & æternam, non hoc tantum dispendio miseri erimus, sed & ad eam miseriam gehennæ, id est, sempiterni supplicij cumulus accedet.

Sed uæ uæ pestilentissimæ præsentis seculi negligentiæ, ne dicam an temeritati? Quotus quisq; est, qui uero ac serio cœlestis regni ac uitæ studio teneatur? Altissimum stertitur ferè ab omnibus, ut crediderim uix unquàm fuisse uerbi Dei ministros, qui cum tanta molestia pariter ac fastidio regnum Dei annunciarint, atq; hi qui nouissimis istis temporibus, in quibus mirũ in modũ pietatis studium friget regnum Christi, & iustitiam eius prædicant, modo tales sint, qui et Christum, & Ecclesiam eius ex animo diligant. Ab ueritate dicis.

Dictum est autem: Quicunq; repudiauerit uxorem suam, det illi libellum diuortij. At ego dico uobis, quod quisquis repudiauerit uxorem suam, nisi causa stupri efficit, ut illa sit adultera: & quicunque repudiatam duxerit, adulterium committit.

Lex ista habetur Deut. 24. ad hunc modum: Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & illa non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, dimittetq; eam de domo sua. Quoniam hac lege Iudæi nequitiam suam, qua uxores quauis de causa abijciebant, obuelabant, & mentem illius uel ignorabant, uel dissimulabant, operæprecium erat hanc suo uigori restitui ac declarari. Huius gratia Christus dicit: At ego dico uobis, quod quisquis repudiauerit uxorem suam, nisi causa stupri, efficit ut illa sit adultera: & quicunq; repudiatam duxerit adulterium committat. Sententiæ huius ratio non ponitur hoc loco, sed infrà capite 19. ubi eadem repetuntur, per occasionem tentationis, qua Pharisæi Dominum adoriebantur, dicentes: Licet ne homini diuortium facere cum uxore sua, qualibet ex causa? quibus Dominus firmitatem diuinæ constitutionis, & coniunctionis rationis uice objcit, quam nulli mortalium liceat infringere. Vnde conspicuum faciebat totius huius mali causam esse, quod conditionem ac firmitatem matrimonij diuinitus instituti non expendebant. Ob eam causam dicit: Annon legistis, quod Infrà 19.

is qui

is qui fecit ab initio, masculum & fœminam fecit eos? Propterea deseret homo patrem & matrem, &c.

Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet, q.d. Ea firmitate, & tam insolubili uinculo diuinitus sunt masculus & fœmina coniuncti, ut non liceat illos (dempta fornicationis causa) dirimere, ut necesse sit, si præter hanc dirimantur, committi adulterium. Sumuntur hic argumenta.

1 *Ab autoritate conditoris, quos Deus coniunxit, &c.*

2 *A uetustate ordinis. Ab initio masculum & fœminam fecit eos.*

3 *A modo coniunctionis. Duo in carnem unam erunt.*

4 *Ab excellentia coniugalis copulæ. Relinquet homo patrem ac matrem, & adhærebit uxori suæ. Nam & parentes & liberi diuinitus coniuncti sunt, sed non in carnem unam, nec ita ut separari non possint.*

Oritur hic quæstio, quam & Pharisæi infra 19. Christo obijciunt. Si hæc est matrimonij insolubilis firmitas, quare ergo Moses legem de repudij dando libello & uxoribus, si non sint acceptæ, dimittendis, dederit. An lex per Mosen data, non est lex Dei? Si lex Dei est, & Christus non uenit destruere legem Dei, quare hanc legem sua sententia damnat?

Omnino cogitandum est, sententiam hanc Christi tam non aduersari legi Mosaicæ, ut mentem illius magis confirmet. Proinde necessariũ est, ut perpendamus hoc oco quid uterq; agat, Christus & Moses.

MOSES

Hic ut legislator, considerata Iudaicæ nationis malicia et duricia, necessitate adigebatur, ut hac lege quod per se bonum non erat, sed reprehensibile, maioris mali uitandi gratia decerneret. Notat hoc Christus, infrà 19. cum dicit: Moses propter duriciam cordis uestri permisit uobis repudiare uxores uestras, cæterum ab initio non fuit sic. Sciebat quidem & Moses coniugij uinculum ita nexum à Deo, ut ab homine non debeat infringi (quomodo nanq; ignorasset, quod ipse scripserat?) nec sciebat tantum, sed maluisset etiam quenq; Iudæum animo erga uxorem suam esse ei statui competenti, ut de dimittenda illa, uel inique adfligenda, aut prorsus enecanda, ne cogitaret quidem. Verum quoniam, quæ illorum erat duricia, hoc nec obtinere poterat, nec sperare, quo infirmo sexui succurreret, & obstinatam maritorum duriciam hactenus cohiberet, ne ad oppressionem coniugum inualesceret, malo illi nodo cuneum hunc repudij adfixit. Cum hanc repudij permissi rationem non intelligerent Iudæi, cœperũt hac lege absq; ulla peccati conscientia, tanquàm nequitiæ suæ operculo abuti, quasi prorsus liceat quacunq; de causa dimittere uxores, modo iuxta legem hanc detur repudij libellus: cuius erat ratio, ut dimissæ coniugi liberum esset alteri se uiro coniungere, & priori marito nihil amplius in illam relinqueretur iuris.

Notandum itaq; quis usus sit legum ciuilium. Nam et ista lex Mosi planè politica erat. Ciuiles leges multa non bona permittunt, propter subditorum maliciam, ne status publicus perturbetur, sicuti & in usuræ permissione factum est, Codice tract. de Vsuris. Qua cõstitutione auaritiæ positus est modus aliquis, & succursum egestati, ac necessitati eorum, quibus necesse est, ut alienam pecuniam mutuo sumant. Rursus nec omnia mala uetant, & quæ non uetant non puniunt etiam: utpote, iram, inuidiam, auaritiam, fastum, cordis impietatem, & quæ alia sunt huiusmodi. Nec omnia bona præcipiunt. Nihil enim præcipiunt de fide, spe, charitate, timore Dei, patientia, humilitate mentis, fraterna dilectione, & quæ sunt alia consimilia. Neq; præcipiunt subditis, ut quisq; proximo in necessitatibus constituto, uel dando, uel accommodando, aut mutuum dando succurrat, quæ debentur, remittat: & illatam iniuriam non ulciscatur, sed hoc tantum agunt, ut hactenus humani cordis malicia cohibeatur, ne statum publicum prorum pendo perturbet: non ut corda mortalium coram Deo, si leges politicas seruent, iustificet. Interea tamen legislator & Magistratus, si pius sit, ex animo subditis hanc optabit pietatem, ut mala ciuilibus legibus non prohibita, uel permissa etiam pietatis studio ultro uitent, & bona non præcepta studiosè seruent, quo non in politico tantum conuictu, sed & in regno Dei coram Deo uiuant inculpatè. Sicut ergo Iudæi in ius matrimonij, coram Deo, Mosaica hac lege de libello diuortij lata licenter utentes delinquebant, utut in statu politico inculpabiles essent, ita planè coram Deo, in regnum Christi & iustitiam eius delinquunt, qui legibus de usura, & aliis illicitis rebus latis cum Christiani uideri uelint, temerè utuntur, licet coram Magistratu sint irreprehensibiles.

CHRISTVS

Hic ut præceptor ueræ ac solidæ iustitiæ, quæ non in hac tantum, sed & cœlesti uita, non in hoc politico duntaxat, sed & cœlestis regni statu, non coram Magistratu ciuili tantum, sed & coram Deo ualeat, Iudæorum delictum in hac causa arguit, docensq; Mosaicæ legis non eam esse rationem, ut quod in se est illicitum coram Deo reddat licitum, sed ut maioribus malis occurrat, culpam hanc in Iudæorum duritiam reijcit, non in Moysen, ne illi uideatur contrarius. Negocium Christo est, cum pijs, quibus omnis in hoc cura est, & sollicitudo, ut ubiq; uitam suam diuinæ uoluntati conforment, & legibus interea ciuilibus utantur, quatenus id liceat coram Deo, & bona conscientia, ut sicuti decet bonos uiros ac Dei timentes, coram Deo non impingant. Ita debebat pius Iudæus uxorem suam non inhumaniter tractare, sed ut propriam carnem in Domino diligere & complecti, atq; ita nec contra legislatorem Moysen, nec contra autorem coniugij Deum delinquere. Ita & nostrum est, diligere proximos, & illorum necessitatibus dilectionis impulsu quouis modo succurrere, atq; ita nec contra Christi leges, quas hoc capite infrà uidebimus: nec contra ciuilem legislatorem peccare, contra quem nemo pius, sua proximis gratis absq; usura communicando delinquet. Ista uolui hoc loco adferre, ut liquidum sit, quid Christus, & quid Moses agat, quamq; ista Christi sententia Mosaicæ legi nihil repugnet, imò magis mentem illius confirmet.

DE DIVORTIO.

Ex præmissis facile intelligi potest, quæ sit diuortij

ratio in causa coniugij, quod attinet ad statum politicum. Hactenus de illo nos nihil dicemus, sed hanc causam permittimus Iurisperitis. Quoniam uerò interea consulendum est etiam pijs, quorum propositum est cum primis ita se gerere, sicut in omni uita, ita & in hac causa, ut non solum Magistratus sese iudicio, sed & pura cum conscientia diuinæ Maiestatis uoluntati approbent, commemorabimus illorum gratia paucula quædam de Diuortio, quo conscientijs illorum consulatur.

1 Principio. Ex uerbis Christi satis liquet, non omnino illicitum esse quodcunq; diuortium, ita ut nunquàm liceat diuertere coniuges, cum apertè Christus exceptionem interserat, dicens: Nisi causa stupri. Cum ergo excipiat aliquid, cuius gratia liceat cum coniuge facere diuortium, satis innuit, certis causis licere repudium.

2 Deinde uidendum est, quando, hoc est, quibus de causis licitum sit diuortium. Non possumus hic probare Iudaicam temeritatem, qua uxores duri ceruice quamuis ob causam contra matrimonij iura repudiabant, quam licentiam, imò magis libidinem, Christus & hoc & infrà 19. capite reprehendit. Non peccabant Iudæi simpliciter, quod usum repudij habebant, sed quod temerè quauis de causa diuertebant, & uinculum matrimonij soluebant.

Interea tamen necesse est, ut certas causas statuamus, ob quas liceat usurpare diuortium, etiam coram Deo, salua & pacata conscientia.

Nihil hic dicam de eo, an male, id est, contra diuinæ legis præscripta, quæ habentur Leuitici 18. uel contra naturæ iura, & status huius necessarias conditiones coniuncti, utpote tales, qui legibus coniugij per impotentiam, siue naturalem, siue accidentalem, modo durabilem, satisfacere nequeunt, rectè possint dirimi. Nam hic magis uidendum est, possit né inter tales esse coniugium, quàm an liceat male contractum discindere. Quis enim dubitat segregare, male, contra Deum & naturæ leges, coniunctos? Quin potius quærendum est, quibus de causis hi coniuges, qui & ritè sunt coniuncti, & coniunctioni legitimæ respondere naturaliter possunt dirimi quæant. Imò ut uerius dicam, per quam culpam ritè contractum matrimonium dissoluatur, etiamsi politica potestas quiescat.

Huius generis geminam inuenio culpam, per quam soluatur matrimonij uinculum.

Vna est, quam Dominus hic ponit, dicens: Nisi causa stupri. Nam hoc crimine coniugalis fides dissoluitur, quod & Germani planè proprio uocabulo, Ein Ehbruch uocamus.

Casus hic uarias habet circumstantias, quas hoc loco excutere, propositum non est. Id tamen admonuerim, ut quibus tales coniuges diuino iudicio contingunt, recordentur se esse Christianos, & primum cogitent de lucranda coniugis salute, si id fieri queat. Si uerò nequeat, tum demum libertate sua, neq; id sine animi dolore, utantur.

Altera est, quam Apostolus assignat, 1. Corinth. 7. cum dicit: Quod si incredulus discedit, discedat. Non est seruituti subiectus frater, aut soror in huiusmodi. Hoc usuenit in coniugibus imparibus, id est, in talibus, ubi fidelis & infidelis coniugij uinculo sunt connexi. Imparitas quidem religionis non dirimit coniugium, uerum si infidelis cohabitare nolit, aut reliqua coniugij iura religionis gratia recusarit, hic inquit Apostolus, non est seruituti subiectus frater aut soror. Locum hunc exponens Ambrosius, dicit: Non debetur reuerentia coniugij, ei qui horret autorem coniugij. Non enim est ratum matrimonium, quod sine Dei deuotione est. Ac per hoc non est peccatum ei, qui dimittitur propter Deum, si alij se iunxerit. Contumelia enim creatoris, soluit ius matrimonij, circa eum qui relinquitur, ne accusetur alij copulatus. Hæc ille. Quod dicit: Non est peccatum ei, qui dimittitur propter Deum, si alij se iunxerit Apostolicæ sententiæ respondet. Quod uerò præmisit, dicens: Non est enim ratum matrimonium, quod sine Dei deuotione est, cautè legendum est. Non enim istam causam Apostolus soluti imparis coniugij, sed aliam assignat: nempe, si coniunx infidelis discedat. Non dicit, si alter coniunx infidelis sit, & sine Dei deuotione, sed: Si discedit, discedat. Non enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi. Alioqui exigit à fideli, ut cohabitet infideli coniugi, si non repugnat, quod certè nunquàm exegisset, si non esset ratum coniugium inter coniuges imparis fidei, ac deuotionis erga Deum.

Tertio, cum ergo certis casibus locum habeat diuortium, uidendum etiam est quomodo insonti liceat dimittere sontem coniugem. Hic Pontificij dicunt. Diuortium quidem approbat Ecclesia, sed hactenus, ut uterq; maneat inconiugatus, aut reconcilientur. Et huc adducunt uerba ista Christi: quisquis dimiserit uxorem suam, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, mœchatur. Et locum Pauli primo Corinthiorum septimo, ubi sic scribit: His autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego sed Dominus, uxorem à uiro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut uiro suo reconciliari, & uir uxorem ne dimittat.

Respondeo. Quod ad uerba Christi attinet, palàm est. Primum, illum de nullo ficto, sed uero diuortio loquutum esse, per quod potestas dabatur denuo, cum alia contrahendi coniugium. Non enim de Pontificio illo, sed Iudaico diuortio loquutus est, nec infra 19. de alterius generis diuortio interrogatus est, quàm de eo quo quauis de causa dimittebantur priores coniuges, & aliæ ducebantur. Nullum enim aliud diuortium nouerant Iudæi, quàm quod dato repudij libello adimeret marito ius repetendi dimissam, & daret ius cum illi, tum dimissæ, denuò nubendi. Licuisse autem dimissæ, alteri uiro nubere, uel hoc testimonij sufficiat, quod sacerdoti præcipitur in lege, ne dimissam ducat, quæ lex superuacua esset, si fas non esset repudiatæ, denuo nubere.

Deinde

Deinde conſpicuum eſt, quod adulterij caſum Dominus excipit. Docet non licere ſi quauis de cauſa dimittatur coniunx, & alia ducatur.

Hic uerò excipit caſum ſtupri, ſignificans tum licere, ſi coniunx coniugalis fidei oblita, alteri uiro copiam ſui fecerit.

Proinde Pontificium illud, nomine tantum diuortium, locum non habet in uerbis Chriſti. Et Ambroſius, ut ſupra memini, poteſtatem dat marito, ut priore dimiſſa, ſi adulterata fuerit, alteri nubat. Non eſt itaq; hæc Chriſti ſententia aliò diuexanda, ſed eò dirigenda, quo dicta eſt: nempe, ut intelligamus Iudaicam illam diuertendi licentiam, qua coniunx quauis de cauſa dimittebatur, & alia ducebatur, connubiali uinculo, & ordini Dei repugnaſſe. Loquitur enim de ea muliere, quæ legi & ordini Dei ſtat. Hoc eſt, quæ & legitime eſt coniuncta, & quod uxoris eſt, præſtat, quod ex eo colligitur, quod infrà decimonono capite dicit: Propter hoc deſeret homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.

Repræhenditur ergo per Chriſti ſententiam, quiſquis uxorem ſuam, quam legitime coniunctam habet, quæ & uxorem præſtat, quauis de cauſa domo eijcit, & aliam ducit. Atq; hic non agitur de eo, qui quam legitime non habet, à ſe dimittit. Nec de eo, qui eam repudiat, quæ uxorem non præſtat. Vxorem uerò non præſtat, quæ fidem thori legitimi illibatam non ſeruat, ſed coniugale uinculum perfida rumpit. Hoc autem facit, quæ per adulterium carnis unitatem diuidit. Hinc eſt, quod Chriſtus eum eximit à ſententia ſua, qui adulteram dimittit, cum dicit: Niſi cauſa ſtupri. Neq; de tali erat Phariſæorum quæſtio, propterea quod eiuſmodi mulier morte puniebatur. Nec ipſa Moſis lex de tali diuortio loquitur.

Quod ergo Chriſtus non dicit: Quiſquis deſeritur ab uxore ſua quauis de cauſa, & aliam ducit, mœchatur, ſed: Quiſquis repudiauerit uxorem ſuam quauis de cauſa, nihil ad eum pertinet, à quo uxor nec dimittitur, nec eijcitur, ſed illa ſeſe ultro perfida ſeparat, & diſcedit. Ea uerò, quia quod Deus coniunxerat, per adulterium ac diſceſſum diuidit, mariti fidem obnoxiam ſibi iam amplius non habet.

Sequitur ergo licere ei uiro, qui uxorem habet adulterantem, & connubialis fidei uinculum rumpentem, imò etiam aufugientem, dimiſſa peccante & aufugiente: præſertim ſi reſipiſcentiam ac reditum detrectet, ſi continere ſe, uel non poterit, uel noluerit etiam, pro libertate ſua aliam ſibi coniungere, cum qua matrimonij uinculo ligatus, honeſte uiuat. Nam nemo alterius improbitate ius ſuum, quod à Deo habet, & quod cum ad uitæ honeſtatem, tum ad uitandam numinis offenſam datum eſt, amittere debet.

Quod Pauli locum concernit, quis non uidet illum non ad quæſtionem Romanorum, ſed ad ſcriptum Corinthiorum reſpondere: quorum quidam putabant contractas ante Chriſtianiſmum nuptias poſt baptiſmum, tanquàm illicitas eſſe dirimendas. Cui errori reſpondet Apoſtolus, nihil minus cogitans, quàm de diuortio adulterantium, de quo rogatus certe aliter ſcripſiſſet.

Proinde dictum illud Pauli, propter ſcortationem uitandam unuſquiſq; habeat uxorem ſuam, ſemper ob oculos habendum eſt, ne, quod Pontificium diuortium facit, cauſam demus deſertis coniugibus, ſi denuò nubendi poteſtas adimatur, uaga libidine ſcortandi. Reconcilientur inquiunt. Primum cur cogitur ius ſuum relinquere qui inſons eſt, & iam libertatem adeptus per conſortis adulterium? Deinde, quid ſi pars rea nolit reconciliari? Nunquid interea peccandum erit inſonti? Obijciunt & illud: Vir uxorem non dimittat. Rectè. Siquidem illa ſeruans ſit coniugalis fidei. Si uerò ſit adultera, cogi ne debet uir honeſtus, ut contra ſcripturam, & honeſtatem publicam ſeruet apud ſe mulierem, iam non magis ſuam quàm alterius? Item. Si illa ſponte diſceſſerit, quid hic faciendum?

Præterea urgent & hoc Chriſti dictum: Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. Rectè. Coniunx fidei ſeruans nunquàm petet iſtam ſeparationem, imò ſi inducta fuerit comparis ſuæ improbitate, admodum dolet. Quid igitur inſonti faciendum, ſi adultera ruperit, quod Deus coniunxerat? Facient ne contra Chriſti ſententiam, qui inſonti alteras nuptias permittunt? Nequaquàm. Neq; enim illi rumpunt coniugij uinculum, quod ipſa coniunx ſua perfidia iam antea adulterando rupit, ſed ruptum magis redintegrant. Si iſta redintegratio per adulteræ prioris uidelicet coniugis, reſipiſcentiam & reconciliationem fieri poteſt, optimum cenſeri debet: ſin minus, quid poteſt hic aliud fieri, quàm ut alia admiſſa reſtauretur coniugium, ſicuti morte interueniente fieri uidemus. Quid enim refert, quomodo adultera prioris marito ſit mortua? Viuenti ne, uel mortuo corpore. Tametſi enim adhuc uiuat, per Magiſtratus negligentiam, reuera tamen coram Deo eſt mortua, & marito amplius non uiuit, ſed ei, cui perfida & adultera adhæret. Verum iſta uiderint, quibus poteſtas gladij concredita eſt, ne more Pontificiorum miſeras inſontium conſcientias adfligi, & adulterantes pro libidine temerè ferri ſinant.

Rurſum audiſtis, quod dictum fuerit antiquis: Non peierabis, ſed perſolues Domino, ea quæ iuraueris. At ego dico uobis, ne iuretis omnino: neq; per cœlum, quia thronus Dei eſt: neq; per terram, quia ſubſellium eſt pedum illius: neq; per Ieroſolyma, quoniam ciuitas eſt magni regis: neq; per caput tuum iurabis, propterea, quod non potes unum pilum album aut nigrum facere. Sed erit

sermo uester, est est, non non. Porrò quod ultra hæc adiungitur, ex malo proficiscitur.

Lex ista habetur Leuit. 19. ad hunc modum. Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Legis huius uigorem ita eneruarant Pharisæi, ut dicerent, periurij reum non esse eum, qui non per nomen dei iurasset. Cæterum deierationes illas, per cœlum, per terram, per Hierosolyma, per templum, &c. neminem obligare, nec transgressorẽ cõstituere legis huius, etiam si falso fiant, eò quod nõ fiant uel per nomina illa dei, quæ המיחודים id est, propria & peculiaria uocant, ut sunt יהוח אל אלהים ירד שרי וגומ' uel per ea, quæ cultum Dei concernunt, ut sunt aurum templi, & donaria Deo oblata. Quod autem legem istam ad hunc modum corruperint, uidere est infrà cap. 23. ubi Christus dicit: Væ uobis duces cæci, inquit, quia dicitis: Quicunq; iurauerit per templum, nihil est, qui autem iurauerit per aurum templi, reus est. Stulti & cæci, utrum maius est aurum an templum, quod sanctificat aurum? Et quicunq; iurauerit per altare nihil est, quicunq; autem iurauerit per donum, quod est super illud, reus est. Stulti ac cæci, utrum maius est donum an altare, quod sanctificat donum? Qui ergo iurauerit per altare, iurat per ipsum, & per omnia quæ supra illud sunt. Et qui iurauerit per templum, &c.

Hoc sensu itaq; Pharisæi deuterosin hanc adiecerunt: Sed persolues Domino ea quæ iuraueris, quasi dicerent: Prohibet lex, ne nomen Dei in uanum sumatur, cum dicit: Nec pollues nomen Dei tui, quod fit, quando falso per illud iuratur. At si deieraueris per res alias, ut sunt cœlum, terra, Hierosolyma, templum, &c. periurij reus non eris, nec transgressor legis huius, etiamsi quod deierasti non præstiteris. Qui uerò per nomen Dei iurauerit, reus erit iurisiurandi. Et hac glossa falso deierandi licentiam induxerunt, & omnia periurijs repleuerunt. Erat itaq; necessarium, ut commentum hoc pharisaicum per genuinam legis declarationem retunderetur, id quod Christus his uerbis facit, cum dicit: Ego autem dico uobis, ne iuretis omnino, neq; per cœlum, quia thronus Dei est, neq; per terram &c.

Ex his formis deierandi, quas Christus ideò recẽset, quod Iudæis in ore essent, idq; absq; ulla peccati cõscientia, satis patet non prohiberi hic iusiurandum, quod ut in iudicio & ueritate fiat, à Deo præcipitur Exod. 22. Deut. 6. 10. & ad tollenda dissidia, & pacis confirmationem facit, Ebr. 6. & à sanctis patribus, Deo dilectis, ipso etiam Abrahamo fidei patre, pie usurpatum est, Gen. 21. 26. 1. Sam. 20. & 24. & ad cultum Dei facit, Deut. 6. 10. Esa. 19. Hier. 4. ita ut ad solos Dei timentes pertineat, unde & laudantur omnes, qui in Deo iurant, Psalm. 63. Et præter hæc omnia ita noui testamenti tempus concernit, ut Esa. 45. & 65. prædictum sit, iuraturos fideles in nouo testamento per nomen Domini. Hoc inquam iusiurandum, quod in nomine Domini, in iudicio & ueritate fit, Christus his uerbis non sustulit, sed temeritatem illam deierandi, quæ etiam inter Christianos uulgariter in quotidianis commercijs & colloquijs, ut olim inter Iudæos, obtinuit. Quis enim Iudæorum his formis unquàm est in serio & solenni iuramento usus? Ideò & Christus hic dicit: Sed erit sermo uester est est, non non. Non dicit: Sed erit iuramentum uestrum, sed: sermo uester, intelligens de quotidianis illis colloquijs & commercijs. Quod etiam in eo patet quod subijcit. Porrò quod ultra hæc adiungitur, ex malo proficiscitur. Si nanq; ubiq; à malo est, quod ultra est, & non adiungitur, quomodo tuebimur Apostolum, qui toties Deum in testem uocat? Imò quomodo Christum ipsum tuebimur, ne sit secundum propriam sententiam culpabilis, qui non cõtentus uerbo est, toties illud Amen ingeminat, quæ dictio certè iurantis esse ex capite 6. ad Ebræos conuincitur.

Vrgent Anabaptistæ, pertinacissimum hominum genus, quod Dominus dicit: Ne iuretis omnino, uniuersalem prohibitionem ita positam putantes, ut prorsus interdictum uideri debeat, quodcunq; iurandi genus, non animaduertentes subiectas deierandi formulas mentem Christi declarare. Alioqui respondeat, qui potest, si solennia illa iuramenta, quibus sancti patres absq; culpa sunt usi, & quibus mortalium conuictus carere nequit, hac sua sententia Christus noui instrumenti populo adimere uoluit. Cur non etiam eam iurandi formulam adiecerit, qua in iudicijs iuratur, qua fœdera ligantur, qua subditi Magistratui subijciuntur, qua lites inter fratres dirimuntur: nempe quæ per diuini nominis inuocationem absoluitur? Debebat adiungere. Neq; per nomen Dei. Vt enim supra monui, nemo unquàm Iudæus iusiurandum præstitit per has formulas, quas Christus hic recenset. Et ipsi alioquì sciebant Iudæi, prorsus esse illicitum, si quis per nomen Dei uulgari modo deierasset, ut necesse non fuerit huius admonere, sicut & supra non dixit: Quicunq; occiderit, uel: Quicunq; mœchatus fuerit, obnoxius est iudicio, cum hoc ipsi Iudæi non ignorarent. Debebant ista Anabaptistæ animaduertere, & non ultra Christi propositum uoculam hanc omnino uexare. Iohannis 10. dicit Christus: Quotquot uenerunt ante me, fures fuerunt, & latrones. Accedat hic catabaptista, & urgeat uniuersalem notam ultra Christi mentem. Quid quæso efficiet, quàm & prophetas & Iohannem Baptistam fures fuisse & latrones? Nam & illi ante Christum uenerunt. Sed prophetæ fures fuerunt & latrones, quomodo Christus non uenit tollere legem & prophetas? Capiatur ergo hæc uniuersalis eo sensu, qui metas propositi Christi non excedat. Loquitur autem ibi non de prophetis, nec de Iohanne Baptista, sed de illis, qui se Messiach fecerant, de quibus in Actis est. Apostolus dicit: Omnia mihi licent. Dic ergo catabaptista, licuisse Apostolo & scortari, & furari, & occidere. Omnibus inquit, omnia factus sum. Conclude igitur, quod & idololatris factus sit idololatra. Absit. Simus ergo cauti in huiusmodi uniuersalibus exponendis, ne propositum loquentis transilientes, absurda dogmata introducamus. Sed relictis phanaticis istis hominibus, ad uerba Christi reuertamur.

Neq;

Neq; per cœlum, quia thronus Dei est.) Respicit ad locum Esaiæ cap. 66. Vbi sic legimus. Hæc dicit Dominus: Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorũ. Sciebant hunc locum & Iudæi, uerum tantæ pietatis erga Deũ non erant, ut Maiestatẽ illius in cœlis relucentẽ reueriti ab hoc deierandi genere abstinuissent. Nobis uerò, qui quotidie dicimus: Pater noster qui es in cœlis. Hæc Christi uerba ad hoc faciant, ut quotiescunq; cœlos suspicimus, qui nusquàm non oculos nostros incurrunt, ab omniũ temeritate cohibeamur, ne cũ senioribus illis, qui Susannæ pudicitiæ insidiati, sanguinẽ innoxiũ populo fundendum tradebant, culpemur, quod oculos nostros in cœlum non sustulerimus. Quis enim piorum non uerebitur thronũ Dei ob oculos habens, uelut in illius cõspectu delinquere? Rursus, si in adflictione fuerimus, suspectus ille throni Dei, qui omnia in iudiciũ uocabit, consolationem admodum insignem adferre poterit. Ita Susanna cum ante iudices condemnanda staret, in cœlum suspexit, fiduciam habens in Deum.

Neq; per terram, quia subsellium est pedum illius.) Et hæc particula est ex dicto iam Esaiæ loco. Sunt autem istæ loquutiones de regia aliqua maiestate sumptæ, ut diuinã nobis utcunq; repræsentẽt. Magnus est regij throni splendor, nec scabella pedũ regum suo honore carent. Quis temerè delinquet corã subsellijs regalibus? Nemo itaq; putet terram hanc, in qua uiuimus expertem esse diuinæ gloriæ, Maiestatis & potentiæ, cũ sit subsellium pedum Dei, in quo diuitiæ Dei miris modis elucescunt. Simul ex illa discamus, quanta sit gloria cœlestis throni, cum terra, quæ subsellij uice est, tanta habeat diuinæ sapientiæ, & potentiæ insignia? Consideremus hic qua fide, qua reuerentia, & religione instituenda sit terrena hæc nostra conuersatio.

Neq; per Hierosolyma, quia ciuitas magni regis est.) Tametsi domini sit omnis terra & plenitudo eius, ideoq; diuinæ Maiestatis gratia reuerenter inhabitanda, merito tamen exigitur, ut ea loca, in quibus diuina bonitas luculentius exeritur, præ alijs sint uenerabiliora. Talis erat ciuitas ista propter templũ, sacerdotiũ, cultum, & uerbum Dei. Psal. 2. Ego constitui regem meũ super Zyon mõtem sanctiũ meũ. Et Dan. 9. Auertatur obsecro furor tuus à ciuitate tua, et Ierusalem monte sancto tuo. Et supra 4. Adduxit eũ in ciuitatem sanctã. Et infrà 27. Et uenerũt in ciuitatem sanctam. Non est autem frustra quod Deũ uocat magnum regem. Cœperat urbs illa plus reuerentiæ exhibere uel Herodi regi, uel Romanæ potestati, quàm Deo suo. Perinde atq; hodie à multis Christianis fieri uidemus, qui Imperatorem ac reges magis, quàm Christum ipsum uenerantur. Cum ergo tanti habeatur regia Maiestas, cogitandum est Deum uerè esse magnũ regem, cũ omniũ habeat potestatẽ in cœlo & in terra, imò regem esse regũ, ac Dominũ dominantium.

Sit hæc ciuitas exemplo omnibus illis, qui præcipua uerbi ac cultus dei gratia illustrãtur. Sancta illa ciuitas, & magni regis nomine illustrissima habita, quàm horrendo est iudicio diuinitus percussa & abiecta? Timeãt hoc exemplum præcipuæ ciuitates et in sublime erectæ.

Neq; per caput tuum iurabis, propterea quod non potes unum pilum album aut nigrum facere.) Admonemur hic nihil in creaturis Dei tam esse minutum, in quo non sit diuina Maiestas, per quam est conditum, ob oculos habenda, etiamsi maximè nostri iuris esse uideatur. Vult ergo ut in creaturis Dei uersemur cum timore Dei, etiam membra corporis nostri in honore habentes, ne temerè illis abutamur.

Obseruemus autem rationem quam assignat. Poterat insigne illud rationis donum, quod sedem in capite habet, obijcere, poterat præclaros illos uidendi & audiendi sensus prætexere. Verum quod omnium minimi uidetur esse momenti in capite: nempe, pilos illius proponit, in quibus consideremus, quàm nihil sit in uniuerso corpore nostro, quod potestati nostræ uindicare possimus. Non potes, inquit unum pilum, quid? facere? non, sed quod adhuc minus est, uel album, uel nigrum facere. Vsq; adeò à nostra potestate ne minuta quidem corporis nostri pendent. Ita docemur hic, ut infirmitate nostra considerata, simus reuerentes diuinæ Maiestatis, in omnibus, per quam omnia sunt condita, & per quam omnia etiam conseruantur. Cogitent hic quibus quotidianum est, & leuiculum putatur, quod per barbas suas, uel etiam per animas suas deierant, quàm parũ reuerentiæ doctrinæ Christi exhibeant, quanquàm absq; timore Domini in creaturis Dei uersentur.

Sit sermo uester: est est, non non, quod ultra hæc adiungitur, ex malo proficiscitur.) His uerbis Christus suis interdicit omni deierandi usu, eamq; uel asserendi, uel negandi simplicitatem ac synceritatem præcipit, ut his uoculis est, & non sint in quotidiano illo mortalium conuictu contenti. Et reddit rationem huius præcepti. Quod ultra hæc, inquit, adiungitur, ex malo proficiscitur. Deierando adiungitur. Ergo ex malo quotidianæ illæ deierationes proficiscuntur. Quod est illud malum? Non est necesse, ut unum aliquod malum assignemus, cum multæ malæ causæ possint esse ad deierandum impellentes. Potest fieri ut deieretur ex mala consuetudine, quæ certè non esset, si esset obseruantia uerbi ac præcepti Christi. Aliquando malum diffidentiæ causam dat isti leuitati. Ea duplex est, una deierantis, altera illius cui deieratur. Qui deierat, putat sibi alioqui non haberi fidem. Et cui deieratur, ita comparatus est, ut non credat simpliciter asserenti, nisi deieretur. Summa, nunquàm non ex malo proficiscitur, quod ultra est, & non adiungitur.

Non potest itaq; excusari leuitas illa deierandi, quæ uulgo inter Christianos inoleuit, utut consuetudinem quidam prætexant, quæ peccatum hoc magis aggrauat quàm excusat. Quid enim aliud est consuetudinem peccatis prætexere, quàm fateri, quod absq; timore Dei agas & dicas omnia: unde enim consuetudo peccandi, quàm ex hac pessima radice? uidelicet, quod absq; diuinæ Maiestatis reuerentia peccata quotidie iterantur. Retundenda itaq; est mala ista deierandi consuetudo, consuetudine diuersa, quæ nascatur ex irremissa numinis reuerentia. Nec extenuatur pessima ista deierandi consuetudo, per multitudinẽ deierantiũ. Multitudo peccantiũ peccatũ magis detestabile, quã excusabile reddit.

Neq;

Neq; hoc aliquid excusationis adferre potest, quod quidam dicunt, se non deierare per nomen Dei. Iudaicum hoc est, sicut supra declaratum est. Christus contra docet etiam in creaturis Dei pollui deierando nomen, ac maiestatem Dei. In summa etiamsi ex consuetudine, etiamsi cum uniuersis mortalibus, etiamsi non per expressum nomen Dei, etiamsi non mentiendo, etiamsi nemini nocendo deieremus, contra Christi sententiam peccamus, qui disertè præcipit, ut sermo noster sit: est est, non non: nec addamus aliquid, eo quod fieri nequeant, nisi ex malo.

Audistis quod dictum fuerit: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. At ego dico uobis, Ne resistatis malo: sed quisquis impegerit alapam in dexterã tuam maxillam, obuerte illi & alteram: & ei qui te uelit in ius trahere, ac tunicam tuã tollere, permitte & pallium: & qui te adegerit ad milliarium unum, abito cum illo duo. Petenti abs te dato, & cupientem mutuum accipere, ne auerseris.

Legitur hæc lex primum Exod. 21. ad hunc modum. Si rixati fuerint uiri, & percußerit quis mulierem prægnantem, & abortiuum quidem fecerit, sed ipsa uixerit subiacebit damno, quantũ maritus mulieris expetierit, & arbitri iudicauerint. Sin autem mors eius fuerit subsequuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, uulnus pro uulnere, liuorem pro liuore. Deinde Deut. 19. sic: Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum præuaricationis, stabũt ambo, quorum causa est ante dominum, in conspectu sacerdotum & iudicum, qui fuerint in diebus illis. Cumq; diligentißimè perscrutantes, inuenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei, sicut fratri suo facere cogitauit: & auferes malum de medio tui, ut audientes cæteri timorem habeãt, & nequaquàm talia audeant facere. Non misereberis eius, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges. Videmus itaq; duobus istis locis præceptum esse à Deo, ut in populo suo seruetur iustißima illa talionis lex, ut quãtum quisq; damni proximo intulerit, tantum uicißim ipse patiatur, imò non solum quantum reipsa intulerit, sed quantum etiam inferre cogitauerit.

Lex ista omnino necessaria erat, & etiamnum est, ad cohercendum reprobos, & auferendum malum è populo Dei, ut audientes, inquit, cæteri timorem habeant, & nequaquàm talia audeant facere. Vsus eius potestati Magistratus est concreditus, non ipsi læso, cui alio loco dicitur. Non petas ultionem contra filios populi tui, acceptæ iniuriæ memoriam non retinebis. Leuit. 19. Vt igitur læsi pro sua innocentia non exigent ultionem, ita Magistratus pro suo officio, non sinet malum abire inultum, id quod citato loco Deut. 19. satis redditur conspicuum. Non enim est consilium Domini, ut malis hic omnia impune permittantur, & insontes pro improborum libidine adfligantur. Proinde, licet boni pro ingenio suo mala patienter ferant, Magistratum tamen instituit, cui leges istas puniendorum & cohercendorum malorum gratia usurpandas dedit.

Scribæ uerò & Pharisæi legem hanc ita exposuerant, ut licitum fecerint, coram Deo, quibusuis læsis, acceptam iniuriam, Magistratu pro sumenda ultione interpellato persequi, modo lex ista talionis non excederetur, argutantes ad hunc modum. Lex Dei præcipit, ut oculus pro oculo, dens pro dente, manus pro manu, pes pro pede, anima pro anima auferatur. Licet igitur cuiuis læso, hac lege uti, & huiusmodi talionem ab inimico suo exigere. Nam si hoc non liceret, ut quid lex ista præciperet? Atq; hac expositione legem aliam de non petenda ultione, cuius supra memini, prorsus è medio tollebant, & libidinem illam ulciscendi, & iniuriarum impatientiam, quæ carni alioqui est agnata, peßimè fouebant, & diuinæ legis prætextu palliabant.

Christus itaq; non legi ipsi, qua nihil potest esse iustius, sed peruersæ Pharisæorum expositioni repugnans, dicit: At ego dico uobis. Ne resistatis malo: sed quisquis impegerit alapam in dexteram tuam maxillam, obuerte illi & alteram, &c. quibus uerbis nihil aliud agit, quàm ut animis simus mansuetis, malorumq; tolerantibus, ut iam absimus ab ulciscendi nos ipsos libidine, ut malimus maiorem etiam ferre iniuriam, quàm qualemcunq; illatam ulcisci, quocunq; illud modo, uel ui, uel iure fieri posit.

Quod itaq; dicit: obuerte illi & alteram, &, permitte illi & pallium. Item: Abito cum illo duo. Hyperbolæ sunt, ad hoc facientes, ut declaretur, quantum debeat nostra iustitia eam quam Pharisæorum doctrina tradebat, excellere: nempe tantum, ut primum uindictam non petamus, nedum ipsi inferamus: deinde malo hoc est, iniuriæ à proximo illatæ non resistamus: tertio parati etiam simus ad plura ferenda, si ita usueniat, quàm ut acceptam iniuriam persequamur. Neq; enim per se præcipitur alterius maxillæ obuersio, sed mali tolerantia. Alioqui Christus ipse, licet omnium patientißimus, cum esset in maxillam percussus, alteram obuertisse non legitur.

Expositio hæc uerborum Christi satis est dilucida, & abunde, non contentiosis, sufficiens. Verum quoniam quæ hic à Christo dicuntur à nonnullis peruertuntur, à pleriſq; etiam ridentur, operæprecium fuerit illa diligentius excutere.

DE ERRORE ANABAPTISTARVM.

Colligunt ex hoc loco Anabaptistæ usum Magistratus & gladij Christianis esse illicitum, utpote quod illis non liceat propter præsens Christi præceptum, resistere malo. Quis, inquiunt, potest esse Magistratus usus inter Christianos, qui est, ut potestate gladij malo resistatur, cum omnibus Christianis sit à Domino dictum: Nolite resistere malo?

Tollendus itaq; è medio Christianorum est Magistratus ille, qui gladium gestat, & malo resistit: uel statuendum certè, Christianos eos non esse, inter quos Magistratus est, & malo resistitur.

Respondeo.

Respondeo. Supra aliquoties dictum est, Christum non pugnare cum lege Dei, quam non tollere, sed adimplere uenit, sed cum scribarum & pharisæorum peruersis expositionibus. Ita & hoc loco, non abrogat legem talionis, Magistratibus demandatam, qua ut comparata est generis nostri malicia, mortalium conuictus carere nequit, sed suos ad summam, & absolutam patientiam hortatur, saluam interea Magistratibus in malitiam reproborum animaduersionem relinquens. Non est itaq; quod dicit: Nolite resistere malo. ita intelligendum, quasi præscriptum sit Magistratibus, sed ut ad priuatum quenq; pertineat, quo nemo Christianorum iniuriam sibi illatam ulcisci cupiat, sed magis patienter ferat, quod ipsa Christi uerba satis indicant. Non enim dicit: Quod si quis alapam in dexteram proximi maxillam impegerit, cura ut & alteram illi obuertat: sed quisquis impegerit alapam in dexteram tuam maxillam, obuerte illi & alteram. Nec dicit: Et ei qui proximum uelit in ius trahere, ac tunicam eius tollere, iube, ut & pallium illi dimittat, sed: Et ei qui te uelit in ius trahere, ac tunicam tuam tollere, permitte illi & pallium, &c. Vnde satis liquet præcipi nobis à Christo, ne ei resistamus iniuriæ, quæ in nos committitur. At Magistratus non ad hoc est datus ut sibi illatas, sed ut alienas iniurias ulciscatur: non ut priuato, sed ut subditorum malo resistat: non ut proprium, sed ut subiectorum ius tueatur, hoc est non ut sibijpsi, sed ut alijs seruiat. Absurdum itaq; est, & præter mentem Christi, quod ex hoc loco colligunt Anabaptistæ. Tale est etiam quod subiungunt: Etiamsi necesse est, ut Magistratus retineatur in Ecclesia Christi, propter immixtam reproborum multitudinem, Christiano tamen non competit illius functio, eò quod omnibus Christianis sit dictum: Nolite resistere malo, id quod proprium est Magistratus officium.

Respondeo. Malo resistere per se malum non est, sed malum facere. Alioqui si simpliciter malum est, malo resistere, iam inter Christianos nemo paterfamiliâs domesticorum suorum malis resistet, sed omnia illorum libidini permittet, aut certe negabit se esse Christianum. Deinde nemo ludimagister cohercebit malitiam, & stultitiam iuuentutis, quam uirga disciplinæ fugare solet, nisi nolit esse Christianus. Si hæc sunt absurda, ideoq; Christo non tribuenda, sequitur non prohiberi hic simpliciter, ne malo resistamus. Iam quid est aliud Magistratus in republica quàm paterfamiliâs inter domesticos.
Rom. 13. Apostolus dat Magistratui potestatem à Deo acceptam, ut sit minister Dei, ad uindictam malorum, &c. Ergo qui Magistratu fungitur, minister Dei est. Esse ministrum Dei, animum exigit Dei timentem, & ad illius uoluntatem omnia moderantem. Quis autem melius hoc præstiterit, homine uerè pio & Christiano? Cum igitur Christus ministerium hoc Dei non uenerit tollere, & nemo melius Deo ministrare poterit, homine Christiano iustitiæ, & omnis æquitatis amante, necesse est Christum non de hoc modo malis resistendi, sed de aliquo alio esse loquutum, ut iam non solum Magistratus haberi possit, & debeat etiam inter Christianos, sed & Christianus Magistratu rectè fungi queat.

Imò si uspiam opus est Magistratu pio, & iustitiæ amante, inter Christianos opus est, hoc est, inter eos, qui seipsos non ulciscuntur, sed ad quamuis iniuriam instar ouicularum patientes sunt. Nam filij huius seculi instar ferarum seipsos quibus possunt modis defendunt, tanquàm iniuriarum impatientes. Deinde qui pius Magistratus necessarius est, à nemine melius administrabitur quàm à Christiano. Sed redeamus ad uerba Christi, & singula pensitemus.

Nolite resistere malo.) Videntur hæc Christi uerba in oculis sapientũ huius mundi plane absurda & ridicula, imò quoddam etiam maliciæ mortaliũ adferre patrocinium. Malo nanq; cum possis, non resistere, quid aliud in speciem uidetur, quàm studio illi patrocinari? Necesse est igitur maius aliquod esse malum quod cauere Christus uelit, cuius uitandi gratia minori malo resisti nolit, quemadmodum & maius aliquod esse bonum necesse est, cuius obtinendi gratia minora bona sint dimittenda. Proinde uidendum est, de quo mali genere loquatur, cum dicit: Nolite resistere malo. Vbi hoc cognouerimus, facilè uidebimus immerito rideri hanc Christi sententiam à sapientibus huius mundi, cum & ipsi admoneant, propter maius malum uitandum, ferendum esse quod minus est malum.

MALVM QVID SIT.

Malum nihil est aliud, quàm priuatio boni. Nulla est creaturarũ Dei, quæ hoc nomine in se possit notari. Vidit enim Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona.

MALVM QVOTTVPLEX.

Duplex mali genus assignari potest. Vnum, quod temporario. Alterum quod æterno bono priuat. Temporarium malum est, quod uel corporibus, uel terrenis bonis. Aeternum & spiritale est, quod animabus & æternis bonis infertur.

DE QVO MALO CHRISTVS LOQVATUR, cui non debeamus resistere.

Malum est, quando errore falsæ doctrinæ mortales seducuntur. Si isti malo non debet resisti, peccat Christus quod tanto studio pharisæorum erroribus, quibus populus seducebatur resistit. Malum est quodcunq; peccatum. Si nulli malo resisti debet, peccabimus ergo, si tentationibus Satanæ, quibus ad peccandum allicimur, restiterimus. Malum est peruersa illa carnis concupiscentia, qua aduersus spiritum concupiscit. Demus ergo locũ malæ concupiscentiæ, ne malo resistentes peccemus in doctrinam Christi. Dematur igitur usus doctrinæ dei, permittantur tentationibus Satanæ, carnis concupiscentijs libidini, fraudi, maliciæ, & quibusuis seductionibus omnia libera, hoc est, nullo pacto resistatur regno Satanæ, nec quæratur regnum Dei. Absit. Non loquitur igitur Christus de quouis mali genere, si de isto intelligi nequit. Loquitur ergo de eo quod uel corporibus nostris, uel facultatibus, uel existimationi ad tempus nocere uidetur. Idq; ex ipsis uerbis patet, cum dicit: Quisquis te percusserit in maxillam dexteram. Item: Et qui te uelit in ius trahere, & tunicam tuam tollere. Et: Qui te adegerit ad milliarium unum. Hæc sunt mala illa, exempli uice proposita, quibus resistere non debemus.

Iam

Iam cum & hoc mali genere quenquàm lædere sit iniquum, uidendum est cur illi nos resistere nolit. Non potest hic alia assignari ratio, quàm talis quæ nobis prosit. Ea autem est absq; dubio, ut magis temporarijs quàm æternis malis adfligamur, & sempiterna potius quàm temporaria bona retineamus. Dicet aliquis. Et quæ sunt illa bona, quorum mihi timenda sit priuatio, si temporarijs istis malis, modo ciuilium legum patrocinio, restitero? In promptu recenseri possunt.

1 Primum. Mentis amittetur tranquillitas, cui sanè damno nihil poterit comparari ex omnibus, uel corporis, uel fortunæ bonis.

2 Deinde, naufragium charitatis, per iniuriam fratris cœptum, si par pari retuleris, absoluetur.

3 Tertio, Reconciliationis bonum impedietur, atq; ita omnis ad concordiam restituendam uia præcludetur. Iam quis uerè pius non malit quæuis corporea, & temporaria bona amittere, quàm fraternam charitatem & concordiam, quæ insigne est credentium quouis pacto lædere, imò læsam ne restitui possit, impedire?

4 Quarto, saginabitur etiam ueteris hominis impatientia, & uindicandi libido. Quanto est autem satius temporale aliquod damnum perpeti, quàm ad suppressionem noui, ueteris hominis uiuificare malitiã?

5 Quinto, ultio usurpabitur quæ solius est Dei. Mihi, inquit, uindicta, & ego retribuam. Rom. 12. Sic Christus tradidit uindictam ei, qui iudicat iustè. 1. Pet. 2. Satis, ut ille inquit, patientiæ sequester Deus est. Si iniuriam ad eum disposueris, ultor est, si damnum, restitutor est, si dolorem, medicus est, si mortem, resuscitator est. Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem? His & alijs consimilibus rationibus manifestũ est, quàm nostræ utilitatis gratia quibusdam malis nolit nos resistere dominus, ne dum illis occurrere conamur, uera & eterna bona perdamus.

Interea nemo frena laxari reproborum temeritati per hanc Christi doctrinam putet. Primum enim illa cohercenda est gladio Magistratus, non priuata lesorum ulciscendi libidine. Deinde etiamsi Magistratus sit negligens, non est tamen melior & compendiosior uia resistendi reproborum malitiæ, quàm hæc una, quæ per Christum præscribitur. Docet enim nos non mali retaliatione irritari malorum temeritatem, sed magis in bono uincere, sicut & Apostolus admonet Ro. 12. cum dicit: Nolo uinci à malo, sed uince in bono malum. Alioqui, si malum pro malo reddatur, uelut oleum incendio infunditur. Testis huius rei est ipse mundus cum filijs suis inter quos perpetua uigent dissidia, lites, rixæ, inimicitiæ & bella, cum tamen sint ad ulciscendum paratissimi. Ira siquidem & malitia cordis humani uires suas exerere nequeunt, in homine omnia patienter tolerante, & pro malis bona rependente. Reluctatione nanq; & retaliatione pascuntur & inflammantur. Dicant blasphematores doctrinæ Euangelicæ, possint ne uerè seditionis conuinci, qui doctrinam hanc Christi populo Dei fideliter, & sedulo proponunt.

Quisquis impegerit alapam in dexteram tuam maxillam, obuerte illi & alteram.) Exempli gratia ista & quæ sequuntur subijcit, quibus declarat cum quæ malorum genera tolerari uelit à nobis, tum quanta cum patientia tolerari. Et primum iniuriam inducit, quæ cum ignominia sit coniuncta, qualis est, si quisquàm non percutiat tantum, & uim inferat, sed ita percutiat, ut declaret se id contemptim etiam facere. Ideò nominatim meminit alapæ, quæ solet per contemptum uel mulieribus, uel pueris, aut alioqui effœminatis, & imbellibus impingi. Nec simpliciter alapæ meminit, sed eius quæ dexteræ maxillæ externa manus parte impingatur. Contemptus iste intolerabilis putatur ijs qui uiri uideri uolunt. Caro siquidem inflata, nihil minus ferre potest, quàm iniuriam cum ignominia coniunctam. Da hic carnalem hominem, & uidebis quantam sit declaraturus impatientiam. At Christianus ignominiam hanc summa cũ animi mansuetudine, & submissione instar ouiculæ tolerabit. Talẽ se exhibuit Michæas propheta. 1. Reg. 22. talẽ se Christus, Io. 18. talẽ se præbuit Paulus Act. 23.

At, inquis, illi alteram non leguntur percussoribus obuertisse maxillam. Non leguntur, neq; opus erat. Et Christus id per se non exigit, sed patientiam & animi mansuetudinem, neue huiusmodi malo resistamus, præcipit. Hoc præstiterunt & Michæas & Christus & Paulus. At interea nonnihil obmurmurasse commemorantur. Rege sserunt aliquid, sed non tale, quod impatientiæ poßit deputari. Michæas cum percuteretur à pseudopropheta, cum ignominia uerbi Dei percutiebatur, dicebat enim: Me ne deseruit spiritus Domini, & tibi loquutus est? Hic Michæas, ut ueritatem spiritußancti nõ seipsum tueretur, respondit: Visurus es in die illa, quando cubiculum intra cubiculum ingredieris, ut abscondaris. Christus cum per seruum Pontificis alapam acciperet, simpliciter & mansuetè, non ut se ipse ulciscereturquod facilè potuisset, sed ut innocentiam suam declararet, respondit: Si male loquutus sum, testimonium perhibe de malo, si non, cur me cedis? Interea tamen non modo maxillam alteram, sed totum corpus percussoribus & crucifixoribus, conspuendum, uerberandum, & crucifigendum permittebat. Paulus, iussu etiam Pontificis percussus, zelo contra hypocrisim accensus, dicebat: Percutiet te Deus paries dealbate. Tu sedes ut iudices secundum legem, & contra legem iubes me percuti? Ergo duplici nomine respondendum est improbis, uim aliquam inferentibus. Primum, si id fiat cum ignominia uerbi Dei, ueritas illius est asserenda. Deinde, si innocentia nostra petatur, declaranda est illa, & asserenda, sed cum mansuetudine spiritus exemplo Christi, ne qui uim infert, arbitretur se non delinquere.

Et ei qui uelit te in ius trahere, ac tunicam tuam tollere, permitte illi & pallium.) Aliud genus iniuriarum, cum non per uim, sed iuris prætextu damnum infertur innocenti. Hic pharisæus docet esse licitum, ut subsidio iuris tua defendas. Nec pharisæus tantum, sed & plerique Christiani hoc sentiunt, quicquid Christus dicat: Quomodo inquiunt delinquit, qui quod iustum est, æquitate iuris absq; ulla cuiusquàm iniuria persequitur, & res suas tuetur? Deinde, si id non licet, ad quid datæ sunt leges?

Respondeo.

Respondeo. Considerandum est hic duplex iustitiæ genus. Vnum est politicum, ad hoc seculum pertinens, alterum est regni Dei, quod per Euangelicam doctrinam annunciatur. In statu & regno politico, iustum est, non solum, ut in ius tractus compareas, & tua defendas, sed & ut aduersarium in ius uoces, & reum constituas. In regno uerò Christi, aliud est iustitiæ מִשְׁפָּט, quod infra cap. 6. iubemur, cum primis quærere, id est, non solum nemini iniuriam facere, sed illatam etiam patienter ferre, non solum aduersarium in ius non trahere, sed nec si trahamur, iudicio cum illo contendere, imò malle etiam plura amittere, quàm iudiciariæ contentioni uacare. Seruetur cuiq; regno sua iustitia. Qui se cupit politico regno adaptare, persequatur ius suũ, pro more regni, cuius ciuis esse cõstituit. Qui uerò ciuem se profitetur regni cœlestis, non exorbitet extra morem, & iustitiam eius regni, quam rex ipse præscribere, & cum primis etiam ipse præstare dignatus est.

AN CHRISTIANO NVNQVAM liceat iure agere.

Christiani hominis professio est, abnegatio suijpsius, & cœlestis uitæ conuersatio. Hactenus non uideo, quomodo liceat. Rursus, est etiam dilectio proximi Christiano peculiariter præcepta. Quòd si huius obseruantia ita exigat, ut iniuriam fratri illatam, legum præsidio retundas: iam non arbitror peccari contra sententiam hanc Christi. Non enim dicit: Ei qui fratrem tuum uelit in ius trahere, ac tunicam eius tollere: sed ei, qui te uelit in ius trahere, ac tunicã tuam tollere. Quæ uerba nihil eorum uetant, quæ charitas debet proximo.

OBIECTIO.

1. Cor. 6. Apostolus tamen permittit, ut Christianus cũ Christiano litem componat apud arbitros, modo Christianos. Cur idem non liceret & hodie? Respondeo. Permisit utiq;. Sed primum, quid opus erat isto permissu, siquidem id liceat Christiano? Deinde uidendum est, quam ob causam permiserit. Contendebant Christiani apud Gentium tribunalia, magno cum dedecore Christiani nominis. Vt malum hoc prorsus intolerabile coherceret, permisit, ut iudiciarias lites, delectis inter se arbitris, communis fidei consortibus, transigerent, non quòd nõ maluisset regulam hanc Christi obtinere inter Corinthios, sed quòd tantum patientiæ ab illis nondum auderet exigere. Ideò dicit: Iam omnino delictum est in uobis, quòd iudicia habetis inter uos. Quare non magis iniuriam toleratis? Quare non magis fraudem patimini? Sed uos iniuriam facitis, et fraudatis, idq; fratres. Perinde atq; si Christiani, qui iam sub Turcorum imperio & tyrannide detinentur, tribunalia Turcorum suis altercationibus frequentarent, quid hic faceret Apostolus Christi? Nempè idem quod apud Corinthios fecit Apostolus. Pudeat nos si propositum sit exempla sequi eorum, qui recens ad Christum uenerant, et adhuc carnales erant.

Dicet aliquis: ut quid igitur habentur statuta iudicum σωτέλειαι? Cur non abrogantur leges iudiciariæ, si Christianis non licet iure sua persequi? Respondeo. Conforma te sententiæ, ac spiritui Christi, hoc si feceris quod ad te attinebit, abrogata erunt omnia, quæ ad hanc causam pertinent. Quòd si in uniuersum omnes uerè Christiani essemus, iam nullus esset amplius usus iudicum, legum, aduocatorum, notariorum, procuratorum, iurisperitorum &c. Verũ quoniam adeò pauci spiritu Christi sumus imbuti, tam uerò multi sunt, qui iniurias inferant, fit ut iuris professio, & multitudo illa aduocatorum & procuratorum prorsus regnet. Haud modica calamitas est nostrorum temporum, quòd hoc genus hominũ, tantam obtinuit copiam & potentiam, ut corruptionem eam taceam, de qua tot boni uiri quæruntur. Vnde quæso ditescunt? unde regnant? Nisi ex pseudochristianorum hinc malicia, illinc impatientia? quæ utraq; quanta sit non potest obseruari melius, quàm in multitudine & fortuna iurisperitorum, aduocatorum, & procuratorum &c. Cum ergo tam pauci sint ueri Christiani, necesse est, ut legum usus, & iudiciaria σωτέλειαι, ne quid peioris mali irrepat, retineantur.

Et qui te adegerit ad miliarium unum, abito cum illo duo.) Adhuc aliud iniuriæ genus exempli gratia proponitur, sub quo omnia ea cõprehenduntur, quæ per tyrannidem infliguntur subditis. Docet etiam hoc loco ita esse declarandam patientiam, ut pacis gratia parati simus plura, quàm exiguntur, præstare.

Petenti abs te dato, & cupientem mutuum accipere ne auerseris.) Triplex modus est inferendi damni temporarij. Vnus, per uim, alter iuris prætextu, tertius interuentum precum. De duobus prioribus hactenus exempla dedit, iam de tertio quoq; admonet. Ideò meminit petitionis, contributionis, & mutui.

Petenti abs te, inquit, dato. Luce 6. dicit: Omni petenti abs te, dato. Per petentem intelligendus est pauper. Inter hos non uult Christus, ut curiose discriminemus, sed ut petentibus simpliciter tribuamus.

Et cupientem mutuum accipere, ne auerseris.) Luce 6. dicit: Mutuum date, nihil inde sperantes. Et lex hac de re præcipit. Vide Deut. 15. Mutuum dant & filij huius seculi, sed, diuitibus, unde sperant æqualia, uel ijs, qui aliquando et ipsi mutuum dederunt, uel, amicis, cognatis, et gratis. At filij lucis, mutuũ dare debent, etiam ubi non speratur retributio, ubi nihil præcesserit beneficij, ubi nulla intercedit uel amicitia uel cognatio. Quid igitur? Hoc uidelicet exigitur à Christianis, ut quouis modo boni sint, mansueti, humiles, patientes, benigni, & pacis amantes, modo cœlestia, & æterna bona retineant. Quisquis hoc animo præditus non est, fieri non poterit, ut sententiam hanc Christi non irrideat, tantum abest, ut eam ex animo sectetur.

Audístis quod dictum sit: Díliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. At ego dico uobis: Dilígite inimícos uestros, bene precemini deuouentibus uos: benefacite ijs, qui uos odio prosequuntur: orate pro ijs, qui lædunt & infectantur uos, ut sitis filij patris uestri, qui est in cœlis: quia solem suum exoriri

sinit super malos ac bonos, & pluuiam mittit super iustos & iniustos. Nam si dilexeritis eos, qui diligunt uos, quod præmiũ habetis? Nónne & publicani idem faciunt? Etsi complexi fueritis fratres uestros tantum, quid eximiũ facitis? Nónne & publicani sic faciunt? Eritis igitur uos perfecti, quemadmodum pater uester, qui est in cœlis, perfectus est.

Lex ista Leuit. 19. sic legitur. Ego dominus, Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed corrigendo corriges proximum tuum, neq; feras super illo peccatum. Non quæras ultionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum: sed, diliges proximum tuum sicut teipsum. Summarium eorum, quæ proximo debentur, hac lege compræhenduntur. Viciarant hanc Scribæ & Pharisæi, quod attinet dictionem proximi. Hanc exposuerunt de amicis duntaxat, reliquis omnibus exclusis, atq; ita intulerunt: Lex præcipit, ut diligas amicum: Ergo odiendus est inimicus. Expositionem hanc pharisaicam notat Christus cũ dicit: Et odio habebis inimicũ tuũ. Putabãt in rebus diuersis hanc firmam esse regulam, ut si altera præcipiatur, altera necessario prohibeatur. Diuersi sunt amici, & inimici. Vbi ergo præcipitur, ut amici diligantur, hoc ipso inimicorum dilectionem prohiberi putabant. Hac itaq; ratiocinatione effecerant, ut eneruato legis huius uigore odium aleretur inter proximos. Christus igitur, ut mandatum hoc suæ integritati restitueret, doceretq; proximi dictione, non uenire amicos tantum, sed & inimicos, ista subiecit: Ego autem dico uobis, Diligite inimicos uestros &c. Sed uideamus primum uerba legis, deinde & Christi seruatoris sententiam expendemus.

Verba legis expendenti satis conspicuum est, genuinum animi synceri, et erga quoslibet amice affecti candorem præcipi. Ideo primum prohibetur odium, & uindictæ cupido, & acceptæ iniuriæ memoria, deinde subiungitur: Sed diliges proximum tuum sicut teipsum. Quòd si hac lege amici dilectio præcipitur, hoc est, eius proximi, qui beneuelit, diligat & benefaciat. quid opus erat præmittere, de non odiendo fratre, deinde de corrigendo: item de non ferendo super eum peccatum, nec quærendam esse ultionem, nec iniuriæ seruandam memoriam? Quis nõ uidet mentem legis hanc esse, ut non amicum tantum, sed & inimicum, uidelicet, qui iniurius fuerit, esse diligendum, cum statim subnectit: Sed diliges proximum tuũ sicut teipsum? Studio nanq; carnis affectus reprimit, quibus proximi dilectio, subinde, propter acceptam iniuriam impeditur. Illi sunt, iniuriæ memoria uindicandi cupido, & delatio, & odium. Hi affectus non habent locum inter amicos, sed inter inimicos. Cum igitur prohibeantur, & dilectio præcipiatur eius proximi, qui non sit odio prosequendus, corrigendus tamen, & cuius iniuria non sit memori mente retinenda, nec uindicanda etiam: manifestum est idem habere hanc legem, quod Christus sua illi expositione tribuit

Diliges proximum tuum.) *Legis huius tria sunt membra. Vnum est, quid præcipiatur: Nempe dilectio. Alterum, quis sit diligendus, proximus. Tertium, quomodo sit diligendus. Postremum hoc, in præsenti non ponitur, sed cap. 7. infra declarabitur, ibi: Omnia quæcunq; uolueritis, ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis. Et infra cap. 22. exprimitur his uerbis, Sicut teipsum, quemadmodum & lex habet.*

PRIMVM MEMBRVM
quid præcipiatur.

Diliges, inquit. Quoniam uisum est omnem legem, quod ad secundam tabulam attinet, summatim complecti, non tam præcipit, quid loquendum, quid faciendum, quidúe ferendum sit. Nec manus instruit, nec ora, nec pedes, sed cor ipsum, unde omnia ueluti ex fonte quodam fluunt, fingit et formatIlli præcipit, nõ quamuis uirtutem, sed eam, quæ nos ad imaginem diuinæ bonitatis reducat, dilectionem uidelicet. Deus enim est dilectio, & qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in eo: deinde, quæ cordis bonitatem dispensat ad utilitatem proximi, cuius ingenium tam abest à maleuolentia, ut prius omnia perferat, quàm ut in fratrem scienter peccet. Sed de hoc membro, dilectione uidelicet, plura infra ca. 22. notabuntur.

ALTERVM MEMBRVM
Quis sit diligendus.

Proximum, inquit. Non dicit: teipsum, Nam hoc alioqui plus satis facimus, sed, proximum. Natura dilectionis est, ueræ huius, quæ à Deo præcipitur, ut non quærat quæ sua sunt, sed quæ alterius. Exemplum huius in Christo propositum est, qui peccatũ pro nobis factus est, ut nos simus in illo iustitia, qui exinaniuit semetipsum, assumpta serui forma, & cum diues esset, pauper pro nobis est factus, ut nos ipsius inopia diuites sumus. Et Paulus, dilectionis huius affectu præditus, cupiebat pro fratribus suis, quos tamẽ habebat infensissimos hostes, anathema fieri à Christo, quò ipsi seruarentur. Nihil itaq; ineptius est, quàm quòd de ordinata dilectione Sophistæ tradunt, quæ ordiatur à nobis ipsis. Peruersæ & corruptæ dilectionis, hoc est, ingenium, ut qui ea laborant, seipsos quærant in omnibus. At ista quæ hic præcipitur, foras sese effundit libere nullo proprij commodi affectu, sed ad unum hunc scopum intenta, ut prosit proximo.

Proximi uerò dictione intelligitur, quisquis nobis aliqua coniunctus est ratione. Coniunctionis multi sunt gradus. Siue fidei consors, siue consanguineus, siue affinis, siue conciuis, siue hospes, siue domesticus, siue uicinus, siue quacunq; alia ratione coniunctus sis, proximus uocaris, secundum consuetudinem scripturæ. Qui in latrones inciderat, Samaritano fiebat proximus, propter eiusdem itineris conditionem, quæ Samaritano causam dederat illãc transeundi, uidendique & curandi miserum.

Tollitur itaq; hac dictione proximi omnis personarum differentia. Non dicit: Diliges diuitem, doctum, potentem, amicum, cognatum, domesticum, pauperem, miserum, adflictum &c. sed simpliciter, proximum.

Quisquis

Quisquis proximus est, qualis qualis sit, diligendus est. Qui diues est, haud facile pauperem agnoscit pro proximo, qui doctus, indoctum hoc nomine non agnoscit. Rursus, qui pauper est, pauperem magis quàm diuitem, & indoctus indoctum magis, quàm doctum proximum suum esse putat. Ita quisq; quem sibi putat parem, citius agnoscit pro proximo, quàm eos, quos tanquàm impares, despicit. Verum lex ista diserte præcipit, ut quisquis proximus est, quacunq; tandem ratione factus sit proximus, diligatur.

Ratio huius est, quod usq; adeò corrupti sumus, ut neminem propè minus diligamus, quàm eos ipsos, cum quibus nobis aliquid est commercij, nec à nemine citius deprehendatur naturæ nostræ malicia & corruptio, quàm ab illis qui quocunq; modo uicini nobis redduntur. Itaq; contra præcipitur talis bonitas, & candidi animi synceritas, ut singularem quandam dilectionem & beneuolentiam in nobis experiantur, quotquot nobis uel aliquousq; iunguntur. Ignis natura est, ut calefaciat, uim istam calefaciendi experiuntur, quotquot illi propinquant, diues, pauper, doctus, indoctus, sapiens, stultus, &c. Ad hunc planè modum præcipitur no bis hoc loco generalis quædam, & constans erga quouis animi bonitas, quam experiantur quotquot nobis aliquo pacto appropinquant. Cogitemus itaq; non posse à quoquàm certius ingenij nostri capi experimentũ, quàm ab illis, qui nobis præ reliquis sunt uicini, & propinqui, cum quibus nobis plus aliquanto intercedit commercij. In illis discamus quales simus. Fieri potest, ut malicia nostra aliquandiu cohibeatur. Verum si plusculum duret commercium, & conuictus difficilimum fuerit, non prodere, quæ sit cordis corruptio.

Notandum simul & hoc est. In genere quidem proximi dictione diligendi nobis proponuntur indiscriminatim uniuersi mortales, qui nobis aliquo modo iunguntur. Interea ut gradus sunt coniunctionum, ita gradus etiam esse debent dilectionis. Dum tempus habemus, inquit Apostolus, operemur quod bonum est erga omnes, præcipuè uerò erga domesticos fidei. Ecce licet omnibus sit benefaciendum, præferuntur tamen illi, qui nobis duplici nomine reliquis sunt coniunctiores, Primum propter fidei consortium, Deinde propter domesticam necessitudinem. Et 1. Timoth. 5. dicit: Qui suorum curam non habet, & præcipue domesticorum, infideli deterior est, &c. In summa, ut quisq; nobis proximus magis & uicinior est, ita debet & arctius à nobis diligi, ita tamen ut nemo quocunq; modo proximus, non diligatur.

Gal. 6.

TERTIVM MEMBRVM.
QVOMODO DILIGENDVS SIT proximus.

Carnis peruersum est ingenium, nusquàm non pugnans cum uera & solida iustitia. Vbi præcipitur dilectio, mallet ipsa, uel dare aliquid, uel quauis externa re simulare potius, quàm re uera præstare dilectionem. Vbi præscribitur proximus diligendus, mallet diligere seipsam, & amicos. Ita & hoc loco quod ad modum dilectionis huius pertinet, uellet certum aliquem numerum dandi, & mensuram diligendi talem præscribi, quæ cum ingenio suo non admodum pugnaret, uerum diligendi proximi modus talis est præscriptus, qui & sit apertißimus, & perfectißimus, & talis, ut omnem carni excusationem adimat. Sicut teipsum, inquit. Quis ignorat, quàm seipsum diligat? Quis seipsum non per omnia plenè, atq; perfectè diligit? Non dicit: Sicut ille te diligit. Nec dicit: Sicut ab alijs diligitur. Modus præscriptus non ex ijs quæ extra nos sunt, sumitur, sed ex nobis ipsis, ne locus sit excusationi.

Sicut teipsum. Quomodo diligimus nos ipsos? Simulatè? Nequaquàm, sed uerè. Frigidè? Non, sed ardenter. Ita uidelicet diligendus est proximus. Rursus. Ita nos ipsos diligimus, ut quæ nostra sunt, ubiq; quæramus. Ita diligamus & proximum. Adhuc, Quàmdiu diligimus nos ipsos? Ad horam unam & alteram, ita ut confestim quauis de causa dilectionem commutemus in odium? Non opinor, sed quales quales sumus, irremissa nos ipsos dilectione prosequimur. Ita scilicet constanter diligamus & proximum.

Ego autem dico uobis: Diligite inimicos uestros.) Quæ hinc ad finem usq; capitis à Christo traduntur, ad alterum præmissæ legis membrum pertinent, cuius declarandi gratia adiecta sunt. Possunt autem diuidi in duas partes: ut prima doceat, non solum amicos, sed & inimicos esse diligendos: altera rationem assignet, cur hoc à nobis rectè exigatur. Diligite inimicos uestros inquit. Inter amicos & inimicos possunt esse medij, qui nobis nec benefaciunt, nec male, nec diligunt nos, nec odio prosequuntur, quales sunt, cum quibus nobis nihil uel admodum parum est commercij. Poterat Christus dicere: Ego autem dico uobis, Diligite etiam eos, qui amici non sunt, qui uos non diligunt. Verum si hoc dixisset, excluſi fuissent inimici, qui nos odiunt, & quouis pacto lædere conantur. Iam uerò, cum dicit: Diligite inimicos uestros, neminem prorsus excipit (nisi eos, de quibus propheta dicit: Qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebã, perfecto odio oderam illos, &c.) nec amicos, nec medios illos inter amicos, & inimicos, ut ita salua sit dictio proximi, quæ ut dixi, omnes mortales includit. Psal. 138.

Cum hæc uita nostra plena sit offensionum, seruari non poterit ista dilectio proximi, nisi per gratiam Christi, ita abnegemus nos ipsos, ut & inimicos diligere queamus. Alioqui usu ueniet, ut odiamus omnes, diligamus uerè & constanter neminem, nec uicißim diligamur rectè à quoquam. At hoc ingenio esse non possunt, qui sunt filij Dei, & spiritu Dei ducuntur. Non enim aliud ingenium referunt quàm patris cœlestis, qui non est odium, sed dilectio, et talis dilectio, ut inimicos etiam suos, nos uidelicet, cum adhuc impij essemus, dilexerit, & hodie diligat, Rom. 5. Neq; conueniet odium inimici illis, quorum professio est, ut seipsos abnegent, terrena omnia contemnant, & cœlestia toti suspirent. Non diligit proximus? Quomodo poterit hoc offendere eum, qui neq; se diligit ipse, nec dignum arbitratur,

qui diligatur? Nocet famæ & existimationi? Neque hoc insolens uidebitur ei, qui mundo isti crucifixus, sibi quoq; ipsi sordet, tam abest, ut aliquid nominis quærat in hoc seculo? Nocet bonis fortunæ? Non ægreferet hoc Christianus, qui non quæ super terram sunt, quærit, sed quæ in cœlis promissa sunt bona toto desiderio expectat? Lædit corpus tuum? Quid hoc offendet, cum illi ipse sis admodum propter inhabitans in membris eius peccatum, male propitius, illudq; alioqui labore, uigilijs, & ieiunijs castiges, & acerbè tractes? Insidiatur uitæ tuæ? Bene, insidietur. Non ægreferet hoc, qui cum Apostolo dissolui cupit, & esse cum Christo. Ecce, si ista sunt Christiani hominis, quæ iam recensui, ut reuera sunt, quis non intelligit, professionem nostram cum odio inimici consistere non posse, ut præceptio hæc Christi, imò legis declaratio, prorsus necessario dilectionem nobis præscribat, non amicorum tantum, sed & inimicorum.

Bene precemini deuouentibus uos.) Quod dixit: Diligite inimicos uestros, poterat abunde satis esse intelligentibus & obtemperantibus. Quisquis enim inimicos uerè diligit, non potest illis maledicere, uel malefacere, aut dira imprecari, imò pro dilectionis ingenio non potest illis non beneprecari, benefacere, & pro eorum salute ad dominum orare, etiamsi ipsi deuoueant, odio prosequantur ac lædant immeritum. Vt enim suam habet efficatiam odium inimici, nihil minus, quàm otiosum: ita uicissim suam habet energiam uera dilectio in corde pio, ac Dei timente. Verum quia præceptum hoc carni aduersatur, & illa nusquàm non elabendi rimas quærit, & tergiuersandi occasiones uenatur, ideò necesse fuit ista adijcere, ne quis dicat: Diligam inimicum, id est, eum qui animo erga me non est amico, & mihi nulla in re benefacit: eum uerò, qui etiam mihi malefacit, & pessimè de me loquitur, nusquàm me non lædit, & persequitur, quomodo diligam? Quomodo illi non uicissim maledicam, malefaciam, & par pari rependam? Vt hic affectus retundatur, rectè subiecta est ista amplificatio de diligendis inimicis.

Bene precemini deuouentibus uos.) Deuouere καταρᾶσθαι est diris & maledictis insectari, quod solent facere inimici. Beneprecari εὐλογεῖν est benedictis aliquem prosequi, quod solent facere qui diligunt. Boni hominis est, bona, non mala proferre è corde suo, sicuti mali est, mala, non bona proferre. Quomodo potestis, inquit Christus, bona loqui, cum sitis mali? Ex abundantia cordis os loquitur. Des feyndes mund redt nimmer nichts guts.

Cum ergo nobis non liceat ulla cordis malicia, odium, inimicitia, simultas, amarulentia, & quicquid aliud huius est farinæ, nunquàm potest licere ulla maledicentia, sed magis nostrum est omnibus etiam inimicis bene precari. Sic Roma. 12. Beneprecemini persequentibus uos. Benedicite, & nolite maledicere. Et 1. Petri 3. Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto: sed è contrario benedicentes, quia in hoc uocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. Et 1. Petri 2. Christus cum malediceretur, non maledicebat. Et 1. Corinth. 4. Maledicimur, & benedicimus.

Benefacite ijs, qui uos odio prosequuntur.) Notanter dicit. Benefacite. Poterat dicere: Date, uel mutuum date, ijs qui uos odio prosequuntur. Verum quia simpliciter dare potest, etiam qui non diligit, benefacere uerò non ita: Rectè dixit: Benefacite, utrunque complectens, & cordis beneuolentiam, & operis beneficium. Est enim beneficentia ita comparata, ut non solum opus aliquod bonum, sed & studium benefaciendi complectatur.

Exigit ergo non simpliciter, ut inimico demus aliquid, sed ut studio illi, & ex animo quomodocunque poterimus benefaciamus, hoc est, ut curemus, quantum per nos fieri potest, ne male sit inimicis nostris, sed ut commode habeant. Exod. 23. Tale quid præcipitur Iudæis, ne Christianis nobis hoc Christi præceptum uideatur insolens. Si occurreris, inquit, boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si uideris asinum odientis te iacere sub onere, non transibis, sed subleuabis eum. Nota factum Elizei, quomodo inimicis suis benefecerit. 2. Regum 6. Sic Apostolus Rom. 12. Si esurierit, inquit, inimicus tuus, ciba illum. Est autem studium hoc beneprecandi, & benefaciendi inimicis pulchre ad hoc destinatum, ut ex inimicis reddat amicos, & concordia restituatur inter fratres. Beneficentia siquidem meretur dilectionem. Et si ea sit inimici obstinatio, ut nullis beneficijs emolliatur: nostrum tamen est ad id illi causam dedisse, ut tandem in conscientia sua nolit uelit maliciam suam agnoscat & damnet. Vide quid inter Dauidem ac Saulem acciderit 1. Samuel. 24.

Orate pro ijs, qui lædunt & insectantur uos.) Vt gradus sunt odij, ita sunt & dilectionis. Augescit odium quando foras prorumpit in obloquium & maledicentiam, & auctius adhuc redditur, quando ad lædendum etiam & insectandum insurgit. Præcipitur itaq; nobis, ut quantum inualescit contra nos odium inimici, tantum nos diligendo etiam insurgamus. Augescit dilectio, quando in benedicentiam & beneprecationem prodit: & amplius etiam inualescit, quando beneficentiæ quoque studet: & adhuc fortius insurgit, quando etiam pro eo inimico orat ad dominum, qui non simpliciter odit, nec tantum maledicit, sed lædit etiam, & persequitur.

Ita Christus præcipiendo hactenus est progressus, ut non solum diligere, sed & benedicere: nec benedicere solum, sed & benefacere: nec benefacere tantum, sed & orare pro inimico, odio nos prosequente, maledicente & persequente, præceperit.

Arduum beneficij genus est, quod hic præcipitur, & plerunq; tale, quod solum queas præstare insanientibus ac ferocientibus contra nos inimicis, qui aliàs

passuri

passuri non sunt, ut qua in re illis benefacias.

Oratio quæ pro alijs fiat, exigit animum non simpliciter ac frigide, sed ardenter diligentem. Alioqui in nostra ipsorum necessitate ita sumus stupidi, ut ægre pro nobis ipsis oremus, nedum pro alijs.

Qui pro alijs orat, aliorum salutem ex animo quærat necesse est. At quotus quisque est, qui hoc faciat? Si itaq; rarissimi sunt, qui ex animo pro aliorum salute orent, qui nam illi sunt quæso, qui etiam pro inimicis lædentibus & persequentibus, uitæque ipsorum insidiantibus, orent? Non abs re igitur exempla Christi & Stephani, qui, cum ab inimicis suis occiderentur, pro illis orarunt ad Deum, tanta cum admiratione celebrantur.

Vt sitis filij patris uestri, qui est in cœlis.) Hæc est altera pars huius loci, qua præmisso præcepto rationem adnectit, ob quam non solum amicos, sed & inimicos diligere debeamus. Reddit autem talem rationem, quæ omnium fortissime urgeat, & nisi obtemperemus maliciam nostram inexcusabilem reddat. Non dicit: Digni enim sunt inimici uestri, quos diligatis. Nam uos in commodum uestrum exercent, & instrumenta sunt Dei fidem & patientiam uestram probantis. Posset enim hic caro regerere, ut nos exerceant, mali tamen sunt, & quæ faciunt odio nostri faciunt, ideoq; digni, quos uicissim odio persequamur.

Quid ergo dicit? Vt sitis inquit filij patris uestri, qui in cœlis est. Hoc est, ut ista faciendo ingenium paternum referatis, declaretisq; uos uere esse filios Dei. q.d. Ego uos ex hoc mundo delegi, & ad cœlestem hanc adoptionem, ut filij Dei sitis, uocaui. Necessariũ itaq; erit, ut abiecto maligni spiritus, & corruptæ carnis ingenio, neminem, ne inimicos quidem, odio prosequamini, sed quosuis ex animo suauiter & benigne complectamini, ac uere diligatis: idq; etiam erga eos qui uobis sunt inimicissimi declaretis, ut constet uos uestrum fiat, filios esse uos cœlestis patris, qui ipsissima bonitas est, & dilectio. Quid enim ita proprium est probi ac genuini filij, quàm ut patris ingenio respondeat? Qui filij diaboli sunt, nulla in re qui sint ita declarantur, atq; in hoc uno quod ingenium diaboli, cuius spiritu ducuntur, odiendo, maledicendo, lædendo, & perdendo exprimunt. Vos itaq; cum non diaboli, sed Dei, patris uestri cœlestis, filij sitis, necesse erit ueris istis ueræ dilectionis ac bonitatis argumentis, quæ iam præscripsi, patris uestri ingenium quibusuis declarare &.

Quòd itaq; dicit Vt sitis filij patris uestri, non ita est intelligendum, quòd uelit nos ista faciendo demum fieri filios Dei, sed quòd his argumentis declarare debeamus nos esse ueros Dei filios. Alioqui, quomodo pater noster est Deus, si nos illius filij non sumus? Nam si pater noster est, necesse est uicissim nos illius esse filios. Deinde nemo filius sit imitatione paterni ingenij, sed natiuitate uel adoptione. Verum tum demum deprehendimur ueri filij Dei, quando ingenium bonitatis illius exprimimus. Euidens quippe est genuinæ sobolis indicium, imitatio morum paternorum. Sic pater filiolo dicit. Vuann du im also theteſt, so uuereſt du mein sun.

Notanter itaq; primum, non dicit, ut faciatis quod Deus facit, sed, ut sitis filij patris uestri. Aliás uidetur à nobis non debere exigi, ut imitatores Dei simus.

Proponitur itaq; nobis bonitatis diuinæ imitatio, non ut Dei tantum, sed ut patris nostri. Quis adeò impudens est, ut neget paterni ingenij imitationem exigendam esse à filijs. Itaq; si placet hæc gratia, qua filij Dei, ideoq; & hæredes facti sumus, agnoscamus etiam iustissimum esse, ut bonitatem illius, tanquàm probi & germani filij exprimamus.

Deinde non dicit: ut sitis filij patris mei, quod tamen & ipsum uerum est, sed ut sitis filij patris uestri. Non enim adeò urgeret ad imitandum ingenium diuinæ bonitatis, si nobis illud in suo patre proponeret, quàm quod in nostro patre proponit. Non enim hic agitur quid Christo, ut filio Dei ad hoc competat, ut naturam patris sui referat, sed quid nobis sit præstandum, ut patris cœlestis ingenium exprimamus.

Qui in cœlis est inquit.) Neq; hoc ociosè est adiectum. Admonet, terrenam hanc natiuitatem, qua ex carne sumus prorsus esse abnegandam, & oculos mentis ad cœlestia erigendos, in quibus patrem habemus, ut nunquam obliuiscamur cœlestis nos esse debere naturæ. Parentes quos in terris habemus, uix amicos diligunt, nedum inimicos.

Relinquenda itaq; est illorum imitatio, & usurpanda eius parentis, qui nos regenerando naturæ suæ uult esse consortes. 1. Petri 1.

Qui a solem suum oriri facit super bonos ac malos.) Quid facit pater noster cœlestis, quòd nobis ipsius filijs sit per dilectionem inimicorum exprimendum? Bene, inquit, facit non bonis tantum, sed & malis. Et ut beneficiorum illius exempla quædam ob oculos ponat. (sunt enim alioqui innumera.) Talia inducit, quæ omnibus absque ullo discrimine communicantur.

Quia solem suum, inquit, oriri facit super bonos & malos, & pluuiam mittit super iustos & iniustos. Quare solem & pluuiam commemorat, cum tam sint multa etiam alia diuinæ bonitatis beneficia, nec istis minora, nec minus malis ac bonis communia? Vtpote. Quòd uitam dat, tam malis, quàm bonis. Quòd uitæ necessaria dat, æque malis, ac bonis. Quòd terram hanc inhabitandam dedit, tam malis, quàm bonis. Ingens est ignis beneficium. At ille non minus fouet malos quàm bonos. Panis cibat & malos, & bonos. Aqua & uinũ potant malos & bonos. Vestimenta non minus seruiunt malis, quàm bonis. Iumenta æque famulantur malis atque bonis. Somnus perinde recreat malorum atque bonorum membra.

Quid est, quòd relictis his omnibus, solis ac pluuiæ beneficia inducit? Quia dixit: ut sitis filij patris uestri, qui in cœlis est, quatenus mentes nostras ad illum in cœlos euehat. Talia nobis illius beneficia ob oculos ponit, quæ cœlitus quotidie demissa oculos nostros incurrunt, & cœlestis patris bonitatem exponunt, & prædicant, ut sunt, quòd hunc solis splendorem, quo utimur quotidie, tam mali, quàm boni, & pluuiam tam malorum quàm bonorum agros fœcundantem, cœlitus largitur.

Sunt & alia Dei dona è supernis, ut & Iacobus dicit: Omne bonum desursum est &c. Verum ista ita cœlitus administrantur, ut oculos nostros conspicuè, confestim atq; mittuntur, incurrant.

Simul hic admonemur, ne putemus solem ac pluuias res communissimas fortuito nobis ac naturali quodam impulsu, absq; diuina prouidentia obtingere, sed esse signa diuinæ bonitatis, & dilectionis patris nostri cœlestis. Vtamur ergo istis beneficijs non more bestiarum, quibus nullus est intellectus, nec diuinæ bonitatis sensus, sed tanquàm filij Dei, agnoscentes in illis bonitatem patris nostri, non solum ad hoc, ut consolationem inde capiamus, sed simul etiam, ut quid imitandum nobis sit, ex illis discamus.

Solem.) Pulchre bonitatem patris nostri in hoc omnium splendidissimo, & iucundissimo iubare, quasi uisibilem ob oculos exponit, ut intelligamus, Deum nobis non solum bonum, sed & hilarem & iucundum esse uoluisse, simulq; admoneamur decere nos, ut hoc cœlestis patris exemplo, & bonis & malis simus non solum benigni, sed & facie hilari & iucunda. Hilarem enim datorem diligit Deus.

Suum.) Nec hæc uocula ociosè est posita. Solem suum inquit, producit. q.d. Non est debitum, quòd solem quotidie producit. Non enim ille noster est, sed suus, ut eum iure posset negare. Quòd autem eum non retinet, sed quotidie producit, quid aliud prædicat, quàm irremissam ipsius bonitatem? Bone Deus, si sol iste in nostra esset potestate, quàm diu putas eum produceremus? Adeò subinde amarulenti sumus, ut uix feramus alieni beneficij usum cedere, quibus male uolumus. Sic Germani dicimus: Er gundt mir Kaum das mich die Sonn anscheynet.

Bene itaq; nobiscum agitur, quòd necessarium hoc lumen non est in hominis alicuius potestate, quisquis ille sit, ut ut magnus & potens.

Oriri sinit.) Græce est ἀνατέλλει oriri facit, uel producit. Imperfectius est, quod Erasmus uertit, oriri sinit. Neq; enim satisfacit diuinæ prouidentiæ, & istii bonitati, quam nobis hic CHRISTVS proponit &c.

Producit inquit, solem suum. Quasi dicat: Sol ipse cum oritur, per se non oritur, sed à patre uestro cœlesti, bono & optimo producitur, & ad hoc producitur, ut prosit & seruiat, tam malis, quàm bonis.

Ortus solis admodum iucundus est omnibus terram hanc inhabitantibus, uerum animo fideli bonitas ista patris nostri, quam solis ortus uisendam tradit, multo est iucundior.

Pulchrè nobis per ortum solis Christus paternam bonitatem considerandam proponit. Licet enim perpetuo sit splendidus, maxime tamen in ipso exortu est, & iucundus & splendidus. Sic comparat eum Dauid sponso prodeunti è thalamo suo Psalmo decimo nono. Ea nanque est rerum iucundarum conditio, ut licet per se sint gratæ, gratissimæ tamen sint & iucundissimæ, principio cum primum offeruntur, cuius duplex est causa.

Prima, quòd post tristia mirè accepta sunt, quæ læta dantur. Sic post noctis tenebras iucundissimus est solis exortus. Post hyemem arridet supra modum æstatis principium.

Altera est, quòd nos ita comparati sumus, ut rebus iucundis cito saturemur: saturis uerò non æque placeant, quæ iucunda sunt, ut auidis & appetentibus.

Super malos ac bonos.) In hoc sita est uis exempli ad imitandum propositi. Non simpliciter nobis bonitatem patris nostri proponit, sed hactenus illius imitationem præcipit, quatenus indiscriminatim tam erga malos, quàm erga bonos declaratur.

Quòd bonis Deus solem suum & pluuiam ac reliqua beneficia impertit, nemo forsan miratur, nec insolens esse putat, sed quod & erga malos hanc bonitatem declarat, id demum est, quod caro nostra nec probat, nec imitandum esse putat.

Hic audimus: Darem & benefacerem, nisi esset nebulo, nisi esset ingratus, nisi frustra darem, quæ dantur omnia dilapidanti, nisi fomentum sufficerem maliciæ et nequitiæ, uel saltem inerti isti & ignauæ desidiei non causam darem. Ita inuenit caro prætextum ne diligat et beneficiat malis & inimicis. Interea tamen cum nobis benefit nihil horum audimus, ut quid mihi benefit, cum sim pessimus nebulo, cum sim ingratus, cum nihil bene collocem, sed omnibus temere & pro libidine abutar? Sic nihil refert bonus, ne sit uel malus qui benefacit.

Quæso, posset ne Deus facto inter malos & bonos discrimine, beneficentiam suam, siue in sole, siue in pluuia, siue in reliquis bonis, negare malis, & solis impertire bonis? Posset utiq;. Verum mauult malitiam nostram hoc pacto inexcusabilem, & suam bonitatem supra modum conspicuam, & illustrem reddere. Caro hic putat magis facturum ad emendationem malorum, si bonitas ista usibus nostrorum negaretur. Verum cogitatio ista planè inanis est. Discernebat Deus triduo inter Aegyptios & Israëlitas, ita ut Aegyptijs triduanæ tenebræ crassissimæ ac densissimæ, Israëlitis uerò nullus esset lucis defectus. Verum hoc discrimine tantum non est effectum, ut uel Aegyptij uel Israëlitæ ex animo emendari sustinuerint.

Et pluit

Et pluit super iustos & iniustos.) Neq; hic dicit, sinit ut pluuia decidat, sed βρέχει, id est, pluit. Super iustos & iniustos. Quid beneficij est complui? Qui s optat super se pluuiam? Non hoc intelligit, sed de agrorum fœcundatione loquitur: Quantum illa habeat beneficium, uide 1 Regum 17. Et unde sit quod aliquando negatur, uide Deut. 28.

Nam si dilexeritis eos, qui diligunt uos, quod præmium habetis?) Hæc uerba & quæ sequuntur, declarationem habent absurdi, quod sequitur Pharisæorum doctrinam. Sperabant Iudæi ingens seruatæ legis præmium. Hanc uerò ita exponebant Pharisæi, ut arbitrarentur non nisi amicorum præcipi dilectionem. Ex hac doctrina quid sequatur absurdi significat hoc loco Christus, cum dicit: Si dilexeritis amicos tantum, eos uidelicet qui uos diligunt, quod nam poteritis sperare præmium? Nullum autem hic sperandum esse præmium duabus rationibus facilè intelligitur, quæ utræq; à conditione sunt præmij sumptæ.

Primum enim præmij ea est ratio, ut remuneretur non simpliciter factum externum, sed potius animus obseruans eius, qui quid faciendum sit præcepit. Deinde, ut meritum aliquod præcesserit, quod nullo debito sit præstitum. Absurdè nanque speratur præmium ex eo quod non sponte & gratuito, sed ex debito est præstitum. At neutrum istorum locum habet in dilectione amici.

Primum enim, qui amicum, ut amicum diligit, in amico seipsum diligit. Quid præmij debetur eo, qui seipsum diligit ac quærit? An qui esuriens comedit, & coquũ diligit, præmio aliquo propter hoc factũ dignus erit? Nequaquam. Hoc enim naturali instinctu absque ullo præcepto facit, ut nullo præcepto opus habeat.

Deinde qui amicum, id est, diligentem se diligit, uicariam & meritam dilectionem rependit, culpabilis & ingratus, nisi uicißim diligat, tam abest, ut dilectionis huius gratiæ præmio aliquo sit dignus.

Nónne & publicani idem faciunt.) Exemplo publicanorum probat, nihil habere eximij & præmio dignum si diligamus eos tantum, qui nos diligunt. Quid igitur? Ideò ne amicos non diligemus, quod idem faciunt & publicani? Rependunt publicani benemeritis. Ideò ne nostrum non est rependere bene meritis? Respondeo: Non hoc agit Christus. Neque enim prohibet diligere amicos, & benefacere benemeritis. Hoc enim esset inhumanum, & detestando ingratitudinis uicio obnoxium. Sed hoc potius agit, ut iustitia nostra publicanorum, imò ut antea dixit, pharisæorum iustitiam excellat. Quod Pharisæi docebant: nempe diliges amicum, & odio habebis inimicum, tale erat, ut & à publicanis absque ullo præcepto naturæ impulsu fieret. Insignis scilicet iustitia. Ideò urget, ut non amicos tantum, sicut publicani, sed & inimicos diligamus, eaq; in re & publicanos & pharisæos excellamus. q. d. An non pudet in eo consistere uelle iustitiæ gradu, in quo publicani sunt, qui nullis cœlestis uitæ disciplinis student, quos tantopere contemnitis, & à commercio regni Dei prorsus excluditis? Si non pudet isti hominum generi in iustitiæ gradu, & studio coniungi, qua fronte creditis uos illis esse potiores? ciues regni, & filios Dei patris uestri cœlestis? Quid igitur de illis Christianis dicendum, qui ne amicos quidem diligunt, nec benemeritis benefaciunt, homines inhumani & ingrati? Peiores sunt publicanis & peccatoribus, quorum tamen apud Iudæos nulla habebatur ratio.

Et si complexi fueritis fratres uestros tantum, quid eximium facitis? Nónne & publicani sic faciunt?) Græcè est ἐὰν ἀσπάσησθε, id est, si complexu & osculo salutaueritis. Nam hic erat salutandi mos isti genti, quemadmodum & alijs nõnullis, & hodie quoque quibusdam in usu est, quem salutandi morem Anabaptistæ ridicu'e præter patrum morem tanquam singularem Christianismi notam usurparunt. Hoc modo autem non quiuis, sed fratres tantum & amici salutari solent. Est enim singularis beneuolentiæ signum hoc salutationis genus, atque ideò quibus non beneuolumus grauatim salutem offerimus.

Res uidetur leuicula salutare & salutari, uerum multæ efficaciæ ad qualemcunque retinendam amicitiam, & uicißim compendiosissima uia est ad dissoluendas amicitias, si salutandi officium negligatur. πολλὰς δὲ φιλίας, inquit ille, λύει λύσων ἡ ἀπροσηγορία. Quapropter etiam hac in re Christianus ita se geret, ut declaret se ueræ & solidæ amicitiæ erga quosuis esse apprime studiosum. Multis modis hic delinquitur.

Primum, quando ad declarandam simultatem quibus male uolumus salutandi officium negamus, uel salutantibus non respondemus. Et simultatem istam foris etiam tum significamus, quando rancor ille cordis nonnihil resedit, ut nihil ultra prætexamus quàm unum hoc, cur ego primus illum salutem? Non cedam. Prior me læsit, prior etiam in gratiam redeat, uel illud: Etiam si salutauero non respondebit salutanti. Egregij sanè prætextus seruandæ ἀπροσηγορίας. Non uis prior salutare, sed expectare donec saluteris. Atqui publicani quoque hoc faciunt. Non uis cædere? In bono constans esto, in simultate retinenda non decet bonum uirum esse constantem, hoc est, pertinacem. Turpe putas hac in re cedere? Quorum iudicio? Dei ne? Nequaquam. Eorum, cum quibus uiuis? Ne hic quidem: ergo soli tibi ipsi placet ista stultitia. Prior te læsit. Male fecit. Tu uicißim prior benefacias. Non salutat? Stulte facit. Tu quod melius est facias, quod uidelicet Christianum, & pacis amantem decet. Non respondebit salutanti? uel non respondebit ex animo? Hoc nihil ad te iudicium erit penes Dominum. Et ipse pro se coram Deo respondebit. Tu quod te decet facias. Sciebat hoc & Chri-

ſtus, ubi nos docuit non amicos tantum ſed & inimicos, à quibus non ſalutamur, ſalutare. Et tamen nihilominus urget, ut inimicos ſalutemus. Nihil ergo impediat inimici qualiſcunque improbitas, ſed potius urgeat nos ingenium patris noſtri cœleſtis ubique exprimendum.

2 Deinde delinquitur hac in re plurimum à diuitibus, qui tenuiores aut nunquam aut rariſſime ſalutant, imò ſalutati ægerrimè reſpondent. Tales ſunt et potentes erga abiectos, & docti erga indoctos.

3 Tertio delinquitur etiam hic à quibuſdam etſi non faſtu, innata tamen quadam inhumanitate & duricia, uel certè incogitantia. Hoc genus hominum ἄσοργον eſt, nullo humano affectu præditum, & abſque dubio etiam alijs in rebus inhumanum erga eos, cum quibus eſt neceſſario coniunctum. Apoſtolus hortatur fideles ut ſeſe mutuo ſalutent oſculo ſancto, quod & Petrus facit. Et Apoſtolus totum ultimum caput Epiſtolæ ad Romanos ſalutationibus conſumit. 1 Petr. 5

4 Quarto, Sunt qui ore tantum ſalutent, cum corde ſint inimico. Peſſimum hominum genus. At non eſt aptior ad falleudum uia. Vide exẽplum Ioab, 2 Sam. 20 Deinde & Iudæ proditoris.

Eritis igitur uos perfecti, quemadmodum pater ueſter, qui in cœlis eſt perfectus eſt.) Ad præmiſſam rationem de ingenio paterno referendo redit, illamq; concluſionis uice repetit. Eritis perfecti inquit: Perfectio rei nihil eſt aliud, quàm partium illius plena conſummatio. Videndum eſt autem ne perfectionis præceptum, ad omnia quæ in Deo ſunt, trahamus, ſed ut in materia conſiſtamus de qua præcipitur. Alioqui quomodo nobis præciperetur, ut uniuerſam perfectionem Dei præſtemus? De dilectione proximi agitur. Huius perfectio præcipitur. Exemplum illius in Deo patre cœleſti proponitur. Idq; non ita, ut tantum, quantum ille, diligamus, ſed ut ſicut ille non amicos tantum & gratos, ſed inimicos etiam & reprobros diligit. Ita & nos non unam tantum dilectionis partem, quæ amicos concernit, ſed & alteram quæ ad inimicos pertinet, adimpleamus. Qui amicos tantum diligit, imperfectè bonus eſt, qui uerò inimicos etiam diligit, ut neminem à dilectione ſua excludit, ita hactenus in dilectione perfectus eſt, ſicut & pater noſter cœleſtis perfectus eſt. Reſpondeant hic, qui dicunt iſta Chriſti præcepta non pertinere ad omnes, ſed ad eos tantum qui in ſtatu ſunt perfectionis, clericos & monachos? An illi tantum ſunt filij Dei? Horum ne tantum Deus pater eſt?

CAPVT VI.

ET duobus ſequentibus capitibus, hoc ſexto uidelicet et ſeptimo ſcopus Chriſto idem eſt, qui fuit in præcedenti: nempe ut ſuos doceat, ſi uelint eſſe in regno cœlorum, neceſſarium fore ut iuſtitia excellant & Scribas & Phariſæos. Niſi quod duobus iſtis capitibus non doctrinam Phariſæorum, ſicuti præcedenti, ſed uitam eorum notat, & hypocriſeos damnat. Qua in re hæc duo ſunt notãda. Primum, ante omnia repurgandam eſſe doctrinam. Niſi enim illa ſalua ſit & integra, fieri nequit, ut uita ſit rectè inſtituta. Rectè ergo factum à Chriſto, quod primũ doctrinam à Scribarũ & Phariſæorũ cõmentis repurgauit. Alterum, nõ eſſe ſatis ad uerũ iuſtitiæ ſtudiũ, ſi doctrina repurgetur, niſi ſimul ipſa etiam uita rectè inſtituatur.

Notandum & hoc eſt, quod Scribarum & Phariſæorum uitam non carpit tanquam manifeſtis criminibus pollutam & infamem, ſed tanquam in ipſo etiam quod ſimulabant bonorum operum, ſtudio reprehenſibilem, ut ſuos admoneat in regno Dei non eſſe locum hypocriſi, nec quicquam ualere bona opera, niſi ex animo ſyncero, & charitate prædito facta.

Reprehenſurus autem Scribarum & Phariſæorum iuſtitiam, non facit hoc in oblationibus, purificationibus, aut alijs legis obſeruationibus, ſiue paternis traditionibus, in quibus tamen & ipſis culpabiles etiam erant, ſed in illis bonis operibus, quæ propius ad ueram pietatem pertinent, & pijs magno ſemper uſui fuerunt, uidelicet, eleemoſyna, oratione & ieiunio. In his notat & condemnat Phariſæorum & Scribarum hypocriſim, nõ ut ſuos doceat eleemoſynã, orationem & ieiunia contemnere, ſed ut admoneat quàm debeant in illis inculpate uerſari. Dicit itaq;

DE ELEEMOSYNA.

Attendite ne eleemoſynam ueſtram coram hominibus præſtetis, quò ſpectemini ab illis. Alioquí præmium non habetis apud patrem ueſtrum, qui eſt in cœlis. Itaq; cum præſtas eleemoſynam, ne tubis canatur ante te, quemadmodum hypocritæ faciunt in conciliabulis, & in uicis, ut glorificentur ab hominibus. Amen dico uobis, habẽt mercedẽ ſuam. 1

Cæterum tu cum præſtabis eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quod facit dextera tua, ut ſit tua eleemoſyna in occulto, & pater tuus qui uidet in occulto, ipſe reddet tibi in propatulo. 2

Duæ ſunt admonitionis huius partes. Vna docet quid in præſtandis eleemoſynis fugere. Altera quid facere debeamus. Prior à ſtudio inanis gloriæ, & hypocriſis auocat, admonens ne in præſtandis eleemoſynis auram popularem captemus. Adungitur ratio: deinde & exemplum, quæ malum hoc diſſuadeant.

Altera

Altera docet, ut dum eleemosynas facimus, conscientia Dei contenti simus. Additur pollicitatio, de retributione paterna & cœlesti.

Admonitio ista non pertinet ad eos, quibus adhuc opus est, ut ad eleemosynas faciendas incitentur, qui magis in eo sunt, ut quæ aliorum sunt, appetant, quàm ut sua alijs impertiant, quibus malum hoc inanis gloriæ & hypocriseos non est timendum, sed ad eos, qui eleemosynas iam faciunt, & sua pauperibus elargiuntur, ne insidiosa ista hypocriseos peste occupentur.

PRIMA PARS.

Attendite, ne eleemosynam uestram præstetis coram hominibus, quo spectemini ab illis.) Docet his uerbis quid in præstanda eleemosyna fugere debeamus. Ne præstetis inquit, eleemosynam uestram coram hominibus. Atqui suprà capite præcedenti dixit: Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona. Quur hic dicit: ne præstetis eleemosynam uestram coram hominibus? Non hoc prohibet, sed ne id ob eam causam, & eo animo faciamus, ut rumusculos populares uenemur. Ideò non simpliciter dicit: ne eleemosynam uestram præstetis coram hominibus, sed addit: quo spectemini ab illis, hoc est, non ideò date eleemosynam uestram coram hominibus, ut ab illis spectemini, & laudemini. Sic suprà 5. cum dixisset: Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, non addit: & glorificant uos, sed & glorificent patrem uestrum qui in cœlis est. Malum in se non est, imò magis bonum est, si quæ benefacimus mortalium oculos incurrant, uerum si eo animo quod bonum est fecerimus, ut spectemur ac laudemur ab hominibus, id demum malum est. Quemadmodum uicißim bonum quidem in se est, si nihil mali in oculis mortalium perpetrauerimus, uerum si id fiat nõ ex timore Dei, sed iudicij humani, non ut Deo placeamus, sed ne mortalium oculis displiceamus, iam uitiosum esse constat.

Quod autem, non simpliciter dicit: Ne præstetis eleemosynam uestram coram hominibus, &c. sed, attendite, ne præstetis &c. admonens, ut cauti simus, ne malum hoc hypocriseos, & inanis gloriæ affectatio, animos nostros inficiat, satis innuit, quàm insidiosa sit hæc pestis, illis qui boni quicquam moliuntur, quanq; ad illam alioqui ex corruptione naturæ propendeamus. Alioqui, quid opus fuerit abstemio dicere: Caue ne uino inebrieris, cum aliás à uino abhorreat? Ita planè inanis esset, & præter rationem hæc Christi admonitio, qua monet, ut attendamus nobis ipsis, ne studio inanis gloriæ eleemosynæ nostræ beneficentia corrumpatur, & perdatur, nisi propter naturæ nostræ corruptionem, insidiosum nobis esset hoc malum. Ipsa itaque Christi admonitio, de fugiendo inanis gloriæ studio, argumento nobis esse debet uanæ nostræ, & corruptæ naturæ.

Alioqui præmium non habetis apud patrem uestrum qui est in cœlis.) Argumentum est à damno. Damnum est utique, frustra quibus aliás possemus bene uti, expendere. Quod autem non simpliciter dicit: Alioqui præmium non habetis, sed addit: apud patrem uestrum qui in cœlis est. Ad hoc factum est, ut doceat eleemosynam nostram Deo non placere, si inanis sit gloriæ studio contaminata, eò quod illi non tam factum in se, utut in speciem bonum, quàm facti ratio, & animi intentio, & uoluntas probetur.

Quod nõ dicit: alioqui præmium non habetis apud Deum, sed apud patrem uestrum qui in cœlis est, exigit ingenium filiorum Dei tale, quod in omnibus patri sese cœlesti probari cupiat.

Itaq; cum præstas eleemosynam, ne tubis canatur ante te, quemadmodum hypocritæ faciunt in conciliabulis & in uicis, ut glorificentur ab hominibus.) Exemplum subijcit, ab hypocritarum consuetudine ad hoc sumptum, ut studium illud inanis gloriæ in oculis discipulorum despicabile reddat. Loquitur autem de Scribis & Pharisæis, quibus infrà capite uigesimo tertio tribuit, quod omnia opera sua ita fecerint, ut spectarentur ab hominibus. Hos uocat hic hypocritas, propter infinitum simulationis, & ostentationis studium, quo speciem pietatis, & sanctimoniæ foris ostentabant, cum in cordibus essent prophanißimi. Nec præter rationem est, quod non dicit, quemadmodum Scribæ & Pharisæi, sed quemadmodum hypocritæ faciunt, uocabulum usurpans non honoris ac dignitatis, sed nemini non exosum ac detestandum.

Notas uerò hypocriseos & ostentationis simul exprimit, easq; nemini tum non manifestas. Prima est, quod eleemosynas suas præmißis tubis (uel certè, si per tubas aliud quid intelligendum uidetur, præmissa proclamatione) auribus & oculis uulgi ingerebant, & publicum spectaculum ciebant. Altera est, quod eleemosynas dabant non separato aliquo loco, priuatis uidelicet ædibus, sed in publicis synagogis, id est conuentibus Ecclesiasticis, deinde & uicis, ubi transeuntium frequentiæ quæ gerebantur poterant spectanda obijci. Ex his ostentationis & hypocriseos notis rectè colligitur, quod subijcit, ut glorificentur ab hominibus. Neq; enim alia potest assignari ratio, ob quam eleemosynas suas, & præmißis tubis, uel preconis uoce, & in conuentibus Ecclesiasticis, & publicis uicis dare soliti fuerint, magis quàm in abscondito.

Amen dico uobis, habent mercedem suam.) Idem est quod iam dixit: Alioqui præmium non habetis apud patrem uestrum. Habent, inquit, mercedem suam. Græcè est ἀπέχουσι, non ἔχουσι, Latine non tam potest bene atque germanicè reddi hæc uocula. Est enim illud, habent mercedem suam, imperfecta redditio: ἀπέχειν significat, hinuueg haben, sie haben yren lon hinuueg. Ad quem modum de illis loqui solemus, qui laborum suorum mercedem antequam ad iustam laborandi metam perueniant, ita præcipiunt ac prodigunt, ut finito labore nihil supersit

unde

unde se sustentent, atque ita frustra uniuersum laborem impenderint. Sic hypocritæ, quoniam interea dum eleemosynas largiuntur, rumusculos populares, quos unice ambiunt, præcipiunt, rectè mercedem suam ἀπέχειν dicuntur. Neque enim præterea quicquam mercedis ex illis reportant.

Notanter etiam non dicit: habent mercedem, sed addit, suam. q. d. Quam ostentationibus suis uenantur, dignam hypocritis, inanem uidelicet rumusculum, auræ instar euanescentem. Satis illis est, quod speciem sanctimoniæ & pietatis præferunt, & uulgo suspiciuntur. Non est, ut præterea quicquam à Deo expectent. Nec expectant etiam aliquid à Deo, sed cõtenti sunt inani illa gloria, quam tanto studio aucupantur.

ALTERA PARS.

Cæterum tu cum præstabis eleemosynam, nesciat sinistra tua quod facit dextera tua, ut sit tua eleemosyna in occulto.) Postquàm priori parte admonuit, quid fugere, iam hac altera subiungit quid facere debeamus. Præscribit autem omnino contrarium ei quod hypocritæ faciunt. Videlicet ut quemadmodum hypocritæ inanis gloriæ studio eleemosynas suas mortalium conspectui ingerunt, nihil uenantes aliud, quàm ut ab illis glorificentur, ita nos dum proximis benefacimus, sola patris nostri conscientia contenti populares rumusculos non uenemur, sed secretum amemus.

Nesciat, inquit, sinistra tua, quod facit dextera tua.) Hyperbolico loquendi more utitur, ut admoneat summo studio fugiendum esse inanis gloriæ studium. Non dicit: Nesciant uicini tui, quantum insumas in eleemosynam, sed nesciat sinistra tua, quod facit dextera tua. q. d. usque adeò non quæras uulgi conscientiam, & applausum, quando eleemosynam facis, ut nec sinistra tua, quamuis coniunctissima, & cooperatrix boni operis, si quid intellectus haberet, quid, cui, quantum, quoties & quando des, cognoscat.

Admonemur hac loquutione quanta sit pestis bonorum operum conscientia. Optimum est benefacere quibusuis. Verum uel aliorum uel propriæ conscientiæ ingerere quid & quantum boni operis facias, id demum ueneni instar est, quod aliàs bonum erat inficientis ac perdentis. Tam enim sumus propter naturæ corruptionem ad κενοδοξίας studium proni, ut difficillimum sit respectu bonorum operum non insolescere. Perinde nanq; atque mulierculæ uenustæ ubi quàm sint eleganti forma, intelligunt, abiecta modestia insolescunt, ita planè comparati sumus, ut uel superbiamus, uel nescio quæ nobis coram Deo polliceamur, si oculos conscientiæ nostræ operibus nostris bonis adhibuerimus. Exemplo sit Pharisæus ille Lucæ 18. qui dicebat: Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo, &c. & præterea reliquos præ se contemnebat. Notent itaque hanc Christi admonitionem, qui quod in pauperes insumunt, in calculos & supputationum chartas redigunt.

Vt sit eleemosyna tua in abscondito.) q. d. Quemadmodum hypocritarum eleemosyna ita datur, ut sit in propatulo, ita tua non minore studio sic detur, ut sit in abscondito, nec minus quicquam ambias, quàm uulgi conspectum: & hac particula exponit quid intelligat, per id quod dixit: Nesciat sinistra tua, quod facit dextera tua.

Et pater tuus qui uidet in occulto, ipse reddet tibi in propatulo.) Hæc est adiecta pollicitatio, de retributione paterna. Dat autem Deo patri tria. Primum quod uideat, etiam abscondita. Alterum, quod sit redditurus, si quid boni fecerimus. Tertium, quod sit in propatulo redditurus. Pulchrè autem hæc tria filijs Dei proponit, ut assuescan. , quæcunq; faciunt, Deo patri cœlesti probare. Deinde commodum hæc tria carnis uanitati opponit, quæ ita comparata est, ut cupiat uideri, si quid agat boni: deinde cupiat retributione[m] [ter]tiò uenetur glorificationem ac publicam nomin[is] celebritatem, idq; in hoc seculo, ubi omnia sunt uana, & temporaria. Vt uanitatem hanc 1
in nobis retundat, admonet primum Deum patrem nostrum, usque adeò non esse cæcum, ut abscondita quoque uideat, ne putet quisquam, si quid boni occulte agat, diuinæ maiestatis illud latere conscientiam. Cogitemus itaque uersari nos in oculis patris nostri cœlestis, nec posse fieri ut quæ agimus, utut mortalium conscientiam eludamus, uigilantißimis illius & omnia penetrãtibus oculis non pateant. Magnæ temeritatis notam habet, si patris oculos filius delinquens nequaquam uereatur, nec dubitet offendere.

Deinde, quia caro, nisi spes sit temporariæ retri- 2
butionis, omnino perdita putat, quæ in pauperes insumuntur, subijcit de retributione cœlesti, dicens: ipse reddet tibi. Admonens, non esse dispendium eleemosynam sub conscientia Dei datam, sed maximum compendium, & præclarißimam negociationem. Habent hic quod notent, & qui dant & qui accipiunt, diues uidelicet & pauper, unde cœlestis patris bonitatẽ agnoscant ac prædicent. Quæ diues habet à Deo habet. Quid enim habes inquit Apostolus, quod non acceperis? Ergo quæ dat egenti non de suo dat, sed de bonis diuinitus acceptis. Quæ est igitur ista bonitas Dei, quod etiam retributionem pollicetur, si de bonis ab ipso gratis acceptis pauperibus aliquid dederimus. Et pauper, quomodo non intelliget hinc, quàm sit Deo gratus, qui rependat pro his, quæ ipse accipit? Quis ita desipit, ut quæ alienis ad se uidelicet non pertinentibus dantur, uelit tanquam sibi impensa, rependere? At pater noster cœlestis quæ pauperibus, miseris & adflictis impenduntur, teste Christo repensurus est. Ergo pauperes, miseros & adflictos ita pro suis habet & agnoscit, ut ipsis data, sibi impensa reputet, & rependat.

Tertio, quia caro non solum retributionem, sed 3
& populares & publicos rumusculos affectat, ut istam quoq; uanitatẽ nobis eximat, addit, in propatulo, ut credamus patrẽ nostrũ, si quæ occulte bona fecerimus, non redditurũ tantum, sed & palam et manifeste redditurũ.

Hæc

Hæc de de re uidere est Lucæ 14. ubi sic legimus. Cum facis conuiuium uoca pauperes, debiles, claudos & cæcos, & beatus eris, quia non habent unde tibi retribuant. Retribuetur autem tibi in resurrectione iustorum. Et cap. 16. Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant uos in æterna tabernacula. Et infrà cap. 25. Venite benedicti patris mei, &c. Esuriui enim & dedistis mihi cibum. Sitiui & potastis me, &c. Ergo ista retributio, quam accipiemus in resurrectione iustorum, ita dabitur in propatulo, ut spectatores illius futuri sint, non unius aut alterius loci incolæ: nec nostri tantum seculi homines, sed omnes in uniuersum totius orbis, & omnium seculorum inhabitatores. Neque ita electorum tantum, sed & reproborum retributio in propatulo futura est. Quæ est igitur stultitia illa, qua quæ bona facimus mortalium oculis ingerimus, & quæ mala committimus celamus? An non satius est, ut abscondamus quæ bona facimus, ut olim in retributione iustorum publicentur, & quæ mala sunt prorsus omittamus, certi futurum, ut olim publicentur.

DE ELEEMOSYNA.

Per occasionem huius loci non abs re fuerit, paucula quædam de eleemosyna propter rudiores annotare: nempe quid sit, quottuplex sit, & ad quem finem destinata, & quæ mouere à dandam eleemosynam debeant, cui etiam danda sit, & quomodo dari debeat.

QVID SIT ELEEMOSYNA.

Eleemosynæ dictio latinæ, nihil est aliud quàm misericordia. Quemadmodũ igitur consueto more quod ex gratia datur, gratia uocatur, ita obtinuit usus, ut quod ex misericordia datur, eleemosyna, id est, misericordia uocetur. Præsliterit autem Germanis non græcam dictionẽ corruptam illam, almuoß, id est, eleemosynam, sed germanicam, barmhertzigkeyt, & latinis misericordiam in ore & consuetudine esse, ut intelligatur cum quid pauper petat, eleemosynam petẽs, & quid dare debeat, à quo illa petitur. Est itaque eleemosyna beneficium quod ex cõmiseratione datur pauperi, egeno & adflicto. De misericordia uide plura infrà capite nono, ibi discite quid sit: Misericordiam uolo, & non sacrificium.

QVOTTVPLEX SIT Eleemosyna.

2 Duplex est, uera una, falsa altera. Vera eorum est, qui ex commiseratione largiuntur. Falsa hypocritarum est, qui non ex misericordia, sed peregrinis alijs affectibus aliquid dant. Vt uera sit eleemosyna, non refert quàm sit probus uel improbus cui datur, nec quàm magnum sit uel modicum quod datur, sed potius, quo animo detur: Ergo ueritas eleemosynæ non est aliunde quærenda, extra nos, sed in nobis ipsis, qui damus. Potest fieri, ut cui das, sit uerè probus, & simul miser, & tamen quod illi das non sit uera eleemosyna, propter misericordiæ defectum. Ita sæpenumero fit, ut uera sit eleemosyna, quod improbo datur, propterea quod ex commiseratione datur. Rursus fieri protest, ut multum detur à diuite, à tenuiore parum, & tamen magnum diuitis donum non sit eleemosyna, sit uerò modicum illud quod à tenuiore datur. Discriminat enim in hac causa non dati, sed dantium diuersitas. Mulier uidua & pauper dabat duos obulos, diuites uerò abunde multa contribuebant, & tamen æra illa minuta pauperis uiduæ largis diuitum donis præferuntur. Sunt enim diuitum contributiones ex abundanti aceruo profectæ ueluti modici quidam riuuli ex undoso fluuio in uicinum pratum deducti. Luc. 21

Cogitent itaque primum hoc loco quàm peccent, qui cum danda est eleemosyna, miserorum uitam uelut ad examen, & iudicium uocant, quasi ad eleemosynæ nostræ ueritatem requiratur, ut boni sint quibus datur, & non magis ut boni sint, & misericordes qui largiuntur. Facile dignus est pauper, hoc ipso quod miser est & egens, ut eleemosynam accipiat, uiderint qui largiuntur, quàm sint digni ad faciendum eleemosynam, & studium illud benefaciendi planè diuinum, exequendi.

Deinde & tenuiores habent hîc quo admoneantur, ut in dando non sint pigri, nec cogitent eleemosynam suam pro daturum tenuitate coram Domino contemni. Multum dare non possunt, quia deest facultas, dent itaque uel minutum æs cum uidua illa Euangelica, nec dubitent, si id ex animo miserente fecerint, non minoris futurum coram patre cœlesti, quàm præclara illa diuitum donaria.

Falsa eleemosyna est, cum datur animo molesto, & indignabundo: perinde atque si cani molestè latranti buccella panis adijciatur. Reperias hodie, qui nullo animo publicas illas eleemosynas, nec alio fine retinendas arbitrentur, quàm ne crescente conciuium egestate & miseria, seditiosum aliquid tentetur: propterea quod sit malesuada fames, & dura paupertas animum reddat improbum, & audacem. Quæ isti dant non possunt aliter æstimari, quàm si cani latranti detur aliquid ne mordeat, tam abest ut sit eleemosyna quod in pauperes expendunt.

Falsa item eleemosyna eorum est, qui non ex misericordia, sed animo negociandi dant, sperantes retributionem uel in hac uel in futura uita. Item & eorum qui de eo quod male acquisierunt, aliquid dant pauperibus, ut reliqua maiore securitate retineant: postremo & illi, qui more hypocritarum studio inanis gloriæ, ut appareant esse misericordes, cum nihil sint minus, eleemosynam simulauit.

AD QVEM FINEM DESTINATVM sit eleemosynæ præceptum.

Pro. 22. dicit Salomon, & diuitem esse, & pauperem à Deo factum. Poterat uniuersos mortales abunde diuites reddere. Verum peculiari prudentia conuictum nostrum, & singulorum fortunas ita attemperauit, ut illis esset occasio patientiæ, & istis materia exercendæ misericordiæ. Quod itaq; misericordiam erga pauperes declarandam præcepit, non tam pauperum quàm diuitũ est gratia factum: perinde ac si pater quis- 3

quam

quam uni det ex filijs, quæ fratribus suis impertiat, ad hoc, ut affectum φιλαδελφίας ipso opere exerceat, & exercendo confirmet. Quid alioqui prohibeat, quo minus ipse det reliquis filijs per se, quod dare constituit per unum ex ipsis? Est itaq; præcipuus hic eleemosynæ usus, ut ad bonitatis, dilectionis & συμπαθίας ingenium, & affectus instituamur, hoc est, ut ad cœlestis patris naturam, & ingenium cõformemur. Est igitur maior dantis, quàm accipientis utilitas.

QVAE MOVERE AD DANDAM eleemosynam debeant.

4 Quoniam eleemosyna nihil est aliud, quàm opus misericordiæ, uulgariter sumpta, non potest alium habere fortiorem impulsum, quàm ipsam misericordiã, hoc est alienæ miseriæ compassionem, quæ naturaliter mortalibus inesse debebat. Verum quia illa per corruptionem ueteris hominis uel prorsus est sublata, & in stupidam quandam inhumanitatem, & ἀπαθίαν uersa, uel admodum debilitata: opus est regeneratione per spiritum Dei, qui quod in Adam est amissum restituat, & humanos nos & misericordes, hoc est, tales reddat, qui sensu alienæ miseriæ facilè tangamur, atq; inde ad succurrendum miseris impellamur.

Accedit huc, quod inter nos qui Christi nomine ac fide censemur, Christus ipse in membris suis miser est, egenus, nudus, peregrinus, esuriens, sitiens, & ægrotus, ut qui pauperis miseretur, & miseriæ illius affectu misericordiæ succurrit, Christo ipsi succurrere, & opem ferre iudicetur, qua de re uidebimus infra cap. 25.

Quantulum est quæso, si Christum esurientem pane pascamus, nudum panniculo uestiamus, peregrinũ domo excipiamus, ægrotum uisitemus, quum ipse nos pane cœlesti, carne uidelicet ac sanguine suo pascat in uitam æternam? ueste immortalitatis uestiat, quam ipse homo factus exuerat, cœlo nos perpetuo mansuros excipiat, è cœlis ad nos non solum uisitandi, sed & curandi gratia descenderit? An non hæc omnia Christo debemus? utiq; rependamus ergo illi qualemcunq; hanc gratitudinem. Dicis, rependerem, si opus haberet. Opus habet, sed in suis, quibus si gratitudinem hanc negaueris ipsi Christo negasti. Finge esse diuitem aliquem, à quo plus acceperis beneficiorum, quàm unquàm rependere queas: is aũt talis sit, ut ipse quidem tua retributione non egeat. Commendet autem tibi pauperem quendam, quem diligat, ac petat, ut in hunc conferas quæ sibi debeas, imò non tantum quantum debeas, sed qualemcunq; aliquam gratitudinis declarationẽ, fortunis tuis tolerabilem. Quòd si hoc detrectes, quis non intelligit quàm ingratus sis erga tam insignem patronum, & in posterum omnibus illius beneficijs indignus?

Cum ergo debeamus Christo pro infinitis ipsius in nos beneficijs summam gratitudinem, & fratri misericordiã, iure uidelicet humanitatis, atq; ita fieri queat, ut uno & eodem opere misericordiæ, & erga Christum grati, & erga fratrem miserum, & adflictum humani simus. Quænam quæso poterit esse excusatio illis Christianis, qui & in Christum sunt ingrati, & in fratrem misere habentem inhumani?

CVI DANDA SIT ELEEMOSYNA.

Quoniam Christianis scribimus, non potest hic certior dari regula, quàm quæ ab ipso est Christo tradita, qui Luc. 6. dicit: Omni petenti te tribue. Neminem excludit inter pauperes & egenos, quos dictione petendi intelligit. Si obiectum misericordiæ in genere est aliena miseria, ergo danda erit eleemosyna unicuicũq; misero & egeno. Cum primis quidem eorũ habenda est ratio, qui fratres sunt, & Christianæ fidei consortes, in genere tamen omnibus benefaciendum est miseris. Sic Apostolus dicit: Dum tempus habemus, operemur quod bonum est erga omnes, præsertim domesticos fidei: ueteres Christiani non solum suæ fidei consortibus, sed & aduersarijs illius ethnicis misericordiam impenderunt, quare fidem Christianam pressius Gentilium cordibus inscripserunt, quàm impij Imperatores sua truculenta aduersum Christiani nominis professionem edicta, æneis tabulis insculpserunt. Hac de re uide Euseb. Eccle. histor. lib. 9. cap. 8. Et historiam Tripart. lib. 6. cap. 29. Vbi memoratur, quomodo Iulianus Apostata ad Arsatium gentilem Pontificem ad hunc modum scripserit. Xenodochia constitue per singulas ciuitates, ut nostra peregrini clementia perfruantur, non tantum nostri, sed etiã extranei pecunijs indigentes. Et ut habeas unde fiat, interim decreui singulis annis triginta millia modiorum tritici per uniuersam dari Galatiã, & sexaginta millia sextariorum uini. Horum quinta pars pauperibus templa obseruantibus debet expendi, reliqua peregrinis egẽtibus distribui. Turpe nanq; est, ut impij Galilæi Iudæos non solũ non abijciant, sed potius nutriant, & suos pariter & nostros, nostri uerò nostrorum solatio deserantur. Quapropter doce etiam collationes facere nostros ad talia ministeria, &c. 5

Et Tertullianus in Apologetico, cap. 42. cõtra Gentes sic scribit: Non sufficimus & hominibus & Dijs uestris mendicãtibus opem ferre. Nec putamus alijs quàm petẽtibus impartiendum. Deniq; porrigat Iupiter manum & accipiat, cum interim plus nostra misericordia insumat uicatim, quàm uestra religio templatim. Hæc ille: Conferamus huc nostri temporis Christianismum. Bone Deus quanta inoleuit à uero misericordiæ scopo diuersitas?

QVOMODO SIT DANDA eleemosyna.

Quoniam in eleemosynæ dandæ studio non solum pauperi benefaciendum, sed & Deo patri cœlesti gratificandum est, qui, ut supra Christus meminit, olim rependet, necessarium est ut non solum detur, sed ita detur ut Deo placeamus. Huc uidentur tria requiri. 6

Primum, ut hilari animo demus. Sic Paulus admonet Roman. 12. Qui miseretur, inquit, in hilaritate. Et 2 Corin. 9. Vnusquisq; prout destinauit in corde suo, nõ ex tristitia aut ex necessitate. Hilarem enim datorẽ diligit Deus. Tales erant Abraham & Loth, qui peregrinos non solum excipiebant hospitio, sed prope cogebãt etiam ut ad se diuerterent. Gene. 18. 19. Talis erat Tobias, qui ultro circuibat, & quærebat pauperes, quibus beneficeret, idq; cum magno suo discrimine. 1

Deinde,

2 Deinde, ut largiter, non parce demus. Qui ex animo dat, non potest non largiter dare. Qui dat inuitus, quàm potest minimum dat, tantum ne posſit, non dedisse uideri. Quare? Quia quicquid dederit perditum esse putat. Sic Paulus 2 Corin. 9. Hoc autem inquit, dico: Qui parce seminat, parce & metet. Et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. Et Psal. 37. Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi. Tota die miseretur & cõmodat, & semen eius benedicetur. Vide exemplum Macedonũ, 2 Cor. 8. Sed dices: Ergo tenuiores non possunt eleemosynã dare. Largiter enim dare nequeunt? Respondet Apostolus, 2 Cor. 8. Si uoluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id, quod non habet.

3 Tertio. Vt sine hypocrisi & ostentatione, non quærentes rumusculos populares, sed sola diuina contenti conscientia demus. Hanc particulam Christus in præsenti tractat, sicuti suprà uidimus.

DE ORATIONE.

Et cum oraueris non eris quemadmodum hypocritæ. Nam illi solent in conciliabulis, & in angulis platearum stantes orare, quo conspicui sint hominibus. Amen dico uobis quod habent mercedem suam. Tu uerò cum oras introito in conclaue tuum, & occluso ostio tuo ora patrem tuum, qui est in occulto, & pater tuus qui uidet in occulto, reddet tibi in propatulo, &c.

Post eleemosynam, aggreditur alterum pij hominis studium, quo assiduè detinetur, orationem uidelicet, opus planè spiritale, & intimorum affectuũ. Huius usum repurgat ab illis uicijs, quæ tum temporis prorsus obtinuerant, apud eos præsertim, qui singularem orando pietatis speciem præferebant. Erant autem illa, duo præcipua, hypocrisis uidelicet, & βαττολογία. De hypocrisi uitanda primum monet, dicens: Et cum oraueris, non eris quemadmodum hypocritæ, & ut intelligant, de quibus loquatur, addit hypocritarum notas, consuetas illas, quas quotidie ob oculos habebant. Nam illi solent, inquit, in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, quo conspicui sint hominibus. Ob quam causam non dicat: non eris sicut Scribæ & Pharisæi, cum tamen eos ipsos notet, sed non eris quemadmodum hypocritæ, suprà in materia eleemosynæ dictum est. Eos illis ob oculos exempli uice ponit, qui impudentissima laborabant hypocrisi, ut omnium meritissimo nomine uocari debuerint hypocritæ, ut malum hoc illis reddat, prorsus execrabile & detestandum. Perinde ac si prudens mater filiolæ suæ omnis impudentiæ, leuitatis & lasciuiæ horrorem incutere cupiens, non simpliciter dicat: ubi comparendum erit in publico, uide ne sis oculis uagis ac iactabundis, nec moribus uanis, dissolutis & procacibus, sed ut uicij huius turpitudinem illi ob oculos exponat, impudentissimorum illi, & procacissimorum scortorum leuitatem, temeritatem, uanitatem & impudentiam describat, & proponat, in quibus uideat, & cognoscat quanta sit impudentiæ, & procacitatis in uirgine turpitudo. Natura ita sumus comparati, ut quod turpe est nusquàm minus agnoscamus, ac detestemur quàm in nobis ipsis, in alijs uerò facile uiciorum turpitudinem notemus, præsertim in illis qui præcipua præditi sunt impudentia.

Sic Lacedæmonij pueris ostendebant seruos temulentos, quo magis abominarentur ebrietatem, uidentes quàm deformè spectaculum sit homo immodico madens uino, quanq; dementi similis, atque ita quod alij prolixo sermone uix persuadent, sobrietatem esse rem honestam, ebrietate nihil esse homini indignius, illi compendio ponebant ante oculos, sed in mancipijs, ad quorum mores degenerare ingenuos turpissimum est.

Hæc est ratio, ob quam Christus turpitudinem hypocriseos non in se, sed in hypocritis illis insignibus Scribis & Pharisæis spectandam ac detestandam proponere uoluit. Sed expendamus ipsa Christi uerba.

Nam illi solent in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, quo conspicui sint hominibus.) Primum, adscribit illis, quod quæsierint apud homines esse conspicui. Hæc uidelicet est humani cordis uanitas, φιλοδοξία illa, qua non hoc quæritur, ut probi simus, sed ut probi uideamur. Sic Scribæ & Pharisæi, non tam uerè orabant, quàm uideri cupiebãt, nec tam erant solliciti, ut animis essent Deo deuotis, quàm ut tales esse uiderentur. Quanta sit ista uanitas in alijs rebus facile apparet, ut exempli gratia, si malimus uideri quàm esse sani. Quis sapiens nõ malit uerè sanus esse, quam si non sit, uideri tantum.

Deinde, hypocriseos signa ponit, quibus oratio Pharisæorum ac Scribarum ostentationem sapere deprehendebatur. Quæ sunt illa? 2

Primum, Quod in synagogis orabant, non mox notam habebat hypocriseos. Nam & Apostoli & fideles reliqui in conuentibus suis orarunt, & templum Hierosolymitanum ad hoc potissimum fuerat erectum, ut esset domus orationis. Ideò non simpliciter dicit: Nam illi orant in synagogis, sed amant, φιλοῦσιν, orare in synagogis, utiq; in occulto nõ oraturi. Non est enim putandum, quod ita in synagogis orauerint, sicut plerunq; etiam pij solent, simpliciter uidelicet & tacite, absque ulla ostentatione, sed hoc curarunt, ut et manifestius, & uoce clariore, & locis æditioribus celebrioribusq; orarent, ad exẽplum uidelicet Pharisæi illius, qui ad aram stando orabat. Vnde & Christus illis infra cap. 23. obijcit quod elegerint sibi primas cathedras in synagogis. Hæc eò tendebant, ut essent hominibus, uelut plurimum ac sedulo orantes, conspicui. 1

Deinde, Quod solebant in angulis platearum, ubi à transeuntium poterant frequentia obseruari, idq; non progrediundo sed stando, orare, non poterant, aliud ostendere quàm insignem hypocrisim, & ostentationis uanitatem. Pius enim tam non φιλεῖ in publico orare, ut erubescat etiam, propter hypocriseos suspicionem. exprimebant, itaq; hæc duo hypocrisim Scribarum &

Phariſæorum. Quòmodo? Quia ad ueram orandi pietatem non faciunt, ſed ad oſtentationem. Illa nanq; ſecretum, iſta uerò publicum amat. Non eſt opus ut hoc loco mentionem illorum faciam, qui Scribarum & Phariſæorum oſtentationem, ſi non ſuperant certè omnino adæquant. Sunt enim uulgatiſſimis hypocriſeos notis nemini non manifeſti. Quanquam pleriq; ex illis hypocriſim ineffrontem ac meretriciam impudentiam commutarunt.

Habent mercedem ſuam.) Parum erat, quod nihil eos mercedis manebat apud Deum. Quid autem cum illis eſt actum, quorum domos ſub prætextu longæ precationis comedebant? de quibus infrà cap. 23. Viderit & noſtrũ ſeculum quàm bene portentoſas illas opes in θυρίτας illos hypocritas impenderit.

Tu uerò cum oras.) Poſteaquàm à Scribarum nos & Phariſæorum hypocriſi abſterruit, iam conſequenter quomodo orare debeamus, ſubiungit. Primum erat uicium illud oſtentationis orantibus inſidioſum, præſertim in illis reprobandum, qui ut plurimi propter religionis ſpeciem fiebant ab omnibus, ita hypocriſi ſua ueluti fermento quodam quoſuis inficiebant. Nam alioqui ſi dixiſſet ſimpliciter, ne oretis in ſynagogis, nec in angulis platearum ſtantes, ne uideamini ab hominibus, occurriſſet diſcipulis exemplum Rabinorum, Scribarum ac Phariſæorum, cogitaſſentq;, cur hoc nobis prohibet, cum religioſus ille Scribarum & Phariſæorum chorus ad hunc modum crebrò oret, & hoc nomine paſſim ab omnibus ſuſpiciatur? Ob eam cauſam antequam de ſtudio abſconditæ orationis præcipiat, exemplum iſtorum hominum hypocriſeos titulis notat, & condemnat, ac tum primum de eo quod ſecreto ſit orandum, ſubijcit.

Introito in conclaue tuum.) Orandi ſtudium ſuis præcipit, ab eo quod habent hypocritæ, planè diuerſum. Nempe, ut quemadmodum hypocritæ publico, ubi orandum eſt, ita iſti ſecreto gaudeant, & locis abditis. Hoc eſt, malint in abſcondito orare quàm in propatulo. Alioqui non prohibet ne oremus in conuentibus publicis, uerum id prohibet ne more hypocritarum affectemus publicum. Nec eſt præter rationem, quod oraturis nobis ſecretum, & occultum locum aſſignat, quem per conclaue intelligit, ut illo ubi orandum eſt, delectemur. Eſt enim pijs alius orandi ſcopus, & reſpectus quàm hypocritis. Quod quærunt illi non acquiritur, niſi orandi oſtentatione: quod iſti quærunt, melius in abdito quàm publico, orãdo acquiritur, certè publico mortalium conſpectu non eget. Ideò ſubdit:

Et ora patrem tuum qui eſt in abſcondito.) Vniuerſum orationis noſtræ ſcopum, & reſpectum, patrem cœleſtem ponit. q. d. Cum oras, cum nullo hominum tibi quicquam eſt negocij, ſed cum ſolo patre cœleſti. Hunc non eſt opus, ut in publico adores. Eſt enim in abſcondito, & uidet quæ in abſcondito aguntur. Sine igitur publico delectari inter orandum hypocritas illos, qui non hoc quærunt, ut Deo ſe approbent, ſed ut hominibus conſpicui reddantur: tu uerò, cui non eſt curandum quàm appareas orando religioſus, ſed quomodo diuinæ patris tui maieſtati placeas, ubi orandum eſt ſecretum pete, ut ſoli Deo quid, & quantum ores innoteſcat. Cum de hypocritis loquitur, non dicit: Nam illi ſolent in ſynagogis & angulis platearum ſtantes orare Deum, ſed ſimpliciter, ſtantes orare. Nihil enim illi minus orant quàm Deum. Hoc eſt, corde non ſunt ad Deum, ſed ad captationem popularis applauſus intento. At is Deus eorum, cui ſeruiunt, quæ in abdito fiunt non uidet. Ideò illi ſecreta fugiunt, & publico delectantur. His itaq; argumentis Chriſtus ſuos à ſtudio oſtentationis auocat uicio omnium perniciosiſſimo, quo plerunq; laborant, qui omnium habentur religioſiſſimi, ut diſcant ſe unius patris cœleſtis nutui orando approbare, nihil uulgi rumuſculos morati, &c.

Verum orantes ne ſitis multiloqui, ſicut ethnici.) Hactenus contra hypocriſim, iam conſequenter & contra alterum uicium à pura, & fideli oratione abijciendum: nempe βαττολογίαν, hoc eſt, inanem illam loquacitatem, & multiplicandorum uerborum uanitatem, admonitionem inſtituit. Vicium hoc tale eſt, ut etiam ab illis poſſit committi, qui in abdito orant. Ideò cõmodum de illo ſubiecit. Sunt autem hic tria notanda.

Primum, Quid prohibeat.

Alterum, Quomodo prohibeat.

Tertium, Qua ratione prohibeat.

QVID PROHIBEAT.

Ne ſitis multiloqui.) Græcè eſt, μὴ βαττολογήσητε, ferunt Battum quendam fuiſſe ineptum Poëtam, qui multis & uanis, ad nauſeam uſq; repetitis uerbis poëmata ſua conſcripſerit, ad hoc unũ intentus, ut multus eſſet in uerbis, unde ſumptum ſit hoc uerbum βαττολογεῖν, pro inaniter eſſe multiloquum. Vtitur Euangeliſta hoc uerbo, ut oſtendat multiloquium in oratione tam eſſe abſurdum coram Deo, quàm eſt βαττολογίαι in auribus mortalium. Ratio humana de Deo nõ poteſt aliter ſentire, quàm de homine quodam, ut potente ac præclaro, ita & duro & ægrè exorabili: atque ob eam cauſam arbitratur, ſi quid apud eum agendum ſit multis agendum eſſe, cum ut quid uelimus intelligat, tum ut ad faciendum quod petimus, permoueatur. Ex hoc fontæ ortæ ſunt prolixæ illæ, & oratorio more compoſitæ precationes, ex quibus ſtructus eſt Hortulus ille, quem uocant, animæ. Vicium hoc paſſim obtinuit, utut hoc loco Chriſtus tam diſertè ſuis interdixerit, ne ſint in orando multiloqui.

QVOMODO PROHIBEAT.

Vtitur aduerſus hoc multiloquij uicium eodem dehortandi modo, quo ſuprà contra hypocriſim & oſtentationem eſt uſus. Sicut enim ibi quàm turpis ſit hypocriſis per impudentiſſimorum hypocritarũ exemplum ob oculos expoſuit, ita & hoc loco quàm ſit in oratione abſurdum, & filijs Dei inconueniens, multiloquium, æthnicorum exemplum inducit: hominum uidelicet, qui ut omnis diuinarum rerum cognitionis uacui, populo Dei erant contemptiſimi. Ideò non dicit: Nolite orantes eſſe multiloqui. Diſplicet enim Deo talis oratio, & iram Dei magis prouocat quàm placat, ſed ethnicos

cos illis ob oculos ponit. Nam ita comparatũ est piorum ingenium, ut ad uitandum quod uiciosum est, satis permoueantur, si turpitudinem illius cognoscant. Male audiebant apud Iudæos ethnici, propterea quod essent athei & ueræ pietatis expertes. Contemptus iste ethnicorum hæsit quidem apud Iudæos, uerum solidum pietatis studium unde uideri uolebant ethnicorum tanquam impiorum contemptores, iam olim desierat. Facile erat Iudæo, cõtemnere hominem Gentilem: at illi cordis impietate & impuritate non esse conformem, quod tamen omnino præstandum erat, id demum erat difficile. Verum de atq; Christianis facile est contemnere uel Iudæum uel Turcam, uerum non ita facile est cauere, ne illis non simus deteriores. Interea tamen Christus exemplo hoc ethnicorũ ad hoc utitur, ut suis declaret, quàm sit multiloquium in oratione turpe & uitandum. Ne sitis multiloqui, inquit, sicut ethnici. q. d. Ethnicos explodite, quod factu est facile, at interea etiam atq; etiam uidete, ne uos illis cõformetis. Nam si similes illis fueritis, quomodo non digni eritis & ipsi, qui explodamini, cum sitis & uos ethnici? Similes autem illis eritis, si in orationibus uestris eodem cum ipsis multiloquij uicio laboraueritis, putaueritisq; tum exaudiri uos, si orantes multiloqui fueritis, id quod & ipsi putant. Proinde uidete ne similes illorum efficiamini.

Ad eum modum & suprà cap. 5. cum de diligendis non amicis tantum, sed & inimicis præciperet, dixit: Nónne & publicani idem faciunt. q. d. Contemnitis publicanos, cum illis meliores non sitis, nisi & inimicos diligatis. Nam illorum iustitiam non excellitis amicos tantum diligendo, cum & ipsi amicos tantum diligant. Et infrà hoc capite: Ne sitis inquit solliciti dicentes: Quid edemus, &c. Nam omnia ista gentes exquirunt. q. d. Si de terrenis rebus, etiam necessarijs, anxij fueritis, non eritis meliores Gentibus, iam scio uos pares illis haberi nolle. Cogitate ergo quàm sit turpe si eodem diffidentiæ morbo cum illis laboraueritis. Sic & Apostolus Ephe. 2. 4. & 1 Thessa. 4. Gentium exemplo Christianos ad rectam uitæ conuersationem uocat, & à turpitudine uitæ dehortatur. Videmus itaq; hoc loco quid sentiendum sit de illis, qui usq; adeò, ubi orandum & psallendum est, multiloquio utũtur, ut nisi multos psalmos, multasq; orationes emurmurent, & sibi & alijs parum uideantur religiosi. Eant & glorientur se multum orare cum à Christo hic ethnicis comparẽtur.

¶ Deinde quid de illis dicendum, qui non ideò multiloqui sunt, ut putent se ob multiloquium suum exaudiri à Deo, sed ut prætextu longæ precationis deuorent domos uiduarum & bona Ecclesiastica egenis, & pauperibus deputata. An isti non sunt ethnicis etiam peiores? Quod enim illi peccant ex errore est. Putant se exaudiri, inquit Dominus, ob multiloquium. Ergo quod multi sunt in uerbis, ex eo est quod hoc pacto se impetraturos quæ petunt, sperant quod certè nihil habet maliciæ, sed ex errore est, quo miseri falluntur. Cum itaq; hos Christus reprobet, quo apud illum loco erunt, qui non ex errore multi sunt in uerbis, sed ex insigni illa malicia, qua quæstui & uentri non Deo seruientes, longis precationibus utũtur, ne tantillum quidem solliciti, num coram Deo quid impetrent, sed hoc tantum agentes, ut miseræ plebis substantiam uenentur, & ocio suo ac uentri conjulant?

QVA RATIONE REIICIENDVM sit ab oratione multiloquium.

Non contentus ethnicorũ exemplo, rationem etiam addit, cur uitari debeat in oratione multiloquium. Non enim confestim malum & uitandum est, quod ethnici faciunt, ne quis dicat, ethnici hoc faciunt, ergo nobis non licet. Orant ethnici, ergo nobis non est orandum. Quemadmodum non sequitur, sanctus quidam uir ita uixit, ergo & nobis ita uiuendum est. Abraham patriam suam reliquit, ergo & nobis relinquenda est patria. Patres adorarunt in montibus, ergo & nobis orandum est in montibus. Hactenus exempla nõ concludunt, sed inspiciendæ sunt rationes factorum. Ita Christus hoc loco rationem præcepti sui subijcit, dicens: 3

Nouit enim pater uester quibus rebus opus sit uobis, priusquã petatis ab illo.

Q. d. Non est mirum quod ethnici putant se exaudiri ob multiloquium. Quoniam enim Deum non cognoscunt, ideò uerum Deum etiam non adorant, sed falsos quos colunt, surdos ac mutos, & qui non omnia sciunt, quos non immeritò putant probe esse uerbis instruendos, ut sciant quid petatur: deinde & multiloquio permouendos & obtundendos (uide exemplum sacerdotum Baal, 3 Regum 18.) Vobis autem alia est orandi ratio. Habetis Deum patrem in cœlis, qui omnia nouit, etiam antequam petatis, ut non sit necesse illum multis instruere, aut tanquam durum, ut exaudiat, permouere. Notanter autem non dicit: Scit enim quid petituri sitis antequam petatis: sed quid opus habeatis, antequàm petatis. Vbi primum admonet loqui se de ea oratione, qua quæ necessaria sunt petuntur, ut locum hic non habeant, quicunq; nulla necessitate pressi orare se magis simulant, quàm reuera orant. 1

Deinde, ut in necessitatibus iam non debeamus despondere animum, ut hoc maiore fiducia oremus, quo maiore necessitate premimur, cum intelligamus non solum scire Deum quid petamus, sed & quod ijs quæ petimus, opus habeamus. Verum usque adeò deprauati sumus, ut ibi potissimum diffidamus, ubi potissimum bona debebamus fiducia paternam implorare bonitatem. Quod non dicit, mox atque modicis uerbis petieritis, sed antequam petatis ab eo. Pulchre admonet nostram necessitatem ipsam Deo patri loqui, antequam ad illum quicquã de ea referamus. Deo quippe omnia, eo ipso quod uel fiunt uel sunt, loquuntur præsertim suorum necessitates. Sic Gen. 4. Sanguis Abel ad Deum non loquebatur tantum, sed & clamabat. 2

Habet itaq; ista particula maximam consolationem. Non dicit: Nouit Deus, sed nouit pater uester, ne quis dicat: & id est quod nouit, quibus rebus opus habeo, qui omnia nouit, non in terram tantum, sed & in cœlis, 3

quem nihil usquam latet. Nunquid ideò statim opem ferret, quod qua necessitate laborem non ignorat? ut hanc diffidentiam tollat, dicit: nouit pater uester. Patri quippe satis est ad hoc ut filio succurrat, si sciat, quid illi desit. Hic non multis est opus. Qui usq; adeò bonus est, ut solem suum producat super bonos & malos, quomodo filiorum suorum curam non habebit ueram & constantem? Quod itaque dicit: Nouit enim pater uester, quid opus habeatis, non est simpliciter de eo intelligendum, quod Deus omnia nouit, sed magis ac uerius de singulari illa prouidentia Dei, qua suorum curam habet, de qua est illud: capilli capitis uestri omnes numerati sunt. De qua prouidentia Dei, planè paterna uide Psal. 104. 105. 146. 147.

Hactenus Christus suos à duobus illis uicijs auocauit, quæ à plerisq; inter orandum committuntur, hypocrisi uidelicet & multiloquio, iam consequenter & formulam precandi subijcit, utriq; uicio repugnantè. Verum antequàm illam inspiciamus, uidetur haudquaquam abs re fore, si paucis de oratione admonuero. Primum, quibus de causis orare debeamus: alterum, quid sit oratio. 3 Quis sit orandus. 4 Quando sit orandum. 5 Vbi sit orandum. 6 Qualis esse debeat oraturus. 7 Quantũ ualeat oratio iusti. 8 Quomodo sit orandũ.

Vere admonitio de Oratione

QVIBVS DE CAVSIS orandum sit.

1 Inuenti sunt postremis istis temporibus, qui dogma suscitarent inauditũ: nempe non esse orandum ad Deũ, eò quod impiũ sit aliquid à Deo petere. Dogmatis huius rationes assignarunt istas. Primam, quod Deus omnia prædestinârit ab æterno, quæ uel ipse facturus, uel alijs permissurus aut largiturus sit, ideoq; opus non esse, ut aliquid ab eo petamus: propterea quod si prædestinarit quod petimus, id alioqui sit daturus, etiamsi non petamus. Alteram, quod uoluntas Dei & prædestinatio firma sit & immota, ut flecti nequeat. Hinc argutantur ad hunc modum. Quod petimus à Deo uel est ab illo iam ab æterno prædestinatum, ut accepturi simus, uel nõ est prædestinatum. Si est, quid necesse est petere, quod alioqui accepturi sumus necessario, etiamsi non petamus? Si non est, quid proderit petere quod daturus Deus nõ est? Quomodo non est impium uelle Deum à proposito suo tanquam hominem aliquem inconstantem & mobilem ad ea danda uel facienda flectere, quæ nunquam prædestinauit? Cum ergo uel non sit opus, uel inefficax sit, ut oremus ad Deum, quid aliud relinquitur, quàm prorsus non esse orandum? Aduersus impium hoc dogma, propter rudiores, paucis ista respondemus. Ex eo, quod de prædestinatione Dei inferunt, (de qua non est hic locus disserendi) non sequitur quod impie colligũt. Dij nanq; non ideò ad Deum orant, ut faciat quæ non proposuit, aut amittat, quæ prædestinauit, sed potius omnia ad diuinam illius uoluntatem dirigũt, dicendo: fiat uoluntas tua, quemadmodum in cœlo ita & in terra. Neque statim ita inferendum est, Deus aliás est daturus, ergo non est orandus ut det, sed magis ad hunc modum. Daturus est Deus, quia bonus est, & pollicitus daturum se nobis, ideò bona cum fiducia petamus. Relictis illis, uideamus quibus potissimũ rationibus orãdus sit Deus.

Impium dogma de oratione

Quia Christus filius Dei ita nos instituit ac docuit, qui nihil unquam tradidit, quod sit uel absurdum, uel inutile uel impium. Quod autem ad orandum nos instituerit, non solum est ex illius colligendum exemplo, (nam & ipse orauit frequenter) sed cum ex iussis illius, Lucæ 11. 18. Ioan. 14. 16. tum ex promissionibus quibus exauditionem fide orantibus pollicitus est, ut præsentem orandi formam taceam. 1

Ad orandum cogit cuiusq; priuata, tum & aliorum necessitas, præsertim eorum qui sanctam ac Christiana professione dignam uitam instituunt. His enim irreconciliabile bellum est: primum contra Satanam, deinde & propriam carnis corruptionem & peruersas concupiscentias, quibus absq; cœlesti hac & spiritali πανοπλίᾳ nunquam poterunt sicuti necesse est, resistere: ob quam causam & Apostolus Ephe. 6. cum assignasset arma quædam spiritalia: nempe cingulum ueritatis, loricam iustitiæ, præparationem ad Euangelium pacis, scutum fidei, galeam salutis & gladium spiritus, qui est uerbum Dei, tandem adiungit & orationem dicens: Per omnem orationem & obsecrationẽ, orantes omni tempore in spiritu. Huc nos etiam uocant exempla Christi & omnium filiorum Dei, quibus semper in tribulationibus refugium ad orationem fuit. 2

Accedit etiam exercendæ fidei studium. Tametsi enim ea sit bonitas Dei, ut paratus sit ad dandum quæ necessaria sunt, simul tamen id exigit à filijs suis erga se fiduciæ, ut non dubitemus eum nos nequaquam deserere posse. Non solum bonus est, sed uult etiam talis à nobis agnosci, ideò non ob eam causam uult orari à nobis, ut ad dandum precibus nostris moueatur, sed ut fiduciam ac spem nostram erga se excitet & exerceat, quatenus cum oratus ea dat, quæ daturus erat aliás: alatur in nobis fides & fiducia erga ipsum, tanquam optimum patrem, discamusq; nos apud eum multa posse, aures eius ad preces nostras non esse surdas, sed patentes & expositas. Nam omnino difficile nos credimus bonitate illius accipere, quæ accipimus. Caro siquidem suspicatur omnia uel fato, uel fortuna geri nulla habita prouidentiæ diuinæ ratione. Vt igitur certo bonitatem cœlestis patris cognoscamus erga nos esse propensissimã, iubet ut se inuocemus, & huius certissimum capiamus experimẽtũ. Certè qui iubet ut petamus, iam antequàm petamus paratus est, ut det. Cur ergo uult ut petamus, quàm ut agnoscamus ipsum esse, qui omnia det, quiq; necessitatum nostrarum rationem habeat? Potissima salutis nostræ ratio est, ut Deum patrem nostrum cognoscamus, & amemus ac totos nos illi permittamus, fidemq; in omnibus habeamus, & nusquam non gratis simus. At huc omnino necessarium est, exercitium hoc inuocandi nominis eius. Nemo enim sine illo unquàm experietur, quàm uerum sit quod Apostolus de Deo dicit: quod diues sit super omnes qui inuocant eum. Et quod saluus futurus sit, quisquis nomen Domini inuocauerit, Roman. 10. 3

Et ipsa

4 Et ipſa quoque amoris erga Deum natura, deinde alendi quoq;, & alendi ipſius ratio orandi exercitio carere non poterit. Natura ſiquidem amoris ita eſt comparata, ut plurimũ affectemus cum eo, quem amamus, colloqui, ita ut amanti nihil queat accidere optatius, quàm ſi liceat ei loqui, quem amat. Atq; iſte amoris affectus ita eſt iuxta amoris uehementiam ardens & fortis, ut citius etiã mortis ſubeatur periculum, quàm ut quod Dan.6 ille affectat, nõ tentetur. Exemplo ſit propheta Daniel. Hic cum à Rege Perſarum admodum amaretur, eſſetq; in ſummos euectus honores, nec inimici uiam inueniret, qua illum perderet, niſi impetrato à Rege decreto, quo caueretur ne quiſquam uel à Deo uel ab homine intra 30. dies, ſolo rege dempto, aliquid peteret: qui uerò tranſgrederetur in lacum leonũ abijceretur. Quod non dubitarent eum hoc Regis edictum non ſeruaturum, maluit uitæ incurrere periculum, quàm orandi ad Deum conſuetudinem infringere. Quantulum quæſo erat 30 dies abſtinere à conſuetudine orandi? Non amanti uidelicet, facillimum fuiſſet, at impenſe Deum amanti erat impoßibile. Deinde & amoris hoc eſt ingenium, ut colloquio alatur & cõfirmetur, imò & augeatur, quẽadmodum uicißim ἀπροσηγορία extinguitur ac diſſoluitur. Omnino enim quod ligna ſunt igni, hoc amori eſt colloquendi conſuetudo. His puto rationibus nemini non patet, ſi recte conſiderentur, ſummo ſtudio exercendam eſſe orandi ad Deum conſuetudinem.

QVID SIT ORATIO.

2 Nemo, opinor, ita eſt abſurdus, qui non intelligat, orationem non eſſe ſtrepitum illum labiorum, cui cordis nõ aſtipulentur affectus, nec orationem dici debere, ſi quiſquam aliorum ſanctorum uirorum orationes legat & emurmuret. Eſt enim oratio, quæ ad Deum penetrare poßit, anguſtiati cordis affectus, gemitus & ſuſpiria, quibus auxilium à Deo imploratur, etiamſi nihil interim audiatur uerborũ. Cuius exempla ſunt in Moſe Exo. 14. & Anna matre Samuëlis, 1 Sam. 1. Requiruntur ergo ad ueram orationẽ: primum ut in ſpiritu, deinde ut in ueritate oremus, propterea quod Deus ſpiritus eſt, & tales adoratores quærit Ioan. 4. Mentis exigitur ſynceritas, & talis applicatio, quæ uerbis omnino reſpondeat, imò ut mens ipſa gemat, precetur et omnia agat interne, quæ foris & aguntur & dicuntur. Quid ergo eſt quæſo illorum non oratio, ſed orationis ſimulatio, qui non ſolum ijs quæ dicunt ore, corde nõ afficiuntur, ſed nec ipſa uerba attendunt, imò ne plene quidem proferunt, ſed abrupte & truncatim omnia præcipitãt? De his recte dicetur illud: Populus hic labijs me honorat, cor aũt eorum longè eſt à me infrà cap. 15.

QVIS SIT ORANDVS.

3 Quoniam non poteſt adflicto prodeſſe quicquam, ſi anxie gemat, & precetur, niſi ſit qui audiat & adiuuet, non eſt minimi momenti cognoſcere, ad quem ſit orandum adflictis. Plurimum gratificaberis ægroto, ſi quem debeat implorare medicum: item et homini egeno, ſi quem nõ ſit fruſtra imploraturus diuitem aliquem oſtenderis. Quomodo non bene de genere humano merentur, qui quem debeamus in tribulationibus inuocare ſeruatorem ac liberatorem certo oſtendunt? Conſideremus itaq;, rudiorum gratia, quis nam ille ſit, uel in cœlo uel in terra, quem inuocare et poßimus & debeamus. Vt hunc inueniamus, age excutiamus quàm ſimpliciſſime, quid ad id requiratur, ut in neceßitatibus quiſquam poßit inuocari. Sunt enim omnino quædam ad hanc rem ita neceſſaria, ut non ſolum ſi omnia ſimul, ſed & ſi ſingula deſint, planè efficiant, ut fruſtra inuocemus. Quæ nam ſunt illa?

Primum eſt, ut qui inuocatur iuuare poßit. Vt quid 1
enim inuocabitur, qui ea non eſt præditus potentia, ut iuuare queat?

Alterum eſt, ut & iuuandi gnarus ſit. Niſi enim hoc 2
ſit, nihil proderit ulla potentia. Inuenias autem ſæpenumero qui licet multa poßint, ſcientiã tamen iuuandi & ſeruandi ſuos non habeant.

Tertium eſt, ut non poßit ſolum & ſciat, ſed etiam 3
inuocantem ſe iuuare uelit. Alioqui quid proderit adflictio cuiuſquam uel potentia uel ſcientia, niſi adſit, & iuuandi uoluntas.

Quartum eſt, ut talis etiam ſit, ad quem preces mi- 4
ſerorum pertingere queant. Alioqui fruſtra clamabitur ad eum, qui quoniam ignorat quid petas, utpote nõ audiẽs, iuuare nõ poterit, utut potẽs gnarus & beneuolus.

Quintum eſt, ut non ex precibus tantum miſero- 5
rum intelligat, qua re opus habeant, & quomodo ſint iuuandi, ſed & pro ſua prudentia plus intelligat, quàm ipſi querantur. Quis enim tuto ſe committet ei medico, qui nihil poterit amplius de morbo cognoſcere, quàm quantum ex ægroti relatione intelligat? Ecce quinq; iſtæ conditiones in eo requiruntur neceſſario, qui ſit in tribulationibus inuocandus. Iam detur aliquis ſiue in cœlo, ſiue in terra, qui uniuerſa hæc habeat, & certum erit eum ipſum eſſe ab omnibus inuocandum. Quis autem talis eſſe poteſt niſi ſit omnipotens, omniſcius ſumme beneuolus, quoſuis ad ſe clamãtes, audiens, & melius quibus rebus opus habeamus intelligẽs, quàm nos ipſi ſignificare queamus? quis ille eſt, niſi uerus ille & unicus Deus? Neq; enim dabis aliquem uel ex angelis uel ex hominibus in quem iſta competant, niſi angelus uel homo Deus eſſe poßit. Relinquitur ergo neminem eſſe niſi ſolum Deum in tribulationibus inuocandum. Is enim ſolus eſt אֵל שַׁדַּי, Deus omnipotens, cuius ſpiritus conſilij ſpiritus eſt, ut ſciat ſuos eripere, 2 Petri 2. uſq; adeò bonus, ut & adflictos ad ſe uocet ultro, & opem inuocantibus polliceatur, dicens: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & non ſolum uerba noſtra, ſed & deſideria cordium noſtrorum nuſquàm non præſens audiat, & in ſumma, defectum operis ſui quod fecit, plene cognoſcat.

Hinc ſunt illa Eſa. 43. Ego ſum, ego ſum, & non eſt abſque me Saluator. Et cap. 45. Deus iuſtus & ſaluans non eſt præter me. Et cap. 46. Ego feci, ego feram & portabo & ſeruabo. Quis ſanctorum uel ex angelis uel ex hominibus, poteſt iſta de ſe prædicare? Et ſi prædicauerit, quis uerè piorum poteſt credere?

Et ea ipsa quæ Christus nos orare docuit, satis exprimunt, non esse inuocandum nisi unum Deum patrem nostrum cœlestem. Ad quem sanctorum dicemus: Pater noster qui es in cœlis? Ad quẽ sanctorũ sine blasphemia, dicemus: Sanctificetur nomen tuũ, adueniat regnũ tuũ, fiat uoluntas tua, sicut in cœlo & in terra? Cui sanctorũ dicemus: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie? Et illud: Remitte nobis debita nostra. Item: Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Et quod in fine subditur. Quia tuum est regnum, & gloria, & potentia, in secula, amen? Quomodo non intelligimus uel ex Dominica hac orandi formula, credentibus in se à Christo præscripta, neminem esse inuocandum in tribulationibus, ut à malo nos liberet, nisi eum cui reliqua quoque conueniant? Cur adimimus hanc cœlesti patri gloriam, quæ nemini præter ipsum potest competere? Esa. 43. dicit: Omnem qui inuocat nomen meum in gloriam meam, creaui eum, formaui eum, & feci eum. Expendant ista, qui mortuos sanctos & angelos inuocant.

Obijciet quispiam. Si sancti non sunt inuocandi in necessitatibus ob eam causam quod iuuare nequeant, et solus Deus inuocandus est, quod ille solus iuuare queat, quomodo tam sunt multi per sanctorum inuocationem à morbis grauissimis, & periculis alioqui ineuitabilibus, non sine magnis & stupendis miraculis liberati, quod omnino negari non potest, & adhuc hodie ad eorum memorias ipsa uisuntur liberationis insignia? Hic per S. Nicolaum ex aquis, ille per S. Leonardum ex uinculis, alius per alium ex igne liberatus est: sunt qui cum claudi essent, ope sanctorum soliditatis membris curati, alij ex febre, alij ex peste, alij à dæmonio liberati sunt. Cum ergo & sancti inuocantes se iuuent, quare non inuocarentur?

Respondeo: Causa hæc, frater diligenter, & ut Christianos decet, adhibita uerbi Dei luce, est inspicienda. Reddet unusquisq; pro se rationẽ Domino. Dicam pro mea fide Ecclesia electorum iudicet. Si miraculorum argumentum sanctorum inuocationem, & cultum defendere potest, ut quæ præmissa sunt taceam, defendi eodem quoque potest & Gentium idololatria, quando quidem & ad Deorũ gentilium implorationem miraculose curati sunt, & liberati plurimi: unde & mota est Gentilitas, ut arbitrata sit Deos esse, qui se inuocantes, & colentes iuuarent. Iam omnino constanter per Esaiam Dominus dicit: Ego sum, ego sum, & præter me non est Saluator. Si præter unum ac uerum Deum non est Saluator. Responde frater, cuius nam uirtute tot millia ægrotorum, & adflictorum ad idola Gentium sanitati putes esse restituta.

Respondebis absque dubio curationes eas factas esse opera Satanæ. Potest ne Satan curare & saluare, cum non sit Deus? Potest, si permittat Deus, apud eos quos tyrannidi suæ subiectos habet: quorum oculos ita fascinauit, ut putent esse se ueros ueri Dei cultores, atque ab ipso uero Deo iuuari. Tam enim spiritus ille malignus male audit, ut cognitus nequaquam inuocaretur. Præstringit ergo mentes infidelium quibus dominatur, ut nihil putent se minus implorare quàm diabolum, & à nemine minus curari quam à diabolo. Vt uerò lateat callidissimus impostor, permissione diuina & iusto iudicio Dei, fallit, quos subiectos habet, omnia agens & tentans, ut mentes mortalium à cultu ueri Dei auocet, ut habeat socios æternæ pœnæ. Ob eam causam in statuis & simulachris delitescunt spiritus illi maligni, & afflatu suo uatum pectora inspirant, oracula componunt, sortes regunt, auium uolatus gubernant, uitam turbant, somnos inquietant, irrepentes corporibus occulta mentis terrent, membra detorquent, ualetudinem frangunt, morbos lacessunt, ut ad cultum sui cogant, & remissis quæ constrixerant, curasse uideantur. Hæc est enim illorum medela, cum cessat ipsorum iniuria. Vide Cyprianum tract. 4. de uanitate idolorum. Hæc omnia fiunt ad inuocationem Deorum gentilium. Putabit ne igitur quisquã sanæ mentis, istam idololatriam uirtute miraculorum defendi posse? 2 Corin. 4 2 Timo. 2

Sed dicis: Facta sunt hæc apud Gentes, quorum Dij non Dij sunt, sed dæmonia, idq; ex permissione diuina, propter idololatriæ impietatem, qua tenebantur. Verum non hinc sequitur, id etiam fieri in populo Dei.

Respondeo: Quod etiam in populo suo Deus Satanæ talia permittat manifestus locus est Deut. 13. in quo uidemus Deum tentandi gratia miraculorum uirtutem permittere falsis prophetis, ut probetur ipsius populus, qua sit erga ipsum dilectionis synceritate & constantia. Et ne rursus obijcias, factum id esse in populo circumcisionis, secus esse in Ecclesia Christianorum, habetur insignis Apostoli prophetia 2 Thessa. 2. ubi sic legitur: Tunc patefiet iniquus ille, quem Dominus conficiet spiritu oris sui, & abolebit claritate aduentus sui, cuius est aduentus secundum operationem Satanæ, cum omni potentia & signis ac prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniustitiæ, in ijs qui pereunt, pro eo quod dilectionem ueritatis non receperunt in hoc, ut salui fierent. Et propterea mittet illis Deus efficaciam illusionis, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes, qui non crediderunt ueritati, sed approbauerunt iniustitiam &c. Ecce signa & prodigia etiam nouissimis temporibus regno Antichristi deputata, quæ nemo dubitet, ut ad seducendum instructa sint, etiam morbos corporum auferre. Huc pertinent & illi de quibus infrà capite sequenti audiemus, qui dicturi sunt in nouissimo die: Domine Domine, nónne per nomen tuum prophetauimus, & per nomen tuum dæmonia eiecimus, & per nomen tuum multas uirtutes præstitimus: quibus tamen Dominus respondebit, nunquam noui uos: Discedite à me, qui operamini iniquitatem. Ex his itaque puto satis patet, non solum in Gentibus & Iudæis, sed & in Christianorum Ecclesia diuina permissione factum esse & fieri etiamnum, ut per inuocationem eorum qui Dij non sunt curati sint, & curentur morbidi: unde tamen nemo debeat colligere, quod licitum sit præter Deum etiam creaturas in tribulationibus inuocare. Miracula illa tam non

excusant

excusant sanctorũ inuocationem & cultum, quàm prolis conceptus, & generatio adulteriũ & scortationem non excusant: utut reuera miraculum sit, quòd infans in utero materno concipitur, alitur, & nascitur, & tale miraculum, quòd omnino ac sola diuina uirtute perficiatur. Qui panem furatur, si illo uescatur stomacho laborantis satisfacit & corpus pascit, cum tamen uirtus illa pascendi corpus sit omnino solius Dei. Excusabimus ne ideò scortationem, adulteria & furta? Nequaquàm. Quomodo igitur sanctorum inuocatio, quam uniuersa scriptura reijcit, argumento miraculosæ operationis, excusari poterit? Itaq; quòd dicis frater: Quare non inuocem sanctos, cum uideam multos per hanc curari, & è periculis liberari? perinde est, ac si scortator dicat: quare non adhæsero scorto, cum ex illo æque tollam liberos, atq; è legitima coniuge? et qui furatur, quid opus est laborare, cum furto queam occurrere fami? Sicut ergo illicitum est adulterio, & scortatione quærere sobolem, licet etiam hac uia acquiratur, & furto corporis consulere necessitatibus. Vtuc illo multi uiuant, sed boni uiri est ac honesti, coniugio legitimo posteritatem & labore quærere uictum: ita omnino Christiani & pij hominis est, in quibuscunq; tribulationibus constitutus sit, non illicita sanctorum uel hominum uel angelorum, sed pia & fidelia unius ac ueri Dei inuocatione salutem quærere, utut multi prohibito sanctorum cultu corporum curationem inueniant. Et quemadmodũ uir honestus mauult carere prole, quàm scortatione illam quærere, & citius famis & paupertatis tolerat molestiam, quàm ut furto rebus suis consulat: ita planè uerè pius & Christifidelis quasuis potius ferat adflictiones, quàm ut prohibita sanctorum inuocatione liberationem & curationem quærat.

Præter has rationes sunt et aliæ multæ, quibus intelligimus illicitam esse cuiusuis, præter unius Dei, inuotionem. E quibus sunt istæ. Prima, quòd inuocatio fieri non potest sine fide. Fides autem Christianorum aliunde non est, quàm ex prædicatione Euangelij, nec aliò tendit, quàm in patrem cœlestem per Christum Iesum seruatorem & unicum mediatorem. Rom. 10. dicit Apostolus: Quicunq; inuocabit nomen domini saluus erit. Quomodo inuocabunt eũ, in quem non credunt? Quomodo credent ei, de quo non audierunt? Quomodo audient sine prædicante? Quomodo autem prædicabunt, nisi missi fuerint? Sicut scriptum est: Quàm speciosi pedes annunciantium pacem, annunciantium bona? At non omnes obediunt Euangelio. Esaias enim dicit: Domine, quis credidit sermonibus nostris? Ergo fides ex auditu est, auditus autem per uerbum dei. Hæc Apostolus. Quæso, quid poterit de inuocatione Christianorum clarius tradi? Quis non uidet, unde illa sit? Quomodo inquit inuocabunt eum, in quem non credunt? Ergo sine fide non potest esse uera inuocatio. Deinde, ut intelligas de qua fide loquatur, & hanc describit, unde sit, ut cognoscamus illius etiam qualitatem & fiduciam. Ostendit eam esse ex prædicatione Euangelij, pacem, ac bona annunciantis. Respondè frater. Quæ est illa Euangelij prædicatio, unde fides oritur, non in Christum, sed in Sanctos? & quæ fiduciam parit inuocandi, non patrem nostrum cœlestem per Christum, sed Sanctos? Qui miracula Sanctorum prædicarunt, si prædicassent Euangelium Christi, prædicassent simul non Sanctorum inuocationem & cultum, sed unius patris nostri per mediatorem Christũ Iesum. Rogetur Christianus, in quem credat, in quem sit baptizatus, cui nomẽ dederit, quem habeat patrem, quem mediatorem ac seruatorem. Cur discrepat à fide, & professione religionis Christianæ ipsa inuocatio, cum non sit aliud quicquàm, quod æque arguat, Christiani ne simus, aut secus?

Altera ratio est, ingenium amoris utriusq;, cum quo diligimur à deo patre in Christo, tum quo illum uicissim dilugere iubemur. Pater noster cœlestis, quia nos diligit, uult & exigit, ut se inuocemus in tribulationibus, nec ferre potest, ut se neglecto inuocemus alios. Vt enim postulat, ut sibi fidem habeamus, & optima quæq; de se sperem us, ita etiam postulat, ut in aduersitatibus ad se confugiamus. Deinde & nos uicissim, si illum diligimus, non poterimus præter ipsum inuocare quenquàm, uel angelorum uel hominum. Cui nam potius de rebus nostris adflictis queremur, quàm patri nostro, quem unicè diligimus? Et reuera, quemadmodum fides in Deum, ita & dilectio nunquàm poterit ritè plantari, nisi neglecta Sanctorum inuocatione, patrem nostrum cœlestem implorare cœperimus. Nam ita comparati sumus, ut eos præ cæteris diligamus impensius, quos arbitramur rebus nostris adflictis præ cæteris succurrere & auxilium implorantibus non negare. Videmus fieri, ut ancillæ, quoniam liberorum herilium petitis morem gerunt, ipsis plus diligantur parentibus. Quàm id molestè ferat animus paternus, norunt qui sunt experti.

Tertia ratio est, propositum illud paternæ castigationis, qua nos erudit, & auersos ad se reuocat cœlestis pater. Virga disciplinæ Dei, qua peccata nostra ulciscitur, et errantes corrigit, non hoc agit, ut fidem ac fiduciam nostram erga illius bonitatem abijciamus, & creaturarum auxilium imploremus: sed ut agnitis delictis nostris resipiscamus, & ad uiam reuersi humiliemur, humiliati gratiã patris nostri ambiamus, et opem illius imploremus. Quàm ad hunc scopum male collimant, qui Christianis filijs Dei, ubi in tribulationibus sunt, & uirga paterna castigantur, non patris nostri, sed sanctorum inuocationem consulunt. Quis paterfamiliâs huiusmodi seruum ferat in ædibus suis, qui quos ipse erudit & castigat, & ob id castigat, ut sibi coniunctiores, & de prouidentia sua & fide erga eos certiores reddat, opem doceat implorare extraneam, cum ipse omnibus sit horis paratus, ut resipiscentibus, & remissionem delictorum petentibus, ignoscat, nec quisquàm sit, qui illis melius uelit, & salutem ipsorum propensius curet? Quomodo Christianus præstare non poterit, quod uidemus minutos illos & abiectos præstare catellos, qui quãuis irato & uerberanti hero humillima & supplici submissione, iram deprecantes adrepunt.

Quarta ratio est, quòd inuocatio & cultus nullo

modo separari possunt. Nequit enim fieri, ut non colamus quem bona fiducia in necessitatibus inuocamus, & à quo nos adiutos esse credimus. Atq; inde est, quòd & Gentes Deos suos quos inuocarunt simul & coluerunt, & Christiani quoq; sanctis cultum exhibent, quos inuocant. At quomodo id Christianis non competat, satis indicat dictum illud Christi: Dominũ Deum tuum adorabis, & illum solum coles. Imò si cultum Dei rectè expendas, inuenies potissimũ illius partem esse inuocationem, id quod Psal. 50. satis dilucidè uidemus expressum. His opinor rationibus Christiano homini non contentioso satis manifestũ est, quàm non liceat nobis in tribulationibus inuocare quenquàm, nisi unũ Deum, patrem nostrum cœlestem, idq; per Christum Iesum.

At rursus obijcis ac dicis: Sanctos non inuoco tanquàm Deos aliquos, sed uelut mediatores et intercessores, ut pro nobis orent apud Deum.

Respondeo. Ita fidei nostræ defectum excusamus frater. Cur non oras ad ipsum deum patrem nostrum? Peccator sum inquis. Peccatores autem Deus non exaudit, exaudit uerò eos, qui uoluntati ipsius obediunt, Ioh. 9. Si peccator es, primũ habes id commune cum omnibus mortalibus. Deinde, aut de pœnitentibus es, aut de impœnitentibus. Sunt enim omnes peccatores hoc discrimine separati, quod alios delictorum pœnitet, alios non pœnitet. Si de pœnitentibus es, quomodo contra uniuersam scripturam putas pœnitentibus Deum esse inexorabilem? Vide Psal. 103. 145. Ezech. 18. Si pœnitentibus non est orandi locus apud Deum, quomodo docuit nos orare Christus. Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Deinde, si pœnitentes non audit Dominus, audiunt uerò et miserantur sancti, ergo misericordes sunt sancti, & misericors non est Deus? Debebat igitur scriptura non Dei nobis, sed sanctorum commendare misericordiam. Absit blasphemia ista, ut Deo auferamus misericordiam, & demus sanctis, quorum nemo saluatus est, nisi per gratiam & misericordiam Dei. Si uerò de impœnitentibus es, mirum uideri non debet, quòd nulla præditus es ad Deum orandi fiducia: scis enim ipse indignos esse tales, qui orantes exaudiantur. At nirum planè est, quomodo putes sanctos usq; adeò discrepare à Deo, ut quos ipse impœnitentes non audit, ipsi audiant, nec audiant tantum, sed pro illis etiam ad Deũ intercedant. Quomodo non uides, quam contumeliam facias & sanctis, & Deo: Sanctis, quòd tales eos esse iudicas, qui peccatorem impœnitentem ad se clamantem audiant, & pro ipso ad Deum intercedant: Deo, quòd putas eum tales intercessores pro tali peccatore admittere?

At interim, inquis, scriptum est Ioh. 9. Quòd peccatores Deus non exaudiat. Possum tibi frater Augustinum obijcere, cuius de hoc loco hæc uerba leguntur, lib. 2. contra epistolam Parmeniani capite 9. Hoc à domino, inquit, non est dictum, sed ab illo, qui oculos corporis iam quidem restitutos habebat, sed ei oculi cordis nondum patebant, unde ipsum dominum adhuc Prophetam putabat. Nam eum postea cognitum Dei filium adorauit. Ipse autem dominus, cum in uno templo orarent Pharisæus & publicanus. Publicanum confitentem peccata sua, magis iustificatum dicit, quàm Pharisæum iactantem merita sua. Quanquàm enim iustificatus desitterit esse peccator, tamen ut iustificaretur peccator orabat, & peccator confitebatur, & exauditus iustificatus est, ut desineret esse peccator. Non utiq; desineret esse peccator, nisi prius exaudiretur peccator. Hæc ille Aug. Quæ ut dixi, obijcere possum, uerum non est opus hoc loco sancti uiri huius patrocinio. Permittamus uerum esse, quòd cæcus peccatores à Deo non exaudiri dixit, sed eo sensu quo dixit. Expende quomodo hoc & contra quos, & de quo peccatorum genere dixerit. Pharisæi de Christo dicebant: Non est hic homo à Deo, quia Sabbatum non custodit. Et: Nos scimus, quod hic homo peccator est. Quibus uerbis huc luctabantur, ut gloriam & miraculum illuminati cæci Christo adimerent, tanquàm insigni peccatori, & Dei & legis ipsius peculiariter inimico, nullam Sabbati religionem habenti. Cõtra reluctabatur cæcus ac respondebat. Nos uicissim scimus, quòd peccatores (hoc est, tales peccatores, qualem uos hunc facitis.) Deus non exaudit. Intellige, ad rerum tam præcipuarum & mirabilium patrationem deus hominem ita insigniter impium non exaudit. Ideò subdit: A seculo non est auditum, quòd quis aperuerit oculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo non potuisset facere quicquàm. Hoc uidelicet sensu dictum est à cæco, quòd peccatores Deus non exaudiat: quæ uerba si quisquàm uolet in genere de quibuscunq; peccatoribus intelligere, quantam quæso faciet, & sacræ scripturæ & diuinæ gratiæ iniuriam? Nihil itaq; loci hic habent, qui Sanctorum inuocationem in contumeliam cœlestis gratiæ postremis istis temporibus tanta pertinacia tuentur.

Sed rursis dicis: Esto sit ita. Quid tamen nocebit, si sanctos, ut intercessores inuocem? An non uidemus in aulis principum, quid præcipuorum uirorum patrocinium posit? Exempla sunt etiam in scripturis. Beerseba pro Adoniah apud filium Salomonem intercedit. 1. Reg. 2. Et Abshalon patri per interceßionem Ioab reconciliatur. 2. Sam. 14.

Respondeo. Quòd in aulis principum miseris opus est, ut bonos habeant patronos, causam habet, quæ si & in conspectu Dei deprehenditur, ualebit hæc ratio cum suis exemplis. Dic quæso, quare præcipuorum uirorum patrocinio in aulis principum opus habent miseri? In promptu causa est. Quia principes, uel ita sunt serioribus occupati, ut nequeant statim quemuis audire subditum: uel eo sunt fastu, ut pauperum accessum auersentur: uel pauperes usque adeò sunt ignaui, ut aut nesciant, aut præ pudore non ausint causas suas principibus exponere, ut necesse habeant eorum patrocinio, qui principes, quid petatur, quidq; in causa sit, uel non sit, instruant. Et ob hanc causam usus aduocatorum inoleuit. Non enim poterit princeps miserorum causas cognoscere, nisi ritè exponantur. Expende nunc, an hæc causa, & in Deo locum habeat. Quis ita demens est, ut Deum dicat, uel negociorum

multitudine

multitudine impediri, ne miserorũ ad se clamantiũ quæ relas, & imploratione audiat, uel eo esse fastu, ut miseros auersetur, eximios uerò admittat, uel miserorum causas non cognoscat, nisi diligenter & exactè omnia exponantur? Quæ, quæso frater, sunt istæ ineptiæ? Qui ista obijciunt, quam quæso ineptè de Deo sentiunt? Vide quid Ambrosius ad Rom. cap. 1. dicat. Nunc ideò, inquit, ad regem per tribunos & comites itur, quia homo utiq; est rex, & nescit, quibus debeat Rempub. credere. Ad Deum autem promerendum, quem utiq; nihil latet (omnia enim merita nouit) suffragatore non est opus, sed mente deuota. Hæc ille. Quod attinet ad historiam Adoniæ & matris Salomonis, respondeo.

Ambro.

Primum, Adonias non erat corde erga Salomonem recto, propter regni ambitum, alioqui non fuisset illi periculosus ad regem fratrem accessus. Deinde ipsa historia declarat, intercessionem matris Salomonis, qua filium pro Adoniah interpellauit, non solum non esse acceptam à Salomone, sed male quoq; Adoniæ cessisse, atq; exitium tulisse.

Ad historiam Abshalonis, & intercessione Ioab, sic respondeo. Quòd Abshalon per se ipse patrem non accessit, non sine ratione fuit. Primum, Cor eius non erat rectum erga patrem. Siquidem ambitione regni laborabat, quod postea patuit: ideoq; quia non erat affectu filij erga patrem, neq; uerè pœnitebat: deinde, quia sciebat animũ patris erga Ammon fuisse propensissimum, ut non dubitaret illum grauissimè læsum, non audebat in illius prodire conspectũ. Quòd uerò Dauid illum ad suum nolebat admittere conspectum, humanorum erat affectuum, quibus plurimum in ea causa propter filium Ammon indulgebat, qui certè ad Deum referri non debent, nisi uelimus uniuersam scripturam seductionis, & mendacij condemnare. Quòd etiam per Ioab reconciliatus filio negabat accessum, indicium erat seruati adhuc in corde rancoris. At reconciliatio illa, qua Deo patri resipiscentes reconciliamur, plena est & absoluta. Nihil enim illi gratius est, quàm conuersio filij redeuntis ac resipiscentis. Ita clamat per Esaiam cap. 55. Derelinquat impius uiam suam, & uir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad dominum, & miserebitur eius: & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Non sunt enim uiæ meæ, ut uiæ uestræ. Hic igitur affectus in Deo longè alius est, quàm exemplum hoc Dauidis habet, hominis lugentis, & ultionem tam cupidè quærentis. Quando putas dixisset Dauid: Derelinquat Absalon maliciam suam, & reuertatur ad me patrem suum, et miserebor eius, quoniam multus sum ad ignoscendum.

Sed quæso, quare non magis, si historiæ illæ humanarum rerum ita placent, exemplum Semei adducitur, qui per se ipse absq; ullo intercessore, ad pedes Dauidis, contra quem uehementer peccauerat, humiliter ueniam petens prouoluebatur. 2. Samuelis 9. Item, quomodo contemnitur exemplum filij prodigi, Lucæ 15. à Christo nobis propositum?

Sed esto, omnino opus sit intercessore aliquo, quomodo contenti non sumus mediatore Christo? Vnus, inquit Apostolus, Dei & hominum est, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. 1. Timo. 2. Verum est inquis, unus est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. At hoc intelligendum est de redemptionis mediatione. Cæterum intercessores ad Deum multi sunt.

Respondeo. Quòd Christus redemptor noster est, non eò debet rapi, ut non simul agnoscatur pro intercessore nostro ad patrem. Imò hoc magis debemus eum agnoscere pro intercessore nostro perpetuo. Si enim, ut inquit Apostolus, cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est, multo igitur magis nũc iustificati in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum. Et hoc est quod 1. Ioh. 2. legimus: Filioli mei, inquit, hæc scribo uobis, ut non peccetis. Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propiciatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. Debebat dicere, intercessores habetis sanctos, hos inuocate. Non intelligis frater uirtutem sanguinis Christi, & sacerdotij illius perpetuitatem, de quo Ebre. 7. qua semper uiuit in cœlis, & uultui Dei apparet, ut interpellet pro nobis. Sanguis Christi, ut nos redemit in cruce, & peccatis purgauit, ita perpetuo in cœlis sacerdotio pro nobis fungitur: nunquàm non intercedens pro resipiscentibus, & peccatorum remissionem apud patrem cœlestem obtinens, ac simul omnia quæcunq; necessaria nobis sunt impetrans, ut rectè purior Ecclesia omnibus precationibus adiunxerit illud, per Christum Iesum dominum nostrum.

Proinde desipiunt illi plurimum, qui hìc obijciunt ac dicunt: Cum Christus sit iudex à Deo constitutus, quomodo potest noster esse mediator? His respondeo. Primum, oportet distinguere inter tempus gratiæ, & tempus iudicij. In tempore gratiæ Christus sacerdos & mediator est unicus, inter Deum & homines, id quod copiosè in epistola ad Ebreos declaratur. Tempore uerò Iudicij, iudex aduenient uiuorum & mortuorum. Deinde, distinguendum est inter electos credentes, & reprobos incredulos. Electorum est saluator & mediator, reproborum uerò est iudex. Neq; enim omnino omnes in iudiciũ uenient, sed reprobi tantum. Hoc est, non condemnabuntur per Christũ iudicem, nisi tantum reprobi & increduli. Sic Christus ipse Iohannis 5. dicit: Amen amen dico uobis, quia qui uerbum meũ audit, & credit ei, qui misit me, habet uitam æternam, & in iudicium non uenit, sed transiet à morte in uitam. Et Ioh. 3. Non enim misit Deus filium suum in mundum ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. Qui credit in ipsum non iudicatur. Qui autem non credit in eum iam iudicatus est: quia non credit in nomen unigeniti filij Dei. Et Ioh. 12. Si quis audierit uerba mea & non custodierit, ego non iudico eum. Non enim ueni, ut iudicem mundum, sed ut mũdum saluum faciam. Qui spernit me, & non accipit uerba mea, habet qui iudicet ipsum. Sermo quem loquutus sum ille iudicabit eum in nouissimo

in nouißimo die. Patet ex his locis Chriſtum, donec in hoc ſacerdotio eſt, & in throno gratiæ ſedet, non fungi iudicis, ſed ſacerdotis ac mediatoris officio: deinde credentes liberatos eſſe à iudicij diuini ſeueritate, qua mundum Chriſtus in die iudicij iudicabit. Ineptum igitur eſt, quòd iſti obijciunt. Sunt itaq; ſcripturæ iſtæ diligenter obſeruandæ, quæ nobis ſacerdotium Chriſti exponunt, ut Rom. 8. Qui ad dexteram patris eſt, & interpellat pro nobis. Et Ebre. 7. Hic autem, quia manet in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium, unde & ſaluare in perpetuum poteſt, accedentes ad Deum per ipſum, ſemper uiuens ad interpellandum pro nobis. Et Ebre. 9. Non enim introiuit in ſancta manufacta, ſed in ipſum cœlum, ut appareat nunc uultui Dei pro nobis. Ideò hortatur nos Apoſtolus Ebre. 5. ut ad thronum gratiæ accedamus. Tenendum itaq; eſt, ita Chriſtum conſtitutum eſſe iudicem, ut non ſolum iudiciariam in illo poteſtatem, ſed et ſacerdotalem mediationem, & thronum gratiæ conſideremus, uideamusq;, ut ſimus de credentibus, quibus uia eſt per ſanguinem eius aperta in ſanctum ſanctorum, & thronum gratiæ omnibus adflictis à patre propoſitum.

Non eſt autem putandum, quod Chriſtus flexis genibus, & expanſis ad patrem manibus humano more pro nobis intercedat. Abſint humiles illæ, & pueriles cogitationes. Pro nobis interpellat, quia ſanguis eius melius pro nobis clamat, quàm ſanguis Abel. Meritum ſanguinis eius ſemel in cruce pro nobis effuſi, æterni habet teſtamenti & ſacerdotij confirmationem, in quo ad patrem clamantes, exaudimur. Et ipſe ſpiritus ſanctus interpellat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus, quando nos ad orandum mouet. Miror autem uehementer, quis ſit ille ſpiritus, qui mentes adflictas non ad patrem cœleſtem, ſed ad mortuos ſanctos ſupplices dirigit, cum ſpiritus ſanctus corda credentium ad Deum gemitibus inenarrabilibus ſuſpirare faciat. Sed hactenus de mediatione Chriſti dixerim, quæ una debebat nobis abunde ſatis eſſe, ſi ſacerdotiũ illius intelligeremus.

Rurſum autem hic obijcis. Si ſancti non ſunt inuocandi, quod aut nobis ad Deum opus non eſt interceſſore: aut quod ſolus Chriſtus mediator noſter eſt ad patrem: ergo non licebit nobis, ut alius pro alio oret etiam in hac uita, ut fruſtra ſit illud à S. Iacobo ſcriptum: Orate alius pro alio, ut ſaluemini. At nemo unquam uſq; adeò inſaniuit, ut hoc diceret. Itaq; ſi alius pro alio in hac uita pie poteſt ad Deum orare, quid prohibet, quò minus & ſancti in cœlis pro nobis intercedant?

Reſpondeo. Quæcunq; hactenus ſunt dicta, unum hoc agunt, ut intelligamus acceſſum nobis eſſe ad patrem noſtrum in tribulationibus orandi, idq; per mediatorem Chriſtũ Ieſum. Iſti propoſito non repugnat oratio illa, qua in hac uita ex charitate fraterna alius pro alio orat, repugnat autem doctrina illa de inuocandis ſanctis mortuis. Non dicit Iacobus: Orent quidam pro reliquis, ſed: Orate alius pro alio, ut ſaluemini. Quibus uerbis quæſo, quid aliud exigit, quàm eam erga patrem noſtrũ cœleſtem per Chriſtum fiduciam, & talem inter nos charitatem, qua quiſq; & aliorum afficiatur miſeriis, & bona fiducia ſalutem illorum Deo patri commendet, id quod & ipſa orandi forma, quam dominus hoc capite præſcribit, à nobis requirit, cum inſtruit, ut dicamus: pater noſter, da nobis, remitte nobis, ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Omnino hæc oratio, qua uiui alius pro alio oramus, primum fiduciam orandi ad Deum patrem noſtrum requirit, & tam abeſt, ut acceſſum illum ad Deum per ſanguinem Chriſti nobis patefactum, occludat, ut hunc magis aperiat: deinde & fraternæ charitatis affectum in nobis accendit, fouet & auget, quæ utraq; doctrina de inuocandis ſanctis, mirum in modum extinxit.

Atqui, & quòd ſancti pro nobis orant inquis, ex fraterna eſt charitate. Sunt enim membra noſtra, & nos diligunt, ideoq; pro nobis orant. Si nanq; cum hic in terris eſſent, affectu fraternæ charitatis moti, pro fratribus orarunt, quanto id magis in perfectione iam exiſtentes faciunt?

Reſpondeo. Facile ita arguis frater, ſed unde probas, mortuos ſanctos pro nobis in hac uita conſtitutis orare? Alioqui, ſi ex ingenio charitatis arguis, ut dicas, ſancti diligunt nos, ideò & orant pro nobis, quoniam cum in hac uita eſſent, diligentes orarunt pro fratribus, ſtatim reſponderi poterit: atqui flebant etiam cum flentibus, quos diligebant, ergo & nunc in cœlis idem faciunt. Charitas quippe non ſolum orat pro adflictis, ſed & cum lachrymantibus illachrymatur. Itaq; aliud tibi frater uſurpandum eſt argumentum, quo ſanctos mortuos in cœlis orare pro nobis conuincas. Deinde, ſi orent, quomodo orant? An ſpecialiter pro ijs, à quibus implorantur, uel an in genere noſtram omnium ſalutem deſiderant & optant. Reſpondeas uelim, quomodo conſentaneum putes, inuocandos eos eſſe, etiamſi conſtet illos pro nobis orare? Auguſtinus in libro de cura pro mortuis agenda, ita hac de re diſputat, ut affirmet ſe ignorare, ſciant ne ſancti mortui, & quomodo ſciant, quid hic agant uiui, etiam ipſorum filij, putatq; mortuos non magis ſcire, quid nos hic agamus, quàm nos, quid ipſi agant in cœlis, niſi à nobis ad ipſos ueniant, qui quid agatur in terris, annuncient. Et cap. 16. manifeſte, an ſancti poſſint ubiq; inuocantibus ſe diuerſis ſcilicet locis conſtitutis adeſſe, aut an loco competenti conſiſtentibus illis, orationes uiuentium per angelorum miniſteria diſpenſentur, quid horum uere ſit, ſe prorſus ignorare dicit. De uiſionibus ita diſputat eodem libro, ut probabilius ſit ſanctos mortuos non apparere per ſe, ſed id ita uideri, quemadmodum dormientibus accidere ſolet, quibus nonnunquam perſonæ quædam in ſomnijs adeſſe uidentur, quas ſe conſpicue uidere putant, cũ ille tamen longè ſint interea ab ipſis diſſitæ, nec quicquàm de hac uiſione cognoſcant. Dic quæſo frater, quomodo aliquem ſanctorum inuocantibus ſe tot locis ſeparatis uno et eodem momento adeſſe, preces audire, et opem ferre poſſe putes, ſi hæc Auguſtinus ignorauit? Eſaie 63. ſic legimus. Attende de cœlo, & uide de habitaculo tuo & ſolio gloriæ tuæ. Vbi eſt zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo

multitudo uiscerum tuorum, et miserationum tuarum? Super me continuerunt se. Tu enim pater noster. Et Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos. Tu domine pater noster, & redemptor noster es, à seculo nomen tuum &c. Vides hic, nec Abrahamum, nec Israëlem cognouisse post mortẽ, quis esset posterorũ status? Et hunc locũ Augustinus libro 1. de dicto cap. 14. citat.

Probandum itaq; tibi erit: primum, sanctos mortuos orare pro nobis in cœlis, quod nulla unquàm certitudine euiceris. Deinde docendum, quomodo orent. Tertio, quomodo sciant, quid nos hic geramus in terris, cum Abraham ille pater credentium suos post mortem ignorauerit. Quarto, quomodo preces nostras audiant, cum ubiq; præsentes esse nequeant. Quinto, & hoc probandum erit, an Deus magis audiat eorum orationes, qui iam periculis sunt erepti, et in tuto constituti, quàm adflictorum, qui tribulationibus, uel aliorum, uel proprijs adacti ad se clamant. An perpetuo somniabimus, infirmorum, pauperum, humilium, adflictorum, hîc in terra adhuc, uelut undoso pelago fluctuantium, non ita magnam apud Deum haberi rationem, sicut eorum, qui iam in cœlis exultant? At scriptura nos aliter instruit. Desiderium pauperum exaudit dominus, inquit Propheta. Et aures eius in preces eorum. Et: Oratio humiliantis se nubes penetrat.

Nemo piorum dubitet certius ad Deum adflictorum tendere orationes, suspiria & gemitus, qui hoc à nobis exigit, ut se inuocemus, quàm omnium sanctorũ in cœlis
Chrysost. orationes, etiam si pro nobis orarent. Chrysost. tom. 6. Homil. de profectu Euangelij sic dicit: Vis discere, quod etiam per nos ipsos orantes apud Deum plus efficimus, quàm dũ alij pro nobis orant? Clamauit hæc, et accesserunt discipuli, & dicunt: Dimitte eam, quia clamat post nos. Et ad illos dixit: Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. Quando aũt ipsa accesit & perse uerauit, clamans et dicens: Etiã domine. Nam & catelli edũt etc. beneficiũ dedit, et ait: fiat tibi sicut uis. Vides, quomodo repulit, cũ alij precarẽtur, ubi uerò ipsa orãs clamauit, annuit. Item: Cæterum, inquit, non opus est patronis apud Deum, neq; multo discursu, ut blandiare alijs, sed licet solus sis, patronoq; careas, & per teipsum Deum preceris, omnino tamen uoti compos eris. Neq; enim tam facile Deus annuit, cum alij pro nobis orant, quàm cum ipsi oramus, etiamsi pluribus malis simus pleni. Hæc ille.

Inuocemus igitur Deum patrem nostrum cœlestem per Christum Iesum mediatorem nostrum, sicut ipse dominus nos docuit, ut orantes dicamus: Pater noster, qui es in cœlis: inuocemusq; eum bona fiducia, qui solus Deus noster est, qui fecit nos solus, qui pascit nos solus, cuius sumus solius. Qui habet omnia solus, qui potest ac scit omnia solus, qui cognoscit nos, & omnia nostra solus. Qui solus ubiq; est, solus præsens omnibus horis, momentis, locis, & periculis opem ferre potest. Qui audit nos solus. Qui bonus est solus. Qui non contemnit miseros, nec personam accipit. Qui usq; adeò bonus est, ut solem suum producat super malos & bonos, & escam det pullis coruorum inuocantibus se, & saluet homines, pariter & iumenta. Qui pater noster est solus. Qui uult orari solus. Qui pollicitus est etiam auxilium suum, & protector omnium sperantium, in se credi uult, ac prædicari.

QVANDO SIT ORANDVM.

Quoniam oratio mentis est ad Deum eleuatio, nequit statui certum uerè orandi tempus. Nam ita comparati sumus, ut in rebus prosperis mente ad terrena magis inclinemus, quàm ad cœlestia suspiremus. Ob eam causam arbitror non esse commodius orandi tempus, quàm dum adflictus est animus, & ipsa rerum incommoditas ad Deum nos suspirare cogit. Hypocritæ, ut ubiq; ita, & semper orare, imò magis orationem simulare possunt, præsertim cum spes est obtinendi quæstus, sicuti quosdam uidemus ita bibendo exercitatos, ut nunquàm non bibere possint, etiamsi nulla siti ad bibendum impellantur. At pij, quia ueritatis sunt filij, longè aliter comparati sunt. Isti plerunq; dum prospere habent, aut nihil aut perparum orant, ita ut sibi ipsis sæpenumero uideantur omnino athei. Orta uerò tribulatione, hîc demũ uideas, quid sit discriminis inter ipsos & hypocritas. Hîc pij uerè ad Deum clamant, cum interea hypocritæ, uel ad sanctos uota faciunt, uel planè desperant, uel certè ad humana consilia confugiunt, quale est, quod de Asa 2 Par. 16. legimus, qui in infirmitate sua non ad dominum, sed ad medicos cõfugit. Nota sunt illa: Ad dominũ cũ tribularer clamaui. Et Psal. 50. Inuoca me in die tribulationis, & eruam te &c. 4.

Est autem nouissimis istis temporibus, ea tribulationum continuatio, ut nemo pius ullo possit momento orandi causis destitui, siue externum rerum temporalium, siue Christianismi. Et Ecclesiarum statum, ferè extrema periclitantem, inspexeris, ut carnis tentationes, & circumstans nos peccatum taceam.

Euchitæ olim, ita propter orandi irremissionem dicti, putabant semper esse orandũ, propter dictũ Christi Luce 18. quo docuit nos, ut semper oremus, nec deficiamus, et illud Apostoli 1. Thess. 5. Sine intermissione orate. Verũ nec Christi nec Apostoli mentem intellexerũt, quorum neuter exegit, quod rectè fieri non potest, sed hoc uoluerunt, ut in necessitatibus constituti non cessemus ab orationis assiduitate, nec ponamus impetrandi fiduciam, donec exaudiamur. Huc pertinent parabolæ illæ Luce 18. & 11. & exemplum mulieris Sidonicæ, & factũ Ecclesiæ Hierosolymitanæ, quæ sine intermissione ad Deum pro Petri apostoli liberatione orabat, hoc est, quoties conueniebat, Petri non obliuiscebatur, nec liberationis illius impetrandæ fiduciam abijciebat. Sic Apostolus 2. Tim. 1. dicit se Timothei facere memoriam in orationibus suis sine intermissione. Quoties ad Deum orabat, non poterat eius obliuisci. Tale quid est & ad Ro. 1. Si medicus ægroto dicat: caue bibas aquam, sed potum hunc, quem tibi assigno, bibas inde, sinenter, donec meliuscule habere cœperis, nunquid uolet ægrotum indesinenter bibere? Non puto: Sed præcipit, ut ubi bibendum est, iuxta naturæ exigentiam, nihil aliud bibat, quàm præscriptũ à se potum, idq; tamdiu faciat, donec conualescat. Citati itaq; loci non præscribunt,

quando

quando, sed quàm constanter sit orandum, in tribulationibus cõstitutis, ita, ut tametsi non statim exaudiantur à petendo, tamen non desistant. Orandi uerò tempus nullum potest assignari melius, quàm tribulationis & afflictionis. Tristatur quis, inquit Iacobus, oret. Sicut edendi, ac bibendi ratio habet, ita & orandi. Edendi tempus esuries, bibendi sitis præscribit, orandi afflictio, & urgens, uel imminens necessitas, siue illa sit spiritalis, siue corporalis, siue nos premat, siue fratres. Est enim inter Christianos, sicut in membris corporum nostrorum συμπαθεια illa, qua omnia cum læta tum tristia communia redduntur. Habebit ergo uerè Christianus abunde orandi causas, donec in lachrymarum ualle repimus, ut nullo non die ueris spiritus afflicti gemitibus, uel pro se, uel pro alijs preces fundere cogatur, præsertim nocturno tempore, quando diurnorum negociorum cessante strepitu animus afflictus sibi ipsi restitutus penitius, quæ præmunt expendit, & uiuacius sentit. Sic Propheta psal. 16. dicit: In noctibus erudierunt me renes mei. Item: Laui per singulas noctes lectum meum. Et: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Ita & Christus in orationibus pernoctasse legitur. Et quod Apostolus 1. Cor. 7. coniugatis scribit, ne se inuicem fraudent, nisi forte ex consensu, ad tempus, ut orationi uacent, si rectè expendatur, de nocturnis orationibus, uel priuatis uel Ecclesiasticis intelligendum est.

VBI POTISSIMVM SIT orandum.

Peculiaris hic est carnis affectus, ut ficta loci sanctitate ad superstitiosam quandam religionem nonnihil moueatur, id quod non solum in Gentibus, sed & Iudæis obtinuit. Gentes quia fictos habebant Deos, quos statuis & simulacris erectis colebant, certis etiam locis, dæmonum instinctu electis, orandi et inuocandi illos religionem ac deuotionem dedicarunt, utpote, in montibus, nemoribus, lucis, speluncis, & ad flumina, erectis sacellis. Hanc superstitionem quomodo imitati sint Iudæi in prophetis uidere est. Tandem est inter Christianos idem mali usq; adeò inualuit, ut gentium superstitionem superasse uideri possimus. Roborata est ista superstitio, adiecta per Episcopos sacellorum, altarium, templorum, & subterraneorum specuum consecratione: imaginum quoq;, & singularium cuiusq; loci patronorum accessione. Vnde factum est, ut propè nemo usquam sibi orandum duxerit, præterquàm in huiusmodi consecratis locis, quibus etiam solis uniuersa religio, pietas, & quicquid est diuini cultus, adhæsit ita, ut extra hæc loca rarissimus quisq; ulli sibi putauerit studendum esse pietati, & uitæ sanctimoniæ.

Sed Christum audiamus, qui Ioh. 4. cum Samaritana dixisset: Patres nostri in monte hoc adorauerunt, et uos dicitis: Ierosolymis esse locum, ubi oporteat adorare, respondit: Mulier, crede mihi, uenit hora, quando neq; in monte hoc, neq; Hierosolymis adorabitis patrem, uos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus: quia salus ex Iudæis est. Sed uenit hora, & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt patrem in spiritu, & ueritate. Nam et pater tales quærit, qui adorent ipsum. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, spiritu ac ueritate oportet adorare. Audis quid à ueris adoratoribus requiratur, & quid illis non competat? Neq; in monte hoc, inquit, neq; Ierosolymis adorabitis patrẽ. In monte erat arbitraria loci sanctitas, in templo Ierosolymitano legalis. Vtraq; reijcitur, & noui Testamenti tempori admittur. Atqui, inquis, quoniam corporibus adhuc detinemur, omnino necesse est, ut loco aliquo oremus. Scio, nec repugno. Verum qualis nobis orandi locus præscribatur, iterũ ex ipso domino audiamus. Tu uerò cum oras, inquit, introito cubiculum tuum, & occluso ostio tuo, ora patrem tuum, qui est in abscondito &c. Quare non dicit: ingredere templum, uel sacellum aliquod? cur in cubiculum? Quia locus est secretus, orandi studio commodus, licet nullo sit, uel altari, uel simulachro, uel exorcismo cõsecratus. Vides quæ ad orandum requiratur loci sanctitas? Secretum, pro loci sanctitate reputatur, quòd orandi commoditatem uerè in spiritu, & ueritate oraturis exhibet.

Rursus inquis. Christus Math. 21. de templo dixit: Domus mea, domus orationis est. Et Act. 3. Petrus et Iohannes ascenderunt in templum ad horam orationis nonam, id quod utiq; post Christi est ascensionem factum. Ergo horum exemplo potissimum in locis sacris orandum esse conuincetur. Respondeo. Rationem ueteris testamenti, & legalem populũ respicit Christus, in quo locum sibi Deus peculiarem elegerat, ubi & inuocaretur, & coleretur. Non erat autem id propter aliquam loci sanctitatem factum, sed ut populus à superstitione Gentium cohiberetur, & uerbi Dei præscripto assueseret, ac simul loci, cultus, conuentusq; unitate, in unitatem fidei ac ueræ religionis coalesceret. Ob has causas, pro temporum illorum, et dispensationis diuinæ ratione, in reuerentia habendus erat locus, non humano aliquo, sed diuino arbitrio electus, & cultui deputatus, quemadmodum & pijs summo semper honore, non propter peculiarem aliquam sanctitatem, sed propter uerbum Dei, habitus est, de quo 1. Reg. 8. & 9. Ideò dictus est is locus domus Dei, domus orationis, scabellum pedũ Dei &c. Non erat autem hæc domus ultra figurarum legalium adimpletionem duratura. Vide Ebre. 9. & 10. & Ioh. 4. Interim tamen in hanc peccabatur à Iudæis. Primum, quòd ex ea speluncam faciebant latronum, quod Christus bis reprehendit, deinde, quòd superstitiosa tenebantur illius fiducia, & nescio, quam peccatis suis securitatem & impunitatem illius prætextu pollicebantur. Hier. 7. Hinc tamen nemo potest colligere, quòd templi huius exemplo aliquid ad orandum prærogatiui habeant humanitus instituta delubra templa & sacella.

Quod Petrus & Ioannes ad horam orationis nonam ad templum ascendisse leguntur: non orandi, quasi non licuerit, uel seorsim, uel in cõuentu Christianorum orare, sed annunciandi regni Christi gratia ea potissimum hora factum est, quòd illa populus templum hoc frequentare solebat. Sic & angelus Apostolis dicebat: Act. 5.
Ite, et stantes loquamini in templo populo omnia uerba uitæ huius. Ipsa Apostolorum in templo gesta satis declarant,

clarant, qua ratione illud subinde sint ingressi. Rectè itaq; Lucas non dicit: Simul autem Petrus & Iohannes ascendebant in templum hora nona, ut orarent, sed ad horam precationis nonam, unde nemo poterit euincere, quòd orandi gratia ascenderint. Tale est, & quod de Paulo Actorum 16. legimus. Et die Sabbatorum, inquit Lucas, egressi sumus è ciuitate iuxta flumen, ubi solebat esse precatio. Dicemus ne Apostolos orandi gratia sacellum falsorum deorũ cultui deputatum petijsse? Absit. Non orandi, sed Christum annunciandi gratia in id loci sese receperunt. Sicut et in Iudæorum Synagogas Apostolus ingredi solitus fuit, non quòd illis aliquid tribueret sanctitatis, ibiq; sibi putaret esse orandum, sed quòd sciret Iudæos Sabbatis pro more conuenire, ut hac occasione Christum prædicaret. Sicut enim aliàs Sabbatorum nulla ducebatur amplius religione, ita nec Iudaicarum synagogarum.

QVALIS DEBEAT ESSE oraturus ad Deum.

6 Licet Deo displiceat quicquid uiciosum in nobis deprehenditur, sunt tamen peculiaria quædam, quæ sacra scriptura abesse iubet ab eo, qui sit oraturus, si cupiat exaudiri.

1 Primum, abesse debet omnis crudelitas & uiolentia. Sic Esa. 1. legimus: Cum extenderitis manus uestras, auertam oculos meos à uobis, & cum multiplicaueritis orationem non exaudiam. Manus enim uestræ sanguine plenæ sunt. Lauamini, mundi estote &c. Et 1. Timo. 2. Volo uiros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira, & disceptatione.

2 Deinde, abijcienda est omnis erga proximum, & miseros immisericordia. Proue. 21. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperum, clamabit & ipse, & non exaudietur. Exemplum huius est in diuite epulone, qui quia clamorẽ Lazari non exaudierat, clamabat et ipse, sed non exaudiebatur. Vide Iacob. 2. Quis ergo mirabitur, quòd toties orantes non exaudimur, cum tanta inter nos passim obtineat immisericordia?

3 Tertio, opus est, ut absit omnis simultas ac dissensio, Remittenda itaq; noxa est fratribus. Sic Mar. 11. Christus dicit: Cum stabitis ad orandum, remittite si quid habetis &c. Et infra in orandi formula: Remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus &c. Et si non remiseritis ex cordibus uestris, non remittet uobis pater uester &c. Deinde, curandum, ut cum illis in gratiam redeamus, quos læsimus. Sic supra capite præcedẽti: Vade prius inquit, reconciliare fratri tuo, & tũc ueniens &c.

4 Quarto, exigitur animi humilitas, ut abiecto fastu humiles in conspectu dei cõpareamus. Psal. 51. Cor contritum, inquit, & humiliatum Deus non despicies. Et 1. Petri 5. Deus superbis resistit, & humilibus dat gratiam. Exemplũ esto in Pharisæo & publicano. Ideò ueteres serio oraturi ieiunabant, et cinere inspersi prosternebantur. Sic Achab 1. Reg. 21. Ezechias 2. Reg. 19. Iudith cap. 9. & Iosias 2. Reg. 22. Ista probantur domino, cum non fiunt, uel hominum mandato, uel hypocrisi, sed corde uerè contrito & humiliato.

5 Quinto, abijcienda est omnis diffidentia. Iacob. 1. Postulet in fide inquit, nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à uento mouetur et circumfertur. Non ergo existimet homo ille, quòd accipiat aliquid à domino. Dicis: Atqui Paulus petijt, ut liberaretur ab angelo Satanæ, nec tamen impetrauit, uel hæsitauit petendo, uel non hæsitauit. Si hæsitauit, ideoq; quod petijt, non accepit, quid est, quòd dominus illi respondit: Sufficit tibi gratia mea, & uirtus mea in infirmitatibus perficitur? Si nõ hæsitauit, quid est, quòd Iacobus iubet in fide, absq; hæsitatione postulare, quasi accepturi simus, si fide, absq; hæsitatione postulemus? 2. Cor. 12.

Respondeo. Primum, multum interest, quid quisq; petat. Non enim omnia talia sunt, quæ petentibus à Deo dentur, quòd citatus iam Pauli locus declarat. Ideò Iacobus præmittit, dicens: Si quem uestrum deficit sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus simpliciter. Non de quauis re loquitur, nec dicit: qui dat omnia, sed, qui dat omnibus. Deinde, quòd dicit: postulet in fide, non ita est accipiendum, ut ad quamuis causam. Cuius obtinendæ gratia oramus, præcise sit referendum, quasi debeamus esse certi, quòd petimus, ita ut petimus esse nos accepturos. Adiungendum enim ubiq; nobis est, illud: fiat uoluntas tua &c. (interea non loquor de fide illa miraculorum singulari dono Dei, quòd Apostolorum tempore certa ratione uigebat.) Sic et Christus addebat: uerumtamen non quemadmodũ ego uolo, sed sicut tu. Est itaq; ista particula, postulet in fide, nihil hæsitans, ad diuinam illam & paternam erga nos bonitatem referenda, qua quæ suis sunt necessaria, Deus negare non potest orantibus. De hac bonitate Dei certè nemo piorum dubitat, etiamsi de priuatis quibusdam petitis, quid statuerit Deus, incerti sumus.

QVAE SIT ORATIONIS VIRTVS. 7

Qui rerum uirtutes non opinione tantum, sed solidè et exactè ponderant, uel ab effectibus eas, uel causis æstimant, uel certe ab utrisq;. Ab effectibus per experientiam cognitis ad causarum secreta et abdita penetrant, quas assequuti rem ipsam, uelut in suo fonte, quid sit & possit, uident. Consideremus itaq; & nos primum orationis effectum, deinde causas etiam huius uisuri.

Effectus orationis in sacris scripturis multis ac præclaris exemplis declaratur, quæ omnia recensere fuerit longissimũ: Nimirum, quid Abraham, quid Isaac, quid Iacob, quid Moses, quid Iosue, quid Anna mater Samuelis, quid Samuel ipse, quid Dauid, quid Elias, quid Ezechias, quid Manasse, quid Daniel. Deinde quid in nouo testamento publicanus, quid latro in cruce, quid Apostoli, quid Ecclesia pro Petro orando &c. apud Deum potuerint, unde sole clarius est, quid apud Deum oratio sedula posit. Iacobus capite ultimo, uno Eliæ exemplo usurpato, huius nos admonet.

Sed dicis: Hæc exempla de iustis sunt adducta, qui quoniam iusti fuerunt, merito sunt orantes exauditi. At ego homo peccator sum, nullius apud Deum æstimationis. Nec Iacobus dicit: Multum ualet deprecatio cuiusuis, sed iusti, eaq; assidua.

Respondeo. Consideremus frater, quos Apostolus ad orandum hortetur. Confitemini, inquit, alter alteri

peccata uestra, & orate alius pro alio, ut saluemini. Vtiq; nõ angelis ista scribit, sed hominibus, idq; peccatoribus, uerũ pœnitentibus, ideò dicit: Confitemini alter alteri peccata uestra. Homo autem pœnitens iusti loco apud Deum est, Esa. 1. Si fuerint, inquit, peccata uestra sicut uermiculus rubicundus, uelut nix alba erunt. Impœnitentibus nihil hic loci est, pœnitentes uerò orando multũ possunt. Quis Achab fuit? Quis Manasses? Quis publicanus? Quis latro in cruce?

Sed uideamus ipsas causas, ob quas oratio tantæ est efficaciæ, ex quibus uidebis frater, quàm nihil sit, quod obijcis. Hæ si ex nobis essent, aliquid forsan diceres. Quid enim possemus homines uani ac nihili coram infinita illa potentia ac maiestate diuina? Proinde necesse est causas impetrationis nõ in petente, sed in dante cõsistere. Remoræ quidẽ in petente sunt, si non impetretur, causæ uerò impetrationis in deo. Quæ nam sunt illæ?

1 Prima est, naturalis illa Dei & infinita bonitas. Hac scilicet fit, quòd miserijs nostris tangitur. Apud hanc quid non impetret sedula oratio? Qui tales sunt, nihil negare possunt. Ne irrationalium quidem animantium calamitatẽ ferre possunt. Sic coruos Deus ad se clamantes exaudit, & iumenta saluat, nedum homines.

2 Altera causa est, illius dilectio, quæ & ipsa immensa est & infinita. Hanc si addas naturali illius bonitati, facile intelliges quid apud eum possit adflictorum oratio, qui præterquàm quod summe bonus est, etiã nos supra modum diligit. Dilectionem hanc nobis causæ uice, ob quam proprio filio suo Deus non pepercit, sed pro nobis illum omnibus tradidit, & Christus reddit, Iohan. 3. & Apostolus Rom. 5. 8.

3 Tertia est, illius promissio, de qua Psal. 50. Inuoca me inquit, in die tribulationis, & eruam te. Et Luce 11. Petite & accipietis. Collige iam, & expende, quanta cum fiducia impetrandi orandus sit, qui & optimus est, & impense diligit, & opem adflictis pollicitus est, & simul intelliges, quæ causæ sint, quòd apud hunc tantum ualet oratio adflictorum.

QVOMODO SIT ORANDVM.

Supra declaratũ est, quod ad hanc particulam pertinet. Primum, quid sit in oratione fugiendum: deinde, quomodo sit instituenda, ut necesse nõ sit hic quicquàm repetere. Restat adhuc, ut quòd dicit:

Ad hunc ergo modum orate uos.

Expendamus. Indicat se formulas orandi præscribere, quibus doceat non solum quid petere, sed & quomodo Gentium multiloquium, & Pharisæorum hypocrisim orando uitare debeamus. Non dicit: Hanc ergo orationem, uel hæc uerba, proferte, aut, ista petite. Sed ad hunc ergo modum orate uos, quibus uerbis abunde satis admonemur subiectam orationem, quam Dominicam uocamus, formulas habere orandi quàm paucissimis, quibus ostendatur, quàm breues esse debeant nostræ orationes. Nam omnino formulas istas Gentiũ multiloquio opponit. Vnde non solũ dicit: ad hunc modum, sed ad hunc ergo modum: deinde, non simpliciter dicit: orate, sed orate uos: q. d. Sinite Gentes suo ineptire multiloquio. Vos, qui filij patris uestri estis, nolite illis similes orando fieri. Proinde, relicto illis multiloquio, uos ad hunc modum breuibus orate. Sanctorum orationes, quò seriores, hoc sunt breuiores, ut uerius suspiria & gemitus, quàm orationes dici debeant. Tales multæ sunt in scripturis, uerbis quidem tenues, sed spiritu ardentes. Vide orationem Iacob. Gen. 32. Mosis. Exo. 32. 34. Deut. 9. Eliæ. 1. Reg. 18. Christi. Luce 22. Pater si fieri potest &c. Item in cruce: Pater, remitte illis, quia nesciunt quid faciant. Itẽ: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et Latronis: Domine, memento mei, dum ueneris in regnũ tuum. Et publicani: Domine propitius esto mihi peccatori. Et Apostolorum Act. 1. cum eligerent Mathiam. Et Act. 4. cum orarent pro fiducia prædicandi. Et Stephani Actor. 7. Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Et: Domine, ne statuas illis hoc ad peccatum, quia nesciunt quid faciant.

Ad hunc ergo orandi modum Christus nos, reprobato multiloquio his uerbis hortatur, non quòd omnino uelit contextum huius precationis ad uerbum perpetuo recenseri, sed ut habeamus ob oculos istas orandi formulas, ad quarum modum respondere debeant nostræ orationes, ut exempli gratia.

Est quem urit blasphemia, et contemptus diuini nominis, is accensus desiderio sanctificandi nominis Dei, non opus habebit, ut singulas istas formulas recenseat, sed simpliciter orabit, imò magis suspirabit, et ingemiscet ad hunc modum: Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Sic Christus Iohan. 12. dicebat: Pater, sanctifica nomen tuum.

Est qui regno Satanæ & mundi huius pressus, pacem, quietem ac securitatem regni cœlestis suspirat, is dicet: Pater, adueniat regnum tuum.

Si quis sub cruce constitutus, uel quærit adflictionum remissionem, uel horret imminentem calamitatem, is cũ Christo orabit: Pater, non mea, sed tua uoluntas fiat. Si quis ægreferat istam inobedientiam, qua nemo non diuinæ uoluntati repugnat, is orabit ad hunc modum: Pater, fiat uoluntas tua, sicut in cœlo, ita & in terra.

Qui pro uictu necessario orat, dicet: Pater, da nobis hodie panem nostrum quotidianum.

Si quis delictorum pondere pressus, peccatorum remissionẽ petiturus est, dicet: Pater, remitte nobis debita nostra etc. uel: Pater, propitius esto nobis peccatoribus.

Si quid periculi & tentationis ingruat, dicemus: Pater, ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.

Illud quod in fine adiectũ est, potest adiungi ad singulas petitiones, uice δοξολογίας, non quòd ijsdem perpetuo sit uerbis utendũ, sed illis potissimũ, quæ suggesserit æstus cordis: neq; ita, ut semper debeãt in calce subiungi, cũ queant etiam in principio præmitti, sicut Apostolos fecisse uidemus Act. 4. Domine inquiunt, qui feciſti cœlũ et terrã, mare, et omnia quæ in eis sunt &c. Ecce δοξολογίαν statim initio orationis præsumptam

Interea tamen non admodũ illis reluctârim, qui dicunt, his orandi formulis præscriptũ nobis esse, quæ debeamus potissimũ orare. Negari enim nõ potest, quæ in subiectis formulis ponuntur salutaria esse et necessaria, ideoq; à deo intimis cordium nostrorum uotis petenda,

petenda

petenda inquam nõ superstitiose murmuranda. Quemadmodum tamẽ monui, principale Christi institutũ hoc esse constat, ut doceat nos, quomodo debeamus orando Gentium multiloquium uitare, quo se putant exaudiri, & ob eam causam breues istas orandi formulas ab eo, ueluti exemplaria, quæ imitemur, esse propositas. Sed uideamus ex ordine singulas.

Pater noster, qui es in cœlis.

Multa sunt de hac oratione à multis & dicta & scripta. Nec immerito. Est enim illius inexhaustus thesaurus. Neq; dubito futuros post hoc nostrum seculum, qui et ipsi pleraq; sint hic per gratiam dei admonituri, quæ hactenus intacta iacẽt, quò minus miraberis optime Lector, si post tantũ doctorũ uirorũ numerum, qualicunq; hac mea tenuitate & ipse tractationẽ illius suscepero.

Orationem hanc nonnulli in captationem beneuolentiæ, et septem petitiones partiti sunt: ut captationem beneuolentiæ habeant hæc uerba: Pater noster, qui es in cœlis, quæ sequuntur, habeant septẽ petitiones. Nemini præiudico, sed quod mihi uidetur et simplitius et uerosimilius rudiũ gratia candide dicam. Quoniam plurimum refert, qua fide et fiducia ad Deum oremus, uoluit Christus his uerbis: Pater noster, qui es in cœlis, admonere nos, ut oraturi affectum et fiduciam filiorum erga patrem induamus, nec dubitemus orare nos, non ad inexorabilem Deum, sed ad patrem, qui nos amet, orantes exaudiat, & necessitatibus nostris succurrat. Deinde, ut simul ipsa uerborũ formula admoneamur, quàm nõ debeamus alium habere orandi respectũ, quàm unicũ patrẽ nostrũ, qui in cœlis & abscondito est, ac uidet etiam in abscondito, sicut & supra admonuit, dicens: ora patrem tuũ in abscondito, & pater tuus, qui est in abscondito &c. Certe hæc uerba omnino ita sunt posita, ut non conueniant illis, qui per ostentationem orandi pietatem coram oculis mortaliũ, ut glorificẽtur simulant: sed illis tantũ, qui solius patris sese cupiunt approbare conscientiæ. Ista arbitror magis uoluisse Christũ inculcare suis, quàm docere, quomodo Deũ orantes, ut exaudiat et succurrat, permoueant. Non sunt quærenda uerba, quibus aures diuinas permulceamus, quæ alioqui abunde satis ad orationes adflictorũ patẽt: sunt aũt iuuandi et alendi cordiũ nostrorũ affectus, estq; excitanda in nobis fides & impetrandi fiducia, quibus omnino certũ est has uoculas in mentibus piorum plurimum adferre momenti.

QVAE HIC SINT NOTANDA.

Pater.) Quanquàm affectus hic filiorum Dei fideli corde gustandus potius est, quàm uerbis explicandus, expendemus tamen illum paucis.

Primum, unica hac dictione pulchrè nobis uocationis, reconciliationis atq; adoptionis gratiam oraturis pensandã proponit. Gratiæ inquam illius nos admonet, qua Deo reconciliati, et in filios ab illo assumpti sumus. Non enim meriti nostri est, sed gratiæ Dei, quòd reconciliati illi sumus, cũ natura fuerimus filij iræ, nec reconciliati tantum, sed & in filiorum dignitatem ac prærogatiuã assumpti, et hæredes dei, cohæredes uerò Christi facti. Hæc gratia quomodo sit noui testamenti uidere est Ro. 8. Gala. 4. Quanta quæso gratiæ huius consideratione, orandi & impetrandi nascitur fiducia, si expendamus, quid per hanc acceperimus, antequàm peteremus? Quid enim non dabit iam petentibus filijs pater, qui nos ex filijs iræ mera sua gratia per Christum reddidit filios suos, & omnium cœlestium bonorum hæredes: deinde & spiritum nobis filiorum suorum dedit, ut iam clamemus: Abba pater. Deinde, haud parum ad rectam uitæ institutionem considerata hæc gratia, dignitas & prærogatiua filiorum Dei facit, qua dicimus: Pater noster qui es in cœlis. Incitabimur enim hac cõsideratione ut isti prærogatiuæ ac dignitati respondeamus, cohibebimurq;, ne quo pacto illam aliqua flagitiosæ uitæ turpitudine contaminemus, neue huius seculi filijs conformemur, aut cõmisceamur. Præsertim si consideremus, unde & in cuius locum simus asciti, ex gentibus uidelicet in locum filiorũ regni, qui propter incredulitatem suã gratiã hanc, è domo patris eiecti, amiserunt. Quanquàm illi olim denuo in naturalẽ oliuã, unde sunt execti, inserentur, nos uerò, si gratiam hanc noui testamenti contempserimus, non ita. Vide Ebre. 6. & 10. Ro. 11.

Noster.) Quòd non docet, ut dicamus: Pater mi: sed, pater noster, admonet nos charitatis fraternæ, & mutui consensus, qui per spiritũ Dei cordibus filiorum infunditur, quoq; fit, ut nostro filiorũ dei pro se tantum sit sollicitus, sed eorum quisq; quæ aliorum sunt studiose curam gerat. Ita non dicimus: panem meũ, debita mea, ne me inducas: sed panem nostrum, debita nostra, ne nos inducas. Qui hoc charitatis affectu præditus non est, quomodo his formulis orandi utetur? Tollitur etiam hic omnis diuitum ac magnatũ fastus, quo pauperes ac tenuiores fastidiunt. Cũ enim eundẽ habeamus patrẽ in cœlis, sumus utiq; hac dignitate, quæ reliquas omnes antecedit, pares, ut nulla sit diuiti ratio, cur pauperiores terrenarum opum gratia contemnat, nec generoso, & nobili stemmate natis, ut præ se humilu loco natos fastidiant. Viderint ergo, qui præ reliquis aliquid in hoc mundo, uel sunt uel haberi uolunt, ne dum in hac uita filios Dei pauperes & abiectos contemnunt, cogantur in futura, magna mentis angustia & desperatissima conscientia cœlesti gloria conspicuos et sublimes suspicere, quos hic cõtẽnunt. Curandũ itaq; nobis, ut sicuti singuli dicimus: Pater noster qui es in cœlis, ita inuicẽ alius aliũ honore præueniamus, cuius nos & Apostolus admonet. Ro. 12.

Qui es in cœlis.) Augustinus exponit particulam hanc, idem esse atq; in sanctis et iustis hominibus, ne uidelicet Deũ cœlis includere uideamur, cum adimpleat omnia. Verum eadem ratione cauendum est, ne Deum, uel corporibus, uel mentibus Sanctorũ includamus. Nos simpliciter de cœlis istis uisibilibus, & quæ supra illos inuisibiles sunt, hæc uerba intelligimus. Est enim cœlũ ut Christus supra ca. præcedẽti dixit, sedes dei, nõ quòd illo comprehendi queat, sed quòd ex eo potiorem diuinitatis suæ maiestatem ostendat, & quòd quicquid unquàm cũ hominibus in hac terra per reuelationes, uisiones, & oracula egit, è cœlis agere uisus sit. Hinc etiam profectæ sunt castigationes delinquentium, insigniores utpote prioris seculi per diluuium, Sodomorũ per imbrem sulphureum & igneum, Aegyptiorum per grandinem

dinem igni mixtum, Amorreorum perimbres lapidum Iosue 10. Hinc sunt illa: Qui habitat in cœlis, irridebit eos. Dominus de cœlo prospexit: Et Dominus in cœlo parauit sedem suam. Sunt enim cœli uelut arx regia, & sedes supremæ maiestatis ac potestatis, unde uniuersus regitur orbis, & mortalibus, uel bona per gratiam dei, uel mala per illius iram sunt expectanda: deinde & loca obtinent spiritibus congrua, et omnis corruptionis expertia. Sic Christus plerunq; uel orando, uel patri gratias agendo in cœlos suspexisse legitur, Luce 9. Mar. 7. Et cũ ad patrem ascẽderet, in cœlos ascendere uisus est. Hæc ob id dicuntur: ut sciamus Deũ patrem nostrũ non esse terrenũ, infirmũ, aut corruptibilem, sed cœlorum dominũ & inhabitatorẽ, id est, omnipotentẽ, dominantem, sempiternũ, incorruptibilem, omnia & uidentẽ & penetrantem. Dominus noster in cœlo inquit Propheta: quæcunq; uult facit. Et Apostolus: qui habitat lucẽ inaccessam &c. Sunt itaq; duo hic notanda. Primũ, quanta & quàm infracta debeamus esse fiducia, contra quos uis Satanæ & mundi huius insultus, quòd patrem habemus Deum, cœlorum dominum, et omnipotentem, cuius pedum scabellũ est terra. Deinde, quo animo terræ huius incolatum ferre debeamus. Si enim pater noster in cœlis est, utiq; patria nostra nõ in terra, sed in cœlis est. Quod ergo in terris hic repimus, peregrinatio est, & migratio quædam ad cœlestem patriam. Vide Col. 3. Philip. 3. & 2. Cor. 5. quibus locis indicatur conuersationem nostram in cœlis esse debere &c.

ps 115.

Sanctificetur nomen tuum.

Petitionem hanc recto ordine priore loco ponit, quòd nulla alia ratione facit, quàm ut admoneamur, quàm iste affectus & paterni nominis nusquàm non sanctificandi desiderium ubiq; in mentibus filiorum Dei primas obtinere debeat. Propter rudiores sunt hoc loco notanda. Primũ, quid sit nomen Dei. Deinde, quid sit sanctificari nomen Dei. Tertio, unde sit petitionis huius affectus.

QVID SIT NOMEN DEI.

1 Nomen Dei propriũ nullum est, quo ideò non eget, quòd solus est, nec parẽ habet ullum. Ad hoc enim usurpantur rerum nomina, ut sint notæ quædam, quibus à se inuicem discernantur ac cognoscantur, quod ut fiat necesse est propter multitudinẽ, æqualitatẽ ac similitudinem, unde alioqui illarũ impediretur cognitio ac discretio. Est autem nomen Dei nihil aliud, quàm quod de eo prædicatur: nimirum, quòd sit omnipotens, ut Exo. 15. Omnipotens nomen eius: quòd sit dominus, ut Psal. 68. & 83. Dominus nomen eius. Et: quia nomen tibi dominus. Item: Quòd sit iustus, uerax, omniscius, misericors, sanctus, sempiternus, fidelis, pater omniũ, Deus, Græcis θεός, id est, omnia pecurrens, dominus Zebaoth, & per se existens, quod Ebrei dictione יהוה exprimunt, quæ omnia sacræ scripturæ de Deo prædicant, eò quòd nomen eius est secundũ opera eius, & secundũ nomen eius, laus eius, Psal. 48. Aliàs nõ potest illi aliquod nomẽ assignari, quòd substantiã eius exprimat, et illi propriũ esse queat. Aliquando nomen Dei sumitur pro laude Dei. Et hoc sensu positũ est in hac particula, ut idẽ sit atq; opinio, laus, fama, memoria, æstimatio, obseruantia & religio Dei.

QVID SIT SANCTIFICARI NOMEN DEI.

2 Sanctificari hoc loco idem est atq; sanctum, id est, celebrẽ, selectũ, amplum, & honorificum haberi. Nam alioqui cum Deus solus sit qui sanctificat, non potest in se sanctificari à quoquàm. Sanctificatur autem nomen eius, quando iusto & competenti honore in omnibus colitur ac suspicitur, & omnia de illo excellentia & summa prædicantur. Cum itaq; dicimus: Sanctificetur nomen tuum, nihil oramus aliud, quàm ut pater noster, ubiq; terrarum sanctus habeatur, et præcellenti honore celebretur, ita ut ubiq; sancta & maiestate illius digna de eo credantur ac deprædicentur.

VNDE NASCATVR PETITIONIS huius affectus.

3 Affectus iste ex cognitione nominis Dei nascitur. Sic Psal. 76. Notus in Iudæa Deus, inquit Propheta, ac subdit, in Israël magnum nomen eius. Cognoscere uero dominum non est simpliciter scire, quòd Deus aliquis sit, sed scire maiestatem, potentiam, & bonitatem eius, hoc est, cognoscere nomẽ eius. Fit aũt hoc bifariam. Primo, quando potentiam suam contra impios exerit, ut Exo. 14. Glorificabor, inquit, in Pharaone & exercitu eius, scientq; Aegyptij quòd ego sim dominus. Potentiã hanc considerabat Iosue cum dicebat cap. 7. Quid facies nomini tuo magno? Secundo, quando bonitatẽ suam suos asserendo ac liberando declarat, id quod in ueteri Testamento typicos fecit, noui uerò Testamenti tempore, in Christo filio suo perfectè ostendit quàm sit propitius, clemens, bonus, misericors & φιλανθρωπος, in eo, quòd proprio filio suo non peper cit, sed hunc pro nobis omnibus tradidit. At hãc diuinæ bonitatis cognitionem mundus non habet. Est enim illi à seculo absconditũ hoc mysterium, quod sola fide per reuelationẽ Iesu Christi capitur. Atq; hoc est, quod Christus infra cap. 11. dicit: Nemo nouit filium nisi pater, et nemo patrem nouit nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Et Ioh. 17. Manifestaui nomẽ tuũ hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Et in fine cap. eiusdẽ. Pater iuste, mundus te non cognouit, ego autem te cognoui, & hi cognouerunt, quòd tu me miseris, & notum feci eis nomen tuum, et notum faciam. Huc pertinet illud Esa. 52. & Psal. 22. & Ebre. 2. Narrabo nomẽ tuũ fratrbus meis. Ex hac diuinæ bonitatis cognitione nascitur uera dilectio dei, zelusq; gloriæ eius, & nominis illius per omnia sanctificandi. Quòd ergo dicimus: Sanctificetur nomen tuum, ad hoc, ut in spiritu & ueritate dicamus: omnino animum requirit zelo gloriæ Dei accensum, & omnibus uotis unicũ hoc optantẽ, ut ubiq; pater noster cœlestis agnoscatur, adoretur, colatur & obseruetur, ut illi relicto, quouis superstitionum errore, ac discussis mentium tenebris uniuersa omniũ cũ cœlestiũ, tũ terrestriũ & inferorũ genua, tanquàm soli, uero, & immortali Deo ac domino dominantium flectantur. Hæc sunt primaria eorũ uota, qui diuinam illã & immensam Dei bonitatem mundo in Christo declaratam uera ac solida fide cognouerunt.

CVIVS HIC ADMONEAMVR.

Est autem loci huius geminus usus. Primus, ut obseruemus, quomodo nomen patris nostri cœlestis in nobis

ipsis

ipsis sanctificemus, alter quomodo illud in alijs etiã sancti
ficari cupiamus. Primum. Quoniam populus Dei sumus,
& inuocatur super nos nomẽ eius, omnino ea conditione
sumus, ut uel sanctificemus, uel blasphememus nomẽ Dei.
Obseruet ergo quisq; qua sit erga sanctũ Dei nomen reue
rentia, quo animo quæ sub nomine Dei proponuntur au-
diat, quid in auribus ipsius sonent patris nostri cœlestis o-
racula. Deinde qua sit uitæ conuersatione. Notũ est illud
supra 5. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant
opera uestra bona, & glorificent patrẽ uestrũ qui in cœ-
lis est. Quod si magis caligo quædam, quàm lux fuerimus
in domino, quomodo de nobis nõ quæretur dominus, quod
de Iudæis cõquestus est Esa. 52. & Ezech. 36. nempe quod
propter illos nomen ipsius blasphematum sit inter gentes.
Ideò seruos Christianos hortatur Apostolus, ut ita se ge-
rant, ut nomen Dei propter ipsos non blasphemetur. 1. Ti
mot. 6. Viderint hic qui nõ solũ sunt membra populi dei,
sed & peculiares Dei ministri censentur, utpote qui Ec-
clesijs Christi præfecti sunt: deinde & qui Magistratu fun
guntur. Ab illis non hoc solum requiritur, ut inculpatè ui-
uant, quod pariter omniũ est Christianorũ, sed ut cum pri
mis quisq; ministeriũ suũ & fideliter et sedulo obeat, mi-
nister Ecclesiæ, ut uerã ac sanam doctrinã populo Christi
proponat. Magistratus, ut iudicium et iustitiam tueatur,
malos puniat, innoxios defendat, nullius personam acci-
piat, sciens se non hominis, sed dei iudiciũ exequi. Tertio,
uidendum nobis etiam est, quomodo in tribulationibus &
adflictionibus constituti nomen Dei patris nostri sanctifi-
cemus. Sanctificamus illud in rebus aduersis, quando bona
cum fiducia ab eo pendemus: nec per impatientiam com-
mittimus, quòd filios Dei dedeceat: nec dubitamus illum
nobis in omnibus utut magnis adflictionibus opẽ adferre
posse, & si ita necesse sit, allaturum etiam. Quia nonnihil
hic Mosi & Aaronis fides ad aquas contradictionis dese-
cerat, dictũ utriq; est à Domino: Quia nõ credidistis mihi
ut sanctificaretis me coram filijs Israël, non introducetis
hos populos in terram quam dabo eis. Numeri 20. Deut.
32. Quod si contingat, ut occurrant hinc timor Dei, illinc
timor mundi, sitq; uel contra Deum patrem nostrum
delinquendum, ideoq; illius subeunda indignatio, uel inci-
dendũ in manus hominis. Hic si sanctificare uoluerimus no
men illius, & quod ore toties sonamus ipso etiã opere de-
clarare, eligemus potius incidere in cuiuscunq; Tyranni
manum, quàm contra Deũ patrem nostrũ delinquere. Et
1. Pet. 3. hoc est quod 1. Petri 3 legimus. Terrore inquit, illorum ne
terreamini, neq; turbemini, sed dominum Deum sanctifi-
cate in cordibus uestris, hoc est, dignum æstimate pro quo
ista non solũ patienter, sed et cũ gaudio feratis. Ita sancti-
ficarunt dominum Apostoli, qui cum cæsi essent, gauden-
tes ibant à conspectu Cõcilij, eò quòd digni habiti essent,
Num. 13. qui pro nomine Iesu cõtumeliam ferrent. Sic Iosue et Ca-
leb sanctificabant nomen Dei, cupientes Israëlitarum in-
credulitatem & murmurationẽ retundere. Sic Ezechias
2. Par. 32. cũ Sancherib rex Assyriorũ ad bellandũ magno
cum exercitu ascendisset, nomen domini dei sui corã uni-
uersa populi multitudine sanctificabat, dicens: Viriliter
agite, & confortemini, nolite timere: nec paueatis regem
Assyriorum & uniuersam multitudinem, quæ cum eo est.
Multo enim plures nobi scũ sunt quàm cum illo: Cum illo
est brachium carnis, nobiscum est Deus noster, pugnatq;
pro nobis &c. Sic & tres pueri apud Danielem nomen
Dei sanctificarunt, malentes in fornacem conijci, quàm
aliqua illud ignominia afficere. Et Achior Ammonites in
faciem Holofernis nomen Dei magno cũ uitæ suæ discrimi
ne sanctificauit, Iudith. 5. Consideremus itaq; nunc, quo-
modo hodie qui Christi nomine censemur, nomen patris
nostri cœlestis sanctificemus, cuius potentiam ac maiesta-
tem illius, ne uel mortalis alicuius hominis, magis uel su-
spiciamus uel timeamus.

Secundo loco, uidendum etiam quanto cum zelo no-
men dei patris nostri etiam in alijs sanctificari cupiamus.
Neq; enim gloriæ Dei studioso satis est, ut sanctũ sit apud
se nomen domini Dei sui, sed omnibus modis cupiet illud
apud quosuis glorioſum esse & sanctum. Sed hic affectus
latissimus est. Ex illo nascuntur æmulatores illi, qui ad tu-
endam nominis Dei gloriã ac maiestatem ardenti ac præ-
cipuo zelo feruntur, quales erant Phinees, Num. 25. Mo-
ses, Exod. 32. Dauid, 1. Sam. 17. Elias, 1. Reg. 17. 18. 19. Et
Christus ipse Math. 21. Ita nanq; comparati sunt piorum
animi, ut quàmuis sint in priuatis rebus mites, et omnium
iniuriarum tolerantes, in ijs tamen, quæ gloriam nominis
Dei concernunt, omniũ sunt seuerissimi. Vide quid Chry-
sost. à Christiano exigat, Tom. 4. Homilia. 1. Antiochiæ
habita, circa finem. At hoc genus hominum, pro nomine
Dei zelantium, in hoc seculo plerunq; sunt adflictissimi,
præsertim ubi non solum flagitijs omnia abundant, sed &
ipse cultus Dei in idololatriam degenerauit, & simul hy-
pocrisis passim obtinuit.

Adueniat regnum tuum.

Quæ de hac sunt petitione ab alijs cum ueteribus tum
recentioribus scripta, legentibus nota sunt, ut necesse non
sit hic illorum facere mentionem. Nullius sententiæ dero-
gatum uolo. Lectori sit ubiq; liberum de meis cogitatio-
nibus iudiciũ. Est Christo certus quidam scopus, ad quem
animi nostri affectus hac petitione dirigit. Hunc ut cogno
scamus, uidendum primo, quid sit regnum Dei: deinde,
quottuplex sit. Quòd si hæc duo rectè expenderimus, ma
nifestum, opinor, erit, quis sit petitionis huius scopus, &
quem exigat in nobis affectum, ut non ore tantum, sed &
cordis ac spiritus ueritate proferatur.

REGNVM DEI QVID, ET quottuplex sit.

De regno Dei quid sit nihil arbitror esse obscuri, esse
in genere gubernationẽ illam cœlestem, qua omnia ad di-
uinæ maiestatis nutũ, cũ cœlestia tũ terrena, disponuntur
et gubernantur. Regnat aũt Deus duplici ratione. Prima,
quando mera sua potẽtia et insuperabili uirtute uniuersa
cũ in cœlo tũ in terris nutui suo subiecta habet, ut nolint
uelint, uoluntati ipsius seruire cogantur, quod Gentes ali
quando fatũ, aliquando necessitatẽ ineuitabilẽ dixerunt.
De hoc regnãdi genere nulla hic fit mẽtio. Oportet enim
omnino, ut de tali regno Dei loquatur hic Christus, quòd
uel nondum uenerit, uel non plenè & perfectè aduenerit,
& tamen prorsus futurũ tũ fuerit, cum hanc orandi for-
mulã præscriberet, uel etiamnũ futurũ expectetur. Prius
enim regnandi genus, necessaria illa & inuicta rerum

omniũ gubernatio, qua cũcta diuinæ potẽtiæ nolint uelint subiecta sunt, ut semper fuit, & est: ita non potest ulla ratione, ut adueniat peti. Multa quidẽ in rebus humanis, & facta sunt & fiunt, quæ uel casu, uel humana putantur industria geri: uerum, ut est Ro. 11. Omnia per Deum, & in Deo, & ex Deo sunt. Et Pro. 21. Non est sapientia, non est prudentia, non est consiliũ contra dominum. Et Psal. 115. Dominus noster in cœlo, quæcunq; uult facit. Et Esa. 46. Omnis uoluntas mea fiet. Itaq; necesse est, ut de alio quodam regnandi genere Christus hic nos instituat.

Altera regnandi ratio est, qua uidelicet in electis Deus ita regnat, ut beati sint regni eius ciues, et uoluntati ipsius ex animo libero ac spontaneo obediant, et per omnia conformentur. Hoc regni genus non in uniuersis mortalibus, sed in electis tantum locum habet. De illo intelligendum est, quod dicimus: Adueniat regnum tuum.

Sed nascitur hic quoq; quæstio, quomodo de hoc regni Dei genere posit ista intelligi petitio, cũ ab initio mundi fuerint electi, in quibus regnum hoc dei, etiam antequàm Christus nasceretur locum habuerit, nisi uelimus è regno Dei tot pios homines excludere, ut Abrahamum, Isaac & Iacob, et istis similes, de quibus dictum est à domino, quòd ad eos uenturi sint ex Oriente, et Occidente, & Meridie, & Septentrione, & unã cũ illis recubituri in regno Dei, infra 8. Notandum autem est, & hoc regni genus duplex esse. Gratiæ unum, Gloriæ alterum. Gratiæ, quo Christus regnat in cordibus electorũ à patre propiciatoriũ propositus, in quem credentes iustificamur, & de uoluntate patris nostri cœlestis, in ipso tanquàm imagine dei instruimur. Et hoc peregrinantiũ est in hac uita. Gloriæ, regnũ est, quo regnat in beatis Deus, non amplius per Christum, sed per seipsum, ut iam non in Christo, patris nostri imagine, sed corã facie ad faciẽ, diuina uisione fruituri simus ita, ut sit Deus futurus omnia in omnibus. Vide hac de re 1. Cor. 15. Quòd ergo Christus suos instruit, ut dicãt: Adueniat regnũ tuũ. Quoniam de priore regnandi genere, cuius supra memini, intelligi non potest, & omnino necesse est, ut de posteriore intelligatur: idq; ipsum quoq; duplex est, uel certe duplici ratione administratur, adhuc uidendum erit, quo sit referenda ista petitio.

Duplex genus regni Dei q̃ Electis regnat. Gratiæ

Gloriæ.

Quoniam in intelligendis cœlestis doctrinæ uerbis, summa diligentia obseruandum est, non solum quid dicatur, sed simul, quando, à quo et quibus dicatur, operæpretium fuerit circumstantias istas, et in hac præsenti orandi formula discipulis Christi præscripta obseruare. Notum est autem quando, à quo, & quibus sint istæ formulæ præscriptæ: nempe, à Christo, discipulis idq; tum cum adimpletum esset tempus, quo Prophetarũ uaticinia de regno Colo. 1. Dei, quo restituenda erat concordia & reconciliatio omnium eorum, quæ in cœlis sunt et in terra, erant adimplenda. quo statuerat deus per filium suum uniuerso mortalium generi perpetuam offerre salutem, quod tempus significabat Christus ipse, cũ dicebat Marci 1. Impletum est tempus, instatq; regnum Dei, resipiscite & credite Euangelio. Quid apertius? Impletum est tempus, inquit, instatq; regnum Dei. In quo uidelicet proposuerat Deus ostendere iustitiam suam per remissionem peccatorum in Christo Iesu filio suo, regnareq; spiritu suo per fidem in cordibus electorum. De hoc regno Dei sunt ista, Infra hoc eodem capite. Primũ quærite regnũ Dei et iusticiam eius. Et Luce 9. Sine mortuos sepelire mortuos suos, tu uerò uade et annuncia regnum Dei. Et Act. 1. Christus 40. dies post resurrectionem discipulis loquitur de regno Dei. Et Act. 8. Credebãt Samaritani Philippo annuncianti regnũ Dei. Et Paulus Act. 19. Ephesi disputabat & suadebat de regno Dei. Et capite ultimo, biennium manebat Romæ prædicans regnũ Dei. Hinc Euangeliũ, Euangeliũ regni ac sermo regni dicitur. Huius regni tempus multi iusti & prophetæ magno cũ desiderio expectarunt, Luce 10. Et Ioseph ab Arimathia, Simeon, & Anna uidua, expectabãt regnũ dei. Cum ergo formulas istas Christus discipulis suis eo tempore præscripserit, quo regni huius auspicia iam agebantur, quid aliud intelligendum relinquitur, quàm quòd animos illorũ ad illius desideriũ instituerit: primum quòd essent ciues illius, deinde præcipui etiã precones & ministri futuri. Atq; ita, meo iudicio, petitio ista, sensu Christi, de regno hoc gratiæ Dei, in quo per fidem adhuc militamus, intelligenda est: ut sicut iusserit ante omnia reiecta terrenarum rerum cura, regnum Dei fideli ac sedulo ministerio quærere, ita hic admonuit eiusdem aduentum, & progressus ardenti uoto à Deo patre petere.

QVAE SINT HIC NOTANDA.

Primum. Consideremus quo affectu simus erga regni Christi, gratiam & cursum. Si enim à ueteris est testamẽti pijs tanto cũ desiderio expectatũ, & admonente Christo, aduentus & progressus eius à discipulis, non ministerio tantũ Euangelicæ prædicationis, sed & ardentibus animi uotis quæsitus & expetitus: quomodo nos cursum illius negligemus, qui iam tot seculis in illius gratia sumus? Huc aũt necesse est, ut felicitas illius intelligatur. Alioqui boni incogniti nulla poterit cõueniẽs haberi ratio. Non cognoscitur uero, nisi fidei sensu. Est enim gratia ac felicitas illius mundo isti abscondita, ideoq; et contemptui obnoxia. Sensus autẽ fidei non est aliunde, nisi ex fideli Euangelicæ doctrinæ prædicatione, adspirante simul spiritus sancti gratia. Ad hoc itaq;, ut ex animo dicamus: Adueniat regnum tuum. Necesse est ut ex Euangelion Christi audiamus, auditũ fide percipiamus, & regni huius felicitatẽ intelligamus, et intellectũ affectemus. Hunc affectũ animis Christianorũ nunquàm inserent, qui pro doctrina Euangelij traditiones humanas, opera meritoria, & operũ fiduciã, sanctorũq; inuocationem & cultũ in Ecclesia Christi docent, urgent & inculcant. At interea de futura regni Dei gloria, nescio quæ pollicentur humanis meritis, cũ nullam habeant præsentis regni cœlestis rationẽ. Iudæi erant regni huius filij: uerũ, quia gratiam istam incredulitate sua abijciebant, & pro iustitia Dei propriã sectabantur, merito sunt eiecti. Infra 8. 21. Quo loco nobis esse debeat regni Christi gratia & felicitas, infra uidebimus cap. 13. in parabola negociatoris. Deinde, cogitemus quo desiderio esse debeamus ad futurũ cœlestis gloriæ regnum. Si enim suos Christus admonuit, ut aduentũ regni dei, quod in hac uita quidem in cordibus electorũ uberius aliquanto quàm in ueteri Testamento obtinet: adhuc tamẽ dũ in hac carne sumus, plenitudinem suam nõ exerit, tanto cum desiderio, & quærant & optent, quanto quæso & quàm ardenti affectu nobis eius regni Dei desiderandus & orandus est aduentus, in quo cõsummata & sempiterna filiorum Dei

gloria & promissa est, & præstabitur, ut et huius desiderio ex animo dicamus: Adueniat regnũ tuum? De hoc est illud Luce 21. Scitote, quòd propè sit regnum Dei.

Sed dices: Cum aduentus regni Dei, siue de præsent quod gratiæ, siue de futuro, quod gloriæ est, intelligamus, certo sit, & immutabili tempore ab æterno præfinitus, ut nec ultra præfixum terminũ detineri, nec hunc præuenire possit, quid est, quod uel hunc uel illum orando petere docemur, ut dicamus: Adueniat regnum tuum? Si precibus impetrari potuit, ut destinato citius ueniret regnum Christi: Ergo uanum est quod Apostolus scripsit, dicẽs: Vbi uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum? Quid est uenire plenitudo temporis, nisi tempus à Deo destinatum & præfinitum adimpleri? Esse aũt regnum Christi certo tempore diuinitus præordinatum, uel ex prophetis patet qui non solum aduentum illius, sed & tempus à Deo præfixum, ut in Daniele uidere est, præsignarunt. Et de futuro gloriæ regno idem uidere est infrà 24. dicente Christo. De die autem illa & hora, nemo est qui nouit, nisi solus pater. Et Act. 1. Non est uestrũ, inquit, scire tempora & momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Quid attinet ergo siue de hoc, siue de illo regni Dei aduentu admoneri, ut oremus ac dicamus: Adueniat regnum tuum?

Gal. 4

Respondeo: Non hoc quæritur frater ut tempora à Deo regno suo destinata precando mutabilia reddamus, efficiamusq; ut cursu citatiore plenitudinem suam acquirant, & citius quàm sit præfinitũ absoluantur, sed hoc magis agitur, ut regnum Dei certis aduenturi momentis desiderium in nobis accendatur, ut ubi uenerit non inexpectatum nobis, sed iam olim desideratũ & expectatum adueniat: ne idem nobis usuueniat, quod experiuntur filij huius seculi, quos aduentus regni Dei, & finis seculorum inopinus adobruet. Huc faciunt admonitiones illæ Christi et Apostolorum, quibus urgemur ut uigilemus, infrà 24. 25. Et Phil. 4. Ebr. 10. & 2 Petri ultimo, propterea quod dies ille tempore quo non putamus sit adfuturus, & quod Dominus aduentum suum non differat, nec procul sed propè sit. Nisi aduentum hunc desiderauerimus, nunquàm illum uigilando expectabimus: si nõ expectauerimus quid aliud futurum est, quàm ut curis ac uoluptatibus huius seculi absorpti, ubi non putauerimus adobruamur ac pereamus. Notum est illud de malo seruo, cuius flagitiorum hæc causa prædicta est, quod in corde suo dicat: Dominus meus uenire cunctatur, &c. Quod itaque futurum regni Dei aduentum concernit, ob eam causam illum affectare ac orando petere docemur, ut animo cupido & ardenti desiderio illum expectemus, & expectantes sobrie & pie in hoc seculo uiuamus, Tit. 2. Quod uerò regnum Christi quod in hac uita futurum erat attinet, plurimum faciebat ad illius æstimationem, & complexum, si progressus illius cupide desiderarent in Christum credentes: & erat hoc desiderium admodum necessarium discipulis & Apostolis Christi, quorum munus erat Euangelion regni huius uniuerso prædicare mundo.

Obiecerit autem quisquam adhuc de secundo Christi & regni Dei aduentu, ad hunc modum. 2 Thess. 2. Apostolus sic scribit: Rogamus autem uos fratres per aduentum Domini nostri Iesu Christi, ut non cito moueamini à

2 Thessa. 2

uestro sensu, neque terreamini siue per spiritum, siue per sermonẽ, siue per epistolam, tanquam a nobis profectam, quasi instet dies Christi, ne quis uos decipiat ullo modo: quoniam nõ adueniet dominus, nisi uenerit defectio prius &c. Si ergo dies Domini propè est, & aduentus iste regni Dei cupide à nobis desiderandus & expectandus, quid est quod his uerbis Apostolus Thessalonicenses præmonet, ne sinant se decipi ac turbari, quasi instet dies Domini?

Respondeo: Paulus sibijpsi nusquàm mente ac spiritu diuersus est. Oportet autem in illius scriptis considerare non solum quid, sed & qua ratione scribat: & quem scopum scribendo petat. Totus in eo erat, ut in Christum credentes professioni suæ recta uitæ conuersatione responderent, & aduentum Seruatoris cupide, & bona cum conscientia expectarent, atque ita fidei cursum infractum & irremissum ad finem usq; retinerent. Huc multæ illius admonitiones de aduentu Domini uicino tendunt. Hinc quidam occasione sumpta, præsertim ex priore ad Thessa. Epistola, diem Domini instare iam asseuerabant. Hic astu Satanæ cognito Thessalonicenses hortatur, ne sinant sibi imponi, quasi iam instet dies Domini. Poterant enim primum ex eo sermone fideles nonnihil turbari, quod adhuc pleraq; diẽ hunc præcursura, de quibus eos Apostolus ipse instruxerat, desiderabantur. Deinde & traditiones Apostolicæ de uita recto & tranquillo ordine instituenda, deq; eo quod præceperat, ut quisq; proprium panem laborando manducaret, nec curiose quicquam ageret, à plerisq; ut fieri solet, infringebantur, dum quisq; inani isto sermone persuasus, iam nullam amplius rerum suarũ rationem haberet, ut locus esset falso Christianis abunde sese ex alienis bonis ingurgitandi. quale est quod præteritis annis uidimus, quibus nõnulli pseudoprophetæ diem Domini non solũ certo anno, sed & certo die ad futurum impia temeritate mentiebantur. Tertio, quod omnium est pestilentissimum falsa illa securitas, qua dies domini adhuc procul abesse dicitur, inani isto sermone in animis Christianorũ cõfirmabatur: oriebatur enim cogitatio huiusmodi. Ecce iam toties diẽ domini instare prædictũ est, et tamẽ in hunc usq; diẽ nihil illius cõparuit. Quid itaq; toties frustra expectãdo ludimur? Sic astu Satanæ fallebãtur Iudæi sub aduentum Christi per Theudã et Iudã ac alios, quorũ quisq; Christum esse se mentiebatur, Act. 5. Vbi enim uidebant per hos sibi esse illusum, ita reddebantur de aduentu Christi, quod adhuc procul abesset, securi, ut etiã ubi aduenerat, iam aliquoties antea falsi, fidem illi habere non sustinerent. Rectè ergo Apostolus utrobiq;, illic diem Domini propè esse, ne locus sit malæ securitati, & hic nondum instare dicit: ne inualescant astus Satanæ. Interea tamen perpetuus esse debet desiderij huius & affectus tenor, quo dicamus quotidie: Aduenat regnum tuum.

Fiat uoluntas tua quemadmodũ in cœlo, sic etiam in terra.

Petitionem hanc quidam præcedentis uolunt esse declarationẽ, quasi tum regnet in nobis Deus, quãdo uoluntati eius in omnibus morẽ gerimus, ut sicut illa principatum obtinet in cœlestibus, ita obtineat etiam hic in terris. Negari quidẽ nõ potest, ad plenitudinẽ regni Dei requiri, ut uoluntas eius in terra fiat, æque atq; in cœlo, uerum

in eo non absoluitur uniuersa regni Christi fœlicitas, quæ magis in eo consistit, quod per gratiã ad uitam sumus electi, uocati & iustificati, quàm quod diuinæ uoluntati, ut par est, obedimus. Proinde malo petitionem hanc separatam à præcedente ac talem intelligere, quæ post desiderium cœlestis gratiæ ac regni Christi, debitam etiam ac perfectam requirat, & affectet obedientiam quæ in terris ita obtineat, ut cœlesti respondeat. Non aũt de illa obedientia debet hæc petitio intelligi, quæ necessitatis est non uolũtatis, qua ipsi quoq; spiritus mali & impijssimi quiq;, utut inuiti diuinæ uoluntati obedire coguntur, de qua dictum est illud: Esa. 46. Omnis uoluntas mea fiet, cui certè nemo resistere poterit, sed de ea, qua electi ex animo uolũtati patris cœlestis sese cõmittunt, illiq; pro mensura gratiæ in omnibus obtemperant, ut hæc petitio affectum habeat animi Deo patri subiecti, & ad uoluntatem eius per omnia consecrati ac dediti.

QVAE SINT HIC NOTANDA.

Principio notandũ est, quomodo quod pietatis studiũ cõcernit, et per omnẽ uitã studiose meditandũ & præstandum est: nempe, ut abnegemus nos ipsos, & patri cœlesti totos nos per omnia consecremus, ut iam nõ nobis sed ipsi soli uiuamus: nõ solũ præceptorũ nobis, sed & precãdi formula proponitur & inculcatur, ut quod opere præstandũ est quotidie, sedula simul prece à patre nostro petamus, ut ita & pietatis exercẽdæ studiũ, et animi Deo supplicantis uotum, ad eundem pariter scopum concordi cursu ferantur. Qua ratione simul admonemur, quam nequeat fieri, ut paternæ uoluntati per omnia obediamus, nisi per illius id nobis gratiam concedatur.

OBSER.

2 In eo quod à cœlesti patre hoc petere docemur, ut uoluntati ipsius passim obediatur ab omnibus, indicio nobis esse debet, facere hoc ad nostrã salutem ac felicitatẽ. Alioqui si Tyrannorũ more uoluntati suæ Deus, ob eam causam obtemperari uellet, ut nostri dominetur, non ut nobis bene sit, quomodo non extremæ dementiæ esset, hanc ab illo ueluti gratiã petere, ut uoluntati suæ nos reddat subiectos, cum magis ad nostrã miseriã quàm felicitatem facere ret? Et quid necesse esset filio Dei huius nos admonere, cum si solum peteretur in omnia cœleste dominium, illud etiam absq; nostro assensu ab inuitis quoq; posset obtineri? Constat itaq; admoneri nos petitionis huius formula, unde sit humani generis orta pernicies, & qua uia ad amissam ueræ salutis felicitatẽ sit regrediundũ. In eo erat humani generis felicitas, si à diuinæ uoluntatis conformitate non receßisset. Idem enim uelle idemq; nolle, ea demũ firma est amicitia. Hanc primus Adam per inobediẽtiam ac diuinæ uolũtatis transgreßionẽ amisit, nec ipse tantum amisit, sed & nos uniuersi, quotquot ex illo originem ducimus, ipsius inobediẽtiæ ueneno infecti sumus, & ab amicitia Dei desciuimus. Secundus uerò Adam, non solũ cum inimici essemus reconciliationem nobis patri ad mortem usq; obediens acquisiuit, sed & exemplar reliquit, quod cœlestis gratiæ participes facti sedulo imitemur, et quamuis contra cœlestem patrem inobediẽtiam cane peius & angue fugiamus, scientes hinc omnia esse mala, quod à diuinæ uoluntatis conformitate & obedientia decidimus.

De capite & omniũ perfectißimo obedientiæ huius exemplari pleraq; legimus, ut Ioan. 4. Meus cibus est, ut faciam uoluntatem eius qui misit me. Et Ioan. 5. Non quæro uoluntatem meam, sed eius qui misit me. Et cap. 6. Descendi de cœlo, nõ ut faciam uoluntatẽ meam, sed eius qui misit me. Et Psal. 40. Ebr. 10. In capite libri scriptũ est de me, ut faciam uoluntatẽ tuam. Qui hoc Christi spiritu ducuntur, hi sunt ueri filij Dei, & fratres Christi, de quibus Christus infrà 12. dicit: Qui sunt fratres mei? Quicunq; fecerit uoluntatem patris mei, qui in cœlis est, hic frater meus est. Et cap. sequenti. Non omnis qui dicit mihi: Domine Domine intrabit in regnũ cœlorũ, sed qui facit uolũtatẽ patris mei.

OBSER.

Tertio, fatemur aũt cum dicimus: fiat uoluntas tua, 3
quemadmodum in cœlo sic & in terra. Exigi à nobis non imperfectam ac semiplenam, sed planè perfectam et absolutam obedientiã: nempe talem, qua cœlestis spiritus Deo patri in omnibus obtemperant. Quid ergo delirant illi, qui statum perfectionis in Ecclesia fingunt, qui nõ sit Christianorum, hoc est, filiorum Dei, omnium, sed quorundam Monachorum & Nonnarum?

Ad hæc, fatemur uoluntatẽ Dei patris nostri nondum plenã assequutam esse in nobis obedientiã, sed adhuc obtinere in carne nostrã reliquias illas primæ inobedientiæ, quibus eò adigamur, ut bonũ quod iuxta sententiam patris nostri uolumus, non faciamus, & malũ quod nolumus, id demum faciamus. Quibus hoc dolet, ij demũ uerè precatiunculam hanc usurpare possunt, ut dicant: fiat uoluntas tua quemadmodũ in cœlo sic & in terra. Et hanc carnis nostræ inobedientiam non in ijs tantum, quæ iuxta diuinam patris nostri uoluntatẽ facienda nobis proponũtur, sed in ijs etiam quæ ferenda sub cruce sunt, obseruare, & deprecari debemus. Neq; enim hoc duntaxat iniunctũ nobis est, ut uoluntatẽ patris nostri, in quam sanctificati sumus, opere faciamus, sed & ut eandem per patientiam quoq; toleremus, hoc est, nos ipsos abnegemus, & crucem nostram amplexi, Christum dominum, patri ad mortem usq; pro nobis morigerũ sequamur, ac dicamus: Non mea uoluntas pater, sed tua fiat. Arduum est hoc carni quod etiã in Christo Iesu seruatore nostro manifestatũ est. Horret enim crucẽ ac deprecatur uehementer. Vincit tamen spiritus Deo sanctificatus, ut luctam hãc cum Christo terminet ac dicat: At non mea, sed tua uoluntas fiat.

OBSER.

Quemdmodum in cœlo.) Admoneamur hic, quæ 4
sit cœlestium spirituũ subsistendi lex & ratio, quæ tranquillitas ac sempiterna fœlicitas, in eo, quod uniuersi diuinæ uoluntati per omnia sunt cõformes. Quomodo enim non subsisterent, quomodo non summa tranquillitate, & uera felicitate fruerentur, quibus nihil est, quod diuinæ uoluntati reluctetur, nihil quod turbet, & à mente Dei alienet, nihil quod desideretur extra uolũtatem Dei? Vnde nanque in hac lachrymarum ualle tantum nobis est calamitatum, unde cot sunt dißidia, bella, & schismata in humano conuictu, tam in spiritalibus quàm terrenis rebus, quàm ex eo, quod neglecta uoluntate Dei suo quisque sensu, quantum permittitur, ducitur imò rapitur? Oremus ergo Dominum, ut spiritum hunc filiorum Dei nobis largiatur,

largiatur, qui nos doceat abiecta propria, diuinæ & paternæ totos addicere uolũtati, ut dum in hac uita ſumus angelicam & cœleſtem obediendi perfectionem meditemur, & ex animo ſingulis momentis dicamus: fiat uoluntas tua, quemadmodum in cœlo ita & in terra. Niſi enim hoc ſit, nunquam ab innumeris huius uitæ moleſtijs, nec à miſerabili iſto religionis noſtræ diſſidio & ſchiſmate liberabimur.

OBSER.

5 Sic etiam in terra.) Notandum hic, terræ huius, quam inhabitamus, eundẽ eſſe Dominũ, patrem noſtrũ, qui & cœlorũ eſt. Agnoſcimus hoc et fatemur cum oramus, ut uoluntas eius in terra perinde fiat, atq; in cœlo. Agnoſcimus & fatemur uerbo, ſed rogo quotuſquiſque eſt, qui iuſta id ac debita ſe obedientia agnoſcere teſtetur? Domini eſt terra, inquit, propheta, & plenitudo eius, orbis terrarũ, & uniuerſi qui habitãt in eo. Agnoſcimus hac precatiuncula & terram hanc quam dedit filijs hominũ, & illius inhabitatores uniuerſos, etiã eos, à quibus uera religio partim non agnoſcitur, partim ridetur, eſſe poteſtati patris noſtri ſubiectos. Cui non doleat tot nationes, quarum omnium Dominus eſt pater noſter cœleſtis, ignorare uoluntatem Domini ſui? Quis non deteſtetur ſapientiam illam mundi, per quam fit, ut & Cicero quæritur, quod tot mortaliũ myriades Dominum ſuum ignorant, nec intelligunt cui ſeruiant?

Deinde ſimul obſeruandum eſt, ubi locorũ uiuamus: nempe inter rebelles, in loco inobedientiæ, ubi Satan, aduerſarius Dei, principatũ inter inobediẽtes obtinet, ubi & diuinæ uoluntati contradicitur, & cum cœleſtibus ſpiritibus diſcrepatur. Cum enim dicimus: fiat uoluntas tua quemadmodũ in cœlo ſic et in terra. Fatemur quidem Deum patrẽ noſtrũ quemadmodũ cœlorum ita & terræ, et inhabitatorũ illius eſſe Dominũ, ideoq; iuſtum eſſe, ut & in terra quemadmodũ in cœlis uoluntati eius obediatur. Verum iuxta ſimul fatemur nõ eadem hic in terris obedientia, qua in cœlis, uoluntati eius morem geri. Sumus itaq; in hac terra, inter rebelles, perinde atq; ſi quiſquã in ciuitate defectrice agat, in qua Tyrannus aliquis principatũ contrà legitimũ illius principem obtineat. Quemadmodũ talis toto pectore optat, ut abiecto Tyranno ciues ad obedientiam principi ſuo debitam redeant, & ubi diuerſum fieri uidet, penes ſe, ſi nil queat aliud, ingemiſcit: ita & nos comparati eſſe debemus in hac terra inter inobedientes ac rebelles conſtituti, ut contrà omnem aduerſariã potentiã, & inobedientiam mundi huius quotidie, & ex animo precemur ac dicamus: fiat uoluntas tua, quemadmodũ in cœlo, ſic etiam in terra. Deinde, ut prædicationẽ regni Dei, qua ad obedientiam fidei Deo debitam reuocamur, non ſolum amplectamur ipſi, ſed hanc etiam & animi uotis, et quibuſcunq; poterimus conatibus proſequamur & iuuemus, etſi qua hoc nomine ferenda ſint aduerſa, cum gaudio feramus certum eſt, ſicuti & Chriſtus præmonuit, ſi obedientia hæc Deo præſtãda prædicetur in hoc mundo, perpetuo oritura diſſidia, contentiones, perſecutiones, ſeparationes, & bella, non ferentibus rebellibus et incredulis, ut à principe huius mundi deficiamus. Rom. 1

Hinc eſt, quod Euangelij doctrina tanquàm ſeditioſa, & publicæ tranquillitatis ac concordiæ diſſipatrix à filijs huius ſeculi blaſphematur & condemnatur. At hoc eſt, quod Chriſtus Lucæ 12 dixit: Putatis quod pacem uenerim mittere in terrã (rebellem uidelicet & immorigeram.) Non dico uobis, ſed ſeparationẽ, &c. uide locũ. Accede iam calumniator, qui doctrinam Euãgelij, dum ad obedientiam fidei nos uocat, tumultuoſi ſpiritus arguis & condemnas. Multum eſt hodie diſſidij, ſed quorũ culpa? Nimirum eorũ qui non patris noſtri cœleſtis, ſed uel ſuam uel magnatum huius ſeculi uoluntatẽ ſectãtur. Alioqui, ſicut Chriſtus Ioan. 7. dicit: Si quis uoluerit uoluntati eius obtemperare, cognoſcet de doctrina hac, utrum ex Deo ſit, uel ex hominibus.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

Hactenus quæ gloriam, regnum & uoluntatem patris noſtri cœleſtis, iam conſequẽter quæ nos concernũt, præſcribuntur. Eſt autem in hac præſenti formula nihil obſcuri, niſi quod attinet dictionem ἐπιούσιον, de qua ſuo loco memorabimus.

Panem.) Sub hac dictione non ſimpliciter panis eſt intelligendus, ſed ſimul quicquid ad neceſſariã uitæ ſuſtentationẽ requiritur. Sic Ebræi per hanc dictionem לחם ſæpenumero omne ciborum genus intelligunt. Ita 2 Reg. 6. in uerbis Elizei legimus: Pone panem & aquam coram eis, ut comedant & bibant, & reuertantur ad Dominum ſuum: ubi ſubiungitur, & appoſita eſt eis magna ciborum abundantia. Sic Lucæ 14. ingreſſus eſt Ieſus domum cuiuſdam principis ſacerdotum ſabbato manducare panem, quod certè non ita debet intelligi, quaſi panem tantum ibi manducárit. Et nos Germani hac dictione panis generaliter pro neceſſaria uitæ ſuſtentatione utimur, cum dicimus: er ſchneydt mir das brot uor dem maul ab. Ita nõ petimus his uerbis panem tantum à Deo patre noſtro, ſed ſimul omnia quæ corpori noſtro ſuſtentando ſunt neceſſaria. Cauendum etiam eſt, ne cum hoc oramus, cogitatione in certo aliquo ciborũ genere hæreamus, quo paſci nos oporteat, ſed ſimpliciter eam petamus alimoniam, quam pater cœleſtis nobis ſingulis temporibus pro ſua prouidentia deputauerit. Nõ enim in ſolo pane uiuet homo, ſed in quacunq; re quæ ex ore Dei egreditur.

Noſtrum.) Quod non ſimpliciter dicimus: Panem quotidianum da nobis hodie, ſed: Panem noſtrũ quotidianum da nobis hodie. Non ita eſt intelligẽdum, quaſi noſter ſit proprio iure, quẽ ſcilicet Deus nobis debeat, ſed quod nobis ſit neceſſarius, & à patre uitæ noſtræ ea prouidentia qua omnia ſua bonitate paſcit, deputatus. Omnia, inquit propheta, à te expectant, ut des illis cibum in tẽpore, dabis illis, colligẽt, aperies tu manũ tuã, ſatiabuntur bono, abſcondes faciẽ tuã, turbabuntur, auferes ſpiritũ eorũ, peribunt. Et alibi: Oculi omniũ te expectãt, & tu das illis eſcã ipſorũ in tẽpore ſuo. Aperis tu manũ tuam, & imples omne animal benedictione, &c. Pſal. 104 Pſal. 145

Admoneamur hìc miſeriæ & corruptionis noſtræ, qua fit, ut niſi cibo ſuſtentemur, ſubſiſtere nequeamus. Tales deus nos reddidit, qui primis noſtris parẽtibus dixit:

xit: Nequaquam moriemini, sed eritis sicut Dij, &c. Hactenus bestijs cõiungimur, terreno cum illis pabulo utentes. Deinde, discamus cõmunem hanc miseriam, quam petitione ista significamus, cum dicimus: panem nostrũ da nobis, non in nobis tantum, sed & in alijs, eidem sorti obnoxijs, agnoscere et considerare. Nemo nostrum, qui Christi sumus, dicit: panem meum, sed panem nostrũ da nobis hodie. Quibus sanè uerbis omnino hæc duo fatemur: unũ, cõmuni nos omnes necessitati esse obnoxios: alterũ, cõmunem etiã nobis cibũ è manu paterna deputari. Cogitent ista auari, & inexplebiles illi uentres, omnia ad se rapientes, qui ita uiuunt ac si soli habitent in terra, & cum aliorum dispendio infinitas opes coacerauant, dumq; alij esuriũt, ipsi opiparè deliciãtur. Quem locum habere possunt inter filios Dei, qui cum ore dicant: Panem nostrum da nobis hodie, corde, & opere, si possent, uniuersam patris nostri beneficentiam & alimoniam eam, qua sustentamur, ad se raperent: & quæ possidẽt, ita uel mordicus retinent, uel prodigaliter dilapidant, ac si reliquorum fratrum non interesit, quibus modis terrena hac substantia utantur?

DE PROPRIETATE ET COMMVnicatione bonorum inter Christianos.

Quoniam in hanc materiam incidimus, opinor, rudiorum gratia, haud abs re futurũ, si admonuero, quid inter rerum proprietatem & cõmunicationem sit retinendum medij.

Primo omnium, negari non potest amicorum esse omnia cõmunia, si Christiani fratres inter se sunt, ne dum amici, utiq; omnia illis esse debent communia. Vt cõmunis nobis est pater, ita & cõmunis est hæreditas. Ideò petitio ista eorum esse non potest, qui non sunt Christiana præditi φιλαδελφίᾳ. Quid tibi ueluti propriã uindicas? quod commune est omnium filiorum Dei? Quid uerbis sonas filiorum Dei ac fratrum uocem, cum corde & opere diuersum agas?

Quid ergo? Rectè igitur faciunt Anabaptistæ, quod bonorum communicationem & κοινωνίαν instituunt, & rerum proprietatem è medio tollunt?

Respondeo: Non est præter causam, quod moliuntur. Nimia siquidẽ & plusquàm gentilis obtinuit inter Christianos tenacitas: deinde & libidinosissimus ad uotũ rerum abusus, omni fraterna cõmunione exposa. De Christianis scribit in Apologetico suo Tertullianus: Omnia inquit, indiscreta sunt apud nos præter uxores. Interea tamen inepti homines à iusto scopo, quàm longissime aberrarunt, ne quisquam me illorum cõmentis delectari putet. Exemplum primæ Ecclesiæ, quod prætexunt, nihil illis patrocinari poterit. Neq; enim huius generis bonorum communicationem & κοινωνίαν illa habuit, qualem isti institutam cupiunt, qua uidelicet nemo Christianus quicquam sibi retineat, sed uniuersa aliorũ arbitrio dispensanda tribuat. Quod nanque Actõ. 2. legitur: Omnes aũt qui credebãt erant coniuncti. Non est intelligendum, quod monachorũ more desertis quisq; proprijs ædibus, in cõmuni, iisdem ædibus, conuixerint, sed ut statim eodem loco subditur, in templo erant quotidie perdurantes unanimiter: nõ quod in ædibus suis interea non comederint, & naturæ necessitati consuluerint, aut quod ædes suas uniuersi uendiderint, cum mox subijciatur: frangentes panes per singulas domos. Si panes per singulas domos fregerunt, respondeant Anabaptistæ, nouum monachorum genus, per quorũ domos panes Christiani Hierosolymis fregerint. Per infidelium ne? Non opinor quenquam hoc dicturũ. Ergo per fidelium domos panes frangebant, sumentes cibum &c. Quomodo igitur uniuersi ædes suas uendiderunt? aut reliquerunt? quomodo cœnobitarũ more cohabitarunt? Nihil est ergo aliud quod Lucas dicit: Quotquot crediderant erant coniuncti, quàm erant frequẽtes in templo. Perinde ac si dicas: Senatores perpetuo coniuncti sunt, quod non ita intelligendum est, quasi desertis proprijs ædibus monasticum conuictum instituerint, sed quod propter densitatem & grauitatem negociorũ, Rempublicam concernentium, in consultando sint solito frequentiores.

Deinde & illud Act. 4. Quotquot possessiones agrorum aut ædium habebant, uendentes adferebant precia eorum quæ uendita fuerant, & ponebant ad pedes Apostolorũ. Non aliter est intelligendum, quàm quod ditiores hoc fecerint, atq; ita fecerint, ut tamen interea domesticam suam administrationẽ nõ abiecerint. Quod enim quidam etiam post hoc factum ædes suas possederint, ex ipsis Apostolorum actis patet. Nam cap. 12. legimus Petrum Apostolum eductũ è carcere uenisse ad domũ Mariæ matris Ioannis, qui cognominabatur Marcus, ubi multi erant congregati, orantes, non dicit: habitantes, sed congregati, & orantes. Vt intelligas ad orandum in ea domo congregatam fuisse Ecclesiam. Rogo unde mulieri isti domus erat, si uniuersis Christianis necesse fuit, proprias domos uendere? Nihil ergo fuit illa cõmunicatio bonorũ aliud inter Christianos, quàm quod qui ditiores erant, agros, domos, et prædia uendebant, ut collatis in unum pecunijs, succurreretur pauperioribus, ne illi famis improbitate adacti, ad Iudaismum respicerẽt, præsertim cum essent suorum ope destituti, quæ sanè φιλαδελφίᾳ ita inter eos feruebat, ut singuli parati essent, sua fratribus egentibus impendere, eò quod corde essent uno, & anima una. Quod aũt ideò nemo inter Christianos quicquam possederit, quod scriptũ est, nec quisquam aliquid eorum quæ possidebant, suum esse dicebat, sed erant illis omnia cõmunia, tam nõ est uerum, ut etiam ex his ipsis uerbis diuersum euincatur. Si enim more cœnobitarum nihil possederũt, quid est, quod dicit: eorũ quæ possidebant? Ergo adhuc possidebãt bona sua. Possidebant quidem ita, ut illa non minus aliorũ usibus deputarent, quàm proprijs, si qua esset succurrendi necessitas, interea tamen ea possidebãt. Possidebãt quẽadmodũ Apostolus 1 Cor. 7. monet cum dicit: Qui emũt tanquam non possideant, & qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur. Possidebant itaq; & non possidebãt. Possidebant, laborando, utendo, dispensando. Non possidebant, largiter egenis impertiendo, et cõmunicando.

Sed demus talem fuisse bonorum cõmunicationem in prima Hierosolymitanorũ Ecclesia, qualem isti comminiscuntur, euinci tamen non poterit, exactam eam fuisse ab uniuersis Christianis, aut Apostolos eam instituisse

tuisse κοινοβίαν, ut non licuerit Christiano domestica seruare bonorum suorũ dispensationẽ, cum Act. 5. ita legamus. Dixit autem Petrus, Anania, cur impleuit Satanas cor tuum, ut mentireris spiritui sancto, et fraudares de precio agri? Nónne prorsus tibi manebat, & uenundatus in tua erat potestate? Quomodo potuisset Petrus hoc dicere, si Christianis quasi lege fuisset iniunctum, ut uẽditis omnibus, & desertis domibus, cœnobitarum statum amplecterentur? An non dicit agrũ prorsus conseruari potuisse? Deinde etiam uenditi agri pecuniam in Ananiæ fuisse potestate? ut quid ergo illum tam seueriter increpat? Quia, uelut spiritum sanctum fallere posset, simulabat se integram uenditi agri adferre pecuniam, cum partem illius sibi retinuisset. Fraudis ergo & mendacij gratia correptus est. Nihil igitur est, quod ex hoc loco colligunt Anabaptistæ. Quin plerisq; Actorum locis legimus Christianos, domos, & propriarum facultatũ sibi retinuisse administrationẽ, ut, Act. 9. legitur de Thabita, quæ plena fuerit operibus bonis, tunicas & uestes faciens uiduis & pauperibus. Et cap. 12. de domo Mariæ matris Ioannis, cuius suprà memini. Et cap. 9. mansit Petrus apud Simonem coriariũ dies multos, utiq; Christianum, & ædes suas retinentem. Et cap. 11. discipuli, prout cui suppetebat, subsidium mittebant habitantibus in Iudæa fratribus. Ecce, prout cuiq;, inquit, suppetebat. Quid autẽ cuiq; suppetere potuisset, si nihil possedissent? Et cap. 16. Lydia purpurariũ uenditrix, cum esset baptizata, dicebat: Si me fidelem domino iudicatis, introite in domũ meam, et manete apud me. Cur non dicit: Vendite domum meam, sed introite in domum meam, nisi quia ita domum suam poßidebat fidelis facta, ut hanc & Apostolis communem faceret? Et cap. 20. gloriatur Paulus coram Ephesianis, dicens: Argentũ & aurũ, aut uestem, nullius concupiui. Quam haberent ista rationem, si nemini Christianorum licuisset retinere rerum suarum poßeßionem. Et cap. 21. Philippus diaconus, unus ex septem Cæsariæ, domum & 4. filias habet. Cur domum suam non uendidit? Et Philemon hospes Pauli non solum domũ, sed et seruũ habet.

Quid ergo relinquitur aliud, quàm non esse consilium spiritus sancti, ut hoc uitæ genus inter Christianos statuatur, sed ut quisq; domum suam bene gubernet, & fratrum necessitatibus pro sua uirili consulat. Sic Apostolus 1 Timo. 5. dicit: Quòd si qua uidua liberos aut nepotes habet, discat primum propriam domũ pie tractare, & uicem rependere maioribus. Hoc enim est honestum & acceptũ coram Deo. Item: Quòd si qua suis, & maximè domesticis non prouidet, fidem abnegauit, et est infideli deterior. Quid quæso, uiris scriberet, si ad hunc modum mulierculis præcipit? Item: Volo igitur iuniores nubere, liberos gignere, domũ administrare, nullam occasionem dare aduersario, ut habeat maledicendi causam. Et Tit. 2. exigit, ut adolescentulæ mulieres domum bene custodiant. Et 1 Thessa. 4. sic scribit: Obsecramus autem uos fratres, ut abundetis magis, & in hoc incumbatis, ut quieti sitis, et agatis res proprias, & operemini proprijs manibus, sicuti uobis præcepimus, & nulla re uobis sit opus. Et 2 Thess. 3. Etenim cum essemus apud uos, inquit, hoc præcipiebamus uobis, ut si quis nollet operari, nec ederet. Audimus enim quosdã uersantes inter uos inordinate, nihil operis faciẽtes, sed curiosè agentes. Istis autem præcipimus & obsecramus per Dominũ Iesum Christum, ut quiete operantes suum ipsorum panem edant. Et quid in aliis Epistolis aliud facit, ubi & parentibus & liberis, & coniugibus, & dominis ac seruis præcipit, quàm quod uitam & administrationem domesticam bene instituit, tam abest, ut κοινοβίαν illam uel monachorũ uel Anabaptistarũ à Christianis exigat. Ebr. 13. præcipitur, ut hospitalitatis non simus immemores propositis exẽplis Abrahæ & Loth, id quod utique is non poterit, cui necessario iniungitur, ut omnem bonorum suorum poßeßionem & administrationem abijciat.

Patet itaq; haud parum errare Anabaptistas, quod talem conantur necessario bonorum cõmunicationem inducere, qualem nec Christus unquã, nec Apostoli exegerunt, nec exemplum Ecclesiæ Hierosolymitanæ præscribit: Interea tamen, sicut et suprà memini, Christianos illos probare non possum, qui sua non aliter acquirunt, non aliter poßident, non aliter dispensant, quàm si minus sint ipsis Gentibus Christiani, imò Gentibus inhumaniores, idq; erga fratres miseros & egenos, cum tamen ore dicant: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Ore sonant Christianam uocem, corde seruant illud meum & tuum. Nefas

Quotidianum.) Quod græce est ἐπιούσιον, uarie uertitur. Quidam supersubstantialem, uel supereßentialem, quidam eximium, alij peculiarem, nonnulli crastinum reddunt, quemadmodum & Hieronymus in Euangelio Ebræorum מָחָר, id est crastinum, scriptum esse dicit: Nam & Græcis ἐπιοῦσα crastina dies dicitur. Vt Act. 7. τῇ τε ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ, id est postero die, sicut & Erasmus annotauit.

Qui supereßentialem legunt, putant hunc panem ob eam causam sic dici, quod cœlestis sit, non terrenæ naturæ, de uerbo Dei intelligentes, ut ὢν sit idem, atq; suprà, & ὄσιος essentialis. At ἐπὶ aliquando uel cum, uel ad uel in significat: unde ego malim ἐπιούσιον exponere, cum existente uel inexistẽte, die uidelicet, id est, qui pertineat ad præsentem quemuis diem, id quod exprimimus cum panem hunc quotidianum uocamus. Vel si quis malit ἐπὶ sumere pro, ad, erit ἐπιούσιον idem quod crastinum. Aut certè potest ὄσιον non pro die, sed pro essentia accipi, ut ἐπιούσιον sit, quod essentiæ nostræ cõueniat, ad pascendum uidelicet accõmodum. Est autem crastinum Ebræis plerunq; idem quod quotidianum, ut Gen. 30. Cras respondit mihi iustitia mea, quod idẽ est atq; quotidie, hodie, cras, perendie, alle tag. Vt reddatur constat nos pro pane impetrando orare, qui nobis & necessarius sit, & quotidianus.

Notemus hic, primum cuius nos fames recurrens, ob quam panem quotidianum à Deo petimus, admoneat. Nempe mortales esse nos & corruptibiles. Huius admoneri nequeunt, qui fames molestiam non sentiũt, imò perpetuo præueniunt.

Deinde,

Deinde, cogitemus etiam, qua fiducia neceßitatem hanc noſtram Deo patri noſtro proponere debeamus. Cum enim tales nos fecerit, utiq; neceßitatem hanc noſtram ignorare nequit. Hac de re ſuprà, ibi: Nouit enim pater ueſter, quibus rebus opus ſit uobis.

Da.) Cum hoc dicimus, fatemur, primum omnem uitæ noſtræ ſuſtentationem non niſi à Deo eſſe, quod is ſit, qui ſolus omnia paſcat. Deinde, eſſe donum Dei gratuitum, ita ut niſi ille det, nihil poßit quantuſcunq; noſter labor, nihil efficiat uniuerſa noſtra induſtria. Horũ admonemur hac precatione, ut agnoſcamus & nos & uitam noſtrã pendere à patris noſtri benignitate ac liberalitate, ut rectè ille dixerit: Θεὸς δ' ἀδιδόντος οὐδ' ἡ ἰσχὺς φθονός. καὶ μὴ διδόντος οὐδὲν ἰσχὺς πόνος.

Gregorius Nazan.

Hinc tamen nemo colliget, non eſſe uictum labore manuũ quærendum: propterea quod Deo dante, omnia iuxta prophetæ dictũ, implentur bonitate, illo uerò non dante, nihil ullo efficitur labore. Nam Adæ dictum eſt à Deo: In ſudore uultus tui ueſceris pane tuo. Laborandum eſt, ſed nihil adſcribendum noſtro labori. Qui iplantat, inquit, Apoſtolus nihil eſt, qui rigat nihil eſt, ſed qui incrementum dat Deus, 1 Corin. 3. & 2. Corin. 9. Qui dat ſemen, inquit, ſeminanti, & panẽ comedenti. Semen quidem dat, ſed ſeminanti, incrementũ dat, ſed plantanti & riganti, non dormitanti. Pigris itaq;, & ex alieno labore uiuentibus, dicendum eſt illud, Prouer. 10. Manus pigra & remiſſa egeſtatem parit. Et illud Apoſtoli Ephe. 4. Laboret unuſquiſq; manibus ſuis quod honeſtum eſt, ut habeat, unde det neceßitatem patienti, & 2 Theſſa. 3. Qui non laborat nõ manducet. Hoc hominũ genus, meo iudicio ad ea relegandũ eſſet, quæ nulla humana cura & laboris moleſtia, ſed ſuapte ſponte proueniunt, ut ex illis beſtiarũ more uitam ſuſtentet. Illis uerò qui nimia cura diſtenduntur, quaſi labori et ſollicitudini ipſorũ ſit adſcribendum, unde uiuunt, proponendus eſt, Pſal. 127. & inculcanda petitionis huius cõditio, admonendiq; ſunt, ut laborem quidem non abijciant: interea tamen diuinã prouidentiam & beneficentiam, unde uita noſtra ſuſtentatur, agnoſcant, & in hunc unũ ſpem uictus acquirẽdi collocent à quo ſunt, et per quẽ omnia: animantia, uolucres, piſces: terræ naſcentia, aurum, argentum, ligna, lapides, linum, lana &c. Quis alius iſta facit, producit, & conſeruat? Quid ergo labor noſter, & omnis cura eſt, quàm quòd ex theſauro Dei, unde omnia ſunt, quærimus unde uiuamus? Sed quæſo quid inueniemus, niſi primũ reponat Deus quod quærentes inueniamus? Quis neget in manu Dei eſſe, ut præter omnẽ laborem, inſtar uolucrum, alamur & uiuamus? Noluit hoc, ſed dixit: In ſudore uultus tui ueſceris pane tuo. Rurſus, quiſnam piorum neget non labore noſtro, ſed diuina beneficentia prouenire, unde uiuimus? Quæ itaq; laborandi ratio alia eſt, quàm ut in fide & cognitione Dei patris noſtri inſtituamur, dum cooperatores illius ſumus, & reipſa admirabilem illius uirtutẽ experimur. Quis melius experitur, quæ ſit diuini incrementi admiranda uis, quàm qui plantat & rigat? Itaq; ut hanc Dei uirtutẽ reipſa experiamur, & certo cognoſcamus, mandatum eſt, ut laboremus. Deinde, ut à bonitate eius pendeamus, nec putemus licere nobis, ut noſtro arbitrio temerè quiduis è bonis paternis uſurpemus, iubemur orando petere quæ neceſſaria ſunt, ut patre noſtro largiente, & paternam illius bonitatem ac prouidentiam exoſculemur, & datis bonis ſanctè & bona cum conſciẽtia utamur. Nam alioqui quid attinet filios Dei panẽ à Deo patre petere, cũ is tantã quotidie impiorũ multitudinẽ paſcat, à quibus nec agnoſcitur nec imploratur?

Nobis.) Quod nõ dicis, da mihi, ſed da nobis. Huc facit, ut ipſa petendi formula admonearis, non tuæ ipſius tantum, ſed & fraternæ neceßitatis habere rationem, ſicuti charitas, non quæ ſua tantum, ſed & aliorum ſunt quærit. Qua fronte quæſo, qui non ſolum nulla fraternæ neceßitatis cura tenentur, ſed & in fratres iniurij quoque ſunt, & quæ illis neceſſaria ſunt, uel fraude uel ui interuertunt, & ad ſe rapiunt, in conſpectum patris prodire ac dicere non uerentur: panem noſtrum quotidianum da nobis hodie? finge talem uicinum, qui cum proximum lædat & opprimat, uel certè fame perire ſinat, cum ipſe abunde diues delicietur, ad te ueniat ac dicat: quæſo da mihi & iſti uicino meo quod edamus: Obſecro, quid iſti reſponderes? Proinde hæc petitio prorſus nõ eſt filiorum huius ſeculi, nõ eſt tenacium, non eſt fraudatorum, non eſt uſurariorum, non eſt rapacium ac uiolentorum, ſed ſolum filiorũ Dei, qui fraternæ ſunt charitatis ſenſu & affectu præditi, quem à nobis cœleſtis pater unice requirit, cui etiam nihil omnino quod neceſſarium ſit negare poterit.

Hodie.) Admonemur hac uocula, primũ ut credamus nos ſingulis diebus de manu patris ſumere, quæ ſunt neceſſaria. Quemadmodum ſi quiſquã ex aula Regia quotidie paſcatur, aut quomodo liberi in ædibus paternis quotidie paterna prouidentia & cura aluntur. Neq; enim eſt adeò diues quiſquam, cui non ſit neceſſe, ut quotidie neceſſariam alimoniam ac uitæ ſuſtentationem diuinitus accipiat. Niſi enim hanc Deus quotidie largiatur, nihil proderunt uniuerſa promptuaria, etiãſi ſint omnium refertißima. Sic Lucæ 11. ubi hic noſter habet σήμερον, legimus τὸ καθ' ἡμέραν, id eſt, per ſingulos dies. Vult ergo nos Chriſtus tam diuites quàm pauperes non aliter animatos eſſe, quàm quibus ſit per ſingulos dies omnis uitæ noſtræ ſuſtentatio, à patre noſtro cœleſti petenda & accipienda.

Deinde admonemur, ut omnem craſtinæ neceßitatis curam abijciamus, contenti præſenti beneficio Dei, ut habeamus in diem unde uiuamus. Ignoramus enim uitæ noſtræ ſpacium, nec dubitare debemus, ſi eras uicturi ſimus, non defore quæ uitæ ſuſtentandæ ſint neceſſaria, ſicuti nos Germani pulcherrimo prouerbio dicimus, kumpt tag ſo kumpt radt. Huc pertinet hiſtoria Mannæ de qua Exo. 16. Sed hac de re infrà hoc capite peculiariter ac fuſius admonebimur.

Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris.

Quid dictione debiti hac ſit petitione intelligẽdum, antequã quæ notanda ſunt, conſideremus, obiter uidendum eſt. Quod oramus remitti nobis debita noſtra, non ita intelligendum eſt, quod nolimus amplius debitores eſſe

esse Deo. Debemus Deo dilectionem ex toto corde, tota anima &c. Ergo dilectio debitum est, quod utiq; reddere debemus. Debemus Deo obedientiam in omnibus. Ergo obedientia debitum est, quo Deo sumus obnoxij. Sic Christus Lucæ 17. Etiamsi omnia feceritis, inquit, dicite: inutiles serui sumus, quod facere debuimus, fecimus. Cum igitur dicimus: Et remitte nobis debita nostra, uolumus ne post hac Deo nihil horum debere? Absit. Non de huius generis debitis, sed de peccatis loquimur, unde in Luca est hoc loco. καὶ ἄφες ἡμῖν τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν. Et remitte nobis peccata nostra. Sunt ergo peccata debita, ut peccare debeamus, quandoquidem iustum est, ut debita reddantur? Absit & hoc? Peccata non sunt debita, sed reddunt nos debitores diuinæ iustitiæ. Debita uerò sunt, quæ propter delicta nostra ad satisfaciendum iustitiæ Dei, uel facienda sunt uel patienda, nisi per gratiam Dei remittantur. Qui in leges peccauit, uel ciuiles uel imperiales, debitor est magistratui. Debet autem non transgressionem, sed propter transgressionem pœnas & satisfactionem. Itaque hac significatione debitorem esse, est esse culpabilem & debitis pœnis obnoxium.

Deprecamur itaq; hac precandi formula, indignationem patris nostri cœlestis, & meritas ac debitas peccatis nostris pœnas, & reconciliationem ac placationem ambimus. Nec immeritò. Quid enim germano & syncero filio acceptius fauore ac dilectione patris? Quid intolerabilius indignatione parentis? Cum ergo in eo sita sit, omnis salutis nostræ ratio, ut cœlestis patris nostri gratiam retineamus, merito indignationẽ eius deprecamur. Alioqui quid impetrabimus ab irato? Quid dabit exacerbatus, cum nemini quicquã debeat, etiamsi non peccemus? Quis enim illi prior dedit, ut ei retribuatur? Itaque duplici nomine rectè hac precandi formula instituimur, ut in malis deprecandis, primum omnium paternam indignationem deprecemur. Primo, quod hoc sit, ut memini, ingenui filii & patrem syncere diligentis ingenium, ut nihil minus ferre queat, quàm paterni pectoris offensionem. Deinde, quod ipsa nostra necessitas, & unica salutis ratio, ferre nequeat, ut offensam habeamus diuinam illam maiestatem et bonitatem, sine qua nemo uspiam subsistere poterit. Sed uideamus quæ hoc loco notanda ueniant.

OBSER.

1 Principio exigit hæc deprecatio, ut uerè agnoscamus nos esse peccatores. Non est enim homo qui faciat bonum, & non peccet. Et Psal. 142. Ne intres in iudicium, inquit, cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et 1 Ioan. 1. Si dixerimus quod peccatum non habeamus, nos ipsos seducimus, & ueritas eius in nobis non est. Licet enim nonnullis forsan datur, ut coram humano iudicio sint irreprehensibiles, coram diuino tamen nemo insons est, ne puer quidem unius diei.

Nemo autem satis esse putet, si simpliciter in genere peccatorem se cum alijs esse cõfiteatur, id quod plerique faciunt, sed ea habenda est uitæ, & commissorũ nostrorum ratio, ut peculiaria & certa peccata obseruemus ac deploremus, illorumq; remissionem petamus. Inuenias enim plerosq;, qui peccatores quidem esse se non negent, interea tamen ubi delinquunt, sibijpsis propè blandiantur, ac dicant: Ah uerè omnes miseri sumus & peccatores, atq; ita in conscientijs suis nullum peccati sensum graue ac serium experiantur, nec peccatis, quibus iram Dei prouocant, abstineant. Non est hæc uera peccatorũ agnitio & confessio. Deest enim spiritus contritio & humiliatio. Tales peccatorũ confessores sunt, qui cum quotidie ubi sacra peragenda sunt, in speciem confiteantur, nunquam tamen eos uerè delictorum pœnitet, nec uitæ immunditiam abijciunt.

Nihil hic dicam de hypocritis illis qui se iustos arbitrantur, & quosuis præ se fastidiunt, eò quod externis illis & crassis peccatis non sunt obnoxij, cum sint spiritu planè impij, superbi, & φιλαυτοί. Hoc hominũ genus non cum Christi, sed Satanæ iustitia communicant.

OBSER.

2 Secundo loco, opus est, remissionẽ peccatorum petituris, ut hanc esse credant apud Deum, hoc est, ut credant Deum ita bonum esse, ut ignoscat delinquentibus, si conuertantur & resipiscant. Aegerrimè hoc credit humana imbecillitas, quæ Deum humano affectu æstimat, & ea præditum esse duricie putat, ut perinde atq; nos solemus delinquentibus uel nunquàm, uel raro ac difficulter remittat. Sensus hic retundendus est, & promissionibus & oraculis diuinis alenda hæc fides, quod facilis sit Deus ad remittendum peccata resipiscẽtibus. Sic Esa. 55. legimus. Quærite Dominũ dum inueniri potest, inuocate eum dum propè est, derelinquat impius uiam suam, & uir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum: quoniam multus est ad ignoscendum. Nõ enim cogitationes meæ sicut cogitationes, uestræ: neque uiæ meæ sicut uiæ uestræ dicit Dominus. Nisi hanc bonitatem Dei, quam uniuersa nobis scriptura prædicat, fide certa crediderimus, nunquàm cum fiducia peccatorum nostrorum remissionem petere poterimus. Moses Exo. 34. ut cum fiducia remissionem eius peccati quod populus in ipsius absentia commiserat, peteret de bonitate & clementia Dei præmittebat, dicens: Dominator Domine Deus, miserator & clemens patiens & multæ miserationis ac fidelis, qui custodis misericordiã in millia, ac tum subiungebat: qui aufers iniquitatem & scelera atq; peccata. Quid his diuinæ bonitatis epithetis aliud egit, quàm ut fiduciã impetrandæ propiciationis ac reconciliationis in se firmaret? uide Psal. 103. Huc itaque pertinet, quod Christus nos hic orare docet, ac dicere: Remitte nobis debita nostra. Nisi enim resipiscentibus & condonationẽ orãtibus esset apud Deum parata remissio, frustra nobis esset ista data precandi formula.

Neq; putandum est leuium quidem erratorũ ac delictorum, at non grauium peccatorum apud Deum esse remissionem. Nam hæc opinio grauiter misericordiæ Dei derogaret, cuius nec numerus est, nec mensura, nec finis. Ideò proposita sunt in scripturis exempla eorum qui admodum grauiter peccauerunt, ut Dauidis, publicani, peccatricis, latronis, &c. Sic Esa. 1. Si fuerint pec-

cata uestra, inquit, rubicunda sicut uermiculus, sicut lana alba erunt.

OBSER.

3 Tertio loco, notandum est, quod pro peccatorum remissione impetranda ad neminem nos mittit, nisi ad Deum patrem nostrum. Et merito. Quis enim remittere poterit noxam non in se, sed in alium commissam? Si quẽ offendisti nisi ipse qui offensus est, ignoscat, non erit remissa noxa, etiamsi alius quisquã hanc condonare uolet. Vnde & Christus eum qui fratrem læsit, ad eum qui læsus est reconciliationis gratia mittit suprà cap. præcedenti. Cum ergo in Deum peccemus, & salus nostra nisi illo placato, constare nequeat, planè liquet peccatorum nostrorum condonationem nõ nisi ab ipso Deo, per nos læso & offenso, iuxta hanc præscriptam formulam, esse petendam. Hinc Dauid Psal. 32. dicit: Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Sic Esa. 43. legimus: Ego sum inquit, ego ipse sum, qui deleo iniquitates tuas propter me. Et Lucæ 5. Quis est qui peccata remittat nisi solus Deus. Non est autem quod quisquam hic dicat, non esse hoc à Christo, sed à Phariſæis dictum. Christus enim hoc non solũ non negauit, sed & confirmauit etiam, miraculo ostendens diuina se præditum esse potentia, & potestatem habere remittendi peccata. Vide Chrysost. super Matthæum cap. 9.

Dicet hic quisquã, si solius Dei est remittere peccata, quid est quod Christus Ioan. 20. discipulis dixit: Quorum remiseritis peccata remittũtur eis: & quorum retinueritis retenta erunt?

Respondeo: Nihil hoc derogat ei, quod peccata remittere Dei solius potestati conuenire dicimus: Apostolis enim nihil cõmittitur aliud quàm legatio illa Euangelica, pro Christo subeunda, ad prædicandũ pœnitẽtiam, & remissionẽ peccatorum, Lucæ ultimo, & Marci ultimo illis dicitur: Prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit, qui non crediderit condemnabitur. Hæc functio non pertinet nisi ad Euangelij ministros, quibus Ioan. 20. dictum est, sicut misit me pater, ita & ego mitto uos. Et tamen illi nõ remittũt peccata suapte potestate, sed sicut Christi ministri & gratiæ prædicatores credentibus ac resipiscentibus remissa esse annunciant. Chrysost. Ioan. 20. rem hanc similitudine appositа declarat, nimirum principis alicuius, qui seruos suos uel ad ligandum reos uel ad soluendum mittit, quibus non potest adscribi, alia ligandi uel soluendi potestas, quàm quæ sit ministerialis: & nõ ab ipsorum, sed à principis sententia pendeat. Ita habet & ministerium Apostolicum, cui non licet à Deo ligata soluere, nec à Deo soluta ligare, sed per prædicationem Euangelij & gratiæ Dei ligare incredulos & soluere credentes, hoc est, annunciare istis salutem, illis condemnationem. Qui hæc perpendit facile intelliget, adhuc quod dico uerum esse: Nempe non nisi in solius Dei potestate sitam esse peccatorum remissionem.

Vide historiã prophetæ Nathan. 2 Sam. 12

OBSER.

4 Quarto loco & hoc notandũ est, quod aditus nobis ad thronum gratiæ per Christum aperitur, in eo quod nos absq; ulla sanctorum aliquorum mediatione, aut intercessione ad patrem cœlestem mittit, & ut ab eo ipsi remissionem peccatorum neq; id solum pro nobis ipsis, sed & pro singulis fratribus petamus, docet & instruit. Quis enim negare poterit Dominicam hanc precandi formulam omnibus esse Christianis à Domino traditã. Conuincitur itaq; irrefragabiliter Christianis omnibus accessum esse ad thronum gratiæ, ad petendam & impetrandam peccatorum remissionem, qua de re uide ad Ebræos 5. & 10. Et hoc est quod Iacobus ultimo dicit: Orate alius pro alio ut saluemini. Quid ergo in Ecclesia Christi, aliud quàm quæstum uenati sunt, qui potestatem sibi usurparunt, pro peccatoribus ad Deum intercedendi & sacrificandi?

OBSER.

Quinto, nec hoc prætereundum est, quod non instruimur ut dicamus: Patientiam habe erga nos, & omnia soluemus tibi, sed: Remitte nobis debita nostra. Admonemur omnino hac precandi formula, quo pacto euadamus tribunal illud iudicij Dei: nempe nullo alio, quàm obtenta per gratiam peccatorũ remissione. Cur illud? Quia uidelicet soluendo non sumus. Ob eam causam docet nos ad thronum gratiæ confugere, & delictorum cõdonationem spiritu contrito & humiliato, à cœlesti ac benignissimo patre petere. Vnde ergo commentum illud de satisfactionibus pro peccatis, quæ Deo fieri debeant, (alioqui quid Ecclesiæ publicis criminibus offensæ debeatur probè scimus) in Ecclesiam Christi irrepsit? Si soluenda sunt Deo debita nostra, & omnino iustitiæ illius satisfaciendũ est per nos, cur Christus hic nos ad thronum gratiæ mittit, & ut peccatorum remissionem petamus, docet? 5

Quod soluitur certè non remittitur, & uicissim, quod remittitur non soluitur. Vbi debita satisfactio est, ibi iustitiæ rigor: ubi uerò peccatorum est remissio, ibi gratiæ beneficium est. Quemadmodum enim Apostolus Rom. 11. dicit: Si ex gratia iam non est meritum: si meritum iam non est gratia, ita & hic dicere licebit: Si satisfactio requiritur, non est petenda peccatorum remissio: si per remissionem peccatorum Deo patri reconciliamur, iam non est amplius exigenda satisfactio, & ut Ebr. 10. legimus, ubi remissio est, ibi nõ est amplius oblatio pro peccatis. Quid ergo cõmentum eorũ est, qui fingunt se sacrificare pro peccatis uiuorũ & mortuorũ?

OBSER.

Postremo, notandum etiam est, quàm non frustra usurpata sit debiti dictio, ut dicamus: Remitte nobis debita nostra. Hac nanq; precandi formula docemur, non solum culpæ uel reatus, ut loquuntur, sed & pœnæ debitæ remissionem petere. Neq; enim debitum uel peccatum est, uel culpa, uel reatus, sed id quod satisfactionis loco diuinæ iustitiæ deberetur, nisi gratiæ interuẽtu liberaremur. [illegible] ergo docemur à Christo, ut debitorũ remissionem petamus, quid aliud promittitur, quàm omnimodam remissionem tam pœnæ quàm culpæ paratam esse coram Deo resipiscẽtibus, & remissionẽ orantibus? Esa. 43. Peccatorum, inquit, uestrorũ non recordabor 6

dabor amplius. Et Ebr. 10. Peccatorum eorum non recordabor amplius. Esa. 1. Sicut lana alba erunt. Et Luc. 7. Fides tua te saluam fecit, uade in pace. Quomodo in pace, nisi plene remissa & culpa & pœna? Quid ergo cõmentu n est ignis purgatorij post hanc uitam, & Romanarum indulgentiarum, quibus se dicunt animas è purgatorio liberare, quas ignis illius, propter nondum absolutam satisfactionem pro peccatis, misere cruciet?

Obijciet quisquam. Si remisso peccato remittitur & pœna, quomodo domus Dauidis post remissum peccatũ diuinitus est punita? 2 Sam. 12. Respondeo: Aliud est castigatio, qua suos Deus uirga paterna castigat, & aliud satisfactio, qua per debitam pœnam diuinæ iustitiæ satisfieri debeat. Pœna hæc remittitur, at castigatio filiorum Dei non ita. Psal. 88. Visitabo, inquit, in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus peccata eorum. Et Ebr. 12. Flagellat omnem filium quem recipit. Diuinæ iustitiæ satisfacere nemo poterit, ne pro uno quidẽ peccato, castigari uerò & flagellari possumus etiam pro omnibus delictis, uel misericorditer in hac uita, uel iusto iudicio in futura. Castigatio illa non ideò infertur, quod per hanc sibi Deus satisfieri uelit, sed ut erudiat nos, & in posterum cautos reddat. Dauidi itaq; peccatum quidem remissum est, & simul debita peccati pœna condonata, castigatio uerò & disciplina non itẽ. Neq; enim prodest filijs Dei, si hæc remittatur: neq; ullis etiam indulgentijs tollitur. Neq; enim talis est Deus, de quo illud dici posit. Blanda patrum segnes facit indulgẽtia natos. Corripit suos, ne cum hoc mundo damnentur, & uirga filiorum Dei eos erudit, non quia peccatum est, sed ne peccetur in posterum.

Sicut & nos remittimus debitoribus nostris.

Adiectionem hanc quidam intelligunt esse conditionalem: quidã uerò putant similitudinis tantum uice positam. Quod hic positum est, ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφίεμεν, sicut & nos remittimus. Lucæ 11. legitur: καὶ γὰρ αὐτοὶ ἀφίεμεν παντὶ ὀφείλοντι ἡμῖν: nam & ipsi remittimus omni debenti nobis. Siue conditionem hic, siue similitudinem admittamus, omnino conspicuum est, exigi à nobis, ut debitoribus nostris remittamus, nisi nolimus nobis à Deo quæ debemus, remitti.

Ratio huius particulæ est, studium concordiæ fraternæ, quod ita à nobis pater cœlestis requirit, ut etiam oblationes nostras acceptare nolit, nisi à reconciliatis, qua de re suprà cap. 5. uidimus. Accedit & lex illa naturæ, omnium iustissima, quæ iubet ut faciamus ipsi alijs, quod nobis fieri uolumus, ut merito uideatur omnium impudentissimum à Deo petere debitorum remissionem, quam ipse proximo neges.

OBSER.

1 Primum. Si absq; peccatorum remissione salus nostra constare non potest, sicuti propheta dicit: Domine, si iniquitates obseruaueris quis sustinebit. Item: Ne intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens: deinde, speranda non est peccatorum remissio, nisi nos quoq; debentibus nobis fratribus remittamus, ergo sine fraterna concordia & reconciliatione, fieri non potest, ut salutem consequamur. Debebant hoc animaduertere, qui peccatorum remissionem in confessione auriculari, quæ sacerdoti fiat, missis, peregrinationibus, & Romanis indulgentijs quærendam esse docuerunt.

OBSER.

Deinde, quoniã quotidie peccamus, ut quotidie dicendum nobis sit: Remitte nobis debita nostra, sequitur 2
& quotidie remittendum esse debitoribus, quia dicendum est: sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Dicendum autem est eadem ueritate qua præmittimus dicentes: Remitte nobis debita nostra. Huc pertinet illud Apostoli Eph. 4. Sol non occidat super iracundiam uestram. Hac de re infrà capite 18.

OBSER.

Expendamus etiam hoc loco, quanta sit patris nostri bonitas, qua fit, ut non quid sibi debeatur, sed quid 3
nobis prosit, requirat. Remittit nobis debita nostra, hoc est, iuri suo cedit, & à nobis uicissim requirit, non tale quid, quod sibi uel tantillum, sed quod nobis plurimum conducat: Nempe, ut fratribus nostris quæ in nos deliquerunt, remittamus, ut pax, dilectio, & concordia inter nos seruari possit. Quantum uerò sit pacis & concordiæ fraternæ bonum, prophetica admiratio admonet, cum dicit: Ecce quàm bonum & quàm iucundũ sit, si fratres habitent in unũ, finge principem esse, qui cum subditorũ transgressiones iure ulcisci possit, ita non delectetur illorum perditione, ut paratus sit omnia remittere, modo curent, ut inter se reconcilientur, & in gratiam mutuam redeant. Quis quæso nõ merito huiusmodi principis clementiã prædicet, & intelligat ab eo non peti aliud, quàm ut subditis suis omnia sint pacata, tranquilla & prospera? At quid aliud est, quod in Deo nobis hic proponitur, quod paratus est ignoscere sibi debentibus, modo ipsi fratribus remittant, quàm summæ bonitatis & clementiæ indicium? Ps. 132.

OBSER.

Cum hæc ita habeant, quomodo excusari poterimus, 4
si proximis remittere nolimus? Quomodo precatiunculam istam ad impetrandam peccatorũ nostrorum remissionem in conspectu Dei usurpabimus? An leuiculum est, coram Deo mentiri, & hypocritas agere? Imò, cum dicimus: Remittę nobis, sicut & nos remittimus, cum nõ remittamus proximis, quid aliud facimus, quàm quod diuinã suprà nos ultionem inuocamus? Et ob hanc causam inuenias hodie qui priusquàm debitoribus suis remittere uelint, potius relicta hac dominica precandi formula, ne prorsus uideantur athei, alias precatiunculas ex Hortulo animæ usurpent. At isti non effugiunt iudicium Dei, fixum enim est, quod infrà Dominus dicit: Si non remiseritis hominibus errata ipsorum, non remittet uobis pater uester cœlestis errata uestra. Quicquid igitur orauerimus, nõ exaudiemur à Domino, quia propicium hunc non habebimus, nisi simus & ipsi proximis propitij, duram arbitramur esse conditionem, si non sit speranda peccatorum nostrorum remissio, nisi remittamus & nos debitoribus nostris. Obsecro quare? Quia uidelicet uel graue nobis uel aliquando indignum

etiam uidetur, si cogamur remittere, quæ in nos sunt iniuste cõmissa. Sed quæso, quare non iuxta expendimus, quàm grauia sint, quæ nos contra deum patrem nostrũ, peccauimus, & peccamus quotidie? Quare non potius cogitamus, quàm indignum magis Deo uideri posſit, ut nobis quæ peccamus condonet, quàm ut nos condonemus fratribus, quibus ab illis offendimur: præsertim cũ nos peccatores simus & ipsi, & quotidie peccemus in fratres. Deus autem in neminem unquàm peccauerit? Quare non reputamus, quanta sint quæ à Deo nobis remittuntur, & quàm illorum respectu minuta sint, quæ fratribus sint remittenda. Vide infrà 18. Item: Quare nõ cogitamus, quàm fieri nequeat, ut absq; peccatorum nostrorum remissione saluemur? Addam hoc, quare in mentem non uenit, quod etiam ea, quæ iam remissa fuerant, ad iudicium & iustitiam reuocantur, si fratribus quæ in nos peccarunt, remittere detrectauerimus, uide infrà 18. Est itaq; in confesso, eos qui fratribus remittere nolũt, nulla seria delictorum suorum pœnitentia duci, nec aliqua recuperandæ cœlestis gratiæ cura teneri: ideoq; quod dicunt: Et remitte nobis debita nostra, nõ ex animo, sed pro consuetudine dicere. Sit itaq; certum non esse graue, ut ex animo dicamus: sicut & nos remittimus debitoribus nostris, si quod præcedit: Remitte nobis debita nostra, serio dicere poterimus.

OBSER.

5 Si ista obtinendæ gratiæ conditio ei præscribitur, qui læsus est a fratre, ut nisi ipse quoque debenti sibi remittat peccatum, non sit impetraturus remissionem, quid futurum est ei, qui iniuriam non passus est, sed ipse alijs intulit, si reconciliationis studium contempserit? Multis nanq; modis indignior est misericordia, qui non solum lædit fratrem, sed & cum læso in gratiam redire detrectat, quàm is qui nihil deliquit, nisi quod commissum in se delictum iure persequitur. Si hoc tantum habet delicti in oculis Dei, ut misericordiæ reddat expertem, quanto quæso grauius delinquit, qui cum iniuria quoque fraternæ est concordiæ uiolator, & cum prior hanc læserit, nihilominus de resarcienda nõ cogitat, imò studio reconciliationẽ fugit? Sed hac de re suprà cap. 5.

QVAESTIO.

De debitis pecuniarijs.

1 Quærunt hoc loco quidam, an & de pecuniarijs debitis sit intelligendum, quod dicimus: Sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Sentiant alij quod uisum fuerit, mihi omnino & ista includi uidentur. Rationes quibus inducor, ut hoc sentiam sunt istæ. Prima, quod ipsa æquitas hoc postulat, ut quoniam omnium debitorum nostrorum remissionem à Deo petimus, nihil excipientes, propterea quod soluendo non sumus, uicissim etiam omnia proximis remittamus, si soluendo nõ sint. Si enim ubi misericordiam petimus nihil excipimus, qua nam æquitate quicquam, ubi illa præstanda est & alijs, excipiemus? Altera est, quod grauitas debitorum nostrorum, quorum remissionem à Deo petimus, tanta est, ut quæ nobis debentur, præsertim pecuniaria debita quæ omnium minima uiro sensato uideri debent, illis comparata, prorsus euanescant. Itaq; qui debitæ pecuniæ remissionem fratri negat, cum ipse maximorũ debitorum remissionem à Deo quotidie petat, quid aliud facit, quàm quod de seruo illo immiti & ingrato infrà cap. 18. legitur, qui cum decem millium talentorum remissionem à Domino suo impetrasset, centum denarios conseruo suo remittere nolebat? Tertia ratio est, perfectio illa dilectionis, quæ à nobis exigitur tanta, ut tunicam auferenti dimittamus etiam pallium, & mutuum demus nihil inde sperantes, & uitam quoq; pro fratribus impendamus, si ita sit necesse, nedum, ut pecuniolam aliquam fratri condonemus. Deut. 15. legimus de anno septimo, quo debitorum omnium fiebat remissio. Si hoc in ueteri Testamento exactum est à populo Dei, quanto quæso conuenit nos perfectiore dilectione præditos, non demum septimo anno, sed quotidie ad remittendum quæuis debita esse paratos, quorum iustitia tanta esse debet, ut & Scribarum & Phariſæorum iustitiam excellamus?

His rationibus, & si quæ adhuc aliæ sunt arbitror conspicuum fieri, quàm absurdum sit, si Christianus pecuniaria debita excepta putet, ubi dicit: Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Atque hic & Chrysostomus homilia super Matthæum 62. idem sentit, cum dicit: Vidisti humanitatem & misericordiam Domini, uide nunc inauditam serui crudelitatem. Audiatis hæc quicunq; pecuniarum gratia similia indies cõmittitis. Nam si in peccatis id fieri non licet, quanto minus in pecunijs licebit?

QVAESTIO.

Quæri potest etiam, quid faciendum sit, si qui debet, remissionem non petat, quiq; læsit, ut sæpenumero fieri uidemus nulla dum afficiatur delicti pœnitentia. An & talibus sit remittendum. 2

Respondeo: Sunt quidam loci, qui conditionẽ hanc adijciant, si adsit pœnitentia, & remissio petatur, ut tum remittatur. Vt Lucæ 17. Si peccauerit, inquit, in te frater tuus, increpa illum & si pœnituerit remitte illi: Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, remittes illi. Idem uidetur innuere & illud infrà capite 18. quod malus ille seruus propterea quod conseruo roganti non remisisset reprehenditur. Huc pertinet & illud, quod neque Deus ipse remittit, nisi pœnitentibus & remissionem petentibus. Cum enim neque iustitia, neque dilectione, neq; bonitate, nec misericordia Deum patrem nostrum æquare queamus, quomodo à nobis exigetur, quod Deus ipse non solum non facit, sed nec facere potest? Est enim impossibile ut impœnitentibus remittat, nec quisquam ita impudens est, ut ausit hoc de Deo, uel sibi uel alijs serio polliceri.

Iuxta tamen uidendum est, ne quæramus ultionem. Roma. 12. imò ut diligamus etiam inimicos, & beneficijs eos afficiamus, proq; eorum salute oremus: deinde, & delinquentes corripiamus, & omnibus momentis ad remittendum parati simus, ad exemplum patris nostri, qui nos quotidie ut resipiscamus admonet, & delictorum remissionem si resipiscamus, & petamus paratus offert. Dicet quisquam. At Marci undecimo sic legimus. Cum stabis ad orandum, remittite, si quid habetis

betis aduersus aliquem, ut & pater uester cœlestis remittat uobis peccata uestra. Iam si non licet remittere, ueniam non petenti, fiet ut orare nequeam, si aduersarium peccati non pœniteat.

Respondeo: Non pugnat hic locus cum præcedentibus, imò per præcedentes est exponẽdus, ut intelligamus hic à nobis exigi, ut omnem offensæ memoriam, & animi rancorem erga fratrem, à quo læsi sumus, abijciamus, ubi nostrorum debitorũ remissionẽ oraturi sumus. Ideò dicit: Remittite, si quid habetis aduersus aliquem. Quod nihil est aliud, quàm si quem rancorẽ corde erga quenquam foueritis, abijcite & remittite. At ista remissio non ea est, de qua infrà 18. sic legimus: Quodcunq; solueritis super terram, solutum erit & in cœlis: si cui remiseritis in terra, remissum illi erit & in cœlis. Nam etiamsi penes te in corde tuo remittas fratri non resipiscenti, nec ueniam petenti, in cœlis illi non erit remissum.

QVAESTIO.

3 Poterit infirmus quispiam, & carnis adhuc affectibus nonnihil obnoxius, ad hunc modum anxius quærere ac dicere: Quod remittere debeam ex animo, ijs qui me læserunt, & agnosco & cupio quidem, uerum interea sentio adhuc in corde meo pristinæ simultatis reliquias, quæ abunde testantur, quod nondum perfectè, & ex animo illis remiserim, qui me offenderunt. Quomodo igitur orabo ad Deum, ut mihi remittat, sicut & ego remitto debitoribus meis, cum non remittam illis planè ac syncere? Ergo petam à Deo, ut & ipse mihi nec planè nec syncere remittat? At si is hoc faciat, quomodo saluabor?

Respondeo: Obseruandum hic est diuersum carnis & spiritus in electis ingenium. Caro prona est ad uindictam, eaq; in re, ut & in alijs, perpetuo reluctatur spiritui. Spiritus qui ex Deo est, eo est ingenio, ut & agnoscat esse remittendas fratrum offensas, & remittat etiam plane ac syncere. At interea caro, etiamsi aliquandiu spiritus imperio pressa, subinde ad ingenium recurrit, ad calculos in se commissa reuocans, & hactenus uindictam meditans, quatenus per spiritum fuerint uel fortem uel imbecillem permissa. Finge esse maritum qui aduersario omnem condonet iniuriam, Adde isti uxorem plus æquo carnalem, & carnis affectibus indulgentiorem. Illa pro suo ingenio pensabit acceptam iniuriam, omni momento amaricata, & ad uindicandum parata, uerum quoniam per mariti imperium reprimitur, ut quod cum primis uellet reipsa perficere non possit, maritus certè muliebris huius impotentiæ culpã habere non poterit. Ad hunc modũ habet & Christiani hominis causa, perinde nanq; ut in cõiugio uir & mulier cõiuncti, unũ hominẽ, ita et internus & exterior homo, caro & spiritus, Christianũ constituũt. Et ut illic uiro imperium est in uxorem, ita & hic spiritui in carnem: & quemadmodum illic iudicium non de mulieris impotentia, sed de uiri consilijs factis, & rerum administratione sumitur, ita & hic, non quid caro affectet, sed quid spiritus iudicet, statuat, & agat, à Deo iudicatur. Spiritus ille filiorũ Dei, quæ bona sunt, & agnoscit & amplectitur, quibus tamen exterior homo, quem carnem uocamus, pro sua corruptione aduersatur. Interior homo paratus est ad benefaciendum proximo, exterior reluctatur penuriam metuens. Interior homo agnoscit in adflictionibus disciplinam Domini, & cupide amplexatur, tanquam sibi commodam & profuturam, sed externus illam auersatur. Exemplum uisum est in ipso Christo. Ita & hoc loco: Internus facile remittit, insuper & benefacere cupit inimico: at externus diuerso ingenio ad uindicandum rapitur, nisi prorsus interni ui & imperio cohibeatur. Quid hic faciemus aliud, quàm quod honestus ac sensatus maritus facit, uxorem habens plus æquo carnalem, & animo impotentiore præditam? Ille interea condonat in se delinquentibus, & concordiæ alendæ studet, utut uxor repugnet, usque adeò domus suæ magister, ut non permittat uxori facto aliquid committere, quod ad dissidia faciat, etiamsi prauum illius ingenium, & animi impotentiam prorsus illi eximere nequeat. Idem & nobis faciendum erit, quod reliquum est boni consulet patris nostri clementia, cui ista carnis nostræ peruersitas nequaquam est incognita. Quòd si spiritum aliquando caro præoccupauerit, quod subinde fieri uidemus, ut uel malum reddat, uel beneficentiam neget, ad nos ipsos reuersi maliciam hanc ueteris Adami deploremus, & detestemur perinde, atque maritus honestus, si in ipsius absentia uxor committat, quod displiceat, cognita re domum reuersus, & de commisso dolet, & præuaricatricem repræhendit. Quòd si ad hunc modum comparati fuerimus, quid prohibebit, quò minus syncero & ueraci spiritu oremus ac dicamus: Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris, etiamsi caro nostra ad hanc causam sit omnium ineptissima?

Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.

Recto ordine hæc petitio in calce præmissis subijcitur. Constat enim filios Dei quorum animi summo tenentur sanctificandi nominis Dei patris ipsorum studio, & regnum Dei, ac iustam in omnibus obedientiam diuinæ uoluntati debitam affectant, & simul constanti fiducia à paterna prouidentia, & bonitate pendent, & offensam patris cœlestis cum primis deprecantur: innumeris esse Satanæ tentationibus in hac uita obnoxios, ut non immerito quotidie se paternæ protectioni commendent, scientes sine illa fieri non posse, ut astutissimi hostis laqueos euadant. Videamus autem quæ sint hic obseruanda.

OBSER.

Ipsa hac petitione admonemur, esse nos adhuc in conflictu uario, & periculoso cõstitutos, quo nobis contra Satanæ, mundi & carnis nostræ pugnandum est tentationes. Nam longè alia est in hoc seculo pijs uiuendi ratio & conditio, quàm filijs huius seculi. Isti siquidem, quoniam sponte sua & carni & mundo & Satanæ obtemperant, nihil causæ dant, ob quam ad peccandum

tententur. Illi uerò, quoniam se Deo totos tradunt aduersarium habent mundi huius principem Satanam, omnium astutißimum ac uigilantißimũ hostem, & quatenus conuersationem suam in cœlestibus habent, hactenus mundi huius odijs & insidijs sunt obnoxij: & quoniam spiritui obediunt, carnem suam immorigeram, & ad res prauas sollicitantem experiuntur, ut haudquaquam præter causam hic orare ac dicere doceamur: Et ne nos inducas in tentationẽ, sed libera nos à malo. Nesciunt ista, qui nullo pietatis studio tenentur, sed ipsi ultro Satanæ, carnis & peccati, ideoq; & mundi huius imperium agnoscunt & amplectuntur, & scienter ac prudenter castra filiorum Dei deserunt. Hos Satan non tentat, sed Iob, Prophetas, Christum, Apostolos cribrare cupit, Lucæ 22.

OBSER.

2 Admonemur etiam hic propriæ imbecillitatis & ignorãtiæ. Nam si tentationum in cursibus nostris possemus resistere uiribus, nihil esset necesse paternam implorare protectionem. Cauenda itaq; filijs Dei est omnis præsumptio & temeritas. Nam etiamsi spiritus subinde promptus esse uidetur, caro tamen admonente ipso Domino, infirma est, & ad casum ac ruinam prona. Notum est exemplum Petri. Tanta est Satanæ potentia, astutia & improbitas, ut nemo unquam mortalium maliciæ illius resistere potuerit, nisi diuino protectus adiutorio. Ideò admonebat suos Christus, dicens: Orate, ne intretis in tentationem, Lucæ 22. Ita placet patri nostro cœlesti, ut humiles simus, & non à nostris uiribus, sed ipsius protectione pendeamus. Nihil enim adeò securos reddit & incautos, atque temeraria præsumptio: & rursus, nihil adeò sollicitos & cautos facit, atque propriæ infirmitatis agnitio, qua cogimur nunquam nõ à paterna illa pendere protectione.

OBSER.

3 Notandum etiam est quantum solatij adferre debeat, quod Satanæ tentationibus suis nos adobruere non licet, nisi quantum illi pater noster cœlestis permiserit. Huius admoneamur cum dicimus: Et ne nos inducas in tentationem, quo significamus nihil effecturum contra nos Satanam tentatorem, nisi fuerit illi diuinitus cõcessum. Ita contra Iob nihil potuit, nisi quantum à Deo permittebatur. Sunt enim omnia piorum, etiam capitis capilli, patri cœlesti in numerato.

OBSER.

4 Simul & hoc notandum, quod non docemur orare, ne tentemur, sed ne in tentationem inducamur. Nam prodest aliquando tentari. Verum tentationibus superari, id demum noxium & deprecandum est. Ideò oramus, ne tentatione superemur. Tentatio aliâs & ad gloriam Dei, & ad nostrum profectum facit. Iacobi 1. Beatus uir, inquit, qui suffert tentationem. Et 1 Corin. 10. Fidelis est Deus, qui non patitur uos tentari suprà quàm ferre possitis, sed faciet unà cum tentatione euentum. Et Lucæ 22. Permansistis mecum in tẽtationibus &c. Atq; ideò quod dicimus: libera nos à malo. Nõ de tribulatione & adflictione, sed Satana intelligi debet, ne uideamur tentationem qua probamur, & exercemur malam uocare. Græcè est ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, hoc est, à maligno & malicioso, sicuti & Chrysostomus intelligit.

OBSER.

Sed libera nos à malo.) Admonemur à Christo, 5
quem habeamus in omnibus malis liberatorem: nempe eundem quem & patrem. 2 Petr. 2. Deus nouit pios de tentatione eripere. Ideò docemur illum inuocare tanquam unum ac solum liberatorem, qui solus ex omnibus nos possit eripere malis. Sic Psal. 50. iubet ut se in tribulationibus imploremus, & liberationem etiam promittit. Inuoca me, inquit, in die tribulationis & eripiam te. Sed hac de re fusius dictum est suprà de eo, Quis sit inuocandus.

QVAESTIO.

Poterit hic quæri, quomodo dicamus: Et ne nos inducas in tentationem, cum Iacobus cap. 1. de Deo sic loquatur. Ne quis cum tentatur, dicat se à Deo tentari. Nam Deus ut malis tentari nõ potest, ita nec ipse quenquam tentat. Imò unusquisque tentatur, dum à propria concupiscentia abstrahitur & inescatur. Si ergo Deus neminem tentat, quæ est ratio, ut dicamus: Et ne nos inducas in tentationem?

Respondeo: Iacobus non repugnat tot scripturis, quæ Deo hoc adscribunt, quod suos subinde tentet, sed hoc agit, ut doceat Deo non esse adscribendam eam tentationem, quæ ad peccandum animo maligno infertur, cuius finis est, ut contra Deum peccetur, & qui peccat pereat. Quod autem Deus uarijs modis tentet, in scripturis uidere est: primum cum per aduersa nos probat. Sic Abrahamum tentauit, Gene. 22. Et Sapien. 3. Deus, inquit, tentauit illos, & inuenit illos dignos se. Sic tentatus est & Iob. Et filios Israël tentauit hoc pacto. Deut. 8. Deinde, cum suos in tentationem inducit, ut infirmitatis suæ experientiã capiãt, præsertim si qui sint præcipui, ut de Dauide 2 Sam. ultimo legimus. Vtitur aũt aliquando ministerio Satanæ, ut in historijs Iob & Christi, Matth. 4. patet. Et 1 Reg. 22. & 2 Sam. ultimo, & de Iuda, & Act. 5. de Anania. Et adhuc tamen uerum est quod Iacobus dicit: unusquisq; propria concupiscentia sua tentatur, abstractus & illectus: & concupiscentia cum conceperit gignit peccatum, & peccatum consummatum generat mortem. Oportet enim tentatorem Satanam habere tentandi principia, quibus utatur. Sic Christum non tentauit priusquàm animaduertisset eum esurire, nec Iudam antequàm fur esset factus, & de quæstu cogitaret. Ita nos dicimus: Der teuffel ist beyredtig. Laqueos quidem nectit, sed quibus irretire nequeat, nisi uolentes. Sic 1 Timo. 6. Apostolus dicit: Habentes aũt alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem &c. Non debet igitur peccatum illud, quod tentationi consentiendo committitur, Deo adscribi, sed magis præposteræ concupiscentiæ: quæ si peccati alicuius semen quoddam, & principium cõceperit, fructũ illius etiam consequenter parit. Sic Dauid mulierem conspicatus concupiscit, & peccati semen per concupiscentiam attractum

tractum, tandem opere ipso parit. Hoc scilicet Apostolus isto loco agit, ut refutet eos, qui malorum causas ex ipsis ortas Deo adscribunt, ideò se peccasse dicentes, quòd diuinitus ad peccandum sint tentati.

Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria, in secula seculorum, Amen.

Quidam hæc uerba simpliciter uice doxologiæ posita legunt, quam sibi mens uerè orantis de Deo concipere, illiq; tribuere debeat. Certè ita pij orationes suas laude Dei uel ordiri uel finire solent, quod multis locis, siue in Psalmis siue aliis sanctorum orationibus uidemus. Nequit enim mens cum Deo, uel colloquutura, uel colloquuta diuinam illius potentiam, gloriam et bonitatem non perpendere, admirari ac celebrare. Et hoc est sacrificium illud laudis, quod Deo debemus, à quo sumus in sacerdotium sanctum in Christo Iesu summo pontifice electi ac cõsecrati. 1. Pet. 2. quod à nobis etiam Psal. 50. requiritur. Inuoca me, inquit, in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me. Et: Immola Deo sacrificium laudis. Et: Sacrificium laudis honorificabit me &c. Hoc est sacrificium illud uespertinum, & matutinum, quod in ecclesia Christi cessare non debet

Redditur autem sacrificium laudis, quando mens uel stupore uel amore rapta, de deo talia prædicat, quæ usq; adeò clara, illustria, singularia & præcipua sint, ut in admirationem, ac doxologiæ quosuis cogere possint, & quæ de solo Deo prædicari queant. Quicquid enim commune est multis, ut stuporem non excitat, eò quòd nihil habeat rari ac præcipui, ita laudem non meretur. Oportet itaq;, ut quæ competentem Deo in se doxologiæ cõplectuntur talia sint, quæ nulli præterea possint uel terrestri uel cœlesti adscribi creaturæ. Quæ nam sunt illa, quod præsentem doxologiæ attinet?

Quia tuũ est regnũ.) Primũ, damus hoc Deo, quòd ipsius sit regnum. Intelligitur aũt regni dictione, dominandi, gubernandi, regendi, imperandi ac suos defendendi, ius ac potestas. Quia tuum est. q. d. Vtut uideantur quidam esse reges in hoc mundo, & nihil non posse, tu tamen solus uerè rex es, & tuum uerè est regnũ. Nec addimus quicquàm, sed simpliciter dicimus: Quia tuum est regnum. q. d. Omne regnũ, siue in cœlis, siue in terris tuum est. Tua sunt omnia, tibi subdita sunt uniuersa. Tribuit deo laudem hanc Propheta animo magno & exultabundo, cum dicit: Quia domini est regnum. Et: Regnum ipsius omnibus dominatur. Psal. 22. Psal. 103.

Et potentia.) Addimus hoc, ne uacuum & infirmum deo patri regnum tribuamus, ne putemus infirmitatis, quod non uindicat in eos, qui regnum illius non agnoscunt. Quicquid ergo uspiam est potentiæ, non ullius est creaturæ, sed Dei.

Et gloria.) Hoc est, magnificentia, & omnium rerum copia & splendor. Quòd si quis de laude ac glorificatione deo debita intelligit, idem erit ac si dicamus: tu solus laudandus es, ac prædicandus, tibi soli sit omnis honor & gloria.

In secula.) Additur hoc, ut confiteamur regnum dei patris nostri esse perpetuũ, potentiam perpetuam, & gloriam perpetuam, quod & ipsum olius est Dei. Complexus est ista Propheta Psal. 145. ad hunc modum: Confiteantur tibi domine omnia opera tua, & sancti tui benedicant tibi. Gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur (ecce uno uersiculo, regnum, gloriam, & potentiam Dei coniunxit) ut notam faciant filijs hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui. Regnum tuum, regnum omnium seculorum, & dominatio tua in omni generatione, & generationem. Hoc nos uolumus cum dicimus: Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in secula. Celebratur itaq; hac doxologia Deus quatuor insignibus, quæ præterea nemini debeant adscribi: Nempe, regno, potentia, gloria, & perpetuitate.

Adiecta est aũt hæc doxologiæ præmissis petitionum formulis, ad hoc, ut animi ad Deũ orantis fiduciam firmet & stabiliat. Satan enim, quia regni, potentiæ, ac gloriæ Dei æmulator est, nihil non molitur, quò in suo nos regno, hoc est, tyrannide captiuos detineat. At filius Dei, qui regnum Dei patris sui, ex intimis præcordijs suspirat, ardentissimè clamat, ut ab hoc malicioso tyranno, regni Dei inuasore liberetur. Et hoc affectu adiungit istam doxologiæ, ac dicit: Quia tuũ est regnum, tua est potentia, tua est gloria, in secula, Amen. q. d. Insidiatur regno tuo pessimus & improbissimus Satan, omnia sibi adscribens, nec quicquàm intermittens, quo nos tyrannidi suæ subijciat. Adiuua ergo filios tuos, ne quod ille conatur, cõtra nominis tui gloriam, perficiat, idq; & si non nostro merito, uel saltem ob eam causam, quòd tuũ est regnum, potentia & gloria, ne quid regni tui, potentiæ & gloriæ adimatur. Declara te esse regem, te esse omnipotentem, tibi omnem in secula uniuersa deberi gloriam.

OBSER.

Notandum hic est, quanta sit filiorum Dei dignitas, quòd patrem in cœlis habent, cuius & regnum est, & potentia & gloria, in secula, quantũq; dignitas ista perpensa adferat consolationis. Videmus filios huius seculi admodum de principum suorũ regnis, gloria & potentia insolescere, & nihil non præsumere, cum sint miserrimæ creaturæ, & citra potentiam Dei nihil prorsus possint. Quantum quæso nobis debebat adferre animi & inuictæ fiduciæ, quòd patrẽ habemus, in cuius manu sunt omnia cum cœlorũ tũ terrarũ regna, omnis potentia et gloria? Cor regis inquit Salomon, est in manu dei, quocunq; uoluerit dirigit illud. Si cor regis in manu dei est, quid uspiam est potentiæ, quod illius possit resistere uoluntati? Quid ergo times fili Dei, reges terræ, seruos Dei? Non est cor Dei in manu regis, sed cor regis est in manu Dei. Quid igitur rationis est, cur minis regum terræ sinamus nos ab obseruantia mandatorũ Dei auocare? Multũ splendoris ostentatur in aulis principũ. Tu cogita ex his terrenis spectris, quanta sit regni cœlestis gloria, si tantus est in stabulis immundorũ pecorũ splendor, quanta sit ipsius regis, si tanta seruorum est gloria. Expende & eã cõsolationẽ, quæ est ex perpetuitate regni, potẽtiæ & gloriæ dei patris nostri. Qui de principũ terrenorũ potẽtia gloriantur, gloriationẽ habẽt fluxam. Prouer. 21

xam, incertam, & breui interituram: nec interituram tantum, sed & cum ipsorum forte magno malo desituram. Nam sæpenumero perditionis causam esse uidemus, gratũ fuisse potẽtibus ac magnatibus, quod Romæ solenne esse dicitur post Pontificum occasum: ita ut quo quis prædecessori fuerit cõiunctior, hoc successoris uim sustinere cogatur, & sibi ac suis infensiorẽ. At hic nihil tale metuendum est. Non est timendum, ne pater noster cœlestis, rex ille regum, cuius potentiæ subiecta sunt omnia, mortis interuentu constituat nos orphanos, & successoris alicuius libidini & tyrannidi obnoxios. Est enim rex sempiternus, & potentia eius potentia sempiterna, cuius ut nullum unquàm fuit principium: ita nullus etiam expectandus est finis.

OBSER.

2 Habent etiam hic, cuius admoneantur, reges, principes, & Magistratus huius seculi, qui à mortalibus regni, potentiæ ac gloriæ gratia suspiciuntur, & adorantur: Nempe, ut hanc gloriam non sibijpsis retineant, sed ex animo dicant: Non nobis domine, non nobis, sed nomini tuo debetur hæc gloria. Nos quid sumus, si personam hanc abstuleris, quam tu nobis imposuisti? simulq; hoc unicè curent, ut regni administratione, potentia & Sup. ca. 4. gloria ita utantur, ut qui sciant se deo unico regi ac domino dominantium grauissimam olim reddituros esse rationem, & omnino Satanicum illud caueant: Mea sunt hæc omnia, ut dem ea cuicunq; uoluero, & tyrannicum illud: Sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas. Et illud: Quis noster dominus est? deniq; nunquàm non cogitent omni momento horam illam esse expectandam, qua per Christi aduentum omnis omnium destruendus est principatus. 1. Cor. 15.

Amen.) Dictio Ebræa est, certitudinis ac ueritatis significationẽ habẽs. Ponitur in calce orationis, ut idem sit: atq; fiat, sicut uides Deu. 27. & in epistolis Pauli, ubi precationis aliquid terminatur, uel in futuro, fiet, ut animi certitudinem omni dubitatione reiecta exprimat. Est enim usus huius dictionis duplex. Primus, ut orantis affectum ac desiderium exprimat. At huc requiritur animi assensus, quem certe qui sine mente orant, uel quæ ab alijs dicuntur, nõ obseruant, habere nõ possunt. Vide 1. Cor. 14. Alter est, ut significemus non optare tantum, ut fiat quod dicitur, sed certo etiam futurum scire. Exigitur hoc sensu fides certa & indubitata. Sic Christus toties dixit: Amen amen dico uobis. Hoc sensu, ab oratione pacificata iam conscientia discedimus.

Proinde, si remiseritis hominibus errata sua, remittet & uobis pater cœlestis. Quòd si non remiseritis hominibus errata sua, nec pater uester remittet errata uestra.

Pertinent ista ad eã particulã, qua dicimus, sicut et nos remittimus debitoribus nostris. Nec præter causam est, quod ex omnibus una hæc repetitur. Primum enim nouit dominus, quàm ægre remittamus fratrum offensas.

Deinde, admonet nos, ne speremus ullam misertcordiam à Deo patre, nisi nos istam impendamus fratribus. Sed huc de re supra dictum est.

Notandum autem est, quàm appositè dominus non dicat: Si remiseritis hominibus iniquitates eorum, aut maliciam uel nequitiam, sed, errata eorum: Nimirum agnoscit, quàm ægre ignoscamus aduersarijs, si magnitudinem uel grauitatem offensæ ponderemus, & quàm facile ignoscamus, si quod delictum est, non malicia, sed per errorem factũ esse cogitauerimus. Instruit itaq; nos saluberrima cautione, quo loco habenda sint fratrũ delicta: Nempe, loco erratorum, id quod ipsa græca dictio παραπτώμαε pulchrè exprimit, quæ nihil aliud significat, quàm ein felgriff. Erratũ scilicet, quod non ex destinato, sed aberrante manu committitur. παραπτᾶσθαι quippè hoc significat unde παραπτώμαε deducitur. Huc dictione dominus non ob eam causam hic utitur, quòd quæcunq; aduersus fratrem committimus, talia errata sint, cum sæpenumero ex proposito ac destinato malicioſe fratrem lædamus, aut, quod quæ non ignoranter et per errorem, sed malicioſe committuntur, fratribus remittenda nõ sint, absit: sed quod uniuersa fratrum delicta, hoc pacto debeant à nobis extenuari, ut ea non nisi erratorum loco habeamus, ac delinquentibus hoc facilius ignoscamus. Error enim facile ueniam meretur. Huc etiam pertinet, quòd dicit: Si remiseritis hominibus. ut communis nos imbecillitatis admoneat. Quid enim homine ad errandum delinquendumq; procliuius?

Taxandi sunt itaq;, qui diabolico ingenio præditi, nihil in delictis hominũ aliud possunt, quàm omnia exaggerare, & quæ in se subinde non adeò sunt enormia, accusando, addendo, sinistreq; exponendo, grandia reddere, quæ superbia agnata est omnibus hypocritis et iustitiarijs, quibus nulla est erga peccatores animi compassio. Videmus hic, quàm longè sit aliud ueræ iustitiæ ingenium in Christo.

Est autem prauum hoc ingenium tum omnium pestilentissimũ, quando fratris delictum in aures eius, qui læsus est, exaggerat: ut ignem alioqui accensum hoc ueluti flatu ardentiorem & minus extinguibilem reddat. Hoc genus hominum non est pacifico spiritu præditum, ideoq; inter filios Dei reputari non poterit.

Notanda est ista peruersitas, qua qui delinquũt ac fratres lædunt, susq; deq; faciunt fraternam offendisse concordiam. Rursus, qui læsi sunt, supra modum fratrũ delicta exaggerant: ita, ut quod remittendum est ex animo, ipsi obliuisci nequeant. Hinc illud est: Puluere qui lædit scribit, sed marmore læsus. Fiat maliciæ ac peruersitatis huius conuersio: ita, ut qui in fratrem peccauit, quod male commisit, non extenuet, sed exaggeret ac detestetur, & qui offensus est, meminerit se offensum esse ab homine non angelo aliquo, & cogitet per errorem esse commissum, non per maliciam, quo se læsum esse putat, ut inter Christianos dicatur: Marmore qui læsit, scribit sed puluere læsus.

Porrò cum ieiunaueritis, ne sitis uelut hypocritæ tetrici. Obscurant enim facies suas, quò perspicuũ sit hominibus ipsos ieiunare. Amen dico uobis: habent mercedem

cedem ſuam. Tu uerò cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua, ne conſpicuum ſit hominibus te ieiunare, ſed patri tuo, qui eſt in occulto, & pater tuus, qui uidet in abdito, reddet tibi in propatulo.

Initio capitis huius admonuimus, Chriſtum poſt caſtigatam Phariſæorum doctrinam, declaratamq; legem uitam illorum reprehendere, & ſuos ab eorum auocare exemplo: uerum nõ ita, ut manifeſta in illis ſcelera, ſed magis ea notet illorum opera, quæ pietatis ſpeciem præferebant: utpote eleemoſynas, orationes & ieiunia. De eleemoſynis & orationibus hactenus egit, iam de ieiunijs ſubijcit.

Ieiunia uerò illorũ, non ita reprehendit, quaſi malum ſit ieiunare, ſicuti nec eleemoſynas illorũ, nec orationes notauit. Sed quemadmodum in illis deteſtandum hypocriſeos malũ damnauit, ita & in iſtis, de quo nihil eſt quod hic annotemus, quoniam ſupra de illo dictum eſt. Sunt præterea & alia quædam in his uerbis, quæ ſupra in materia primum eleemoſynæ, deinde & orationis tractata ſunt, quæ hic tranſibimus, utpote illa: Amen dico uobis, receperunt mercedem ſuam. Item, Et: Pater tuus qui uidet in abſcondito, reddet tibi in propatulo.

Non debet nobis leuis uideri momenti, quod iam tertio hypocriſim illam, quæ eleemoſynas facientibus, orantibus & ieiunantibus obrepit, accuſari à domino uidemus. Niſi enim peſtis iſta etiam electis, & ſtudio bonorum operum præditis inſidioſa eſſet, fruſtra toties cõtra hanc dominus diſputaret, & illius deteſtationem nobis inculcaret. Sit ergo ſtudioſa iſta repetitio, & ingeminata hypocriſeos deteſtatio, ſeria nobis admonitio quo malum hoc planè peſtilens & ſtudioſe declinemus, & ſi ſenſus illius nos attigerit, mediante ſpiritu ſancti gratia confeſtim reprobemus & condemnemus.

De ieiunio nihil hic notabimus, quoniam de illo ſupra dictum eſt cap. 4. Dolet plurimum inſigne hoc & egregium lugendi, orandi, & nos ipſos coram domino humiliandi exercitium: ita in Eccleſia eſſe labefactũm & corruptum, ut uix uideatur unquàm reſtitui poſſe. Orandus eſt dominus, ut largiatur nobis, uel aliquem malorum præſentis ſeculi ſenſum, & animum qui dolere ac lugere, adeoq; & ieiunare, & peccatorum remiſſionem ambire poſſit.

Vnge caput tuum oleo, & faciem tuam laua.) *Dicant hic Anabaptiſtæ, qui nuſquàm non ſimpliciter uerba ſine competenti expoſitione urgent, & quicquid in nouo Teſtamento legunt, putant ſe ad literam debere præſtare, quid hic facturi ſint. Chriſtus dicit: Tu autem cum ieiunas unge caput tuũ, & faciem tuam laua. Ergo qui ieiunans hoc non facit, præceptum Chriſti non ſeruat? Ita ſonant literæ: Et quur hoc non faciunt? Imò ſi facerent, in idem incurrerent uicium, quod Chriſtus in Phariſæis taxat. Si nanq; hoc præceptum inter Chriſtianos deberet ad literam ſeruari, non minus fierent conſpicui hominibus ieiunantes hypocritæ, quàm Phariſæi, ſimulata inter Iudæos triſtitia ac ſeueritate.*

Quid ergo Chriſtus uelit attendendum eſt, non quid uerba ſonent? Taxat autem hypocriſim Phariſæorum, quam ficta facierum triſtitia ieiunando ſimulabant, ad hoc, ut uiderentur ieiunare. Ieiunabant autem multum, quemadmodum et multum orabant, quibus in rebus religioſi ac pij uideri uolentes, nihil faciebant occultè, ſed omnia ita, ut hominibus eſſent conſpicui. In lege Leuit. 16. 23. præceptum erat, ut decimo die ſeptimi menſis humiliarent animas ſuas, eò quòd hic dies eſſet dies expiationis, quo loco præcipitur illis ieiunium. At hoc ieiunium erat commune omnium, atq; ideò ad nullam hypocriſim aptũ. Ideoq; qui cæteris ſanctiores uideri uolebant, ſæpius ieiunabant. Hinc eſt illud Mat. 9. quod diſcipuli Iohannis ad Chriſtum dicebant: Quare nos & Phariſæi frequenter ieiunamus? unde colligimus obtinuiſſe inter Phariſeos, ut nõ ſolũ ſtatũ diẽ ſeptimi menſis ſemel in anno, ſed et ſæpius ac frequenter ieiunarent. Vnde illud eſt Lucæ 18. Ieiuno bis in Sabbato. Primum, adiunxerant aliquot aliquorũ menſium dies, ut eſt Zachariæ 8. Ieiuniũ quarti, quinti, ſeptimi ac decimi, ſed creſcente hypocriſi, creuit & ieiuniorum multitudo.

Iam quia ieiunium erat apud Iudæos luctus & mentis humiliatio, corporisq; afflictio, ut eſt loco ſupra citato, Leui. 16. Item Eſa. 58. & Mat. 9. Nunquid poſſunt filij ſponſi lugere &c. Simularunt Phariſæi neceſſario foris luctum ac mœſtitiam, obſcurata ſcilicet, et ad terram inclinata facie, ut uiderentur ieiunantes.

Atq; hanc hypocriſim taxãs Chriſtus, inſtruit ſuos, ut ieiunantes illam caueant, contenti ſe patri cœleſti patere, qui ieiuniũ eorum ſciat, atq; ideò nihil minus quærentes, quàm uideri ab hominibus, potius diuerſum agant: nempe ut quemadmodum illi mœſtitiam in uultu præferebant, ita ipſi præferant magis lætitiam & hilaritatẽ corã hominibus, ut nihil uideantur minus, quàm ieiunantes. Proinde dicit: Tu ergo cum ieiunas, unge caput tuũ, & faciem tuam laua, quibus uerbis loquitur iuxta morem regionis ac populi huius: ubi qui lætitiæ ac ſplendidis conuiuijs uacabant, capita præcioſo quodam unguento ungebant, ut habes 2. Sam. 12. in Dauide, qui ſe ungebat ac lauabat, cũ à luctu ſurrexiſſet, quem egerat pro ægroto puero. Item 2. Sam. cap. 14. in muliere Thecuita, quam, ut uideretur lugere mortuum, iubet Ioab luctum ſimulare, atq; adeò ſe non ungere. Idem Iudith 16. ac 10. legimus factum. Et in nouo Teſtamento, Lucæ 7. dicit Chriſtus: Vnguento caput meum non unxiſti &c. Et Mat. 26. in domo Symonis leproſi effunditur per mulierem unguentum precioſum ſuper caput Chriſti. Ex quibus locis uidemus morem huius populi, iuxta quem & hic Chriſtus loquitur. Nõ exigens, ut hoc fiat ad literam, ſed hoc magis uolens, ut diſcipuli ſui ieiunantes, ita alieni ſint ab omni hypocriſi, ut nihil uideantur minus, quàm ieiunare.

Itẽ *Pſal.* 23 Impinguaſti In oleo caput meum.

Notandum fuerit hoc loco de Pontificiorum hypocritis, Monachis ac Beguttis. Illis non erat ſatis, ut Deo eſſent cogniti, niſi etiam hominibus uiderentur tales, qui mundo eſſent mortui.

Et obſeruandũ, quanto ſit noſtrorũ turpior hypocriſis, quã fuerit Phariſæorũ. Chriſtus, ut hic uidemus, non uult ſuos

ſuos uideri uelle ab hominibus in illis, quæ uerè facerẽt, ut ieiunantes, non uult ut quærant ſe tales uideri. Si non poteſt ferre, ut qui ieiunant, hominibus tales uideri quærant: quales nimirũ ſunt, quando quæſo ferret, ſi hoc uideri uelint, quod nec habent, nec ſunt? Vt, ſi non ieiunent, & tamen pro talibus uideri uelint, qui frequenter ieiunent. Atqui quid eſt aliud noſtrorũ hypocriſis? Nomen ſortiti ſunt, hominũ ſpiritalium, Deo ſeruientium, mundo mortuorũ. Atq; ut præ cæteris tales agnoſcantur & habeantur, præcipuis & diſcretis ueſtibus uti cœperunt, quæ oſtendant, quid quiſq; ſit. Iam ſi uitã inſpicias, ſiue monachorũ, ſiue ſacrificulorũ, quid quæſo minus ſunt, quàm quòd nomen & ueſtimenta diſcreta præferunt? Putet Chriſto illorum hypocriſis, qui quod uerè agunt fòras hominibus oſtẽtant, quomodo nõ execrabitur multo magis eos, qui etiam quod non agunt, agere uideri uolunt? Quòd ſi tales etiam reuera eſſent, quorſum pertineret tamẽ, uelle ab hominibus cognoſci, contra hanc Chriſti regulam? Quid ergo ſupereſt, niſi ut aut ſponte ab hac hypocriſi deſiſtant in tempore, nemini iam nõ cogniti, aut diuino iudicio ſummo omnium contemptui ac probro reddantur obnoxij.

Ne reponatis uobis theſauros in terra.

Conſequenter Chriſtus, poſteaquàm legem Dei à lacunis Phariſæorũ repurgauit: deinde hypocriſim illorum denudatam, diſcipulis cauendam eſſe monuit, deſcendit et ad alia uicia, quæ miniſtro uerbi ſummopere fugienda ſunt, & primum ex illis producit, auaritiam illam, omnium malorum, teſte Paulo, radicem, qua in reclanculũ etiã Phariſæos carpit, qui auari erant, Lu. 16.

Vt autem contra hoc malum diſcipulos præmuniret, duæ erant cauſæ, extra ipſum malum. Prima, Offendiculum illud, quod ex diuitijs Scribarũ & Phariſæorum erat. Credibile enim eſt non modicum offendiſſe diſcipulorum infirmitatem, ſumma illa opulentia eorum, qui Chriſto, Chriſtiq; doctrinæ aduerſabantur: nimirũ, Pontificum, Sacerdotum, Scribarum, Phariſæorum, qui uidelicet non ſolum falſa doctrina docendiq; autoritate: deinde & hypocriſi, ſed & ſplendore opũ, ſimplicium oculos faſcinabant: ita ut, qui ſeculi mos eſt, non parũ ad autoritatẽ opulẽtiæ ſplendor fecerit, quũ illorũ tamen reuera hoc ipſo debuiſſent minoris æſtimari. Sed ſeculũ hoc, ut fallaces diuitias cõcupiſcit: ita illos et admiratur & illarũ poſſeſſores colit & ſuſpicit. Contra hoc ſcandalum Chriſtus ſuos hic præmuniens: ita de hoc uicio diſſerit, ut prorſus debeant putẽre coram omnibus fidelibus, quotquot diuitias auare colligunt ac poſident.

Altera ratio eſt, ab officio ſumpta, quo erant functuri diſcipuli. Nihil enim eſt in omni terra ad colligendas diuitias aptius hoc munere, quod erat Apoſtolis committendum. Neq; etiam aliquod eſt uicium, quod miniſtris Dei ſit magis timendum. Quin ipſa experientia cognitum eſt, non ſolum in ueteri, ſed & in nouo Teſtamento, plerunq; hoc malo laboraſſe Eccleſiarum miniſtros. Præmunit ergo Chriſtus ſuos etiam contra hoc periculum. Sic & infra cap. 10. & Luce 12. Vtitur autem argumentis quibuſdam, quibus perſuadeat Chriſtiano homini, terrenas diuitias eſſe contemnendas.

Primo, Ne reponatis uobis inquit, theſauros in terra. Illis qui uerè Chriſtiani ſunt, hæc uerba ſatis eſſe debebant, ut nihil eſſet opus adiungere rationem: ob id nimirum, quòd Chriſto habeant tantum fidei, ut nihil dubitent eſſe præſtandum, ſuſcipiendumue, aut fugiendum, quicquid ille uel amplectendum, uel uitandum tradiderit. Et merito. Quur enim non eſſet eadem apud ſuos autoritate, qua medicus eſt apud ægrotum? Quis medico- Medi.
rum ad ſingula quæ uel præcipit uel prohibet, rationem exigitur ab ægroto? Satis eſt ſi dixerit: Iſtud non comedito, iſtud non bibito &c. Quid autem tantum obedientiæ conciliat medicis, etiam ſubinde errantibus ac ſeducentibus? Nimirum, deſiderium ſanitatis. Faciat igitur in nobis, ac præſtet deſideriũ ſalutis æternæ, quod apud ægrotos facit & poteſt, deſiderium ſanitatis, breui collapſuræ, faciat erga certum ſalutis medicum, qui neminem fallit, nec fallere poteſt, quod hic fit erga medicum incertum. Faceret, ſi eſſet deſiderium ſalutis huius.

Secundo, Verum ex abundanti, adiungit & argumenta, quibus ſuis perſuadeat. In terra inquit. q. d. in loco tranſituro, inſtabiliq;. Deinde, ubi aliàs nõ eſtis dimanſuri. Tertio, cuius neq; filij eſtis, eò quòd aliã nacti eſtis patriam, cœleſtes eſtis, non terreni. Quid ergo anxie curaretis terrenam ſubſtantiam? Arguit ergo à loco & à uocatione cœleſti.

Tertio, Arguit à terrenarum rerum uilitate. Vbi tinea &c. q. d. Quæ eſt iſta inſania, quòd fiduciam ueſtram in eas res collocatis, quas minutula etiam animantia amoliuntur. Hoc quippe pacto uilitatem etiam Aegyptiacæ potentiæ declarauit diuina maieſtas, in eo, quòd illam non urſis ac leonibus, ſed ranis, pediculis ac uermibus adflixit. Exo.

Quarto, Et erugo. Arguens à corruptione, oſtendens terrenos theſauros, etiam ſi nulla beſtia corroſerit, tamen in ſeipſis durare non poſſe corruptioni obnoxios. Per eruginem enim intelligendum eſt, quicquid poterit corruptionis rebus terrenis accidere. Ergo ſi fuerunt in uſu, conſumuntur, ſi non, corrumpuntur.

Quinto, Vbi fures fodiunt. Sugillat terrenos theſauros ab inſecuritate. Obnoxij ſiquidem ſunt inſidijs improborum, per quos plerunq; auferuntur. Clanculum uerò tangit moleſtiſſimam ſollicitudinem cuſtodiendi, metumq; amittendi theſauros. q. d. Etiam ſi præſtare poſſent terreni theſauri, quòd ab illis ſperatur, tamen tuti non ſunt à furibus.

Triplex ergo genus hoſtium habet terrenus theſaurus, tineas, eruginem, & fures. Hanc ſcilicet ſortem adiecit Deus humanæ diffidentiæ & auaritiæ, ut quod recto uſui negatur, à tineis, erugine, & furibus impetatur & auferatur. Quæ eſt autem iſta inhumanitas, paſcere tineas, eruginem & fures, iijs rebus quæ fratribus negantur? Et ſi dicas, non ideò repono, ut tinea & erugo aut fures paſcantur. Scio. At ita iudicio Dei fit, ut theſauri tui, quos improbè reponis, his periculis obnoxij ſint, quatenus uel hoc ipſo te in ordinem redigat. Eſt itaq; Deus ille totius ſeculi Mammon, Deus tinearum, eruginoſus, & amicus furũ. Non eſt aũt intelligendũ de furibus nocturnis duntaxat, aut minutulis tineis, aut eru-

gine illa

gine illa ferruminea. Habent enim principes peiores tineas & erugines, quæ totam aulam, & propè totius regni thesauros demoliuntur, idq; ita miro artificio, ut cogantur principes pecunias ab illis mutuo sumere. Habent & ciuitates tales, qui usuris & propolijs ac monopolijs, omnem urbis succum exugant.

Da nunc hominem auarum, qui ista perpendat, quot putas curis angatur pro suo thesauro custodiendo? Deinde extra ista omnia, quàm periculosa res sit habere thesaurũ, ita ut pleriq; etiam uitæ periculum illius gratia sustinuerint, ipsa docet experientia.

Reponite uerò uobis thesaurũ in cœlo.

Alteram antitheſis partem ponit, quæ omnia habent priori contraria.

Primo, dicit: Non simpliciter prohibeo thesauros colligere, quasi rem malam. Colligite planè, uerum in cœlo. Opponit autem terræ cœlum, quo suos uelut cœli filios à terrenis ad ueram patriam destinat, ubi debeant perpetuo manere.

Deinde, ubi neq; tinea, neq; erugo, neq; fur &c. Commendat cœlestia à securitate & perpetuitate, rebus uidelicet exoptatissimis huic hominum generi, qui thesauros habent. Quid enim daret, qui thesaurum habet, ut esset securus ac perpetuus? Nimirum, hoc illum liberaret ab omni cura & anxietate. At talem habet thesaurũ, qui cœlestem habet. Nequeunt enim non esse salua, quæ tutelæ Dei committuntur. Cur ergo illic non omnia reponimus?

Vbi enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

Quoniam dehortatus fuerat à colligendis terrenis thesauris, hortatus uerò ad cœlestes, pulchrè interim per modum τῆς ἀντιθέσεως illos eleuans, istos uerò extollens, addit iam potiorem causam, cur non illos, sed istos colligere ac reponere debeamus: Nimirum ideò, quòd ea sit cordium nostrorum natura, ut nequeant non tota ibi esse, ubi thesauros suos habent. Iam quia uenerat suos ab hoc seculo, à rebus mundi pereuntibus ad cœlestia uocaturus, cordaq; nostra ad futura & perennia bona erecturus, necessario commonefacit eos, ne quicquàm thesauri sibi in hac terra colligant, ne uidelicet & cordibus hic hærentes, cœlestia negligant.

Huius uidelicet nos admonet & Paulus Colos. 3. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, non quæ sunt super terram, quæ sursum sunt sapite, ubi Christus est.

Notandum hic est, quòd non dicit: Vbi est enim thesaurus tuus ibi esse poterit cor tuum: uel ne sit, aut ne rapiatur eò cor tuum, ubi est thesaurus tuus, sed per asseuerationem, ibi scilicet est cor tuũ. Item non dicit: ubi sunt diuitiæ uel pecuniæ tuæ, ibi est cor tuum, sed ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. Neq; enim perpetuo corda hominum sunt, ubi pecuniæ illorum sunt. Aliud est autem esse thesaurum, & aliud simpliciter collectæ pecuniæ. Neq; enim thesaurum facit, uel materia, uel materiæ magnitudo aut multitudo. Quid ergo thesaurus est? Quicquid scilicet, in quo speratur, fiditur, animus conquiescit, quòd diligitur, fouetur, & ita custoditur, quasi sine eo pereundum sit, quo animo mundani diuitias colligunt ac reponunt. Illud sit iam numero uel multitudine ac copia quantumlibet magnum uel paruum, nõ erit thesaurus, nisi per adhæsionem cordis. Atq; hoc sensu non prohibet hic Christus diuitias ac substantiã huius mundi, duntaxat non sint nobis thesauri loco, hoc est, ne cordibus illis adhæreamus.

Thesaurus?

SIMPLICIOR EXPOSITIO.

Vel certè si simpliciter ista capiamus, non solum hoc uetat, sed & omnino non uult à suis colligi rerum copiam. Illud enim μὴ θησαυρίζετε ὑμῖν θησαυροὺς ἐπὶ τῆς γῆς ad uerbum est. Ne colligatis uobis collectiones aceruos, cumulos, copiam rerum, super terram quemadmodũ & Rom. 2. hoc uerbũ sumitur, ubi peccatum peccato addendo fit cumulus crescens in futurũ. Est enim thesaurus propriè, diuitiæ in longum usum reconditæ. Vetat ergo Christus hic, pecunias ac substantiam huius mundi à suis colligi, quàm simplicissime, addita ratione, quòd huiusmodi collectionibus ac cumulis cor adhæreat. Huius & Dauid admonet: Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Si cordis adhæsio timenda, sicubi diuitiæ affluxerint ultro, quid timendum illis, qui studio etiam illas colligunt?

Christus itaq; more boni medici, qui ægroto etiam, quæ in se mala non sunt, sed multis, uidelicet sanioribus, usui esse possunt negant, eò quòd sciat, qua laboret ægritudine, unde quod bonum in se est, malum reddatur: ita prohibet hic non solum morbum ipsum, sed etiam materiam ac fomentum morbi. Non enim dicit: Ne corda uestra diuitijs huius seculi affigatis, id quod Dauid cauendum monet, sed, ne reponatis uobis thesauros super terram. Quare? Quia, ubi thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

QVID SIT COR ESSE ALICVBI.

Ibi inquit est cor tuum. Nota est illa loquutio. Cor accipi, pro affectibus cordis: ut, Cor esse alicubi, nihil aliud sit, quàm curam, cogitationem, gaudiũ, fiduciam, spem, amorem, metum, totum uidelicet animum alicubi esse. Iam cum Christus suos admonet, ne cogitationibus suis, gaudio, spe, fiducia et amore, ac reliquis affectibus, in hac terra, sed in cœlis sint, rectè prohibet, ne thesauros terrenos, sed cœlestes quærant & colligant.

QVANTVM ATTINEANT ISTA uerba ad uocationem Apostolicam.

Quanquàm apprime concernant communem omnium Christianorum uocationem, quæ Christus hic docet, præcipue tamen uerbi ministris ista dicuntur, quibus hoc datum est muneris, ut regnum cœlorũ prædicent, & ad illud quosuis inuitent.

Iam primo, quis credet illis, alios ad cœlestia uocantibus, si ipsi deprehendantur terrenis inhiare, eaq; curare, quæ mundum hunc concernunt? 1

Deinde, quomodo fideliter pro regno Dei contenderent, si cor illorum in eo non esset? Quis anxie laborabit pro eo, in quod corde non propendet? 2

Tertio, quomodo non pietatem uerterent in quæstum, si terrenis inhiarent, hoc est, si thesauros in terra colligerent? 3

Quarto,

4 Quarto, quomodo mundo sese opponerent, in quo thesaurum suum reposuissent. Imò cũ res eorum ita habeat, ut mundo sint futuri exosi, quomodo thesauros suos apud illum collocabunt?

Cum iuge bellum sit inter regnũ Dei et hunc mundum, in quo Satan est princeps, quomodo non reus erit proditionis, qui cum sit regni Dei miles, uelut thesauros suos ad hostem regni Dei reponere, cordeq; suo apud illum esse? Non potuit igitur Satan astutius regno suo consulere, ueritatisq; cursum præpedire, quàm quod permissione diuina ditandos curauit Ecclesiarum ministros. Voluit itaq; Christus Apostolos suos, regni Dei ministros, etsi nõ corpore, dum ab hoc mundo eximere, cordibus tamen esse quàm lib errimis, nihil in hoc seculo quærentibus, sed totis affectibus cœlestia meditantibus.

IN COMMVNI DE OMNIbus Christianis.

QVAM TVRPE SIT.

Perpendendum etiam fuerit, quàm turpè sit homini Christiano, ad imaginẽ Dei creato, & ad cœlestem hæreditatem uocato, corde esse, uel in muro quodam uetusto, uel in arca ferrea, uel sub terra, abdito, clauso & defosso. Quàm non sibi turpè putaret puer generosus, uulgaribus rebus addictũ esse? Generosus debebat esse, ac prorsus cœlestis Christianus animus, qui non sine pudore rebus terrenis pro necessitate etiã corpusculi utatur, taceo, ut corde sit illis addictus. Hæc clara erunt dignitatem Christianæ uocationis perpendenti.

QVAM MISERVM SIT.

Deinde, quis satis enarrabit, quantam habeat miseriam corde esse rebus caducis addictum, & tantæ subdi tyrannidi? Quid enim non cogit ista habendi libido? Quid non euincet Deus ille, qui cor tuũ habet? Magna cura colligitur, maiore custoditur, maxima expenditur. Hic si uel minimum damni acceserit, statim curritur ad laqueum. Quæ hic pericula non obeuntur, cum qui tales sunt in reliquis, sint meticulosissimi? Ad hæc quid poterit esse miserius, quã quòd ista libido habendi, quò magis thesaurus accrescit, eò maior reddit. Hinc illud: Crescit amor nummi, quantũ ipsa pecunia crescit. Hic nullus est colligẽdi finis, quemadmodũ in hydropisi nullus bibendi. Vnde: Quia quemadmodũ hic bibendo ipsa sitis alitur: ita hic colligendo ipsa colligendi libido.

QVAM VANVM SIT.

8 Tertio, Quid potest esse uanius, quàm corde illis esse rebus addictum, quæ non possunt præstare, quod putantur, quæ adeò breui possidentur, quæ nõnunquàm nullius mortalium minus sunt, quàm eius à quo colligun tur? Vide de diuite illo Luce 12.

Notandum Græcum illud. Ager Achamenidi fueram aliquando, nunc uerò Menippi. Putarat me ille esse suũ, & iste quoq; putat. Sum uerò nullius, nisi fortunæ. Quis ergo, nisi summè stultus, cor suum affiget his rebus, quæ adeò sunt inconstantes, quæ toties mutant herum suũ? Solent mulierculæ illæ quæ multos habuerunt amatores, quæ toties mutarunt amorem, exosæ haberi. Nihil illis fiditur. Et quid aliud facit, qui pecuniam colligens, uniuerso illi corde adhæret, quam pleriq; ante ipsum habuerunt, & postea etiam habituri sunt?

QVAM IMPEDIAT A SAlutaribus.

Quarto, Præter hæc omnia accedit & illud, quod 4
non solum turpè est, miserum ac durum, & uanum, sed & à uera nobilitate, uera animi iucunditate, & à ueris ac salutaribus bonis impedit. Quæ est enim uerior nobilitas, quàm ciuem esse cœlorum, filium Dei, & hæredem Dei? Illa quomodo obtinebitur corde in rebus terrenis sepulto? Quæ est uera animi iucunditas, quàm quæ fidei est & dilectionis Dei? Illam nunquàm gustat, qui corde adhæret miserrimæ isti seruituti, qui curis istis et anxietatibus colligendi pecunias laborat. Hic enim perpetuo sunt curæ, timores, anxietates, dolores, labores &c. Item quæ sunt uera bona, nisi quæ uerè beatum efficiunt? Ea sunt fide adhærere Deo, Deum ex animo diligere, illum ex animo colere, ac totum illi adunari. Ista fugiet etiam, qui corde deditus est diuitijs terrenis. Quòd si fuerit in concionibus, nihil aliud cogitat, quàm Item uide
aurum. Licet eum corpore hic sedeat, corde tamen est 1. Timo. 6.
apud thesaurum suum. Quin & deridet Christi doctrinam. Ita faciebant Pharisæi Luce 16. eò quòd essent auari inquit, Euangelista.

ESSE FORNICATIONEM A DEO.

Quinto, Notum est nos omnes Christo esse despon- 5
satos, atq; hunc esse saluatorem coniugis suæ. Notum est item, coniugis esse corde suo nusquàm uiuere, quàm in marito suo. Huc omnem amorem, spem ac fiduciam, omnem obseruantiam deniq; collocandam esse. Quomodo hæc faciet, si quicquàm extra illum ardentius & quæsiuerit, et dilexerit, et obseruauerit, imò corde toto complexa fuerit? Quis hoc feret in sua, etiamsi corpore nihil mali faciat? Atqui nihil hic à nobis committitur aliud. Atq; hoc est, quod Paulus auaritiam uocat idololatriam, quam & Prophetæ fornicationem uocarunt. Colo. 3. Ephe. 5.

Lucerna corporis tui est oculus tuus.

Hunc locum uariè annectunt præmissis. Præcipuas tamen sententias explicabimus: nimirum duas.

Primo, Sunt qui similitudinem hanc applicent ad mentem hominis, quasi Christus dicat: Quemadmodum corporis lumen est oculus: ita omnis uitæ, & omnium actionum fons est & lux, mens, cor, animus. Et quemadmodum oculo existente simplici, hoc est, integro, puro, ac mundo, totum corpus lucidum est, hoc est, lucem habet, unde dirigatur, ne quo pacto offendat, sed omnia ritè peragat: ita corde existẽte simplici, puro ac mundo omnes quoq; uitæ actiones puræ sunt ac mundæ, ac ritè peraguntur. Rursus, quemadmodum oculo existente malo, hoc est, lusco, tenebricoso, aut aliquo pacto uicioso, totum corpus in tenebris est: ita & corde existente impuro, excæcatoq;, nihil erit omnis uita, omnis affectus, nisi meræ tenebræ. Anapodosim habet hic locus, unde fit, ut uaria exponatur.

Atq; hoc sensu Christus significat, corda per auaritiam excæcari, quibus excæcatis, nihil esse reliquã uitæ actionem, reliquos omnes affectus, nisi meras tenebras. Aut certe excæcationem cordis esse radicem auaritiæ & omnis maliciæ, de quo habes Ephe. 4. Ita ut Christus hic uelit dicere: Quid mirum, si qui in mundo sunt, auaritiam

ritiam ſectantur, cũ cordibus ſint tenebricoſis? atq; ita rationem reddere, qui fiat, quòd iſta non conſiderant auari: nempe, quàm minime ſecuras diuitias colligant, quàm ſtulte corde illis adhæreãt. Ex eo dicit: quòd cæca ſunt mente. Quid mirũ ergo, ſi paſſim turpiter errent, & quæ uia ſit ad ueras diuitias non uideant?

Atq; hanc cæcitatem auarorum, exprimit ipſe Paulus 1. Timo. 6. in eo quòd dicit: Qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationes & laqueos. Quis oculis ſanis ac mundis facile in foueas et laqueos cadet, niſi prorſus inſaniat? Rurſus, quis miratur, ſi qui cæcus eſt in foueas & laqueos ceciderit? Et quàm facile ante oculos cæcorum parantur foueæ ac laquei?

Et quomodo non eſſent ad omnia alia cæcis oculis auari, qui quemadmodum nihil habent cordis apud ſe, niſi carneum illud uaſculum, ita nihil habent ex mentis acie reliquũ, quòd ad alia intendant: ſed ut cor eſt apud theſaurum, ita & omnis animi lux & intentio. In hoc unum intenta eſt, ut theſaurus uel colligatur, uel collectus cuſtodiatur? Nihil ergo ſapiunt, nihil intelligunt, nihil uident: quia nihil curant, nihil obſeruant, quàm unum hoc, in quo & toti uiuũt. Quid ergo mirum, ſi ad uera bona concutiant, qui terrenis duntaxat intendunt?

Vide Hiere. 22.

Perpende illud. Munera excæcant oculos ſapientum, Exo. 23. Deut. 16. Atq; hinc eſt, quod Moſes Exod. 18. non uult eum eligi ad iudicem, qui auaritiã nõ odiat. Hæc autem expoſitio tangit in uniuerſum quemuis Chriſtianũ, propterea & omnibus pariter notanda eſt, perpendumq; in cæcitate illa externa corporeaq;, quanta ſit cæcæ mentis miſeria. Quod autem illam non conſideramus, hoc ipſum cæcitatis eſt inditium. Non enim omnino cæci eſſemus, ſi uel cæcitatem iſtam mentis intelligeremus & uideremus.

ALTERA EXPOSITIO.

Alterum argumentum quo dehortatur ſuos ab auarina.

Poteſt autem hic locus ita exponi, ut potiſſimũ ad diſcipulos Chriſti & Apoſtolos pertineat, ut ſit recurſus quidam ad exordium huius concionis, quo diſcipulis dixerat: Vos eſtis lux mundi. Et: Neq; accẽdunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrũ, ut luceat omnib. qui in domo ſunt. Quibus uerbis illos admonuit conditionis ac ſortis, in quam uocati erant. q. d. & hic: Scitis ad quid uocauerim uos? Nimirum ad hoc, ut ſitis quemadmodum ſupra dixi, lux mundi, ut illuminetis alios. Iam ſi uos ipſi per auaritiam paſſuri eſtis tenebras, quid aliud futurum eſt, quàm quod corpori toto euenit, ſi oculus, lux ſcilicet ipſius, malus ac tenebricoſus fuerit: nimirum, ut totũ etiam corpus eò amplius ſit futurum tenebricoſum. Ita & ueſtra habet conditio. Proinde, dupl'ici iam nomine uobis cauenda erit auaritia, mentium excæcatrix. Primum ueſtro, deinde etiam aliorum, quibus prælucere debetis. Nam cogitate quàm nequeant reliqua corporis membra non in tenebris eſſe ſi oculi fuerint tenebricoſi?

Et ut rem, aliàs manifeſtam, omnino tamen ob oculos ponat & inculcet, colligit ex præmiſſis ita neceſſariis, ut nemo neget, ad hunc modum: Oculus quid eſt corpori? Lucerna. Bene. Quomodo habet corpus, ſi munda illius fuerit lucerna? lucidum eſt planè. Quomodo ſi fuerit malus oculus? tenebricoſum eſt planè. Iſta intelligitis & certiſſima habetis? Colligite nũc ex iſtis. Quod ſi ergo lumen iſtud corporis tui, tenebræ fuerint, rogo: ipſæ tenebræ quantæ erunt, reliqui uidelicet corporis? Ita & ueſtra habet, & totius mundi conditio. Totus mundus in tenebris eſt. Vos poſui, ut lux ſitis mundi: Quòd ſi uos lucis officium candide præſtiteritis. Bene, lucidũ erit mundi corpus, hoc eſt, habebit: unde uideat, ſi uelit. Si uerò lucis officium non præſtiteritis, manebit mundus in tenebris ſuis. Colligite nũc, quantæ ſint mundi tenebræ futuræ, ſi uos futuri ſitis tenebricoſi, qui debebatis eſſe lux mundi?

QVID HIC NOTANDVM.

Notandum itaq; hic fuerit, quantum damni præbeat ſi cæci fuerint in Eccleſia doctores. Si mundus eſt in tenebris, quanto damno cæcos ductores habebit? Quid poterit cæco peſtilentius obtingere, quàm dux cæcus? Quid enim cæco magis eſt neceſſarium, quàm dux qui probè uideat? Mat. 15. Si cæcus cæcum ducit, ambo in foueam cadunt. Atq; tales erant Phariſæi & Scribæ, quos hic Chriſtus etiam clanculum taxat. Mat. 15.

Deinde, ſi auaritia excæcat, quid poterit peſtilentius obtingere illi, qui quàm maxime debet oculatus eſſe. Hoc ſcilicet malum nunquàm non nocuit. Vide Eſa. 56. in fine. Et Hiere. 6. A minore quippe uſq; ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent, & à Propheta uſq; ad ſacerdotem cuncti faciunt dolum. Idem 8. Atq; hoc eſt, quod & de illis, qui tempore Chriſti erant legimus Mat. 23. Et Lucæ 16. De noſtris ipſa hodiernæ diei experientia uocaliſſime clamat.

Rurſus perpendendum etiam eſt, quantũ ſit bonum ſi miniſtri uerbi lucẽ Euangelij purã ſeruauerint, ſi per auaritiam illam & ambitionem nõ obſeruauerint. Non quòd ſtatim quiſq; uideat ueritatem, etiamſi lucẽ ſuam miniſtri uerbi integram cuſtodierint. Niſi enim diuinitus illuſtretur quiſq; in corde ſuo, nihil proderit habere oculum ſanum. Quemadmodum enim nõ uidemus, utut habeamus ſanos oculos, niſi ſolis lux irradiet: ita niſi lux illa mundi Chriſtus ſplendore ſuo nos illuminauerit, nihil proderit integros habere uerbi miniſtros. Sunt enim illi inſtrumenta lucis, uerius quàm ipſa lux. Quemadmodum oculi dicuntur corporis lux, cum ſint inſtrumenta lucis, quibus corpori lux adminiſtratur.

Adhortanda igitur hic eſt Eccleſia, ut bonum hoc agnoſcat, & gratias agat, illóq; bene utatur.

Perpendamus etiam hoc loco, quantæ ſint tenebræ Chriſtianorum. Illas deprehendere licet ex illis, qui debebatur illorum eſſe lucerna.

Rurſus, quantæ ſunt tenebræ totius mundi, id eſt, eorũ qui Chriſtũ nõ agnoſcunt, ſi Chriſtiani qui mundo debebant lucis inſtar prælucere, tenebræ ſunt. Chriſtus enim omnino non eſt, qui illuminat omnẽ hominẽ uenientem.

Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.

Tertium argumentũ hoc eſt, quo Chriſtus ſuos contra auaritiam præmunit, ne theſauros ſibi in terra colligant. Eſt autem argumentum ſumptum à generali ſententia, quæ naturam & ingenium, uel certe ius dominorum in ſeruos: deinde & officium ſeruorum dominis

debitum exprimit. Herus uult seruũ suum ad omnia sibi paratißimum esse, in omnibus plane morigerum, tanquàm eum qui sui iuris est. Et merito, debet etiam hoc illi seruus. Est enim famuli officium, toto corde hero suo esse addictum, ac totum esse in obsequio illius, ut nihil aliud spectet, quàm heri sui uoluntatem.

Ex hoc, quod nemo negat, nata est ista uulgaris sententia, quam ita quotidiana experientia indubitatam fecit, ut communi sensu habeatur uerißima: nempe, non posse duobus dominis seruiri. Et hanc Christus pulchrè hic ad institutum suũ usurpat, utpote, unde colligat id, quod suis tradit: ita planè, ut nisi quis sensum cõmunem nõ habeat, nemo nõ capiat: ità solidè, ut nemo repugnet Et tamen ex abundanti addit & rationes, cum subdit:

Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget.

Q.d. Quoniam diuersum imperium, diuersos habet mores, diuersa mandata: ita, ut seruus, dũ unius domini iussum amplectitur, quẽ animo sibi cõplexus est, alterũ è regione odio habeat, aut certè neutri seruiat. Quomodo enim seruiet ei quẽ detestatur, à quo uellet esse liber?

Aut alteri adhęrebit, & alterũ cõtemnet.

Expreßius ponit ipsum amoris & odij signum, id quod rebus urgentibus apparet: nempe, quòd ei quem diligit, adhæreat: altero planè neglecto, quem odit. Fit enim subinde, ut qui tales sunt, simulent utrũq; & odiũ & amorem, quoad fieri potest. Verum urgente necessitate, erumpit tandem euidens signũ, unde conspicuum fit, utrum dominorum dilexerint, aut odio habuerint: nempe, desertio & adhæsio. Iam odire dominũ, & tandem deserere, non est probè seruire. Diligere uerò & adhærere, istud est probi famuli. Atqui fieri nequit, ut duobus dominis ritè diligendo adhæreatur, eò quòd quisq; non solum se diligi, sibiq; adhæreri integrũ uult seruũ, sed & exigit, ut alter & odiatur & contemnatur, quem sentit moribus suis contrarium. Concluditur ergo, non posse seruiri duobus dominis.

Nõ potestis Deo seruire & Mammonæ.

Applicatio est ad institutum. Dehortatus fuerat supra à colligendis thesauris terrenis, argumento sumpto ab illorũ uanitate, corruptione & insecuritate. Deinde & ab officio discipulorum, in quod eos uocauerat: nempe, quòd lucerna esse debeant mundi. Iam tertio ex eo arguit, quòd serui sunt Dei, cui toti debeant esse addicti, & colligit ad hunc modum. Ad hoc estis uocati, ut Deo seruiatis. Atq; hoc planè uultis. At seruitus ista exigit animum Deo planè addictum, exigit amorem, exigit omnimodam adhæsionẽ & obedientiam, ad omnem illius uoluntatem. Atq; ex hoc liquet, quàm nequeatis alium pariter uobis admittere dominũ, cui obediatis ac seruiatis, nisi nolitis huic ex animo seruire. Scitis enim quàm nemo posit duobus dominis seruire, rationẽ quoque scitis: nempe, quòd usueniet, ut uno dilecto, hoc ipso odiat alterum: aut uno contempto adhæreat alteri. Atqui qui thesauros colligit in terra, hic Mammonæ se subdit, ut illius uoluntati obtemperet. Proinde fieri non potest, ut qui Deo consecrati estis, qui planè zelotes est, Mammonam uobis dominum accersatis: fiet enim, ut aut neutri seruiatis, aut uno contempto & neglecto, alteri adhæreatis: alterum diligatis. Iam perpendite uos an dignũ sit ut relicto contemptoq; deo, seruiatis Mammonæ. Nolite ergo colligere uobis thesauros in terra, quia futurum est, ut corde illis adhæreatis, atq; hoc ipso Deum negligatis.

Non potestis.) Et notandum, quod non dicit, non debetis Deo seruire & Mammonæ, uel: Non est consultum, ut Deo seruiatis & Mammonæ, sed per impossibilitatis argumentum. Non potestis, inquit Deo seruire & Mammonæ, ut planè illos deterreat à colligendis thesauris. q.d. ne tentetis, quod poßibile non est.

Nemo potest.) Et ne noceat exemplum Pharisæorum, Scribarum, Sacerdotum, qui cum essent Mammonæ addictißimi, nihilominus sese pro cultoribus Dei uenditabant: ita ut facile cogitarent discipuli. Et quomodo Pharisæi, Scribæ, augendæ rei cupidißimi, nihilo minus Deo seruiunt? Qui fieret, ut nos soli idem non possemus? Nemo inquit potest duobus dominis seruire. q.d. Non est, ut respiciatis ad hoc hominum genus. Nihil enim minus sunt, quàm serui Dei, nemini minus seruiunt quàm Deo. Firmum enim est, neminem posse duobus dominis seruire. Vide Lucæ 16. quomodo Pharisæos taxet ubi planè expressum uidemus quòd hic dico.

QVID HIC ADMONEAMVR.

Primum, quoniam quotquot Christiani sumus, non solũ serui, sed & filij Dei sumus, pertinet & hæc Christi doctrina ad omnes nos quoq;, quibus omnibus persuasum est, Deo esse seruiendum. Proinde uideamus, quid in genere omnibus hic sit notandum.

Principio, licet omnibus sit persuasum, iure à nobis exigi, ut Deo seruiamus, non tamen æque omnibus insitum est propositum Deo seruiendi. Est itaq; primum, ut quisq; hic se probet, num planè in hoc sit, ut deo seruire cupiat. Nisi enim hic animus sit, nihil efficient reliqua omnia. Plerosq; uidemus non ignorare uoluntatem domini, & tamen nihil minus facere, imò ne cogitare quidem, Quare? quia non eius sunt propositi, ut cupiant Deo seruire. Proinde, quoniam omnino seruiendum est, eligendum primo, cui nam seruire uelimus. 1

Secundo, Posteaquàm propositum est Deo seruire, cognoscendum etiam est, illi soli seruiendum esse, eumq; pro unico domino tenendum & amplectendum, idq; certis causis. 2

Primo, quòd solus est dominus. Est enim unus dominus, Ephe. 4. Et idem dominus omnium. Rom. 10. Atq; hic est dominus cœli & terræ. Mat. 11. Confiteor tibi pater domine cœli & terræ. Et Act. 17. Hic cum sit dominus cœli & terræ. Atq; illud uel ex uocabuli uirtute patet. Quis enim rectè dominus uocatur, quàm qui ius habet & imperium in alios? Hinc dominari uerbum, est alijs imperare, proq; arbitrio uti, ut reliquis sit illi obediendum? & ipse nemini seruiat, nemini subsit? Donec enim quis & alijs subest, adhuc seruus est, utut quibusdam imperet. Quis est autem hic nisi unus Deus. 1 Ephe. 4. Rom. 10. Mat. 11. Act. 17.

Atq; illud fieri cogentur omnes, potentiã suam exerente domino illo. Hinc Dauid Psal. 83. cum orasset, ut Psal. 83.

potentiam

potentiã ſuam Deus erga hoſtes exerceret: ſubdidit, ut cognoſcant, quia nomen tibi dominus, tu ſolus altiſſimus
Prouer. es in omni terra. Hinc prouerbiũ illud: Got iſt ein herr, der Apt iſt ein munch. Hinc quidam Romanorum imperator, nolebat ſe uocari dominum, agnoſcens illud eſſe cognomentum ſolius Dei. Hinc eſt, quod in genere dicimus de deo: Es iſt des Herren uuill. Dem Herren ſey lob. Et toties in Prophetis. Hæc dicit dominus. Vbi nihil additur, eò quòd ſit uniuerſalis omnium dominus. Additamenta & ſpecificationes ſunt notæ defectuũ. Ideò enim adduntur: quia qui in terris domini ſunt, non ubiq; domini ſunt. Vbi autem ſermo eſt de eo, qui ubiq; eſt dominus, ibi nihil additur. Si ergo unus eſt dominus, facile intelligimus, quam cõtumeliam illi inferamus: ſi quando iuxta illum & alij nos domino ſubiecerimus. Ergo proponendum nobis erit, ſi Deo ſeruire uolumus, ut debemus, ut uni ſeruiamus, uelut unico omnium domino.

QVAESTIO.

Si unus eſt dominus, cur ergo Chriſtus hic Mammonam æque dominum uocat atq; Deum?

Reſpondeo nõ quod ſit, ſed quod à nobis illi obediatur ac ſeruiatur. Quia cui quis ſeruit, illum dominum ſuum facit. Sic Satan uocatur princeps huius mundi. Et uenter Deus quorundam à Paulo. Et Paulus 1. Cor. 8. Siquidem ſunt dij multi, & domini multi, nobis tamen non eſt niſi unus Deus, & unus dominus. Defectionem ergo teſtantur illa, quòd hic Satanam, hic Mammonam hic uentrẽ, hic aliũ atq; aliũ dominum colit atq; eligit.

Secundo, Vni domino Deo ſeruiendum, etiam ob id,
2 quòd zelotes eſt, etiam ſi eſſent alij quoq; domini. Solus enim uult coli, ſibi ſoli ſeruiri. Hinc Chriſtus Mat. 4 ſcri
Deut. 6. ptum eſt: Dominum deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Et Iehoſua ultimo uide, quomodo Iehoſua populum huius admoneat.

Tertio, Quia non poteſt etiam fieri, ut duobus do-
3 minis ſeruias, etiam ſi plures eſſent, & dominus hic zelotes non eſſet. Atq; hoc eſt argumentum, quo Chriſtus hic utitur, additis rationibus, cur fieri nequeat.

Quarto, Quia etiam ſi fieri poſſet, nihil tamen aliud
4 faceres, quàm quod damno te ipſum maximo afficeres. Quantũ enim de hoc ſeruitio detraheres, tantũ detraheres tuæ felicitati. Huic enim domino ſeruire, regnare eſt. Hæc ſeruitus omnẽ habet beatitudinem. Quid ergo cauſæ fuerit alijs ſeruire? Maxime cũ nemo ſponte ſine commodi, aut certe uoluptatis cuiuſpiam reſpectu ſeruiat. Iam cũ ſit ſumma beatitudo, ſumma dignitas, ſumma uoluptas ſeruire huic omnium domino, quur alium eligeremus? Si regina Saba de ſeruis Salomonis dicebat 1. Reg. 10. Beati ſunt ſerui tui, quid nobis hic dicendum?
1. Reg. 10. Vide Eſa. 65. Serui mei comedent &c. Et Ro. 6. Serui autem facti Deo fructum habetis &c.

QVAESTIO.

Ergo terrenis dominis non ſeruiam? Reſpondeo, Quatenus ſunt ſerui dei, Ro. 13. Illis ſeruiens deo ſeruis.

Tertio, Videndum, quomodo huic domino ſeruiatur: omnino enim ſeruitus ad uoluntatem domini cui ſeruitur dirigenda eſt. Et hoc loco apertũ eſt tale quid eſſe ſeruire deo, quod auarus et Mammonæ ſeruus præſtare nequeat. Iam quis prohibet, quò minus omnia præſtent, quæ Pontificij pro cultu Dei uenditant, etiam qui ſunt auariſſimi, & Mammonæ deditiſſimi? Ergo omnia illa externa, quæ auari præſtare poſſunt, nõ ſunt cultus dei: Idem ſentire eſt & de uentris ſeruitute. Aeque ſiquidem uerum eſt: Non poteſtis Deo ſeruire & uentri.

Notandum eſt poſtremo loco & hoc, quod non addit, quid damni ex eo ſit, quòd deo non ſeruitur, & quid lucri ex eo, quòd illi ſeruitur. Deinde non addit, quàm iuſtum ſit illud & iniuſtum illud. Tam enim eſt omnibus inſitũ Deo ſeruiendum eſſe, ut nihil opus ſit hæc addere. Ad hæc piorũ etiã natura eſſe debet, ut uitent ex animo quicquid à cultu Dei abſtrahit, ita ut nõ ſit neceſſarium addere, quid ex illius negligentia damni ſequatur.

Propterea dico uobis: ne ſollicíti ſitís animę ueſtrę quid eſuri ſitís, aut bíbituri, neque corpori ueſtro quíb. índumẽtis uſuri

Iam conſequenter ad ipſam mali radicem uertitur: nempe ſollicitudinem uictus, aut ſi mauis, diffidentiam, uel incredulitatem, unde illa improba ſollicitudo naſcitur, quæ tandem hominem eò adducit, ut neceſſarijs rebus ad præſentem uictum non contentus, incipiat anxie cogitare de futuro, atq; ideò ſibi colligere in multos annos: unde naſcitur ſeruitus illa Mammonæ, quæ à ſeruitute Dei abſtrahit. Pulchrè itaq; & recto ordine primũ externũ illud, quod nemini nõ uidetur eſſe uitiũ: nempe auaritiam taxat, atq; ab ea abaucit: deinde ad ipſius radicem pergit conſequenter extirpandã, more boni hortulani, qui primum urticas & ſpinas ſuperficietenus amputat: deinde & radices funditus euellit.

Atq; hoc eſt quod non ſimpliciter incipit contra ſollicitudinẽ uictus diſſerere, tanquàm ad præteritũ nihil quæ ſequuntur pertineant, ſed dicit: Propterea dico uobis: Quapropter? ut cauere ſcilicet poßitis auaritiam, collectionem theſaurorũ, & ſeruitutem Mammonæ, ne à ſeruitio dei auellamini. Propterea dico uobis: ne ſolliciti ſitis animæ ueſtræ, quid eſuri ſitis. q. d. Hoc niſi feceritis, mox eò abducemini, ut Mammonæ ſeruiatis, Deũ relinquatis. Quòd aũt hic contra ſollicitudinem uictus, tanquàm auaritiæ radicem his argumentis diſſerat, patet etiam Lucæ 12. Vbi hæc eadem habemus parabolæ ſubiecta de diuite qui dicebat: Anima mea, comede: ubi cum dixiſſet: initio cauete ab omni auaritia. Et in fine: Sic eſt qui ſibi colligit, & non eſt in Deo diues, ſubdit. Ideò dico uobis: Nolite ſolliciti eſſe animæ ueſtræ &c.

Quin ipſa excuſatio auarorum, qua ſeſe tueri poſſe putant ſatis exprimit, hinc eſſe auaritiam, quod plus æquo de uictu anguntur. Ita quippe ſe excuſant: An non debeo mihi prouidere de uictu? An non meũ eſt curare quæ neceſſaria ſunt? Superflua non quæro, ſed quæ naturæ neceſsitas expoſtulat: nempe, ut habeã unde uiuã. Ecce ex hoc fonte manat illis: deinde ſeruitus Mammonæ. Atq; huic prætextui carnis pulchrè ac potentibus argumentis obuiat Chriſtus, non ignarus ingenij carnis, quàm illa uitium ſuam palliare ſoleat.

Sed dicis: Ergo nihil erit laborandum pro uictu? Reſpondeo. Non hoc agit Chriſtus. Neq; enim dicit:

Propterea dico uobis: ne laboretis pro uictu & amictu, sed ne solliciti sitis. Sollicitudinem prohibet, ergo non laborem. Paulus dicit Ephe. 4. Laboret unusquisq; manibus suis, ut habeat & unde det necessitatem patienti.

Rursum dicis: Et quomodo & istud malum est, quod sollicitudinem uictus, & amictus habeo? Quis enim laborabit sine sollicitudine?

Respondeo. Non simpliciter omnem sollicitudinem prohibet, sed eam duntaxat, quæ est ex incredulitate: Nimirum, qua non ad præsens tantum tempus curando laboratur, sed in longinquum. Atq; id patet ex disputationis huius fundamento: nempe, non esse colligendos thesauros. Scimus quid sit colligere. Et Luc. 12. ex præmissa parabola. Et ex conclusione: Ne sitis ergo solliciti in crastinũ. Notandum itaq; hic est, quibus hæc doctrina conueniat. Sunt enim plerique, qui aliàs plus æquo nihil curæ de uictu habent: uel suo, quod ignauiæ est: uel suorum, quod infidelium est. 1. Tim. 5. Istis non hæc doctrina, sed admonitio Pauli 1. Thess. & 2. Thess. 3. proponenda est. Illis uerò notanda est hæc doctrina, qui ex imbecillitate fidei, curis anguntur de uictu & amictu, timentes uel senium, uel ægritudinem, uel similes alios euentus: atq; ideò ad colligendum rapiuntur in posterum, eoq; tandẽ ueniunt, ut toti colligendis uel collectis thesauris consecrentur, neglecto deo, cui uni debebant seruire, ad cuius seruitutẽ omnẽ debebãt sollicitudinẽ impendere.

DE APOSTOLIS.

Quoniam uerò animus hac cura, & diffidentia occupatus, ad nihil aliud ualet, sed totus ad uictum quærendum rapitur. Apostolis uerò suis commissurus erat preconiũ illud regni dei, cui totos sese cõsecrare debebant, non immerito ab hac illos cura auocat, & fiduciã omnẽ in Deum ponere docet, quatenus, ut concludit, regnum Dei quærant, non dubitantes reliqua non defutura, sed ubi necesse erit, adijcienda.

Et quàmuis satis fuisset unica ista admonitio. Quid dubitatis de uictu, Deo seruientes, quasi non possit uos, aut nolit alere? Quis dominus seruũ suum non alit? Seruite uos Deo ex animo, certi adfore & uictum & amictum. Tametsi inquam hæc sufficissent credenti, non tamen contentus illis est, sed rem ita consuetis & notis rebus ob oculos ponit, ut nemo sit, qui non uideat & fateatur turpissimam esse anxiam istam uictus curam & diffidentiam. Idq; necessario facit, quia caro honestum hoc putat, quod maxime incredulitatem sapit.

Nunquid anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm indumentum?

Argumẽtũ

Primũ argumentũ sumit à maiori. Qui quod maius est dedit, quod minus est, non negabit. Iam animam & corpus, quis uobis dedit? Deus. Bene. Nunquid anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm uestimentum? Vtiq;. Qui ergo animam & corpus, quæ potiora sunt, uobis nihil minus cogitantibus dedit, quæ minora sunt, escam & uestimentũ quomodo negabit? Deus aũt uobis illa maiora dedit: Ergo idẽ & ista minora non negabit.

Ecce quàm claro, noto, & forti argumento utatur, neq; sumpto ab ijs ipsis, quorũ gratia pro uictu & amictu solliciti sumus. q. d. Qua ratione pro uictu solliciti estis? Ad sustentandam scilicet uitam. Rectè. Quare pro uestimento anxij estis? ut corpus tegamus & foueamus. Bene. Iam quis est, qui ista uobis dedit? quis est qui conseruat? Deus. Et quomodo non ab ipsa anima, & ab ipso corpore admonemini paternæ prouidentiæ, quòd is qui potiora dedit nõ rogantibus, quiq; illa in omnem horam conseruat, minora non denegaturus sit?

Vide quàm egregie nobis diuinæ prouidentiæ experimenta, quæ negari nõ possunt, in illis ipsis rebus ostendat, & ob oculos ponat, pro quibus conseruandis solliciti sumus. Non sumit talia argumenta, quæ fide uel spe duntaxat comprehendenda sint illis, qui fide adhuc infirmi sunt, sed talia sumit, quæ nemo hominum ignorare potest, duntaxat illa obseruemus & perpendamus.

Et ad hoc facit, quod interrogatiue loquitur. q. d. Iudicate uos ipsi, An anima non plus sit, quàm esca, & corpus quàm uestimentum? Quis uestrum hoc ignorat? Erga uestra ipsorum conscientia conuincimini, quàm stulta sit illa cura pro cibo & amictu.

Deinde, & hoc perpendendum. Etiam si omnem cibum, & omnia indumenta in promptu & summa copia haberemus, tamen in illis non est uita nostra: neq; sic tamen uel unius horæ spacium certum nobis relinquitur. Hinc est quod Christus Lucæ 12. admonet. Quoniam, inquit, non est hominis uita in ijs quæ possidet, idq; adiecto exemplo declarat, cui ista quoq; subijcit. Ideò dico uobis: ne solliciti sitis, quid manducetis, aut quid induamini. Est enim anima plus quàm cibus, & corpus plus quàm uestimentum. Lucæ 12.

Respicite ad uolatilia cœli, quia non serunt neq; metunt, neq; congregant in horrea, & pater uester cœlestis alit illa. Nonne uos longè præcellitis illa?

Vt amplissimam Dei patris prouidentiam latius ob oculos ponat, descendit ad bruta animantia, quæ diuinitus præter omnem sollicitudinẽ pascuntur, ut uel in illis discamus diuitias bonitatis, & amplitudinem prouidentiæ diuinæ: facitq; argumẽtũ à minori, ordine rectissimo illud priori, quod à maiori est, subnectens. Potest enim caro, ut est subdolæ diffidentiæ, causari, non statim curare eum minora, qui maiora dedit: ita, ut putet Deum non ideò uictum & amictum nostrum protinus curare, quòd animam & corpus, quæ maiora sunt, & dedit, & conseruat, sed istam curam nobis esse relictam. Proinde adhuc curandum esse pro uictu et amictu, utut animam & corpus à deo habeamus. Subiungit itaq; Christus argumentũ à minori, quo probet Deũ patrem nostrũ non solum maiora dare, sed & quæ minuta sunt curare. Et ut illud quàm apertissimũ faciat, non adducit pastum in deserto quadraginta annos Israelẽ, non adducit Heliam nec Heliseum, in quibus Deus se pastorem etiã corporũ, & curatorem etiã uestimentorũ (Deut. 8. Vestimenta uestra non sunt attrita) declarauit: sed obijcit illis bruta animantia, idq; non leones, non elephantos, non ursos, aut reliqua grandia animantia, quæ & ipsa diuinitus pascũtur, sed relictis quadrupedibus uolatilia obijcit, quæ pater pascit, nihil de uictu sollicita. Sed uideamus ipsa uerba. Omnia enim exactissime ponuntur.

Respicite

Respicite ad uolatilia cœli.) Græce non simpliciter habet ὁρᾶτε, sed ἐμβλέψατε intuemini, nõ simpliciter uidete. Est enim intueri diligenter cum animaduersione & consideratione uidere. Ecce rem notam & quotidie ob oculos expositam, uult ut cum singulari animaduersione consideremus.

Volatilia cœli.) Ad differentiam eorũ quæ domi aluntur, addit cœli, quæ scilicet nec sua ipsorum, nec humana cura aluntur, sed prorsus diuina. Lucas nominatim recordatur coruorum, respiciens ad Psalmum 147.

Quòd non seminant, nec metunt, nec congregant in horrea.) Hæc addit, ut ostendat, quid debeamus cõsiderare in uolatilibus cœli: nempe, quòd cum nec seminent, nec metant, nec in horrea cõgregent, tamen uiuunt & inueniunt unde alantur, ut istis consideratis, cogitemus: Ecce auiculæ illæ, nec seminant, nec metunt &c. & tamen interim aluntur. Et quis alit illos? Ipsæ nihil pro seipsis curant, nec tu quoq; : Ergo Deus est, qui illas alit.

Ergo & nos quoq; nihil debemus seminare, nihil metere, nihil in horrea congregare? Non hoc dicit, Sed incredulitatem, uel certe imbecillitatem fidei nostræ taxat: quibus cum hoc diuinitus datum sit, ut seminemus, metamus, plantemus, colligamusq; in horrea, unde uiuere liceat: nihilominus tantum fidei, tantumq; securitatis non est, quantum auiculis cœli, quæ nec seminant, nec metunt, nec in horrea congregant.

Et pater uester cœlestis pascit illa.) Notanter dicit: Et pater uester cœlestis, non, & pater illorum. q.d. Quæ est ista si lei imbecillitas, quòd quum patrem habeatis cœlestem, qui innumerabilem pascit uolatilium multitudinem, adhuc tamen de uictu & amictu solliciti estis: quasi uos sit deserturus qui auiculas pascit. Quum tam diues sit, ut queat tot auiculas, tam bonus, ut uelit etiam illas pascere, quomodo deseret uos filios suos?

Nónne uos longè præcellitis illa?) Arguit à minori. Qui minora curat, maiora quomodo negliget? Imò qui ea curat, quæ uestri gratia creauit, quomodo uos deseret, quibus ista creata sunt?

De apostolis

Non seminant, nec metunt &c. Et pater uester cœlestis alit illa. Ista si propriè ad Apostolos loquitur, pulchrè occurrit cogitationibus, quibus poterant apud seipsos, relictis nauibus ac retibus, id est, alendi instrumentis cogitare, unde uiuemus circueuntes, nihil laborantes, nihil colligentes? Maxime, si nihil liceat ab hominibus accipere? Videmus quàm anxiè se illi alant, qui & seminant, & metunt, & colligunt in horrea. Vnde nos ergo uiuemus? His cogitationibus igitur occursurus, remittit illos ad uolatilia cœli, æque nihil seminantia, nihil metentia, nihilq; colligentia, & tamen beneficio patris apprimè uiuentia.

IN GENERE.

Si uerò in genere ad omnes pertinent, neq; sic tamen ideò auiculas proponit, ut uelit nos ocio torpidos alimentũ negligere diurnũ. Pascit quidem pater auiculas cœli: sed uide quomodo tot sunt genera animantium, & uolatiliũ, quæ omnia diuinitus pascuntur. Psal. 104. Et tamen unicuiq; generi tantum dedit industriæ, ut sciat, ubi & quomodo cibũ sibi cõpetentem quærat, quem & suo tempore ac loco quærit. Auicularũ etiã multa sunt genera. Illæ granis, istæ uermiculis, hæ pisciculis uescuntur. Orto die, ad pasturam se cõferunt, & oblatũ cibum capiunt. Capto cibo, nihil sollicitæ de crastino, securæ, uel cantant, uel nocte quiescunt. Sed unde cibum caperent, nisi bonitas ac prouidentia diuina illum parasset?

Quemadmodũ igitur uolatilia cœli suo tempore, per industriam cibũ quærunt, non expectantia, ut per aëra adferatur, nõ quæsitus: ita tu quoq; tua utere industria, seminandi, plantandi, & laborandi, quam diuinitus accepisti, omni interim cura in dominum coniecta. Quòd si eò ueneris, ut laborare uel nequeas, uel maioribus occupatus non liceat, rursus respicito uolatilia cœli, quæ pater tuus cœlestis, etiamsi nihil laborent, tamẽ non deserit: & confide, quòd multo te sit minus deserturus.

Quis autem ex uobis sollicite curando, potest addere ad staturã suã cubitũ unũ?

Arguit rursus hoc tertio argumẽto à minori ad maius, ad ipsum nostrum corpus, cuius cura uexamur, regressus. Esse aũt hoc argumentũ à minori, patet Lu. 12. ubi additũ legimus: Si ergo quod minimũ est nõ potestis, quid de cæteris solliciti estis? Statura ergo nostra omniũ est minimũ eorũ, quæ corpus nostrum concernunt. Aeque enim breuis, ut longus uiuit. Nã nihil detrimenti habet breuis statura, nec plus aliquid habet longa. Si ergo, inquit, quod minimũ est, non est in uestra potestate, quomodo erũt reliqua in uestra potestate? Ergo nec uictus, nec amictus, nec uita, nec corpus, in uestra est potestate. Quid igitur pro illis anxij estis?

Duplex itaq; argumentum hic texitur. Vnum à minori, & alterum ab absurdo. Absurdum enim est sollicitũ esse pro ijs rebus, quæ in nostra potestate non sunt.

Vide quomodo per consideratam nostram impotentiam in rebus leuiculis, ad considerandam patris cœlestis prouidentiã uocat, ut in rebus quoq; maioribus, quæ minus possumus, curam illi committamus. Sic Matth. 5. Non potes unum crinem album facere uel nigrum. Item 10. Capilli capitis uestri omnes numerati sunt.

Ac de indumento quid sollicíti estis?

De uestibus quoq; seorsim agit, non quòd alia sit illarum cura, quàm quæ cibi est. (Nam ex uno & eodem eiusdẽ rationis fonte utraq; ista sollicitudo fluit.) Sed ut huic morbo aptis ac distinctis occurrat argumẽtis. Habet aũt & ipsa interrogatio nõnihil ad taxandã nostrã diffidentiam energiæ, quod illic anxij sumus, ubi non est ratio. Hic enim interrogandi usus est, quando scilicet ea cõfidentia reprehendimus errantem, ut certi simus non habere illum, quo se tueatur, delictumq; tam esse absurdum, ut nullo queat defendi pacto. Dicit itaq; : De indumento quoq; quæso quid solliciti estis? Qua ratione hac cura & sollicitudine tenemini? ostendite si quid habetis.

Cognoscite lília agrí.

Quarto argumento isto rursus à minori arguit. Et ut quàm exactissimè magnitudinẽ nobis ac turpitudinẽ diffidentiæ nostræ ob oculos exponat, non dicit: cognoscite quomodo uestiuerit populum suũ in deserto quadraginta annis, aut, quomodo pecora uestiat, aut auiculas, sed ad inanimata transit, atq; in illis prouidentiam

dei etiam quantũ ad ueſtitum attinet, obijcit. Quin neq; totã telluris ſuperficiem tam egregie ueſtitam, neq; arbores, aut aliud huiuſmodi, ſed minutos floſculos agri, quorum ſcilicet tanta eſt uilitas, ut nulla nobis ratione magnopere curanda uideãtur, in mediũ adducit. Quòd notanter dicit lilia agri. ad differentiã facit, eorũ quæ in hortis plantantur, quemadmodũ ſupra non quaſuis auiculas, ſed eas adducit, quæ nulla humana cura aluntur.

Quomodo creſcant.

Tacite & hic curæ, quæ pro uictu eſt, medetur.

Non laborant, nec nent.

Hoc eſt, non faciunt ea, quæ ad comparandas ueſtes faciunt, & tamen ueſtiuntur. Iam cum uos & laborare & nere poſsitis, quid ſolliciti eſtis pro ueſtitu? Aut certe etiam, ſi iſta non poteritis præ imbecillitate præſtare, reſpicite lilia agri, quæ æque non poſſunt.

Nec Salomon.

Non ſatis eſt deo lilia ueſtire, niſi etiam ſplendidiſſimè ueſtiat. Ex eo ſcilicet nõ ſolũ prouidentiã dei, ſed et diuitias & liberalitatẽ illius cõmendat. Atq; ideò Salomonẽ hunc adducens, nõ dicit: Dico uobis, nec homo, neq; rex quiſpiam: ſed, neq; Salomon regum omnium ditiſſimus.

In uniuerſa gloria ſua.

Non dicit: neq; Salomon ita ueſtitus fuit, ſed in gloria ſua, neq; id ſimpliciter, ſed addit: in uniuerſa ſua gloria. Iam crediderim, quotidianũ tanti regis ueſtitũ fuiſſe illuſtrem, quanto magis, ſi quando gloriã ſuã oſtendebat, eamq; omnem, ubi quicquid præcioſi haberi poterat ex auro, et omnibus ſericæ texturæ generib. proferebatur.

Sicut unum ex iſtis.

Non dicit: ſicut illa, ſed ſicut unũ ex iſtis. Vide quomodo omnẽ mundi gloriam unico agri lilio poſtponat.

Quod ſi gramen agri.

Collectio eſt ex præmiſsis, ad arguendam fidei noſtræ imbecillitatẽ parata. Gramen. Extenuatio eſt. Iam non dicit: lilium tam egregiè ueſtitum, ſed gramen agri. Splendor quidem ueſtitus, inſignis eſt adeò, ut omnem ſplendidiſſimi regis gloriam exuperet, uerũ illud quod adeò ſplendide ueſtitur, eſt gramen uile & caducũ. Arguit ergo à uilitate rei, ut eò faciat inſigniorem diuinæ prouidentiæ liberalitatem. Atq; eò faciunt et quæ addit:

Quod hodie cum ſit, cras in clibanum mittitur, Deus ſic ueſtit. Hoc eſt, quod tam cito periturum, quodq; tam uili uſu eſt, ac propè nullo. Si illud ſic ueſtit. Non ſimpliciter ueſtit: ſed ſic ueſtit.

An non multo magis uobis id faciet?

Concluſio argumenti per interrogationis uehementiam. Non dicit: uobis quoq; hoc faciet, ſed interrogando: An non uobis quoq; hoc faciet? q. d. Iudicate uos ipſi. Poteſtis ne negare? Nec dicit ſimpliciter: An non uobis quoq; idẽ faciet, ſed: An nõ multo magis uobis id faciet. Eſt autem in his uirtus collationis & ipſius argumenti.

O parum fidentes.

Obſerua exclamationem amice obiurgatoriam, qua oſtendit ſimul per exprobrationem, unde ſit illa ſollicitudo uictus et amictus: Nimirum ex fiduciæ infirmitate, quã ex præmiſsis iã exp'icuit, & ante oculos expoſuit.

Notandum hîc, etiam in Apoſtolis eam tum fuiſſe fidei imbecillitatem, ut harum rerum cura afficerentur. Vide infra 16. & 8. ubi eos iiſdem uerbis corripit.

Igitur ne ſitis ſolliciti.

Concluſio dehortationis huius, in qua epilogi uice refricat, quid egerit in præcedẽtibus, dũ dicit: Igitur &c.

Quid edemus? aut quid bibemus? aut quibus operiemur?

Exprimit anxiè diffidentiæ cogitationes & uerba, ut ſimul ipſius turpitudinem cuiuſuis conſcientiæ, tanquàm conſciam, obijciat. Exigunt iſta uerba ſuum pronunciandi peculiarem geſtum, quo ſollicitudo illa diffidentis animi exprimatur.

Nam omnia iſta Gentes exquirunt.

Vt turpitudinem huius diffidentiæ, uel ſollicitudinis magis exprimat, Gentium meminit, id quod ſubinde & Paulus facit. Non dicit: Hæc omnia Gentes in uſu habẽt, ſed exquirunt, id eſt, toto ſunt huc ſtudio dediti, nihil aliud, niſi hoc ſolum anxiè curantes. Notandum igitur uerbum exquirendi.

Nouit enim pater ueſter, quòd his omnibus opus habeatis.

Occupatio eſt, qua cogitantibus interim occurrit, ac dicentibus: Atqui his omnibus opus habemus. Dicit igitur: Bene, opus habetis illis. Nõ nego. Neq; hoc pater ignorat. Atqui hoc ipſum debebat uos ab iſta ſollicitudine liberare, ſcientes patrem non negaturum, quæ cognoſcat uobis neceſſaria eſſe.

Primum autem quærite regnum Dei.

Q. d. Nolo uos, hæc dicens: ab omni ſtudio & diligentia curandi prorſus liberos eſſe. Curate, quærite, ſatagite, ſed non quæ gentes ſolent: Verum quærite regnũ dei, ad quod uocati eſtis. Quòd autem dicit: quærite primũ, non ita intelligendũ eſt, quaſi poſt quæſitũ regnũ dei, liceat quærere & iſta: ſed quòd regnũ dei primo ſit quærendũ tanquàm quod primariũ eſt, à quo reliqua omnia pendeant, quo quæſito nihil ſit opus minuta iſta curare.

Et iuſtitiam eius. ומשפטו regni ſcilicet. Sein recht und brauch, zugeher und gebure. Quæ aũt ſit iuſtitia eius, ſupra memoratum eſt, ubi dixit. Niſi abundauerit iuſtitia ueſtra pluſquã Scribarũ & Phariſæorũ &c. Et qui docuerit et fecerit ſic, magnus habebitur in regno cœlorum. In ſumma Euangelica doctrina ſatis nos inſtruit, quæ ſit regni huius iuſtitia.

Et hæc omnia adijcientur uobis.

Nõ ſimpliciter dicit: & iſta adijcientur uobis, ſed iſta omnia. quæ omnia? Quæ uos tantopere curãda putatis, quæ uobis neceſſaria ſunt. Nõ ſolũ uictus & amictus, ſed quicquid præterea opus fuerit. Deinde notãter nõ dicit: dabuntur, ſed adijcientur uobis: ut oſtendat iſta non eſſe primaria, neq; ſecundo quidem loco quærenda, ſed eſſe appendentia, quæ ultro quæſitum regnũ dei ſequantur.

PRAECIPVE DE APOSTOLIS.

Quò ſi quis iſta præcipue de Apoſtolis intellexerit, non erit abſurdum, ut legat ad hunc modum: Primum autem quærite regnũ dei, ad quod eſtis uocati, & quicquid præterea ad id muneris neceſſarium fuerit, & iſta omnia nihil erit opus, ut curetis. Adijcientur enim: ut ſit ſimile exemplo Salomonis, cui, cum peteret, quæ ad re-

gnum commissum exigebantur necessario, reliqua quæ non petebat, adijciebantur.

1. Reg. 3. Vide hic Augustinum de sermone domini in monte cap. xxiiij de illis, qui ideo Christo & regno Dei seruiũt, ut cõmedant & bibant, quorũ scopus & finis nõ regnũ Dei, sed uenter est, quib. ullius est regnum Dei, dũ esca & uestimenta.

Nolitis igitur sollicíti in crastinum.

Naturam exprimit, & ingenium huius diffidentiæ, quæ præsentis diei curã nõ cõtenta, perpetuo ad futura distenditur. Vitium hoc tam est turpe, ut quidam Poëtarum dixerit: Pereat qui crastina curat.

Nam crastinus dies curam habebit suiipsius.) Rationem reddit, quæ cõmiserationem afflictionis nostræ præ se ferat. Nõ dicit: Nam crastino die sollicitus eris de uictu, aut crastini diei curam cras habebis: sed crastinus dies molestus erit sua ipsius cura. q. d. Quid opus est ante tempus miserũ esse? Sic Seneca: Quod times uenturum est, aut secus: si secus, frustra ergo uexaris. Si uenturũ est tum tandem satis dolebis, quũ adfuerit tribulatio. Possunt etiam hæc uerba ad hunc modum exponi. Nam crastinus dies curam habebit suiipsius, hoc est: Nam crastinus dies quũ uenerit, adferet simul quæ opus habebitis. Permittite illi curam. Nihil est opus, ut illius hodie curã habeatis, cuius nec potestatem habetis, nec certi estis an ueniat. Quòd si aderit, aderunt & quæ necessaria sunt, qui illum diem uobis dabit: dabit & quæ in illo opus habebitis. Atq; ita hic sensus idẽ, cum illo erit quẽ nos germanico prouerbio apprimè fideliter exprimimus, cum dicimus: kumpt tag, so kumpt radt. Hoc inquam pacto possent ista exponi, uerum quia subditur:

Sufficit diei sua adflictio.

Videtur ad hũc modũ loqui. Quòd si omnino miseri esse uultis curãdo, quæ ad uictũ & amictũ pertinẽt, qua quæso ratione uultis bis miseri esse? ut quid curatis quæ crastini diei sunt, cum ipse crastinus dies suam habiturus sit adflictionẽ? Sufficiat ergo uobis cuiusq; diei adflictio. Hodiernus dies satis habet adflictionis, nihil est opus, ut crastini quoq; curam illi imponas. Hac inquam ratione esset argumentum ex compaßione. Est enim omnino curare molestum & miserum, ne dum duplici cura, eaq; inani consumi. Et adhuc tamen uidetur hic sensus stare superiorum uerborũ: nempe crastinus dies adferet quæ necesse erunt. Proinde, nihil fuerit opus de illo curare. Sufficiat huius diei præsentis adflictio. q. d. dato hoc non fore, quid tum opus erit bis miserum esse? Vel erit hoc dictum uelut conclusio eius adhortationis, quæ fit cõtra diffidentẽ & improbam crastini sollicitudinẽ.

OBITER QVAEDAM NOTANDA sunt ex prædictis.

Primo. Vbi Christus dicit: Quoniã nec Salomon.) Notandum est quomodo omnẽ mundi gloriam, omnem humani ingenij industriam hoc loco depreciet. Si enim agri lilijs nõ potest cõparari gloria Regis opulẽtißimi, quid sunt omnia illa, quibus mortales fastũ suũ iactant?

Secundo. Si fœnum agri, quod hodie &c.) Notandum hoc loco, quomodo lilia agri utut preciose uestita, rursus depreciet, ubi illa dicit fœnum esse agri. Vt admoneamur & nos nostræ ~~uilitatis~~ fragilitatis, qui cum hodie floreamus, cras desinimus. Sic Esa. 40. Omnis caro fœnum & flos agri. Idem Matth. 3. Iacobi 1. 1 Petri 1.

Tertio. Vbi dicit: O parum fidentes.) Notandum quomodo & in Apostolis fuerit fidei imbecillitas, quã tamen Christus mãsuete tulerit, & paulatim emendauerit. Non dicit: O increduli, ô infideles, ô impij, quẽadmodum quidam Anabaptistarũ hodie solẽt, sed ô parũ fidentes. Vt admoniti infirmitatis suæ, orent pro augenda sibi fide. Discimus ergo hìc & credentes Christianos hac uictus & amictus cura & sollicitudine uexari posse, & tamen nõ inde sequi, nihil illos habere fidei. Fidem quidem habere possunt, sed quia modica adhuc est, laborant huiusmodi curis.

Quarto. Primum autem quærite regnum Dei.) Hoc loco obseruandũ, quis debeat scopus esse omniũ nostrarum actionũ, & finis. Nimirũ, regnũ Dei. Hoc scilicet omnibus dicitur: siue qui uerbum Dei prædicant, siue qui in magistratu sunt, siue paterfamiliás, siue cuiuscunq; conditionis quisq; fuerit. Omnibus quærendũ est ante omnia regnũ Dei. Necesse est hinc primũ agnoscere quid sit regnum Dei. Deinde illud toto affectu cõplecti. Tertio omnibus modis quærere. Perpendendum uerò quomodo quæratur. Multi sunt qui illud quærere simulant, cum tamen reuera quæ uentris sunt, quærunt.

Et iustitiam eius. Notanter adijcitur, propter eos qui cupiunt quidem regnũ Dei, iustitiam uerò eius non curant. Exigitur ergo, ut qui regnũ Dei quærit, quærat & ante omnia simul iustitiã eius. Vide 1 Corin. 6. Iniusti regnũ Dei nõ poßidebũt. Et Gal. 5. Qui talia agunt, regnum Dei non poßidebunt. Ephe. 5. Nec fornicator, nec immundus, nec auarus, regnum Dei non poßidebunt.

Quinto. Et hæc omnia adijcientur uobis.) Nascitur hic quæstio, quomodo adijciantur hæc omnia, regnum Dei quærentibus, cum tamen Apostolus 2 Cor. 11. dicat se famẽ, sitim, & nuditatẽ passum esse. An regnum Dei non quæsiuit? Puto nemo dubitat. Si ergo quæsiuit, quomodo famem, & sitim, & nuditatẽ passus est? Si ista passus est, quomodo uerum est, quod Christus hic dicit? Quæstio. Solutio.

Respondeo. Talia Deus nõnunquã credentibus propter exercitationem fidei ußuenire permittit. Nouit enim sicut medicus, cui semel nos totos cõmisimus, quãdo hæc debeat addere uel detrahere, iuxta quod uiderit uobis expedire. Neq; enim & homo, cum plerunq; iumento suo cibaria detrahit, cura sua illud deserit, sed potius curando hæc facit. Hæc Augustinus.

Sexto. Sufficit diei adflictio sua.) Videmus hic ingenium diuinum in Christo Iesu: nimirum quàm agnoscat miseriam nostrã, quamq; non cupiat nos uanè adfligi. Verum nos pro innata stultitia labores nostros conduplicamus, etiã contra diuinũ propositũ ac beneplacitum. Quem itaq; hic Dominus frustra grauabit, aut adfliget, qui adeò dehortatur nos ab his adflictionibus nostris, quas ultro nobis imponimus?

CAPVT VII.

Nolite iudicare, ne iudiceminí.

Posteaquàm Christus cap. 5. legem declarauit, & cap. 6. contra hypocrisim, deinde & contra auaritiam, incredulamq; uictus sollicitudinem disseruit, hoc septimo capite monet, 1. De iudicio temerario. 2. Deq; æstimatione religiosa doctrinæ Euangelicæ, ne illam canibus & suibus proijciamus. 3. Deinde de pre-

candi perseuerantia, impetrandiq; spe & facilitate. 4. Item de summa totius legis omniumq; prophetarum. 5. Ad hæc de eo quod porta ad uitam sit arcta, & ad gehennã lata. 6. Postea de cauendis falsis prophetis, agnoscendaq; à fructibus arbore. 7. Et quod regnum Dei ingressurus sit, nõ qui dicit: Domine Domine, sed qui facit uoluntatẽ patris. 8. Et postremo quod nõ satis sit audire uerba ipsius, sed oporteat illa etiã reipsa præstare. Hæc scilicet præsenti hoc capite aguntur, ut uidebimus.

Nolite iudicare, ne iudicemini.) Ergo non habebunt Christiani inter se magistratus? Quid enim est iudicare, quàm facta, bona ne sint uel mala, æstimare & censere, sententiamq; quid in una quaq; re sequendum sit, ferre? Si hoc demas à magistratu, quid efficies, quàm ut omnino tollatur, aut temeraria tyrannis remaneat? Et quid ergo est, quod Esa. 1. etiam reprehenduntur primores populi Dei, quod pupillo & uiduæ non iudicauerint? Cogimur ergo hoc loco uidere, quàm non simpliciter idem sit iudicandi genus, quando quædam scripturæ loca sunt, quæ iubeant iudicare: quædam quæ omnibus pijs iudicium tribuãt: quædam quæ tantum uetent, ut non iniuste iudicetur. Iam qui liberum facit iudicare omnibus, quibusdam etiam iubet, dummodo non male iudicetur, satis ostendit non in se malum esse iudicare, aut non quoduis iudicium esse malum.

TRIPLEX IVDICANDI GENVS.

1 Multiplex est ergo iudicium. Primo est, quod omnibus pijs competit. Illud est autem discernere & cognoscere inter uerum & falsum, maximè quod ad doctrinam attinet. Atque de hoc iudicij genere habemus. 1 Corinth. 14. ubi Paulus quemadmodum permittit liberam in Ecclesia prophetiam, ita & sedentibus liberum adscribit iudicium. Atq; hoc iudicij genus commune debet esse omnibus. Imò non potest, nec debet etiã ex hominum uita & conuersatione demi. Nihil est enim aliud, quàm discernendi ratio inter bonum & malum.

Ioan. 7 Act. 4 Sic Christus Ioan. 7. ad Iudæos dicit: à quibus ueluti sabbati uiolator iudicabatur. Nolite iudicare secundum personam, sed iustum iudicium iudicate. Et Act. 4. An iustum sit in conspectu Dei, uos potius audire, quàm Deũ, iudicate. Et 1. Cor. 2. Spiritualis dijudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur. De hoc iudicij genere nõ est hic intelligendus Christus, nisi uelimus illum omniũ rerum inducere confusionẽ. Imò nemo est omniũ hominũ, quẽ hoc iudiciũ uero usu magis deceat, quã Christianũ.

1 Corin. 2

2 Secundo est iudiciũ, quod pertinet ad magistratum, quo iudicantur & castigantur nocentes, liberantur & defenduntur innocentes. De hoc habemus. Exod. 18. & Deut. 1. Psal. 82. & Esa. 1. Neq; hoc iudicij genus Christus hic intelligit, nisi uelimus illi tribuere, quod omnem malorum licentiam obtinere uelit. Quin ipse humanus conuictus non potest hoc iudicandi genere carere, siue respicias secularia, siue Ecclesiastica. Quis paterfamiliás hoc iudicio inter suos uti non cogitur? Imò ipsa Ecclesia quomodo carebit hoc iudicio, si ius habet immorigeros excommunicandi? Quid enim aliud est excommunicatio, quàm cũ iudicio in immorigerũ excommunicandum lata sententia? Et Paulus 1. Cor. 5. Iudicat fornicariũ Satanæ tradendum. Item uide 1. Cor. 6. Ad hæc, quũ plena sint malis omnia, nisi magistratui relinquamus hoc iudicium, quis consistet in hominum conuictu?

Tertio est iudicandi genus, quo aliorum hominum dicta uel facta, siue mala sint, siue in speciem duntaxat mala, notamus, iudicamus, mordemus: non ut emendentur, sed ut nigro calculo notentur, nobisq; ex illorũ collatione probitatis speciẽ sumamus, aut saltẽ prauam animis nostris delectationẽ captemus. Cõtra hoc iudicandi genus Christus hic suis disserit, id quod ex sequentibus patet, ubi dicit: Hypocrita eijce primũ trabem de oculo tuo &c. ex quib. uerbis satis ostẽdit cõtra eos se dicere, qui quũ scateant peßimis malis, nihilominus tamen suis neglectis, aut certè non animaduersis toti in hoc sunt, ut aliorũ mala curiosè scrutẽtur, iudicent, et mordeant. 3

Morbus hic communis est omnium.

Dehortatur ergo Christus hoc loco discipulos suos, à peßimo illo morbo iudicãdi aliena facta, quo potißimũ tamen laborant partim hypocritæ, partim οἱ φιλάυτοι partim οἱ φθονοῦντες inuidi, nõ satis habẽs ab hypocrisi ipsa dehortatũ esse suos, nisi & ab ipsius fructu seorsim eos auocet. Quemadmodũ uerò dictũ est de hypocrisi, ita & hic dico: Malum hoc communiter omniũ est, licet quidam eo peculiarius et fortius laborent. Nemo tamen illo planè caret. Est aũt uitiũ hoc adeò cõsuetũ, ut nemo propè sit, qui obseruet quã sit uitiosum, quàmq; damnosum. Imò pleriq; illud etiã defendunt, tã abest, ut pro malo agnoscant. Qualia in humana uita pleraq; sunt mala, mala inquam coram Deo turpia & enormia, ab hominibus tamen hoc nomine non æstimata. Vt sunt uana uerba, nociua, ociosa etiam. Superfluitas cibi ac uestimentorum. Abusus temporis, quod subinde turpi ocio consumitur. Neglectus proximi, cura temporaliũ, & morbus hic iudicandi alios, & pleraq; alia.

Vt cõmune est, ita non obseruatur.

Quomodo passim obtineat.

Inualuit autẽ adeò impudentia morbi huius, ut nemo sit, cui parcatur. Adolescens hic non parcit seni, cuius uel caniciem uereri debebat & honorare, neque parcit coæuo suo, id quod maximè uidemus in ijs, qui famulantur. Rursus senex non parcit iuuentuti, cuius tamen imbecillitatẽ & tẽtationes ipse quoq; expertus est.

Muliebre genus oblitum suæ infirmitatis & conditionis, temerè audet in uiros. Rursus uiri non perpensa imbecillitate muliebri, nihilo secius quiduis audent in mulierum errata. Neque hic, quod subinde magni mali causam adfert, pudori famæq; uirginum parcitur.

De magistratu.

Et quod summæ temeritatis est, etiam illi omnium facillime, libere ab omnibus, & in omnibus iudicantur, qui pro aliorum commodo sese multis incommodis obnoxios reddiderunt: nempe, qui in magistratu sunt. Verum est omnino, multa subinde ab illis delinquuntur. Istud tamen hoc pacto nõ emendatur. Rebus ita non consulitur, imò nõnunquam maior exacerbatio inducitur.

Hypocrita.

Quòd si religionis causam perpenderimus, bone Deus quàm scatent hic omnia corruptis iudicijs, illi qui se præ alijs aliquid esse putant, uelut Pharisæus ille, reliquos propè publicanorum loco habẽt. Hic uideas mordacißimos Cynicos & Democritas. Deinde, si qui reiectis huius mundi uanitatibus paulo cæperint uiuere religiosius, mox ab alijs uelut hypocritæ iudicantur.

De uerbi ministris.

Tertio, quid attinet dicere de uerbi ministris? in istos liberũ est omnibus quiduis, ut uno uerbo rẽ omnẽ dicã.

DE NATVRA ET INgenio sectarum.

Quamuis, ut dictum est, ita religionis habeat corruptio, nusquàm tamen morbus hic licentius insanit, quàm inter sectas. Nimirum regnante hic philautia, obtinenteq; inuidentia & contentione, quid aliud sequeretur, quàm ut utraq; pars alterius non solum aperte mala, sed & in speciem bona temerè iudicet? Sic Benedictini recẽtiores monachos, Minoritæ Dominicastros, & hi uicißim istos, imò Minoritæ Minoritas, Benedictini Benedictinos. Deinde Thomæ Scotistas, & isti uicißim illos. Ita olim ecclesia Græca Latinam, Latina Græcam iudicauit.

CVR HOC IVDICANDI GEnus Deo displiceat.

Cum itaq; præcipuus scopus regni Christi, sit genuina ueraq; dilectio, illa uerò nec æmuletur, nec agat perperã, nec insletur, nec sit ambitiosa, nec quærat quæ sua sunt, nec irritetur, nec cogitet malum, nec gaudeat super iniquitate, congaudeat autem ueritati, credat omnia, nihil non sufferat, omnia speret, omnia sustineat, 1 Corin. 13. facile cognoscimus quàm hoc iudicandi genus, quod adeò temerè dilectioni repugnat, ad regnum Christi non pertinest, atque ideò merito à Christo reijciatur, & suis inhibeatur.

Ne iudicemini.) Rationem addit, qua à iudicio temerario suos dehortetur. Quod autem non dicit: Nolite iudicare, quia malum est, quia Deo displicet, quia uos non decet, quia contra charitatem est, aut aliquid huiusmodi, sed ne iudicemini: ideò fit, quod carnaliores adhuc discipulos habet, quàm quos uel recti, uel diuini beneplaciti ratione ducere queat. Atq; ideò utitur argumento illis congruo, & ab ipsa rei detestatione sumpto. Est enim hoc iudicandi genus non tam agnatum omnibus, non tam commune quibusuis, quàm inuidiosum & detestabile: non quidem quando ipsi iudicamus alios, sed quando iudicamur ab alijs. Dicit itaq;, scitis quàm sit molestum, quàm detestabile omnibus, aliena facta uel dicta nõ syncere tractari, sed mox iudicari, damnariq;. Illud experimini, nõ quidem quando alios iudicatis, sed quando ab alijs facta uestra iudicantur. Non uultis iudicari? Igitur nolite alios iudicare.

Quo enim iudicio iudicaueritis, eo iudicabitur de uobis: Et qua mensura metimini, ea mensurabitur & uobis.

Rationis adiectæ cõfirmatio est. Vnde & dicit: Nam fieri potest, ut idem & uobis contingat, quod alijs feceritis. Sed per assertionem. Nam quo iudicio, inquit, iudicaueritis, eo iudicabitur & de uobis. Et ut sentẽtiam hanc ostendat esse tam ueram, tamq; æquam, ut etiam omnium consensu per ora uolitet omnium hominum agnoscentium, hoc esse omnium iustißimũ, ut quod quis in alium cõmiserit, idem patiatur uicißim & ipse, adijcit uulgarem parœmiam, etiam in ore gentium tritam: nempe. Qua mensura metimini, &c. ut ita uel noto prouerbio, & omnium consensu probatißimo talionis huius æquitatem agnoscant, & cauere discant.

Eo iudicabitur de uobis.) Illa, eo iudicabitur & uobis, dupliciter sumi potest. Nempe aut de eo intelligatur, quod per homines uicißim in hac uita alios iudicantibus rependitur: aut de eo quod diuinitus illis futurum est, in iudicio illo futuro.

Primam sententiam quidam sequuntur, quasi Dominus illud, eo iudicabitur de uobis, & ea mensurabitur & uobis, ad hunc modũ intelligat. Ita diuinitus comparatum est, ut qualem se quisq; erga alios præstat, tales uicißim experiatur, & alios erga se. Si iudicaueris, damnaueris, exploseris alios, idem illi & ab alijs repẽdetur, ut uerè dictum est: qua mensura alijs messus fueris, eadem tibi mensurabitur uicißim. Hinc sunt illæ prouerbiales sententiæ paßim & apud ethnicos iactatæ. Audit quod nõ uult, qui pergit dicere quod uult. Et in Andria Terent. Benedictis si certasset, audisset bene. Itẽ in prologo Andriæ: Desinant maledicere, malefacta ne noscãt sua. Item uersus ille Homericus: Talia dicẽtur tibi, qualia dixeris ipse. Et Hesiodus: Fors male dicenti, dicentur plura uicißim. Item, Vt salutabis ita resalutaberis. Et Plautus. Contumeliã si dixeris, audies. Atq; hinc est Germanicum illud prouerbium: Schreyest du guotzs in den uuald, so kumpt guotzs uuider herauß.

Atq; hũc sensum uidentur uerba. Lucæ ca. 6. uelle.

Non autem putandum quod planè ita habeat, ut qui neminem prorsus iudicauerit, à nemine etiam prorsus iudicetur: & qui nemini mali quippiã intulerit, in illum quoq; nihil prorsus à quoquam sit committendum mali. Videmus enim non raro diuersum: nempe ut mala redantur benemeritis etiã. Et ipse Christus passus est suos iudices, & malum pro bono tulit, unde & dicit: Multa bona opera præstiti uobis, propter quodnam horum uultis me lapidare? Ioannis decimo. Et Dauid: Retribuebant mihi mala pro bonis. Non igitur, inquam, ita intelligendum est, sed quod plerunque iudicio Dei ita fiat, ut qui iudicat iudicetur, qui maledicat maledicetur. Nihil enim hic agitur de ijs qui neminem iudicant, aut qui alijs benefaciunt, sed de iudicantibus & malefacientibus.

Deinde & illud quod iudicans ab alijs quoq; iudicatur, non ita capiendum est, ut putandum sit hoc ab ijs semper fieri, qui iudicãtur, uel quibus male fit. Fit enim ut pij plerunq; temere, uel iudicẽtur, uel damnẽtur, aut lædantur, quum tamen ipsi nihil horum rependant: uerum ita iudicio Domini fit, ut tametsi non semper ab ijs reddatur talio, qui læduntur, aut quod quia pij sunt uolunt, aut quia pauperes & imbecilles nequeunt: ab alijs tamen idem rependatur malefacientibus, quod ipsi antea fecerunt alijs. Sic illud: Esa. 33. Væ qui prædaris, nun quid & ipse spoliaberis. Non ita intelligendum est, ut impius cui pius præda fit, à pio uicißim sit rapinam passurus. Dominus plerunq; excitat, qui hoc faciant, ut exempli gratia. Adonibezek, qui 70 reges amputatis manibus ac pedibus eò adegit, ut sub mensa sua colligerent, quæ decidebant, cum captus manibus quoque ac pedibus truncaretur, dicebat: Sicut ego feci, sic mihi iam Dominus fecit, Iudic. 1. Illi septuaginta reges nihil rependere poterant, uerum futuri erant Israëlitæ qui hoc facerent.

Esa. 33 Item Psal. 137

Iudic. 1

Atq;

Atq; ex hoc loco discant ditiores & potentiores talionis uicem non pendere ab ijs quibus malefit, sed à Deo omnis mali uindice. Proinde stultißimi sunt, qui putant se tutos esse, si aut pauperem læserint, qui nequeat uicem reddere, aut ita presserint, ut quisquis sit talionem reddere non liceat, unde & dicunt: Ein todter menſch macht keyn geuuer, oder er beyßt nit. Non cogitant posse iusto Dei iudicio alios excitari, qui hoc abunde faciunt. De hac re multa sunt, non solum in rebus quotidianis, sed & in scripturis exempla. In scripturis notum est exemplum Achab & Iezebel, in nece Naboth Iesraëlitæ, 1 Reg. 21. & 2 Reg. 9. Vide Apocal. 18. quid legatur de mensura Romanæ sedi reddenda.

Achab
1 Reg. 21
2 Reg. 9

2 Alteram sententiam ueteres plerunq; sequuntur, ut sunt Chrysostomus & Augustinus: nempe quod is qui proximum iudicat uel lædit, aliàs in futuro Dei iudicio sit eandem recepturus mensuram, eò quod & ipse idem faciat, in quo alios iudicat. De qua re uide Paulum Roman. 2. magno serio loquentem.

Rom. 2

Probat itaq; Christus ex communi & generali sententia peculiarem suam, & singularem de non iudicando adhortationem, unde multa fluunt. Vt beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et qui claudit aures suas ad clamorem pauperum, clamabit, & ipse, & non exaudietur. Sic diuiti, qui negauerat mensæ suæ micas Lazaro, negatur uicißim aquæ gutta.

Quid autem uides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non consideras?) Per Apostrophen rapitur in Pharisæorum hypocrisim, quasi præsentes eos reprehendens, ut satis hinc uidere sit, quos potißimum in hac concione perstringat. Vtitur autem argumento ab impudentia. Impudens enim est omnino qui alios iudicat, quum ipse uel in ijsdem uel paribus uel maioribus hæreat, & ad aliena uitia etiam minutißima oculos uidendi habet, cum ad sua eaq; maxima cæcutiat. q. d. quum sis tuorum uitiorum etiam maximorum tam negligens considerator, quum ad omnia tua uel prorsus cæcutias uel conniueas, liquet omnino, quod quæ mala sunt, non in se ob id quod mala sunt odio habeas. Alias illa nusquam citius & oculatius obseruares, quàm in teipso. Nam si damnũ inspiceres quod ex peccato est, tu primus illud effugeres: si turpitudinẽ, tu prior illam declinares, quæ te cõcerneret. Ita quippe seipsum quisq; amat. Quum ergo peccatum in seipso non ideò uel quod damnum uel quod turpitudinem adferat, odio habeas, atq; ideò illud in teipso non consideras, qui fit, & unde est, quod tã acute aliena exploras, ut nihil adeò sit minutum, quod in aliorum factis non uideas?

Notandum etiam, cur nõ simpliciter dicat: Quid autem uides minus peccatũ in fratre tuo, quũ maius in te nõ uideas. Sed parabola utitur: Nimirum, ut impudentiam istam eo clarius exprimat.

Matth. 15

Ecce hinc nascitur illa quæstio uel interrogatio per Apostrophen fortiter hypocritam perstringens. Nihil est enim quo se queat excusare. Habet enim hoc uitium apertam uel hypocrisim uel maleuolentiam.

Festuca.) Et ut horum hominum ingenium exprimat, non dicit: Quid autem uides trabem in oculo fratris, & trabem in tuo non consideras. Sed, quid inquit, uides festucam &c. Habent enim isti hoc in se, ut licet ipsi laborent magnis uitijs, minutißima tamen etiã in alijs carpant, ne nihil carpant, ut se tales simulent, qui ne minimum quidem uitium ferre queant.

Aut quomodo dicis fratri tuo, Sine eijciam festucam de oculo tuo, &c.) Auxesim notat hypocriticæ impudentiæ, quæ minor esset, si alienorum delictorum obseruationem hypocrita penes se in animo contineret. Sed quod erumpit etiam, & nõ ueretur aperte fratrum minuta errata notare & reprehendere neglectis proprijs adeò magnis, inexcusabilis est, & summæ impudentiæ. Hinc dicit: Esto sis apud te adeò impudens, ut te apud te ipsum nullius pudeat, qui fit quod aliorum non uereris iudicium? Puderet saltem apud alios, qui sciunt aperto quibus maximis uitijs labores, interim minuta aliorum notans. An non putas eum cuius in oculo festucam uides ac notas, trabem quæ in oculo tuo est uidere? An non times dicturum illum: Eijce primum trabem ex oculo tuo? Quomodo es ergo adeò impudens, ut audeas ad illum dicere, frater sine eijciam festucã ex oculo tuo?

HYPOCRISIS.

Sed unde est illa impudentia? Christus ipse hoc notat, cum dicit: Hypocrita &c. Ergo ex hypocrisi est. Hypocrisis uerò uitium est, quo quis totus in hoc est, ut apud alios uideatur, quod in seipso reuera non est. Ea detinet hominẽ tanta cæcitate, ut sua uel non uideat, uel ab alijs non notari aut æstimari putet: interim alia uel minutißima reprehendens ad hoc, ut uideatur quàm sit uitijs infensus, atque adeò illis carens, iustitiæq; amator ideoq; illi studens.

EXEMPLI GRATIA.

Sedet monachus ad audiendam confessionẽ. Hic quum audit unius dieculæ non obseruatum ieiunium, seuere castigat, quum ipse interea uentre adeò sit distento, & quotidie laute comedat, etiam ieiunando melius sagine tur, quàm hic paupera conuiuando. An non magna est impudentia?

Sedet sacrificulus ad audiendam confessionem, audit somnium de mulierecula quapiam habitum, uel uisus & tactus nescio quos, aut lapsum semel cõmissum cum mulierecula. Hic castus homo non considerata, quã scortationis continuæ trabem gestet, scisciatur unde hoc somnium sit, & seuere taxat. An non magna est impudentia? Audit rem cum uxore habitam nocte sabbati, acriter castigat indicta pœna, neglecto, quòd cum scorto domi publicè sedet, qui talis uideri uult, cui sit quotidie in sacris uersandum, cui nullus dies non sit dominicus, nulla nox non sabbati. An non magna ista hæc est impudentia?

Sed obseruata tandem est trabs in oculis illorum, quæ usq; adeò inualuit, ut & ipsis pudorem incussisset, si frontem non induissent meretriciam, ut uerè de illis dicatur: Erubescere nesciunt. Verũ hoc effecit, ut impudentiæ magnitudine deterriti, festucas in aliorum oculis ita neglexerint, ut in trabes abierint, non audentibus confidenter illa taxare & castigare in populo, quæ nemo non in ipsis uidebat pleno impetu grassari. Ita abierunt minuta populi delicta in magna uitia. Sic cœptum est scortari, inebriari, adulterari &c. ita ut tandem omni utriq; abiecto pudore, nihil non sit impunè tentatum & ausum.

Atq;

Atq; hic uidere est quàm non frustra requirat Apostolus, ut Ecclesiæ minister irreprehensibilis sit. Non solum enim ad hoc illud exigitur, ut uerbi ministerium non blasphemetur, aut propter turpē ministri uitā in cōtemptum abeat, sed ut & ipsa uerbi prædicatio, castigatio malorumq; reprehensio non eneruetur, aut prorsus intereat. Omnino enim uerum est eum qui trabem in oculo suo gestat, aut esse hypocritam, aut hominem talem, quem non pudeat aperte male uiuere. Si hypocrita fuerit, non quidem intermittet aliorum reprehensionem, sed acriter satis alios taxabit. Verum quoniam trabem, quam habet in oculo suo non considerat, nec aufert, fit ut non solum nihil alios reprehendendo proficiat, sed magis atq; magis impudētiam suam hypocriticam prodat, cæterisq; contemptibilem se & exosum faciat. Si uerò hypocrita quidē non fuerit, sed ita perfrictæ frontis homo, ut eum malæ uitæ non pudeat, pudebit tamen alios in eo maximè reprehendere, in quo se ipsum præ omnibus noxiū esse negare, nec potest, nec quærit. Atq; ita plene crescet impune subditorum peccandi licentia.

Quæ est in oculo fratris &c. Et quomodo dicis fratri tuo? &c.) Non est frustra, quod toties nomen fratris inculcat. Facit enim ad exprimendam hypocritarum impudentiam, qui non uel ex communione naturæ suorum malorum admoneantur. Quòd si angelus hominem iudicaret, ac contemneret, nihil de suis rebus cogitans, posset non tantum impudentiæ præ se ferre, ut qui longe sit sublimioris & purioris conditionis ac naturæ. Quod autem homo hominem, frater fratrem iudicet, quod is eum cōtemnit, cum quo eiusdem est omnino conditionis, & tamen interea uel ex eo quem reprehendit, non admonetur suæ infirmitatis, sed non aliter agit, quàm ac si ipse planè angelicæ sit naturæ, prorsus inexcusabilem impudentiam sapit. q. d. Quomodo adeò impudens es, ut cum in fratris oculo, in fratris inquam, qui tecum eiusdem conditionis est, quem negare non potes, sed pro fratre agnoscere cogeris, festucam uideas, non admonearis tuæ imbecillitatis, sed neglecta tua trabe, quasi prorsus omni uicio superior sis, fratrem iudices ac reprehendas?

Sed tanta est huiusmodi hominum superbia, tanta arrogantia, ut pro fratribus non agnoscant eos, quos reprehensibiles putant maximè si de ordinibus fuerint seraphicis, aut alio quopiam titulo personati. Tum enim uix canis loco eos habent, quos laicos appellant, maximè si pauperes fuerint. Tanta uidelicet est horum hypocritarum sanctimonia.

Hypocrita, eijce prius trabem ex oculo tuo & tum perspicies, ut eximas festucam ex oculo fratris tui.

Post declarationē & reprehensionem hypocriticæ impudentiæ, duo his uerbis conuenientissime subijcit.

Hypocrita. 1 Primum, quoniam hypocriseos malum declarauerat, conuerso per apostrophen in eum sermone, qui ipso laborat, aptissime eo illum uocabulo compellat, quod huic morbo competit. Quid enim aliud uocaretur, qui hypocriseos malo laborat, quàm hypocrita? Discamus ergo hoc loco, quid uocari debeant. Imò quid Christo uocentur, utut à nobis magni æstimentur, qui personam iustorum induunt, quum sint turpissime flagitiosi.

Notandum etiam, quàm non frustra sit, quod Christus, aliàs contra peccatores omnium mitissimus, etiam contra publicanos, hoc hominum genus probroso isto nomine, & omnium turpissimo notat. Non est inquam, frustra. Nimirum ideò fit, ut ostendat summam & unicam esse horum hominum perniciem, quod non agnoscunt seipsos quales sint. Atq; ideò magnopere exigit, ut tales uocentur, quales sunt, an uel sic resipiscant. Hoc facit & Matth. 15. ubi dicit hypocritæ bene prophetauit de uobis &c. Et Matth. 22. Quid me tentatis hypocritæ? Et Lucæ 13. Hypocritæ, unusquisque uestrum sabbato non soluit asinum &c. Et Matth. 23. aliquoties magno serio uocat illos hypocritas.

Secundo. Ne solum reprehendat, & non quid faciendum sit doceat. Deinde ne putetur male agentibus patrocinari, quasi nolit illos reprehendi, atq; ab erroribus ac uicijs liberari, sed ad cuiusuis peccata conniueri, id quod omnium esset pessimum: addit huic malo conuenientem medicinam, talem nempe, ut utrisq; medeatur, & trabem habenti & festucam. Dicit igitur. Non est quod dicas hypocrita patrocinari me uicijs neminemq; reprehendi uelle. Non hoc ago hypocrita, utut istud prætexas, quo trabem tuam tegas. Quin diligenter perspicias, ut fratri succurras, ut si quam festucam in illius oculo uideris, quàm commode eximas. Verū hoc prius tibi uidendū, ut trabem quæ est in oculo tuo eijcias, qua eiecta, tum demum rectè fratrem curabis. Iustus, Prouer. 18. primum est accusator sui ipsius. 2

Quoniam igitur Christus nō solum non uetat festucas ex oculis fratrum eximere, sed & iubet ut illud & charitas postulat, ut frenum curemus, dummodo nostris prius uicijs medeamur, cogit res ipsa ut de hac re latius dicamus: idq; propter duo hominum genera potissimum. Primo propter eos qui proni sunt ad corripiendum alios. Deinde propter eos, qui admonendi sunt, uel admonentur & arguuntur, & tamen admonitionem ferre nolunt.

Sine eximam &c.) Si hoc Christus adeò culpat quod homo hypocrita trabis suæ neglectæ fratris festucam, quam uidet in illius oculo eximere quærit, unde tamen fratri si monitionem patienter tolerauerit, nihil considerata huius trabe, ea poterit obtingere utilitas, ut festuca liberetur: quid sentiendum de illis, qui quū ipsi magnis uitijs, & plerunq; incurabilibus laborent, neglectis ipsis, ita fratrum minuta etiam errata obseruant, ut non adimere studeant: neque ideò ad eos accedāt eximendi gratia, quam uident in illis festucam, sed in angulis in absentia iudicant, detrahunt, lacerant, & miris modis proscindunt? Quid nominabitur hoc hominum genus? Iam si uerum fatendum sit, plures sunt horum quàm istorum. Potior pars hominum hoc pessimo malo laborat. Pauci sunt qui ita sunt hypocritæ, qui ita fratrum festucas obseruent, ut eximere conentur. Imò nollent plerique illas exemptas, ut sit quod uersare queant, & habeant in quo liceat delitiari.

DE

DE ADMONITIONE FRATERNA.

Ita ferè comparatum uideo, ut nusquam licentius peccetur & maiore negligentia, quàm ubi minus debebatur, & maiore periculo delinquitur. Quid salubrius admonitione fraterna? Quid debebat etiam esse charius? Quid magis propriè ad charitatem facit, quàm conseruare fratrem errantẽ, ne pereat, maximè quum nusquàm & nunquã non, idq; creberrime, & ab omnibus, erretur & peccetur? Proinde summopere orandũ, ut unà nobis spiritu Dei infundatur charitas, quæ nos hic in uiam restituat. Aliàs nihil est mirum, si pauci sunt qui probè uiuant, & plurimi qui pereãt, sed magis hoc mirum est, si aliqui sunt, qui saluentur.

QVOMODO HIC DELINQVATVR.

1 Primo, delinquitur hic ab illis, qui Cainam illam uocem imitati: Nunquid custos fratris mei ego sum? putãt nihil ad se pertinere quid quisq; faciat, quomodo alij uel pereant uel saluentur, satis esse, ut suam ipsorũ curã habeant, uiderit interea quisq;, ut uiuat uel bene uel male.

Quàm impia sit hæc cogitatio, satis æstimari nequit. Si uideres fratrem cæcum grauiter in itinere uel ad lapidem uel stipitem offensurum, aut in foueam delapsum interiturum, nisi ab errore deduceretur, num præmoneres? utiq;, si periclitantem iam quouis pacto fratrem uideres, non succurreres? Puto. Quòd si nec illum præserues, nec istum eripias, quum posses an putas te ab interitu utriusq; insontem fore? Nequaquam iam ista quum tantum ad corporalia pertineant: nimirum ad eum interitum, qui corpus alioqui aliquãdo interiturum cõcernat, & tamen non sine crudelitate cõmittuntur, quid putandum de illis, qui animas fratrum periclitari scienter & prudenter sinunt, tanquàm id nihil ad se pertineat?

Nemo sibijpsi uiuat, inquit Paulus. Quomodo uiues fratribus, nisi quosuis iuuando? Quæ uerò maior iuuandi necessitas, quàm ubi de salute ac uita periclitatur frater? Quomodo censebitur amicus, qui in summa necessitate fratrẽ deserit, & ita deserit, quasi interitus ipsius nihil ad se pertineat? 1 Corinth. 12. Membra sumus inuicem unius corporis. Quomodo stabit hæc ratio coadunatorum in corpore Christi membrorum, si ad te non pertinet, interitus alterius membri? Monet itaque nos Paulus huius rei. Galatas 6. Ephesios 5. 1 Thessa. 5. 2 Thessa. ultimo. Iacobi ultimo.

Primum itaque omnium est in hac materia, ut persuadeamur fratris curam & salutem nobis non minus esse commissam, quàm nostram ipsorum: quãdoquidem hæc una Christianorum lex est, ut proximum diligamus non minus quàm nos ipsos. Dilectio uerò fratris, fratris interitum ferre nequit.

2 Secundo loco peccant hic qui Pharisæorum more trabe sua neglecta ad hoc tantum intẽti sunt, ut aliorum etiam minimas stipulas obseruent, & iudicent. Contra quos hoc loco Christus agit. Erit itaq; iam recto ordine & istud uidendũ, posteaquam cognouimus quàm quisq; debeat fratrem delinquentem admonere & corrigere, ne inter istos inueniamur, qui hoc hypocritico modo agunt, hoc est, cum primis trabem quisq; suam ipsius uideat, iudicet & euellat, priusquàm aliorum errata consideret & iudicet, aut corrigat.

Et ut id ordine fiat, uidebis primo omnium qualiter habeat externa tua conuersatio: num quid hic sit, quod emendandum sit, quod oculis omniũ pateat, omniumq; adeò iudicio & conscientijs expositum sit. Istud uel erit eorum quæ præcisè contra Deum, uel eorum quæ contra proximũ fiunt, uel erit quod contra fidem, uel quod contra charitatem sit. Et ut hic manuductionẽ habeas, conferas externam tuam uitam duabus diuinæ legis tabulis, & uideas quid prima, quæ Deum, deinde quid altera quæ proximum concernit, exigat. In prima habes fugiendos esse deos alienos. Statim hic uidebis quẽ primo loco colas, cui ante omnia seruias. Is enim demum Dei tibi loco erit, in quem & spem & fiduciam colloces. Hinc est quod Paulus auaritiam idololatriam uocat, Ephe. 5. Et alibi quorundam Deum uentrem esse dicit: Iam fac te uentris gulæ seruitutiq; deditum, aut usuræ, thesaurisq; colligendis aut collectis conseruandis, apertum erit te contra primum hoc præceptum primæ tabulæ, alienos deos colendo peccare. Quum ergo uideris fratrem parum fidere Deo, sed nonnihil alienis Dijs adhærere, quomodo dices illi, frater, permitte ut hoc te errore liberem, cum tu eodem grauius labores, nisi prius iuxta Christi regulam hanc trabem tuam eijcias? Deinde exigitur ut sculptile nec facias, nec adores. 2 Hic si uideas fratrem antea imaginem procumbere, illamq; adorare statim putas illum corrigendum. Et rectè. Est enim omnino corrigendus & ab hoc errore abducendus. Tu uerò, si mammona colas, quid interest ante aurum procumbas, aut idolum ligneum? Proinde uide primũ ut à cultu Mammonæ te exoluas, antequàm fratrem hic corrigas.

Exterus & interna conuersatio perlustranda.

Tertio præcipitur, ut nomen Dei sanctifices, nihil 3 per illud temerè uel falso iures. Vide quam hic consuetudinem habeas. O ingentem huius loci abusum pariter & temeritatem, frater forte temere iurat ex uana consuetudinẽ. Tu uerò in rebus serijs, &c.

Quarto. Sabbata sanctificanda præcepta sunt, frater si quicquam operis faciat, tu uerò ludis, ludas & bibas, nisi hoc corriges, male iudicas fratrem. 4

In secunda tabula manifesta sunt delicta. Primo, facile cognosces quo loco habeas parentes. Hic promptissimi sumus ad iudicandum eos, qui parentes nullo honore afficiunt. At quotusquisq; est, qui huic delicto non sit obnoxius? Non uana est sententia Dijs & parentibus non redditur æquiualens. Qui in quidam acriter exiberis suis debitum honorẽ extorquent, quem ipsi etiam tum potissimum parentibus suis detrahunt. Hoc exemplo & reliqua expende. Ecce ad hunc modũ considerata uita externa, nisi prorsus fallar semper inuenies, quod in teipso primum emendes, antequam alios corrigas.

PENSANDA QVAE INTERNÈ latent.

Quòd si nihil in externa uitæ tuæ conuersatione inueneris, non statim putabis te angelicam adeptum esse puritatem, atq; ab omnibus uicijs esse purum. Sunt adhuc alia quæ si inhæreant nihilo minore, imò maiore

etiam

etiam diligentia tollenda eruht. Neque Satan ſcortator eſt, neq; idolorum cultor, neque ebrioſus, neq; adulter aut quicquam huiuſmodi, nõ tamen ideò mox bonus eſt. Habet grauiora. Proinde iam uide, quid intus in corde lateat. Hic magnæ plerunq; ſunt trabes. Impietas cordis, cum ſuis fructibus. Odium uel neglectus & Dei & proximi. Animus ſui amantiſsimus, inuidus, zelotypus, iracundus, cõcupiſcentiæ peruerſæ, & id genus. Deinde peßimum illud uitium φιλοδοξία, quo tibi ipſi primum placens, ab omnibus magni æſtimari cupis. Hinc aliorum contemptus, hinc iudicium temerarium, hinc ſuperbia mentis, & detractionis uitium, & id genus magnarum trabium. Quam putas trabem Chriſtus Phariſæo hypocritæ adſcribat? Externa uita erat iuxta hoc ſeculum irrepræhenſibilis. Ergo oportet eum cordis hic notaſſe impietatem. Et quid opus eſt multis? Quum omnia externa malefacta ſeu benefacta, ex corde uel malo uel bono ueniãt, Matth. 15. oportet ut ſedem ſuam intus in corde fontemq;, unde ſcaturiunt habeãt. Iam quẽadmodum pleriq; fontes ſunt, qui ſua ſponte non emanant, ita & pleraq; ſunt pectora, quæ quod intus premunt, non facile emittant, niſi ſuo more, non adeò cuiuis notabili. Proinde nõ uſq; adeò tibi placeas, ſi externis uitijs non ſueris notabilis. Videndum an ea mala quæ reliqui foras emittunt, tu non in pectore premas. Quòd ſi premis, iam coram Deo ſcis eſſe iudiciũ cordis, eſſe adulterum etiam eum qui cõcupiſcit mulierem non ſuam: eſſe homicidam, etiã eum qui iraſcitur fratri.

1 Alius aperta idololatria delinquit. Tu intus in corde babes idolum tuũ, dein frumkeyt, dein geſchicklicheit.

2 Alius nomen Dei blaſphemat aperto periurio aut temerario, alius iuramẽto, & mox tibi blaſphemus eſt. Tu uerò per idolum cordis tui, quod honoras, nomen Dei blaſphemas.

3 Alius ſabbatum Dei polluit externis, tu interne non Deo uero, ſed idolo tuo ſabbatum agis.

4 Alius parentes publice dehoneſtat, tu te in corde etiam parentibus tuis digniorem æſtimas, & niſi te filium haberent, planè nihili putares.

5 Alius manu occidit, tu corde, & lingua quoq; plerunq;, dum & inuides & detrahis.

6 Alius bona fratris furatur, tu ſurripis illi, quod reddere nequis, dum famam illius uel apud alios, uel apud teipſum in corde tuo lædis.

7 Alius mœchatur cum muliere quadã, tu uerò cum idolo cordis tui, quod fornicationis genus omnium eſt peßimum, & minus curabile.

8 Alius coram iudice, falſo teſtatur de fratre, tu quotidie illud et paßim apud quoſuis, & in corde tuo facis, dum illum & iudicas & defers.

9 Alius concupiſcit quæ fratris ſunt, & uxorẽ & bona. Tu uerò, quæ Dei ſunt, gloriam & honorem, concupiſcis. Regi ſeculorum immortali & inuiſibili, ſoli Deo, inquit, Paulus honor et gloria. Iam uide utut peius peccet? Quid erat aliud Satanæ peccatum, quàm quod quæ Dei ſunt, deſiderabat?

10 Alius ebrius eſt uino & neminem agnoſcit. Tu uerò φιλοωτία inebriatus quoſuis contemnis. Iam quid refert, unde ſis ebrius? Imò forte multum. Qui uino ebrius eſt, breui ad ſeipſum redit, agnoſcit, & repræhẽdit melioraq; præſumit. Tu uerò quando euomes illam tuam ebrietatem, quam ne ſentis quidem? Quanto præſtaret uino ebrium eſſe?

11 Alius auri ſiti tenetur, & auarus dicitur. Tu uerò quid ſitis aliud, quàm gloriã? Auarus omnia facit propter aurum. Tu uerò propter gloriam & ſanctimoniæ ſpeciem. Iam quid refert qua in re ſis auarus?

12 Alius externo ueſtium cultu ſuperbit. Tu quidem fortaßis ſordide ueſtitus externe, intus tibijpſi purpura indutus uideris. Hic tibi ob ueſtitum corporis ſuperbus habetur, tu quid Deo haberis, qui ſuperbiam mentis ex animo deteſtatur? Qua in re ſuperbit dives? In ſuis diuitijs. Tu quibus alijs quàm tuis quoq; diuitijs ſuperbis? Quæ ſunt huius diuitiæ? Quas diuitiarum loco æſtimat & habet. Nimirum auri & argenti copiæ. Tu quas æſtimas tuas? Nempe eodem modo quas tibi habere uideris, uitæ ſanctimoniam, iuſtitiam, zelum Dei, & ſi quid huius eſt. Hic gloriatur ergo in ſuis, tu uerò in tuis. Iam ſcriptum eſt, qui gloriatur in Domino glorietur. Et Hiere. 9. Nõ glorietur dives in diuitijs ſuis, & additur: nec ſapiens in ſapientia ſua. Quid ergo refert qua in re ſuperbias? Sed uide utra ſit periculoſior ſuperbia. Qui ob diuitias ac ueſtes ſumptuoſas ſuperbit, poteſt uel per penuriam uel aliunde ad ſe reuocari, ut uanitatem agnoſcat. Qui uerò interne propter diuitias mẽtis, quas habere ſe putat, ſuperbit, quando ad ſe redibit? 1 Corin. 7

13 Qui ob formam corporis aliquanto elegantiorem ſuperbit, una febricula ab hoc morbo curatur, uel certe per ſenium ſi non citius, liberatur. Tu uerò qui interna & ſpiritali pulchritudine ſuperbis, quando liberaberis?

Videmus itaq; quàm non ſatis ſit externis uitijs carere, quũ ſint adeò multa interne quæ nos omnino perdunt, quanq; illa periculoſiora ſint multo externis peccatis. Facile curantur morbi in apertum erumpentes, in curandis uerò internis ſæpißime ceſſatur medici & induſtria & opera. Proinde qui uolet alios iudicare, uel corrigere, uideat, ut non ſolum externam uitam ſuam corrigat, ſed & internas animi ſordes eluat.

TRANSITVS AD ALIORVM corrigenda delicta.

Conſideratis itaq; emendatisq; proprijs uitijs, non quieſcendum, ſed uidendum eſt, quomodo frater quoque emendetur. Sed & in hac quoq; re tenendus eſt ordo. Nempe talis: Videndum ut ſuam quiſq; conditionem perpendat & ſtatum. Si priuatus es, habes fratrem germanum, uel ſororem, uel conſanguineũ, expoſcet ordo dilectionis, ut hos primũ corrigas, qui tibi propinquiores ſunt. Male enim neglectis iſtis corriges alios. Habes ſocios ac neceſſarios, non poteris rite aliorũ delicta caſtigare, ſi ad horum errata conniuere uolueris. 1

Si paterfamiliâs fueris, erit tibi primo loco conſideranda, & emendanda domus tua. Neq; enim cum fructu alios corriges tuorum neglector. Pleriq; in hoc promptißimi ſumus, ut quæ in aliorum ædibus delinquuntur, dente canino mordeamus, uel in cordibus noſtris ſecreto iudicemus. Verũ proprias domos qui bene 2

instituant, paucissimi sunt. Exigitur itaque recto ordine, ut domum tuam prius emendes, quàm aliorum errata iudices.

Deinde erit etiam in ipsa domo tua corrigenda certus ordo seruandus. Sunt enim hic quos priores castigari oportet. Nempe primo omnium dirigenda est uxor, quæ altera tui pars est. Nihil est enim hic quod tibi propius adhæreat, quod magis ad te pertineat. Deinde liberi, tertio loco familia. Male corriges familiam neglectis, & uxore & liberis, tum recto ordine foras prodibis. Hic habebis uel consanguineum uel uicinum, uel
3 contribunum. Si fueris in magistratu, non satis erit, uel penes te, uel in ædibus tuis inculpate uixisse, nisi & omnium ciuium delicta publica pro officio correxeris. Aliâs illorum perditio ex te repetetur.

4 Si Ecclesiæ minister, hic audies: Si dixero impio morte morieris, & tu non dixeris ei animam illius de manu tua requiram. Ezech. 18. Exemplum Pauli, Acto. 20. Quomodo, inquit, unumquemq; uestrum admonuerim nocte ac die.

Ezech. 18
Act. 20

QVOMODO TRACTANDA sint aliorum delicta.

Perpendimus quo ordine sit agendum in corrigendis alijs, quantum ad cuiusq; personam attinet: iam uideamus, quomodo peccata eorum, quos legitime corrigere uolumus, tractanda sint.

1 Primo, quomodo te habeas apud teipsum propter
2 aliorum delicta. Deinde quomodo apud detractores.
3 Tertio quomodo apud ipsum peccatorem. Neque enim satis est simpliciter peccatorem uerbis alloqui, sed oportet hoc ita fieri, ut ad ædificationem faciat, quæ unus est omnium eorum scopus, qui sanè in Ecclesia uersantur, id quod & Paulus multis locis præcipit, maxi-
1 me, 1 Corinth. 14. ubi dicit: Omnia ad ædificationem fiant. Quemadmodũ enim medicorum scopus esse debet sanitas corporum, ita Christianorum sanitas animarum. Et ut ædificator nõ satis habet lapides, & ligna congessisse, & instruẽ quandam cumulasse, nisi hoc ita fiat, ut ædificandi scopum attingat, ita & Christiano faciendum in ædificatione proximi sui.

2 Hanc uerò ædificandi diligentiam extra charitatem nemo habebit. Illa enim una est quæ ædificat. 1 Corinth. 8. Scientia inflat, charitas ædificat. Atque hic non parum peccant quidam, qui quàm primum legerint. Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus &c. mox iuxta literam fratris correptionem aggressi. Primum cõueniunt seorsim, mox testes adducunt, adiuncturi & aliud quod sequitur: si is Ecclesiæ nostræ mos esset, quem quia non habemus, uel omnino fratrem nõ corrigunt, uel duobus hisce uicibus adorsi fratrem, contenti sunt, putãtes se iam apprime correctione fraterna perfunctos esse, non perpensa fratris ædificatione, quam unam quærerent, si charitate fratris salutem affectarẽt. Charitatem itaq; quia non habent, nec ex charitate fratrem corrigunt, fit ut mox illum relinquant. Quemadmodum quidam in eleemosyna danda faciũt. Illi ubi audiunt dandam esse eleemosynam, mox opus ipsum aggressi præter charitatem, eleemosynæ radicem & fontem, semel atq; iterum dantes, mox deficiunt, non animaduertentes ueram eleemosynam esse misericordiam, quam si haberent nõ adeò confestim deficerent, & quod peius est deficiendi causas prætexerent, quatenus merito defecisse uideantur.

Oportet itaq; iuxta dictum Christi, patris nostri mi
3 sericordiam & ingenium filiorum more imitari, cui nõ satis est peccatorem semel atque iterum admonuisse, ut mox deserat, sed longanimis est, & patiens & multæ misericordiæ, de quo legimus Esa. 65. & Roma. 10. Expandi manus meas tota die ad populum &c. incredulum & contradicentem mihi. Cuius ingenium & Christus imitatus est, id quod per parabolã ouis perditæ expressit. Matth. 18. Ita quippe solet charitas, quam & Paulus Act. 20. seruasse se declarat, cum dicit: Quomodo unumquenq; uestrum monuerim noctes ac dies.

Charitas autem quoniam longanimis est, non habet 4
certum ac præscriptum numerum conueniendi ac corrigendi proximum. Vnde enim est, quod matri satis nõ est peccantem uel ægrotantem filium admonuisse, aut curasse iterum atq; tertio? Ex charitate uidelicet, qua tota est in ædificando & curando illo. Da illam, & idem facies erga peccãtem fratrem. Iam cum charitas sit regula omnium nostrarum actionum, maximè erga proximum, & illa pertinax sit, in curando quod diligit, quomodo non uident correctionem fraternã, quæ ipsissima debet esse charitas, & nihil spectare aliud, quàm fratris sanitatem & ædificationem, non esse alligatam alicui certo & præscripto corrigendi modo, tempori, & numero, quum sit hic libertina. Nõ quod illi liberum sit salutem fratris negligere, sed hic omnino serua est uerum, quod libero ductu illo spiritus non alio possit agere modo, tempore & numero, quàm quem ipsa curandi fratris uel oportunitas uel necessitas obtulerit, aut exegerit, ita ut liberum sit Christiano fratrem conuenire seorsim semel, bis, ter, decies, uigesies, siue per seipsum, siue per alium, iuxta quod cognouerit ingenium fratris exposcere, quẽ omnino lucrari cupit. Est autem uarium & multiplex ingenium hominis: deinde non omnibus horis idem, nec cuiuslibet monitoris capax, quæ omnia charitas pro sua industria diligenter obseruando persequetur. Colligitur ergo ex his, nihil minus eos, quàm fratris ædificationẽ quærere, qui semel atq; iterũ fratrem alloquuti, putant se abunde hic satisfeciisse.

Nemo putet exigi, ut qui curandus est curatoris, sed magis ut curator curandi ingeniũ obseruet.

QVID ERGO AD LOCVM illum, Matthæi 18.

Est hic locus unus eorum, quem pleriq; non planè obseruant, quo sensu à Christo sit positus.

Notandum itaq; eo loco Christi propositum: nempe quemadmodum patris uoluntas non est, ut pereat unus uel ex minimis suis, ita nos quoque compositos esse debere & animatos, ut neminem perdamus, sed magis ad exemplum ipsius, quæ perdita sunt, diligentius quæramus & saluemus, reluctis etiã alijs qui perditi nõ sunt.

Huic uerò contrarium agebatur à Iudæis, quorum quisq; delinquentem erga se fratrem mox ad iudicium rapiendo, planè perdebat ac destruebat, tantum in hoc intentus, ut se uel uindicaret, uel sua quæreret. Habe-

bant

bant enim hoc consuetudinis Iudæi, ut uel sabbatis uel ieiuniorum diebus in unum collecta Ecclesia, iudicia exercentes in ipso cõuentu, quæ maleacta fuerant corrigerent, malaq; è medio sui auferrent, id quod uides, 1 Regum 21. in historia Naboth. Hic itaq; accusabantur delinquentes, & iudicabantur.

Vide Iosue 7

Deinde ut solet, hac consuetudine reuera sancta in abusum rapta, factũ est ut quisq; suas ipsius causas, quas contra fratres habebat, ad Ecclesiã cõgregatam deferret, id quod ad magnã fraternæ salutis & cõcordiæ iacturam faciebat. Degenerationem hanc habes expresse, Esa. 58. ubi corriguntur, quod non nisi ad exigenda debita sua ieiunarẽt. Quomodo faciebat ieiunium ad exactionem debitorum? Ita scilicet ut dixi.

Cum itaq; abusus iste inter Iudæos obtinuisset, quo maximè contra charitatem & curam fratrum peccabatur, uoluit Christus suos ab illo auocare. Id scilicet locus ipse satis declarat.

Primo. Non dicit: Si peccauerit frater tuus simpliciter: sed si peccauerit frater tuus εἰς σὲ in te, non coram te. Vbi satis uidemus Christum hîc nõ de quouis peccatore, sed de eo qui in te deliquit, monere: unũ hoc agens, ut illum non perdas, dum tua studiosius, ut fieri solet, persequeris, id quod fit, quando mox illum ad iudicia rapis. Huc itaq; pertinet quod dicit: corripe eum inter te & ipsum solum. q.d. Nõ ducas eum ad Ecclesiã, id quod solent pleriq;, sed uide quomodo ipsum officio detineas, ut saluus sit, magis quàm quomodo tua persequare. Sed dices: Quid si me non audierit? Neq; dum statim ad Ecclesiam illum trahas, sed tenta an testes audiat. Quòd si nec illos audierit, tum demum, si uoles, Ecclesiæ illum cõmitte. Si nec illam audierit, sive illum, hoc est, causam tuã non amplius persequere, cum rigore tua exigendo, uel ut ultio de illo sumatur extorquendo.

Quod autem ista ad hunc modum interpretor in causa est Paulus, qui 1 Corinth. 6. dicit: ut quid enim non magis iniuriam patimini? Vbi clare uidemus, quàm non exigatur, ut fratrem ad iudicium pertrahas, sed magis ut iniuriam feres, tibi scilicet illatam. Et quod illis iudicia permittit, esse magis ad infirmitatem illorum respectum, ad hoc, ut quod male agebant, illis excuteret: nempe quod apud infideles iudicia frequentabant, quàm quod ita esset in se licitum.

1 Corin. 6

Ita omnino hic Christus, ut abusum hunc suis eximat, non præcipit, ut tertio loco quis ad Ecclesiã delinquentem in se fratrem pertrahat iudicandum, quasi hoc ita per se uelit, & necesse sit fieri, eo modo, quo fieri solet ab illis qui sua sectantur: uerum propter infirmitatem illorum, permittit quidem, sed ita, ut ista præcedant: deinde, ut ulterior persequutio non fiat. Item obserua quomodo Christus simpliciter dicat: Si peccauerit in te. Quid ergo, si nõ in me, sed in alium? Deinde, quid si peccatum sit occultum, & tale, quod non debeat publicari? ubi erit illud: charitas operit multitudinem peccatorum?

Vide hic Lucæ 17. Si septies, & Matth. 18. Non dico septies.

Neq; ista uerba, primum inter te & ipsum solum, & adhuc testes, ita intelligenda sunt, quasi semel hoc duntaxat, aut iterum fieri uelit. Neq; enim prohibet, si id uel decies facias, si tantum sit charitatis.

CVM MANSVETVDINE AGENdum, cum lucrandis peccatoribus in genere.

Posteaquàm recensuimus quo fine debeat correptio peccatoris fieri, quisq; scopus unice spectandus: nempe ut ædificetur & saluetur frater. Deinde, ex quo fonte debeat necessario proficisci: nempe ex charitate. Tertio quomodo exemplo Christi & charitatis ingenio & libertate in omnia se uertat, qui fratris salutem quærit, nullo nec tempori, nec certo ordini, nec numero alligatus, cõtra eos qui loco illo Matth. 18. abutuntur. Videndum iam fuerit, qua mansuetudine, & quibus rationibus tractandus sit peccator.

Quod autem mansuete tractandus sit peccator. Primo colligitur ab ingenio ueræ ac solidæ iustitiæ, quæ compassionem habet non dedignationem, cuius exemplum nusquam uidemus apertius & potentius, quàm in Christo Iesu, qui mansuetissime peccatores tractauit, ita ut & socius illorũ diceretur à Pharisæis. Huius exẽplũ Paulus aliquoties nobis proponit. Rom. 15. et Phil. 2. 1

Deinde & ipsius Christi spiritus, quid aliud faceret in electis, quàm quod in Christo Iesu? Huius admonet Paulus Galatas sexto. 2

Tertio & ipsa charitas quæ ex hoc spiritu est, quanam alia ratione tractaret quos diligit, quorum salutem quærit, quàm hac ipsa quam in Christo uidemus? quoq; pro suo solet ingenio? 3

Quarto ad hoc etiam impellere debet nostra ipsorum conscientia, duplici nomine. Primo quod & nos miseri sumus, & quotidie delinquẽtes in maioribus etiã uel certe non minoribus. Vide Gal. 6. Deinde, quod scimus, qua simus teneritudine, quàm facile lædamur per austeriorem correptionem. Est enim generosus hominis animus, magisq; ducitur quàm trahitur, ex quo in promptu est cognoscere, qua sint alij mansuetudine tractandi: si quidem salutem illorum ex animo quæramus. Habet quidem & austeritatem suam charitas, quam & in Christo ipso uidemus. Erat enim omnino durũ, quod Petro dicebat: Vade retro me Satana, nõ enim sapis quæ Dei, sed quæ hominum: uerum non aliter, & nisi apud eos, quos nouit per hanc austeritatẽ iuuari posse, eamq; illis esse necessariam & utilem. 4

Inuenire est hic, qui licet ex animo diligunt, nihilq; aliud quã ædificare, tum pro suo ingenio non norunt mansuetius agere.

DE ILLIS QVOS AB ERRORE uelis abducere.

Quandoquidẽ de mansuetudine sermo incidit, operæpretium fuerit hoc loco, & de eo cõmemorare, quomodo ab errore deducendi sint errantes, quod maximè hoc tempore et his religionis nostræ dissensionibus usui sit. Non minus sanctum esse illorum conatum, qui fratrem in fidei negotio errantem ad uiam ueritatis, quàm qui peccantem ad uiam iustitiæ reducere nituntur, nemo forte negauerit. Verũ & hoc loco, non minus scientiæ & Christianæ diligentiæ requiritur, quàm illo. Imò aliquanto plus. Peccantem enim, facile correxeris, quod delictum suum negare nequeat. Difficillimum uerò est errantem corrigere, quod is errorem suum nec agnoscat, nec agnoscere doceriq; facile sustineat, id quod uidemus

demus hoc noſtro ſeculo. Sunt enim multa hic quæ impediãt, ad quæ omnia accedit cordium amaritudo, quæ donec fuerit, omnem aditum doctrinæ ſanæ intercludet. Quis enim patietur ſe doceri ab eo, cui nihil credit, quẽ ex animo deteſtatur & contemnit? Proinde magna hic cautione opus fuerit, de qua hic parũper loquemur.

Primo omnium ſi uſpiam, hoc certe loco, animaduertendum eſt hominis ingenium, id quod utinam probè animaduerteremus, diſceremus, & teneremus, ex quo ſanè maximè bona locum inter nos habere poſſent, quæ aliás à nobis quàm longiſſime arcentur. Niſi enim proximi tui ingenium, cum quo hic uiuendum eſt, cognitum tibi fuerit & perſpectum, quid boni, quid pij, quid firmi cum eo ages? Quanta diligentia quibus cum feris, aut alijs animantibus negocium eſt, animantium ingenia obſeruãt? Venator ut beſtias capiat, beſtiarum quarumcunq; naturam & ingenia ſtudioſiſſime ſcrutatur, id quod & illi faciunt, qui ex feris manſueta animantia facere deſtinarunt. Et is cui homo naturæ conſors nõ eſt ad lanienam captandus, ſed ad ſalutem perducendus, id quod & ueteres agnoſcẽtes, hominem homini Deum eſſe dixerunt, ignorabit imò nihil curabit, humanum ingenium mores & naturam?

Habet autem homo duo potiſſimum, à quibus illius omnia pendent, & reguntur. Illa ſunt intellectus & uoluntas. Qui peccat, quia uoluntate peccat, uolũtate utique ægrotat. Proinde uidendum, quomodo illa immutetur ad reſipiſcentiam. Qui errat, uoluntate nõ errat, ſed intellectu. Inſtruendus ergo illius intellectus, qui ſi fuerit inſtructus, iam ab errore hoc ipſo liberatus erit.

Verum hic, dum non animaduertitur hominis ingenium, nec quid ad inſtruendum intellectum illius requiratur, probè perpenditur, res redit ad contentiones & ſchiſmata, dum non conſiderato cordis affectu, nec placato, in diſputando laboratur & contendendo: unde tam abeſt, ut errantes inſtruantur, ut magis à charitate pariter & ueritate alienentur, id quod antiquum iam & inueteratum Eccleſiæ malum, & planè peſtilentiſſimum eſſe uidemus.

Proinde, qui uelit errantem inſtruere, ante omnia uidebit, ut cor illius ad ſe ſumma manſuetudine & beneficentia pertrahat, ut placato corde, incipiat aures præbere docenti, quod niſi fuerit, fruſtra omnino in inſtruendo diſputationibus intellectu laborabis: dum ille non ſolum non audit, ſed & quæ audit iuxta cordis ſui corruptionem ſiniſtre planè interpretatur. Si enim diſputationibus curarentur errantes, & perciperetur ueritas, quis negabit tam multa iam aliquot annos, de quibuſuis dogmatis eſſe ſcripta, ut nemo merito eſſe debeat, qui ueritatem ignoret? Quod autem maxima pars in errore eſt, unde illud habemus quàm ex eo, quod amaricatis cordibus, quæ dicta ſunt & ſcripta, uel non perpenduntur, uel ſiniſtre capiuntur? Non ergo ab intellectu, tametſi ille in errore detineatur, errantis eſt incipienda curatio, ſed primo omnium curandus cordis affectus. Ille autem nulla re melius curatur, quàm uita non ſolum innocenti, ſed & beneficentiſſima & manſuetiſſima. Beneficijs enim & feræ manſueſcunt, & quo manſuetiores factæ ſunt, eò facilius perdocentur. Habes ergo uicinum, proximum, domeſticum, cognatum, qui in errore ſit, hanc uiam ingreſſus, ſi non curaueris, certe illa neglecta diſputationibus nihil efficies. Iſta ſingulariter de inſtruendis errantibus ſint dicta, in quibus uidemus, quàm neceſſaria ſit manſuetudo ad lucrandos fratres, id quod quiſq; in ſeipſo quàm facillime perpendet. Atque hinc eſt quod plerunq; contigit, ut unius hominis beneficio, & manſuetudine quiſquam toti cauſæ, & quibuſuis illi adhærentibus inciat bene uelle. Hinc eſt, quod Chriſtus prædicationem regni ſui non mox diſputationibus, ſed beneficijs primum populo commendauit, paſcendo, ſanando & curando. Hinc eſt illud in Euſebio, de moribus Chriſtianorum quomodo uiſitãdo ægrotos gentium, mortuoſq; illorum etiam ab ipſorum amicis, & cognatis neglectos ac deſertos ſepeliendo, Chriſtianam religionem profundius in corda illorum inſculpſerint, quàm Maximinus tyrannus decretum ſuum aduerſus Chriſtianos in æreas tabulas. Quemadmodum itaq; ad emendandum peccatorem neceſſaria eſt charitas, quæ nihil quærat aliud, quàm fratris ſalutem, ita & ad inſtruendum errantem, non contentioſæ diſputationis mater ἡ φιλαυτία, ſed beneficentiſſimam manſuetudinem generans charitas requiritur: quæ non quomodo ſuam opinionem muniat, ſed quomodo fratrem errantem lucretur, ſollicita eſt. Illa poteſt omnibus fieri omnia, ut uel aliquos lucretur, quam ſcilicet uiam optimus ille Paulus perpetuo ſtudio ingreſſus eſt. Ad quid enim omnibus factus eſt omnia? Ad hoc ſcilicet, ut corda primum ſibi conciliaret lucrandorũ fratrum. Eſt enim mirifice omnibus inſitum, ut eos potiſſimum diligamus, qui ſeſe nobis utcunque accommodant, & quos diligimus, non illibenter monitores feramus.

Paulus factus eſt omnibus omnia. 1 Corin. 9.

Nolite ſanctũ dare canibus, neq; proijciatis margaritas ueſtras ante porcos.

Quomodo iſta præcedentibus ordine connectantur, pleriq; anxie laborant, non obſeruantes, non omnia ita ab Euangeliſtis eſſe ſcripta, ut à Chriſto ordine dicta ſunt, ſed quæ meminiſſe potuerunt, ea memoriæ tradiderunt, ut planè liqueat Euangeliſtas non niſi miſcellanea quædam conſcripſiſſe.

Quoniam de correctione fraterna, contra hypocritas diſſeruerat, non adeò abſurdum uidetur, ſi iſta hoc ordine ſubnecta accipiantur, ut doceat iam quatenus regni Dei ſecreta errãtibus & delinquẽtibus cõmunicanda ſint. Nempe ne & illa contẽptui proſtituamus impiorum, & nos periculo præter rationẽ exponamus, ſi canibus & ſuibus margaritas noſtras proijciamus.

Neq; dubium eſt quin hic, ut ſolet, Phariſæos & id genus hominum notet, ut quibus nihil ſit communicandum de doctrina regni cœleſtis, eò quod illam non ſolum non agnituri ſint, aut laturi, ſed & conculcaturi, illiusq; aſſertores perſequuturi & laceraturi, ut qui omnino affectibus ſint carnaliſſimis, cœleſtium nihil curantes, & mordaciſſimis: nempe ad lacerandum ueritatis aſſertores parati.

Vt autem in ſumma, breuiter quidem, ſed euidenter

&

& potenter illis inculcet, quo primum loco Euangelica mysteria apud ipsos esse debeant, non dicit simpliciter: Nolite doctrinam uestram, & ea quæ regni Dei secreta tenetis, proijcere &c. sed sanctum, inquit, & margaritas uestras &c. Per sanctum autem pulchrè eos admonet, quàm religiosè debeant administrare mysteria regni cœlorum, tanquam qui sciant, quomodo quæ in lege erant sanctificata, non quibusuis communicari soleant. Idem per margaritas intelligit. Margaritæ enim magni solent æstimari, atq; ideò diligenter etiam conseruari, & non passim proijci. Admonemur ergo hoc loco, quo animo nobis & quærenda et possidenda sint regni Dei secreta. Infrà 13. comparat regnum cœlorum illi, qui præciosam inuentam margaritã, uenditis omnibus bonis suis cum gaudio emit.

Sanctum Margaritæ.

Et nota quod addit uestras, quasi dicat uobis quomodo mundus suas margaritas. Habetis uos uestras, quæ uestræ peculiariter sunt.

Deinde, ut non minus luculenter ostendat, qua cura, diligẽtia & reuerẽtia debeãt regni Dei sancta, & margaritæ dispensari, quomodo non sint quibuslibet proijcienda, nec indignis communicanda. Non dicit: nõ detis ea improbis et malis, nec proijciatis coram indignis, sed ut quàm apertissimè eos notet, quibus illa committi non debeant, dicit: Non detis sanctum canibus, nec proijciatis margaritas uestras ante porcos. Per canes & porcos, animantia & notissima, & apud Iudæos contemptissima, eos homines intelligens, qui adeò sunt moribus suis malis & corruptis his animãtibus pares & affines, ut istud cognominis non immerito referant.

Canes, fues.

Deut. 23.

Canum ignominia.) Sunt autẽ in lege canes multis locis ignominia notati, unde Deut. 23. Vbi Deus uetat precium scorti sibi offerri, simul adiungit precium canis. Et Abner quum uellet opprobrare Isboseth filio Saulis quanta pro domo Saulis contra Dauid & tribum Iudam feciſſet, quantaq; ob eam rem apud Iudam ignominia teneretur, diceb at: Nunquid caput canis ego sum aduersum Iudam hodie, qui fecerim misericordiam super domum Saul patris tui, &c. 2 Sam. 3.

2 Sam. 3

Et Abisai filius Sarui uolens Semei Dauidi ante faciem Absalon fugienti maledicentem, quàm contumelioſissima ignominia notare, dicebat: Quare maledicit canis hic, moriturus Domino meo regi? Vadam & amputabo caput eius, 2 Sam. 16.

2 Sam. 16

Atq; hinc est, quod quæ nõ sine ignominia ueluti contemptu digna proijciuntur: ante canes proijciuntur, ut quæ digna nõ sint, quæ uel tantillo honore cõdantur. Sic legimus subinde in scripturis impiorũ corpora iudicio Domini canibus esse proiecta, ut de Hierobeæ domo legimus, 1 Reg. 14. prædictum, & de Achab, & Iezabel, 1 Reg. 21. Et Hiere. 15. minatus ultionem Dei, gladium, inquit ad occisionem, & canes ad lacerandum. Et Christus ipse Matth. 15. dicebat: Non est bonũ sumere panem filiorum & dare canibus ad manducandum.

1 Reg. 14
1 Reg. 21
Hiere. 15
Matth. 15

Porci.

De porcis & suibus notissimũ etiam est, quo sint ingenio, quam immũdicia, quàm nisi ad uorandum, donec uiuunt, inutiles, ut prouerbium sit, suibus animam esse pro sale: quanq; apud Iudæos contẽpti, & ad tegendum comedendũq; prohibiti. Ostensurus itaq; Christus quomodo carnalibus & improbis hominibus, quibus nihil est rationis ad sacra, quibus nihil sapit, nisi quod pecuinis ipsorũ moribus competat, nõ debeant regni Dei secreta cõmunicari & exponi, hac canum et suum utitur metaphora, dicens: Nolite sanctum dare canibus, &c.

Ne quando conculcent eas pedibus, & uersi lacerent uos.

Rationẽ reddit huius præcepti, licet ex ipsa canum & suum, deinde sancti et margaritarum metaphora satis liquere potuerit, cur hoc præcipiat. Duas aũt rationes assignat, sub quibus & aliæ duæ complectuntur.

Ne sancta Dei, cœlestis regni mysteria ludibrio exponantur, modisq; indignis tractentur. Conuenit enim ut summo habeãtur honore, quo uidelicet pro suo precio digna sunt. Huc autem permouere debet eorum conditio & ratio. Conditio eorum est, quæ margaritarum, quæ quia latentis sunt precij, et apparentis uilitatis facile ab imperitis contẽnuntur, id quod & regni Dei mysterijs accidit, quæ hoc peculiare habent, ut prima fronte nullius æstimationis habeantur, & uilia appareant, unde & Paulus dicit: prædicationẽ regni Dei stultitiam esse gẽtibus, & scandalum Iudæis. Nimirũ, cum & ipse Christus in oculis mundi sit uirorũ omnium nouissimus, & proiectissimus, Esa. 53. Hoc itaq; scientes fideles mysteriorum Dei ministri, quibus solis cognitus est illorũ ualor, non debẽt ea quibusuis bestijs cõmunicare. Ratio aũt eorum est, ut ad salutẽ faciãt, ob quam & data sunt. Iam nihil potest his rebus, quæ ad salutẽ data sunt, pestilentius obtingere, quàm cõtemptus. Cõtemptus aũt hinc maximè rebus obuenit, etiã precioſissimis, non quod in se uiles sint, sed quod uideãtur cõtemptim tractari. Vnde enim est precium margaritis, nisi qua uidentur apud reges & magnates auro & argento recondi, honoreq; magno haberi? Quòd si negligerẽtur, & passim suibus obijcerentur, pedibusq; transeuntiũ tererẽtur, quis illas alicuius æstimaret? Quãto uerò dãno cõtemnantur, regni Dei mysteria, qui recto sensu ualẽt, facile intelligũt.

1

1

1 Corin. 1

2

Esa. 53.

Ad hæc quò quæso cõtemptus mysteriorũ regni Dei cum primis redit, quàm ad ipsum Deum? Deũ uerò contemni, idq; in ijs quæ gratiæ suæ beneficio ad salutem nobis contulit, si quando illa canibus & suibus polluenda & cõculcanda prostituuntur, quis pius nõ uiderit quantæ sit impietatis, quanti flagitij, quantumq; mereatur diuinæ indignationis? Hinc est, quod Christus amandans discipulos suos ad prædicationem regni Dei, diligenter illis præcipit, dicẽs: In quamcunq; aũt ciuitatem intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit, & ibi manete donec exeatis. Et Paulus 2 Timo. 2. scribit. Tu ergo fili mi confortare in gratia quæ est in Christo Iesu, & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere.

Matth. 10

2 Tim. 2

Nota uerbũ commendandi, quomodo soleãt chara & preciosa commendari amicis.

Hinc etiam est quod ueteres, ut ex Chrysostomo super hunc locũ liquet, mysteria redemptionis nostræ, nõ solum canibus & suibus non cõmunicarunt, sed & clausis illa ianuis celebrarunt, abactis indignis & immũdis.

Hinc symbolum fidei apud ueteres oretenus per mutuam traditionẽ tradebatur, unde dicti sunt catechistæ: quin & gentes hac sunt religione erga sacra sua superstitiosa & uana usi. Hinc prouerbium de rebus occultissimis. Sacra Eleusina, quibus scilicet Ceres colebatur.

Et apud Romanos ſacra bonæ Deæ. Atq; hoc puto ratione apud ueteres diligenter cautũ eſt, ut quia miniſtri Eccleſiæ diſpenſatores ſunt myſteriorũ Dei, qui ſancta illa margaritasq; hoc eſt theſaurũ Chriſti, cõmode & cum fructu expendere debeant, ut non quibuſuis, nec facile hoc munus imponatur, nec quiuis ad illud aſpirans temerè admittatur. Vnde Paulus etiã præcipit, ne manus cito cuiquam imponantur: ad quam rem ueteres reſpicientes uoluerunt futurũ Epiſcopũ, Eccleſiæ ſcilicet paſtorem myſteriorumq; Dei diſpenſatorẽ, quibuſdam certis gradibus probatum iri, antequàm ad hoc munus aſcendat. Sed quæſo quò res abijt? Nomina graduũ manſerũt, ſed iuſta illa probatio intercidit, ita ut & Hiero. ſuo tempore ad hunc modũ ſcripſerit. Splendẽt laquearia auro, nitent templorum parietes & fulcra, ſed miniſtrorũ Chriſti nulla eſt electio. Sumpta pecunia dantur ſimul omnes illi gradus, & mox aſcendit ad ſublime hoc munus, qui nihil nouit eorum, quæ agenda ſunt, imò ne diſcere quidem cupit. Illi igitur, quorũ uita probroſiſſima eſt Eccleſiæ, hodie ſunt diſpenſatores myſteriorum Dei. Sed quomodo eas diſpenſant? Doctrinã ut uitiarint apertum eſt, ſacramenta ut contaminarint luce clarius eſt. Si Miſſa eſt margaritũ, & ſanctum illud ſanctorum, cur creditur indignis porcis? cur præſentibus celebratur canibus & porcis? Sed dicunt: non pollui illam ex indignitate celebrãtis. Quid ergo eſt quod Chriſtus hic dicit: Nolite ſanctum dare canibus, ſi ſancta eſt Miſſa? An Chriſtus ignorauit nihil pollutionis accedere ſancto ſuo per ſe? Experti ſumus ergo quid damni dederit Eccleſiæ quod in hæc ſacra immiſſi ſunt porci et canes, quis inde ſit Chriſtianæ religionis natus contemptus, quàm uehemẽter ſit irritata diuina, contra nos indignatio, & quàm etiã ipſa ſacra in nefandam ſint idololatriã uerſa.

Electio miniſtrorum Dei apud ueteres

1 Timo. 5

Miſſa.

Altera ratio eſt. Ne inquit uerſi dilacerent uos. Bene notat hic Chryſoſtomus quod dicit: ne quando uerſi uel immutati &c. Modeſtiã enim primũ ſimulant, ut ſecreta condiſcãt, cum uerò didicerint, repentè immutati irrident, & inſultãt mordentes, & diſcerpẽtes uerbi miniſtros, & quoſuis ueritatis aſſertores. Sic Alexander ærarius, 2 Timo. 4. 1 Timo. 1. Sic Iulianus Cæſar apoſtata. Sic Porphirius, & Lucianus.

Prouer. 9 Qui erudit derſorẽ, ipſe iniuriam ſibi facit, & qui arguit impiũ ſibi maculam generat. Noli arguere derſorem, ne oderit te. Argue ſapientem & diligetet, uide locum.

OBIECTIO AD PRIOREM rationem.

Et quomodo iuſſit Chriſtus, ea quæ diſcipuli ſecreto in aurẽ audierãt, prædicare ſuper tecta? Item Euangeliũ prædicare omni creaturæ. Et ipſe à concionibus ſuis quas publicas & frequẽtes habuit, neminẽ excluſit, nec Scribas, nec Phariſæos, nec Sadducæos, nec quenquã horum, qui tamen ipſiſſimi erant canes & porci? Ergo & Chriſtus ipſe nõ ſolum per ſe margaritas ſuas ante porcos proiecit, ſed & diſcipulis hoc facere iuſſit?

Reſpondeo: Nemo dicit, opinor Chriſtũ ea uilitate tractaſſe regni Dei myſteria, ut illa data opera canibus proiecerit. Ordinem ſeruauit. Primo quoniã in concionibus ſuis nõ ſolũ canes, ſed & ouiculas habuit, prædicauit in genere regnũ Dei & pœnitentiã. Poſteaquàm uerò quidã in rabiem, quidã mores q; caninos uerſi eſſent cœpit uti parabolis ad uulgus, ſecreto diſcipulis myſteria reuelans, Mar. 13. Lucæ 8. Mar. 4. Diſcipulis ſecreto reſerabat omnia. Ex quibus diſcimus hunc locum nõ eſſe aliter intelligendum, quàm ne quibuſuis temerè omnia credamus (unde Apoſtolos uoluit eſſe prudentes) ſed primum in genere, quæ ad pœnitentiã, uitæq; mutandæ rationẽ pertineãt, inculcemus. Illa ſi recipiantur, reliqua tum cũ ſumma reuerentia ſubiugamus. Si uerò nõ recipiãtur, ſed cõtigerit incidere in homines caninis & porcinis moribus præditos, tum quæ reliqua ſunt illis nõ cõmunicamus. Sic iubet diſcipulos ſecedere ab illis, qui indigni ſint, & filij pacis inuenti, non fuerint.

Mar. 13. 21

Nihil ergo ad publicas conciones, quàm promiſcuas & Chriſtus habuit & Apoſtoli quoq;, hic locus, ſed magis ad eos pertinet, qui ſeorſim ſunt inſtruendi. Deinde nox mox pro canibus & porcis habendos eſſe quoſuis, ſed quos conſtiterit eſſe tales fugiendos eſſe, quemadmodum & Paulus quoſdam uitare iubet. Admonemur ergo hic, in ſumma. Primũ quod loco nobis eſſe debeãt myſteria regni cœlorũ. Deinde, quibus illa cõmunicare debeamus, unde admonitos uelim quoslibet, ne paſſim cum illis, quos ſciũt canes eſſe, & porcos de fidei noſtræ myſterijs diſputent, id quod nimis temerè & factum eſt, & hodie fit à multis.

1

2

QVID AVTEM SI QVI POTENTES ſunt in hoc ſeculo, canes & porci, ui extorſerint confeſſionem Chriſti?

Obiectio

Num hic proponendũ erit ſanctum canibus & porcis? Hinc enim ſibi quidã prætextum uſurpant, uel tacendæ uel negandæ ueritatis. Reſpondeo: Nemo hic melius quid facias, docebit, quàm ipſe Dei ſpiritus. Sed in ſumma. Si ueritatẽ rogatus fueris, non erit neganda, ſed iuxtà dictũ Petri, cuiuis illius reddenda ratio. Hic enim qui negauerit, Chriſtum negauerit. Si ueritate non fueris rogatus, non peccaueris: ſi canibus illis eam nõ reuelaueris, tantum rogatus non neges, nec mendacijs quicquam conſentias. Solent hodie per carnifices & lictores tyranni, canes & porci, rogare de rebus fidei, de inuocatione Sanctorum, de Sacramento Euchariſtiæ, de confeſſione, de Miſſis ſuis, & ſi quid horũ eſt. Ad ſingula rogatus, ſi quod uerum eſt, reſpõderis, quod falſum eſt negaueris. Non mox in hanc Chriſti regulam peccaſti, imò magis ad gloriam Chriſti ueritatem è manibus illorum, & margaritas ex porcorum pedibus, quantum in te eſt, pro ingenio fidelis miniſtri, uindicaſti, ut merito audias. Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor, & ego eum coram patre meo.

NEMO SEIPSVM INGERAT.

Verum ut nos ipſos ingeramus apud huiuſmodi canes & porcos, hoc non uult Chriſtus, ſed apertè uetat, Matth. 10. dicens: Cauete ab hominibus, tradent enim uos: id quod & hic facit, quos hic canes & ſues, iſthic lupos uocãs. Proinde nõ poſſunt melius exprimere, quantum miniſtrorũ Chriſti quærãt perniciem, qui dicunt: quare ueſtri concionatores non proficiſcuntur ad hunc uel hunc locũ, eum potiſſimũ ſignãtes, ubi certiſſima eſt canum rabies luporũq; rapacitas, exigentes hoc pacto, ut canibus ac lupis ſancta Dei proijciamus, ut nõ ſolum illa uiolentur, ſed & ipſi diſcerpantur. Verum Chriſtus

hoc non exigit, aliquãto mitior erga ſuos, quàm hoc hominum genus. Quis enim ſuos data opera hoſtibus obijciat, utut captos exigat conſtanter perſiſtere, & ab illis nequaquã negari? Proinde hic expreſſe adijcit. Ne uerſi dilacerent uos: ut oſtendat ſe non hoc à ſuis quærere, ut præter rationem periculum incurrant.

Petite & dabitur uobis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur uobis.

Rurſus non admodum apparet quomodo iſta cohæreant præcedentibus. Videtur tamẽ Chriſtus hic tacite occurrere diſcipulorũ cogitationibus, quas forte ex hac & alijs concionibus accipere poterant: Nempe iſta, de quibus differentem Chriſtum iam audierant, eſſe & cognitu & factu impoßibilia. Ne itaq; deſpondeant animos, medetur & huic imbecillitati, hortans ad precandum ac dicens: Verũ quidem eſt. Iſta omnia ueſtris uiribus ſunt grauiora. Et rectè iſtud agnoſcitis, duntaxat ne ad deſperationẽ uobis faciant, ſed magis eò rapiant, ut permoueamini ad precãdũ patrẽ ueſtrũ, qui abunde uobis opitulaturus eſt, et daturus, quæ uobis ſunt alioqui impoßibilia. Petite ergo, & quod non habetis dabitur uobis. Pater nouit optime ueſtram imbecillitatem, & paratus eſt dare quod non habetis. Petetis autem non oſcitanter ac frigide, quemadmodum ſolent uel diffidentes, uel non admodum quæ petant deſiderantes: ſed ſerio & conſtanter, quemadmodum faciunt, qui neceſſaria petunt: quærite, ut ſolent, qui abſtruſa & precioſa ſcrutantur: pulſate, ut ſolent qui ſummo deſiderio ad amicũ ingredi cupiunt. Et merito. Sunt enim neceſſaria & magna, ſunt precioſa, ſunt iucunda, quæ petere debetis, de quibus uobis diſſero.

QVAE HIC NOTANDA SINT.

Tria ad impetrandũ cœleſtia bona neceſſaria ſunt.

Primo uidemus hic, qua ſimus nuditate, infirmitate et paupertate, qui iubemur petere ut accipiamus, quærere ut inueniamus, pulſare ut intromittamur. Quid enim opus eſſet habentibus, & intus exiſtẽtibus dicere: Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur uobis? Bonum itaq; eſt agnoſcere, quàm iuſtitiæ & cognitio & ſtudium non ſint noſtrarum uirium. Niſi enim iſtud cognoſcamus, quando à Deo petemus? Quis enim petet & quæret, quod ſe habere iam putat? Atq; non abſurde quiſquàm hic intelliget, Chriſtũ Phariſæos & Scribas diuites & ſaturos ſibijpſis multa tribuentes, clanculum taxare, qui ideò nihil horum, quæ Chriſtus tradidit curarunt, quòd ſe putarunt non eſſe nudos & egenos, ſed abunde diuites & apprimè iuſtos.

Primum ergo omnium eſt, ut agnoſcamus noſtram nuditatem, & imbecillitatem. Niſi enim illam probè agnoſcamus, à Deo quid petemus?

Alterum eſt, ut agnita noſtra imbecillitate & nuditate, non deſperemus, ſed agnoſcamus habere nos patrem in cœlis, cui nihil ſit impoßibile, quem orare debeamus, quiq; nihil nobis ſit negaturus, ſed petentibus daturũ & pulſantes intromiſſurus. Et huc facit, quòd non ſolum iubet petere, quærere & pulſare, ſed et addit promißionem, quæ fidei noſtræ ſuccurrat, cum dicit: & dabitur uobis, & inuenietis, & aperietur uobis. Et re-

uera fortißimum eſt fidei noſtræ fulcimentum iſta promißio à filio Dei nobis facta. Mox enim occurret petituris, quæſituris ac pulſaturis noſtra indignitas, non minimum fidei obſtaculum. Contra iſtam roboranda eſt fides ex hac Chriſti promißione. Tametſi enim nos indigni ſimus, qui petentes accipiamus: dignus tamen eſt, in cuius nomine accipiamus, qui nobis iſta promittit.

Nota, quòd nõ dicit: forte dabitur uobis, fortaſsis inuenieris, poſsibile eſt, ut aperiatur uobis, ſed magna aſſeueratione, dabitur, inuenietis, & aperietur uobis.

Sed ſimul obſeruandum, quibus iſta potißimum dicantur: Nempe, diſcipulis cœleſtis doctrinæ, uerbiq; dei auditoribus, imbecillitatem ſuam agnoſcentibus, in genere uidelicet. præcipuè uerò, quibus aliquid officij demandatur in regno Chriſti. Sic habes Ioh. 14. 16. Ad filios huius ſeculi non pertinent iſta.

Tertium eſt. Quomodo ſit petendũ, quod à Deo petitur: Nempe, ex animo et conſtanter, unde dicit: Petite, quærite, pulſate. Quemadmodum peti ſolent & quæri res neceſſariæ & precioſæ. Non enim dantur bona cœleſtia, niſi auidis & eſurientibus, & ex animo petentibus. Videmus enim uel ex his petendi, quærendi, pulſandi: deinde dandi, inueniendi, et aperiendi uerbis, quã non ſint quibuſuis expoſita bona cœleſtia, ſed oporteat illa petere, quærere, & ad fores cœleſtis patrisfamiliâs pulſare. Sic Prouer. 8. Ego diligentes me diligo, & qui mane uigilauerint ad me, inuenient me. Et Hiere. 29. Cum quæſieritis me in toto corde ueſtro, inuenietis me.

Qui quærit, inuenit, qui petit, accipit, & pulſanti aperitur.

Atq; hoc ſenſu uidetur rationem ſubdere, ex huius ſeculi uſu, & experientia ſumptam. q. d. uel in hoc ſeculo uidetis ita comparatum eſſe, ut non quibuſuis ſint obuiam & expoſita terrena bona, ſed oporteat eos, qui nõ habent, & ſi quis illa deſiderauerit, petere, quærere, & pulſare. Rurſus uidetis, quàm non pereant, qui pertinaciter petũt, quærunt, & pulſant. Sic enim & germanico prouerbio dicimus. Vuer nit ſucht, der findt nit. und uuer daſucht, der findt. und uuer nit heyſchet dem uuirt nichts. Et de illis, qui improbè petunt: nempe pueris, dicimus, das Kind uuirt ſich nit mer laſſen uerderben. Dicit itaq; Chriſtus. Quemadmodum in hoc ſeculo fieri uidetis, ut hæc duo concurrant: nempe, non quibuſuis eſſe terrena bona expoſita, ſed oportere petere, quærere, et cõſtanter pulſare: deinde eos, qui improbè petunt, quærunt & pulſant, non petere, ſed accipere, inuenire, & intromitti. Ita plane habet & in cœleſtibus, non quòd eadem ſit tenacitas apud patrem ueſtrum cœleſtem, quæ eſt huius ſeculi hominibus, ſed quòd nolit ille de thesauri ſui bonis communicare faſtidioſis & ſaturis, ſed eſurientibus & petentibus. Non enim aliter habent hæc bona cœleſtia, quàm ut à talibus accipiantur. Nequeunt enim poſsideri à faſtidioſis & contemptoribus. Proinde petite & dabitur uobis, quærite & inuenietis &c.

Quòd ſi rationem hanc Chriſtus non uidetur ex hoc ſeculo ſumere, intelligendus erit de ratione expoſitæ bonitatis cœleſtis illam deducere, quaſi dicat: Ideò uos hortor, ut petatis, quæratis, pulſetis, cum promißione, quòd ſitis accepturi, inuenturi, & intromittendi, quod ita conſtitutum eſt apud patrem cœleſtem,

ut tametsi thesauros suos habeat in sua potestate, & ab ipso oporteat accipere: habeat etiam illos reconditos & abstrusos, ut eos quærere oporteat: ad hæc ianuas ac fores clausas habeat, non cuiuis patulas & apertas, promptissimus tamen sit ad dandum, exponendum, & aperiendum, sed petentibus, quærentibus, & pulsantibus, ut certè nemo iam periturus sit, nisi sua ipsius culpa: eò quòd nec petat, nec quærat, neq; ex animo fores diuinæ bonitatis, quæ parata est omnibus, pulset. Ita enim comparata est diuina bonitas, ut nemo sit futurus, cui non detur, dummodo petat, nemo sit, qui non sit inuenturus dummodo quærat, nemo sit excludẽdus, modo pulset. Proinde uidete, ut petatis, quæratis, et pulsetis, et certi estote, quòd sitis accepturi, inuẽturi et ingressuri.

An quisq; est uestrum homo &c.

1 Quoniam uerò ad instantiam ac fiduciam precandi, nihil adeò necessario exigitur, atq; impetrandi spes. Illa uerò non nisi fide diuinæ bonitatis concipitur, non contentus nuda illa promissione, qua dixit: petite, & dabitur uobis. Sumpto à paterno ingenio, quo quisq; hominum erga filium suum est, exemplo, imbecillæ nostræ fidei succurrit, admonens petituros, non aliter animatos esse debere, quàm filius est erga patrem, necessaria ab illo petendo. Arguit itaq; à natura paternæ bonitatis, quæ nobis est omnium notissima, ad cœlestem illam patris nostri beneuolentiam, ut in ista nobis illam considerandam exponens, ad petendi fiduciam animatos reddat, cum dicit: An quisquàm est inter uos homo, qui cum filiũ habeat, panem abs se petentem, ut ea sit erga illum mentis duritia, ut negare possit uel uelit, quod nouit illum necessario petere? An non uidetis, quo sit quisq; pater erga liberos suos ingenio, qua animi propensione, qua beneuolentia? Qua ergo ratione aliud cogitaretis de patre uestro cœlesti?

Videmus ergo hìc, quomodo Christus hanc fidem in suis præsumat, si orare uelint ad Deum, ut credant illum esse patrem. Nisi enim id sit, planè nihil ualebit hoc argumentum. Mox enim regeret caro. Scio quidem ita habere ingenium patris erga filium suum, ut non sit illi petenti panem, lapidem daturus. Sed quis me certum faciet eandem esse mihi cũ deo rationem, illum esse patrem meum? Si scirem certo illum paterno esse in me animo, plane nihil dubitarem, quæ necessaria sunt ab illo petere. Proinde necessario præsumitur in hoc Christi argumento, ista paternæ bonitatis fides. De hac re uide suprà de oratione, capite 6.

2 Deinde, non solum eò nos ducit hoc loco, ut persuadeat eandem esse rationem filijs Dei apud Deũ patrem, quæ liberis est apud patrem terrenum, hoc est, quemadmodum homo filio petenti panem, non dat lapidem: Ita deum patrem suis non negare necessaria, quæ ab illo petuntur, sed ut ostendat hoc multo magis uerum esse apud Deum, quàm apud homines, maiusq; mirandum, tanquàm multo difficilius, quòd homo hoc sit beneuolo erga liberos suos animo, quàm quòd Deus talis erga nos prædicatur. Arguit à potentia & efficatia paterni affectus, eamq; in natura mala ac deprauata, mali ac depraua ti humani generis ob oculos ponit, ut ostendat quid in bona, imò optima diuinæ bonitatis natura possit. Est autem tale hoc Christi argumentum.

Quicquid in genere alieno, sibiq; contrario ualet, idem multo ualet amplius in genere sibi cognato & amico: ut si bonus quidem affectus, uel bonũ aliud quoddam in re mala uires suas exercere potuerit, multo illud magis poterit in bona. Si malum in bono, quid potest, multo amplius poterit in malo. Maior.

Paterna bonitas tantæ est efficatiæ, ut & in malis uires suas exerat: Nempe, in homine, qui malus est. Eum enim huc permouet, ut tametsi malus sit, nihilominus tamen liberis suis bene & uelit & faciat, id quod omnino in se bonum est, & tale, ut uel hoc potissimum quandam diuinæ bonitatis imaginem referat homo, utut reliqua malus. Ergo paterna bonitas hoc multo poterit amplius in bono, deo uidelicet omnium optimo. Quemadmodum & à brutis argui posset: Ecce bruta, tametsi ferocia & irrationabilia, fœtus tamen suos non deserunt? Si potest istud paterna cognatio in brutis ferocibus, quanto magis in hominibus, ratione & humanitate præditis ualere debet? Minor. Conclusio.

Sic Christus, ut istud exprimat, non dicit simpliciter: Quis est uestrum, qui petenti filio panem neget? Sed, Quis uestrum est homo? ut, quid opus erat addere, homo, nisi hoc pacto notaret humani generis depraua tionem, illãq; diuinæ bonitati opponeret? Male quippe audit hominis uocabulum multis scripturæ locis. Deinde, dum colligit: Vos ergo inquit, cum sitis mali, & nostis tamen dona bona dare filijs uestris, quanto magis pater uester cœlestis dabit bona, si postuletis ab ipso? ubi nota quòd non dicit, quomodo non & pater uester cœlestis, sed, quanto magis &c. Homo. Quanto magis.

Et quòd non simpliciter: Vos ergo cum sitis mali inquit, datis bona uestris filijs. Sed, & nostis dona bona dare: quibus uerbis exprimit uim eius argumenti, quod posui. q. d. Quomodo non uidetis mirum esse hominem malum, posse benefacere? Imò si credimus ueritati, est planè impossibile homini malo uel loqui bene, nedum benefacere. Sic enim alibi dicit: Quomodo potestis bene loqui, cum sitis mali? Et: Aut facite arborem bonam, & fructus eius bonos &c. Iam si uos mali hoc potestis, quanto magis hoc poterit pater. Nostis.

Ad hæc obseruandum, quòd non dicit: quanto magis Deus, sed quanto magis pater. Nec pater meus, sed pater uester cœlestis, ut omnino hanc in illum fiduciam mente concipiamus. Pater. Vester.

Ecce quomodo non nudis persuasionibus, sed potenti argumento diuinam & paternam bonitatem nobis probet: eamq; talem, quæ multo sit erga nos propensior, quàm qua nos possemus esse erga liberos nostros. Et obserua, quo pacto non aliunde petito argumento, quod ignotum sit, sed omnium notissimo & communissimo, idq; ex nobis ipsis sumpto, imbecillem nostram fidem arguat. Quid enim aliud restat, nisi ut addat, O modicæ fidei?

QVAESTIO.

Quod si omnino uerum est, accepturum, inuenturum & ingressurũ, quisquis petierit, quæsierit et pulsauerit,

ſauerit, quid ſibi uult, quod ſubinde diuerſum in ſcripturis legimus, & ipſa quoq; experientia clamat, non quemuis accipere, inuenire & intromitti, qui tamen petit, quærit & pulſat?

RESPONDEO.

1 Quis. *Primo, multum intereſt, quis ſit, qui petat. Chriſtus hic loquitur de filijs Dei. Secus eſt cum impijs, de quibus legimus Eſa. 1. Cum multiplicaueritis orationes ueſtras non exaudiam. Et Pro. 21. Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperũ, clamabit & ipſe, & non exaudietur. Exemplum diuitis Luc. 16. Et Mar. 11. Cum ſtabitis ad orandũ, dimittite, ſi quid habetis aduerſus aliquem. Ergo locus hic nihil attinet ad uirum ſanguinum, ad immiſericordem ac diſcordem &c.*

2 Quid. *Deinde non parum refert, quid petatur, quæratur, et quare pulſetur. Neq; enim omnia daturus eſt filijs ſuis pater, quæ ipſi petunt. Fit enim, ut quandoq; petantur, quæ nec illũ dare decet, nec nos accipere conuenit. Talis erat petitio diſcipulorũ Chriſti, filiorũ Zebedæi, Mat. 20. quibus Chriſtus dicebat: Neſcitis quid petatis. Et Iacob 4. Petitis & non accipitis, quia male petitis, ut in concupiſcentias ueſtras inſumatis.*

OBIECTIO.

Sed dicis: Et quare non accepit apoſtolus Paulus, 2. Cor. 12. qui certè nec malum, nec ad cõcupiſcentias ſuas petijt? Reſpondeo. Videbatur illi bonum, quod petebat, ſed reuera nõ erat. Alia erat uoluntas Chriſti erga illũ, quæ omnino ſpectanda erat. Ideò legimus, 1. Iohan. 5. Et hæc eſt fiducia, quam habemus ad Deum: quia quodcũq; petierimus SECVNDVM VOLVNTATEM EIVS, AVDIT NOS &c. Vide locum.

3 Quomodo. *Tertio, admodum etiam refert, quomodo quis quærat, etiam ſi quod bonũ eſt quærat. Exemplo ſint Iudæi, de quibus Ro. 9. Iſraël uerò ſectando legẽ iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit. Quare? Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus. Et cap. 11. Quod quærebat Iſraël non eſt conſequutus. Electio aũt conſequuta eſt, cæteri uerò excæcati ſunt. Ad quem modum, et in Papatu pacem & ſecuritatem cõſcientiæ, multis ac uarijs modis quæſiuimus, ſed non inuenimus. Quare? Quia non per unius Chriſti mediationem et gratiam, ſed quaſi ex operibus.*

4 Quando. *Quarto, nihil minus intereſt, quo tempore quid quæratur. Eſt enim tempus inueniendi, atq; ideò & quærendi. Sic Pro. 1. dicit ſapientia: Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, mane conſurgent, & non inuenient me &c. Quare? Quia, ut præmiſſum eſt, oblationem gratiæ reſpuerant, donec illis fructus uiarum ipſorum comedendus eſſet. Sic Amos 8. Ecce dies uenient dicit dominus, et mittam famem in terram, non famem panis, neq; ſitim aquæ, ſed audiendi uerbum domini. Et commouebuntur à mari uſq; ad mare, & ab aquilone uſq; ad orientem circuibunt, quærentes uerbum domini, & non inuenient. Sic Chriſtus & ad Iudæos dicebat Ioh. 7.* Ioh. 12. Ambulate, dum lucem habetis. *Quæretis me, & non inuenietis. Et merito. Præſentem enim reſpuebant. Atq; hinc eſt, quod propheta Eſaias cap. 55. admonet, dicens: Quærite dominum, dum inueniri poteſt: inuocate eum, dum propè eſt. In hoc ergo tempore, quod gratiæ eſt, quo ſeſe benevolum dominus exhibet, inuocandus eſt & quærendus. Iam eſt pulſandum ad fores diuinæ miſericordiæ, ne & nos aliquando pulſantes nõ intromittamur, dicente Chriſto: Non noui uos. Sic enim Lucæ 13. legimus: Tunc incipietis foras ſtare & pulſare &c.* 2. Cor. 6. Ecce nunc tempus acceptabile.

His conſideratis, non erit mirum, quòd pleriq; non exaudimur, quòd non inuenimur, quòd non intromittimur. Aut enim tales non ſumus, ad quos iſta promiſſio pertineat, uel in quibus locum habere queat: aut non ea petimus, quæ domino placeant: aut non rectè quærimus, uel non ſuo tempore. Proinde uidendum eſt, ut nihil horum ſit, uel in nobis, uel in petitionibus noſtris. Per ſe enim firmum eſt, quod Chriſtus hic promittit.

QVAE SEORSIM NOTANDA ſint ex hoc loco.

1 *Primo, ex argumento iſto Chriſti, quo colligit paternæ benevolentiæ bonum erga liberos: cum apud malos homines reperiatur, multo magis apud Deum optimum reperiri, & nos reliqua bona, quæ apud homines, tametſi malos eſſe uidemus, multo magis in Deo quærenda & credenda eſſe colligamus: ut quod homo alioqui durus ac immitis, miſeria tamen hominis miſeri ſubinde permouetur. Si hoc in homine, multo magis in Deo reperitur. Item. Quòd humilitate delectatur, & ſuperbiam inuiſam habet naturaliter omnis homo: utut ipſe malus ac ſuperbus. Quanto magis hoc ingenio deũ eſſe præditũ, credendũ eſt? Item. Quòd iniuriã patienti magis quàm inferenti condolemus, & nonnihil fauemus, iniquitatẽ illius deteſtantes, et huius patientiam amplectentes: quanto hoc plenius apud Deũ eſſe credendũ eſt?*

2 *Deinde. Et hoc loco notandum, quomodo naturæ humanæ maliciam adſcribat: ita, ut & Apoſtolos ſimul complectatur. Hinc diſcamus prauitatem noſtram primum agnoſcere, ut cauti ſimus. Deinde, non mirari, ſi mali quicquàm nobis ab homine euenerit, cogitantes nihil eſſe in homine boni, niſi diuinitus acceperit, & pronũ eſſe ad malum omnem hominem ab infantia ſua, quæ peccandi pronitas tam abeſt, ut ratione ætateq; creſcente tollatur uel minuatur, ut eò magis etiam creſcat, & ſolidetur. Es uuirt ein alter ſchaden drauß. Ad hæc diſcamus hic nihil eſſe mirandum, ſi iuſtus etiam ceciderit, quando et Apoſtolos in malorũ numerũ collocat.*

3 *Tertio, notandum quid ſit uerè malum eſſe, & quid bonum. Vos inquit, cum ſitis mali, & noſtis bona dona dare. q. d. Vos, cum ſitis mali noſtis benefacere: unde colligimus malum eſſe, ſeipſum amare, erga neminem propenſa benevolentia eſſe, nemini prodeſſe. Rurſus bonũ eſſe, eſt alijs prodeſſe, utilem eſſe, conſulere, benefacere: eſt ergo uera hominis malitia, non diligere, non benevelle, nõ prodeſſe, ſed magis ſeipſum amare, alios odire, alijs etiã nocere. Et uicißim uera Dei bonitas, omnibus utilẽ eſſe. Et hinc eſt, quòd nõ ſimpliciter dicit: Et negabit illi. Sed nunquid lapidẽ dabit illi, aut ſerpentem, aut ſcorpionẽ? ut durũ ac uenenatũ cor hominis ſignificet, unde magis ſit ſperandus lapis, ſerpens et ſcorpio, quàm panis, piſcis, aut ouum, hoc eſt, res utiles. Quid ergo ſperandum ex homine, niſi diuinitus corde mutetur?*

Atq; hoc uidere eſt per omnem uitam hominis ab ipſa iuuentute, quomodo ſe habeat: primum erga parentes: deinde, erga fratres ac ſorores: tertio, erga proximos,

quomodo ſcilicet ubiq; ſeipſum amet, ſua quærat, etiam in parentibus, donec libros adeptus, incipiat affectu paterno præditus eſſe. Hic tandem ſeſe quædam diuinæ bonitatis imago exerit, quam certè diuinitus accepit prudentiſsimo Dei conſilio, quo conſuleretur infantibus, ne per humanam malitiam negligantur. Nuſquàm itaq; alibi quam Dei optimi imaginem in homine relictam deprehendimus, præterquàm in hac paterna bonitate, quæ tanta eſt, ut ab uno parente citius educantur decem liberi, quàm à decem liberis parens unus alatur.

Omnia igitur, quęcũq; uolueritis, ut faciant uobis homines, ſic et uos facite illis.

1 Chryſoſto. Dictio illa igitur, oſtendit hæc Chriſti uerba concluſionis, uel epilogi cuiuſdam uice poſita, ad aliqua præcedentia referri debere. Quidam referunt ad ea, quæ proxime de petitione præmiſſa ſunt: quaſi Chriſtus hãc ueluti conditionem promiſsioni adiungat, quam de accipiendo, inueniendo, & ingrediendo, ſi petamus, quæramus & pulſemus, dederat, tanquàm dicat: Hactenus iſta uobis promiſero, ſiquidem benefici & candidi fueritis erga proximum. 2 Quidam referunt ad initium capitis huius ſeptimi, ubi de non iudicando docuit. 3 Alij uerò, id quod omnium uidetur ſimplicius, uolunt Chriſtum hic reſpicere ad ea, quæ potiſsimum hac diſputatione egit, maxime capite quinto, ut quaſi compendioſo epilogo omnia illa ſermonem clauſurus cõprehendat, quatenus ab hominib. rudibus & imperitis, & facillimè capiantur, & fideliter retineantur. q. d. Quòd ſi uno uerbo omnia illa, quæ ſupra de dilectione proximi tradidi cõprehendere, diligenterq; ſeruare lubet, non poteſtis compendioſius, quàm hac regula: nempe, ut quæcunq; uobis ab alijs fieri uolueritis, eadẽ et ipſi facia-tis.

Hæc enim eſt lex & Prophetæ.

Ex hac quoq; adiectione liquet hunc epilogum ad cap. quintum ſupra reſpicere, ubi Chriſtus legis expoſitionem à lacunis Phariſæorũ uindicauit. Ita enim illic diſputationẽ cœpit: Nolite putare quòd uenerim ad ſoluendum legem & Prophetas, quaſi hic dicat: Multa iactant de legis ac Prophetarum ſcientia & obſeruantia Scribæ et Phariſæi, nosq; pro legis habent uiolatoribus: quum tamen, nec mentem, nec ſcopũ, uel legis, uel Prophetarum interea teneant, ſola litera, & externa quadam cerimoniarum obſeruantia contenti, qua ſe putant legi ſatisfaciẽtes, deo apprimè ſeruire, utut interea peccent in proximum. Ego autem dico uobis, ſi mentem legis & Prophetarum obſeruare ſtatueritis, non erit, ut cerimonijs legalibus contenti, proximi nullam habeatis rationem, ſed ut uno uerbo dicam: quicquid uobis ab hominibus fieri uolueritis, idem & uos illis facite. Hoc ſi feceritis, & legem & Prophetas ſeruabitis.

QVAESTIO.

Atqui lex & Prophetæ non ſolum habent, quæ ad proximum, ſed & quæ ad Deum pertineant, ut de cultu & fiducia, & dilectione, timoreq; Dei: deinde, quæ & ad nos ipſos ſpectant, ut quæ corporis caſtigationem & humiliationem cõcernunt. Hic uerò locus tantum de ijs agit, quæ proximo facere debeamus. Quomodo ergo in iſtis lex & Prophetæ implentur?

Reſpondeo. Auguſtinus dicit: Chriſtum tantũ de ſecunda tabula legis hic agere, quemadmodum & ſupra cap. 5. ea duntaxat præcepta legis expoſuit, quæ proximum concernunt. Atq; iuxta hanc ſententiã dicit Chriſtus, quicquid in lege & Prophetis, de ijs, quæ proximo præſtanda ſint homini pio, habetur, illud uno hoc uerbo complector: ut ita non de tota legis et Prophetarũ ſerie Chriſtum hic loqui intelligamus, quemadmodũ Mat. 22 ubi in duobus mandatis dicit, totã legem & omnes Prophetas pendêre. Quidam uerò totam legem, etiam hoc loco uolunt cõprehendi, quemadmodũ et Paulus Ro. 13 & Gal. 5. dicit in dilectione compleri omnem legem. Illi reſpiciunt ad ipſum ſcopum reſtituendæ in nobis diuinæ bonitatis, quæ in hoc eſt, ut boni ſimus erga quoſuis, ſicut pater noſter cœleſtis. Atq; huc facere, quæ lex præcipit, ſiue de diligendo ſeu colendo Deo: uel etiã ea, quæ ad caſtigationem corporis noſtri ſpectant. Sic & Paulus ad Ro. 2. contra ſupercilium Phariſæorũ, de legis ſcientia gloriantium diſputans: Gentes dicit, naturaliter ea quæ legis ſunt facere, etiamſi legem non habeant. Ro. 13. Gal. 5.

QVAE HIC NOTANDA SINT.

Primũ, uidemus hoc loco, quis ſit genuinus legis ſcopus, quem Chriſtus etiam, ſi ſit finis legis ac Prophetarũ adeò non ſuſtulit, ut magis ſuo loco reſtituerit. Is aũt eſt, ut proximũ, ſicut nos ipſos diligamus. Nihil eſt enim aliud, quod hic Chriſtus dicit, quàm quod ſupra poſuit ac declarauit: nempe, diliges proximũ tuũ, ſicut teipſum, ut illud: quæcunq; uultis, ut faciant uobis homines, idem ſit, atq; illud: ſicut teipſum diligis, & hoc: ſic facite & illis, idem quod iſtud: ita diliges proximum tuum. Iam dilectio illa, qua ſeipſum quiſq; diligit, facit, ut bene nobis fieri cupiamus ab alijs. Ergo exigit hic legis Dei ſcopus, ut nemini male, ſed omnibus beneficiamus. Atq; ita liquet, idem Chriſtum hoc epilogo tradere, quod ſupra copioſius egit. Cũ ergo ita cõparati ſimus, ut cupiamus ab omnibus diligi, honorari, laudari, in precio haberi, beneficijs affici, exigitur non immerito, ut eadem præſtemus & alijs. Ad ea itaq; nos bona opera, & quicquid eſt, quod proximo ex dilectione debetur lex Dei, imò Chriſtus ipſe, qui nullã nobis aliam, quàm hanc dilectionis legẽ dedit, remittit. Humana uerò doctrina remoto, hoc legis dei ſcopo ad cerimonias omnẽ pietatẽ tranſtulit. Nam ut Iudæi ad legales, ita noſtri ad Pontificias cerimonias humanitus inuentas & inſtitutas cultum Dei tranſtulerunt. Vt itaq; Samaritanus ſeruabat ſcopum legis, Sacerdotes uerò & Scribæ literam duntaxat, ita & noſtro tempore ſunt, qui literæ ignari, ipſum legis nucleũ, proximũ diligẽdo poſſideant: quũ interea legis doctores et cerimonijs dediti, ne corticem quidem diuinæ legis teneant. In Papatu omnia bona opera directa ſunt, uel ad Deum uel ad ſanctos, uel angelos, uel animas defunctorum, relictis uiuentibus. Chriſtus uerò hic ad eos nos mittit, cum quibus hic uiuimus. Legis ſcopus

Secundo loco. Videmus quàm ſit ſcopus hic legis, intellectu facillimus, quàmq; omniũ mentibus inſcriptũ ſit, quid proximis noſtris debeamus. Quis enim eſt, qui neſciat, quàm ſe diligat, quid ſibi ab alijs fieri uelit aut nolit? Hinc eſt, quod Chriſtus ea comprehendere uolens, quæ proximis facere debeamus, notanter dicit: Quæ unitis ut faciant uobis homines. Scit enim quàm ſi- 2

mus omnes propensissimi ad hoc ut bene nobis fiat. Item quàm soleamus diligenter perpendere, quid nobis fieri debeat ab alijs. Quid ergo nunc cognitu facilius, quid mentibus nostris propius infixum, quàm quomodo nos ipsos diligamus, quidq; nobis perpetuo et in omnibus & ab omnibus fieri uelimus? Est aũt hoc adeò insculptum mortalium animis, ut & ante legem, in lege, & post legem, apud Iudæos pariter & gentes constiterit hæc ratio, non solum quid quisq; sibi fieri cupiat, sed &, ut alijs quoq; idem facere debeat. Hinc non solum Mosaicæ, sed & quæcunq; gentium leges prodierunt, ita ut quicquid huic normulæ contrarium esse deprehenditur, pro iniusto & iniquo habeatur.

Plato. Cicero. Ex hoc fonte sunt, quæ apud gentes leguntur de officijs & legibus, ut apud Ciceronẽ, & Platonẽ, qui Plato tam diligẽter hanc regulam in scriptis suis expressit, ut pleriq; gentium dixerint: Christum Iesum dominum nostrum doctrinam suam ex Platone hausisse. Et ipse Augustinus etiam scripserit se facile ex Platone omnem Christi doctrinam, una iustificationis excepta, excerpere posse. Ita scilicet consentit lex naturæ legi diuinæ.

3 Tertio loco. Videmus etiam hic quomodo unica ista lex, imò legis totius scopus, omnem nobis excusationem prorsus adimat. Non enim licebit, siue Iudæũ, siue Turcam, siue Christianũ spectes, τὸ ἀπολογητικὸν τοῦτο proferre.

PRAVITAS INGENII NOSTRI.

4 Quarto, Perpendendum etiam hic fuerit, quæ sit ingenij nostri prauitas & corruptio, quàmq; à diuina illa bonitate, ad quam per Christum reformamur, degenerauerimus. Hoc enim experimur in nobis omnes, quod ab omnibus cupiamus diligi, beneficijsq; affici, quum tamen nihil minus alijs facere cupiamus. Dei uerò bonitas & natura diuersa est. Illa parata est omnibus benefacere. 1 Quum ergo debeamus iuxta hanc formulam alijs ita benefacere, quomodo nobis benefieri cupimus, reperitur ista in nobis prauitas, ut cupiamus quidem nobis ab alijs fieri, quod ipsi sibi fieri uellent. Sed Christus non dicit: 2 Quod alij sibi fieri uolunt, ista uobis faciant. Deinde & hoc affectemus, ut quæ cupimus, ea nobis alij faciant, sed non dicit: Quæ uultis, ut faciant uobis homines, ista 3 ab illis exigite. Nec dicit: Si boni quippiam uobis fecerint alij, id facite & illis. Sed quæ uultis ut faciant, etiam si non faciant, facite uos illis. Quòd si Christus diceret: Quæ alij uobis faciunt, facite & illis, posset aliquando haberi excusatio, ut diceremus: Fecissem bene, si alij mihi bene fecissent. Aliquando dico posset haberi excusatio, adeò sumus enim deprauati, ut etiam benefacientibus subinde uicem non reddamus.

Claudest. maximo. Disputatur aliquando de matrimonijs clandestinis, ac furtiuis, quæ contra parentum conscientiam & uoluntatem contrahuntur, num iusta sint & ualida. Hic quæritur clarum uerbum, quo talia prohibeantur, idq; ex nouo Testamento, ita ut neq; Mosaica, neq; Cæsarea lex quicquàm ualeat apud illos, qui tale matrimonium contrahunt uel tuentur, maxime si bono illis fuerit. Interrogẽt isti seipsos, nũ uelint sibi tale quid fieri: nempe, filiam suam ab eo sibi fraudulenter, & contra animi sententiam subripi, quem nolunt habere generũ. Certè nequaquàm hoc uolent. Cur ergo non uident iuxta hanc Christi regulam, nõ licere, ut alijs hoc faciant? Cur non uident hic esse uerbum domini, legem domini, summam scilicet & legis & Prophetarum, unde talia prohibeantur? An non est scriptura, an non est uerbum Dei, quod Christus hic dicit, & legem esse & Prophetas: nempe, quod tibi uis fieri, hoc facias & alteri.

Item, qui habent quod uendant, putant sibi licere, quàm charissimè queant alijs sua diuendere. Cur non liceret inquiunt? Meum est, & neminem cogo. Qui solũdo nõ est, relinquat mihi quod meũ est, erit qui emat. Atq; illi putant se quoq; Christianos esse. Sed dicant: nũ sibi hoc ab alijs fieri uelint, & quomodo sibi quæ necessitas exigit, uendi cupiant.

Item, qui marcidas, & corruptas merces uendunt, putant se egregiè excusatos dũ dicunt: Neminem cogo, nec clanculũ uendo, oculis ementiũ merces expono, atq; ideò neminẽ fallo. Scis aũt abuti interea simplicitate & ruditate aliorũ, nec ostendis quid defectus habeant merces tuæ, imò nolles eos hoc scire. Nũ uelles hoc tibi fieri?

Respondeant hic impissimi homines, qui ex necessitate proximi quæstũ sibi quærũt, an uelint hoc sibi fieri: nempe, ut hoc sibi charius uendantur omnia, quò maiore necessitate ad emendum urgentur?

Erit itaq; hæc summa legis & Prophetarum, quasi lux quædam & regula omniũ nostrarũ actionũ, qua carnis nostræ prauitatem & obseruemus & corrigamus, quatenus ad exemplar diuinæ bonitatis tandem reformati diuinitus, hoc simus proximis, quod nobis illos esse uellemus, idq; potissimum in omnibus illis locis, ac negotijs, de quibus nihil expressi habemus in scripturis.

OBIECTIO.

Quid opus tot legibus, libris, concionibus. Si ergo uita nostra iuxta hanc est regulam in omnibus instituenda, quid opus fuit Mosi, quid opus Imperatoribus, quid opus ciuitatibus, tot leges condere, quibus uita ac societas humana institueretur, ut quisq; sciat, quid alijs faciendum sit, quid non sit. Deinde, quid opus tot libris, tot cõcionibus, cũ quisq; hinc colligere possit, quid faciendum sit, maximè cum sit hæc summa inscripta omnium cordibus, etiam gentium?

Respondeo. Prauitas illa humana tam uersipellis & peruersa in causa est, quòd tam multæ datæ sunt leges, quibus tamẽ omnibus nihil agitur aliud, quàm quòd hæc summa in se continet. Non uult enim deliquisse uideri, nisi contra expressam aliquam legem Dei fecisse conuincatur. Vt exempli gratia.

Deut. 15. præcipitur, ut fratri egeno Iudæus det accomodato quæ necesse habeat. Iam istud satis fuerat expressum in hac lege, si nõ esset adeò uersuta hominũ malitia, ut dicat: Non cogor illi dare. Quis enim præcipit? 1

Ita præcipitur, ut merces operarij non seruetur usq; mane. Item, ne pignoris loco recipiatur uestis, lectus, mola superior, & si si quid aliud est, quod ad necessitatem facit. Iam nihil opus esset his legibus, si hæc summa animaduerteretur. 2

Sic illa præcepta secundæ tabulæ, & si qua sunt alia, necessario sunt posita, propter hanc hominũ malitiam, 3

qua

quæ peccasse uideri nolunt, nisi ita contra præceptum aliquod Dei fecisse conuincantur, ut negare nequeant.

Contra eos, qui dicunt: Quid facerẽ in concionibus scio quid faciẽdũ, quid non.

Hinc est, quur opus sit tot concionibus, quibus quid faciendũ admoneatur, & quomodo contra proximum quisq; peccet, carpatur & conuincatur.

DE NATVRA DIVINAE LEGIS & ciuilis.

Vide hic Psal. 51.

Et quoniam in hanc incidimus materiam, oportunum fortè fuerit hoc loco notare, quantũ diuina lex humanas superet. Ciuiles leges in hoc quidẽ sunt, ut uetent pleraq; alijs non facienda, quæ nemo sibi fieri sustineret aut uellet, id quod & præstari potest aliquanto facilius, quàm quod diuina lex hac summa tradit: nempe, ut non solũ facias proximo, quod tibi fieri nolles, sed & facias illi, quod tibi fieri cupias. Est enim multis modis facilius non malefacere proximo, hoc est, non facere illi, quod tibi non uelis ab illo fieri, quàm benefacere, hoc est, facere illi, quod tibi factum ab illo optares. Exempli gratia. Leges ciuiles uetant, ne proximum uel in bonis, uel fama, uel corpore lædas, bene ut facias, ut des, siue dono siue accommodato, ut famam illius tuearis, ut corpus ægrum cures non exigit. Atqui hoc exigit ista lex Dei. Quis enim negare potest, quàm cupiat non solum à nemine lædi, sed & ab omnibus sibi bene fieri? Ergo lex diuina non solum hoc exigit, ut neminem lædamus, sed ut & omnibus quocunq; modo benefaciamus, quod ciuilis lex non præcipit, contenta, si non malefacias, & si quid debes, hoc præstes.

ALTERA OBIECTIO.

1 Porci margaritam pedib. cõculcantes.

Peruersa hominum malitia, quæ pro malo suo ingenio nihil nõ ad sinistram partem uafre detorquet, dicet hic: Quòd si quisq; debet alijs facere, quod sibi ab alijs fieri uellet, sequetur ex hac regula, ut multis malis particeps esse cogar. Exempli gratia. Carnis est ingenium, ut ociosè & delicate, idq; aliunde partis bonis saginari cupiat. Ergo si hoc in me sensero, debebo iuxta hanc regulam idem & alijs petentibus facere?

2 3 Qui ludit uel lenibi abunde dari pecunias, ergo lusori petenti dabit.

Adolescens in scholis, uellet sibi plena indulgentia magistri pro libidine quàuis temerè & impunè admitti, ergo posteaquàm & ipse factus fuerit ludimagister, idem faciet & suis pueris? Idem dici potest de liberorũ ingenio erga parentes, & parentum erga liberos. Item seruorũ erga dominos, & dominorũ erga seruos.

RESPONDEO.

Supra dictũ est, sententiam hanc Christi nihil aliud uelle, quàm: diligas proximum tuum sicut teipsum, ad beneficium respicere, non ad maleficium. Iam qui quæ huiusmodi sunt, sibi fieri cupit, seipsum profecto non diligit, nec ista bona sunt, sed mala. Lex uerò non docet proximo malefacere. Non sequitur ergo, ut quod tibi male fieri cupis, idem debeas facere & proximo. Sed si quid tibi benefieri, quod ad salutem tuam faciat, uelles, istud hac lege teneberis facere et proximo. Proinde non sunt detorquẽda simplicissima uerba Christi, ad ea quæ non respicit. Christus uenit reprimere carnis nostræ affectus, nõ promouere: Nimium est, quòd isto inordinato affectu, tibi cupis ab alijs fieri, quæ ipsos præstare non decet, nedum si & alijs ea facienda putes. Relinquenda est ergo hæc lex in rebus bonis, utilibus, necessarijs, quæ cũ Deo, tũ animæ tuæ salute, & tibi fieri cupere queas, et proximus præstare possit. Quis enim est, qui ista uellet à se peti, quæ iniqua sunt? Quomodo ergo sibi cupiet ea præstari ab alijs? Si non cupiet, salua manet hæc sententia, ut nec alijs ea debeat. Vide Augustinum de ciuitate Dei lib. 14. cap. 8.

Introite per arctam portam, quoniam lata est porta, et spacioſa uia, quę abducit in exitiũ, multiq; sunt, qui ingrediuntur per illam: Quoniam angusta est porta, & stricta uia, quæ ducit ad uitam, & pauci sunt, qui inueniunt illam.

Quoniam hæc doctrina, discipulis tum noua, & inaudita, ut cœlestis ita carnis ingenio incomprehensibilis uidebatur, maxime respectu eius, qua erant hactenus assueti. Deinde, quoniam scandalũ illud, quod est à multitudine secus credentium & uiuentium, & tamen uitæ sibi uiam promittentium, discipulis & omnibus fidelibus potenter erat occursurũ, uoluit hæc Christus prioribus adijcere: primo, ut ostenderet, causam istam non aliter esse comparatam, uiam esse strictam ingrediendum, si ad uitam tendere libeat. Deinde, ne scandalũ paterentur, si paucos strictam hanc uiam, è cõtra uerò tot hominum myriades latam uiam ingredi uiderent, sed cogitarent, eã esse uiam perditionis, quæ tereretur à multis, atq; ideò illam declinarent.

Notæ sunt uerò metaphoræ illæ portæ ac uiæ. Per uiam intelligit scriptura uitam hominis, eò quòd illa, quemadmodum uia quædam, ad exitũ aliquem tendat, uel uitæ scilicet uel mortis. Est autem mirabilis uia, hominis uita. Illa quippe siue dormias siue uigiles, ad suum interea terminum properat. Non licet hic pro uoto hærere. Exemplũ à uia nauis in mari. Qui nauigat, etiam cum dormit, uel ad portum uel ad interitum defertur.

Ponit autem Christus hic duos hominis fines, ad quorum alterutrũ tandem decurrendum sit, uitam scilicet, & perditionem. Taxandi hic illi, qui dicto Christi, & erit unum ouile & unus pastor, abutuntur, quasi nemo sit periturus, sed omnes tandem saluandi sint

QVID HOC LOCO NOTANDVM.

1 Vita æterna

Primo, quòd cum de uita æterna Christus loquatur, tamẽ simpliciter dicit, quæ ducit ad uitam. Videmus hic futuram uitam uerè demum uitam esse, istam uerò præsentem nequaquàm. Non posset enim Christus uitam istam fortius eleuare, quàm quòd futuram uitam simpliciter uitam uocat. Somnus enim magis est, & calamitas quàm uita, quòd hic uiuimus.

Perditio uera.

Ita & illud perpendendum, quod de æterna & futura perditione loquens, simpliciter dicit: quæ ducit ad perditionem. Iam mundus perditionẽ longe alia ratione metitur. Nos uerò hic discamus hominis perditionẽ nec in fortunæ, nec corporis malis consistere, sed in ira Dei, condemnationeq; æterna.

2 Secundo loco. Quæ sit illa uia uitæ, de qua Christus hic loquitur. Iam Christus propriè hic non definit, quæ illa sit, tantum duo faciens: unum, adhortans ad ambulandum

landum illam magno ſtudio: alterũ admonens, quàm ſit arcta & ſtricta, & quòd pauci illam inueniant.

Verum quidem eſt, uia uitæ eſt ſtricta. Non tamen ideò mox ſequitur: quamcunq; ſtrictam & anguſtam uiam eſſe uiam uitæ. Si reſpexerimus falſos Prophetas, utpote Baal, cultoresq; illius: an non arduum erat, quòd ſeipſos cultris incidebant: deinde filios ſuos per ignẽ illi offerebant. Obijciunt quidam ieiunia & preces. Atqui ſi hæc eſt illa arcta uiæ uita, ambularunt in illa exactius Scribæ & Phariſæi: ita ut Chriſtus homo uorator & uini potator haberetur illis collatus. Vide quid Paulus dicat Coloſſ. cap. 2. de illis, qui corpori per ſuperſtitionem non pepercerint.

Colo. 2.

Aſtus Satanæ

Atq; hac ratione ſeducta eſt, aſtu Satanæ, innumera hominũ multitudo, quæ ut uiam uitæ ambularet, arctam illam ingreſſa eſt, quæ inſtinctu Satanæ per humanas eſt adinuentiones inducta, maxime eorum, qui in monaſterijs uixerunt. Poſteaquàm uidit Satan uiam ſuam, quæ ad mortẽ ducit, traduci, eò quòd ſit lata, & quòd multi per illam ambulent, cœpiſſentq; quidam arctam & ſtrictam quærere, quæ non tereretur à multis, callido conſilio effecit, ut pro uera uiæ uita arriperetur ea, quæ quidem eſſet ſtricta, uia uerò uitæ non eſſet. Ecce hæc uia non eſt lata, non placet carni, non eſt multorum, ſed paucorũ: ergo eſt uia uitæ. Hinc exortum eſt in monaſterijs tam multiplex abſtinentiæ genus: ita ut quidam etiam ægre panẽ comederint. Legitur de quodam, qui & urinam ſuam ſibi propoſuerit, non emittendam amplius, putans eo ſe pacto anguſtã uiã ingreſſurũ ad uitã.

Nauv

Iſtud quidem uerum eſt, ſanctos corpora ſua caſtigaſſe, et in ſeruitutem redegiſſe, quemadmodum & de Paulo legimus. Satan uerò mille artifex, hoc ipſo ad ſuas impoſturas eſt abuſus, quibus perpetuo etiã quod bene factum eſt à ſanctis, deprauare ſolet. Cõtinenter quidam uixerunt. Arripuit hoc, & per uotũ cœlibatus impudiciſſimã induxit laſciuiã. Quidam ſedulo precati ſunt. Et iſto abuſus ita eſt, ut res in ſuperſtitionem abierit.

1. Cor. 13. Si tradidero corpus meũ, ita ut ardeam charitatẽ aũt non habuero nihil mihi prodeſt.

VIA VITAE.

Quæ eſt ergo iſta uitæ uia? Qui meritum humanum in eccleſia docuerunt, ſtatuerunt bona opera, hanc eſſe uiam, qua perueniatur ad uitam. Hinc inſitũ eſt pectoribus mortalium, cœlum nos mereri oportere, reſpicientes forte ad illa Chriſti: Si uis uitam ingredi, ſerua mandata. Et: Qui fecerũt bona in reſurrectionem uitæ, qui uerò mala, in reſurrectionem iudicij. Quidam crucem uolunt eſſe hanc uiam, eò quòd ſcriptũ ſit: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnũ cœlorũ. Illi conditionem huius uiæ faciunt ipſam uiam, in quo errant. Ipſa enim uia, quæ ducit ad uitam, nulla eſt alia, quàm fides in Chriſtum Ieſum, per gratiam iuſtificãtis Dei. Hinc Chriſtus toties: Qui credit in me habet uitam æternam. Et Rom. 1. Iuſtus in fide ſua uiuet. At hæc fides otioſa non eſt, ſed efficax per dilectionem, ex qua ueluti fonte fluunt bona opera. Deinde, & ex illa naſcitur illa patientia in adflictionibus, quæ in hac uita obtingunt.

Ro. 1.

QVARE HAEC VIA SIT STRICTA.

3 Tertio, Videndum, quare dicatur hæc uia uitæ à Chriſto ſtricta. Quidam hoc ita intelligunt, ac ſi dicat: eam eſſe moleſtam & laborioſam, unde figmentũ illud natum eſt de Tondalo, qui uiam inuenerit uix unius pedis ſpacio, deinde acutis ſudibus plenam, & neſcio quæ huiuſmodi. Chriſtus uerò nihil horum hic agit propriè. metaphoram habet, qua oſtendit hanc uiam, quæ ad uitam ducit, eſſe ita obſcuram, ita humilem, ita tectam, ut humanæ rationi nihil uideatur minus, quàm eſſe uiam uitæ. Atq; hoc eſt, quod dicit: Et pauci ſunt qui inueniũt eam, ut intelligas, eũ nihil aliud dicere, quàm hanc uitæ uiam nemini patere, à nemine inueniri, niſi diuinitus oſtendatur. Hinc alibi dicit: Nemo uenit ad me, niſi pater qui miſerit me, traxerit eum. Et nemo cognoſcit filium, niſi cui pater reuelauerit.

DVO HIC ADMONEMVR.

1 Primo, qua diligentia ſit quærenda hæc uitæ uia, & qua gratiarum actione inuenta adeunda, quamq; caute obſeruanda ueſtigia ſint hîc Prophetarũ, Patriarcharum, Apoſtolorum, Chriſti in primis. Vide Hebr. 11. illa diligenter ſunt obſeruanda. Es gilt hie nit uil umb ſich gaſſen nach anderen dingen.

Vide Pſal. 25. 119. quomodo Dauid oret doceri ſe uiã Dei.

2 Deinde, Non aſpiciendum, quanta ſit diſſentientium aliterq; ambulantium multitudo. Eſt autem hic duplex cauendum ſcandulum: unum ab ipſa uia uitæ: alterum à multitudine pereuntium.

Non hic uidendum, quò ambulent alij, quantaq; multitudine & frequentia, ſed obſeruandum, quæ ſit uoluntas Dei in uerbo ſuo, quam habes Ioh. 6. & 1 Theſſ. 4.

Figura egredeuntium ex Aegypto.

Item ab exemplo Abrahæ exeuntis de Caldea.

Cauete à Pſeudoprophetis.

Poſteaquàm ſuos admonuit, ne offendamur uiæ illius quæ ad uitam eſt, obſcuritate & anguſtia, neq; eorum multitudine, qui latam et amœniorẽ ambulant, ſed conſtanter cœptam teneamus, utut arctam & obſcuram, certi quòd ad uitã ſimus peruenturi decurrentibus alijs ad perditionem: iam ex ordine addit cautionem contra periculum falſorum Prophetarum, ab hac uia abducentium. Quàm primum enim Satan ab iſta uitæ uia nos nec tyrannide huius ſeculi, nec ſcandalo multitudinis, latam uiam ambulantis, nec uarijs carnis noſtræ illecebris abducere ſe poſſe ſentit, per pſeudoprophetas inſtructus, nos tentat, an per illos uoti queat compos euadere. Nouit enim quò tendat hæc fidei noſtræ uia, unde totus in eo eſt, ut ab illa nos ſeducat.

Ab hac uia uerò non poterit nos facilius abducere, quàm per falſos doctores, quibus intromiſſis & auditis, labefactetur puritas doctrinæ ſanæ. Idq; tum facit potiſſimum, quando aliquanto maiore ſtudio ueritas in Eccleſia obtinere cœpit. Tum enim mittit & crebriores & peſtilentiores. Mat. 24. & 1. Ioh. 4.

Quoniam uerò Chriſtus illud ſciebat euenturũ ſuis, uiſum eſt illi aliquanto fuſius huius admonere. Ideò dicit: Cauete uerò uobis à pſeudoprophetis. q. d. Ingens bonum eſt, Prophetas bonos habere. Verum ſcitote, non omnem eũ eſſe uerũ Prophetam, qui hoc ſimulat. Sunt et enim & falſi Prophetæ. Iam quantũ eſt bonũ boni, tantũ eſt malũ mali Prophetæ. Scitis quid uſuuenerit patribus ueſtris per falſos Prophetas. Proinde cauete uobis ab

Notandum quod non dicit: cauete à pſeudochriſtianis, ſed à pſeudoprophetis.

illis. Nolite audire, sed fugite uelut certissimam pestem.

QVID NOBIS HIC SIT notandum.

Primo, Quòd dicit: Cauete uobis, satis puto ostendit posse incautis ac simplicioribus periculum esse à pseudoprophetis. Nisi enim hoc sit, quid opus fuisset admonere? Iam quæ est quorundam insania, quòd putant nihil referre, quid quisq; doceat, et euulget, eò quòd Christus dicat Ioh. 10. Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis, nec peribunt in æternũ, neq; rapiet eas quisquàm de manu mea? Quasi ideò temerè sit agendũ, & quæuis mendaciã toleranda in Ecclesia dei, nihilq; sit à falsa doctrina periculi: uerum est, quod Christus ibi dicit. Interea tamen & hoc uerum est, quod Mat. 24. dicit: Et multi Prophetæ surgent, et seducent multos. Et non frustra est, quod hic admonet ab illis cauendum. Persistent quidem electi. Verum interea tamen etiam cauebunt uocem alienorum, Ioh. 10.

Ioh. 10.

Satan non solũ quærit, ut seducat per pseudoprophetas, sed ut & efficiat, ut ueri quoque suspecti facti non recipiantur. 1. Ioh. 4.

Non est autem melior modus cauendi pseudoprophetas, quàm si ueritatem Dei & amauerimus, & ex corde quæsiuerimus. Illud si fuerit, non feret dominus suos decipi. Si uerò ueritatem non amauerimus, mittet dominus spiritus erroris, per quos decipiamur. Vide 1. Reg. 22. quomodo deceptus sit Achab. Sic Iudæi, quia nolebant audire ueros Prophetas, sortiuntur pseudoprophetas. Et Paulus 2. Thess. 2. hoc satis exprimit.

Rursus etiam hic notandum est, ex hoc loco colligi non posse, mox reijciendũ esse quemuis, antequàm probetur quid tradat. Non hoc dicit. Sed cautum uult esse quemuis, ne uel mox recipiat quiduis, uel mox incognita damnet. Nam hoc pacto, non solum recipietur aliquando pseudopropheta, sed & usuueniet subinde, ut uerus quoq; reijciatur. Proinde Paulus dicit: Omnia probate, & quod bonum est tenete. Et: Probate spiritus, utrum ex Deo sint.

1 Thess. 5
1 Ioh. 4

Notandum etiam, hic non bene considerare eos profectum Ecclesiæ, qui ex hoc loco conantur astruere, non pertinere ad Magistratũ, ut falsam doctrinam abroget in Ecclesia, etiam cognitam, satis esse si admoneatur populus, ut ab illa sibi caueat. Verum est quidem, Christus hic nõ dicit: Tollite è medio uestri pseudoprophetas: sed cauete. Iam quid aliud illis diceret, nondum eam potestatem habentibus, ut pseudoprophetis tollerent, quam postea adepta est Ecclesia? Satis habuit admonuisse, ut uitentur. Vnum dedit dilectionis præceptum. Hoc si seruatum fuerit, admonebis tu proximum, & facies ad salutem proximi quæ poteris. Idem faciet & Christianus magistratus. Deinde præceptum illud de tollendis pseudoprophetis in lege datum, non sustulit. Apostolus uerò scribit Ecclesiæ: Auferte malũ de medio uestri. 1. Cor. 5.

Qui ueniunt ad uos.

Secundo, ut exprimat à quibus pseudoprophetis nobis sit potissimũ cauendum, addit: Qui ueniunt ad uos, hoc est, ab illis, qui se uobis cõiungent, qui uestræ partis esse se simulabunt. Potest enim esse, ut sit pseudopropheta, qui ad Christianos non ueniat, sed contra illos apertè pugnet, quales fuerunt & gentiũ & Iudæorum. De illis facile sibi cauere poterunt Christiani. Christus uerò hic loquitur de illis, qui simulant se eandem arctam uiã ingredi ad uitam. Hic difficilis est cautio, & tamen maxima tentatio. Primo, simulantem eandem religionem, eodem itinere ingredientem, quis facile fugiet? Deinde Prophetæ nomen præ se ferentem, quis piorum facile uitabit, cum scriptum sit Ephe. 4. Deum in Ecclesia posuisse Prophetas quosdam, & autoritas Prophetarũ etiam ex ueteri Testamẽto sit sacrosancta? Tertio, quis nõ audiet, prætexentẽ uerbũ & nomẽ Dei?

Notandũ etiam, quomodo describat propriũ pseudoprophetarum, in eo quòd dicit: Qui ueniunt ad uos: quo ostendit illos ultrò cursuros & uenturos, non uocatos, nec missos, id quod de pseudoprophetis ueteris etiã testamenti legimus dominum conqueri: Currebant, inquit, & ego non misi eos.

In uestimentis ouium.

Tertio, Simulationem & hypocrisim illorum notat, Quid est autem aliud uenire in uestimentis ouiũ, quàm ouem simulare, cum nihil sis minus? Hoc est, aliud simulare, quàm reuera sis: Christianum, cum non sis: Prophetam, cum non sis.

Intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

Quid periculosius ouiculis, quàm lupum rapacem intra stabulũ recipere, idq; ouilla ueste tectum? Lupus ipso conspectu, terribilis est ouibus, & natiuam habet aduersus oues rapacitatem. Manifestus lupi occursus, uix sine damno cauetur, quid fiet, si occultus fuerit, ouilla pelle tectus?

Notanda hic hypocrisis mendicantium monachorũ, qui uestimentis ouium, speciem pietatis præseferentibus, totum orbem deceperunt, & ouile Christi miserè uastarunt. Item de lupis grauibus, quos prædixit Apostolus Act. 20. non parsuros gregi.

DE RAPACITATE PSEVDOprophetarum.

Ex fructibus eorum cognoscetis eos.

Quia iusserat, ut cauerent, & dixerat esse intrinsecus lupos rapaces, occupatione ostendit, unde cognosci possint. Poterat enim quæri. Iubes ut caueamus pseudoprophetas, qui ad nos ueniant, & dicis eos foris ouilla pelle tectos, intrinsecus uerò lupos esse rapaces. Quomodo nos illos agnoscemus, quibus non quæ intus quisq; occulit, sed ea tantũ nota sunt, quæ foris patent. Quum ergo nobis sint non solum incogniti, sed & ita ueniant, ut oues esse uideantur, quomodo uitabimus incognitos? Respõdet. Ex fructibus eorũ cognoscetis eos. q. d. Nihil opus erit hæsitatione, seipsos prodent. Sie uuerdend die uuolffs ducK nit Kunnẽ uerbergẽ. Der Vuolff ladt sein har uuol, aber seine ducK die laßt er nit. Hinc subdit:

Nunquid colligũt de spinis uuam, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit. Putris autem arbor, fructus malos facit. Non potest arbor bona, fructus malos facere, neq; arbor putris fructus bonos facere. Omnis arbor quę non facit fructum bonum exciditur,

& in

& in ignem cõijcitur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.

Vt probet, quod dicit, inducit similitudinem bonarum & malarum arborum, ex quarum fructibus, quibusuis liqueat, cuiusuis uel bonitas uel malignitas. Vt exempli uice: Quis tam est insanus inquit, qui ex spinis uelit colligere uuã, aut ex tribulis ficus? Quare? Quia una quæq; arbor, non potest alium ferre fructum, quàm qui naturæ suæ, siue bonæ, siue malæ conueniat, bonum bona, malum mala fert. Imò nõ potest fieri, ut non ferat bonum bona, malum mala. Atq; id adeò est cognitum, mortalibus, ut malam arborem fructum bonum non ferentem, nõ ferant in hortis. Sine omni hæsitatione illam excidunt, & uelut inutilem in ignem conijciunt. Per omnem modum ita se res habet, & in hac causa. Propheta bonus, instar arboris est bonæ. Is cognoscetur mox ex fructibus ipsius, quibus quo sit ingenio præditus aperte satis prodet. Pseudopropheta, instar arboris est malæ, qui & ipse nõ minus quàm arbor mala ex fructibus non bonis cognoscetur. Tam enim nequit naturam ingenij sui occulere Propheta, seu bonus seu malus, quàm arbor bona non potest alios quàm bonos, & mala alios quàm malos fructus proferre.

Est enim uis argumenti huius, quo Christus utitur in hoc, ut probet uim ingenij nõ posse in homine latere, seu bono seu malo, ita ut non sit opus cordium penetralia scrutari, sed obseruandos esse fructus, qui sese produnt. Nequit enim ullus fucus diu persistere, sed subinde recurrit uiuax ingenium & natura. Ideò cum posuisset exempli uice spinas & tribulos, qui nequeant uuas ac ficus ferre, subdit: Sic omnis arbor &c. q. d. Id quod dico de spinis ac tribulis, sentiendum item est, & de quibusuis arboribus. Ita uidelicet de quibusuis hominibus, quorũ quisq; se suo ingenio quis sit, prodet. Et mox addit: Non potest arbor bona &c. ne putemus satis esse posse hoc ita fieri, ut ex mala arbore prodeant mali fructus: sed, ut sciamus aliter fieri non posse. Atq; ita tam certo cognosci posse ex fructibus ipsius pseudoprophetam, quàm certo ex malis fructibus malas arbores.

Cognoscetis Reuersus ergo in orbem, colligit. Itaq; ex fructibus eorum cognoscetis eos. Vbi notandum, quod non dicit: cognoscite, uel uidete ut cognoscatis, uel potestis cognoscere, sed constanter & assueueranter: cognoscetis eos inquit. q. d. Nihil opus erit magna diligentia, magna sollertia & industria, ad exquirendum illorum ingenia, quatenus eos cognoscere queatis. Cognoscetis enim eos, idq; ex fructibus, quales proferent, nolint uelint. Dum taxat hoc uidete, ut cognitos caueatis.

Admonemur ergo hic, nullam esse nobis excusationem coram Deo, sicubi uel nos, uel maiores nostri per pseudoprophetas in uestimentis ouium subingressos, decepti sumus uel decipiemur aliquando. Tantum enim indiciorum ex fructibus se dederunt perpetuo, ut uel palpari potuerit, quid hoc hominum genus quæsierit, uel quærant etiamnum, modo ex animo ueritas uerbi Dei quæsita fuisset: nam ultro sese illorum mali fructus obtulerunt. Verum eò deuenimus insaniæ, ut scienter & prudenter defendantur, quorum negare non possumus malos ac putres fructus. Vide Distinctione 40. canone, Si Papa.

Si quis ostendet qui sint illi mali fructus, ex quibus cognoscantur pseudoprophetæ & falsi pastores?

Respondeo, Potes ne cognoscere, quæ sit inter pastorem & lupum differentia, qui fructus lupi, qui pastoris? Quis adeò stupidus est, qui quum uideat rapacitatem, non agnoscat lupum, utut uestis ouem simulet? 1. Reg. 3. Vide indicia Salomonis de ingenio matris.

Videmus ergo hoc loco, quo iudicio sit discernendus à uero Propheta, & pastore falsus: nimirum rapacitate. Tribuit enim hic Christus Pseudoprophetis rapacitatem. Hoc est, omnem fraudem, dolum & auaritiam. Tales enim sunt, qui in ouili Christi nihil aliud quærunt, quàm seipsos. Et ut se uenditent pro pastoribus, ouillam uestem induunt, ut lupum tegant extrinsecus, quem intus fouent. Rapacitas, signum lupi.

Quod uerò sit ingenium pseudoprophetæ & falsi pastoris, non potest melius cognosci, quàm ex ingenio boni. Bonus uerò pastor qui sit, habes Ezech. 34. & Iohan. 10. Et Ioh. 21. satis indicat Christus, quid requiratur à bono pastore, cum tertio rogans Petrum: Petre, diligis me, pasce oues meas, tanto serio à futuro pastore amorem sui, & ouium suarum pasturam requirit. Hinc liquet ingenium pseudoprophetarum, et falsorum Prophetarum esse diuersum: nempe auarum esse, rapacem, & sui ipsius amantem, falsum pastorem, qui seipsum quærat, non oues. Declarandũ, quæ sit uera rapacitas. Sciebat enim & Paulus abundare. Qui nõ quærit, & quod datur candide impertit. Qui contentus est, quisquid habeat, is rapax non est.

Hoc tributum est in ueteri Testamento pseudoprophetis. Vide Esaiæ 56. Hieremiæ 6. 23. Ezechielis 22. 34. Micheæ 3. Et Christus Lucæ 16. tribuit pastoribus auaritiam. Et Paulus Romanorum 16. 2. Corinthiorum 11. 12. Philippenses 3. 4. 2. Timoth. 3. Titum 1. Et Petrus capite 2. epistola 2.

Sed ista parum haberent forsan momenti, quantum attinet ad terrena bona, quæ quæsierunt & ad se rapuerunt, nisi cœlestia bona quoq; per illos essent populo Dei erepta, ac ueritatis uia occlusa. Parum esset, quòd ipsi regnum cœlorũ nõ ingressi sunt, nisi & ipsum ante homines clausissent, Mat. 23.

Nam dum auaritiam suam sequuntur, idq; sub pietatis specie, quid aliud accidere potest, quàm quod Petrus dicit: fictis uerbis inquit, de uobis negociabuntur?

Sic faciebant & pseudoprophetæ apud Iudæos. Item sacerdotes illorum. Mat. 15. Et nostri qualem Dei cultum finxerũt? Deinde quales laqueos tetenderũt, indulgentias, purgatorium, uigilias, & Missas pro mortuis, opera supererogata. Et in summa, rem eò deduxerunt, ut obscurata redemptionis nostræ gratia, qua per Christum Iesum gratuito redempti credentes, uitam habent æternam. Nemo cogitârit aliud, quàm uel sibi, uel promerendam esse uitam æternam, uel omnino pereundũ. Hæc est ipsissima diabolica perditio, qua totus ferè Christianismus deprauatus est.

Deinde, quoniam sordet ueritas, imò offendit etiam & odium sui parit, arridetq; nihil, quàm quod affectibus nostris conuenit, iudicio domini fit, ut loco ueritatis dentur spiritus erroris. Hoc iam potissimum uidemus apud plerosq;, ut primum apud se concipiant, quæ placeant.

placeant. Deinde consulant uerbi ministros, non ut illis
1. Reg. 22. obediant rectè monẽtibus, sed ut astipulatores habeant
Ezech. 13. suorum affectuum. Sic habes historiam 1. Reg. 22. in Achab. Et istud quoq; est, quod Ezech. 13. legimus, de illis qui murum populi cemento oblinebant, & sub unumquenq; cubitum ceruicalia ponebant, hoc est, populo Israëlis in Deum peccanti, mendacijs suis pacem promittebant. Quare? Quia & tum ueritas odium pariebat. Nolebant ueros Prophetas audire, audiebant ergo falsos, id est, eos, qui iucunda prædicabant. Idem futurum fuisse Christianis legimus, 2. Timo. 4.

gratuitatem

Sed iusto Dei iudicio accidit, ut qui gratuitatem Christi redemptionem, cum ueris illius prædicatoribus, Apostolis & pastoribus gratis amplecti noluerunt, quemadmodum perpetuo solent, quæ gratis offeruntur contemni: acquirerent tales, qui imperiosè dominarentur, qui expilarent, qui mendacia ac ipsissimam perditionem, idololatriam, & omnẽ impietatem magni uenderent, qui raperent, & percurrerent. Vide quid tempore Pauli acciderit, 2. Cor. 11. 12.

In summa: Quoniam non placet ueritas, ueritas, inquam illa salutaris quidem, sed carni non admodum iucunda, maluntq; homines ea sibi dici, quæ tolerabilia sint & plausibiliora, iudicio domini fit, ut in reprobum sensum datis, adsit spiritus erroris.

Deinde, quia ueritas etiam gratis oblata sordet, gratia Dei ultro allata contemnitur: rectè fit, ut mendacia & ipsa perditio magno sumptu ematur & seruetur. Et quia patres ac pastores ludibrio habentur: rectè comparatum est, ut tyranni succedant & lupi.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum.

Horum uerborum occasione, adhuc quædam notanda uidentur.

Primo, Quòd non dicit: Omnis arbor, quæ facit fructum malum, exciditur: sed, quæ non facit fructum bonum, excidi tur, et in ignem mittitur. Per similitudinem arboris infrugiferæ, quam in hortis suis nemo prudens facile feret, instruit nos: ne tales inter se feramus Prophetas, qui fructus bonos non adferant. Si tales uult caueri, quid faciendum de illis, qui malos etiam fructus ferunt? Arguit enim hac similitudine ad hunc modum: Videtis, quid fieri soleat cum arbore infrugifera, bonos fructus nõ ferente? Non toleratur in horto, sed exciditur. Quid si etiam malos attulerit fructus? Quanto tum magis excidetur. Tum enim duplici nomine noxia est. Primum, quòd locum occupat, quem habere debebat melior & frugifera, id quod mala arbor cum infrugifera commune habet, unde & ipsa mala dicitur. Alterum, quòd & malis fructibus etiam damnũ adfert. Sic habent & prædicatores & Prophetæ falsi. Qui inutiles sunt simpliciter, nullum bonũ fructum adferentes: hoc nomine mali sunt, quòd locũ occupantes boni pastoris, quod sui erat officij, non faciunt. Quemadmodum non solum is pastor malus dicitur, qui pecudes uorat & furatur, sed & qui non diligenter pascit. Malos uerò fructus etiam ferens duplici nomine malus est, cum quod bonis fructibus non iuuat Ecclesiam, tum quòd malis etiam perdit. Si hìc non ferendus, quanto minus iste? Et ut ferantur in Ecclesia, certè בר שחת illorum est, excidi, & in ignem mitti quod olim illis usueniet. Vide Matth. 25. Inutilem seruum inquit, proijcite in tenebras exteriores. Atqui is pecuniam non perdiderat, tantum nihil fructus attulerat. Et sal infatuatus hac ratione proijcitur, & conculcatur, non quòd obsit corrumpendo, sed quòd nõ prosit à corruptione præseruando. Hoc est, non id præstet, quod sui erat officij.

Christus certe ideo discipulos misit, ut fructũ adferrent. Ioh. 15.

Nota.

Sed ô misera & horrenda tempora. Non toleratur, qui nominetenus tantũ ouium pastor est, oues uerò non pascit, nõ fertur, qui de artificis & ædificatoris nomine duntaxat gloriatur, nihil habens de arte ædificandi, non sustinetur, qui ludimagistri tantum nomine præferens, pueros nescit erudire, & fertur: imò defenditur, qui non solum pascere, nec scit, nec uult, sed & perdit etiam gregem domini, qui ædificare domum dei nõ solũ nõ nouit, sed destruit etiam: qui Ecclesiam Christi non tantum non erudit, sed & seducit, duntaxat nominis gratia, quòd hic pastor, hic Episcopus, hic præsbyter, hic doctor dicitur, titulo duntaxat insignis. Quid hoc allatiũ sit, quis non uidet?

Quod si probare quisquàm, & Ecclesiæ Christi testatum facere potest, esse eos, qui hodie Christum prædicant inutiles arbores, atq; adeò locum bonorum pastorum, inaniter occupare, non solum censemus eos eijciendos, sed & puniendos, bonosq; in locum eorũ substituendos. Sit illud in potestate Ecclesiæ, ut si comprehenderit eos malos ferre fructus, uel si non malos quidem uerum non bonos etiam, imò non solum si probatum fuerit, uel utrunq; istud, uel aliquod horum: sed etsi poterunt meliores etiam haberi, iustum est, ut isti amoueantur. Ministrorum enim est, non solum Ecclesiam non perdere, sed & non negligere, imò à melioribus etiam non impedire.

Verum quod attinet ad fructus bonos uel malos, uel ad sterilitatem, non credendum est quibuscunq; Ecclesiæ turbatoribus. Nolumus enim ab illis iudicari, qui ex professo sanæ doctrinæ sunt hostes, nisi quod obloquuntur Ecclesiæ nostræ, testatum & apertum faciant.

Imputatur etiam uerbi ministris, omnia per eos facta esse perditiora, interea dũ hanc illorum doctrinam populus audierit. Quibus respondendum, nõ esse malos fructus istos ex sana doctrina: sed partim ex præiactis animorũ impietatibus, quas populus hausit ex falso cultu & pessima hypocrisi, quã posteaquàm lux uerbi Dei remouit, iam incipit deprehendi, quid in cordibus multorum antea latuerit. Iam qui impietatem prodit, & in lucem producit, tam non est culpandus, ut magis sit laudandus. Non enim is eam peperit, sed qui illam seminauit, partim dicimus, malos illos publicæ temeritatis & insolentiæ fructus, quantum attinet ad aperta facinora, ex culpa esse negligentis magistratus, qui, quũ nec confessam impietatem tollit, nec ueram pietatem per Ecclesiæ disciplinam plantat, fortibus & euidentibus indicijs huiusce mali culpam in sese transtulisse prodit.

Tertium, in genere notandum est omnibus, si omnis arbor, etiam non fructum bonum, taceo malum, ferens, exciditur,

exciditur & in ignem mittitur, quid unicuicuiq; sit timendum. Pleriq; satis putant ad salutem, si nihil mali fecerint, sed à malo se custodierint. Verum hic uidemus non esse hoc satis, sed requiri etiam bonos fructus. Non enim infrugiferos palmites uult hæc uitis, quæ Christus est, Ioan. 15. in qua etiam frugiferi purgantur, ut plures fructus ferant. Vide Luc. 13. Et Matth. 25. maledicti dicuntur, nõ qui pauperibus bona sua eripuerunt, sed qui non pauerunt illos, & misericordiam indigentibus impenderunt. Quid ergo cum illis fiet, qui etiam malos fructus ferunt?

Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnũ cœlorum, sed qui facit uoluntatẽ patris mei qui in cœlis est, iste intrabit in regnum cœlorum.

Quoniam quæ iam dixerat propter allegoriam obscuriora erant rudibus, iam apertius eadem dicit: ostendens de quibus pseudoprophetis loquatur: nempe non de ijs qui ex professo sunt aduersarij, sed de illis, qui suo se nomine uenditaturi essent. Atq; ideò dicit: Non omnis qui dicit mihi: Domine domine intrabit in regnum cœlorum. Hoc est. Non omnis qui me Dominum suum uocat, mox uerè meus erit atq; ideò audiendus. Nihil enim aliud est Christo dicere: Domine Domine, quàm se seruum Christi simulare:

Et quod dicit: Intrabit in regnum cœlorum. Ostendit non omnem eum uerè suum esse ministrum, qui hoc simulet, qui Dominũ suum se uocet. Futuros multos qui quum nullam habeant partem regni dei, quiq; nihil minus sint, quàm ueri serui sui, nihilominus tamen ad seducendos simplices specietenus ministros se regni cœlorũ sint simulaturi. Verum illis nullum fore locum in regno Dei, tanquam non ueris seruis, sed impostoribus.

Regnum cœlorum.

Est autem hic regnum cœlorum sumendum non pro Ecclesia in terris adhuc existente, quemadmodum capitur, Matth. 13. & alijs quibusdam locis, in qua potißimum potiores habẽt, qui tales sunt fuci, sed pro uita illa æterna & futura.

QVID HINC ADMONEAMVR.

Admonemur ergo hoc loco potißimum esse cauendos eos, qui cum partem in regno Dei non habeant, tanquam non ueri Christi ministri, nihilominus tamen, quo incautos seducunt, nihil magis in ore habent, quàm Christum. Christi se ministros simulantes, idq; apud eos, quibus Christus magni est, quatenus sese sub Christi nomine uenditent. Quis uelit eos audire, qui cum nihil habeant in regno commune, nihilominus tamen sese regis ministros esse prætexãt? Ita uult Christus, ut fucos illos auersemur. Atq; ideò cum deberet dicere. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, mox est pro ministro meo suscipiẽdus & audiẽdus, sed dicit: Nõ omnis qui dicit mihi Domine Domine ingredietur in regnum cœlorum. q. d. Proinde non mox suscipite quemuis nomen meum prætexentem, nisi uelitis incidere in illos quibus mecum, & cum regno meo nihil est commune.

Notat ergo non obscure eos, qui cum se ipsos quærant, Christi nomen prætexunt, apud eos quibus Christus in precio est, ut uideatur Christum suscepisse, à quo fuerint susceptí. Et ut diligenter eos notet, non semel tantũ dicit: domine. Sed ingeminat illam dictionem, ut magnam exprimat hypocrisim, eorum qui appropiant domino labijs suis, cũ corde sint remotißimi. Tales erãt illi tempore Esaiæ, Esa. 29. et tempore Christi. Mat. 15.

Sed qui facit uoluntatem patris mei, qui in cœlis est, ille intrabit in regnũ cœlorũ,

Quum Christus nihil uelit aliud dicere, quàm eum solũ regnũ Dei ingressurum esse, qui non tantum uerbo dicat: domine, domine, sed qui & ipso opere se uerum suum ministrũ exhibeat. Quærit hic Chrysost., cur non dicat: Sed qui facit uoluntatem meam, et respondet illud fieri propter infirmitatem audientium, quibus nondum cognitum fuerit, eandem esse Christi & patris uoluntatem. Atq; ideò ponere illud, quod minus erat daturũ scandali. Verũ quàm simplicißimè loquitur. Erat missus in hanc terram, ut patris uoluntatem faceret. Sic habes Ioh. 4. 5. 6. non suam. Ad hoc elegit ministros, qui ea in re illi seruirent. Imò si uerè excusserimus, non potuit aptius ostendere & inculcare, patris uoluntatem facere eum, qui Christum dominum non solum uerbo, sed & reipsa coluerit, sibiq; ex animo ministrauerit. Iuxta illud, qui me suscipit, non me suscipit, sed eum qui misit me. Et sermo quem loquor, non est meus, sed eius, qui misit me, patris.

Vt ostendat igitur, qui sint ueri ministri, atq; adeò suscipiendi & audiendi, dicit: Sed qui facit uoluntatem patris mei, ipse ingredietur in regnum cœlorum.

QVID HIC SIT NOTANDVM.

Exprimitur itaq; his uerbis ueri et genuini ministri Christi ingenium, qui totus in hoc est, ut ex animo Christo seruiat, nihil quærens aliud, quàm ut regnum Christi promoueatur. Is autem totus est in exequenda diuina uoluntate. Proinde non hic exprimit, quæ sit illa patris uoluntas, sed hoc tantum agit, ut studium diuinæ uoluntati obsequendi exprimat, quo prædtus est genuinus Dei minister, qui, quod agat, in mandatis habet, illudq; summo conatu facit.

Potest auten esse, ut notanter ista discipulis dicat, quo animis ipsorũ fiduciam illam uanam eximat, quam forte in eo collocauerant, quòd discipuli essent Christi. ut ostendat non satis hoc esse. sed exigi, ut uerè & ex animo paternæ uoluntati studeant, ut his quæ in mandatis essent acceptari. Quis enim Imperator satis habet audire à ministris ac præfectis suis: Imperator, Cæsarea maiestas, serenitas, et id genus alia, sine omni exequendi sedulitate? Quis pater hoc ferat in filio? Quis dominus in seruo? Quis maritus in uxore?

QVID NOTANDVM IN genere omnibus.

Quonian & nobis propositum est regnum ingredi cœlorum, non erit putandum non pertinere ad omnes, quòd dicit: Non omnis qui dicit mihi: domine, domine, sed qui facit uoluntatem patris mei, iste ingredietur in regnum cœlorum.

Est autem hoc loco notandum, quomodo quæ patris sit uoluntas, non per somnium nobis humanæ cogitationis, sed per indubitatum Dei uerbum sit perdiscendum,

Lucerna pedibus meis uerbum tuum, inquit Propheta.

Deinde, quomodo unicuiq; obseruanda sit uoluntas Dei, quantum attinet ad conditionem status, & uocationis ipsius, idq; non solum, quid Deo immediate, sed & quid hominibus debeamus ex ordinatione diuinæ uoluntatis. Qui ad obediendum sunt proni & prompti, non solum ad uerba, sed & ad nutum parati sunt. Væ nostræ superbiæ. Contra aperta uerba dei disputamus hodie, uoluntatemq; diuinam iuxta nostræ prudentiæ rationem metimur. Idq; hodie faciunt illi potissimum, qui quosuis hoc nomine præ se contemnunt, quòd uoluntatis diuinæ studiosi sint præ alijs. Illi in rebus à Deo præceptis immorigeros se ostendunt, aut saltem non planè se, quod Deus præcipit facturos promittunt, diuerticulũq; malicię suæ, & carnalis libertatis prætextum quærentes, dicunt: Si Deus uoluerit, hoc faciam: interea nihil promitto, obicientes illud Iacobi 4. Ecce nunc qui dicitis: hodie aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoratis quid erit in crastinum. Quæ est enim uita uestra? Vapor est ad modicũ patens, & deinceps exterminabitur. Pro eo dicatis: Si dominus uoluerit, & si uixerimus, faciemus hoc aut illud. Atqui hoc loco Iacobus arguit eos, qui temerè quiduis præsumunt, quod ex diuina uoluntate esse liquido non sciunt, nihil ad diuinam uoluntatem respicientes. Secus uerò est in ijs rebus, quæ diuinitus sunt præcepta, quæ ex uoluntate Dei per uerbum Dei nobis prodita facere tenemur. Hic quid opus est tergiuersari? Quid opus dubitare, num promittere debeas facturũ te, quod Deus, ut facias præcipit? Et ubi quid præsumitur, cuius non habetur certa Dei uoluntas, hic rectè adijcitur: Si quidem uoluntas dei fuerit, quemadmodum & Paulus ad Corinthios cap. 4. prioris epistolæ facit. Sciebat quidem uoluntatem dei in eo, quòd ministerium suum in genere concernebat. Verum an uenturus esset denuo Corinthũ, ignorabat, num diuinitus ita destinatum fuerit. Proindè rectè addebat: Si uoluntas Dei fuerit.

Quæ est itaq; quorundam nostri temporis insania, qui cum tales uideri uelint, qui perfectè uoluntati Dei studeant, & obsequantur etiam: adhuc tamen dubitant ea, quæ ex uerbo Dei diuinam uoluntatem referunt, facturos se promittere? Quid hoc aliud præfert, quàm animum non uerè, sed ad speciẽ uoluntati Dei studentem?

Animus uerè pius, uoluntatiq; Dei obsequens, non solum ea præstat, quæ expresse per uerbum Dei uoluntatem Dei manifestant. Sed & ea, quæ utcunq; ex uerbo Dei colliguntur: quemadmodũ boni serui est, non solum uerbis heri sui expressis, sed & nutibus illius obsequi.

Notandũ etiam hoc loco, quid uerè sit in uerbo Dei uoluntatem Dei spectare, contra eos, quimox, ut literæ corticem habuerint, putant se uoluntatem Dei habere. Ostenditur quidem uoluntas Dei per uerbum Dei, sed tum, quando sensus Dei in uerbo eius deprehenditur. Non mox uoluntati dei repugnat, qui non quemuis sensum, pro quo digladiantur pleriq; arripit. Notandi sunt hic Anabaptistæ de Baptismate, de iuramento, de magistratu, &c.

Multi mihi dicent in illo die:

Contra magnam tentationem futuram præmunit suos hoc loco Christus, ne uidelicet protinus credãt quibusuis, etiam in nomine suo miracula facientibus. Futuros enim, qui miraculis ita sint cõspicui futuri, ut nemo aliud putet, quàm certissimos eos esse regni Dei ministros, quum tamen nunquàm illos pro suis agnouerit.

Multi.) Si diceret aliqui, minore fortasis fuisset cautione opus. Sed cum dicit: multi, satis ostendit, quàm debebamus esse solliciti.

Dicent mihi in illo die.) Diem non nominat. Significat autem eum qui futurus est in fine seculi, quo separabũtur boni à malis, & reuelabũtur omniũ secreta.

Domine, nónne.

Explicat hic etiam eorum ipsorum fiduciam & securitatem, qua se putabant certissimos esse de regno cœlorum, ita, ut stupeant se reijci: nimirum, quòd nihil huius cogitauerint unquàm. q.d. Quî fit, quòd nos reijcis, cum tot uirtutes in nomine tuo fecerimus. Debebamus esse primi, quos intromitteres, & ecce planè nos expellis.

In nomine tuo prophetauimus.

Ne putent de miraculorum patratoribus dici, quos & Iudæi habuerunt & gentes: sed de illis, qui sub nomine Christi miracula essent edituri. Sunt enim & fuerunt in omni religione tales, qui & futura prædicerent, & dæmonia eijcerent.

Et uirtutes multas fecimus.

Vt ostendat se loqui de illis, qui non semel atq; iterum miraculum sint edituri: sed multis potentibus uirtutibus illustres futuri.

Tunc confitebor illis. Hoc est, tunc palam illis faciã et extra dubiũ, me nũquàm illos agnouisse. Est enim illud ὁμολογήσω nihil hic aliud, quàm declarabo.

Quia nunquàm noui uos.

Notandũ, quòd non dicit: non noui uos, sed nunquàm noui uos. Quibus uerbis fortissimam quandam et omnimodam exprimit abnegationem ac reiectionem. Vbi etiam obseruandum, quàm nihil ad Christum attinuerint, etiam dum miracula faciebant.

Discedite à me oẽs operarij iniquitatis.

Quidam putant hunc uersiculum ex Psal. 6. desumptum. Sed admirandum, quomodo uocet illos, qui prophetarunt, dæmonia eiecerunt, uirtutes, easq; non paucas, fecerunt: malos operarios. An prophetare, dæmonia eijcere, uirtutes multas facere, malum operari est? Quomodo tuebimur Apostolos, & Christum ipsum? Proinde notandũ est hoc loco, quid sit malus operarius. Malus operarius est,

Malus operarius. 1

Primo, qui quæ mala sunt facit. Sic sunt omnes, qui praua opera designant, Mat. 24.

Malus seruus. 2

Deinde etiam ille, qui bonum non facit, quod debet. Sic qui talentum concreditum abscondidit.

3

Tertio. Qui bonum quidem facit, sed animo malo, subdolo, & hypocritico. Sic erãt Scribæ & Pharisæi in suis ieiunijs, orationibus, & eleemosynis, de quibus suprà cap. 6. et infrà 23. Neq; enim intelligẽdus est Christus

hic

Hoc est, qui non mihi, sub cuius nomine ista fecistis sed in quo illi Satanæ, & gloriæ seruistis.

hic loqui de adulteris, homicidis, usurarijs, ebrijs, &c. sed de ijs qui sanctimoniæ specie exhibituri erat, & primi omniū habendi, qui ad regnū Dei pertineāt. Sic Paulus falsos Apostolos uocat operarios subdolos, 2 Cor. 11.

QVAE HINC SINT NOTANDA.

Primo. Non immerito quis mirabitur quomodo homines impij, quos Christus nunquā agnouit, posſint tot atq; tanta facere miracula, idq; in nomine Christi. Quidam ita se explicant, ut dicunt illos, cum ista facerent, bonos fuisse, sed postea ex ista miraculorum gloria in superbiam elatos, atq; Deo odibiles esse factos. Verū Christus ipse reluctatur, dū dicit: nunquàm noui uos, quibus uerbis satis ostēdit, istos nunquàm bonos fuisse. Proinde uidendum Paulo diligentius, quid hac in re sit.

Bileam Saul

Primo omnium certissimū est, in malos quoq; ministros subinde uirtutem suam contulisse Deum, quemadmodum uidemus factū in Bileam, Num. 24. Item in Saule 1 Sam. 19. Vnde & prouerbium est: Nunquid & Saul inter prophetas, &c. in Iuda proditore, qui & ipse potestatē accepit à Christo eijciendi dæmones, sanādi morbidos, aliasq; uirtutes faciendi, non minus, quàm reliqui Apostoli, Matth. 10. Idem & de septuaginta discipulis legimus, Luc. 10. quorum tamen, ut est Ioan. 6. multi à Christo defecerunt. Quales & multos adhæsisse Paulo legimus, qui tamen postea ab illo relapsi sunt, quemadmodum ipse subinde queritur omnes quærere quæ sua sunt, nō quæ Christi Iesu. Quos nihil dubitarim pro temporis illius ratione miracula patrasse, prophetasse, dæmonia eiecisse, &c. Voluit enim Deus initio noui testamenti, quemadmodū Iohelis 2. prædictū est, & ab Apostolo Petro Act. 2. usurpatū, de spiritu suo super omnem carnem effundere, efficereq;, ut passim essent innumera miraculorū dona, quibus cœlestis gratiæ, toti orbi inuulgandæ, quasi quædā lux, & testificatio diuini numinis omniū oculos expleret, mētesq; obstupefaceret. Hinc est illud: Domino cooperante, sermonemq; confirmante, sequentibus signis. Marci ultimo.

Iudas

70 discip.

Discipuli Pauli.

Iohel. 2

Act. 2

Ita faciebat & initio ueteris Testamenti sub Mose.

Mar. ult.

Neque enim putandum est, mox beatos fuisse & ad Christum uerè pertinuisse, quotquot miracula per nomen Christi faciebant. Nequaquàm. Vnde & Luc. 10. legimus, Christū septuaginta reuersis, & de miraculorū potētia gloriantibus, respondisse. Nolite in hoc gaudere, quod dæmonia uobis subijciuntur, sed in hoc gaudete, quod nomina uestra scripta sunt in libro uitæ. Et Paulus insolentiam Corinthiorum, quam ex miraculis conceperant repressurus, 1 Corint. 13. omnibus spretis miraculis, unam exigit charitatē. Proinde satis puto liquet ex istis, multos fuisse, qui quum etiam sub nomine Christi, hoc est Christi uirtute, miracula fecerint, ad Christū tamen non pertinuerint, ad quos sit dicturus Christus: Nunquàm noui uos, hoc est, nunquàm fuistis ex ueris meis discipulis. Discedite à me, qui iniquitatem operati estis, hoc est, sub nomine meo uos ipsos quæsistis, rebus uestris studuistis, nihil minus quærentes, quàm regni nominisq; mei gloriam, nisi quantum uobis erat cōmodo.

Luc. 10

1 Cor. 13

EXEMPLVM IVDAE.

Ponamus Iudam uel ante proditionis flagitium ex hoc seculo migrasse, uel proditionem Christi ita subornasse ac perpetrasse, ut reliquis discipulis manserit ad huc incognitum ipsius scelus, quis quæso ipsum non putaret sanctum esse Christi Apostolum? Et tamen Christi nunquàm fuit. Et putamus non fuisse multos huius farinæ, post Christi tempora, quum sacer ille Apostolorum, & exiguus numerus purus non fuerit?

ALTERVM GENVS MIRACULORUM.

Deinde notandum est & hoc. Quoniam teste Paulo 2 Corinth. 11. Satan pro sua astutia in angelum lucis sese transformat, nusquàm non simiam agens operum Dei, quo regni Dei cursum impediat, & quos poterit à uia ueritatis seducat, mox ut uidit lucem illam miraculorum in promotionem credere Euangelij, subornauit & ipse suos Apostolos, quibus synceritatem Euangelij corrumperet. Illis dedit hoc ingenij, ut pro Apostolis Christi sese uenditarent passim. Deinde etiam miraculorum & si qua alia stuporem incautis faciunt, fucum addidit: idq; adeò potenter & copiosè, eaq; uehementia & mendaci specie, ut nihil essent ueri Apostoli illis comparati, qui & tantū effecerūt, ut passim à Paulo reciderēt, quos Christo lucrifecerat. Est ergo aliud etiā miraculorum genus, quod licet sub nomine Christi, nō tamen ad promouendū nomen & regnū Christi, neq; per spiritū Christi, sed spiriritu Satanæ, ad corrumpendū Euangelium Christi perficiebatur. Istud aūt est ex permissione diuina, propterea quod dilectionē ueritatis nō admittebant maiores nostri, de qua re habes, 2 Thessa. 2. Quemadmodū & accidit Iudæis in ueteri Testamāto. Satan enim perpetuo hoc studio fertur, ut ueritatē uel planè apertis impugnationibus tollat, uel occulte uitiet & corrūpat. Sed nō latius quàm quousq; permiserit Deus. Exemplū habes in Magis Pharaonis. Deinde in falsis Prophetis, uerorum æmulatoribus, per quos Satan uerum Dei cultum, qui erat per legem Dei, ad innumerā idololatriā, idq; adhuc sub nomine & cultu Dei, perduxit.

2 Cor. 11

2 Thessa. 2

Ad eum omnino modum & sub Euangelio fecit, cuius integritatem labefecit per eos, qui sub nomine Christi, multis signis orbem à uia ueritatis seduxerunt, id quod nos magno malo experti sumus.

Collectio

Iam quia illi falsi Apostoli & falsi Christi, nihil minus uoluerunt esse, quàm Apostoli Satanæ, & nihil magis quàm Apostoli Christi, idq; ita, ut reliquos omnes præ se damnarent, quemadmodum & nostro seculo uidemus fieri, quis dubitabit illos Christo, per admirationem quoq; dicturos: Domine, Domine, cur reijcis nos? Cur nos non agnoscis? Nunquid nos præcipui sumus ex tuis? Quis enim maiora & plura per nomen tuū fecit? Nunquid in nomine tuo prophetauimus? Nunquid in nomine tuo dæmonia eiecimus? Nūquid in nomine tuo uirtutes, easq; multas, fecimus? Quomodo ergo non agnoscis nos? Sed audiēt: Nunquam noui uos, Discedite à me, operatores iniquitatis, hoc est, ministri Satanæ, iniqui illius, qui per uos, uelut organa sua, iniquitatē suam sub nomine meo perfecit. (Habet & Paulus illam dictionem τῆς ἀνομίας, 2 Thessa. 2.) Mei non fuistis unquam. Accedite eum, cuius ministri fuistis.

Igitur & hinc, puto, satis apparet, quomodo sit intelligendum,

telligendum, quod multi miraculorũ patratores, etiam ſub nomine Chriſti, nihil minus ſint, quàm Chriſti.

Deinde uidemus ex hoc loco prophetiam, eiectionem dæmonũ, & reliquas uirtutes, operumq; mirabilium patrationem nihil conferre illis, qui iſta habent, nõ ideò putandum eos eſſe ſanctos, Deo charos, ad regnum Chriſti pertinentes, multa apud Chriſtum ualentes. Audimus enim hic teſtimonium Chriſti, qui dicit ſe eſſe dicturum in illo die multis ex iſtis miraculorũ patratoribus: Nunquam noui uos. Diſcedite à me operatores iniquitatis. Vnde luce clarius eſt etiã miraculorũ patratores eſſe poſſe operatores malos & iniquos, & miniſtros Satanæ. Iam perpẽdamus, quomodo maiores noſtri per miraculorũ ſtuporẽ ſeducti ſint, ita ut etiam defunctos tanquam amicos Dei coluerint, propter miracula: quaſi miracula certum habeant pietatis argumentum. & quis dubitauerit etiam hodie, ſi tales eſſent, poſt ſe tracturos innumeros?

Tertio. Videmus hic, quo nitantur fundamento, qui purgatoriũ ſuum, Miſſas, cultus Sanctorũ, & id genus, contrà ſacram ſcripturã, miraculorum teſtimonio fulciunt: quaſi credendum ſit quiduis, protinus atq; miracula adſuerint. Et quaſi non ſit prædictũ Satanam adfuturum potentibus miraculis, & efficacibus ſeductionibus, Matth. 24. & 2 Theſſa. 2. Satis præmonuerat nos ſpiritus ſanctus. Sed quemadmodũ reliqua, ita et iſta cõtempta ſunt. Præmonuerat & populũ ueteris teſtamenti Deus. Deut. 13. ſed & tum fruſtra. Et nõ dubito, quin ſi & hodie quiſquàm ex pertinacibus Euangelij aduerſarijs miracula faceret, imò duntaxat ſpeciem aliquam miraculorum exhiberet, nihil efficerent, quotquot uerbi miniſtri ſunt. Videmus enim hoc quaſi peculiare eſſe mundo, ut per impoſturam miraculorũ inſolentium decipiatur. Nihil æſtimat ea quæ quotidie fiũt diuinæ uirtutis & bonitatis inſignia, nihil æſtimat uerbi Dei ueritatem & certitudinẽ, iam toties probatã. Hic putat eſſe omnia diuina, ubi quid præter quotidianũ naturæ curſum accidere uiderit. Et hoc maximè fit in miraculis quæ nihil in ſe habent utilitatis, qua diuina bonitas commendetur, ſed tantum ad ſtuporem faciunt propter inſolentiam. Quod genus miraculorum potiſſimum in uſu habet Satanas. Conſiderandum etiam hoc loco quo ſpiritu ducantur illi, qui more Iudæorũ etiam hodie ſigna quærunt, quaſi tum crediturí ueritati, ſi ſigna uiderint. Quòd ſi omnino ſigna quærunt, quibus doctrina ſana fidem mereatur, obijciemus illis Chriſtum & Apoſtolos. De Chriſto legimus, quod curauerit omnem morbum. De Apoſtolis legimus Mar. ultimo, quod diuina uirtus miraculis ſermonem illorũ confirmauerit. Iam ſana doctrina Euangelij nihil aliud tradit, quàm quod Chriſtus & Apoſtoli docuerunt. Illorũ doctrina diuinitus probata eſt. Probent ſuam, qui nouã, nec à Chriſto, nec ab Apoſtolis traditam ſectantur. Hortandũ hic, ut adſueſcamus diuino uerbo, contra quod ne angelus quidem de cœlis, Gala. 1. ſit audiendus.

Exempel biecher. Das Marial.

Quarto. Notandum etiam hoc loco, futurũ aliquando diem, in quo Chriſtus ſit obſeruandus, in quo Chriſtũ ambient, qui regnum cœlorũ ingredi cupient. Der Chriſtus, der ietz nicht gilt, der uuirt ein mal auch einen tag uberkummẽ, in uuelchem man umb ynen bulen uuirt.

Omnis enim, qui audit ex me ſermones hos, & faciet eos, aſſimilabo illum uiro prudenti, qui ædificauit domum ſuam ſuper petram, & deſcendit imber, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & non eſt proſtrata. Fundata enim erat ſupra petram. Et omnis qui audit à me ſermones hos, & nõ facit eos, adſimilabitur uiro fatuo, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam, & deſcendit imber, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & impegerunt in domũ illam, & deiecta eſt, & fuit ruina illius magna.

Videntur iſta Epilogi uice præcedẽtibus eſſe adiecta, nimirũ illis, Nõ quiſquis mihi dicit: Domine, Domine, intrabit in regnũ cœlorũ, ſed qui facit uoluntatẽ patris mei. Atq; illud etiã euidenter ex Luca cap. 6. liquet, ubi ſic legimus: Quid aũt uocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ dico? Quiſquis uenit ad me, & audit ſermones meos, & facit eos, oſtendam uobis, cui ſimilis ſit. Similis eſt homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & poſuit fundamentum ſuper petram, &c.

Vult itaq; Chriſtus etiam adiecta parabola illuſtrare, & inculcare ſtultitiam illorũ, qui putant ſatis eſſe, ſi ſe uerbotenus agnoſcant, ſermonemq; ſuum auribus audiant externis, licet nihil operæ præſtẽt eorum, quæ ipſe docuit, hoc eſt, nullo paternæ uolũtatis ſtudio teneãtur.

Comparat autem eos ædificatoribus ædium, qui hoc ſtudio tenentur, ut commodas ſibi in uſum uitæ comparent habitationes, quod ſtudium ſubinde mundus immediocre habet, & quadam prudentia ad illud utitur, perpendens uidelicet, non præſentia duntaxat, quomodo domus utcunq; ſubrigatur, & ſplendide ſtruatur, ſed ad futura quoq; mentem dirigens, perpenſis periculis, quæ quotidie poſſunt accidere, eãq; demoliri, ita ut pereat & opera & ſumptus: deinde damnum quoq; & incommoditas habitandi acquiratur. Qui uerò iſta non conſiderant, etiam uulgo ſtulti habentur. Ad eum omnino modum ſe habent auditores uerbi Chriſti. Eſt enim ea demum uera ſapientia, obaudire uoci Domini, quemadmodum rurſus uera ſtultitia, non ſolidis, ſed fucis tantum agere. Neq; dubium eſt, quin Chriſtus hoc loco taxat Phariſæorum hypocriſim.

SED VIDEAMVS QVAE hinc notanda ſint.

Primo in ſumma uidemus hic, quæ ſit uera ſapientia, & uera ſtultitia. Veram ſapientiã hic nobis Chriſtus eam eſſe tradit, quæ ſalutem noſtram ita collocet, ut nullis periculis queat concuti, nedum deijci. Et ueram ſtultitiam, quæ ſpem ſuam in opinionem & fucos, res uidelicet inſtabiles & perituras ſtatuit, quæ inſtar arenæ ſuperſtructum ædificium irruentibus pluuijs, procellis, & uentis, continere non queant.

Arena aũt eſt hypocriſis illa, qua ex nomine Chriſtiani

ſtiani dicti, Chriſtum ore quidem Dominum uocamus, factis autem negamus: Petra uerò eſt, corde fideli uoluntati patris ſtudere.

Phariſæi hoc nomine taxantur, & à Chriſto & Paulo. uide Rom. 2. Non auditores legis, ſed factores iuſtificabuntur. Et uide Iacob. primo ubi idem tractatur. Et quid nos hodie uidemus aliud?

Rom. 2
Iaco. 1

Deinde obſerua quomodo exemplum humanæ ſapientiæ in medium adducat, quatenus oſtẽdat iudicium noſtrum eò futurum iuſtius, quod cum in terrenis ſapiamus, in cœleſtibus tamen ita dormimus. Perpendat apud ſe quiſq; , quo ſtudio, qua diligentia, qua prudentia, domum ædificaturis utatur. Quàm ſerio quærat ſolidum fundamentum, quàm non mox quibuſuis credat, ſciens rei caput eſſe, bene locaſſe ædificij futuri fundamentũ. Hic non ſatis habetur ædificij ſpecies, ac nomen ſtatuiſſe, niſi ſolida & in futurum duratura ſit habitatio. ubi uerò cœleſtes ſunt ſtruendæ ſedes, ibi ſatis habemus nudis nominibus & ſpeciebus in præſens, nihil interea de illarũ certitudine & ſoliditate, periculiſq; olim adfuturis cogitantes. Iam quæ poterit maior eſſe ſtultitia, quàm cum in rebus perituris adeò ualeamus, in cœleſtibus & æternis ſtulteſcere?

Simile.

Medicum aduocas ægrotus, hoc nimirum fine, ut opera illius ſanitati reſtituare. Atq; hic nunquàm ita inſanis, ut ſatis habeas uerba illius audiſſe duntaxat, non autem præſtitiſſe, illiſq; obtemperaſſe. Iam quid aliud ſunt Chriſti doctrinæ, quàm medici cœleſtis inſtructiones, ad æternam ſanitatem ac uitam facientes? Si illic adeò ſapis, cur hìc tantopere ſtulteſcis, ut putes ſatis eſſe, audiſſe medici huius cõſilia? Sed in cauſa eſt, quòd ſalutem illam ueram & æternam, aut nihil planè, aut certè parũ, hoc eſt, non adeò curamus, atq; carnalẽ illã. Atq; id quoq; iudicij noſtri dãnationiſq; auxeſim habet.

Tertio, Notandum eſt etiam, quòd non ſimpliciter dicit: Qui non facit ſermones meos, ſed præmittit. Qui audit & non facit. Reſpicit quidem ad morbum ſui temporis: nimirum, quòd multi erant auditores, pauci uerò factores. Nos ueò etiam hoc diſcamus iſto loco, quid uidelicet iſtis ſit futurum, qui non ſolum non faciunt, ſed ne audiunt quidem. Neq; enim obſcurè Chriſtus hic ſignificat, factoribus uerbi ſui, primum eſſe audiendum. Iam illi, qui hodie contemnunt uerbi Chriſti auditum, interea alios qui audiunt damnantes, dicunt: Ecce iſti nullis concionibus non interſunt, & tamen nihilo ſunt meliores facti, quaſi uituperij loco auditum uerbi Dei opprobrantes, ac mox dicentes: Quid eſt quòd audis? Et cur audiremus? Quid eſt enim ſi perpetuo audiamus & nunquam quæ facienda ſunt faciamus: Quaſi à faciendo qui audiunt impediantur audiendo, & non poſſint ſimul eſſe auditores & factores. Iam certum eſt, ſummam eſſe iniquitatem, ſi illud damnes, quod & bonum eſt, & ad bonũ eſt accommodatum. Auditus enim uerbi dei per ſe malus non eſt. Et certũ eſt ſolidam obedientiam uerbi Dei ab eo magis eſſe ſperandam, qui diligenter audit, utut tardus ſit in præſtando opere ipſo, quàm ab eo, qui ne audire quidem ſuſtinet.

Taxemus ergo quod Chriſtus, Paulus, Iacobus taxant: nempe, quòd non facimus quæ bene audimus, tam non dehortantes ab auditu uerbi Dei, ut magis ad illum hortemur. Dicamus ergo: Bonum eſt quòd auditis uerbum Chriſti. Audite ergo diligenter. Quòd autem auditam non præſtatis, hoc eſt corrigendum.

Quarto. Non obſcurè quoq; ſignificatur in hac parabola, fore aliquando iudicium, quo cuiuſq; ædificium ſit probandum, quàm ſolidè quiſq; in Chriſto Ieſu ſtruxerit, id quod oſtenditur per fluuios, uentos & pluuias. Tale quid & Paulus habet, 1. Cor. 3.

Chryſoſtõ. iſtud intelligit de tribulationibus huius uitæ.

Quinto, Notandum eſt etiam hoc loco, quàm nihil auſtere præcipiat, ſed ſimpliciter per argumẽta damni & utilitatis ſuadeat. Oſtendit quid debeamus facere, ſi perſtare uelimus perpetuo, & quid ſit futurum damni, ſi iſtud neglexerimus. Exigit ergo hæc Chriſti doctrina animum ſalutis propriæ cupidum. Is ſi fuerit, facile curabit, ut quicquid ad illam facere uidebitur, præſtet, & quicquid contrarium deprehendetur, uitet.

Et factum eſt, ut, cum finiſſet Ieſus ſermones hos, obſtupuerũt turbę ſuper doctrina illius. Docebat enim eos, uelut habens autoritatem, & non ſicuti Scribæ.

Nouum quiddam, diuinum & inauditũ referebat in auribus populi, doctrina Chriſti, unde ſubinde dicebãt: Quæ eſt doctrina hæc noua? Mar. 1. Et alibi. Vnde huic hæc ſapientia? Mat. 12. Mar. 6. Id & hoc loco contigit.

Vide Chryſoſtomum in ſecunda expoſitione. Admiratio eorũ, inquit, magis ad Chriſti gloriam q̃ ad ipſorum pertinet.

Bene autem addit iſtud Euangeliſta, ſub finem egregiæ diuinæq; huius concionis: nempe, ſequutũ eſſe uulgi turbarumq; ſtuporem, id quod plerunq; ſolum ſequitur, ſi maiorem ſpectes populi partem. Mirantur, ſtupent, laudant, præterea nihil. Quemadmodum ſi tibicinem quenquam præcipuum audiſſent, ad cuius artem ſtupidi nihil aliud regerunt, quàm ſtuporem, & illud quàm egregie cecinit? Tale quicquàm legis Ezech. 33. Et tu fili hominis, inquit, fili populi tui, qui loquuntur de te iuxta muros, & in oſtijs domorũ, & dicunt unus ad alterum, uir ad proximum ſuum loquentis: Venite, & audiamus, quis ſit ſermo egrediens à domino. Et ueniunt ad te, quaſi ſi ingrediatur populus, & ſedent coram te populus meus, & audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos: quia in canticum oris ſui uertunt illos, & auaritiam ſuam ſequitur cor illorum. Et eſt eis, quaſi carmen muſicum, quod ſuaui dulciq; ſono canitur, & audiunt uerba tua, & non faciunt ea, Et cum uenerit quod prædictũ eſt (eccè enim uenit) tũc ſciẽt, quia Propheta fuerit inter eos. Tale quid & Chriſto hic accidit.

Ezech. 33
Taxandum hoc loco quod magis ornate q̃ uera dicentem quærunt. Niſi quis plauſibiliter dicat: non audiũt. Si quem talem habẽt, audiunt quidem, ſed quæ audiunt non faciunt, ſatis eſſe rati quod audierunt.

Docebat enim eos uelut habens autoritatem, & non ſicut Scribæ.) Quidam hunc locũ ita exponunt, quaſi Chriſtum dixerit Euangeliſta, ideò cum autoritate docuiſſe, quod autoritate ſua uetaret, quæ lex indulſerat, & exigeret, quæ lex nõ præceperat, putantes quintum huius Euangeliſtæ caput ita eſſe impletionem legis, ut imperfecta illius adimpleat, & indulta tollat. Verũ rectè ſententiam Chriſti contemplanti, nihil illic addit legi, quæ & ipſa omnia illa exigit, quæ ibi traduntur, ſi ſumma dilectionis Dei & proximi perpendas, ſed legem à Scribis & Phariſæis obſcuratam, & eneruatam ſuo loco reſtituit & declarat.

Quomodò hic ſententia aburuntur Pontificij, uide 25. queſt. 1. c. Ideò.

Deinde

Deinde quidam intelligunt ista de uigore quodã doctrinæ perfectæ, ac genuinæ ueritatis ui, qua Christi doctrina turbas adstantes adflauerit, nihil tale in suis Scribis hactenus expertas. Et istud ita factum esse, nihil dubitauerim. Est enim omnino uerum summo uigore summáq; ueritatis ui Christi sermones fuisse præditos. Iam ista stupor ultro sequitur, quum interea tædio sint, & langueãt Scribarũ conciones. Quẽadmodũ et initio restauratæ ueritatis uis quædã illius auditores afflare solet.

Rem uerò penitius intuenti, græcamq; dictionem perpendenti, uidetur Euangelista respicere magis ad eam Christi autoritatem, qua sententijs magis quàm rationibus egit, tanquàm habens autoritatem uelut rex in regno suo.

CAPVT VIII.

CVm descendisset aũt de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ.

Quur in montem ascenderit, & quid in eo egerit, suprà notatum est cap. 5. Iam memoratur illius descensus, quem ad hoc factum esse credibile est, ut rursus dispensationi suæ cœlesti circuendo, & sanando inseruiret.

Virtus uerbi Dei.

Turbæ illæ quæ secutæ dicũtur, iam antea ad illum confluxerant, ut uidere est Matth. 4. in fine. Quidam uerò hinc colligunt uerbi Dei prædicati uirtutem, ex eo quod in fine præcedẽtis capitis obstupuisse feruntur turbæ super doctrina eius. Et reuera ita habet. Est enim magna prædicationis Euãgelicæ uis, maximè sicubi illa iusto feruore dispensata fuerit.

Notandum etiam hoc loco, de uulgi inconstantia, quod quidem ad tempus magno cognoscendæ ueritatis feruore rapitur, mox tamen ingruente persequutione relabitur, imò prorsus tepescit, etiam nulla existente persequutione.

Et ecce leprosus.

Redit Christus ad miraculorum patrationem, quibus sermoni regni Dei maior fides & autoritas conciliabatur. Et merito curationi animorum adiungitur & medicatio corporum. Est enim Christus saluator uerus totius hominis, non solũ animæ, sed & corporis, id quod in fine mundi plane declarabit, quando totos nos æternæ uitæ bono cumulabit. Leprosi huius curationem, Marcus 1. & Lucas 5. iisdem penè uerbis describunt, tametsi non pari rerum gestarum ordine. Non enim describendorum ordinem curarunt Euangelistæ.

QVAE EX HAC HISTORIA notanda sunt.

Quid in historijs sacris notandum sit.

Primum obseruandum est hoc loco, quod uidelicet in omnibus historijs sacris: nempe fidei exemplum in leproso, deinde charitatis diuinæ in Christo. Est enim in his duabus sita omnis nostra salus, ut scilicet probè agnoscamus Christi erga nos dilectionem ac bonitatem: deinde ut sana fide illi & nos appropiemus. Nunc uerò demum genuinus est tractandarum historiarum usus, ut neglecto quod temporaliter in rebus cõmissum est, apprehẽdatur quod æternum est, & relicto quod ad loca, personas, & rerũ genera pertinet, assumamus quod ad omnes accommodari potest. Exempli gratia: Sodoma euersa, exemplũ est diuinæ uindictæ. Iam non est putandum, quod solum illo tempore, & illis locis, istisq; peccatorum generibus, incandescat Dominus, & solum hoc uindictæ genere. Relinquenda sunt omnia illa, & tenenda hæc summa, irasci scilicet Deũ peccatoribus, illosq; tandem puniturum. Ita & Petrus hoc exemplo utitur. Sic & Abrahæ exemplum tractandũ. Fœdus cum Abrahamo iniit Deus: Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiã. Non est hìc hærendum in persona, tempore & reliquis Abrahæ circunstãtijs, sed assumendum quod omnibus commodare potest. Nempe Deo charos esse, quotquot illi crediderint. Ita & hoc loco. Videmus hic quid leprosi fides profecerit. Non est putandũ, quod huic duntaxat personæ, & huic tempori effectus hic fidei sit annexus. Nihil planè. Exemplum nobis est propositum quod sequamur.

FIDES LEPROSI.

Magna leprosi huius fides describitur, dum respicitur morbi genus. Primũ, utpote incurabile, nisi diuinæ uirtuti. Deinde si uerba considerentur. Si uis, potes me, inquit mundare. Omnia uoluntati Christi adscribit, quam ita facit potentem, ut planè quod uelit, possit. Atqui istud uni Deo adscribitur, qui quæ uult facit in cœlo & in terra, liquet ergo leprosum hunc maiora de Christo credidisse, quàm homini conuenire potuerit.

De bonitate uerò Christi non est putandus dubitasse, quod dicit: Si uis. Nisi enim spem quandam sanitatis animo concepisset, ad Christum sese non recepisset. Nequit enim fides potẽtiæ Christi sine fide bonitatis ipsius ad precandum quenquam permouere.

VNDE ISTA LEPROSI fides sit.

Est autẽ hæc leprosi fides absq; dubio ex Christi sermonibus & gestis, quæ antea audierat & uiderat concepta, ut uerum sit illud Pauli fides ex auditu. Sed dices: Atqui plurimi audierunt, qui tamen Christo non crediderunt. Respondeo: Nihil hoc impedit. Nihilominus electis nascitur fides ex auditu. Non omnes plantæ accepto incremento uiuificãtur & crescunt. Attamen rectè dicitur: Fructus est ex satione, etiam si quãdoq; fit, imò sæpenumero, ut quæ seruntur non crescant. Exercenda itaq; fides nostra erga Christũ, in uerbi Dei auditu, ita ut si quid nobis desit, ad Christũ confugiamus unum & uerũ nostrũ, nõ solũ animæ, sed & corporis saluatorem,

MODESTIA LEPROSI.

Notanda est autem etiã modestia leprosi in eo quod dicit: Domine si uis. Ponit enim salutem suam & sanitatem in uoluntatem Christi. Ita & nobis orandum.

Deinde & in prostratione corporis consideranda mentis humilitas, tenenda oraturis. Sordet enim coram Deo omnis fastus, omninò humiliantis se nubes penetrat.

BONITAS CHRISTI.

E regione obseruanda est etiam Christi bonitas, qui tam clemẽter male habentes curat, & suscipit. Mox respondet, uolo. Nulla hic difficultas, nullus fastus. Quin ne putãt se contemni, contingit etiam leprosum.

IAM

IAM VIDENDA QVAEDAM
in textu.

Extensa manu tetigit eum.

Per contactum leprosi uidemus quomodo charitati cedat etiam lex Dei. Prohibitum erat cõtingere leprosum. Verum non erat ea mens legis, ut leprosum contacta sanare potens, ipsum contingere non deberet. Exemplum hoc Christi nostro tempore summopere considerandum est. Omnes leges ad salutem sunt hominis, non ad perniciem datæ.

Vide historiã 2 Reg. 5 de Naaman.

Notandum etiam hic quomodo per contactũ Christus puritatem leproso exhibeat. Dicendum hic de modo exhibendi inuisibilia, & incomprehensibilia per uisibilia & externa.

Adorauit eum.

Videre est hoc loco, si conferas Marcum & Lucam huic nostro quid scriptura per uerbum προσκυνεῖν Græcis, & Ebræis per חשתחוה *significet. Marcus habet, procidens in genua & Lucas, procidens in faciẽ. Atq; hinc liquet, quis cultus simulachrorũ sit prohibitus, lege diuina per uerbum illud* חשתחוה *quod non semper recte per adorandi uerbum redditur.*

Vide ne cuiquam dixeris, sed uade ostende te sacerdoti, & offer in testimonium illis, &c.

Legem hanc uide Leuit. 14. Cur prohibuit dicere & fateri quod uerum est. Non sine ratione. Nimirum ut hoc pacto conuinceret sacerdotes inuidentiæ & impietatis, quod sibi non credebant. Hic leprosus absq; dubio erat ministerio sacerdotũ à populo segregatus iuxta legem. Deinde in lege habebatur, ut qui mundati essent, probarentur & agnoscerẽtur à sacerdotibus ritu legis, probatiq; offerrent pro emendatione sui, quæ lex præcipiebat. Voluit itaq; Christus, ut hic leprosus abiret ad sacerdotes, seq; ostenderet, id est, probandũ daret, esset ne uere mundatus an secus. Vt dum illorũ iudicio approbatus obtulisset, testimonium contrà se haberent sacerdotes impie se facere, qui Christo reluctarentur.

DE CONFESSIONE.

Quid hic facient qui confessionẽ auriculare ex hoc loco colligere uolunt? Sacerdotes nõ mundant, sed mundatum approbant. Ergo soli mundati ibunt ad confitendum sacerdotibus?

Cum autem intrasset Capernaũ, adijt eum Centurio, obsecrans eum & dicens: Domine puer meus iacet paralyticus in domo, & male torquetur.

Historiam hanc & Lucas describit cap. 7. ex quo uidere est, quomodo precationẽ suam instituerit Centurio: nempe non per seipsum, sed per alios, seniores uidelicet Iudæorũ. Sed uideamus in hoc exẽplo magnã certè modestiam, magnam dilectionem, & præclaram fidem.

MODESTIA CENTVRIONIS.

Modestiæ fons est, agnitio sui ipsius & aliorũ magnificatio. Agnouit hic Centurio seipsum, utpote hominem gentilem, & abiectum & alienũ à sorte sanctorũ. Atq; ideò, nec per seipsum uoluit accedere Christũ, ut in Luca legitur, propter quod & meipsum non sum dignum arbitratus, ut uenirem ad te: nec Christum passus est, ingredi ædes suas, dicens: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, &c.

Putat eos dignores se qui plane nihil erant. Nam illos absq; dubio ideo misit.

Et obserua ueræ modestiæ ingenium. Homo hic erat uerè pius, & uerè ad consortium electorũ pertinens, id quod multa declarant: nõ solum horũ Iudæorum, sed & Christi testimonio, & tamen se prædicat adeò constanter indignum, cum interea commendetur tam præclare ab alijs. Admonemur ergo hoc loco, ut in oculis nostris nunquàm quicquàm æstimemur, utut ab alijs prædicemur. Studeamus quidem pietati, sed ita nos æstimemus, ut qui nihil plane simus.

Obseruandum est etiam hoc loco ingenium iustitiariorum, in illis quos hic Centurio mittit. Illi ita se magnificiũt, ut dignos æstiment beneficio diuino, quorũ usi sint beneficio. Dignus est inquiũt, cui hoc præstes. Nam diligit gẽtem nostrã, & synagogã ipse ædificauit nobis. Centurio quidem benefaciebat, diligendo gentẽ Iudæorum, ut populum Dei religionis gratia uenerabilem, id quod sanè à multis gentilibus est factum. Bene item fecit, ædificando illis synagogam. Quod ipsi aũt tanti sese faciunt, ut ideò dignus haberi debeat à Christo, cui beneficium hoc præstet, animum sapit superbè de seipso sentientem. Nam absq; dubio se magis dignos æstimarunt diuino beneficio, si hunc ideò dignum æstimant, quod ab eo diligebantur. Quanto rectius dixissent: Dignus est cui hoc præstes, diligit enim Deum, & est homo planè pius, & optimè de te sentiens, & omnem suam fiduciam in te collocans? Nos imitantur nostri seculi monachi, qui putant cœlo dignos benefactores suos, qui & hoc nomine dignitatem hanc magno uendunt, ac magnopere commendant.

Videmus itaq; diuersum omnino ingenium in Centurione, & senioribus istis. Isti præclare de seipsis sentiũt, hic uerò se æstimat omniũ cõtemptissimũ, qui nõ sit dignus in conspectũ prodire Christi, nedum illũ recipere in ædes suas. Vtra pars autem Christo propior est.

DE INTERCESSIONE
Sanctorum.

Ex hoc, quod Centurio Iudæorum seniores ad Christum mittit, qui pro se interpellent, quemadmodũ istud à Luca describitur. Conantur quidã astruere inuocandos esse defunctos Sanctos, ut illi apud Christum pro nobis intercedant, ita arguentes. Si sancti in hac terra dum uiuunt, ita diligunt homines, ut pro ipsis orent, quãto magis hoc faciunt in uita illa cœlesti, ubi iam perfecta sunt charitate? Respondeo: Hoc est paralogizari ab eo quod est secundum quid, ad id quod est simpliciter secundum quid enim. Hoc est, præsens tempus dum hic sancti uiuunt, uerum est, charitatis fructum esse orationem sanctorum pro alijs: simpliciter tamen nõ est uerũ, ibi semper esse orationem pro alijs, ubi charitas est. Sancti ingemiscunt etiam hic & collachrymantur cum adflictis, dum in hac uita sunt, idq; certè ex charitate. Non tamen bene colligitur. Sancti dum hic sunt in charitate nondũ perfecta, flent cũ flentibus, ideò in futura etiã uita, ubi perfecti sunt in charitate, magis flent cũ flẽtibus.

Deinde,

2 Deinde, uidemus hic Centurionem præstitisse apud Christum illis quos mittebat, nihilq; minus eos feciſſe, quàm quod ipſi Chriſtũ permouiſſent. Neq; enim ideò Chriſtus cum eis adire ſe domum Centurionis uelle dicebat, quod quid ageretur ignoraret, ſed ut eliceret Centurionis fidem quam bene nouerat, quemadmodum & Chananææ mulieris fidẽ moras nectendo & tergiuerſando acuebat. Proinde nihil eſt quod ex hoc loco colligitur. Non enim opus erat patronis huic centurioni, neq; nobis hodie opus eſt, apud Chriſtum ſi ex animo illum quæſierimus. Vide hic quid Chryſoſtomus dicat: Ioan. 6 Homilia de profectu Euãgelij, ubi ſic legimus: Cæterum non opus tibi patronis apud Deum, neq; multo diſcurſu, ut blandiare alijs, ſed licet ſolus ſis, patronoq; careas, & per teipſum Deum preceris, omnino tamen uoti compos eris. Neq; enim tam facile Deus annuit, cum alij pro nobis orant, ut cum ipſimet oramus, etiam ſi plurimis pleni ſimus malis. Chryſoſto.

Item ibidem: Vis diſcere quod etiam per nos ipſos orantes apud Deum plus efficimus, quàm dum alij pro nobis orant. Clamauit hæc, & ut acceſſerunt diſcipuli, dicentes: Dimitte eam, quia clamat poſt nos. Et ad illos quidem dixit: Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierũt domus Iſraël. Quando autem ipſamet acceſſit, & perſeuerauit clamãs, & dicens: Domine etiam. Nam & catuli edũt de menſa Dominorum ſuorũ. tunc beneficium dedit & ait: fiat tibi ſicut uis. Vides quomodo repulit cum alij precarentur, ubi uerò ipſimet orans pro domo clamauit, annuit. Hæc ille.

HVMANITAS ET DILECTIO Centurionis.

Deinde exhibet hic Centurio nobis egregium humani & boni animi exemplum, quod nullo nobis pacto prætereundũ eſt. Qui quæ mundi ſunt ſectantur, magna diligentia eiuſdẽ propoſiti homines obſeruant, & quod in illis egregium putant cupide imitantur. Quur nõ & nobis iſtud in exquirendis, penſandis, & imitandis piorum animis & ingenijs, quod ad pietatem attinet, qui illius ſtudio ac profeſſione tenemur, non minori cura præſtandum eſſet?

Optimum itaq; Centurionis ingenium in eo ſpectandum nobis proponitur, quod tantam humanitatem & miſericordiam oſtendit erga ſeruum ſuum, ut tanta diligentia ſalutem ipſius per ſeniores Iudæorum apud Chriſtum quærat, cum tamen apud huiuſmodi dominos nihil ſoleat uilius haberi, quàm ſeruorum commoditas uel incommoditas.

Iacet.) Non ſimpliciter, ſed toto corpore proiectus ac proſtratus, id quod uerbum illud βέβληται ſatis oſtẽdit, qualiter ſolẽt qui grauibus morbis decũbunt.

Paralyticus.) Morbum exprimit non quomodo ſolet fieri apud medicum, ut ſciat quid curandum ſibi ſumat, ſed ut animum dolentem exprimat, quo non ſatis habet dixiſſe: infirmatur puer meus, niſi et morbi genus miſerabile exprimat.

Et male torquetur.) δεινῶς eſt, grauiter & acerbe. Cruciatum etiam exprimit, quàm ſit grauis & acutus, ut omnino exprimat, quanta compaſſione ferat ſerui ſui morbum & cruciatus.

In domo.) Vides quomodo ſeruum ſuum quoſcunq; fuerat cõmode uſus, ægrotum ex ædibus ſuis non eiecerit, quemadmodum pleroſque uidemus hodie facere, qui tamen nihil uolunt minus audire, quàm non eſſe ſe Chriſtianos. Hic homo gentilis Chriſto nondum initiatus, tantam exhibet humanitatẽ ſeruo ſuo. Et quanam fronte nos Chriſtum profitemur, qui quũ ægrotos colligere in ædes noſtras, aut certè illos inuiſere debeamus eijcimus etiam? Itaq; hîc admonemur primum, quàm debeamus eſſe humani ac miſericordes, qui aliorum miſerias ipſi quoq; ſentiamus. Hoc enim ſunt ingenio homines Dei, id quod plerunq; in illorum uel dictis uel factis deprehendimus. Impij uerò, quorum ingenium non eſt ad ingenium patris noſtri cœleſtis comparatum, ſunt ἄσοργοι, hoc eſt ſine affectu, id quod Apoſtolus illis Roman. 1. impingit. Huius rei exemplum habemus in Chriſto Ieſu apertiſſimum, qui non eſt ἄσοργος, ſed planè humanus. Tangitur aliorum miſeria etiam uſq; ad lachrymas. Paulus Phil. 2. ſatis exprimit, qua fuerit mœſtitia propter ægrotũ Epaphroditum affectus. In ſumma, peſſimi ingenij indicium eſt, ſtoica illa inhumanitas, & maximè apud eos, qui etiam ſpiritales & cæteris præſtantiores uideri uolunt.

Alterum eſt cuius hic admonemur: nempe ut ægrotos ſeruos, non minus atq; liberos noſtros, in ædibus & prouidentia noſtra retineamus, id quod & gentes faciunt, & contrarium eius adeò inhumanum eſt, ut non dubitem humanitatem maiorem apud gentes reperiri. Quomodo uiſitabimus ægrotos in aliorum ædibus, qui nondum dicimus illos in noſtris conſeruare, quibus dum ſani eſſent, pro uoto uſi ſumus.

DE FIDE CENTVRIONIS.

Sed tantum dic uerbo, & ſanabitur puer meus.

Hoc dicit: Vt uenias in ædes meas curaturus puerum meum, magnum & ingens eſt beneficium, & incomparabilis tua bonitas. Verum ego dignus non ſum, ut hoc mihi facias: nempe ut ædes meas ingrediaris. Ad hæc tibi quoq; non eſt opus, ut quo ſeruum meum curas coram adſis. Potes uno uerbo curare puerũ meum, ſcio. Dic itaq; tantum ac iube ſaluum eſſe puerum meum, & mox abſq; dubio ſaluus erit.

Iſtis quid aliud Chriſto tribuit, quàm diuinam potentiam? Potentia magnorum dominorum patet in illorum uerbo, ſi quod dixerint ac iuſſerint effectum ſuum habuerit. Hinc ſcriptura omnipotentiam Deo tribuens, adſcribit illam uerbo ſuo, ut Gene. 1. & Pſal. 147. 148. Quod itaq; dicit: Tantum dic uerbo, et curabitur puer meus. Eam planè Chriſto potentiã adſcribit, quæ ſit humana maior, ut qui in manu ſua habeat poteſtatem & uitæ & necis: nec habeat neceſſe orare pro ſanandis infirmis, ut Prophetæ aliquando, ſed iubere poſſit, & ſi iuſſerit, abſq; dubio ſaluũ credit fore puerũ ſuum. Non enim dicit: ora Deum, & ſanabitur puer meus, ſed dic uerbo, hoc eſt iube. Nec ſimpliciter dicit: dic, uel iube aut præcipe, ſed dic uerbo, hoc eſt, uno hoc uerbulo po- Verbo

tes,

tes, quemadmodũ solemus de illis dicere, qui apud suos summam habent autoritatem.

Etenim ego homo, sub alterius potestate sum, & habeo sub me milites, & dico huic: uade & uadit, &c.

Confirmatio est eius quod dixit: Dic uerbo & sanabitur puer meus. Vtitur autem non comparatione simplici uel collatione, sed argumento à minori ad maius, à seipso ad Christum ipsum. Etenim, inquit, ego homo sum &c. Quidã hoc ita legunt. q. d. Ego homo sum, tu Deus, homine maior: deinde & sub alterius potestate sum, tu uerò nequaquàm, &c. Verũ si Græca perpendantur, nõ uidetur hoc agere Centurio, ut primũ ostendat se esse hominem: deinde talem hominem, sed simpliciter arguere per comparationem sui & Christi, quæ in hoc sit, quod ipse sub alterius potestate homo sit constitutus. Christus uerò nequaquam, & tamen hoc possit, quanto magis Christus?

Primum hoc loco notandum nobis est, id quod suprà cap. 7. annotauimus, ibi: Si ergo uos cum sitis mali &c. nempe ab eo quod bonũ & egregium in nobis uel alijs hominibus reperimus, mox per comparationem ascendere ad diuinam uel bonitatem, uel sapientiam, uel potentiam uel ueritatem, uel æquitatem, uel iustitiam.

1 Præcipuum uerò exemplum hic habent quotquot in magistratu sunt, & patresfamiliâs, ut ex sua potestate discant agnoscere potestatẽ Dei, uerbiq; diuini potentiã. Cogitent, si inter homines eam habent uerba nostra potestatem, ut quæ dicimus ac iubemus, mox exequutionem sortiantur, quum tamen nihil simus aliud, quàm miseri homines, nihil à reliquis differentes, quanto maiorem potestatem habet uerbum Dei, in uniuersum omnibus imperando?

2 Deinde colligent ex obedientia suorũ ad hunc modum: Ecce homo es, & sub alterius potestate cõstitutus, & dicis huic: uade & uadit, & isti, ueni, & uenit: & illi fac hoc & facit, promptam ab illis exigens & captans obedientiam. Si ergo tibi, homini, alijs subdito, tantum præstatur obedientiæ, quam tu quoq; ab illis ex officio exigis, dic quæso, quid prætexes si Domino tuo, à quo id potestatis cõsequutus es, & cuius nomine ista tibi præstatur obedientia, fueris inobediens, si ipso dicente: uade, non uadis, ueni, nõ uenis, fac hoc, & nõ facis? Prompti sumus pleriq; in hoc, ut obedientiã exigamus à subditis: interea tamen egregie obliuiscimur nos quoq; esse subditos, & eam ipsam, imò maiorem debere obedientiam illi, à quo potestatem eam accepimus, & cuius nomine uolumus nobis obediri.

Atq; hoc potißimum exigunt, qui à Deo nihil potestatis acceperũt Pontifices, Episcopi illi laruati ac personati, Abbatis, Moniales & id genus hominum. Ibi creberrimũ est, mandamus, præcipimus, per obedientiam, & indignationem Dei, &c.

Deinde notandum etiam hoc loco, quomodo fides, tametsi non ueniat ex humanæ rationis collectionibus de rebus terrenis sumptis, nec illis etiam nitatur, cum sit donum Dei, plurimũ tamen illis iuuetur. Sunt enim multa in rebus humanis, quæ animum credentis pulchrè cõfirment, dum fidei bonitatis & potentiæ Dei, quæ est ex auditu uerbi Dei, astipulantur. Ita uidemus Centurionẽ hîc facere credit de Christo homine maiora. Tribuit illi potentiam Dei. Eam uerò fidem dono Dei diuinitus ex auditu nominis Christi, uerbi scilicet factorumq; Christi, quæ testimoniũ debẽt esse illum ex Deo, & planè filium Dei, non ex humanæ rationis collectione conceperat. Propterea quæ hic adijcit: Etenim ego homo sum sub potestate alterius constitutus, &c. non ita adducit, ut sint fundamentum fidei suæ, quam in Christum habet, sed magis declaratio, & probatio ex minori sumpta. Oportuit enim, ut ante omnia Christum crediderit esse filium Dei, antequàm illum ista posse crediderit. Non enim protinus sequitur. Ego multa possum iubendo & mandando, propterea quiuis hoc potest: sed si ego hoc possum, qui homo sum, quanto maiora potest uerbo suo Deus, qui omnia potest, nulli subiectus, sed omnibus imperans? Ista conclusio ualet. Sed quid ista ad hominem fabri filium, nisi credidisset ipsum esse diuinæ uirtutis? Illud autem, quod talem eum credebat, non ex eo collegerat, quod ipse plura posset, sed ex eo quod esset filius Dei, quod testabãtur uerba & opera ipsius, quibus credebat. Credens ergo illum esse filium Dei, diuinæ planè uirtutis, simul credebat eum nihil habere opus, ut coram curaret puerũ suum, sed posse illud uerbo suo præstare, atq; hoc pulchre ratione illa, quam de suaipsius potentia sumit, probat & confirmat.

Per hoc itaq; exemplum admonemur credentes, quomodo ex rebus humanis sumenda sit fidei nostræ adstipulatio, probatio, declaratio, & confirmatio, etiam si rebus humanis, nec egeat, nec nitatur. Atq; hac ratione utitur spiritus sanctus in omni scriptura, dum ex rebus humanis nobis cognitis exempla proponit, quibus imbecillitati fidei nostræ consulat, qua in re totus est Christus in sua doctrina.

Cum audisset Iesus admiratus est, & sequẽtibus se dixit: Amen dico uobis, neq; in Israël quidem tantum fidei reperi.

Ad confirmationem fidei nostræ de diuinitate Christi notandum nobis, quod & Chrysostomus admonet, hanc laudẽ diuinæ uirtutis, quam obtulerat Centurionis fides, à Christo non respui, sed approbari. Nisi enim illud de se credi uoluisset, utiq; ad ista Centurionis uerba non tacuisset, sed reclamasset, quemadmodũ Act. 14. legimus Paulum ac Barnabam fecisse. Vbi habitatores Lystrarum dicebãt: Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos, & uocabant Barnabam Iouem, Paulum uerò Mercurium, illisq; offerre conabantur. Hunc honorem utiq; scißis etiam tunicis respuebant Paulus ac Barnabas. Et merito. Iam non solum Christus Centurionis fidei nihil cõtradicit: sed eam etiam prædicat, & mirum in modum extollit. Ad hæc, confirmat etiam, dum dicit: Vade, sicut credidisti fiat tibi. Hoc est credidisti me diuina uirtute posse, uno uerbo ac iussu curare seruum tuum etiam absentem. Bene credidisti. Vade, & ita erit. Quin & ipse effectus consequutus testimonium dat, rectè credidisse Centurionem hunc. Act. 14

Quàm longè aliter Martha & Maria, Ioan. 11. qui- Ioan. 11

bus tamen cum Christo plurimum erat necessitudinis. Domine, inquiunt, si fuisses hic frater meus non fuisset mortuus. Et nunc scio, inquit Martha, quod quæcunq; poposceris à Deo, daturus sit tibi Deus. Quid ad ista Christus? Resurget, inquit frater tuus, subiungit Martha. Scio quia resurget in nouissimo die. Vicissim Iesus. Ego inquit, sum resurrectio & uita. Qui credit in me etiam si mortuus fuerit uiuet, & omnis qui uiuit, & credit in me non morietur inæternum. Credis hoc? Vides hic quomodo etiam exigat hanc fidem hoc loco, nõ contentus eo quod dixerat Martha. Scio quæcunq; poposceris à Deo, dabit tibi Deus, sed eò adducit, ut credat se esse filium Dei, qui possit ista uerbo facere?

Iam si Christus non est filius Dei unigenitus, unicus cum patre diuinitatis & potestatis, cur ista patitur sibi tribui, imò cur exigit etiam, ac prædicat, quæ soli Deo competunt? Si non est filius Dei, certè blasphemator est Dei, qui hæc sibi tribuit, quæ solius Dei sunt. Sed si blasphemator est Dei, quomodo opera ea facit, quæ non solum nullus blasphemator Dei, sed ne aliquis quidem hominum facere potest? Si ergo opera Dei facit, quomodo est blasphemator Dei, exigẽs fidem in se, quæ deceat unigenitum Dei filium? Ita scilicet & Christus ipse
Ioan.10 disputat Ioannis decimo: Opera, inquit, quæ ego facio in nomine patris mei, testimonium perhibent de me. Et si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi credere non uultis, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quia pater in me est, &
Ioan.15 ego in patre. Et Ioan.15. Si opera non fecissem, quæ nemo alius facere potest, &c.

Concluditur ergo, Christũ aut esse uerè filium Dei eiusdem cum patre potẽtiæ ac diuinitatis, aut esse blasphemum. Blasphemum esse non posse diuinitatem uindicantibus diuinis ipsius operibus. Ergo relinqui Christum esse uerè filium Dei unigenitum.

Ista admonere oportuit, propter nouam Satanæ tentationem, quæ fidem in Christum Iesum, etiam hac parte labefactare nititur.

Admiratur itaq;.) Christus hanc Centurionis fidem humano more, ex eo quod erat hactenus insolens, utpote qualem antea non inuenisset. Deinde ne in Israël quidem. Et tertio, quod homo gentilis ita perfectè credebat, & Prophetarum & legis diuinæ ignarus.

Incredulitatem itaque, uel certè duritiam cordium ad credendum, quam habebant Israëlitæ, Christus hoc loco traducit, ostendens non obscurè, primos eos esse debuisse in fide regni Christi. Habebant enim Prophetas, legem, promissiones, & quicquid ad cognitionem Christi facere debebat. Verum quò maiorem gratiam acceperant diuinitus, eò spiritui sancto resistebant amplius. Vicissim fidem Centurionis admirando extollit, dum dicit talem se non inuenisse, ne in Israël quidẽ. Erat enim hic homo religione gẽtilis, legis Dei planè ac Prophetarum ignarus. Adhæc & conditione non philosophus, sed uir belli. Et tamen tanta prædi tus est fide ut talem Christus nullam inuenerit in Israël. Ergo inquies,
Apostoli nec Apostoli talem habuerunt? Ausim hoc dicere, nempe talem fidem non inuenisse Christum, dum uocaret Apostolos. Non dico quod non maiorem consequuti sint postea. Sed quod initio cum à Christo uocarentur, talem non habuerint. Omnino enim uerum oportet esse, quod Christus dicit, non solum dicit, sed & cum admiratione dicit, imò cum asseueratione grauissima. Amen, inquit, dico uobis, quod neq; in Israël quidem tantum fidei reperi. Sed uideamus ipsam Apostolorum fidem, etiam posteaquàm à Christo essent uocati, hoc capite scilicet, &
Lucæ 8. ubi legimus eos admiratos & stupefactos di- Luc.8
xisse: Quisnam hic est, qui uentis imperat & mari, & obediunt ei? Quid stupescitis Apostoli, quid admiramini, quis hic sit, cuius uenti, & mare præceptis ac uerbo obediunt? An ignoratis eum esse filium Dei, eiusdem cum patre potentiæ? Planè non fuissent admirati, si fidem hanc Centurionis tum habuissent. Si illã tum etiam nondum habuerunt, multo minus cum primum à Christo uocarentur. Hinc est quod toties legimus Christum imbecillitatem fidei ipsorum notasse & arguisse. Tulit ergo eos & prouexit, donec paulatim solidarẽtur. Laudat itaq; præclaram Centurionis fidem, & tamen interea eam quam imbecillem repererat in Israëlitis non reijcit, sed tolerat ac prouehit.

Admonemur ergo hoc loco. Primum, Ne quenquam 1
propter fidei imbecillitatem protinus reijciamus, uidentes quãto tempore Christus cum Apostolis agens, cogatur ferre imbecillem ipsorũ fidem. Tanto, inquit, tempore uobiscum sum Philippe, & non cognouistis me?

Deinde. Ne more Iudæorum cõtemnamus eos, quo- 2
rum uita uidetur à uia Dei remota, nullũq; habere cum populo Dei commertium. Iudæi putabant gentiles planè à Deo reiectos, nec quicquàm illis esse salutis coram Deo expectandum. Sed uidemus hoc loco, utri Deo uiciniores fuerint. Nempe eos qui pietatis & iustitiæ titulo conspicui uideri uolebant, nihil fuisse minus coram Deo, quàm uerè pios ac de populo Dei. Eum uerò qui habebatur pro atheo, tanta fide esse, dono Dei, ut præferatur omnibus Israëlitis.

Tertio. Notent etiam hoc loco, qui putãt uiros belli 3
planè non posse Deo placere. Hic Centurio non solum
erat miles, sed & Capitaneus, ut ita dicam, militum, ut Milites
ex ipsius uerbis colligis, id quod & Centurionis uocabulum indicat. Et tamen tanta fide diuinitus donatur, ut meruerit illius gratia tanto stupore, & tanta cum asseueratione extolli à Christo super omnes Israëlitas, etiã Apostolos. Talis erat & Cornelius ille Centurio, de quo
Lucas meminit Act. 10. cui magna quoq; pietas tribuì- Act.10
tur, qui & euidentissimis signis Deo placuisse demonstratur. Vide historiam. Nec Ioannes Baptista prædi-
cator pœnitentiæ rogatus à militibus, quid facere debe- Luc.3
rent, admonuit non posse eos Deo placere, si pergerent militiæ seruire, id quod ante omnia facere debuisset, si impium esset per se ministrare rebus bellicis. Iam nihil huius dicit ad eos, sed simpliciter admonet, ut nemini calumniam faciant, sed contenti sint stipendijs suis. Luc.3.

Quod autem hoc hominum genus hodie ita male audit, non est ex eo quod impia sit ipsorum conditio, sed quod illa male utantur. Oportet enim omnino esse magistratus, qui gladio utantur ad defendendum innoxios,

Rom.13. & puniẽdũ malos, iuxta ordinationẽ Dei. Ro. 13. Dupliciter itaq; hic peccatur. Primũ ab ipsis, qui in hoc uitæ genere sunt, hoc est, in eo statu, qui uere ad ordinem dei pertinet, illo tamen male utuntur, ita scilicet, ut planè habeantur pro impijs, cum debebant esse ueri dei ministri. Sic peccant qui sunt in magistratu, quiq; magistratibus seruiunt, lictores, & qui huiusmodi sunt. 1

Deinde delinquunt hic, qui ex abusu functionem hanc administrantium, etiam ipsum officiũ cõtemnunt ac impium esse iudicant, qui subinde & bonos uiros in magistratu non alio quàm gentilium loco habent, & ministerium ordinatum à Deo, & Dei ministros reijcientes. Atq; hac in re potissimum delinquunt Anabaptistæ. 2

Verum dico uobis, quòd multi uenient.

In sequentibus duo agit. Primum de uocatione gentiũ, alterũ de reiectione Iudæorũ. Commode per occasionem huius centurionis, & egregiæ ipsius fidei rapitur in recordationem dispositionis diuinæ Christus, qua ante tempora sæcularia erat præfinitum hoc tempus, in quo deberent gentes obedientiæ fidei se subdere magno numero ac feruore, id quod erat etiam à Prophetis prædictum in regno Christi futurum. Quod tamen mysterium adeò erat absconditum etiam Apostolis, ut miraculo necessarium fuerit, Petro apostolo reuelari per uisionem, Actor. 10. Cuius reuelationem peculiariter sibi factam gloriatur Paulus, Ephe. 3.

Dicit itaq; Christus: Verum quid mirum est, quòd hic centurio plus habet fidei, quàm adhuc inter Israëlitas repererim? Iam instat tempus, quo expulsis filijs regni, undiq; ab Oriente & Occidente, ad gratiã istam magno numero ex gentibus sint accessuri. Aderat enim ille, de quo Esaiæ 49. Posui te in lucem gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ. Et hanc gratiam delineauerat iam deus mox nato Christo in Magis, Mat. 2 Vide Esa. 2

Multi ab Oriente & ab Occidente uenient, & recumbent cũ Abraham, Isaac, & Iacob in regno Dei.

Quum Christus nihil aliud laudata centurionis fide uelit his uerbis dicere, quàm multos tales esse uenturos ex gentibus, atq; in se credituros, quemadmodum hic centurio. Quid est, quòd non simpliciter dicit: multi ex gentibus credent in me, uel multi ex gentibus participes erunt regni Dei, sed dicit: multi uenient ab Oriente & ab Occidente, poterat dicere: multi uenient ex gentibus, maxime quum aperte hoc loco discernat inter Israëlitas & gentes. 1

Deinde dicit: & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno Dei, poterat dicere: & credent in me, quemadmodum hic Centurio, uel participes erunt regni Dei. Hæc non frustra commemoramus, plena sunt sapientiæ diuinæ quæ Christus hic dixit, & diligentissime ad hunc modum ordinata. Proinde pensabimus singula quàm poterimus diligenter. 2

Latitudo regni Christi. Multi ab Oriente & ab Occidente uenient.] Primo, quòd non dicit: multi ex gentibus uenient, cum tamen de gentibus loquatur, sed multi ab Oriente & ab Occidente uenient, ostendit latitudinem regni sui, quod erat propagandum usq; ad fines terræ, unde per Occidentem & Orientem intelligit uniuersam terram, tanquàm per extrema terræ, atq; ita ostendit se esse eum regem, in quo debeant impleri promissiones illæ Psal. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et Psal. 72. Et dominabitur à mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad terminos orbis terrarum &c. Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes seruient ei. Et Esa. 49. Et sis salus mea usq; ad extremum terræ. Atq; ideò discipulos suos emittens dicit: Ite in orbem uniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ &c. Et: Docete omnes gentes. Et Act. 1. A Samaria usq; ad ultimum terræ. Psal. 2. Psal. 72. Esa. 49. Mat. ult. Mar. ult. Act. 1.

Hoc factum est per prædicationem Euangelij, cuius sonitus in omnem terram exiuit, Rom. 10. Vnde & illud factum est, quod Malachiæ 1. legimus: Ab ortu solis usq; ad occasum magnum erit nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificabitur & offeretur nomini meo oblatio munda: quia magnum erit nomen meum in gentibus dicit dominus Deus exercituum. Rom. 10. Mala. 1.

Ex hoc loco & similibus disputat Augustinus contra Donatistas, qui uolebant latitudinem regni Christi coartare in angulum Africæ: ita, ut extra sectam suam, quæ obtinuerat in Africa, negarent esse uspiam Christianos, quod & illi faciunt, qui pomeria regni Christi cogunt ad ditionẽ Romani pontificis: ita, ut nisi quis illum uice capitis cognoscat, potestatiq; ipsius se subdat, nequeat esse Christianus, quasi nequeant qui in Græcia, in Africa, in Asia, in India sunt, pertinere ad regnum Christi, etiam si non agnoscant Romani pontificis Monarchiam. Aug. Item nota quod non dicit: uenient et recumbẽt cũ Petro Romano ponrifice, sed cũ Abraham.

ANABAPTISTAE.

Eodem modo delirant & Anabaptistæ, asserentes extra sectam suam neminem esse Christianũ, quasi ante ortum Anabaptismum nemo fuerit Christianus.

Et recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno Dei.] Secundo, quòd non dicit simpliciter, & credent in me, tametsi nihil intelligat aliud. Nec dicit: Et recumbent mecum in regno Dei, aut regno meo, sed recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno dei, ostendit non esse aliam fidem qua in se creditur, quàm fidem Abrahæ. Nam & alibi dicit: Abraham uidit diem meum & gauisus est. Ne putetur ergo inducere aliam fidem, quam nemo antea habuerit, aut aliud prædicare regnum, quàm in quo sint & ueteres sancti patriarchæ, non dicit: credent in me, & recumbent in regno meo, sed recumbent cum Abraham &c. in regno Dei.

Vt ostendat ergo unum esse populum, eos qui ex gentibus, & qui ex Iudæis in se crediderunt et credunt: deinde & unum esse regnum, & unum Deum, & unam fidem, & unum mediatorem, se scilicet, inter Deum & hominem, notanter ista dicit.

Si enim coniunguntur in Christum ex gentibus credentes cum Abraham, Isaac, & Iacob, hoc est, Israëlitarum patribus & radice. Ergo unus est dei populus ex Iudæis & gentibus. 2

Deinde, si ista coniunctio est per fidem, ergo una est fides utrinq;. 3

3 Tertio, si per fidem est in Christũ Iesum apud utrosq;, ergo utrobiq; unus est mediator Dei & hominum Chri
4 stus Iesus. Quarto, si unus hic populus in unum regnum congregatur, Ergo sub unum dominum, nempe Chri=
5 stum. Quinto, si regnum illud regnum est Dei, ergo utrobiq; unus Deus, Deus scilicet Abrahæ Isaac & Iaa=cob. Hinc est quod Paulus dicit unum esse Deum, unum dominum, unam fidem. Et alibi, unum esse mediatorem. Ista si intelligerent Iudæi, nempe in Christum credentes esse filios Abrahæ, & fidem in Christũ esse fidem Abra hæ, nihil haberent quod recusarent, quin Christum cõplecterentur nobiscum.

QVAESTIO.

Sed merito quis hic rogauerit, si ideò de ueteribus nominare uoluit, ut ostendat se non inducere nouam fi=dem, & ut doceat unum futurum populum ex Iudæis & gentibus credentibus, cur non meminit Mosis & Aheronis, cum tamen & ipsi piisfuerint, & in se quoq; credentes, ut dixisset: Et recumbent cum Mose & Aheron=ne in regno Dei? Nũquid & illi recũbunt in regno Dei?

Cur nõ cum Mose & Aaron uel cum Dauide.

Respondeo. Studio commemorat eos patres, qui fue runt ante legem datam, qui sine operibus legis Deo sola fide placuerunt, ut ostendat in se credentes sine lege legisq; operibus saluandos sola fide, quemadmodũ Abra=ham Isaac & Iacob, atq; ita retundat superbiã Iudæo=rum ac fastuosissimũ supercilium, quo propter legis ope ra intumescebant aduersum gentes, putantes se ex legis operibus habere iustitiam & salutem. De hac re disputat Paulus in epistola ad Romanos copiosissime ac potentissime per exemplum Abrahæ euincẽs fidei soli ad=scribi debere iustificationem. Rom. 4.

Rom. 4

Venient & recũbent.] Quod dicit: uenient ideò fit, ut ostendatur id quod Paulus Rom. 11. de radice oli=uæ, & de ramis ex oleastro insertis disserit, & ad Ephe. 2. de eo quod gentes aliquando procul ac longe ab fue=rint ab hæreditate Dei. Neq; enim Iudæi ad gentes con=cesserũt in Christo, sed gentes ad Iudæos fideles recte ue nisse dicuntur, cum ad Christum accesserunt per fidem. Hinc illud Esa. 2. Ascendamus ad montem Domini &c. & fluant ad eum omnes gentes.

Rom. 11
Ephe. 2

Filij aũt regni eiciẽtur in tenebras exteriores, ibi erit fletus uel stridor dentiũ.

Hoc est alterum quod diximus Christum hic agere, nempe de reiectione Iudæorum: uocat eos filios regni, eo quod propriè ad illos pertinebãt promissiones regni Christi & testamenta. De hac re disputat Paulus Rom. 9. 10. 11. Assignat aũt huius excisionis Israëlitarum duas
1 causas. Vnã quæ culpam habeat Iudæorũ, nempe incre=dulitatem, Rom. 11. Propter incredulitatẽ, inquit excisi
2 sunt. Alteram, quæ prouidentiam Dei concernat ac mi=sericordiã in gentes, nempe, salutẽ gentium, ut ibidem. Ex eorũ delicto salus est gentibus, & delictum illorũ di=uitiæ sunt mundi, & cæcitas cecidit super Israël, donec plenitudo gentium intrauerit. Quin & gentium uoca=tionem Deus uoluit esse æmulationem Israëlitarum, ut ibidem legimus, & suprà cap. 10.

Non est autem putandum, quod omnes Iudæi filij regni, electos uoluerit Dominus, sed quosdam sibi ex illis delegit, ut habes Rom. 11. Quẽadmodũ & nõ est puta=dũ gẽtes omnes fuisse saluãdas, sed electi dũtaxat ex illis.

In tenebras exteriores.] Quidam hic intelligunt cæcitatem illam huius populi, de qua Paulus Roma. 11. Quemadmodũ enim qui Christũ sequuntur nõ ambulãt in tenebris, sed habẽt lumẽ uitæ, ita uicissim qui per in=credulitatẽ illud auersantur & fugiunt, ambulãt in te=nebris. Et quoniam ista Iudæorũ cæcitas suprà modum est crassa, ita ut palpari posset, et uideri illos iudicio Do mini excæcatos putãt adiungi, exteriores. Quidã uero, quod probabilius est, intelligũt ista de statu damnatorũ, qui recte tenebris exterioribus cõparatur propter hor rorem, ut status electorũ bene cõparatur luci, propter gaudij æterni amœnitatem, atq; ideò adiungitur.

Vide infra 13. & alibi quibusdam locis, Mat. 22. 25

Ibi erit fletus & stridor dentium.] Metaphora est, qua comparat infelicem illam damnatorũ conditio=nem & statum captiuis in loco tenebricoso & horroris pleno sedentibus, quos conscientia mali & horror iudi=cij futuri misere cruciat, & ad fletum & stridorem den tium cogit, angustias siquidem animarum damnata=rum sic exprimere uisum est.

QVAE HIC NOTANDA SINT

Suprà audiuimus de diuina Christi potẽtia, quomo=do sit uerus & unigenitus Dei filius, ad confirmationem fidei nostræ. Iam recto ordine subiungitur, nos quoq; li=cet simus ex gentibus ad regnũ ipsius pertinere, id quod nobis summopere obseruandum est. Quid enim nobis prodesset Christum esse filiũ Dei unigenitũ, & regnum eius esse regnũ salutis æternæ, nisi & nos ipsius essemus participes? Proinde bene inculcanda sunt quæ Christus hic dicit de accessione gentium, & quæ Paulus in epi=stola ad Romanos disputat.

Deinde ex eo quod suprà collectũ est, unum esse po=pulum ex Iudæis ac gentibus, in Christo Iesu, unum esse Deum, unum regnum Christi, unum Dominum, unam fi dem, & ex eo, quod qui ex gentibus in Christũ credunt, ad Abraham uenire dicuntur, & cum illo recumbere in regno Dei, aperte colligitur eorum ignorantia uel cer=te pertinacia, qui quum de pædobaptismate agitur, no=lunt de signo fœderis dici iuxta rationem fœderis, quod ictum est inter Deum & Abraham, Gen. 17. quũ tamen testamentum illud maneat, de quo ad Abraham dictum est à Deo, teste Petro Act. 3. ubi dicit: uos estis filij pro=phetarum & testamenti, quod disposuit Deus ad patres uestros, dicens ad Abraham &c.

Gene. 17

Act. 3

Iam illud testamentum includit non solum creden=tes apud Iudæos, sed & credentium liberos, unde non so lum credentibus, sed & ipsorum liberis dabatur signum fœderis, qua in re summopere declarabatur gratia dei. Si ergo idem populus, idem Deus, idem Dominus, idem fœdus, & eadem fides, idem regnũ, eademq; promissio, qua ratione non esset eadem ratio fœderis apud nos quæ fuit apud Abraham, Isaac & Iacob, in eo, in quo maxi=me diuina beneuolentia erga populum suum commen=datur, nempe, quod & in nouo testamento non solũ cre=dentes, sed & credentium liberi ad regnum Dei ac fœ=dus illud Abrahæ pertineant in Christo Iesu, maxime, cum simus eum Abrahã, Isaac & Iacob in uno fœdere?

Nisi

Nisi hoc esset, quomodo nos cõiuncti essemus Israëlitis, aut Iudæus in suo fœdere mansisset, nempe in fœdere Abrahæ, si in Christo amitterent ius fœderis liberi Iudæorum? Si ergo uerum est, quod non Abraham ad nos, sed nos ad Abraham Isaac & Iacob conceßimus, oportet nõ minus uerũ esse rationẽ fœderis Abrahæ manere, & nos in illud cum liberis nostris pari ratione includi.

1 Vnde loci illi primo omnium bene sunt notandi, quæ ostendunt, ut unum esse Deum & Dominum, unum mediatorem inter Deum & hominem, unum regnum Dei, ita esse & unum populum Dei ac regni Dei, hoc est non minus ad regnum Christi pertinere ueteres Abraham cum suis, quàm eos qui post Christũ fuerunt, & nos non minus, qui ex gentibus sumus ad Christum & Abraham pertinere, quàm eos qui sunt ex lumbis Abrahæ. Atque huc pertinent illi loci. Matth. 8. Multi ab oriente &c. Item Matth. 20. Parabola uineæ, ad quam unam licet diuersis temporibus operatores conducuntur. Matth. 21. Vineam suam locabit alijs agricolis. Ioan. 10. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere &c. Ephe. 2. Et ambos unum fecit. Act. 2. Vestra enim est promißio & filiorum uestrorum, & omnium qui longe sunt. Rom. 10. Insiti sumus in oliuam. 1 Corinth. 10. Comederunt eandem escam &c.

2 Deinde, notandum quod hæc unius populi ita habet unio, ut non Iudæi ad gentes, sed gentes ad Iudæos accesserint: non Abraham ad nos, sed nos ad Abraham.

3 Tertio. Quod illud fieri non poterit, nisi manente fœderis ratione, quod pepigit Deus cum Abraham, nempe, ut et liberi credentium sint in fœdere ac regno Dei, unde illud Matth. 19. Ipsorum est regnum cœlorum.

4 Quarto. Quod nulla ratione posßit negari signum fœderis illis qui pertinent ad ius fœderis.

Quum itaq; baptismus nihil aliud sit, quàm signum fœderis & gratiæ Dei in nouo Testamẽto, & pueri credentium non minus sint participes Testamenti huius & gratiæ Dei, quæ data est electis in regno Dei per Christum Iesum, quæ fuerit insania uelle illis negare signum huius gratiæ? Quid hoc esset aliud quàm pueros nostros habere pro excluſis & alienis à gratia & fœdere Dei? Qui signum negat, is certè & signatum, quantum in se est aufert.

Apparet itaq; hic, quis sit eorum error, qui fidem nostram uolunt facere fundamentum baptismatis in uniuersum apud omnes, ita ut ubicunq; non fuerit fides, ibi baptizari non debeat, atq; ideò infantibus non esse dandum baptisma eo quod fidem non habeant. Neque enim Apostolos baptizasse nisi ad cõfeßionem fidei, atq; ideò non nisi adultos baptizasse.

Adultos quidem non sine fidei confeßione baptizarunt. Sed ex eo non sequitur, quod idẽ ab infantibus exegerint, quod ab adultis. Neq; uerũ est, quod ubiq; præuiam fidem exegerint. Vide Act. 16.

Quin ne Iudæi quidem aliquem circumcidissent adultum, sine confeßione fidei. Nec adultus Abraham signum fœderis sine fidei testimonio accepit. Ex eo tamen nõ sequitur etiam ab infantibus idem esse exactum, quod ab adultis. Qua ratione illud hodie fieret, & non magis quemadmodum sine fidei testimonio liberi credentiũ ex sola Dei infinita gratia in fœdus admißi sunt, ita etiam sine præuia fide signum fœderis acceperint, ut tum ita & nunc?

Proinde loca illa quæ de fide agunt, ut quod ad salutem & uitam æternã, ita & baptismum attinet, & quæ pertinẽt ad incredulitatem, non sunt ad credentium infantes trahenda. Neque enim illi adeò iniquum habent Deum, ut eadem ratione ad fidem exigantur, quomodo adulti, ut sunt. Hebr. 11. Sine fide impoßibile est Deo placere. Matth. ult. Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. Qui non crediderit condemnabitur. Rom. 14. Quicquid non est ex fide peccatum est. Act. 8. Si credideris ex toto corde, bene fieri potest.

Omnia illa loca, quæ de fide agunt, de timore, dilectioneq; Dei, mortificatione ueteris Adami, & resuscitatione noui, per omnem scripturam, aut si quid aliud est eiusmodi, non sunt in uniuersum ad omnis ætatis homines rapienda, sed duntaxat ad eos qui horum sunt capaces. Quod itaq; dicitur Ebr. 11. Sine fide impoßibile est Deo placere, si traheretur ad pueros etiam reclamaret illud: Iacob dilexi &c. Rom. 9. Et illud. Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit: Qui uerò non crediderit condẽnabitur. Primũ nõ ad hoc dicitur, ut ostendatur quis debeat baptizari, quis nõ, sed quis sit saluandus, quis nõ. Neq; id ita, ut ad cuiusuis ætatis homines pertineat, sed solũ ad eos, qui uerbũ audierunt, et uel receperunt uel abiecerunt. Et Rom. 14. Quicquid non est ex fide peccatum est, ad eos duntaxat pertinet qui contra conscientiam, aut præter fidem, incredulitatis ac diffidentiæ capaces, quid agunt. Et illud. Qui ex Deo est uerba Dei audit, ad adultos duntaxat. Ebr. 11 Matth. ult. Rom. 14 Ioan. 8

Nihil uerò hæc omnia ad infantes pertinẽt, nec ideò dicendum est, infantes Deo non placere, quod fidem non habent, nec infantes saluari sine fide non posse, aut peccatum esse quod infantes faciunt, eo quod ex fide non faciunt, aut mox ex Deo non esse infantes, quod uerba Dei non audiunt.

Alia est omnino de salute infantium loquendi ratio, quàm de adultis. De adultis quidem loquens scriptura, fidei meminit, quæ ab illis necessario exigatur. Sed memorandum est, eam non esse radicem salutis, sed magis gratiam ac propoßitum Dei, ita ut fides potius sit instar fructus, ex qua cognoscatur arbor. Paulus Rom. 9. gradus ponens diuinæ erga nos beneuolentiæ, non à fide, sed ab electione orditur, ita ut rectè dici posßit. Qui electus est saluabitur, non minus uere, quàm qui crediderit, saluabitur. Proinde quod ad infantes attinet, non plane uerum est, sine fide impoßibile esse deo placere. Neq; illud quicquam demet infantibus. Qui crediderit saluus erit, Qui non crediderit condemnabitur: Sunt illa quidem uera, sed nõ ideò mox uerum est, sine fide neminem saluari, si infantes respicias. Neq; mox infantes incredulitatem habent, eo quod fidem non habent.

Tam enim inepte dixeris infantes esse incredulos, eo quod fidem non habent, quàm ideò stultos, quod pru- Simile

dentia & usu rationis carent. Proinde quicquid attinet ad salutem aut rursus ad perditionem, illud non æque ab infantibus atq; adultis requiritur sola dempta electione. Ad salutem requiritur etiam dilectio Dei, timor Dei, spes, & mortificatio ueteris Adami. Matth. 7. legimus. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cœlorum. Sed qui facit uoluntatem patris mei, qui in cœlis est. Ergo infantes qui nesciunt uoluntatem patris facere, non intrabunt in regnum cœlorum? Absit. Matth. 19. legimus. Quia talium est regnum cœlorum. Luc. 14. dicit Christus. Qui uenit ad me & non odit patrem &c. non est me dignus. Ergo repudiantur infantes, ita ut ad Christum non possint uenire? Absit. Nam Matth. 19. dicit: Sinite paruulos uenire ad me.

Matth. 7

Matth. 19

Luc. 14

Quis princeps non exigit à populo suo timorem & fidem, amorẽ & obedientiam? Certè omnes. Ergo non ferunt in ditionibus suis infantes, eo quod ista præstare nequeũt? Absit. Hos potißimũ curãt. Nemo est adeò inhumanus ut ab infantibus hoc exigat quod ab adultis. Vide Exo. 19. ibi dicit Deus domui Iacob & filijs Israël. Si audieritis uocem meam & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis. Hoc non potuerunt infantes eorũ, ergo nõ erant peculiũ Dei? Absit. Nam aliud habet fœdus. Et Num. 14. repelluntur, ne terram ingrediãtur, quotquot nõ obedierũt uoci Domini. Ergo etiam infantes? Nequaquam. Sed illi ingrediũtur.

Exo. 19

Num. 14

Quum itaq; uideamus etiã apud Deum longe aliam esse infantium quàm adultorum rationem, quantum attinet ad salutem, ad regni cœlorum ingressum, ad fœdus Dei, qua quæso ratione non idem sentiremus de signo fœderis? Exigitur fides à baptizandis per Apostolos, ut Act. 8. Philippus ab Eunucho. Recte. Sed hoc relinquendum adultis. De paruulis uerò alia est ratio. Illis satis est esse in fœdere Dei, tanquam liberis credentium, ad hoc, ut signum fœderis accipiant, ita ut stultißime facturus, quisquis ideò nolit baptizari infantes eo quod fidem non habeant, quũ & adulti non alia de causa prohibeantur à baptißmate, quàm quod increduli sunt, id quod certè infantes non sunt.

Act. 8

Relinquitur ergo adhuc firmum, infantes nostros esse de populo Dei, esse cum Abraham Isaac & Iacob in regno Dei, ratione fœderis icti à Deo cum Abraham Isaac & Iacob. Atq; ideò non debere prohiberi à signo fœderis atq; gratiæ huius.

Tertio. Notanda metaphora recubitus ad mensam scilicet, qua gaudium & requiẽ regni Dei Christus hic uoluit exprimere, quemadmodum & Luc. 22. facit. Sic & Dauid Psal. 23. Et ne quis putet more Iudaico, hanc requiem fore corporalem ac terrenam, perpendendum est, nõ posse esse nisi spiritalẽ, ex eo, quod dicit et gentes recubituros esse cum Abraham Isaac & Iacob, qui tamen diu ante obierunt.

Matth. 11 Venite ad me omnes, et ego requiẽ præstabo uobis.

Quarto. Ex eo quod dicit filios regni eijciendos foras. Admonemur eius, quod Paulus Rom. 11. admonet. Vide suprà cap. 6. ibi. Pater noster.

Vade, fiat tibi sicut credidisti.

His uerbis respondet Dominus Centurioni, annuens petitioni illius, pariterq; pacatum & uoti cõpotem ad sua remittens. Sunt autem hæc modica Christi uerba ingentis & inexplicabilis consolationis. Proinde illa paululum tractemus, quoniam sæpe in Euãgelio occurrunt.

Primo. Quod dicit, uade, nihil aliud est, quàm sis animo bono & pacato. Neq; enim simplex est iußio eundi ad sua, quæ nihil aliud in se habeat, quàm simplicem abitionem. Sed includit in se assensum super eo quod petierat. Nã ita solemus eos, quos uolumus à nobis quietos & uoti compotes abire, dimittere ut dicamus, uade sis bono animo. Sic Dauid petitioni mulieris Thecuitæ consentiens dicebat, uade in domũ tuam, & ego iubebo pro te. Quod certè nihil erat aliud, quàm sis bono animo et securo de filio tuo, nec amplius huius gratia quicq; molesteris, sed quieta uade in domũ tuã, ego expediam, ut quod times nõ eueniat. Nam eo nomine putabat illam relicta domo sua, ad se, ut mulier adflicta, quærens filio suo securitatẽ, uenisse eam quia iam promittebat, iubet, ut domũ unde egressa erat, reuertatur, tanq; nihil amplius sollicita eius rei, sed iam bene secura. 2 Sam. 14. 1 Vade Est enim ibi quoddam ut de quo per modum indignationis ut reijcimus, quos ferre non possumus, sic Christus ad suos, uade Sara. Et ad Petrum uade retro me Sara. Matth. 16

Sic Christus aliquoties legitur adflictos à se impetrata consolatione dimisisse, ut Mar. 5. dicebat mulieri, quæ sanguinis profluuiũ passa fimbriã uestimenti ipsius tetigerat, uade in pace, et esto sana à plaga tua. Ita Luc. 17. dicebat uni ex decẽ leprosis, uade, fides tua te saluũ fecit. Et Ioan. 4. ad Regulũ, uade, inquit, filius tuus uiuit.

Deinde, quod dicit, fiat, non solum exprimit bonitatem suam, sed & omnipotentiam, eam scilicet, qua in sua uoluntate & potestate habẽs & uitam & mortem, & sanitatẽ & morbos, solo assensu seruum hũc iamiam moriturum uitæ ac sanitati restituebat. De eo diximus suprà. Hic uerò rursus admoneo, ut huiusmodi locos bene notemus. Non dicit uade, orabo pro te patrem, uel pro seruo tuo, sed, uade, fiat tibi sicut credidisti. Id quod omnino est uerbum dominantis, qui in arbitrio suo habet uel assentire petitis uel abnuere. 2 Fiat

Tertio. Quod non dicit, fiat seruo tuo, sed fiat tibi, ostendit apud Deum hunc seruum, & quæ illum concernebant, huic non aliter deputari, quàm quemadmodum ipse per charitatem suã illum, illiusq; ægritudinẽ suam fecerat. Ergo beneficium hoc quod Christus Centurionis seruo præstitit non tam seruo, quàm ipsi Centurioni præstitit, quandoquidẽ ipse Centurio causam serui suam fecerat. Docemur ergo hoc loco, quicquid alienorum incommodorum per charitatem & misericordiam nostrum fecerimus, proq; eo ad Deum precati fuerimus, illud apud Deum quoq; pro nostro incommodo habendum. Id quod reuera magnæ beneuolẽtiæ Dei indicium est. Ita enim amat nos ut non solum nostris incommodis sit opem laturus tanquam nostris, sed & alienis, quæ per dilectionem in nos transtulerimus. 3 Tibi

Deinde, quoniam hoc sanitatis beneficium, tametsi Centurioni à Christo exhibebatur, nihilominus tamen seruo in bonum cedebat, qui illo reipsa potiebatur, uidemus, quàm sit bonum pijs esse affinem, piorumq; habere gratiam & patrocinium. Respiciũtur quidem pij, dum pro alijs orantes, diuinam beneuolentiam & gra-

tiam

tiam impetrant, ita ut quæ Deus præstat bona illis pro quibus orant, illa magis pijs præstet, quàm istis, uerumtamen interea isti beneficio per pios impetrato potiuntur. Sic dabatur ciuitas Zeyr precibus Loth. Verum interim ipsa seruabatur, ne cum alijs ciuitatibus interiret. Gene. 19. Et illi qui cum Paulo Romam nauigabant naufragiũ passuri, dabantur quidem omnes Paulo quẽadmodũ legimus Act. 27. Ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum, & tamen interea ipsi potiebantur salute ea, quæ Paulo data erat.

Primum ergo fuerat ita fide adhærere Deo, charosq; illi fieri, ut alijs essemus coram eo saluti, dum pro illis ad eum precando, eorum necessitates nostras efficeremus, uerum quoniam illud nõ est adeò multorum, erit proximum, ut qui in primo gradu illo non sunt, secundum hunc teneant, hoc est, ut pijs esse affines studeant, ut quod per se nequeunt, per illos consequantur à Deo. Ita certè si decem iusti fuissent in Sedomis, misericordiam Dei omnis populus, quam per se non potuit, per iustos acquisiuisset. Atq; hoc est, quod maioribus nostris persuasit, ut tanta bona largirentur sacrificulis. Primum, quos putarunt Deo charos, atq; ideò preces eorũ multa apud Deum posse, deinde monachis ueluti sanctioribus. Verum in hoc falsi sunt, quod inciderunt in hypocritas, quos Deus ultra omnes peccatores detestatur. Deinde, quod ipsi interea eo licentius in malis progressi sunt.

Sicut credidisti. Quarto. Quod non dicit: Fiat tibi secundum iustitiam tuam, uel probitatẽ tuam, sed, sicut credidisti, hoc est, secundum fidem tuam. Nec dicit: sicut rogasti, sed sicut credidisti. Admonemur in precationibus piorum nõ attendi à Deo tam iustitiam & probitatem precantis, quàm fiduciam. Aut certè si aliqua iustitia ad hoc quæritur, ut orans à Deo exaudiatur, fidem esse illam iustitiam quæ quæritur. Hinc est quod toties legimus à Christo dictum, fides tua te saluũ fecit. Iuxta fidem tuam fiat tibi: Et uidens fidem illorum &c. ut Matth. 9. 15. Mar. 5. & 10. Lucæ 5. 8. 18. Prætereà tota scriptura nobis hoc nomine fidem commendat, quod una ipsa pro iustitia nobis apud Deum reputetur, id quod Paulus magnis & multis argumentis conuincit.

Summopere ergo notandum est, talem nos habere Deum, qualiter illi fidem uel habuerimus uel negauerimus. Et certè merito iniquum sibi Deum sentiunt quotquot illi male fidũt. Quæ enim maior est iniquitas, quàm optimo bono, male fidere? Omnia bona sperantibus in se promittit, idq; gratuito, nihil enim debet, & nihil uicissim exigit, quàm ut sibi fidem habeamus, tanquã ueraci & misericordi, hoc qui non fecerit, quid iustius expectabit à Deo, quàm quæ fidei suæ conueniant?

Deinde & hoc pensandũ est, non esse nostri meriti, quod talẽ Deũ habemus qualẽ illũ nobis credimus, quod iuxta fidẽ nostrã nos exaudit, sed planè inedicibilis ipsius bonitatis simul ac ueritatis quæ fallere nescit sperantes in se. Videmus etiam hoc loco depictũ gratiæ thronum in Christo Iesu, ad quem nos literæ Apostolicæ subinde mittunt, ubi tempore oportuno gratiã inueniamus. Hic est enim Christus qui uerè imaginẽ patris exprimit, patris misericordiarũ & Dei totius cõsolationis, à quo nemo adflictorũ, qui fide duntaxat accesserit, nõ consolatus abscesserit nec abscedet unq̃. Proinde ultro etiam ad se inuitat adflictos Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã uos. Neq; enim putandum est, quod hic gratiæ thronus duntaxat illo tempore patuerit, dum pedibus accedere licuit, & iam ubi non licet, sit occlusus. Christus heri & hodie, & in perpetuum. Ebr. 13. Nec putandũ est, quod tum solum corporalibus, aut nunc solum spiritalibus malis medeatur. Integer est saluator, totum hominem curans.

Fiat. Ipse est ille Pontifex, dispensator gratiarum, & Imperator ille αὐτοκράτωρ, qui si, fiat, subscripserit, omnino ratum erit, ac firmũ. Quũ ergo tanti æstimetur illud fiat, si adeptum fuerit ab Imperatore, qui fit, quod hic non magis quæritur, qui solus habet efficax fiat, quo non subscribente, nihil est omnium potentum fiat?

1 Soletur ergo nos, Christum regem & Imperatorem nostrum, qui omnem potestatem habet in cœlo & in terra, cui omnia nolint uelint obedire cogũtur, solum eum esse, cuius subscriptio sit efficax, contra omnes aduersarios ueritatis, multa contra doctrinam Dei præsumentes. Permittamus aduersarijs, ut potentum huius mundi subscriptionem & assensum ambiant, dum uerbũ Christi extinctum cupiunt, & uideamus quid sint effecturi.

2 Deinde soletur etiam nos, quod attinet ad gratiam Christi, quam hic locus exprimit, nempe quod, efficax illud fiat, nõ iustitiæ probitatiq; nostræ, sed fidei subscribitur. De quo suprà. Oportet aũt hæc duo coniungere, efficaciã scilicet diuinæ potentiæ, & bonitatem gratiæ. Nihil enim horum sine altero consolationi poterit esse. Quid enim solatij præbeat potentia Christi, remota gratiæ beneuolentia? deinde quid beneuolentia, siue potentiæ ipsius efficacia?

Et cum uenisset Iesus in domum Petri, uidit socrũ illius in lecto decũbentẽ, & febricitãtẽ, tetigitq; manũ illius, & reliquit illã febris, & surrexit ac ministrauit illis.

Historiã hanc Marcus & Lucas ita collocant, quãtum attinet ad rerum gestarũ ordinem, ut appareat socrum hanc Petri à Domino curatam esse, mox atq; esset è synagoga Capernaum egressus, Matthæus uerò ita, ut uideatur mox sub ingressum Christi in hanc ciuitatem esse factum. Verum utut sit, nihil hic anxie sudandũ fuerit. Neque enim omnino in hoc fuerunt Euangelistæ, ut quando quodq; sit factum commemorarent, satis habentes uirtutem Christi orbi proposuisse. Mar. 1 Luc. 4

Et protinus e synagoga egressi uenerunt in domũ Symonis. Declarabimus aũt primo, quæ literam & historiam concernunt. Marcus dicit non solum Christum, sed & alios cum eo mox è synagoga in domum Petri uenisse. Credibile est autem multos ex populo, ex ædito miraculo curati dæmoniaci stupefactos, cum Christo synagogam egressos, cum magna eum frequentia deduxisse.

Deinde, quod dicit, & uenit in domum Petri. Marcus addit, & Andreæ, oritur quæstio, quomodo domus Petri & Andreæ fuerit Capernaum, cum scriptum sit Ioan. 1. Erat autem Philippus à Bethzaida ciuitate An-

dreæ & Petri. Si ergo ciuitas Petri & Andreæ est Bethzaida, quomodo legũtur domum habuisse Capernaum? Potest id solui duobus modis. Primo, ut sint Bethzaidanati & educati, Capernaũ uerò habitauerint, propter lacum uicinum ad piscandum aptum, ita ut parentes eorum illo diuerterint & habitauerint. Aut si hoc non uidetur, potest esse ut à Bethsaida domũ transtulerint Capernaum post uocationem suam, eo quod illic Christus à Nazareth eiectus diuertisset, Lucæ 4.

3 Tertio. Quod hic scribit, & uidit Socrum illius in lecto decumbentem &c. Marcus dicit alios, qui cum ipso uenerãt in has ædes aut certè Simonẽ et Andreã, illi morbũ mulieris indicasse. Et Lucas, etiã orasse pro ea.

4 Quarto. Quod Matthæus & Marcus simpliciter dicũt Christum apprehensa manu illius mulierem erexisse & sanasse, Lucas dicit illum etiam increpasse febrim, atq; ita pepulisse, nimirum, ut exprimat diligenter potentiam Christi planè diuinam.

5 Quinto. Quod hic dicit febrim reliquisse mulierem, Marcus & Lucas addũt mox & euestigio, ut exprimãt miraculosam sanationẽ, unde & omnes subdunt, & erecta ministrauit illis, ad quod & illud facit, quod Matthæus dicit, illam fuisse proiectam βεβλημμένην, & Lucas, magna detentam fuisse febri. Ista enim perpensa declarant Christi potentiam planè diuinam, qua non solum febrim mox uerbo cõtactuq; suo depulit, sed & toti corpori uigorem suum mox restituit, ita ut nihil superesset uestigij eius morbi in corpore. Aliâs nanq; etiam si relictũ fuerit à febri corpus, remanet tamen adhuc quædam debilitas in membris, aliquandiu, quæ non statim abeat. Hic uerò mox omnia simul per potentiam Christi abacta sunt, & morbus pariter & membrorum debilitatio, & euestigio restituta integra sanitas.

QVAE EX HAC HISTORIA notanda sint.

Vt quæ in hac historia ad doctrinam & consolationẽ nostrã faciunt ordine uideamus considerabimus personas quarum hic Euangelistæ mentionem faciunt, & uidebimus quid singuli nos admoneant.

PETRVS ET ANDREAS.

Contra Anabapt. Primum in eo quod Marcus dicit Christum uenisse cum suis in domũ Petri & Andreæ, notandum est quomodo Apostoli sua reliquerint, quum Christum sequerentur. Sed de hoc uide suprà cap. 4.

PETRVS.

Deinde. Videmus hic hominem existentem in matrimonio ad Apostolatum à Christo uocatũ, nempe Petrum cuius hic socrum curat. Quanquam Hieronymus fatetur alicubi omnes Apostolos habere uxores, excepto Ioanne. Vnde est ergo quod Pontifices Romani abstulerunt uxores Episcopis & reliquis Ecclesiæ ministris? Et ne quis dicat, eos reliquisse uxores suas, obstat
1 Cor. 9 Paulus 1 Corinth. 9. ubi dicit: Nunquid non habemus potestatem sororem mulierculam circumducendi sicut & cæteri Apostoli & fratres Domini, & Cephas? Ergo Apostoli Domini & Petrus ipse mulieres circumduxerunt secum in Apostolatu, negari non potest. Iam illæ uel fuerũt uxores, uel non. Si uxores, quomodo reliquerunt illas? Si non, ergo Apostoli relictis proprijs uxoribus circumduxerunt alienas. Sed quis istud scandali adscribet sanctis Apostolis? Certè Pontificij citius admittent scortatione usos Apostolos, quàm legitimo matrimonio. Sed quare? In promptu causa est, ut patrocinentur suæ scortationi impudentissimæ. Sed contradicunt ueteres etiam. Clemens, ut est in Eusebio Ecclesiasticæ historiæ libro tertio, cap. 30. scribens aduersum eos qui nuptias spernunt, dicit: An & Apostolos contemnunt? Petrus enim & Philippus uxores habuerunt, & filias etiam uiris nuptum dederunt. Sed & Paulum nõ tædet Apostolum in quadam Epistola sua mentionem uel salutationem facere comparis suæ, quam se ideo negat circumducere, ut ad prædicationem Euangelij expeditior fiat. Ecce uel ex hoc loco liquet Paulum loqui de uxoribus Apostolorum, quas circumduxerint, quod & ipse facere potuisset, si uisum fuisset. Clemens Euseb. lib. 3. cap. 30

EVANGELISTAE.

Tertio. Notandum est in Euangelistis Matthæo & 3
Luca, quàm sint sancti humani ac mitibus pectoribus, in eo, dum dicunt mulierem hanc fuisse βεβλημμένην, & magno febris ardore laborasse. Aliâs quippe solent qui tales non sunt, quæ alijs mala obueniunt, extenuare, sua uerò in immensum exaggerare, id quod indicium est eos non teneri compassione alienorum malorum, sua uerò impatientius ferre. Sed contrarium habent sancti. Illi sua patienter ferunt & extenuant, aliena uerò ægre ferunt & cum dolore. Sed de eo sanctorum ingenio suprà dictum est in Centurione.

COMITES CHRISTI ORANTES pro socru Petri.

Quarto. Quod Marcus dicit eos qui cum Christo 4
in ædibus Simonis & Andreæ erant, mulieris ægrotæ mentionẽ fecisse apud Christum, & Lucas, orasse etiam pro ea, exprimitur exemplum fidei & dilectionis. Fidei in potentiam & bonitatem Christi. Nisi enim credidissent Christum & posse pro sua potentia diuina mulierem hanc magno febris æstu proiectam & laborantem erigere, & pro sua bonitate uelle etiam, ad quid de ea ad ipsum retulissent, & orassent etiam? Satis erat illis, quod credebant Christum hoc & posse & libenter facturum, hoc est, eum esse & potentem & bonũ, ad hoc ut eum orarent. Quur quæso nõ & nobis iam quoq; ista satis sunt ad fidem nostram corroborandam? Si de potentia & bonitate Christi nõ dubitamus, cur alios inuocamus quàm Christũ nostrum? Et quæ est ista insania quod Pontificij dum male habent, eos inuocãt qui paria mala aliquando passi sunt? Quemadmodũ fingunt Petronellam à febri curatã febrim pellere posse? & Rochum, cui pestis sit per angelum sublata & curata, ualere contra pestem? & Otiliam, cui reddita sit acies oculorum à Domino, posse uisum cæcis reddere? Quur non magis eum inuocant, qui istos curauit, quàm eos qui curati sunt? Isti certè nõ ideò Christũ orant pro socru febri curanda, quod putassent ipsum etiã aliquãdo febri laborasse, curatumq; esse diuinitus, sed ex eo, quod credebãt eũ habere uirtutem Contra Pontificios

uirtutem & bonitatem, ut posset & uellet etiã curare. Deinde uidendũ etiam charitatis exemplũ in istis, quod morbum alienũ domino offerunt, orantes, ut curetur.

CHRISTVS.

5 Quinto, in Christo præter eius potentiã & bonitatem, quæ duo semper sunt obseruanda: notandum etiam hic est, quomodo socrum hanc Petri curauerit, nempe non solo uerbo, sed & contactu, in quo rursus uidemus quomodo sanitatẽ largiatur externo contactu, cum tamen, nequeat illo comprehendi.

SOCRVS PETRI.

6 Sexto, in eo quod scribunt simul omnes erectam mulierem Christo cum suis ministrasse, hoc est, ad mensam & ad reliqua necessaria inseruisse.

1 Videmus gratitudinis exemplum. Mulier ista accepta corporis sanitate per Christum utitur illa in ministerium Christi suorumq; tanquam ipso facto gratitudinis ingenium exprimens. Admonemur ergo hoc loco, ut donis diuinitus acceptis utamur in ministerium Dei, à quo illa accepimus. Exigunt hoc homines ab illis, quos iuuerunt, & nemo est qui neget illos hoc debere. Cur non idem deberemus & Deo? Iam quid habes, inquit Paulus, quod non accepisti?

Vide Roma. 6

2 Deinde non solum gratitudinem exhibet, sed & ministerio suo, utcunq; muliebri & humili gloriæ Dei seruit, ipso facto tantum non proclamans potentiam & bonitatem diuinam in Christo. Ad hoc enim Euangelistæ etiam ministerium illud mulieris cõmemorant. Admonemur ergo, ut & nos, qui per uerbum & spiritũ Christi à morte liberati, uitæq; & sanitati spiritali restituti sumus, nostro ministerio in ecclesia Christi erga quosuis hanc Dei gloriam prædicemus, non uerbis duntaxat, sed ipso facto. Atq; hoc est quod Christus admonet Matth. 5. Sic luceat lux uestra, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in cœlis est. Hoc scilicet tum faciemus, si quãdo probitati & bonitati erga quosuis operam dederimus, re ipsa ostendentes à Deo nos esse curatos.

Vide 1 Petri 2 Matth. 5

3 Tertio. Videmus etiam hoc loco, quomodo sancti in infirmitate sua ad gloriam Dei seruiant: febris mulieris huius fecit ad gloriam Dei. Quod enim ministerio suo ad gloriam Dei Christo cum suis ministrauit, hinc est, quod uirtute diuina ad hoc fuerat à morbo liberata. Parum enim fuisset mulierem hanc Christo cum suis ministrasse, nisi antea ægra fuisset & per Christum restituta, atq; ita sanctorũ infirmitas gloriæ Dei seruit. Sic cæcus ille Ioan. 9. Et Lazarus morte sua Ioan. 11. Admonemur ergo hoc loco, ut perpendamus qua ratione nos Deus tot infirmitatibus circumdederit, morte etiam, nempe ut sit locus gloriæ ipsius in nobis illustrandæ. Nos enim ita cõparati sumus, ut non sentiamus gloriam Dei, nisi prius infirmitatem nostram experti simus. Ita induxit hyemem, & noctem, ut reddita æstate & die renouet nobis gloriam illam suam, qua omnia potest & condere ac tollere, ac denuo restituere. Ita prædicabunt gloriã Dei mortalia nostra corpora in die resurrectionis, quando non solum restituta erunt, sed plane glorificata & immortalia redibunt. Quis itaque piorum ista perpendens nõ cum gaudio ferret infirmitatem suam, & ipsam etiam mortem? Nisi quis fuerit, qui parum ducat corpus suum infirmiusculum facturum ad gloriam Dei. Certè Paulus 2 Corinth. 12. gloriabatur in infirmitatibus suis hoc nomine, quod per illas glorificaretur uirtus Christi, unde & dicit: libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persequutionibus, in angustijs pro Christo. Cum enim infirmus sum tunc robustus sum. Ista igitur in hac Petri socru bene notanda sunt, maxime male habentibus, infirmis & morituris.

2 Cor. 12 Nam uirtus mea in infirmitate perficitur.

Cum autem appetisset uespera, adduxerunt illi dæmoniacos multos, & eiecit spiritus uerbo, omnesq; male habentes sanauit, ut impleretur quod dictum est per Esaiã prophetã, cum ait: Hic infirmitates nostras suscepit, & morbos portauit. Esa. 53

Ex Marco cap. 1. & Luca 4. uidere est quomodo ad hoc permotus sit populus, ut omnes ægrotos suos uesperi ad ædes Petri, ubi Christus erat, deportarit. Nempe per id quod percrebuerat iam miraculum in synagoga factũ, eiecti scilicet dæmonij, ut apud Marcum est, quomodo commota uniuersa ciuitas congregata sit ad ædes istas uesperi. 1

Quod autem hic est uesperi, apud Marcum & Lucam additur, cum occidisset Sol. Videtur autẽ mihi expectasse illos Solis occasum, quod pro loci regione & calore oportunum non fuisset ægrotos adhuc Solis existente ardore, in publicum educere. 2

Et quod hic noster commemorat dæmoniacos adductos, Marcus & Lucas addunt, omnes male habentes simul cum dæmoniacis allatos esse ad ædes istas. Quanquã & noster id satis insinuat, quũ sequutus adiungit omnes male habentes à Christo illic esse sanatos. 3

Adhæc, quod noster dicit Christum uerbo eiecisse dæmonia, curasseq; male habẽtes, Lucas dicit ipsum singulis imposuisse manus, atq; ita curasse. 4

Quod uerò noster locum adducit ex propheta, cum dicit, ut impleretur quod dictũ est per prophetam, non ita est intelligendum, quasi Christus ideò curauerit ægrotos ut scriptura ista impleretur, aliàs hoc non facturus. Sed magis ideò scripturam hanc à spiritu sancto esse positam, quod istud per Christum futurum esset. 5

QVID EX HAC HISTORIA notandum sit.

Primo, in Capernaitis uidendum præposterum salutis quærendæ studium. Christus uenerat nõ solum corporum, sed potius animorum medicus, quæ curãdi pars non temporalem hanc salutem & uitam, sed æternam concernit, & tamen nullus legitur ex peccatoribus per eos ad Christum adductus, utpote, adulterij, uel iræ, uel inuidiæ, uel auaritiæ morbo laborans, ut à Christo curaretur. Sed tantum eos qui corpore erant infirmi adducunt. Tale est quod Ioan. 6. legimus. Bene pasti uolebant Christum regem facere, unde & illis obijcit in synaga- Ioan. 6
ga. Quæritis me non quia uidistis signa, sed quia manducastis ex panibus & saturati estis. Operamini cibum nõ qui perit, sed qui permanet in uitã æternam, quem filius

hominis

hominis dabit uobis. Quatenus itaq; Christus et sanat et pascit corpora, hactenus illi adhærēt qui carnalia quærunt, cæterum quod erat primarium nihil curantes.

1 Illos imitati sumus in Papismo, dum relicto Christo, animorum curatore ac pastore, ad Sanctorum memorias cucurrimus, omnes corpore male habentes ad illos ducentes, ita ut nihil sit curata animarum salus. Aruorum sterilitas ad Sanctos deportata est, animorum uerò neglecta.

2 Illos hodie imitantur, qui posteaquàm uident per Euangelij doctrinam non affatim omnia ad manum dari, mox resiliunt. Quare? Quia scilicet non nisi corporalia in Christo quærunt, Vide supra cap. 4.

Deinde in Capernaitis notandum iudicium domini.

2 Viderunt insignia Christi miracula, audiuerunt ab eo cœlestem doctrinam. Doctrinam nihili penderunt, miraculis sunt usi ad suum commodum, manentes interea in impœnitentia sua. Quid autem illos manet? Vide

Mat. 11. Matth. 11. ubi Capernaum inter eas ciuitates commemoratur, quas eò maius iudicium expectat, quò plura uiderunt diuinæ uirtutis opera in Christo, & tamē non egerunt pœnitentiam. Et tu Capernaum, inquit, quæ es usq; in cœlum exaltata, usq; ad inferos detraheris: quoniam si in Sodomis æditæ fuissent uirtutes, quæ æditæ sunt in te, mansissent usq; in hodiernum diem. Verùntamen dico uobis, quòd Sodomis tolerabilius erit in die iudicij, quàm tibi.

Ex hoc scilicet iudicio Capernaitarum certe appareret, quid timere debeant ciuitates Euangelicæ, quibus concessum est, quod neq; maioribus nostris, neq; quibusuis etiam nostro hoc tempore concessum est. Et certè terra illa, quæ sæpe uenientem super se imbrem bibens, infrugifera tamen perseuerat, maledicta est, & incendio proxima.

IN CHRISTO.

3 Tertio, in Christo notanda non solum uirtus illa diuina quo suis sanandi morbos, sed & benignitas illa, qua neminem excludit, sed quo suis sanat, idq; adeò importunè importuno tempore irruentes. Nihil exprobrat, nihil reluctatur, nihil caussatur, sed ut uenerant, ut adducti fuerant, sanat omnes male habentes, et quanquàm sciens illos non nisi corporalia ista quærere, tolerat tamen istam ipsorum infirmitatem.

Atq; hac rursus in re nobis ad fidei nostræ & dilectionis erga proximum corroborationem consulitur. Fides in eo roboratur, quod in Christo uidemus, ut diuinam planè potentiam, ita & summam iuxta benignitatem, quæ duo semper sunt coniungenda & in Christo spectanda, ut dicere possimus cum Dauide: quia tibi domine potestas est & misericordia. Atq; hinc solus potest Christus esse saluator mundi. Nisi enim & omnipotens & summe misericors esset, saluare nos uel nō potuisset, uel nō sustinuisset. Ista uerò duo in Christo credita, mirè animos nostros in ipsum rapiunt.

Deinde roboratur hoc exēplo Christi, dilectio erga proximum: nimirum, ut eodem modo faciamus proximis, quibus cōsulere utcunq; poterimus. Non solum adiuuat, sed & nihil discernit, cōmuniter adiuuat omnes. Non quærit quomodo quisq; uixerit, an dignus sit uel indignus. Videt ægrotos, miseretur illorum, & curat morbos. Ita scilicet & nobis faciendum. Non quòd uelim pauperibus illis, qui suo uicio in penuriam lapsi sunt nihil esse de præterita ignauia uel malitia obijciendum, si id modestè fiat, & animo Christiano, sed quòd ita fieri non uelim, ut hoc pacto prætextus queratur nihil dandi. Hoc scilicet Christi exemplum non referret, quò imago nobis patris nostri in cœlis ob oculos exponitur, de quo Matthæi 5.

Præterea notandum est etiam hic in Christo insigne 4
exemplum piæ industriæ. Capernaitas beneficio corporali affecit, quanquàm non præcipuè ad hoc uenisset, uerum quia illi cœlestis doctrinæ beneficium non adeò esuriebant, nec dum illius essent capaces, interea illis uel corporalia beneficia contulit, ut hoc pacto se animis illorum insinuaret, quo postea essent ad capiendam animorum curationem aptiores. Proinde nihil fidei legitur initio ab illis exegisse, quemadmodum tamen subinde fecisse legitur. Satis habet initio corporalibus beneficijs illos sibi deuinxisse. Nam facile illi creditur, cuius beneficium abunde innotuit. Oportet ante omnia animos lucrifieri, tum sequentur iudicia.

Ita scilicet & nobis faciendum erga eos, quos uolumus ad pabulum doctrinæ cœlestis adducere. Non mox initio exigendum, ut omnia credant, sed magis beneficijs sunt inescandi, ut uideant se amari, quo nobis postea deuincti uerbis nostris eò libentius credant. Atq; hoc qui in eo sunt, ut homines seducant, facile nouerunt & faciunt, cur non idem ueritati studentes facimus?

Quod attinet ad prophetiam quam adducit, uidemus primo, quàm diligenter Euangelistæ facta Christi 1 Prima
non fortuito ita contigisse, sed longo tempore ita prædicta à Prophetis, ab æterno uerò à Deo præordinata esse, ostendant, qua in re admonemur eiusdem studij. Satis quidem roboris, diuinitatis, lucis, & testimonij habent per se ipsa Christi facta, uerum magno consilio domini factum est, quod & propheticum accesit testimonium.

Deinde, obseruandum ad quem locum nos mittat E- Secunda
uangelista: nempe ad eum, qui reuera, quantum ad occultißimum Christi mysterium nostramq; redemptionem pertinet, omnium est selectißimus, uidelicet, ad caput Esaiæ 53.

Tertio, Quærendum quomodo caput illud ad hanc Tertio
historiam applicet Euangelista, quum magis ad animæ, quàm corporis morbos respiciat. Proinde notandum, Euangelistam rectè intuitum esse Prophetæ mentem, pariter & Christi. Propheta prædixit, Christum fore talem, qui infirmitatibus nostris adeò cōpateretur per omnia, ut illas in se susciperet, hoc est, nostra miseria corde tangeretur, auxiliumq; ferret, animo promptissimo, non secus, quàm si res sua esset. Neq; refert, qua in parte ægrotemus. Non enim animæ infirmitatibus solum, sed & corporis mederi uoluit.

Cum uidisset autem Iesus turbas multas circum sese, iussit ut abirent in ulteriorem ripam.

Incertum

Incertum est an istud hoc ipso uesperi, aut sequenti aliquo die auctis ex rumore turbis sit factum.

Deinde incertum est, an discipulos uel turbas iusserit ire ad ulteriora. Nam simpliciter est ἐκέλευσεν ἀπελθεῖν εἰς τὸ πέραν. iussit abire ad ulteriora, hoc est, stagni, quod patet ex sequentibus. Quare uerò Christus uoluerit ex hoc loco non potest colligi, nisi quod ex multitudine turbarũ ad hoc sit motus, ut appareat eum declinare uoluisse turbas undiq; confluentes. Quam uerò obrem hoc uoluerit, uarias causas assignant quidam. Quidam, ut Chrysostomus uoluisse eum inanem gloriam fugere. Quidam, secessum quærere ad orandum. Quidam, ideò hoc fecisse, ut & alijs ciuitatibus prædicaret. Mihi uerò uidetur turbas istas ideò fugisse, quod sciret eas plus æquo carnales, carnali admiratione impulsas aliquid acturas ac tentaturas, quod seditionis speciem daret. Nam & Ioannis sexto cõmemorantur istæ ipsæ turbæ, Capernaitæ uidelicet cum suis uicinis tale quid tentasse: nempe uoluisse ex Christo regem facere, unde & eos declinabat illic quoq;. Certè illas non declinasset, si locus fuisset spiritali sationi. Quoniam uerò illi non nisi terrena quærebant, & iam ægrotos illorum curasset, noluit præpostero illorum studio, & stupori diutius inseruire, causamq; dare, sinistri quid tentandi. Atq; ideò toties legitur declinasse turbas, aut à se dimisisse.

Et cũ adisset unus Scriba dixit ei: Præceptor, sequar te quocunq; abieris.

Quid hic Scriba quæsierit, ex ipsius uerbis non potest colligi, quæ sanè sunt optima. Vocat Christũ præceptorem, quæ uox discipuli esse uidetur. Deinde offert promptam & continuam adhæsionem. Nec id simpliciter, sed addit: quocunq; abieris. q. d. relictis omnibus tibi uni ad omnia adero & adhærebo, quocũq; tandem abieris. Quis ex istis uerbis aliud intelligeret, quàm hunc Scribam uoluisse discipulum esse Christi obedientissimum? Verum ex ipso Christi responso uidebimus, quid quæsierit.

Et dicit illi Iesus: Vulpes foueas habẽt, & uolucres cœli nidos. At filius hominis non habet, ubi caput reclinet.

Ista Christi responsio planè aperit, quid intus in animo celauerit hic Scriba. Nam non ad uerba eius, sed ad animum respondet Christus. Non dicit: Nolo ut me sequare, nec dicit: Bene est, ueni. Sed ita respondet, ut postea non libuerit illi comitem itineris præbere. Q. d. Nihil est quod quicquàm terrenæ potentiæ, commoditatis, aut opulentiæ apud me quæras. Nam si ideò me sequi uis, ut apud me crescas, longè falleris. Tam enim hoc seculo nihil huius habeo, quod tu quæris, ut & uulpes & cœli uolucres me sint ditiores: quippe quibus est ubi quiescant & habitent, id quod mihi non est. Habent illæ certas mansiones in hac terra, ego uerò ne tantum quidem proprij habeo, ut caput in eo reclinare possem.

Ex ista itaq; Christi responsione uidemus hunc Scribam nõ regnum Dei, non Christum, sed terrenum emolumentum, seq; ipsum quæsisse, uiderat ingentem claritatem miraculorũ Christi, notauerat rumorem & mentem uulgi, credebat propediem Christum fore regem, sibiq; ideò bene futurum, si tum illi esset adiunctus. Et quid mirum est, si hanc opinionem concepit hic Scriba, quum ea & in discipulis reperiatur? Et certè ex hoc Scribæ huius instituto, facile colligimus, quid turbæ meditatæ sint, & quur eas Christus, tanta multitudine circum sese congregatas uitauerit.

QVID EX HOC LOCO *notandum sit.*

In hoc Scriba uidemus ingenium eorum, qui seipsos in Christo regnóque Dei quærunt, quorum semper multi fuerunt. Scriba.

Initio. Videt gloriam Christi suspicaturq; prosperrima futura omnia. Atq; inde allicitur, ut & se adiungat. Ita faciunt & illi, qui quæ sua sunt, quærũt in regno Christi. Tempore tentationis absunt. Si quãdo uerò uidentur res esse prosperæ, tum accedunt. 1

Deinde. Vltro accedit, non ut reliqui Apostoli uocatus. Sic solent ultro currere, qui sua quærunt. Atque hoc notatur etiam in pseudoprophetis passim. De hoc suprà cap. 7. ibi: Qui ueniũt ad uos in uestimentis ouiũ. 2

Tertio. Consilium cordis sui celat, & speciem futuri discipuli præ se fert. Præceptor, inquit, sequar te, quocunq; abieris. Sequuturum se dicit: sed quo animo, & proposito non addit. Ita faciunt & illi qui in Ecclesia seipsos quærunt. Hic ambit Papatum, hic Episcopatum, hic parochiæ ministerium, alius aliud. Sed quo animo ambiant, ex uerbis nõ potest colligi. Sed ex ipsa uitæ institutione, & certè etiam ex personis uidere est. 3

QVID EX RESPONSIONE *Christi notandum sit.*

Responsio Christi.

Primo. Obseruanda hic fuerit Christi modestia, qua Scribæ huic nõ apertè exprobrat animum sinistrum & subdolum, id quod potuisset, sed ad ipsius duntaxat cõscientiam respondet, occulto morbo occultum exhibẽs remedium. Atq; ita fecit & Lucæ 18. per parabolam tangens eorum morbum, qui fiduciam in seipsos habebant, ueluti iustos, aliosq; spernebant. Admonemur ergo hic, ut & nos eodem modo occulta fratrum delicta occultè taxemus. 1

Deinde. Considerandа etiam hic admiranda Christi demissio, in eo quod se uocat filiũ hominis בן אדם, id quod tropo scripturæ semper uilitatem habet adiunctam, ita ut uulgi homines ita soleant appellari. Sic Gene. 6. uulgi filiæ dicuntur, בנות אדם Et Iob. 25. Ecce luna etiã non splendet, & stellæ non sunt mundæ in cõspectu eius, quanto minus homo putredo, & filius hominis uermis? Vbi filius hominis per cõtemptũ pro homine ponitur. Sic & Psal. 8. Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam uisitas eum? Et Psal. 146. Nolite confidere in principibus, in filijs hominis, in quibus non est salus. 2

Quod itaque Christus se uocat hic & multis alijs locis filium Adæ, aut hominis, ad hoc facit, ut ad infimam se sortem hominum adijciat, de quo nihil uelit aliud sentiri, quàm de alio aliquo plebeio è medio uulgi. Atq; hoc quid nos admoneat, uidemus. Phil. 2. Phil. 2.

Adhoc

Ad hoc & Christi paupertas in eo consideranda est, quòd non solum serui formam accepit, hominis filius factus, sed & planè pauperrimus in hoc seculo esse uoluit. Quam paupertatem ut exprimeret, non dicit: Principes huius seculi, & reges, aut magnates, habent sua imperia, ditionesq;, apud quos poteris crescere, ego non ita habeo. Item nec dixit. Homines huius seculi, habent sua prædia, suas domos & sedes, ego uerò nequaquàm, sed bestias producit, ut ostendat se etiam in hac re illis esse inferiorem. Neq; magnas adducit, ut leones, ursos, apros, aut id genus, sed uiles, ut uulpeculas, & auiculas cœli, dicens: Vulpes habent suas certas cauernas, & uolucres cœli suos nidos, quibus me uincunt, non habentem in hoc seculo, quo caput reclinem.

Ita scilicet non solum doctrina sua Christus, sed & ipso uitæ genere ostendere uoluit, regnum suũ non esse de hoc mundo, in quo adeò nihil quærere uenerit aliud, quàm regnum Dei, ut auiculæ etiam cœli plus in hac terra habuerint. Oportuit hoc uidere mundum ipsum, istudq; etiam hodie legere & audire, quo reipsa cœlestis philosophiæ exemplum præ se habeat in Christo.

DE DIVITIBVS HVIVS SECVLI.

Quàm ergo conueniunt huic Christi exemplo Christianæ religionis professores, qui toti in hoc sunt, ut ingentes diuitias ad se coaceruent? Non quòd malum sit habere professiones ædium & bonorum, quas multi pij habuerunt, et habent hodie, sed quòd corda terrenis diuitijs adeò dedita sunt, atq; ideò minus cœlestia curant. Aedibus usus est & Christus, sed pro necessitate. Luxus uerò apud nos Christianos nimius est. Vide quomodo Paulus utatur hac Christi paupertate in causa eleemosynæ, 2. Corinthiorum 8.

DE VICARIO PATRIMONIO Christi.

Respondeant hic Vicarij illi Christi & Apostolorum, quomodo Christo in terris tantum patrimoniũ adscribant, qui hic se nihil dicit habere, sed pauperiorem esse ipsis cœli auiculis? Et Petro quomodo tam magnificum regnum adscribunt post mortem, qui cum hic esset dicebat: Aurum & argentum non habeo? Vnus Romanus pontifex, Clemens V. in coronatione sua, in qua fuerunt Philippus rex Franciæ, & frater eius Carolus, & Iohannes Britanniæ dux, casu ac ruina muri ab equo deturbatus, ex tiara carbunculũ amisit precij aureorũ sex millium. Hæc Platina. Bellus scilicet Christi Petriq; Vicarius.

DE PAVPERIBVS.

Notent etiam hoc loco pauperes. Quis iam turpè putabit esse pauperem, posteaquàm Christus factus est pauper. At peccatũ est Romæ maximum, habere nihil, Hic si nil dederis, apage Christe foras.

Alius de numero discipulorũ suorum dixit ei: Domine, permitte mihi prius, ut abeam, & sepeliam patrem meum, At Iesus dixit illi: Sequere me, & sine, ut mortui sepeliant mortuos suos.

Historiam hanc etiam Lucas habet capite nono, ex quo loco paulò clarius est, quid hìc agatur. Hunc discipulum Christus ad hoc elegerat, ut prædicaret regnum Dei, eratq; illum iamiam cum alijs emissurus ad prædicandum, ut est Lucæ 10. uidere. Quum itaq; negotij magnitudinem non perpenderet, et carnalem erga patrem affectũ præferret cœlesti ministerio, petijt à Christo, ut ad sepeliendum prius patrem abire permitteretur.

Christus itaq;, non ut pietatem erga parentem prohiberet, sed ut primarium regni Dei negocium non esse quacunq; de causa, etiam in se bona, deserendum admoneret, noluit illi permittere, ut quemadmodum petebat ad sepeliendum patrem, abiret. Dicit ergo: Sequere me, et sine, ut mortui sepeliant mortuos suos. q.d. Quid tibi negotij est cum eis qui mortui sunt, qui ad hoc es electus, ut sis in uita, & uitæ seruias? Habebit pater tuus à quibus sepeliatur: nempe mortuus mortuos suos, inter quos uixit, & uiuere uoluit.

Apparet autem, discipulum hunc fuisse ex loco aliquo, ubi Christus prædicans sermonem uitæ non sit susceptus, ut ex Nazareth, aut aliunde. Non enim puto, facile Christum istud dicere de illis, quibus nondum fuisset Euãgelium prædicatũ, Sed ut ut sit. Videmus hic Christum uocare mortuos non solum eos, qui corpore mortui sint, sed & eos, qui ueram uitam non habeant, hoc est, qui in se non credant.

QVAE HIC NOTANDA SINT.

Primo, uidemus hic, quo serio debeant uocationi suæ inseruire ministri uerbi. Discipulo isti non permittitur pietas in parẽtem, posteaquàm inseruiendũ illi esset Euangelio. Vbi iam sunt nostri episcopi, quibusuis nugis ita occupati, ut non liceat prædicare Euangelium. 1

Deinde uidemus etiam hìc, quomodo duplex sit, ut mortuorum, ita & mortis genus. Vnum est animæ, alterum corporis. De illis qui uiui sunt, mortui alicubi in scripturis legitur, ut 1. Timo. 5. Et Apocal. 3. 2

Tertio, quod attinet ad sepulturam, nõ damnat Christus mortuos illos, quod mortuos suos sepeliebãt, qua in re utiq; beneficiebant, licet noluerit discipulum suum apud eos hoc apertè occupari. Vnde ex hoc loco non derogatur sepulturæ piorum, quæ ut in patribus uidemus semper magnæ curæ fuit. 3

Et cum esset ingressus nauim, secuti sunt eũ discipuli sui. Et ecce motus factus est magnus: ita, ut nauis operiretur fluctibus.

Veterum quidam, ut Chrysostomus & alij, non male perpendunt, tempestatẽ hanc nõ fuisse fortuito factam, sed discipulorum gratia à domino excitatam. Erant adhuc infirma fide. Sed illud ignorabant. Proinde hoc erãt edocendi. Nam licet multa & magna miracula à Christo facta iam uiderant, non tamen tantum ex illis fidei hauserant, quantum accepissent, si cũ ipsis essent facta. Deinde ad futuras etiam tempestates erant exercendi ista tentatione, in qua uiderent uirtutem Christi, qui quamuis magnam tempestatem sedare posset, utpote diuina prorsus uirtute præditus. Ad hoc itaq; Christus eos posteaquàm multa insignia facta iam uidissent, in mare mittit, tempestatemq; istã super eos excitat. Sed uideamus primum ipsum textum: deinde, quid ex hac historia admoneamur.



Et ecce motus factus est magnus, ita ut nauis operiretur fluctibus.

Tempestatis magnitudinẽ describit his uerbis, quo postea eo magis uirtus Christi eluceſcat, dum tempestatem tantam sedasse legeretur. Atq; ita & in Marco & Luca legitur, Mar. 4. Luc. 8. Et oritur procella uenti magna, & fluctus irruebant in nauim, ita ut illa iam impleretur.

Ipse uerò dormiebat.

Siue studio, siue corporis necessitate, eo certè usque dormiebat donec periculum discipulorum ex tempestate ortum ad summum uenisset, ut eo penitius probaretur Apostolorum fides.

Excitauerunt eum dicentes: Domine salua nos perimus.

Etiam ex his uerbis uidemus tantam fuisse tempestatem, ut pereundum fuerit discipulis, tanquam qui ad extrema uenissent. Quod autem illum excitant, & dicunt, Domine salua nos, argumentum est fidei, sed pusillæ: fidei, quod credunt eum saluare posse. Pusillæ quod metuunt eum non saluaturum nisi excitatum.

Quid timidi estis, modica prædíti fiducia?

Quod timorem exprobrat, indicat eos timere non debuisse. Quod uerò subdit, modica prædíti fiducia, aperit unde illis timor hic fuerit, nempe ex eo quod parum haberent fidei.

Increpauit uentos & mare, & facta est tranquillitas magna.

Non dicit Euangelista, & excitatus saluauit eos, sed uoluit omnino exprimere Christi diuinam potentiam. Nam reuera diuina potentia est imperare nõ solum uentis & mari, sed furentibus etiam. Quibus auribus exceperunt uocem imperantis? Esse autem illud diuinæ uirtutis etiam gentibus cognitum fuit, unde & poëtæ inducunt Neptunum sedantem fluctus maris, imò increpantem etiam ut est apud Vergilium. Quod autem confestim fiebat tranquillitas magna, præter omnem est morem quiescendi maris, quod etiam cum uenti cessauerint non statim tamen sedatur, in quo rursus apparet potentia Christi, qua factum est nõ solum ut cessarẽt uenti, sed & ut quàm citissime sedarentur etiã undarũ fluctus, fieretq; nõ solum tranquillitas, sed magna tranquillitas.

Homines uerò admirabantur dicentes, qualis est hic? quia uenti quoq; & mare obediunt illi.

In Marco est quod & aliæ quædam naues adfuerint. Vnde hic dicit homines admiratos fuisse. Marcus uerò & Lucas etiam discipulis hunc sermonẽ tribuunt, unde uidemus nondum planam Christi cognitionẽ fuisse in Apostolis. Quod autem non simpliciter dicunt, quia uenti & mare obediunt ei, sed addunt quoq;, idem est ac si dicant. Non solum morbi, non solum sanitas, illi obediunt, sed & uenti & mare. Et recte admirantur. Non enim agnoscũt uenti & mare hominis imperium, etiam potentissimi, id quod experti sunt, nonnunquam maximi mundi potentatus. Maius igitur quidpiam humana opinione in Christo hic uiderunt, imò tale quod solius esset Dei.

QVAE HIC NOTANDA SINT.

Quemadmodum initio dictum est, Christus discipulorum suorum fidem per hanc tentationem probare & exercere uoluit. Et merito. Nam caput regni Christi & Euãgelij Dei, est credere in Christum, & per Christum in Deum patrem, qua fide firma in tribulationibus potissimum opus est. Quum ergo totum istud pertineat ad exercitationem fidei, quæ fit per tribulationes, & præterea Christus quoq; indicauit hac tentationis figura, quid Euangelij ministris pariter & alumnis in hoc fluctuoso seculo futurũ sit perpẽdemus singula ad hoc ut nostra quoq; fides nõnihil inde instruatur et corroboretur.

Primo. Quod discipuli adiunctis & alijs quibusdam nauiculis Christum nauigio in mari uehunt, imaginem habet Ecclesiæ Christum in hoc seculo cõplexæ. Vnum est sodalitium & nauigium, licet plures naues, unum complexæ sunt in hoc seculo undoso Christum regem & caput suum.

Deinde. Per ea quæ huic nauigio in undarum fluctibus Christum uehenti contingunt, imago exprimitur eorum quæ futura erant Ecclesiæ Christi, maximæ ministris illius. Quod ergo tempestas nauigium adobruit, figuram habet earum tribulationum & tentationum quæ futuræ erant Ecclesiæ Christi. Imò per illud innuebatur uel tum, non aliud futurum Ecclesiæ illi, quæ in medio sit Christum habitura esset, quàm tribulationum periculũ. Nihil ergo nobis uel hodie aliud expectandũ.

Videmus etiam hic nõ satis esse, uidere & legere diuinam potentiam Christi in alijs ostensam sed opus esse ut in nobis illam experiamur.

Tertio. Quod uerò tẽpestas eo crescit, ut nihil aliud sit præ oculis quàm ipsissimus interitus, delineat ingenium & rationẽ tentationis qua suos tentat Deus. Nempe quod tribulationes eo crescere finit, ut nihil uideatur aliud quàm non solum nos, sed & nauem ipsam hoc est, omnem Ecclesiam, & quæ in illa est, ueritatem, interituram, idq; ea ratione ut de nobisipsis planè desperemus, & ipse postea inclamatus à nobis sua potentia adsit, & nos quasi ex ipsa morte eruat: quatenus uel hoc pacto discamus diuinam agnoscere potentiam, qui suos etiam ab extremis liberare potest. Atq; ideò pulchre dicit Euangelista, motum tempestatis adeò fuisse magnum & uehementem, ut nauicula non solum iactaretur, sed & operiretur & impleretur fluctibus, & quod discipuli dixerint: Domine perimus. Atq; ita reuera postea contigit Apostolis & sequentibus Ecclesiæ ministris reliquisq; in Christum credentibus. Vnde Paulus dicit: Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis, Et 2 Corinth. 1. ostendit sibi decretum iam moriendum fuisse, uide locum.

Psal. 44 Rom. 8

Quarto. Quod interea Christus dormit, pulchre exprimit imaginem eam tribulationum, qua suis periclitantibus dormire uidetur Deus, qui tamen non dormit, Psal. 121.

Sic Dauid Psal. 44. quare obdormis Domine.

HACTENVS CONSIDERAVIMVS
quæ tribulationes concernunt, nunc uerò
quæ pertinent ad consolationem
uideamus.

Primo. Quod accedunt ad dormientem Iesum excitantes

tantes ipsum & implorãtes illius auxiliũ. Videmus ingenium piorũ in tribulationibus constitutorũ. Illi quamuis putent dormire Dominũ, & nihil cõmoueri suis tribulationibus, nihilominus etiã ad dormientem confugiunt, inclamitant, excitant, & implorant. Atq; istud pulchre exprimitur Mar. 4. in eo quod dicũt. Præceptor non est tibi curæ quod perimus? Quam enim faciẽ habebat hac in re somnus Christi, nisi quasi nulla afficeretur suorũ cura in tãtis periculis existentiũ? Discamus ergo hoc loco in quibusuis tribulationibus ad unũ cõfugere Christum, etiã si dormire uideatur, nec aliquã habere suorũ curã.

Secundo. Quod excitatur per implorationem suorum, exemplo est, quod surdas aures non habeat ad clamorem suorum periclitantium, sed excitari possit. Baal surdus est ad clamorem suorum. 3 Reg. 18.

Tertio. Quod antequam mari imperet & uentis, suos confortat, dicens: Quid timidi estis, modicæ fidei? duo nobis indicat. Vnum, quomodo Deus antequam externam adflictionem tollat, corda suorum primum à timore reuocet, fideiq; imbecillitatem corrigat. Quod enim dicit per interrogationem. Quid timidi estis? tametsi maiore serio dictũ, nihil tamẽ est aliud quàm quod & alibi dixit, nolite timere. In eo quod etiam Apostoli tanto timore cõcutiuntur, admonemur nõ esse mirum, si & nobis aliquando in rebus tristibus timor nascatur, duntaxat adsit modus. Neq; illos Christus ita arguisset, nisi immodice timuissent, unde & in Marco est τί δειλοί ἐστε οὕτως. Quid timidi estis sic? Non simpliciter dicit. Quid timetis, sed addit. Sic q.d. uuaß darfft ir so gar erschrecken. Quemadmodum enim Paulus etiam à Christianis nõ exigit ut de dormientibus planè non contristẽtur, sed ne cõtristentur sicut gentes, quæ spem non habent. Ita & Christus nõ exigit à suis ut plane sint absq; ullo timore in rebus arduis, sed ut non sic timeant, id est, quomodo illi qui fidem non habeant. Vnde & in Marco addit. πῶς οὐκ ἔχετε πίστιν; Quomodo non habetis fidem? Ista infirmorũ gratia dicũtur. Atq; ita primũ curat morbum ipsum cordis, antequã externũ periculum tollat. Neq; etiã minor uirtus Dei sita est in ea consolatione, qua corda piorũ etiã in medijs tribulationibus diuinitus recreantur & corroborantur, q̃ quod externa pericula tollit. Est etiam hoc consolandi genus propriũ piorum, quo corda scilicet curãtur ac solidantur, ita ut consistere queãt, utut pericula externe durent. Mundus uerò consolationẽ non admittit, nisi sublatis externe periculis. Alterum est, quod hic uidemus non debere sibi metuere ab ullis utcunq; magnis periculis, qui Christum intrà se habent etiam dormientẽ. Nam quod illos arguit propter timorẽ, cum dicit: Quid timidi estis? satis ostendit eos timere non debuisse. Quare? Quis non timeat in tanto periculo? Sed is demum non immerito timet, qui nec seipsum saluare potest, nec alium habet à quo saluetur. Isti uerò licet seipsos saluare nõ potuerint, tamen habebant penes se saluatorem, unde bona debebant esse fiducia, imò certißimi, se perire non posse. Igitur eos recte arguit dicens: Quid timidi estis modicæ fiduciæ. Timeant ergo, qui saluatorẽ non habent. In Ecclesia uerò Christi sibi nemo timeat, cũ adsit Christus. Mar. ult. Sed obseruandum eos demũ securos esse posse, & bona esse fiducia erga Christum, qui in ea naui sunt, quam Christus prior ingressus est. Imò qui Christum sequũtur, quin qui iussu Christi nauem istam ascendentes in hoc mare uenerunt. Ita scilicet fecerant isti discipuli, ut ex hoc capite suprà uidimus.

Erat enim iste timor ex defectu fidei & non ex periculo tempestatis.

Nota quod in Marco est. Quid timidi estis sic. Nimius erat illorum timor.

Psal. 23 Non timebo mala quoniã tu mecum es.

Rom. 8

Quarto. Quod increpat uentos & mare magnamq; tranquillitatẽ facit, incredibilem consolationẽ adfert electis. Discimus enim hoc loco nihil esse tam arduũ, tam sæuum, & desperatũ in hoc mũdo, cui Christus nõ possit sæuiendi finem facere. Ipse est qui ponit mari terminum suum. Verum est ergo, quod Pontificij dicũt, nauiculam Christi, Ecclesiam scilicet, perire nõ posse, tentari quidem et fluctibus impeti impleriq; posse, sed perstiturã, & tandem tranquillitatẽ nacturam. Vera dicunt. Illud etiam hic uidetur. Et nos gaudemus. Sed uideant illi an sint in illa nauicula Christi, quæ non perit. Deinde uideant, an non ipsi Ecclesiam uere turbarint, qui humanis doctrinis eam repleuerunt.

Et cum uenisset ad ulteriorẽ ripam in regionẽ Gergesenorũ, occurrerũt ei duo dæmoniaci, e monumentis egressi.

Quoniam in una Christi cognitione tanquam filij Dei posita est salus hominum, & Christus ideò uenit, ut mundum lucrifaceret, non potuit aliud agere, quàm hoc unũ, ut seipsum mundo declararet. Iam illud tametsi aliquoties esset factum & maxime præcedẽti miraculo, tamen satis quũ fieri nequeat, etiam uisum est illi apud istũ populũ uirtutis suæ specimen dare. Proinde nobis in summa etiã hoc loco obseruãda est diuinæ uirtutis in Christo declaratio, cui omnia cogũtur obedire. ~~Deinde & ingeniũ dæmonũ hac historia depictũ uidemus.~~ Dicit igitur.

Occurrerũt ei duo dæmoniaci.] Quod ultro, nõ uocati, non adducti, occurrunt non simpliciter obuiam ueniunt, etiamsi Christum nõ amarint, sed maxime oderint ac perditum uoluissent, quid nobis aliud declarat, q̃ Christi potentiam, quam isti dæmones penes se senserũt ac metuerunt? Accidit enim illis quod solet contingere uictis. Illi uictoribus quorum iam potentiam senserũt & experti sunt, magno metu perciti, obuiam ultro ac supplices prodeunt, magnis titulis demulcẽt, seseq; totos dedunt, non quod eos ament, sed quod omnimodam perditionem quam se bene meruisse conscietia teste cognoscunt, anxie & metuant & auertere studeant, alioqui mallent eos plane perditos. Et si facultas esset, ipsi eos perderẽt, pro hostili quo erga eos sunt, ingenio. Es heißt den strick an hals bringen.

Maiore uerò iucunditate spectanda nobis proponitur uirtus Christi in eo, quod interea, dum dæmones uirtutem Christi experti magno ad illum metu, licet coacti properãt, saluantur illi duo miseri. Et uide insignem & stupendam Christi potentiam ad saluandum suos. Duos hos homines non ideò impetu suo ad Christum egerunt mali illi spiritus ut saluarentur, quos magis uoluissent perditos, sed coegit eos uirtus Christi. Deinde nec ipsi miseri, sua sponte salutẽ suam apud Christũ quærẽtes ita occurrerũt, sed plane à malis spiritibus agebãtur. Q[illegible]ũ ergo nec dæmones nec homines isti salutem in Christo quæsierint,

quæsierint, quis non uidet ex mera Christi potentia & bonitate factum, ut occurrerent miseri & saluarentur? Egregia itaq; uirtus Christi, qui etiam inimicis suis dæmonibus ita imperat, ut quod rapuerant ad pernitiem, cogantur reddere ad salutem, & ita reddere, ut solliciti sint de sua etiam propria salute, meritamq; perditionem, idq; duntaxat ad tempus, deprecentur.

Quòd si tam horrenda malis spiritibus fuit Christi potentia cum adhuc esset in formis crucis, quàm putas iam esse illic horrendã existentis in formis regni & potentiæ Dei? Sed unde occurrerunt dæmoniaci?

E monumentis, uel sepulchris.] Monumenta ueterum ita structa erant & plerunq; iuxta uias publicas, ut latere quisquam in illis potuerit. Sed cur dæmones in sepulchris esse uoluerunt? Chrysostomus hoc loco dicit hoc ideò factum, quod uoluerunt pernitiosam opinionem hominibus ingerere de animabus defunctorum, nempe quod dæmones fiant. Et quod hinc inde uagentur, maximè apud mortuorum sepulchra. Et quid aliud inter Christianos, apparitionibus suis ementitis egit, quibus scilicet se pro animabus defunctorum uendidit? An non receptum est per omnem papatum, persuasitq; illas hic errare, apparere, auxilia implorare, & nescio quæ uana uel in desertis ædibus, uel mortuorum monumentis, uel noctu alioqui designare? Et quis non credat, posteaq̃ tam multi per sua exorcismata rei ueritatem adeò euidenter inuestigarunt, nempe ex ipsa dæmonum confessione, qua se dicunt esse mortuorum animas? Sed audiamus ipsum Chrysostomũ suprà Matt. homilia 29.

Chrysost.

Non potest, inquit, anima à corpore separata in his regionibus errare. Iustorum animæ in manu Dei sunt. Peccatorum uerò post hunc exitum continuo abducuntur, quod in Lazaro & diuite planum efficitur. sed alibi quoq; Dominus ait: Hodie animã tuam abs te repetent. Non igitur potest anima cũ abscesserit à corpore, apud nos hic errare. Et mox. Multis è locis scripturæ cõprobari potest, non errare hic post mortem iustorum hominum animas. Nam & Stephanus ait: Suscipe spiritum meum, & Paulus resolui cupiebat & esse cum Christo. Quod uerò nec peccatorum animæ hic cõmorari possunt, diuitem audias quid dicat, perpende quid petat & non impetrat. Quòd si possent animæ hominum hic conuersari, uenisset ipse ut cupiebat, & suos de tormentis inferni fecisset certiores, quo etiam ex loco scripturæ aperte patet, quod post exitum à corpore in certum quendam locum animæ deducuntur, unde redire sponte sua non possunt, sed terribilem illum iudicij diem ibi expectant. Hæc Chrysostomus. Vnde uidemus impostură dæmonum simul & ministrorum suorum in apparitionibus animarum, & uidemus etiam, quo tandem abducantur qui fidem suam non ex scripturæ sacræ regula metiuntur, sed quibusuis credunt impostoribus.

Act. 7

Erant autem sæui suprà modum, adeò ut nemo posset transire per uiam illam.

Et istud ad declarandam Christi potentiam in hoc miraculo commemoratur. Notandum autem præterea ingenium Satanæ quomodo suos ad sæuitiam exagitet, cum interea spiritus Dei ad mansuetudinem etiam feroces immutet, quotquot ipse possederit. Quid ergo aliud sunt hodie, quàm hoc malo spiritu obsessi, qui ex hominibus mutati sunt in crudeles bestias, ita ut nemini tutum sit quicquàm cum illis agere? Proinde uideat quisq; quo spiritu ducatur. De regno Christi prædictum est, immutandos fore lupos ursos & leones in animãtia mansueta & pacifica. Esa. 65.

Oremus autem ut malos illos spiritus qui hodie principes ad ferociam, quos natura ad clementiam peperit, instigant, potentia sua Christus eijciat.

Et ecce uociferabantur dicentes: Quid rei nobis tecum est Iesu fili Dei?

Iam incipit Euangelista commemorare, quid apud Christum egerint, quid dixerint. Dicunt, quid rei nobis tecum est? Rogo quis uos premit? Quid uobis accidit? Atqui non uocauit uos, sed ultro occurritis. Ecce ingentem Christi potẽtiam hic expressam. Vt autem & anxietudinem malorum spirituum exprimat Euangelista, nõ dicit eos simpliciter dixisse, sed uociferatos esse.

Videndum rursus ingenium Satanæ. Dicunt mali spiritus, sibi nihil esse commune cum Christo. Qua quæso in re? Vocant tamen eum filium Dei. Qui fit ergo quod nihil commune uolunt habere cum illo? Maximè cum uenerit ut saluator. Ergo profitentur hic se nullam sperare nec uelle salutẽ à Christo, sed expertes esse omnino regni Christi. Et quomodo non sunt participes salutis? quum agnoscant Iesum hunc esse filium Dei? An cognitio Christi non habet uitam æternam? Non dubitarunt eum esse filium Dei, experti iam toties potentiam eius, uerum non ideò credunt in illum hoc est, non se illi committunt, nihil fiduciæ in illum habent, Mallent eum esse perditum. Conscientia hæc non admittit fiduciam erga eum, quem odiunt.

Deinde uidendum rursus ingeniũ Satanæ in eo, quod spiritus illi quum in bono nihil, in malo tamen habent, quod cõtra Christum agant, qua in re exprimunt naturam suam. Et uide impudentiam. Totis conatibus Christo mali isti spiritus aduersabantur, & dicunt: Quid nobis rei tecum est? Poterat Christus dicere. At mihi multa sunt quorum gratia uos supprimam.

Tertio. Notandum tamen quàm rectè dicant, nihil sibi cõmune esse cum Christo. Erãt enim omnino diuersi à Christo ingenij. Iam quia, ut in prouerbio est, pares cum paribus congaudent, fit ut & impares nullo gaudio erga se inuicem ducantur. Quum ergo Satan eius sit ingenij, ut nihil possit habere commune cum Christo, procul dubio neq; Christus cum ipso. Si ergo capitibus bonorum & malorum nihil conuenit, qui fit quod non & membris idem usuuenit?

Non est sine causa, quòd filij huius seculi, mẽbra diaboli, nihil habẽt pietatis, nihil cœlestis ingenij, sed omnino alieni à Christo sunt. Proinde nihil in eis est, unde conciliari possint pijs. Filij uerò dei, membra Christi, etiam si renati sint ex spiritu Domini, deq; hoc mundo electi, inq; regnum Christi translati, donec tamen in hac carne sunt multis communicant adhuc cum filijs huius seculi. Hinc est, quod plerunq; non adeò prorsus abhorreant à

communione malorum. Interea tamen diligenter admonendi sumus, ut iugum cum infidelibus non trahamus, id quod & Paulus facit 2 Corinth. 6.

2 Cor. 6

Hic mansit. Vide August. de ciuitate Dei li. 8. in fine cap. 23. Itẽ lib. 9. cap. 21.

Ergo secure uixerunt, sine expectatione mali.

Veniſti huc ante tẽpus torquere nos.

Veniſti huc ante tempus. Quare ante tempus? Tot ſecula in hoc mundo dominati fuerant, & dicunt ueniſti ante tempus? Quomodo uenit ante tempus qui ad ſalutem uenit? Certè multis patribus non uenit ante tempus, qui magno deſiderio expectarunt aduentum eius.

Notandum ergo hic, ingeniũ malæ cõſcientiæ, in eo quod dicunt, ueniſti ante tempus torquere nos. Sciebant ſe meritos eſſe tormenta. Atq; ideò maluiſſent Chriſtum nondum uenisse. Taliter ueniet & omnibus impijs, quos iuſte torquebit et puniet, qui et ipſi conſciẽtia ſua teſte, nihil expectabunt aliud quàm tormentum, in aduentu Chriſti, imò etiam in mortis articulo. Sie uuerden ergriffen unie ein morder ein raub.

Et uide quomodo non auſi ſint deprecari tormentum, ſed tamen queſti ſint Chriſtum citius aliquanto uenisse, ut oſtenderent ſe maluiſſe aliquam moræ uſuram. Miſerrima planè conditio eorum qui nihil aliud expectare poſſunt quàm damnationem, nihilq; aliud optare quàm dilationem, ſeq; tum beatos putant, ſi pluſculum detur ſpacij. Admonemur ergo hoc loco, ut non de illis ſimus, quibus Chriſtus ante tẽpus ueniet. Illi uerò ſunt, quibus parata ſunt tormenta, qui in hoc ſeculo impie uiuunt, & ſecure libidinãtur. De quibus legis Matth. 24. Simus autem potius de illis, quibus Chriſtus ueniet expectatus & deſideratus. Illi ſunt quibus ad ſalutem ueniet & redemptionem, de quibus eſt, 2 Timo. 4. & Tit. 2. & Lucæ 21. Quæ autẽ erat illa tortura, quam metuebant? Quidam, ut Chryſoſtomus & alij intelligunt de futura ac perpetua, quaſi timuerint ne ſe in illam iam conijceret. Verum ex Marco & Luca apparet aliam fuiſſe, nempe relegationẽ uel in abyſſum, uel extra regionem illam. Marci 5. & Luc. 8. apparet torturam hanc fuiſſe, prohiberi à malo, in eo quod quum dixiſſet Satan, ne me torqueas, ſubditur ab Euangeliſta. Præcipiebat enim illi Ieſus ut exiret ab homine, quaſi uelit oſtẽdere quæ fuerit illa tortura. Sed utut ſit adhuc tamẽ manet quæſtio, quæ poßit eſſe tortura ſpirituum, qui extra carnem ſunt. Puto ergo torturam maiorem his ſpiritibus obtingere non potuiſſe, quàm eam captiuitatẽ, qua nihil poſſent iuxta ſuum ingenium & inuidiam contra ſalutem hominum machinari, ita ut interea regnum Dei creſcere uideant, & prohibere nequeant. Eſt enim hoc ingenium animi inuidentis. Iam quia Chriſtus ad propagationem regni Dei uenerat, non fruſtra torturam illam metuunt. Hinc eſt quod Chriſtus dicit Luc. 10. Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem. Et Ioan. 16. Quia princeps mundi huius iam iudicatus eſt.

Quemadmodũ igitur ad hunc modum maxima tortura eſt ſpiritibus immundis propagationẽ regni Chriſti nõ poſſe impedire, ita maximum gaudium adfert angelis & pijs regni Chriſti profectus. Piorũ itaq; eſt ſummo gaudio promouere regnum Chriſti. Perpendat itaq; hoc loco Chriſtianus quo ſpiritu ducatur.

Dæmones uerò rogabant eum dicentes: Si eiſcis nos, permitte nobis, ut demigremus in gregem porcorum.

Si eijcis nos.] Quis dixit illis quod eijciendi eſſent? uox eſt malæ conſcientiæ, uox eorum qui male poſſeſſa ablatum iri timent. At hic locum habet illud. Quod timet impius ueniet ſuper eum.

Permitte nobis, ut demigremus in gregẽ porcorũ.] Quod rogant, oſtendunt nõ eſſe poteſtatis ſuæ uel in porcos ire. Quod uerò dicunt. Permitte nobis, Chriſto tribuunt poteſtatem & ſuper ſe, & ſuper duos illos obſeſſos, & ſuper porcos. Hãc infirmitatẽ Satanæ ſcriptura aliquoties nobis proponit, ut in Iob: deinde et in Apoſtolis Luc. 22. Satan expetiuit ut cribraret uos.

Notanda itaq; nobis hoc loco tria. Primum. Ingeniũ Satanæ ad malefaciendum propenſiſſimum, ita ut ſatiari nequeat, perdendo opera Dei. Id quod in hoc potiſſimum uidetur, quod facinus hoc ſibi permitti tum rogãt, quando de tortura præpropera queruntur. Dixerant, ueniſti ante tempus torquere nos, et tamen mox ſubdũt, Si eijcis nos permitte ut intremus in gregem porcorum. Hos ſpiritus imitantur impij ac deplorati homines, qui etiam tum cum ingruit ſuper eos iudicium Domini, abſtinere à malis nõ poſſunt, ſed deploratè pergunt. Exemplo ſint ſacrificuli. Regnum eorũ deſtruitur, atq; illud etiam metuunt. Et contemptus eorum quotidie magis atq; magis ingruit. Et tamen interea quoque dum illud queruntur, à malis ceſſare nequeũt. Item quotquot tempore uindictæ Dei magis atq; magis inſoleſcũt, edendo, bibendo, ſcurrando, ſcortando, uſurando, ita ut ne minimum quidem obolum oppreßis remittant. 1

Alterum eſt. Aſtutia Satanæ in his ſpiritibus ſuis, in eo quod callide conantur Chriſtum inuiſum facere populo regionis illius, propter damnum porcorum, tanq; cuius iuſſu hoc factum eſſet. Nouerãt enim ingenium hominum. Atq; ita conabantur miraculum iſtud ejectionis ſuæ ex his duobus obſeßis obſcurare & eneruare. 2

Tertium eſt. Infirmitas Satanæ, & potentia Chriſti, de qua ſuprà. Videmus enim hic ſpiritus iſtos immũdos, utut ad nocendũ mirabiliter & obſtinatiſſime propenſos, ſummeq; aſtutos, nihil tamẽ poſſe, ne in porcos quidem, multo minus in homines.

Et dixit illis, abite.

Cur permiſit? Nam nemini dubium, quin mali petierint, & aſtute etiam. Et Chriſtus certè non ignorauit quid eſſent facturi. Cur permiſerit hoc Chriſtus, ab Euangeliſta non memoratur. Sed nemo dubitet bene à Chriſto factum eſſe, hoc eſt, ceßiſſe ad promouendã gloriam Dei, quo omnis ipſius ſcopus ſemper fuit, quemadmodum horũ ſpirituũ intentio ſemper ad obſcurandam illam directa eſt. Quidam hoc putãt ideò factum, quod hic populus fuerit ex illis quos rex Aſſyriorũ tranſtulit ex Babylone & alijs gentibus in terram Iſraël, quos uocant Samaritanos, & quod cõtra legem Dei habuerint porcos iſtos, atq; ideò merito illos hic amiſiſſe. Verum iſtud incertum eſt. Neq; putabimus Chriſtum uenisse in eam regionẽ, ut incolas illius aliquo damno læderet, aut illud ſpiritibus immũdis ideò permiſiſſe, ut illis gratificatum uellet hoc pacto, ueluti alioqui non ceſſuris ex hominibus 3

minibus istis. Absit. Istis uenit in bonum. Permisit igitur istud ea ratione, ut uere ipsis prodesset. Illis uero uenit in malum, oportet ergo ut hæc permissio non bene illis cesserit. Ita quippe solet Deus permittere Satanæ, licet is longe alio fine petat.

Atq; ut huius euidens habeamus exemplum, perpendamus quid aduersum Iob petierit, & quo consilio, & quomodo Deus annuerit, & qua ratione, quàm nihil damni ad Iob, sed plurimum inde utilitatis, non solum cœlestis, sed & terrenæ acciderit, & quomodo Satan magna confusione sit affectus, & suaipsius fouea captus. In hunc itaq; modum & hic factum est. Iob.

1 Primũ in bonũ cessit illis, qui liberati fuerant. Nempe ex eo uiderunt à quãto malo diuinitus seruati essent, & postea à Christo liberati. Quid uidelicet, si permissi fuissent, spiritus isti mali, à quibus fuerant obsessi, malitiæ suæ ingenio fecissent, hoc est, plane perdidissent, id quod, nisi hoc pacto, non cognouissent.

2 Deinde. Quod attinet ad eos quorum fuerant porci, & illis, etiam inuitis, cessit in bonum. Quomodo? Atqui respuerunt Christum, propterea quod porcos amiserant. Verum, ad tempus quidem, sed interea factũ est, ut miraculi huius obliuiſci non potuerint. Nam ita comparati sumus omnes, ut etiã ea beneficia quæ nobis fiunt cito obliuiscamur, quanto magis quæ alijs fiunt. Damna uero quibus afficimur in bonis terrenis diu hærẽt in memoria. Iam non potuerũt recordari amissos porcos sine recordatione huius miraculi, ita ut damni sui prædicatores, cogerentur prædicatores esse uirtutis Christi, nempe affuisse apud se eum qui dæmonibus imperaret, diuinaq; uirtute eos quo uellet abigeret. Atque in hunc modum solet plerunq; Deus animos nostros ad bona ingratos terrenis damnis excitare.

3 Tertio. Faciebat illud etiã ad euidentius exprimendam uirtutem Christi, in eo quod non solum dæmones exire compelleret ab hominibus, sed ita eijceret, ut nusq; se recipere possent, nisi quo ipse permitteret, tanquam omnium Dominus, quo certè fiebat, ut non solum boni de beneficio gauderẽt, sed & impij sibi timerent, uidentes quid posset Christus, si uellet.

4 Quarto. Faciebat etiam ad spargendum latius miraculum ac uirtutẽ Christi, id quod & Euangelista commemorat. Nisi enim hoc accidisset porcis, nemo prædicasset hoc miraculum in ea regione, nisi duo illi liberati. Iam uerò currunt pastores, rem annunciant, ut facta erat. Egreditur tota ciuitas, & undique finitimi, ita ut

5 quasi in puncto illucescat uirtus Christi per omnẽ illam regionem. Quinto. Quod attinet ad dæmones ipsos, uidemus quàm minime consequuti sint, quod quærebãt, sed magis diuersum. Nemini enim dubium sit, quin quæsierint obesse & Christo & hominibus regionis illius, quorum erãt porci. Sed malitia eorum tantũmodo peruenit usq; ad damnum porcorum. Cæterum hoc ipso factũ est, ut latius et potẽtius sese uirtus Christi exeruerit.

Ex his itaq; uidemus, quàm sapienter soleat diuina potẽtia astutias Satanæ cõfundere et stultissimas facere, ita ut sua malitia cogatur seruire præter omnẽ suã opinionem ac uoluntatem ad gloriam Dei spargendam.

Et ecce ferebatur totus grex porcorum per præceps in mare & perierunt in aquis.

Ecce ingenium Satanicum, natum ad perdendum, 1
nisi impediatur diuinitus. Deinde uides hic diuinã pro- 2
uidentiam, qua conseruati fuerant obsessi illi duo, ne malitia dæmonũ perirent, qua etiam omnia nostra conseruantur, et nos ipsi, ne perdamur ab istis malis spiritibus.

Tertio. Videmus hic plus ualere apud Deum duos 3
homines, quàm duo millia porcorum, & satius esse perire duo millia porcorum, quàm duos homines. Cuius quæso sunt ingenij, quibus uel unus porcus plus ualet, quàm duo millia hominum?

Rogabant, ut decederet à finibus suis.

Cur non indignantur? quia metuunt eum. Tanta erat facti claritas etiam, ut improbare non auderent. Et tamen, orant ut discedat ab eis. Istos imitãtur hodie, qui claram & cognitam ueritatis Euangelicæ lucem stupent quidem, attamen, quia periculum adferre uidetur, à se abigunt.

DVO PRAETEREA NOTANda uidentur.

Primum, contra eos, qui negant insaniſsima impu- 1
dentia, dæmones. Et cum urgentur huiusmodi locis, quibus commemoratur Christus eiecisse spiritus immũdos, respondent fuisse peccata. Dicant ergo hic quæ illa peccata sint? quæ porcos in mare præcipitant?

Deinde uidemus hic, non semper bonam esse con- 2
cordiam, sed magis uidendũ qua in re sit concordia. An non & magna ista spirituum malorum multitudo concors est. Simul sunt, simul petunt, simul & idem quærunt & petunt, simul fatentur Christum esse filium Dei, simul egrediuntur, simul porcos intrant, simul eos suffocant, ut nunquàm maiorem concordiam uideris. Erunt ergo habendi pro bonis? Absit. An non & latrones conspirant? Quid est ergo quod quidam perpetuo concordiam diuturnam, amplamq; obijciũt, cum oporteat unã quærere ueritatem? Quin magis illam ostendunt?

CAPVT IX.

Et ingressus nauem, traiecit.

Nauigio uenerat ad Gergezenos, absq; dubio ad ipsorum salutem. Verum quia rogabant, ut discederet ab eorũ regione noluit ipsis inuitis illic esse. Discedit itaq;. Qua in re tria uidemus.

Primum. Non esse inuitis gratiam Euangelij obtru- 1
dendam. Hinc est quod etiam Apostolos suos ita instruxit, ut si non susciperentur in una ciuitate, discederent inde. Sic & Paulus fecit, Act. 16. Contra hanc regulam fecerunt Pontificij dũ Iudæos compulerunt ad suscipiendum baptismum. Secus tamen est, quando qui sub Christi nomine sunt, seducti sunt. Illos etiam inuitos oportet cogere, ut uerbũ Christi audiant, relictisq; superstitionibus ad ueram Christi fidem sese conuertant. Sic cogere potest paterfamiliãs suos, ut ad Ecclesiam se conferãt. Act. 16.

Alterum, uidemus hic non esse inuitis incolis uel ur- 2

bis, uel regionis consistendum in aliquo loco illorum. Rogabant isti Christum ut discederet, discessit igitur. Sic cum diceret Abimelech ad Isaac. Discede à nobis, quia potẽtior nobis factus es, discessit ille. Gene. 26. Non est igitur in alicuius ditione manendum ipso inuito, etiam si maximè prodesse possis. Vbi iam sunt illi phanatici spiritus, qui cum abiguntur ex urbibus discedere nolunt? Quin non solum nolunt, sed & iure se hoc facere dicunt, eo quod pelli nequeant. Nam Domini, inquiunt, est terra. Sed uide quid hic ipse Dominus terræ
3 faciat. Tertio. Videmus etiam quàm placide discedat, cum posset eos magno damno afficere. Nec indignatur, nec maledicit, neq; minatur, nec se ulciscitur. Vide historiam Luc. 9. à quo spiritu prohibeantur discipuli, &c.
Luc. 9

Et uenit in ciuitatem suam.

Capernaum scilicet, id quod aperte uidetur in Marco cap. 2. Dicitur autem hic ciuitas Christi, non quod ibi esset uel natus uel educatus, sed quod frequentius illic
1 esset. Discimus hic Christiano esse patriã, ubilibet con-
2 sistere datur. Deinde uidemus quomodo non desit pijs aliquis locus ubi consistant, etiamsi in patria ubi uel nati uel educati sunt, esse nequeãt. Christus neq; Bethleem neque Nazareth est, sed Capernaum. Nam Nazaræi eiecerant illum.

8 Tertio. Notandum etiam hic, quomodo res terrenæ nostræ dici possunt etiã Christiano more. Nimirum quatenus nobis usuueniunt ad tempus. Alioqui Christus qui hic uenire dicitur in ciuitatẽ suam, non habet ubi caput suum reclinet, & tamen hic ciuitatẽ habere dicitur. Ita scilicet admonemur à Paulo ut utamur rebus terrenis tanquàm non utamur, ita possideamus, tanquàm nihil habeamus. Hoc tum faciemus, quando usum duntaxat rerum spectabimus, illisq; pro necessitate utemur, 1 Corinth. 7.

Et ecce adduxerunt illi paralyticum in lecto decumbentem, cumq; uidisset Iesus fidem ipsorum &c.

Solennte est Christo respicere fidem. Sed quomodo hic uidet fidem? Est enim fides inuisibilis cordis affectus. Sed quomodo uidetur arboris bonitas? Ex fructibus. Ita & hic uidetur fides ex operibus. Vide Luc. 5. quid fecerint isti baiuli, ex quibus deprehenditur ac uidetur ipsorum fides. 1 Ex eo quod talem ægrotũ, nempe incurabilẽ, 2 quod fracto tecto, 3 quod nihil dicẽtes, demiserunt ante Iesum, quasi non dubitarent saluum eum fore, si tantum ad conspectum Christi uenisset.

1 Primo itaq; notandum hic, quomodo Christus in his baiulis nihil aliud respiciat nisi fidem, unde uidemus, in omnibus operibus fidẽ à Christo respici. Non dicit Euangelista. Cum uidisset Iesus opera ipsorum ac laborem.

2 Deinde notandum etiam, quomodo illa fides, quam Christus respicit, uisibilis esse debeat, hoc est, efficax esse per bona opera. Atq; hinc est, quod Iacobus cap. 2. opera fidei exigit, dicens, ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi fidem meam cum operibus. Et recte. Nam omnino uerum est, fidem oportere ueram esse. Deinde si uera fuerit, efficacem esse. Si efficax fuerit, nõ celari, sed prorumpere in lucem, ut sit uisibilis. Hinc dicit Christus. Sic luceat lux uestra, ut uideant opera uestra bona &c. supra 5.

Gala. 5 Fides quæ per dilectionẽ efficax est

Tertio. Videmus etiam hic quid possit aliena fides. 3
Iustitia quidem non est ex aliena fide, uerum aliena fides plerunq; ad hoc ualet, ut etiam alijs detur fides, & bonitas Dei succurrat. Notandum etiam hoc loco de diligentia baiulorum istorum ad acquirendam corpoream salutem ægroti huius impensa, qualem Marcus & Lucas describunt, nempe quod conscenso etiam tecto, illoq; aperto, ægrotum suum ad pedes Christi demiserunt.

Hinc primum uidemus quam nos simus stupidi ad 1
æternam salutem fratribus acquirendam, si collati fuerimus ad istos, qui ita seduli fuerunt pro ægroti huius corporea procuranda salute. Quanto quæso minus esset malorum, multoq; minus perditionis, et plus pietatis & iustitiæ? At nunc nec pro nobis nec pro alijs satis solliciti sumus. Deinde. Si Christo fides eorũ, qui corporeum 2
ægrotum pedibus ipsius applicuerunt, corporeamq; salutem tanto studio quæsierunt ita placuit, ut illius intuitu ægrotum hunc curarit, quanto quæso magis placeret illi, si pro æterna nos eorũ salute, qui in anima laborãt, eam fidem fideiq; diligentiam impenderemus? Quemadmodũ enim uere nos diligit & perfecte, ita & ueram & perfectam salutem nostram quæsiturus uenit, ea est autem animæ & æterna.

Bono animo esto fili. Remittũtur tibi peccata tua.

Verba ista omnino nobis ueluti quidam character pectoris Christi, ingenium cœlestis medici exprimunt, ita ut uerissimum hic quoq; sit prouerbium illud Christi. Ex abundantia cordis os loquitur. Proinde bene pensanda sunt singula.

Fili.] Primo omnium notandum est quod filium 1
uocat, quem dicit esse peccatorem. Quomodo peccator est filius Christi, qui summa est iustitia? Deinde si peccator est filius Christi, ergo Christus est pater peccatorũ. Recte. Quomodo ægrotus est filius medici, eum tamen medicus sit sanus? Ita scilicet & Christus cœlestis medicus pater est peccatorũ, sed curandorũ. Magnam itaque consolationem exhibet conscientijs peccatorum onere pressis ista uox Christi, qua peccatores etiã hoc nomine dignatur, ut sint filij. Quid enim dulcius poterit esse conscientiæ peccatoris, quæ dicit: Non sum dignus uocari filius tuus. Peccaui in cœlũ & coram te &c. quàm si audierit hanc uocem?

Bono animo esto.] Fiduciam exigit etiã ab ipso 2
ægroto. Vel potius illi fiduciam facit his uerbis, quemadmodum solent periti medici, qui primo omnium solentur huiusmodi uerbis mœstum ac delectum ægroti animum, scientes non minimam restituendi ægroti partem in animo sitam esse. Et recte. Is enim omnium maxime laborat. Proinde illi primo omnium occurrunt. Ita & Christus hic facit, cum dicit: Bono animo esto. Sciebat ergo eum non solum corpore laborare, sed potius animo. Vult ergo animum eius ante omnia restituere. Quomodo? Indita scilicet fiducia & spe rerum meliorum. Promittit enim illi his uerbis curationem & auxilium.

liū. Ergo curatio animi adflicti est spes & fiducia rerū meliorū mente concepta. Proinde hic duo notanda sunt.

Primum est. Quod Christum uidemus animos adflictorum laborātes cognoscere miserari, & curare. Hoc est, gnatum esse & peritum, imò condolentem & affectu commiserationis sentientem, ubi sit hominis uera & potißima miseria, nempe in animo. Accurendum ergo illi omnibus adflictis. Qua etiam in re nos admonemur, ut eodem exemplo solemur animos mœstorum & adflictorum. Iuuare reipsa corpus ægroti uel causam adflicti non potes? uel hoc potes, ut animum eius soleris, iubeasq; bono esse animo. Et certè ita comparati sumus, ut non parum sit solatij & releuationis animorum adflictorum, si quando uiderimus agnoscere proximos adflictionem nostram, & cupere nos bono esse animo. Sed creuit hodie ingens inhumanitas.

2 Alterum est. Qui in re sita sit animi restitutio. Nempe, ut dictum est in concepta spe rerum meliorum. Ergo pacatio conscientiæ adflictæ est in fide & spe. Videmus ergo hic fructum fidei. Propterea Paulus pacem adscribit fidei. Sed hic dicis. Si ergo restitutio animi adflicti est in cōcepta spe rerum meliorum, quomodo ego illam potero adflicto indere, qui illum iuuare non ualeo? Christus quidem hoc potuit, quia iuuare potuit.

Respondeo. Si causa talis est, ut possis, sequere exemplum Christi, ut non solum uerbis nudis, sed efficacibus soleris mœstum adflicti animum. Si uerò talis est, ut non possis, sed ita soleris, ut primum condoleas, unde non modica consolatio est adflictis. Deinde ad medicum & consolatorē hunc dirigas, deq; illius bonitate & fide plurimum promittas, nihil metuens, hoc illi non placiturum.

Sic diues posset solari pauperem.

3 Remittuntur tibi peccata tua.] Quid hoc est? Atqui illi non pro remißione peccatorum impetranda ægrotum hunc adduxerāt, sed pro sanitate corporis acquirenda. Ecquid aliud ægrotus animo cōcipere potuit, quàm se fore sanandum, cum Christus diceret, fili, bono esto animo? Et ecce dicit, remittuntur tibi peccata tua: Christus ut bonus & peritus medicus, nō forinsecus morbum curare uult, sed radicitus. Non ergo hoc ideò dicit, quod nolit eum etiā corpore sanare, & petitioni fideiq; baiulorum istorum satisfacere, sed hoc ipso curat eum etiam corpore, quod morbi causas amputat.

QVAE HIC NOTANDA SINT.

1 Primum. Videmus hic morbos corporis plerunq; prouenire ex peccatis, id quod scriptura etiam tam ueteris quàm noui testamenti multis locis declarat, ut Deut. 28. ex transgreßione legis, uide quos morbos minitetur. Et Ioan. 5. Iam sanus factus es, uide ne pecces amplius. Et 1. Corin. 11. satis aperte ostendit Paulus, ex abusu cœnæ factum esse, ut Corinthij peste sint à Domino correpti, quod liquet ex duobus illis locis, 1 Cor. 10. 11.

1 Cor. 10. & 11.

Cum ergo hoc sit, qui fit quod eas morbi huius causas non consideramus & amputamus, quas scriptura assignat, & tam multi interea sumus in obseruātia rerum naturalium & externarum? Quando ægrotamus quid primum facimus? Medicos corporis accersimus, peccatorum nulla habita ratione. Proinde admonemur hic ut primo omniū causam ipsam morbi amputemus, hoc est, iram Dei auertamus, peccatorum remißionem quæramus, sed uere quæramus. Atq; hoc nobis plurimum prodesset, non solū ad hoc ut rite ac uere sanemur, tam anima quàm corpore, sed etiam ad hoc, ut & in posterū studiosiores simus ad declinandū peccata. Quid enim aliud cogitaremus quàm quod Christus hic dicit: Ecce mi fili, inquit, quod adeò ægrotus decumbis pœna est peccatorum, ex peccatis tuis hoc habes, peccasti contra Deum, sed bono sis animo remittuntur tibi peccata. Quid hic ægrotus iste in posterum cogitabat aliud, quàm curabo ergo, ut non peccem, ne rursus in huiusmodi morbū incidam? Hoc & nos faceremus, si iuxta hoc exemplum primum morbi causas perpenderemus.

Iam quādo etiam ægroti peccatorum nostrorū non admonemur, nec ad Dominum suspiramus, tanquam ad uerum medicum, quomodo hoc sani faciemus? Malum quidem est, quod sani ad Deū non appropiamus, nec peccatorum nostrorū rationem habemus, uerū hoc demum deploratam obstinationem ostendit, quod neque ægroti hoc facimus. Ita scriptura 2 Para. 16. Regem Asa culpat quod neq; in infirmitate sua conuersus sit ad Dominum. Q. d. In eam deploratam obstinationem deuenerat, ut neq; ægritudine sua, eaq; lethali, permotus sit, ad Deum sese conuertere, quid feciſſet satius?

Deinde. Notandum hoc loco, quod non dicit satisfeciſti iam pro peccatis tuis, aut satisfacies pro peccatis tuis, sed remittūtur peccata tua. Quibus uerbis omnem satisfactionē pro peccatis sustulit, & totum gratiæ assignauit. Quis enim non uidet hic ægrotum hunc magno isto morbo, quo laborabat pro peccatis suis non satisfeciſſe, aut illa iam deposuiſſe, sed adhuc fuiſſe in peccatis suis? Nam alioqui male dixiſſet Christus: Remittuntur tibi peccata tua, si iam pro illis satisfeciſſet. Si ergo neq; magnus ille morbus peccata diluit, qui tamen propter peccata illi erat inflictus, quid operis potest fieri à nobis, quo peccata diluātur? Ergo necessario remißio peccatorū est ex sola gratia Dei. Atq; ea est Euangelij prædicatio, quæ gratiam istam toti orbi inuulgat cui omnes auari, impostores, & hypocritæ sacerdotes semper aduersati sunt, atq; hodie quoq; aduersantur. Non possunt ferre hanc doctrinam, nam non facit ad quæstum. Atq; hinc est, quod nusquam legimus Christum suos docuiſſe, ut pro peccatis satisfaciāt, sed docuiſſe, ut pro remißione peccatorū orēt, ut est in oratione dominica. Remitte nobis debita nostra, sicut & nos &c. Vide suprà cap. 6.

2

Tertio. Operæpreciū fuerit etiā hoc loco obseruare ingenium Christi, qua sit bonitate erga eos qui ad se ueniūt. Nec hic ægrotus legitur quicq̄ dixiſſe, nec qui eum funibus ante pedes eius miserūt. Qua re satis ostenderūt tametsi cuperent hunc corpore sanatū, tamen omnia se in manus Christi deposuiſſe, nō dubitantes ipsum omnia optime facturum. Christus itaq; plus præstat, quàm ipsi petere ausi fuiſſent. Vnde satis apparet, quanta beneuolentia excipiat male habentes. Quisquis enim plus dat quàm expectatum fuerat, hoc ipso declarat se non grauate, sed hilariter & ex animo dare. Qui grauatim dant, non tantum dant quantum petitur, aut si tantum, uix tamen, & certè non ultrà.

3

Discamus ergo hic, ut & ipsi nos ad cõspectũ Christi ingeramus, nihil illi præscribentes, nec dubitantes, quin curaturus sit nos multo melius q̃ nos petere audeamus. Illi quicq̃ præscribere, aut indicium est alicuius diffidentiæ, aut hinc est, quod nos ipsos nimiũ quærimus. Quisquis enim uoluntati saluatoris sui & bonitati ipsius sese offert, certè nihil potest illi præscribere, satis habens si curandus ab ipso susceptus fuerit, hoc uno se beatũ existimans, quod ab ipso non sit reiectus.

Et ecce quidam è Scribis dicebãt intrà se, hic blasphemat.

Videbimus posthac, quomodo Euangelium Christi, quod doctrinam remissionis peccatorum, in nomine & fide Christi habet, scandalo sit sanctis & sapientibus huius mundi. Videtur hic uerbum illud Euãgelicum, quod ad ægrotum Christus dixit, nempe, remittuntur tibi peccata tua, blasphemiã esse, in oculis Scribarum. Et rationem Mar. 2. & Luc. 5. addunt dicentes: Quis enim est, qui peccata remittat, nisi solus Deus? Erat autẽ eorum
1 offensio in hunc modum constituta. Quicquid solius Dei est, istud non est hominis alicuius. Peccata remittere solius Dei est. Ergo peccata remittere nõ est hominis alicuius. Rursus. Quisquis quod solius Dei est sibi
2 usurpat, hic blasphemiam cõmittit. Si quis homo peccatorum remissionem sibi usurpat, aut potestatem peccata dimittendi sibi usurpat, hic sibi uendicat, quod solius Dei est, Ergo homo qui potestatem peccata dimit-
3 tẽdi sibi assumit, hic blasphemus est. Quisquis hominũ potestatem peccata dimittendi usurpat, blasphemus est. Hic homo hoc facit, Ergo hic homo blasphemus est. Videamus iam istas Scribarum cogitationes, an merito sint uerbis Christi offensi.

1 Primo, quod cogitant non esse hominis cuiusquam, quod solius Dei est, uerum est plane, nisi nulla sit inter Deum & humanam creaturam differentia.

2 Alterum, quod dicunt, neminẽ esse qui peccata remittere queat, nisi solum Deũ, hoc ipsum quoq; uerum est. Quomodo aũt hoc uerũ sit, uide suprà cap. 6. ibi, Et remitte nobis debita nostra, articulo. Solũ Deũ remit-
3 tere peccata. Tertio, quod ergo ex hoc loco colligitur, peccata remittere non esse hominis cuiusquam, uerum quoq; est, sed quomodo, uidebimus ordine postea.

4 Quarto. Quod blasphemiam cõmittat, qui sibijpsi assumit, quod solius Dei est, nemo est, qui neget. Quemadmodum enim qui quod Cæsaris est sibi assumit, reus est Cæsareæ maiestatis, ita & qui quod Dei est sibi usurpat, reus est diuinæ maiestatis.

5 Quinto. Quod quæ Dei sunt sibi usurpet, qui potestatem peccata dimittendi usurpat, ex præmissis liquet.

6 Sexto. Quod ergo hinc cõcluditur, blasphemũ esse hominẽ illum, qui peccata remittendi potestatẽ sibijpsi assumit, omnino liquet, nec adhuc negari potest.

7 Septimo, quod ergo ex his omnibus Scribæ colligunt, hic homo hoc facit, id est, Hic homo potestatem usurpat remittẽdi peccata, cum dicit: fili, bono esto animo, remittuntur tibi peccata tua, & ipsum uerum est, nec Christus hoc negat. Non enim dicit, fili, bono esto animo, remittet tibi Deus peccata tua, uelut Nathan dicebat ad Dauidem 2 Sam. 12. Et Dominus transtulit peccatũ tuum, aut, orabo pro te Deum ut remittat tibi peccata tua, sed planè, remittantur tibi peccata tua, more eorum qui potestate utuntur. Es sol dir geschenckt sein, sie sollent dir nachgelassen seyen.

8 Octauo & ultimo. Quod autem decernunt & concludunt. Hic blasphemat, non sequitur, etiamsi præcedentia sint uera. Atq; hoc est, quod Christus hac historia refutat potentissime, quemadmodum uidebimus.

Et cum uidisset Iesus cogitationes illorum, dixit: Quare uos cogitatis mala in cordibus uestris?

Quæ sunt illa mala? Certè malũ non erat, quod cogitabant Deum solum esse qui peccata remittat, & sine blasphemia nõ esse, si quis sibijpsi potestatem eam usurpet. Quæ ergo erant illa mala? Quæ alia, quàm quod cogitabant Iesum sibijpsi usurpare & rapere potestatem peccata remittendi, atq; adeò esse hominem scelestum & impium, nihil non in cõspectu uulgi audentem. Hæc scilicet mala erat cogitatio, ex corde omni inuidentia referto. Excæcauerat enim eos inuidia.

Christus uerò duplici nomine potestatem habebat peccata remittendi. Vno quia uerus Deus, uerbũ æternum, ex quo & in quem sunt omnia. Sed hoc forsan erat sublimius, quàm illa tempora tum capere poterant. 1

Altero, quia etiam iuxta humanitatem ac dispensationem quam à patre acceperat, nõ seipsum ingesserat, sed missus potestatẽ habebat omnium. Nam omnia dederat illi pater in manus, fecerat eum iudicem uitæ & mortis, constituerat eum saluatorem mundi, qui suos à peccatis liberaret. Iam aliud est ea quæ Cæsaris sunt sibi ipsi usurpare, & aliud ea ab ipso Cæsare accipere. Rerum potestas in ditione sua apud regem est. Qui regiam potestatem in se rapit, criminis reus est. At interea quis prohibet regem omnem suam potestatem uel filio suo, uel legato cuipiam quem aliquo mittat imponere? Certè nemo. Ita & hic. Omnis potestas apud Deum est, non solum peccata remittẽdi uel detinendi, sed etiam omniũ quæ in cœlo sunt & in terra uitæ, mortis, & in summa omnium. Et uerum est, blasphemiam committere eum, qui sibi quicquàm quod non acceperit usurpauerit. Sed quis prohibet Deum uel aliqua, uel omnia cui uelit imponere gerendarumq; rerũ potestatẽ dare? Certè nemo. Est ergo status quæstionis huius in præsenti loco, cui Christus potestatẽ peccata remittendi nõ datam, sibijpsi rapuerit, aut an à Deo illam acceperit. Rapere illũ cogitant hic Scribæ. Ergo concludunt eum esse blasphemum. Christus uerò in hoc est, ut probet se non rapuisse, sed uerè accepisse & rite habere potestatem istam. 2

Probat aũt nõ ex scripturis, id quod tamen facile potuisset, ex Mose, ex Prophetis, ex Psalmis. Nã si scripturas adduxisset, mox suggessissent illi. Atqui non mox ad te attinent illæ scripturæ. Attinent quidem ad Messiach nostrũ, quem à Deo promissum expectamus, uerũ tu ille non es. Proinde nihil ad te ista. Nam absq; dubio & Iudas & Theudas, & qui alij sese pro Christo illo promisso uenditabant, scripturis quoq; tanquam testibus utebantur, sed ad se non pertinentibus.

Quomodo

Quomodo ergo probat Christus se potestatẽ istam habere? Testimonio scilicet omnium certissimo. Nempe diuinæ uirtutis & efficaciæ, quam nemo impostor sibi usurpare potest. Dicit ergo.

Vtrũ facilius est dicere remittãtur tibi peccata tua, an dicere, surge & ambula?

Q. d. Si dixissem ad ægrotũ istum, Surge & ambula, non accusassetis me blasphemiæ. Vbi aũt dixi: Remittantur tibi peccata tua, uideor uobis blasphemus esse. Quare? Quod solius Dei sit remittere peccata. Iam respondete uos, quid horũ sit facilius? Nempe ægrotũ istũ incurabilem mox uno uerbo non solum paululum releuare, sed plane restituere, in momẽto, idq; nulla oratione ac precatione, nullo externo adminiculo, an uerbo peccata illi condonare ac remittere? utrunq; sanè grauissimũ est, utpote diuinũ. Sed respõdete utrum sit facilius, idq; uobis assumite & præstate. Si facilius est uerbo ægrotũ istũ curare, q̃ peccata remittere, dicite uos illi: Surge & ambula. Cæci, quis est qui potestatẽ habet sanandi, potestatẽ uitæ et mortis? An nõ idem Deus, qui & peccata remittendi potestatẽ habet? Quũ ergo non minus nõ sit hominis, uerbo sanare ægrotos, & uerbo excitare mortuos, q̃ peccata uerbo remittere, qui fit, quod hic uobis blasphemus sum, illic non sum? Non potestis uidere illic ipsam efficaciam uel hic cur non uidetis?

Adhunc modum uult Christus ad futurũ miraculum animos populi instituere, ut non solum in externo miraculo hæreant, sed ipsam dispensationẽ, qua in hunc mundum uenerat, penitus introspiciãt intelligantq; omnem se à patre potestatẽ accepisse, quæ ad saluandos homines non solum corpore sed & anima: non solum ad tempus, sed in æternum, faceret. Atq; hac occasione studio in apertum produxit cogitationes impias Scribarũ, ac tanta efficacia diluit. Sequitur.

Vt aũt sciatis quod potestatem habeat filius hominis in terra remittẽdi peccata.

Vult ergo Christus probare se non esse blasphemũ, sed iusta potestate hoc facere & posse. Qui enim hoc facit, quod in potestate habet, non male facit, blasphemus esse non potest. Notandum ergo hoc loco quod non dicit, quod uirtutem, sed quod potestatẽ habeat. Est enim aliud habere τὸ δυνάμειν, & aliud τὸ ἐξουσίαν, ὅτι ἐξουσίαν ἔχει, inquit. Virtutem faciendi pleraq; habet & latro, & tyrannus, sed ἐξουσίαν potestatem, id est ius non habet. Proinde cum Christus hic dicit ὅτι ἐξουσίαν ἔχει, satis ostendit se non uirtutem aliquam iniustam ac tyrannicam probaturum, sed iustam potestatem ac ius remittendi peccata. Atq; ea certè potestas cũ primis necessaria est ei, cui quicquam donatur uel remittitur. Nisi enim hoc esset, frustra essent omnia quæ à Christo haberemus. Vuas uuere es uuen einer zu mir uuolte sagen, nun uuolan, dein schuld die du disem schuldist bist uuil ich dir nachlossen, und er hett sein aber kein recht noch macht? uuas uuere mir darmit geholffen? Vt hanc itaque potestatem Christus probet, seipsum à blasphemia uindicet, populumq; istum & ægrotum simul certum reddat, se iure diuino facere ista.

Tunc dicit paralytico, surge, tolle lectum tuum, & uade in domum tuam.

Q. d. Videte nunc an uerba mea uana sint, an præter diuinam potestatem agam. Probate nunc ex isto uisibili, quid tenere debeatis de inuisibili. Reliqui legati, ut potestatem suam probẽt, literas & instructiones suas exhibent, & fidem inueniunt, & firma sunt quæ agunt. Vultis uidere instrumentum meum omni fide dignum? En diuinam uirtutem. Surge tu, & tolle lectum tuum, & uade in domum tuam.

Et ille surrexit, abijtq; in domũ suam.

Ecce literæ testimoniales, quibus probata est potestas Christi. Quid ad ista Scribæ? obmutuerunt, inuidi & cæci. Quid uerò reliqui adstantes?

Turbæ uerò quæ uiderant admiratæ sunt, & glorificauerunt Deũ, qui dedisset potestatem talem hominibus.

Ecce apud turbas fructum huius probationis. Videmus hic quantum sit cordibus esse non corruptis. Admirantur, quid? Nempe talem potestatem datam hominibus. Et non solum admirantur, sed & Deum in eo glorificant, laudant & prædicant.

QVID EX HAC HISTORIA nobis sit notandum.

Primo. Necessarium est hoc loco tractare potestatem Christi quam à patre ad salutem nostram, peccata remittendi accepit. Quoniam igitur potestatem peccata remittendi nemo habet, nisi Deus. Christus autem potestatem illam habet, sequitur illum aut esse Deum, aut à Deo illam accepisse, aut esse utrunq;. Deum esse Christum quatenus est uerbum omnia creans & gubernans, Ioan. 1. nemo Christianorum negare debet. Hominem quoq; esse uerum, rursus nemo dubitat. Quoniam uerò hoc loco potestas peccata remittendi à Christo probatur, quatenus eã habet filius hominis, unde & ipse dicit: Vt autem sciatis quod potestatem habeat filius hominis in terra remittẽdi peccata, & postea turbæ, quod dedisset potestatem talem hominibus, satis innuitur intelligendum esse de dispensatione Christi, quam à patre accepit, quæ tota in eo sita erat, ut nos patri reconciliaret, & filios Dei in æternumq; saluos redderet, ad quam rem & in hunc mundũ uenit. Relictis aũt multis quæ hic forsan tractãda essent, loquemur de hac re breuiter hoc ordine. Primo, gratiam hanc remissionis peccatorum necessariam nobis esse. Atq; hoc inde colligitur. Primo quoniam in peccatis nascimur omnes, & postea in peccatis quoq; uiuimus. Deinde quoniã Deus iustus peccata odit & punit, unde iudicio eius obnoxij sumus omnes. Tertio. Quoniam nec originale illud extinguere, nec pro illo aut pro alijs satisfacere possumus. Vnde relinquitur, neminem saluari posse sine gratia ista. Rom. 4. Item, ne intres in iudicũ cum seruo, &c. Et, si iniquitates obseruaueris &c. Deinde, remissionem peccatorum à Deo nobis propositam esse, ratione fœderis. Primum habetur illud. Et ipsum conteret caput, &c. Et illud Abrahæ dictum. In semine tuo benedicẽtur omnes gentes terræ. Et illud Esa. 53. Et Hieremiæ 31.

Vnde & in quit, in terra.

2 Locus hic probat peccatorũ remissionẽ in unũ aliquem locatam.

Tertio

Tertio. Dispensationem istam traditam esse huic Christo, quem nos colimus ut filium Dei, eum scilicet à patre in mundum hunc missum, ut à peccatis nos liberaret, & planè saluaret, omni ad hoc potestate accepta siue in cœlo, siue in terra.

Lucæ 4. Atq; hoc Christus de seipso dicit: Lucæ 4. Spiritus, inquit, Domini super me, propterea quod unxit me, ad Euangelizandum pauperibus misit me, ut sanem cõtritos corde, ut prædicem captiuis remissionem, & cæcis uisum, ut emittam confractos per remissionem. ut prædicem annum Domini acceptum. Item uide quæ Ioannis sexto dicat. Et Matth. ult. dicit itaq; se missum. Ergo nõ sua sponte cõcurrit. Deinde à Deo patre. Tertio ad hoc, ut captiuos liberaret, ut æterna uita donaret. Quarto, ad hoc dicit se omnem potestatem à patre accepisse.

Iohan. 6. Mat. ult.

OBIECTIO.

Sed dicet infidelis. Christus uester de se ipso hic testimonium adfert. Testimoniũ eius non est uerum. Nam ita & Iudæi illi Ioannis octauo obiecerunt. Quid ergo ad probationem facit, quod Christi ipsius uerba adducis?

Probatio.

Respondeo. Plurimum. Nam aut uera dicere concedes aut mentiri. Si uera, est filius Dei, est saluator mundi, habet potestatem remittẽdi peccata. Si uerò falsum, erit iam non solum non filius Dei, sed etiam aduersarius Dei & blasphemus & falsus propheta. Iam eligat infidelis utrum uolet. Nos dicimus uerum esse Christi testimonium. Idem si dixerit ipse, reddat rationem cur non credat. Si dixerit falsum esse, atque ideò illum esse blasphemum & falsum esse prophetam, reddat rationem, quomodo homo blasphemus posit agnoscere secreta cordium, quod solius Dei est, unde Deo datur hic titulus in scripturis, quod sit scrutator cordium & secretorũ cognitor? Deinde dicat quomodo homo blasphemus, qui sibi usurpet potestatem diuinam, posit uerbo omnipotenti quæuis posse, imperare morbis, imperare morti, imperare uitæ, imperare spiritibus malis, imperare uento & mari, & ea opera facere, quæ planè Dei sunt? Iam Christus ea fecit. Si talis talia non potest & Christus ea potuit, ergo talis non est. Atq; ideò & ipse Ioannis quinto dicit: Opera quæ dedit mihi pater, ut faciam ea, ipsa inquam opera, quæ ego facio, testificantur de me, quod pater miserit me.

Iohan. 5.

Atq; ex hoc fundamento est illa responsio cæci illuminati Ioan. 9. Pharisei dicebãt: Da gloriã deo, nos scimus hunc hominem esse peccatorẽ. Hic uerò inter cætera respondebat. Scimus quod peccatores Deus nõ exaudit, sed si quis Dei cultor est, & uoluntati ipsius obtemperat, hunc audit. Idem & quidam ex populo dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Eiusdẽ quoq; fundamenti rationẽ habet, quod Christus hoc loco dicit: Vt autem sciatis quod filius hominis potestatem habeat in terra remittendi peccata, tibi dico surge, tolle lectum tuum, & uade in domũ tuam. q.d. Dicitis me esse blasphemum, quod usurpem mihi potestatem Dei, nempe remittendi peccata. Iam dicite uos, an homo blasphemus posit uerbo ægrotum istum mox curare. Mitto ergo hic testimonia Moysis, Ioan. 5. testimonia prophetarum Act. 10. Huic omnes prophetæ testimonium perhibẽt, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Mitto testimonium angeli Matth. 1. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorũ. Mitto testimonium Ioannis, Ioan. 1. 3. & 5. Mitto testimonium patris Matth. 3. Hic est filius meus dilectus &c. Luc. 17. Item testimonium spiritus sancti. Ioannis 14. Ille testimonium perhibebit de me. Relictis his omnibus unum hoc urgeo. Christus ipse talem esse se dixit, hanc habere se potestatem. Si uera dixit, salua res est. Si uerò falsa, respondeatur quomodo homo blasphemus posit facere opera dei, quæ nemo alius fecit?

1 2 3 4 5 6

Relinquitur ergo probatissimum esse, potestatem remittendi peccata datam esse Christo à patre, ut certissimus in conscientijs nostris, liberatos nos esse à peccatis nostris, si illi crediderimus.

Deinde notandum est, quod populus Deum hic glorificare dicitur, pro eo quod potestatem talem dederit, non inquit, huic Christo suo, sed hominibus. Intelligimus igitur hanc potestatem nõ tam Christo, quantũ ad suam attinet personam, quàm hominibus, id est, humano generi esse traditam. Proinde non erat hæc potestas alliganda ad personam Christi, qualiter & quatenus in hac terra ad præscriptũ tempus agebat, sed potius ad ipsam dispensationis perpetuitatẽ, quam Christus quidem corpore ad breue tempus obire, uerum postea alijs commendare debebat. Illud, hominibus, bene notandũ. Non dicunt, sacerdotibus, Pharisæis, nec dicunt Apostolis, aut Euangelistis, sed in genere hominibus. Nam ista gratia reuera illis data est peccatoribus, qui eam amplectuntur, magis quàm ministris.

Proinde ascensurus in cœlum, aperit discipulis suis quatenus hæc dispensatio administranda esset per alios in orbe terrarũ in nomine suo, ut Lucæ 24. Et Ioan. 20. aperte illis eam Apostolis suis cõmittit, item & Matth. ult. Atq; hoc aperte etiã uidere est 2 Corinth. 5. & multis alijs locis. Huc scilicet pertinent ea. Qui uos recipit, me recipit, & qui uos audit, me audit, & qui uos spernit, me spernit.

Lucæ 24. Iohan. 20. Matth. ult. 2. Cor. 5.

Ecce quomodo hæc potestas Christi remittendi peccata in terris relicta sit, efficax & firma, ex eo, quod Christus eam uere habet, & ita ut & alijs committere potuerit, nempe quibus cœlestis gratiæ dispensationem in terris, per prædicationem Euangelij obeundam commisit, unde & nos nõ minus etiam hodie Dei bonitatem stupere & glorificare debemus, quam turbæ istæ tum temporis illam glorificarunt. Sed interea frustra gloriantur de ea qui mandatum Christi non exequuntur, imò pro omnium minimo habent.

OBIECTIO.

Sed dices. Ergo nihil differentiæ est inter Christum & prædicatorem Euangelij, cum eandem utrisq; potestatem tribuis?

Respondeo. Multũ hic est discriminis, nempe quantũ inter Dominũ & seruũ legatũ. Legati officiũ ad præscriptũ munus est alligatũ, de qua re uide suprà cap. 6. Apostoli itaq; Christi quatenus officiũ cõmissum exequuntur.

tur, ratũ est quod faciũt & dicunt, non minus q̃ si Christus ipse adesset. Nã illius nomine & cõmisso hoc faciũt.

Quid autem est quo Christus ab illis differt? Missus
1 est Christus, missi & ipsi, & sicut ipse. Ioan. 20. Christus missus est ut filius, & Dominus omnium. Illi ut serui.
2 Christus missus est, ut redimeret nos morte sua & sanguine suo à peccatis liberaret patriq; reconciliaret, & credentes in se filios Dei efficeret, & in æternum saluaret. Ad hoc illi non sunt missi. Christus missus est, ut spi-
3 ritu suo corda nostra innouaret, & purgaret, fidem & charitatem & omnia bona daret, ut Dominus omnium. Ad hoc etiam missi sunt Apostoli, sed ut ministri Christi, ministri spiritus. Vnde Paulus, ego uos genui in Christo, & per quos credidistis. Est ergo missio Apostolica hactenus eadem cum ea qua Christus missus est, quatenus prædicãt pœnitentiam & remissionem peccatorum et uitam æternam credentibus, atq; hac prædicatione hominum pectora fide donantur, et purgantur, spiritu sancto regenerantur. Cætera Christus habet præcipua illa, quod ipse est filius Dei, saluator, mediator, summus sacerdos, Dominus & Rex omnium, quod ipse morte sua nos redemit, quod ipse spiritum suum largitur, cui uult & regenerat &c.

DE POTESTATE MINISTRORUM uerbi.

Hieronymus Matth. 16. Id iuris & officij Euangelici sacerdotes habent, quod olim sub lege habebant legales in curandis leprosis. Hi ergo peccata dimittũt uel retinẽt dum dimissa à Deo uel retenta iudicant & ostendunt, unde in Leuitico ostendere se sacerdotibus iubentur leprosi, quos illi non faciunt leprosos uel mundos, sed discernunt qui mundi uel immundi.

Ambrosius, uerbum Dei dimittit peccata. Sacerdos exhibet officium suum, sed nullius potestatis iura exercet. Simile iudicis et custodis carceris Iacob. 4. Vnus est legislator & iudex qui potest perdere & liberare.

NOTANDA HOC LOCO.

1 Quod ergo populus glorificat Deum, quod potestatem talem dedisset hominibus, oportet omnino ad glo-
Ephe. 1 riam Dei facere gratiam hanc, qua iuxta promissionem fœderis, peccata in Christo remittit. Alioqui male glorificaret hic populus Deum in hoc dono.

2 Deinde si ad gloriam Dei facit ista potestas dimittendi peccata hominibus in Christo cõcessa, erga ad gloriã Dei facit gratiæ huius prædicatio, quæ fit per Euangelium. Quid enim Euangelium aliud prædicat, quàm remissionem peccatorum in Christo Iesu credentibus? Vnde & Apostolus 1 Timo. 1. uocat illud Euangelium
3 gloriæ beati Dei. Tertio. Si ergo ad gloriam Dei facit ea prædicatio, qua hæc gratia annunciatur, sequitur cõtra gloriam Dei facere, doctrinam eorum, qui merita docent & satisfactiones pro peccatis.

Quarto. Si ergo populus hic Deũ pro isto dono glo-
4 rificat, necessarium est hoc illis fuisse agnitum & perpensum. Nisi enim agnouissent, quomodo glorificassent datorem? Deinde oportet fuisse gratũ illis hoc donum, aliàs quippe non glorificassent. Ergo eadem ratione sequitur agnouisse eos peccatores esse se, & hactenus per legem iustificari non potuisse. Fuit ergo gaudiũ & glorificatio eorum, qualis nunc eorum est Lætitia & gratulatio, qui per renouationem Euãgelij gratiam istam cognouerunt. Illi scilicet, qui sub Pontificijs statutis, et sub doctrina meriti, & satisfactionum bene torti gratiam Dei nunquàm cognouerunt, atq; adeo nunquàm quietam conscientiam habuerunt.

Igitur sacerdotes & Scribæ uerbum & doctrinam Christi, gratiamq; istam blasphemiam esse iudicarũt & condemnarunt, agnoscere tanq̃ iustitiarij, non ualentes gloriaũ Dei, & populus è contrario gloriam Dei agnouit & celebrauit in hac gratia hominibus collata per Christum. Nostri iustitiarij quid aliud faciunt hodie condemnãtes huius gratiæ prædicationem, q̃ quod eam blasphemiæ arguunt? Neq; de illis uentriculis loquor, qui nihil aliud quærũt, q̃ quæstũ, sed de ijs qui optimi inter eos habentur, illi pertinacissimi sunt gratiæ dei blasphematores, ac mordacissimi humanæ iustitiæ defensores.

Deinde quid hodie ueri Euangelici aliud faciunt, q̃ quod illi tum fecerunt, qui Deũ glorificauerũt propter hanc potestatẽ hominibus datã? Glorificãt & ipsi Deũ, quod peccatorũ remissionẽ & uitam æternam in Christo Iesu absq; merito, absq; satisfactione, absq; argẽto & auro, annunciatam inueniũt. Sed ut illi magnatibus istis maledicti habebantur, non agnoscentes legem, ita & isti hodie Scribis & sacerdotibus nostris hæretici habẽtur.

Et præteriens Iesus illinc uidit hominem desidentẽ ad telonium, Matthæum nomine, dicitq; ei, sequere me. Et is surgens secutus est eum.

Historiam hanc qua describitur uocatio Matthæi, habetur etiam Mar. 2. Et Luc. 5. in qua conscientijs peccatorũ onere præssis non mediocris continetur consolatio, ut uidebimus. Totus enim in hoc est Christus ut declaret se peccatorum saluandorũ gratia, uelut medicus ægrotantium curandorum uenisse. Sed ordine uideamus omnia. Matthæus hic, apud Marcum & Lucam dicitur uocatus esse Leui, quo nomine erat unus ex duodecim filijs Iacob, unde orti sunt Leuitæ. Vnde uidemus eũ fuisse Iudæũ, quod qua ratione notemus, uidebitur infra. Tractandum primum est uocatio Matthæi.

QVOD DISCIPVLOS ELIGIT.

Primo ex eo quod Christus discipulos colligit, notan- 1
dum nobis proponitur studiũ promouendi regni Dei in futurum. Perpendit quid ad promotionẽ Euãgelij, quod à patre in mundum hunc detulerat, opus sit, nempe ministris, quibus utatur in hoc munere, quos post abitũ suum in orbem uniuersum emittat, considerans se breui abiturum, atq; ideò futuro consulens, eligit quibus utatur. Facit instar ducis bellici, qui perpenso negotio quod gerendũ suscepit, prouidit sibi de iusto militũ numero.

Atq; hic admonemur ut studiũ illud Christi ad promouendũ Euãgeliũ in eligẽdis ministris impẽsum, ad nostrã salutẽ factũ esse credamus, Christũ nostri tũquoq; curã, etiã lõge post futurorũ gessisse. Videdũ itaq; ut præparatã à Christo gratiã, nec corrũpamus, ut Pontificij, nec postremo loco habeamus, alia præponẽtes, ut ijdẽ fecerũt, sed ut purã seruãtes et illibatã, priore loco semper

habeamus

habeamus. Quòd si fecerimus, non dubitemus quod qui nostri hac quoq; in re curam egit cum nondum essemus, non negliget cum iam sumus.

2 Deinde notent & hic, quibus in populo Dei aliquid muneris est concreditum, ut ad exemplum Christi, rem ipsam in se fideliter perpendant, non solum quod opus est dum uiuũt procurantes, sed & posteris prouidentes.

EXEMPLI GRATIA.

Magistratus quibus commissa est R.P. Si nolint amplius cogitare quomodo consulatur Reip. quàm tantisper dum ipsi fuerint in officio, non agent fideliter.

Item si illi, quibus potestas est administrãdi, & promouendi Euangelij, animo essent erga Euangeliũ ipsum & regnum Christi fideli, cogitarent primum eos ministros breui abituros, cogitarent opus fore ut alij succedant, cogitarent non profore, ut temere ad hoc quisq; assumatur, cogitarent, ergo necessariũ fore, ut diligenter quidam ad hoc à pueris instituantur. Hoc quia non faciũt, quis nõ uidet quo animo sint erga regnũ Christi.

QVALES ELIGIT.

2 Secundo uideamus qualem eligat discipulum. Nam & ex eo non parũ est consolationis. Nulli enim dubium, quin quẽadmodũ ubiq;, ita & hoc loco Christus & gloriam uirtutis Dei ampliandam, & nostram salutem considerat. Oportet ergo Matthæum hunc talem esse, ut uocatio eius ad declarationem gloriæ Dei, & ad nostram salutem faciat, hoc est, ad Euangelicum munus cõmodus sit. Videnda itaq; sunt hic ista duo. Primum quomodo ad gloriã Dei ista uocatio, & alterum quod ad nostrũ, id est, peccatorum profectum faciat.

1 Primo. Ratio humana putaret ad gloriam regni Christi facturum fuisse si glorioſos, magnos, nobiles, potentes, ac sapientes uocasset. Quod si illa fuisset Christo à consilijs, suasisset uocare Annam, Caiapham, & reliquos magnates huius populi, putans hinc promoueri negotium. Sic Saul cum quæreret regni sui promotionem usus hoc consilio, si quem uirum uidebat fortem & eximium, hunc sibi deligebat. 1 Sam. 14. Agebatur nimirum res humanis uiribus. Christus uerò plane contrario modo, non sapientes, non nobiles, non sacerdotes, non Scribas, non Pharisæos, sed homines idiotas, ignobiles, & uulgares eligit. Quare? quia res ista non erat uiribus humanis, sed diuinis agenda. Vt ergo cõspicua redderetur gloria dei, hoc est, ut liqueret negotiũ istud Euãgelij Dei nõ humanitus, sed diuina prorsus uirtute geri, conueniebat tales eligi ministros, in quibus omnia humana essent infima & planè nihili. Proinde eligit alibi idiotas & piscatores & hic hominem teloneum, quibus ad obeundum hoc munus nihil erat ineptius, ut omnis gloria postea ad Deum rediret. De hac re uide Act. 4. quomodo ad gloriam Dei fecerit, & stultam fecerit huius mundi sapientiam. Item uide 1 Corinth. 1. & 2. Cor. 4.

Saul

Pontifex omnino contrarius eligit principes, nobiles, potentes.

Deinde uideamus quomodo ista uocatio Matthæi ad peccatorũ consolationem & profectum faciat. Quia quantum ad gratiam Dei attinet potißimum erat per Euangelium illustranda gloria Dei, (Quid enim Christus aliud facturus aduenerat, quàm propositum illud uoluntatis Dei, ad laudem gloriæ gratiæ Dei, ab æterno

Ephe. 1

præsumptum, & suo tempore uulgãdum, reipsa exequi?) Commodum illud etiam in hac uocatione perpendit Christus, dum talem eligit, qui & ipse peccatorum erat infamia nõ mediocriter infamatus, publicanus nempe, & non talis qui olim quidem publicanus fuerit, sed qui adhuc in ipso teloneo desidebat, id quod ipsa Euangelistæ uerba satis declarant.

Voluit ergo Christus gratiæ præcones, quos erat ad lucrandos peccatores emissurus, non esse pharisæos & iustitiarios, sed homines peccatores, ut etiam ipsæ personæ nunciorum exprimerent eam gratiam, quam uerbis debebant prædicare. Expediebat enim ad permouendum pusillanimes peccatorũ conscientias, quo se ad Christum gratiæ ducem reciperent, tales emitti præcones gratiæ. Atq; hinc factum est, cur Petrum necesse fuerit in negationem Christi prolabi. Hinc cõmendat Paulus in uocatione sua gratiã Dei, ostendens simul quo consilio Dei hoc factum sit. 1 Timo. 1. Atq; hac ratione factum est ut latro primus cum Christo regnum cœlorum ingrederetur, sola gratia adiutus. Eadem ratione oportuit Christum cum pro peccatoribus moreretur inter peccatores medium pendere, ut etiam ipse conspectus morientis Christi gratiam Dei commendaret. Et certè nõ possunt meliores esse gratiæ Dei præcones erga peccatores, quàm qui & ipsi peccatores fuerunt insignes: primo, ne sese ex magnitudine officij extollerent. Deinde, ne peccatores uel contẽnerent uel durius tractarent, & ab ipsa gratia prohiberent, quemadmodum iustitiarij faciunt. Videmus ergo quomodo ad commendandam gratiam Dei & promouendam peccatorum salutem faciat ista uocatio Matthæi.

Petrus Paulus

1 Tim. 1

Latro

Christus inter latrones

Perpendamus iam quo scandalo fuerit Christus Iudæis, Scribis, & Pharisæis & Sacerdotibus ista ignorantibus, hoc est, ipsi sapientiæ mundi, & nihil hodie offendetur conuitijs illis, quibus Euangelium Dei quidã propter uilitatem prædicantium diffamant.

Et surgens sequutus est eum.] Duo hic notanda sunt. Primum est, quãta sit diuinæ uocationis uirtus, alterum exemplũ rectæ obedientiæ. Sed hoc posterius uideamus primum. Quod Matthæus tam prompte, tamq; cito surgit et sequitur, quid in se habeat perpẽdendũ est.

Primum. Quod attinet ad rationem uictus, uidemus eũ nihil disputare unde uiuere debeat, sed è medio quæstu surgere, & omnia relinquere, ut sequatur nudum Christum. Deinde. Nihil disputat penes se, quo sit abiturus cum Christo, homine nihil in hoc mundo habente, sed simpliciter uocatus surgit et sequitur, quo? quo Christus ibat. Sic Abraham uocatus exibat, è domo patris sui nescius quo iret.

1

2

Tertio, parum perpendit, quod eum sequitur, quem primores persequebantur. Facile fuisset eum sequi, qui ab omnibus coleretur.

3

Quarto moram non nectit, sed statim obtemperat. Non debet enim cũctari, qui ex infinita miseria ad summam beatitudinẽ uocatur. Videmus ergo in hoc promptæ & genuinæ obedientiæ exemplo pariter exemplum fidei. Qua in re? Quomodo illa rationis argumenta superet. Quòd si Matthæus rationis fuisset consilio usus, cogitasset

4

cogitasset, stultum est relinquere diuitias partas, & mu-
Ratio. nus quæstuosum. Primum, stultum est quæstũ promptum deserere. Deinde stultius parta bona relinquere. Tertio stultissimum est, eum sequi, qui ipse pauper est & nihil plane habet. Quarto, etiam nescire quo eum sequi debeas. Quinto præterea talem sequi, cui primores ubiq; infensi sunt, ob quam rem non solum tua perdis, paupertatẽ tibi cõcilias, sed & in pericula conijcis. Fides uerò, quæ credebat hunc Iesum esse saluatorem, contemptis his omnibus, nihil tale cogitans, simpliciter & confestim obtẽperat. Non offenditur tenuitate pauperis Christi, neq; conditione ea, qua periculis erat obnoxius, neq; de futuro sollicita est, gaudet se reperisse saluatorem & ab illo uocari. Apparet igitur fides stulta coram oculis mundi, & ratio sapiens. Stulta, quod futura parum considerare uidentur: ratio sapiens, quod quid futurum sit perpendere putetur. Sed omnia sunt contraria, fides uerè sapiens est, uerè prudens, uerè futura perpendit, sed non quantum ad præsentia, sed quæ ita futura sunt, ut sint etiam æterna. Ea futura, quæ temporalia sunt & caduca, non æstimat. Vide 2 Corinth. 4. in fine. Ratio uere stulta, uere imprudens, uere futura non perpendit, licet hoc maxime facere uideatur. Perpendit enim non nisi temporalia, ad æterna cæca est.

Videamus ergo hoc fidei exemplo, an rationis nos consilium uel fidei, sequamur, dum temporalia in religione nostra tanta cura perpendimus. Toti quidem in hoc sumus ut futura perpendamus, ne hic Christus nos
Item, ut quisque suæ uocationi prompte per hanc fidem, inseruiat. aliquò seducat, ubi periclitandum sit. Singula diligenter perpendimus. Quæ habemus ardenter amamus & mordicus tenemus. De futuris solliciti sumus. Pericula metuimus. Quis non uideat, quem ducem sequamur, an rationem uel fidem?

Diuina uirtus. Deinde perpendendum in istis, quæ sit diuinæ uocationis uirtus. Humanitus enim ista geri nequeunt. Oportet ergo ut uirtus Christi hic operetur. Quem illa uocat, hunc etiam hoc animo donat, & quasi cæcũ facit, ut nihil perpendat horũ. Quòd si hominẽ pauperem, erumnosum ac laboriosum è mediis duris laboribus euocasset, nõ fuisset usq; adeò mirũ si sequutus fuisset. Poterat enim uideri laboris tædio uitæq; calamitosæ fugiẽdæ studio sequutus fuisse. Verũ hominẽ quæstuosum, ociosum, è medio quæstu uocatũ statim obtemperare, omnia relinquere, uocantemq; sine cunctatione sequi, id demum arduum est & carni durum, atq; in eo apparet euidenter uirtus Christi. Quemadmodum enim in conuersione Zachæi maior apparet uirtus Christi quàm in uocatione Petri piscatoris, eo quod difficile est diuitem intrare in regnum cœlorum, ita & ista uocatio Matthæi, magis uirtutem Christi declarat, quàm uocatio Petri. Quid ergo hic notandum? Hoc nempe ut uocantẽ Christum oremus, ut & nos sua uirtute uocet, hoc est spiritu suo pectora nostra imbuat, consilia rationis obtundat & extinguat, fidem donet, qua simpliciter & confestim, ac prompte uocantem sequamur.

Deinde ut de nemine diuitum desperemus, scientes illud Christi. Quod impossibile est in oculis nostris, possibile esse coram Deo. Oremus potius, si quem diuitem uiderimus nolle sequi Christũ, ut Christus eum uirtute sua trahat & uocet.

Et factum est, ut Iesus accumberet in illius ædibus, & ecce multi publicani & peccatores qui uenerant simul accubuerunt cum Iesu & discipulis eius.

Lucæ quinto legitur conuiuium hoc magnũ fuisse à Leui qui hic Matthæus dicitur, apparatũ. Deinde quod illud Christo parauerit, hoc est in gratiam Christi. Habet hic locus duo, primum conuiuium Christo à Matthæo structum. 1 Alterum quod publicanorum & peccatorum multi simul conuiuati sint. 2

Primum in eo quod Matthæus antequam à suis cum Christo abscedat, conuiuiũ Christo struit, indicium nobis præstat, quod non animo tristi, sed cum gaudio Christum sequutus sit. Est enim gaudij signum ac symbolum, conuiuium. Ita quippe comparati sumus, ut in rebus lætis lætitiam nostram hoc pacto exprimamus per conuiuia. Quia ergo Matthæus cupidissime uocationẽ hanc amplexabatur, gaudium cordis sui isto modo testari uoluit, quod conuiuium Christo parat, idq; magnum. Sic faciebat & Martha, & reliqui. Atq; hinc est, quod scriptura uolens futuri seculi gaudium exprimere hoc conuiuandi symbolo utatur. Vt Esa. ult. Et Christus idem facit Lucæ 22. dum dicit: Sedebitis super mensam meam in regno meo. Atq; hactenus gratum est Christo conuiuium istud Matthæi, Si enim gaudium est angelis super uno peccatore pœnitentiam agente magis quàm supra nonaginta nouem iustis, quo putas gaudio Christus hic apud Matthæum conuiuatus sit, qui propter peccatores in hunc mundum uenerat? Matth. 18

GAVDIVM IN CHRISTO.

Admonemur ergo hoc loco, ut & nos Christũ cum gaudio sequamur, hoc est, ut summũ nobis gaudium sit, ad Christi gratiam uocatos esse. Est enim regnum Dei pax & gaudiũ in spiritu. Hinc Apostolus exigit à Christianis, ut semper in Domino gaudeant. 1

CONVIVIVM CHRISTI.

Deinde ut gaudium illud exprimamus, & Christo conuiuiũ apparemus. Gaudet enim conuiuari nobiscum in ædibus nostris. Sed dicis quomodo parabo illi conuiuium cum in cœlis sit, & nihil horum commodat? Bene potes, idq; duplici ratione. Primum, si abnegaueris teipsum & illi toto pectore adhæseris, fide syncera, & charitate non ficta. Hoc est, si gratiam illius ex animo complectare. Quod autem hoc illi conuiuium sit, uides Ioan. 4. Vbi cum muliere loquutus, Samaritana scilicet & peccatrice, & discipuli de sumendo cibo admonerent respõdit, cibum habeo comedere, quem uos nescitis. Meus cibus est, ut faciam uoluntatẽ patris, qui in cœlis est. Iam quæ est illa uoluntas patris? Ioan. 6. Vt qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam æternam. Ergo si uis Christo adhuc hodie parare conuiuium, crede in illum, hoc est, totum te illi committe, tanquam filio Dei & saluatori unico. 1 2

Deinde potes illum conuiuio excipere, etiam corporali. Quomodo? Audi Matth. 25. Esuriui & dedistis 2

mihi manducare, &c. Et quod uni ex minimis meis feci-stis mihi feci-stis. Vis ergo exprimere gaudium cordis tui ex eo natum quod ad gratiam Christi uocatus es, su-scipe Christum conuiuio, hoc est, uoca pauperes, esu-rientes & afflictos, in quibus illum certißime pasces. Ha bent enim illi testimoniũ Christi. Quid queres amplius?

RELINQVENDA OMNIA.

Sed quid est in causa, quod Christum hoc pacto non excipimus cõuiuio? Nihil aliud, quàm quod nostra non-dum reliquimus. Matthæus primum, ut est in Luca, re-liquit omnia, & postea fecit Christo conuiuium. Vnde pulchre admonemur, non posse illos Christo conuiuium facere, qui sua nondum omnia reliquerunt. Et quare non relinquimus nostra? Quia gratiam uocationis nostræ nondum agnoscimus. Alioqui certißimum est potiori-bus bonis obscurari minora.

Alterum. Alterum quod hoc loco notandũ est, de eo est, quod memorantur peccatores & publicani multi simul con-uiuati esse. Vbi primum uidendum est qui sint publicani & peccatores, an ijdẽ sint, uel diuersi. Reperimus eos sæpe coniunctos. Vt hic, & Luc. 7. uocant Christũ ami-cum publicanorum & peccatorum. Et 15. Erant appro pinquantes ad Iesum publicani & peccatores. Vnde ap paret diuerso fuisse uitæ instituto. Qui publicani fue-rint satis liquet, & quur fuerint apud Iudæos contem-

Peccatores. pti. Peccatores uerò quale fuerint hominum genus, non plane liquet. Aut puto fuisse eos qui à Iudæis excommu-nicati fuerant, tanquam infames, ob aperta forsan sce-lera. Aut eos qui dissolutiori uita præditi quibusuis com municabant gentibus & publicanis, id quod Pharisæis magni peccati loco erat. Credibile nanq; est regnanti-bus inter Iudæos gentibus multos Iudæos illis sese asso-ciasse, & ritus legis & traditionũ paternarum parum curasse, ideoq; eos à reliquis peccatores communi & publico probro fuisse appellatos. Sed uideamus ordine quid hic notandum sit.

1 Primo, uidemus hic paria paribus congaudere. Et Matthæum reliquis publicanis et peccatoribus, & illos uicißim Matthæo. Coniungat ergo & nos uel similitu-do quam inter nos habemus.

2 Deinde uidemus quomodo reliqui peccatores ani-mati ex eo sint ad hoc, ut ad Christũ sese reciperẽt, quod in ædibus erat publicani, id quod non facile fecissent si in ædibus fuisset Pharisæi cuiusdam. Hoc exemplũ & nos sequuti fiducialiter accedamus ad Christũ, qui sese tam cupide ad peccatores in hunc mundum demisit.

3 Tertio, uidemus hic exemplum charitatis in Mat-thæo, ex eo quod non contentus salute sua, etiam alios si-miles ad Christum uelut ægrotos ad medicum uocat. Ad hunc modũ faciamus & nos.

4 Quarto, uidemus etiam, quàm eos in quorũ aliquan do genere uixit, non cõtemnit, ad gratiã Christi & am-plißimam regni Dei dignitatẽ uocatus, sed eos in ædibus suis magno cõuiuio excipit. Iam credibile est non omnes mox dum à uitæ suæ genere destitisse. Atq; ita pulchre Matthæus hæc duo ultro exprimit, quæ ad hãc uocatio-nem suam pertinebant, quibus in posterum debebat uti, nempe, ut peccatores ad Christũ uocaret, & ut eos non fastidiret. Ob quã causam oportebat & discipulos simul cum Christo apud publicanos & peccatores cõuiuari, ut assuescerẽt lucrandis & nõ fastidiẽdis peccatoribus. Igitur hoc exemplo monẽtur, quibus gratia Dei contigit ut è peccatorũ numero ad regnũ Christi uocati sint ne statim peccatores reliquos, cum quibus aliquãdo ui-xerunt contemnant & fastidiant. Contra Anabaptistas. Et discipu-li eius.

Cumq; id uidissent Pharisæi, dixerunt discipulis eius. Cur cũ publicanis & pec-catoribus sumit cibũ præceptor uester?

Describitur hic ingeniũ Pharisaicum & Hypocri-ticum. Pharisæi quia gloriæ Christi inuidebant, toti in hoc erãt, ut uel uerba uel facta eius, culparẽt. Erat enim Christus uera lux, quæ hypocrisim horum detegebat & absconditam impietatem reuelabat. Huc primum nite-bantur an quid in uita ipsius carpere possent, & apud populũ traducere: unde subinde, cum aliud non possent, carpebant quod sabbatis curaret. Verum quia nõ pro-cedebat ista calumnia, obstante miraculorũ splendore, ut est Ioan. 9. proximum erat, ut tanquam peccatorum socium culparent ac traducerẽt. Communi quippe sen-su, duobus hisce modis male audit homo. Primo, si ipse mali quid fecerit. Altero, quòd si non ipse per se male quid fecerit, si tamen cum malis sese coniunxerit, illisq; familiarem sese exhibuerit. Videntes itaq; Christũ co-medere cum publicanis & peccatoribus, speciem ali-quam traducẽdi ipsum nacti, calumniam hinc illi stru-ebant. Dicunt itaq; ad discipulos. Qua ratione cum publi canis & peccatoribus manducat magister uester? Q. d. Si adeò iustus est præceptor uester, quare se iungit pu-blicanis & peccatoribus? Et non solum simpliciter iun-git, sed & cum illis comedit ac bibit?

VIDEAMVS ITAQVE INGENIVM Liuidulorum Pharisæorũ & Hypocritarum.

Primo. Quod Christo apud discipulos detrahũt ani-mum exprimit Satanicũ, in eo quod absenti obloquun-tur. Debebant enim si animis fuissent candidis ista cum ipso Christo conferre: uicium hoc commune est hodie, maxime contra illos qui uerbo ministrant. 1

Deinde. Quod nõ dicunt. Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis, cum tamen & ipsi simul ede-rent. Sed quare cum publicanis & peccatoribus manducat præceptor uester? rursus nobis ingenium exprimit Satanicum & subdolum. Non enim quærũt salutem eo-rum, aliâs dixissent, quare manducatis? sed quærebant illos à Christo auertere discipulos alloquuntur, ut imbe cilliores, Christum illis diffamantes. Ita faciebat Satan Euæ mandatum Dei diffamando. Quare præcepit uobis Deus &c. Ita & hic faciunt isti. Non enim in hoc sunt, ut si quid male gestũ esset emendaretur, sed ut Christũ dif-famarent, huc tendebat conatus illorũ. Atq; ideò discipu lis nihil opprobrant, nõ dicunt, uos malefacitis, sed præ-ceptor uester, hic delinquit, atque adeò & uos seducit. Nouit enim Satan quàm facile suscipiamus calumniã ad-uersus alios, duntaxat nos illa nõ tangamur. Ad eum mo dum hodie faciunt Anabaptistæ & reliqui aduersarij. Simplices adoriuntur, illis obijciunt, si quid in speciem commissum est à uerbi ministro, quod malæ sit famæ. 3

Nouit

Nouit enim pessimus Satan primum esse gradum ad deserendum uerbum, si qui docet male audiat uel falsa aliqua suspicione grauetur.

3 *Tertio, uidendum qui sint qui Christo obloquantur, cum Pharisei inquit uidissent.* Apud Lucam adiunguntur & Scribæ. Quæ duo hominum genera potissimum apud mundũ cum doctrinæ tum uitæ splendore conspicua, præ omnibus alijs non hic solum hoc nomine taxantur quod Christo obloquuta sint. Videmus ergo hoc, & alijs similibus locis, hanc esse Christi & ueræ innocentiæ, uerbiq; Christi sortem, ut ab illis, quorũ fucus detegitur qui aliquid in mũdo uidentur esse, impugnetur. Et quẽadmodũ in uniuersa tamen Iudæa unius erãt spiritus & ingenij aduersus Christũ Scribæ et Pharisæi, simul cũ illis qui erãt Hierosolymis, ita uidemus hodie quoq; contingere uerbo Christi per nostros Scribas et Pharisæos.

4 Quarto. Qui in re obloquantur Christo, uidendum erit. Cur inquiũt, cum publicanis & peccatoribus sumit cibum præceptor uester? Ergo hoc culpant in Christo quod manducat & bibit cum peccatoribus & publicanis. Atqui istud in seipso malũ nõ erat. Primũ enim malũ non est manducare & bibere. Deinde neq; malũ est cum peccatoribus manducare & bibere, sed peccatoribus in malo consentire malorumq; consortẽ esse, id demum malum est. Quemadmodũ enim nõ mox bonus est, qui cum bonis manducat malus, alioqui bonus fuisset Iudas, qui cum Christo toties cibũ sumpsit, ita nõ statim malus est, qui reliqua bonus cũ peccatoribus cibũ sumit. Vt quid ergo Christũ in hoc carpũt quod in seipso malũ non est? Infra undecimo Christus ipse aperit, quid hac in re uoluerint, quomodo istã manducationẽ cum peccatoribus et publicanis interpretati sint. Nempe quod hinc conati sint persuadere reliquis, eum esse publicanorũ & peccatorũ sociũ. Hoc scilicet & hic agebant coram discipulis Christi. Tantũ non aperte dicẽtes: Ecce qualem habetis præceptorẽ. Si non est publicanorũ & peccatorũ socius et amicus, quasi unus ex eis, cur ergo cũ illis cibũ sumit? Si est amicus Dei et legis eius, cur eos amat, qui neq; deũ neq; legem eius curant, homines impij & temere contra statuta Dei uiuẽtes. Iam si eos nõ amaret, certè cum eis non comederet. Quia ergo comedit cum eis, liquet quod & amet eos. Rursus nisi uita ipsorum illi placeret, certè non amaret eos. Quia ergo eos amat, manifestũ est quod uita eorũ abominabilis illi placeat. Vltra. Nisi ipse quoq; malus esset uita horũ hominũ ei placere non posset. Quoniam itaq; patet uitam eorũ ipsi placere uel certè non displicere, apertissimum est quod ipse quoq; malus sit. Similes enim similibus congaudent, nec potest fieri ut homini probo placeant improborũ instituta. Videte nunc quem sequamini, & quos deseratis. Si amicus Dei esset hic homo, si ex Deo esset, ut uobis persuasit, nõ delectaretur uita improborũ, non amaret eos, nõ cibum cum illis sumeret, sed detestaretur & fugeret illorũ consortium, iungeret se potius illis qui legem Dei custodiunt & Deum colunt, ut Scribæ faciunt sacerdotes & nos. Iam uidetis quomodo nos fugiat, nos insectetur, nobis sit infensissimus, hoc uerò hominũ genus uidetis quàm cupidissime sectetur, quàm illis delectetur, ut prope nemo sit, cum quo impensius sese oblectet. Sequatur ergo illum qui Deum nõ amat, qui perire cupit, nos fugiemus hunc hominẽ peccatorũ socium & amicum. Nequit enim ex Deo esse, qui tantopere illis delectatur, qui tota uita Deo repugnant. Nunc ite & perpendite, quos deserueritis, & quem sequamini. Ad eum modum & Luc. 15. Christũ culpant quod cum publicanis & peccatoribus cibum sumeret. Idem faciunt & Luc. 19. ubi diuerterat ad Zachæum principem publicanorum.

Paraphrasis.

SINISTRA INTERPRAETATIO cuius sit ingenij.

Videmus ergo hic ingeniũ animi maleuoli. Nihil po 1
terãt in omni uita & doctrina Christi carpere. Quemadmodum & Ioan. 8. Christus confidenter dicit: Quis ex uobis arguet me de peccato. Deinde tot & tanta in illis reprehendebat manifesta mala, quæ negare non poterant, hypocrisim, fastum, auariciã, immisericordiam, proculcationem mandatorũ Dei Matth. 15. uastationem templi & domus Dei, spoliationẽ uiduarum. Matth. 23. et pleraq; alia quorũ tamen nihil emendabãt, neq; emendare conabantur, sed magis in eo iam sunt, ut Christum probrosum reddant, & uulgo contemptũ. Proinde cum aliud nõ possint, uel hoc carpunt, quod in seipso malum nõ erat, imò ut audiemus, optimũ erat. Est ergo hoc animi maleuoli ingeniũ, ut ea quæ bona sunt, uel quæ certè mala in se non sunt, ad malũ interpretetur. Atq; hic morbus plurimum obtinet hodie apud omnes propè mortales. Si ergo Christus nõ potest malignitũ hoc & siniſtrum 2
maleuolorũ iudiciũ effugere qui tamen agnus est immaculatus, cuius uita erat innocentissima, quomodo ministri Christi, qui et ipsi peccatis obnoxij sunt, malas hominum et detractrices linguas effugiẽt? Discamus igitur nõ malignè interpretari, quod bene potest fieri. Satius peccatur & melius in eam partem, ut quod malo animo fit, interpretemur bono animo fieri, quàm ut quod bono animo fit interpretemur animo fieri malo, id quod non potest non signum esse euidentissimũ animi mali & siniſtri. Quàm facile fuisset Pharisæis istis dicere. Certè quod cum his hominibus comedit animo malo fieri nequit, quandoquidẽ ea est uitæ innocentia, ut nullius peccati argui posit. Oportet ut aliquid boni subsit: uerum quia mali erant, non poterant quod bene fiebat bene interpretari. Ad eum modũ & infrà 12 carpunt quod dæmones eijciebat. Præterea uideamus hic quæ sit insania 3
horũ hominũ. Toti in eo erant, ut quia doctrinã Christi refellere non poterant, uel uitæ gratia suspectũ ac diffamatũ redderẽt. Iam rogo, quid utilitatis inde hausissent, etiam si hoc consequuti fuissent? Quandoquidẽ ea quæ male agebant, non emendare instituebant.

Istud aũt non solũ de Scribis & Pharisæis siue priscis illis siue iam nostris dixerim, sed etiã de nobis omnibus. Nam omnes hoc morbo laboramus, omnia potius in deterius quàm in melius interpretantes. Primũ, esto sit malũ quod proximus facit, aut sit in specie quidẽ bonum faciat aũt illud animo malo, & euiceris proximũ nõ esse bonũ sed malũ. Quid postea? Quid hinc lucraris? An tu ideò bonus eris? Deinde. Si neq; sic bonũ est quod facimus quando uerè proximus male facit, quid erit, quando illi iniuriam facimus, & quod bene sit siniſtre interpretamur? Quem hic sequimur, nisi hos Scribas & Pharisæos,

ſeos, qui quod à Chriſto bene ſit male interpretantur?
Gen.3 Imò ipſum Satanã, qui quod bene erat à Deo præceptũ
male interpretabatur. Quemadmodum & timorẽ Dei
Iob.1 quem Iob habebat, coram deo ſiniſtre interpretabatur,
dicens: Nunquid Iob fruſtra timet Deum? Q.d. Quia illi
benefacis, ideò te colit, aliter facturus ſi tu aliter feceris.
Tange ergo illum, & uidebis quid ſit facturus. Hunc ſci
licet imitantur, qui quod bene ſit male interpretantur.

4 Præterea, in eo quod qui & legis ſcientia & uitæ
ſanctimonia alios præcellebant illi potiſſimũ Chriſto, id
eſt, ipſi ueritati aduerſantur, proq; ludibrio habent, ui-
dentes apertiſſime utramq; tam ſapientiã quàm iuſtitiã
carnis ad cognoſcendã & amplexandam ueram ſapien-
tiam & ueram iuſtitiã cæcam eſſe & ſtupidam, & opus
eſſe diuina reuelatione ad cognoſcendũ Chriſtũ, id eſt,
myſteriũ illud diuinæ uoluntatis. Imò uidemus nõ ſolum
cæcam eſſe et ſtupidã, ſed planè inimicã & aduerſariam
ueritati. Quod enim cæca eſt & ſtupida ad cognoſcen-
dam & amplexandã ueritatẽ, cõmune habet cũ reliquis
omnibus. Animalis enim homo nõ ſapit ea quæ Dei ſunt.
Quod uerò aduerſatur etiã & impugnat & dãnat, hoc
propriũ habet. Quid ergo mirabimur idẽ hodie fieri, à
ſapientibus & iuſtitiarijs noſtris? uide 1 Corinth.1.2.3.

At Ieſus ubi audiuit, dixit illis: Non opus habent ij qui ualidi ſunt medico, ſed qui male habent. Quin potius ite & diſcite quid ſit illud, Miſericordiam uolo & nõ ſacrificiũ. Nõ enim ueni ad uocandũ iuſtos, ſed peccatores ad pœnitẽtiam.

1 Primũ ex eo quod Chriſtus Phariſæis non rogatus etiã reſpondet, tametſi ſciret nihilo illos ex hoc reſponſo fore meliores, ſed propter diſcipulos, ne ſcandalũ paterẽtur, murmuri eorũ obuiat, & facti ſui rationẽ reddit, admonemur ut & nos ſubinde aduerſariorum calumnijs propter auditores occurramus, etiam ſi ſciamus iſtos in ſententia perſtituros, maxime eos quos inuidiæ ſpiritus aduerſus ueritatem exagitat.

2 Deinde. Videamus hoc loco, quàm procul abſit ut calumniæ ueritati noceant, ut etiã illarũ occaſione magis atque magis illuceſcat. Quis enim nobis factum hoc Chriſti adeò clare expreßiſſet, niſi ſententiã hanc Chriſtus uerè auream, Phariſæorũ calumnijs permotus effudiſſet? Quemadmodũ ſuprà poteſtas remittendi peccata hominibus data tam potenter probata nõ fuiſſet, niſi Scribarũ & Phariſæorũ improbitas Chriſtũ quaſi ſtimulaſſet. Ita ſanè & hic factum eſt. Ad eum modum & hodie niſi tanta fuiſſet aduerſariorum contradictio, ueritatis lux uſq; adeò ſeſe non exeruiſſet.

Veritas ergo infeſtata, & ſe magis exerit & hypocriſim magis detegit.

3 Tertio. Audiamus iam quid illis reſpõdeat Chriſtus. Nõ opus, inquit, habent ij qui ualidi ſunt medico, ſed qui male habẽt. Duo hac reſponſione facit. Primum, factum ſuum defendit. Deinde Phariſæos taxat & reprobos eſſe
1 oſtendit. Primum factũ ſuũ generali prouerbialiq; ſententia tuetur ad hunc modũ. Putatis me ſociũ eſſe peccatorũ & publicanorũ, eo quod cum illis comedo et bibo, & Phariſæos interea ac reliquos iuſtos declino, nihil cũ illis cõmertij habens. Quid? Carpetis etiã, ſi medicus ad ægrotos ſeſe recipiẽs ſanos deſerat? Nequaquàm. Quid enim apud ſanos faceret medicus? Sanis non opus eſt medicus ſed ægrotis. Iam quid peccatores aliud ſunt, quàm infirmi? Veni itaq; in hunc mundũ non ut iudex ſed ut medicus, atq; ideo iuſti nihil opus habent meo cõmertio ſed peccatores. Illos uoco, illos accedo, illis me adiungo, at nõ ut peccatores maneant, ſed ut reſipiſcãt. Hoc itaq; pacto Chriſtus ſeſe tuetur aduerſus calũnias Phariſæorũ.

Alterũ eſt, quod ipſos ſuggillat interea & carpit, tanq; 2
hypocritas, qui cum ſibi iuſti uiderẽtur nihil minus erãt
quàm iuſti. Quod enim dicit: Non opus habent qui ſani
ſunt medico. Et, non ueni uocare iuſtos, non ita intelli-
gendum eſt, quaſi aliqui ſint inter homines iuſti, qui ut
ſani medico, ita ipſi Chriſto peccatorum curatore opus
non habeant, cum ſcriptum ſit. Non eſt homo in terra,
qui faciat bonũ & non peccet, & concluſit Deus omnia
ſub peccato, &c. Et non eſt qui faciat bonũ, ne unus quidem. Et, Nemo uenit ad patrem niſi per me. Sed Ironicè iſta dicit: per iuſtos & ſanos Scribas & Phariſæos & id hominum genus intelligens.

Et ut oſtendat etiam ex ſcripturis, quàm ipſi contra uoluntatẽ Dei & peccatores contemnant, & falſo ſe iuſtos eſſe confidant, adducit locum ex Oſeæ cap.6. Quin potius ite & diſcite quid ſit illud, Miſericordiã uolo & nõ ſacrificiũ. Q.d. Confiditis in ſacrificia, putatis Deo placere uos in ſacrificijs, & interea eſtis immiſericordes erga reliquos. Sed ite & diſcite quid ſit illud, &c. Mihi non creditis, uel prophetis credite, quorum ſepulchra ueneramini. Satis irreuerentialis eſt Chriſtus erga magiſtros noſtros. Imputat illis ſcripturæ ignorantiam, cũ dicit: Ite & diſcite quid ſit illud. Quòd ſi ſcriba illud idiotæ diceret, fieri poterat, quod aũt idiota Scribis & doctis in lege dicit: Ite & diſcite, abſque dubio eos male habebat, quemadmodum Ioan.9. dicebant ad cæcum. In peccatis natus es totus, et nos doces. Et uide quàm poten ter eos neglectæ uoluntatis diuinæ, officijq; deſerti reos faciat. Si ea uoluntas Dei eſt, ut non ſacrificium uelit, ſed miſericordiam, & ipſi primores erant, quaſi paſtores in populo, & medici debebant utiq; infirmorum, id eſt, peccatorũ curam habere, animoq; miſericordi ſalutem eorum quærere. Verum hoc neglecto, ſacrificijs interea operam dabant, putantes ſe apprime per illa Deo ſeruire, cum tamen ille non ſacrificium ſed miſericordiã cupiat. Sed uide ſummam maliciam. Non ſolum hoc non faciebant, ſed & Chriſto hoc facienti obloquebantur, & hoc ipſum, quod ipſi debebant facere, ad malum, quo Chriſtum probroſum faciant, interpretabantur.

QVAE NOBIS EX HOC LOCO notanda ſint.

Primum ex ea, quam ex ipſa naturæ neceßitate ſententiam adducit, nempe non opus eſt ſanis medico, ſed male habentibus, aperte uidemus uſum medicinæ à Domino probari. Si enim male habẽtibus opus eſt medico, ergo & utilis eſt medicina & licita. Niſi enim eſſet ægroto utilis, utiq; opus non eſſet illi medico. Ad quid enim eius opera neceſſaria eſſet, qui prodeſſe nõ poſſet? Rurſus ſi opus eſt ægroto medici opera, ergo licita eſt. Nihil enim illicitum eſt, quod neceſſarium eſt. Hinc eſt illud Eccle.38. Honora medicum propter neceſſitatem. Iſta contra eos dicta ſint, qui uſum medicinæ damnantes

Do medi

donum

donum Dei damnant. Deinde diligenter obseruandum est, quod medico se cõparat Christus, ostendens qua ratione mundum hunc uelut τὸ νοσοκομεῖον quoddam, ingressus sit, nempe curandi non perdendi gratia, ad curandos scilicet peccatores. Iam quid usquam est, quod miseris nobis Christũ, queat iucundiorem & desideratiorem facere? Poterat uenire pro merito humani generis, ut iudex, & ecce uenit ut medicus. Magna gratiæ cõmendatio. Quis infirmorũ fugit & non magis expetit medicum? Tale est, quod Ioan. 6. se uelut panem uitæ è cœlo uenisse dicit ad similitudinẽ esuriẽtis respiciens, cui nihil potest esse gratius cibo. Ecce quomodo diuina gratia nobis in Christo cõmendatur. Tale est etiã, quod se dicit lucẽ uenisse sedentibus in tenebris. Quid autem illis potest luce iucundius esse? Ad eum modum & liberatorẽ se missum esse dicit captiuorũ. Quid aũt captiuis expectatius liberatore? Ita & habet, quod se mediatorẽ facit inter iudicem & reum, ad mortẽ iam damnatũ. Ista omnia adhoc nobis in scripturis de Christo proponuntur, ut ad amplexandam gratiam incitemur.

Matth. 4 Ioan. 12 Luc. 4

3 1 Infirmi.

Tertio. Huc etiam facit, quod dicit, sed male habentes opus habent medico, quibus uerbis ostendit. Primum quo loco peccatores habeat, nempe pro infirmis. Qua in re pulchre & nos consolatur, & omnes in uniuersum hypocritas prosternit, ostendens non esse peccatores cõtemnendos, aut deserendos. Quis enim sanæ mentis contemnat ægrotum, cum eadem naturæ imbecillitate detineatur, & quouis momento ipse quoq; non solum ægrotare, sed et plane mori queat. Qui ægroti sunt compassionem & non contemptum merentur. Magna itaq; consolatio, quod filio Dei peccatum pro infirmitate, & peccatores pro infirmis habentur.

2 Opus habẽt me dico. q. d. non opus habent contẽni sed curari.

Deinde simul adiungit, quid opus sit peccatoribus, nempe medico & curatore, unde ostendit se apprime cognoscere quibus opus habeant peccatores, tam procul esse ut illos contemnat. Est & hoc magnum solatium ægroto, quando non solum agnoscitur infirmus, sed & perpenditur ab ijs qui curare ualent, quid requiratur ad procurandam sanitatem. Ecce quàm potenter hac similitudine prandiũ suum cum peccatoribus tueatur, ostendens se nõ tam cum illis comedere, quàm ipsos curare & pascere adeoq; prandium hoc suum esse medicinam necessariam.

Duo itaq; ista hoc loco notanda sunt. Vnum quod ad nostram consolationem facit, alterũ quod ad imitandum istud ueræ iustitiæ exemplũ prouocat, & ab ingenio hypocritarum deterret. Ad nostrã consolationẽ fecit, quod Christus filius Dei, unicus mundi saluator peccatores tam non contemnit, ut magis eorũ loco illos habeat, qui omnium etiam durißimorũ misericordiam merentur, nempe ægrotorum, & quod adeò diligẽter perpendit, quid opus illis sit. Alterum est, ut istud ingenium solidæ ac germanæ iustitiæ in Christo imitantes, discamus & nos peccatores infirmorũ loco habere, et magis perpendere, quid ad curãdos eos faciat, q̃ ut cum hypocritis eos contẽnamus, ac iudicemus. Si enim is qui peccatũ non fecit, peccatiq; omnino nescius est, peccatores hoc loco habet quãto magis oportet nos hoc facere qui & ipsi peccatores sumus? Si quando qui sanus est, cõdolet ægroto, quanto magis hoc facere debet, qui & ipse ægrotus est? Videmus itaq; hoc loco, quàm uerũ sit aureũ illud Gregorij dictum, uera iustitia compassionẽ habet, falsa uero dedignationẽ. Videmus quàm non spiritu Christi ducantur, qui summã putãt sanctitatẽ peccatorũ contemptũ.

Greg.

4 Vocare. no uocari.

Quarto. Eadem ratione pensandũ est & illud, quod dicit: Veni uocare peccatores. Tametsi enim multũ habeat consolationis, quod peccatores pro infirmis habet, & quid illis necessariũ sit perpendit, aliquid tamen amplius est, quod non expectat donec uocetur, sed ultro uenit, & ipse ad se uocat curandos. Non enim dicit: Veni uocatus à peccatoribus, sed ueni uocare peccatores. At qui ægrotus bene secum agi putat, si queat uocare medicum, & is uocatus non cõtemnat sed ueniat. Ita uidemus fieri à medicis. Vtut infirmis condoleant, & sciant, quæ sit illorum necessitas, ultro tamen, & uiuocati non accurrunt, sed satis esse putant, si animum paratũ exhibuerint, dummodo uocẽtur. Excedit itaq; Christus hac in re normam & rationem medicorũ, quod ultro accurrit & curandos ad se uocat. Emphasis diuinæ gratiæ est in uerbo uocandi notanda. Satis fuisset, si dixisset: Veni ad curandum peccatores, quod uerò dicit: ueni uocare peccatores, quid aliud quæso exprimit quàm animũ ad iuuandũ & curandum propensißimũ. Qui ergo etiam ultro ad se uocat peccatores, quomodo reijciet uenientes? Huc referẽdum est illud Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis &c. Et illud in prophetis. Tota die expandi manus meas ad populum &c.

5 Vocare. no Cogere.

Quinto. Notandum etiam est, quod non dicit: Veni cogere peccatores, sed uocare. Vnde perpendendũ est, quales exigat diuinæ gratiæ medicina. Nempe tales, qui salutis cupidi sint, qui uolẽtes sint, inuitos enim respuit. Hinc illud est, beati qui esuriunt & sitiunt iustitiã, quoniam ipsi saturabuntur. Quis pascet inuitũ? An non satis est gratiæ esurientem ad prandium uocare, & ægrotum ad medicinam? Tam enim non sustinet contemni diuina ista peccatorũ medela, cœlestis scilicet gratia in Christo, quàm omnibus salutis cupidis est exposita. Suo uicio moritur, qui uocatus ad curam uenire noluit. Hoc uult illud parabolæ, qui inuitati fuerant, nõ erant digni. Digni ergo sunt, qui uocati ad gratiam, ueniunt. Indigni, qui respuunt. Ita & nos solemus dicere, si quando beneficentia nostra respuitur, certè dignus nõ es, cui ad hunc modum beneficiam. Videamus igitur ne gratiã uocantis nos medici contemnamus. Nemo enim iustius perit, quàm qui ad medelam uocatus uenire renuit.

6 Peccatores. nõ alijs, nẽ omnibus, sed ijsdem peccatoribus.

Sexto. Et illud considerandum est, quod non dicit, Veni uocare quosdã, aut mediocres, sed in genere, ueni uocare peccatores, neminem excludens. Quisquis peccator est, ex illis est, quos Christus uenit uocare. Non hic impedit peccatorum inaudita etiam enormitas. Neque enim hinc fit, ut qui talis est peccator non sit. Imò hoc ipso magis talis est, ad quem ista medici uocatio pertineat. Non enim est insignis medici gloria, si mediocres duntaxat morbos curare uelit. Hic noster perfectus est & arte & bonitate. Quin potius hinc maior est gloria, quod incurabiles quosuis curare potest et uult. Atq;

hoc ipsum exprimunt etiam isti peccatores, de quibus nunc agitur. Non enim erant mediocres, sed tales, ut & infames & plane reiecti essent. Itaq; & hoc opus est bene perpendere, ad erigendam nostram pusillanimitatem ad diffidendum propensissimam.

SANI IVSTI. INFIRMI PECCATORES.

7 Septimo. Neq; hoc prætereundum est, quod in eo, quod peccatores ægrotis, & iustos sanis, id est, peccata morbis, & iustitiam sanitati cõparat, admonemur quo loco nobisipsis debeant esse & peccatum & iustitia, si curari uoluerimus. Opus est omnino, ut peccatum nos male habeat ac premat, quemadmodũ morbus corporis: & iustitiã queramus perinde ut sanitatem corporis querimus ægroti. Nisi enim hoc fuerit, non poterit fieri, ut Christum medicum desideremus, ad uocãtem curramus, & medicinam eius amplectamur. Is uerò nisi uocati ad se cum desiderio recuperandæ sanitatis uenerimus, nõ curabit. Orandum ergo, ut timore Domini, qui sensus est huius morbi, et amore iustitiæ, qui desiderium est sanitatis donemur.

8 Octauo. Adiungendum est etiam quod non simpliciter dicit, Veni uocare peccatores, sed addit, ad resipiscentiam. Non dicit ad peccandi licentiam, sed ad pœnitentiam. Non enim ideò peccatores uocat ut peccatores maneant, sed ut à peccando desistant & curentur. Nihil ergo loci apud Christũ habent impœnitentes, ideò quod gratiæ capaces non sunt. Vnde opus est ut resipiscentia adsit, ad Christũ uenientibus & remissionẽ peccatorũ recepturis. Hinc legimus Luc. ult. in nomine Christi prædicari oportere pœnitentiã & remissionẽ peccatorũ. Et Act. 2. Resipiscite et baptizetur unusquisq; uestrum in nomine Iesu Christi in remissionẽ peccatorum.

Ad pœnitentiam.

Cõmendatur uerò & gratia Dei hoc nomine, quod non dicit, Veni uocare peccatores ad pœnam, uel ad satisfactionem, sed ad resipiscentiam. Est enim reuera magna gratia, quod peccatores non damnantur, sed ad uitam uocantur. Deinde, nõ solum ad uitã uocantur præter exactam pœnam, sed etiam præter omnẽ satisfactionem, nulla re exacta, nisi hac una, ut adferatur resipiscentia. Et ea tamen non ita, ut propter illam mereamur remissionem peccatorum, quæ sola gratia gratuito per fidem Christi acquiritur, sed ut locus possit esse gratiæ. Sunt enim impœnitentes gratiæ non capaces. Nec potest ferre diuina iustitia, imò ne humana quidem, ut impœnitenti uenia detur.

Et Ezech. decimo octauo propefinẽ uide hoc est exigi cor nouum.

RESIPISCENTIA QVID SIT.

Est autem resipiscentia, nihil aliud quàm animi conuersio, sententiæq; pristinæ immutatio, id quod apud prophetas uolebat illud, conuertimini ad me & salui eritis. Et nolo mortem peccatoris, sed ut cõuertatur & uiuat. Et Act. 3. Pœnitemini & conuertimini ut deleantur peccata uestra. Et ibidem. Vobis primum Deus suscitans filium suum misit eum benedicentem uobis, ut conuertat se unusquisq; à malicia sua.

VNDE ILLA SIT.

Vitur autẽ Deus etiã ad flictionib ad excitandam

Illa uerò recte ex prædicatione regni Christi mente concipitur. Vnde & Ioannes & Christus prædicabant. Appropinquauit regnũ dei, pœnitemini. Et Petrus pulchre de regno Christi præmittebat, antequam diceret. Resipiscite. Quidã eam deducũt ex prædicatione legis, non uidentes eam maxime ad prædicationem gratiæ, & proprie pertinere, Christumq; non legis sed gratiæ ministrũ esse. Verũ & ipsa regni Dei Euãgelijq; prædicatio nõ est sine cõpunctione & terrore conscientiæ, ut uidemus Act. 2. Et Rom. 1. dicit Paulus per Euangeliũ reuelari irã dei, suprà omnẽ impietatẽ. & spiritus sanctus noui testamenti administrator mundum arguit de peccato &c. Necesse est itaq; ut fide uerbi Dei ordiatur pœnitentia. Quanam ratione pœnitentiã non susceperunt Scribæ & Pharisæi, nisi quia Christo non credebant?

pœnitẽtiã multis scripturis locis uidere eli. exẽplũ filij prodig.

Ioan. 16

QVID ILLA REQVIRAT.

Requirit aũt ad assequutionẽ gratiæ fidem in Christum, quam Euangelij prædicatio exigit, ut est Marci 1. Pœnitemini & credite Euangelio. Et Petrus non solum exigebat Act. 2. ut pœniterent, sed ut in Christum quoq; baptizarentur. In Christũ uerò baptizari, est Christum uelut saluatorẽ et mediatorẽ amplecti. Nisi enim illa fides adsit, non erit efficax, imò nõ erit capax remissionis peccatorum, quæ promissa est in Christum credentibus. Quin si proprie loquendũ sit, pœnitentia est pars fidei. Nequit enim fieri, ut eum qui uerbo Christi credit, Christumq; ut saluatorẽ & medicum amplectitur, nõ pœniteat impietatis, & hæc fides ad resipiscentiam impellat, imò ipsa sit resipiscentia. Ita certè cohærẽt fides ista & resipiscentia, ut diuelli nequeant, nec possit esse siue resipiscentia sine fide, siue fides sine resipiscentia.

De cõtritione confessione, satisfactione.

VERITAS RESIPISCENTIAE.

Oportet aũt, ut quemadmodũ ad fidem exigitur ut uera sit & efficax, si debeat imputari credenti pro iustitia, ita & resipiscẽtia uera sit & efficax, si debeat capax esse remissionis delictorũ. Neq; enim Deus simulatione & fucis decipi potest ut homo. Hinc Ioãnes dicebat, facite fructus pœnitentia dignos, quasi dicas, re ipsa ostendite quàm resipueritis.

Matth. 3

VIRTVS POENITENTIAE.

Magna in scripturis prædicatur pœnitentiæ uirtus. Vna est, quod sola, si uera fuerit, iram dei euadit. Vt est in exemplo Niniuitarũ, quos sola resipiscẽtia conseruauit, ex prædicatione Ionæ cõcepta. Item ut uidere est in prædicatione Ioannis Matth. 3. cum dicit: Progenies uiperarum, quis uobis subindicauit, ut fugeretis à uentura ira? Facite ergo dignos pœnitẽtiæ fructus. Vide locum, Nam hoc ad eos Pharisæos dicit: qui ad baptismum pœnitentiæ ueniebant, quasi admirans hoc hominum genus alioqui arrogans, & pœnitentiã respuens, ad symbolum pœnitẽtiæ accedere. Tale est & quod Petrus Act. 2. post prædicatam pœnitentiã dicit: Saluamini à generatione ista praua. Est aũt irã Dei effugere nihil aliud q̃ gratiæ participẽ fieri, & saluari. Ad hoc etiã pertinebat quod prophetæ clamabãt: Cõuertimini & salui eritis. Et nolo mortem peccatoris, sed ut cõuertatur & uiuat. Altera est, quod amissam innocentiã & gratiã restituit, & plane iustũ reddit, omnia peccata delet, imò in obliuionem coram Deo conijcit. Quod aũt pristinã innocentiã restituat uidere est Esa. 1. Vbi cũ dixisset. Manus uestræ sanguine plenæ sunt. Lauamini, mũdi estote, auferte malum

Nisiuita

Ezech. 33

cogitationum

cogitationum uestrarũ ab oculis meis, subdit. Quiescite agere peruerse, discite benefacere (id autẽ est uere resipiscere.) Quærite quod æquum est, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite uiduã, etc. Si fuerint peccata uestra ut coccinũ, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra uelut uermiculus, uelut lana alba erũt. Ecce innocentiæ restitutionem per resipiscentiam. Quod uerò in obliuionem peccata constituat coram Deo, uidere est, Ezechiel. 18.33.

NECESSITAS POENITENTIAE.

Ex his etiam liquet, quàm sit necessaria resipiscentia. Si enim nemo sine peccatis est, et sine pœnitentia ad gratiam non est accessus, nec iram Dei effugere absq; pœnitentia licet, merito necessaria est resipiscentia. Hinc est illud quod quidam peccatũ in spiritũ sanctũ uolunt esse peccatũ impœnitentiæ, quod nunq; remissionẽ sit habiturum, eo quod sine pœnitentia non sit speranda uenia.

DE MALO IMPOENITENTIAE.

Hinc etiam è regione uidemus, quantum sit impœnitentiæ malum. Nempe tale quod peccatorem perdat, & iræ uindictæq; Dei obnoxium faciat, & ita excæcet, ut nihil prorsus prosint, quæ Deus uel bona largitur, uel mala infligit, incurabilemq; faciat. De hoc malo uide Esa. 6. Ne forte uideant oculis suis & auribus suis audiant, & corde intelligant, & conuertantur et sanem eos. Et dixi: Vsq; quò Domine. Et dixit: Donec desolentur ciuitates absq; habitatore, &c. Et Luc. 13. Nisi resipueritis, simul peribitis. Et Rom. 2. Secundum cor impœnitens thesaurizas tibi iram in diem iudicij.

Quamuis autem quæcunq; impœnitentia mala sit, eorum tamen est peßima, & maiore supplicio digna, qui Euangelium audierunt, & tamen pœnitentiam non egerunt, de quibus Christus loquitur, Mat. 11. et Lu. 10.

CONSILIVM.

Istis perpensis, rogemus Deum, ut ipse corda nostra conuertat, ueramq; resipiscentiam donet, quandoquidem ita corrupti sumus, ut omnia frustra cedant, nisi ipse nos immutarit. Ipse enim est dator, ut omnis boni, ita & resipiscentiæ. Vt Acto. 11. Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus. Et 2. Timo. 2. Ne quando det illis Deus pœnitentiam, & resipiscant à diaboli laqueis. Vnde Hieremiæ 31. legimus: Conuerte me Domine, & conuertar ad te.

EPILOGVS HVIVS LOCI.

Erit ergo loci huius geminus usus. Vnus qui gratiam Dei commendat. Alter, qui declarat, quid à nobis ad acquirendam gratiam requiratur.

Primus quinq; habet notanda.

1 Quod Christus filius Dei personam induit medici.

2 Quod peccatores confert ægrotis, et quomodo medico opus habeant perpendit.

3 Quod dicit se uenisse ad uocandum peccatores.

4 Quod in genere dicit, peccatores.

5 Quod nõ dicit, ad satisfactionem, sed ad resipiscentiam.

Alter usus tria habet.

1 Quod non cogit sed uocat.

2 Quod ostendit, quomodo peccata morborũ & iustitiam sanitatis loco habere debeamus.

Quod non dicit ad peccandi licentiam, sed ad resi- 3
piscentiam.

ADHVC DVO VIDENDA.

Videmus itaque hoc loco, conuersionem & curam 1
peccatorũ esse opus Christi. Vbicunq; ergo illa fuerit, indiciũ est spiritus Christi, & certũ testimoniũ efficacẽ hic esse Christi operationẽ & Euangelij prædicationẽ.

Alterum. Quia Christus medicus est, ergo discipuli 2
eius sunt discipuli medici. Medici finis est quærere sanitatem ægroti. Idem est Christi & suorum. Medicus non alligatur certis remedijs è cerebro suo inuentis, si uiderit non prodesse ægroto, sed mutat remedia pro necessitate & conditione ægroti, hoc solum fixum habens, ut sanetur ægrotus. Vbi sunt hic statuta illa Episcoporum de Sacerdotum cœlibatu, Item Monachorum de uotis monasticis? Citius perire sinunt innumeram multitudinem, quàm ut humanius instituta mutarent. Quem quæso magistrum referunt isti discipuli? Medicum certe nõ referũt, sed potius uastatorẽ quendã permitiosissimũ.

Quemadmodum igitur, nisi fuissent per inuidiam excæcati Scribæ & Pharisæi, tum facile uerum pastorem hac nota agnouissent, quod iuxta prophetiam Hieremiæ 23. quod perditum erat tam diligenter requirebat, & quod male habebat curabat, et iuxta eadem ratione falsos pastores cognouissent, qui quod perditum erat non requirebant, ita & hoc nostro tempore nulla meliore nota deprehendi possunt falsi pastoris discipuli & simul qui uerum pastorem Christum referant, quàm una hac inquirendi diligentia quod perierat. Est enim hoc uerißimũ signum diuinæ uisitationis, [illegible]m in Prophetis suis Deus promisit populo suo, & n[illegible]
pore Christi præstitũ est per ipsum Christum, sed [illegible]
hodie durat in omnibus qui ueri sunt Christi discipu[illegible].

Quin potius euntes discite quid sit, misericordiam uolo & non sacrificium.] Locus hic ex Oseæ cap. 6. ditißimus est & potentißimus, cũ ad consolandum peccatores, tum ad confutandũ iustitiarios. Vnde & Christus illo non semel usus est, quemadmodum uidere est infra capite 12.

Erunt itaq; hæc duo spectanda in hoc loco, unum, quomodo consoletur adflictas & infirmas conscientias, alterum quomodo confutet iustitiarios hypocritas, qua in re ueram simul pietatem communit dum falsam refellit. Sed uideamus ipsa uerba.

Primum, quod dicit, Quin potius ite & discite quid 1
sit illud, non parum eos rubore suffundit, dum ignorantiam scripturarum obijcit, cũ ipsi haberentur illarum expertißimi. Iam absq; dubio & ipsi locum hunc legerant, quem adducit: proinde non dicit, ite & legite locum illum. Nam eum sæpenumero legebant, Sed ite & discite quid sit illud, iubens, ut quod alioqui legebant diligentius perpenderent, & non solum uerba murmurarent & numerarent, sed ipsam quoq; Dei mentem & sententiam in uerbis discerent.

Deinde quod dicit: Ite & discite, quid sit illud, satis 2
ostendit se testimonio uerbi Dei, uoluntatem Dei in eo custodire & facere, quod cum publicanis & peccatoribus comedebat ac bibebat, & illos, dum traditiones

patrum & Ecclesiæ decretum de exclusis peccatoribus uitandis mordicus obseruant, contra mentem Dei peccare duplici nomine. Primum, quod peccatores negligebant quos Deus curatos uolebat, deinde quod eum culpabant, qui totus in eo erat, ut uoluntati Dei obtemperaret.

3 Et tertio, quod eos à se reijcit, iubens ut eant & discant, cum tamen ipse posset loci huius sententiam illis explicare, ut ab eo discerent, nõ sine ratione facit. Non enim propterea ipsum sequebantur, ut discerent, sed ut carperent. Deinde adeò erat apertus loci sensus, ut ad eorum confusionem dixerit. Ite & conuenite in unum, & perpendite quid illud sit, quod toties legitis, conuocate ordinem uestrum & dispicite, quid locus iste uelit. quemadmodum solent qui de sententia sua securi sunt, aduersarios ad suos ipsorum calculos remittere. Quum itaq; tales essent, qui carpendi gratia non discendi, continuo assectarentur, & locus iste adeò apertus esset, ut illius ignorantia nonnisi obstinatã cæcitatem, uel certe summam incogitantiam præseferret, non immerito illos tanquàm indignos quos ipse doceret, à se reijcit, cum alios ultro ad se uocet, ut est infra cap. 11. Discite à me, quoniam mitis sum & humilis corde, & discipulis intellectum aperuerit, ut scripturas intelligerent. Lucæ ult.

QVID HINC DISCENDVM.

Quemadmodum enim duplici honore digni sunt, qui ad gloriam Dei promouendam ministrant, ita rursus duplici ignominia digni sunt, qui autoritate sua gloriæ Dei obsunt. 1 Primum, quod eos dedecore & ignominia afficit, & ignorantiæ arguit, qui omnium habebantur doctissimi & sanctissimi, admonemur quid isti mereantur, qui opinione sua ueritatis cursum, quẽ primi debebant promouere, impediunt. Nempe, ut ab ea nominis opinione, qua & inflati sunt, & reliquis nocent, ueritatis luce deijciantur, et ignominiæ exponantur, id quod non solum hoc loco, sed & passim uidemus Christum huic hominum generi facere. Est enim iustissimum dei iudicium, ut omnis sublimitas, quæ ueritati nocet, & alios fallit ac seducit, atq; adeo gloriæ dei aduersatur, reddatur, quàm contemptissima, quo sane iudicio sacrificuli nostri cum suis complicibus nõ parum hodie grauantur. Lucæ 11. Qui clauem scientiæ tulistis.

2 Deinde, quod ad scripturam eos remittit, qui patrũ & Ecclesiæ decreta seruabant, nõ communicando cum peccatoribus, documento est, quid nos hodie facere debeamus. Videmus enim hic, quàm Christus scripturæ autoritatem extollat supra consuetudinem & statuta Ecclesiæ. Nam quod Pharisæi, & Scribæ, & reliqui peccatores uitabant, non sine traditione patrum faciebant. Qua in re etiam illud animaduertendum, quàm non ratum sit, integrum populum cum primoribus suis scripturam Dei quottidie uersantibus decernere & committere, quod contra uoluntatem Dei sit, in scripturis tam luculenter expressam.

3 Tertio, in eo quod scripturæ ignorantiam illis obijcit, qui illam quottidie uersabant, admonet nos, quàm frustra tractetur scriptura, nisi ipsa Dei uoluntas in illa perpendatur. Videant hic nostri sacrificuli, qui nihil aliud faciunt, quàm quod scripturas murmurant & uerbotenus numerant, ne semel quidem perpendentes quid illa uelit, qui abusus hodie grauissimus est, & ingentem cæcitatem ostendit, nempe plane Iudaicam. Verum ita intelligenda est scriptura, ut reipsa exprimatur illius scientia. Vide infra 12. Si sciretis quid sit &c. non condemnassetis, &c.

Quarto, in eo quod ipse locum hunc scripturæ illis 4
non explicat, sed à se reijcit ad seipsos, documento est, qui sint illi, qui Euangelij nequeant esse discipuli. Nempe illi primũ qui seipsos pro magistris habent, & aliorum uolunt esse doctores, neq; à quoquàm doceri sustinent. Illi non immerito proprio relinquuntur magisterio. Deinde, qui nulla alia ratione ueritatis doctrinam subinde audiunt, quàm ut illam carpant, digni non sunt, qui per Euangelium doceantur. Et quod Christus hoc facto tum expreßit, hoc etiam hodie potentißime facit, abscondens ueritatis doctrinam ab istis mundi sapientibus ac maleuolis, & reuelans eam paruulis ac cibi huius appetentibus.

De eo quod Christus Pharisæos & Scribas contemptos reddit, dicit Chrysost. super Epist. ad Titum serm. primo, οὐ γὰρ χρεὶς δὲ μυρίας ἐλοιδορεῖτο τοῖς γραμματεῦσι καὶ φαρισαίοις ἀλλ' οὐχ' ἑαυτὸ ἕνεκεν ἀλλ' ὅτι τοὺς ἄλλους ἅπαντας ἀπώλλυσιν.

MISERICORDIAM VOLO, Oseæ 6
& non sacrificium.

Inexplicabilis est diuinissimæ huius sententiæ thesaurus, id quod omnium piorum conscientiæ facile intelligunt, ita ut magis adorent illã, quàm uerbis explicare conentur, quemadmodũ in scripturis tales multæ sunt, quæ protinus piorum mentes opulentia et profunditate sua obstupefaciunt, ut fateri cogantur se prorsus ad explicandas eas elingues esse, tametsi mirum in modum per eas consolentur, & magnifica in illis mente concipiant. At nos quàm simplicissime illam excutiemus, immo duntaxat attingemus, declarantes primum, quo sensu sit à Propheta dicta, & deinde, quomodo à Christo usurpata, tertio, quæ nos ex illa notare debeamus.

Locus hic Prophetæ, quàmuis uarie exponatur, tamen mihi uidetur simpliciter hunc habere sensum. Israëlis populus enormiter sese per idololatriam polluerat, àque Deo suo defecerat, quamobrem nullũ non lapidem mouebat Deus, quo eos ad resipiscentiam reuocaret, et à perditione seruaret. Illi uerò pertinaciter cum idolis scortantes, interea putabant se Deo apprime placere per multitudinem uictimarũ & holocaustorum, ita per Pseudoprophetas & Sacerdotes seducti, quasi deo placerent hostiæ pecudum, & in illis omnem Dei cultum ponentes, nec fidem nec charitatem alicuius faciebant, quas tamen Deus ante omnia requirit.

Atq; ita quæritur Dominus Oseæ 6. ante citatum locum. Quid faciam tibi Ephraim, inquit? Quid faciam tibi Iehudah? Bonitas uestra ut nubes matutina, & tanquàm ros mane transiens. Propterea succidi Prophetas, occidi eos uerbis oris mei, & iudicia tua ut lux egressa sunt. Quia misericordiam uolui,

& non

& non ſacrificiũ, & ſcientiam Dei plus quàm holocauſtum. Ex quibus uerbis omnino certum eſt reijci confidentiam quam habebant in oblationes & holocauſta, neglecta interea uera reſipiſcentia. Id quod & Eſa. 1. taxatur. Et Hier. 7. & Pſal. 49. & 50. et Eſaiæ ultimo.

Illud uerò quod dicit חסד הפצתי, id eſt, bonitatem, uel ut quidam interpretantur, miſericordiam, uoluí, dupliciter exponitur. Vno modo, ut intelligamus Deum delectari in eo, ut ipſe nobis beneficiat, magis quàm in ſacrificijs & holocauſtis. Hoc eſt, ut per reſipiſcentiam ad eum conuertamur, ſinamusq; nobis benefieri. Atq; ad eũ modum exponit Hieronymus. Et iuxta hunc ſenſum diceret Propheta in perſona Dei. Putas me ô Iſraël delectari in oblationibus & holocauſtis tuis. Verum nunquàm illa concupiui. Non enim delector in eo, ut mihi offeras, ſed magis in eo, ut tibi beneficiam, ut ad me redeas, me complectaris, perq; me ſalueris. Ad hoc quæſo quid non feci, uel quid ultra facere poſſum? Proinde ſi quod me delectet facere uoles, adhærebis mihi, permittasq; ut tibi beneficiam. Eſt enim mea uoluntas, mea delectatio tota in eo, ut ſaluem quod perituru alioqui eſt. Sic Hieronymus dicit: Victimæ meæ & holocauſtomata mea ſunt ſalus credentium & conuerſio populorum. Alio modo exponitur, ut intelligamus Deum requirere à ſuis bonitatẽ & miſericordiam magis quàm ſacrificium & holocauſtum, hoc eſt, ut alter in alterum benignus ſit et miſericors, pronus in omnia, quæ illi bono eſſe queant. Et hoc ſenſu Propheta duplici nomine populum reprehendit, cum quod ea eligebant, quæ Deo non placebant, ut ſacrificia pecudum & holocauſtomata, tum quod quæ Deus exigebat, ut bonitatem & miſericordiam, plane reijciebant.

Sic Eſa. 5. Micheæ 6.

Vtut igitur illud bonitatem uel miſericordiam uolui capiamus, ſiue de ea bonitate, qua populo ſuo Deus cupiat benefacere, ſiue de ea quam ab ipſo exigat, quæ ſententia bona erit utraq; ac uera. Videmus quid Propheta taxet et carpat in populo Iſraëlis: nempe quod in ſumma, ut eſt Eſa. ultimo, quæ Deus non uolebat, eligebant, & in illis omnem cultum collocabant, ut in ſacrificijs & oblationibus & holocauſtis, & quæ Deus uolebat, in quibus delectabatur, ea prorſus non curabant, ut bonitatem & miſericordiam.

2 Secundo, uideamus iam quomodo hæc ſententia ſit à Chriſto uſurpata, quanquàm ex præcedentibus facile eſt hoc uidere, ſed propter imperitos, declaremus etiam iſtud. Primo animaduertendũ erit, eundem etiam hoc tempore Chriſti regnaſſe morbum, qui tempore Prophetæ inualuerat, nempe, quod omnem cultum Dei in externas oblationes & holocauſta ponebant, quæ Deus non requirebat, & quæ uoluntatis ac beneplaciti Dei erant, minime curabant, ut eſt, bonitas & miſericordia. Deinde hoc uicij maxime ad eos pertinuiſſe, cum quibus Chriſtus hic agebat, ad Scribas ſcilicet & Phariſæos, & Sacerdotes, qui hac in re quæſtum ſuum quæſierant, id quod & Oſeæ 6. eos feciſſe legitur.

Tertio, obſeruandum eſt, quomodo Chriſtus illud miſericordiam & bonitatem uolo, præſtabat, uocando ad ſe & curando peccatores, alioqui perituros, quos iſti iuſtitiarij abiecerant & perire ſinebant. Cum itaq; Phariſæi & Scribæ iſti neglecta miſericordia, omnem cultum Dei collocarent in ſacrificijs & holocauſtis, reliquisq; cerimonijs externis, & Chriſtum quod præcipuum eſt legis implentem, dum peccatores ad pœnitentiam conuertebat, & in eo uoluntatem Dei patris exequebatur, carperent & traducerent, recte eos ad iſtam Prophetæ ſententiã excutiendam mittebat, dicẽs: Quin potius ite & diſcite quid ſit illud miſericordiam uolo, & non ſacrificium. Q. d. Idem facitis, quod maiores ueſtri tempore Prophetæ faciebant, errantes & ſeducentes, immò ex pietate quæſtum facientes, dũ omnem cultum Dei in ſacrificia transfertis quæ Deus non uult, & bonitatem ac miſericordiam in iuuandis alijs negligitis, quam unam exigit, & magis cupit ſalutem peccatorum, quàm ueſtras oblationes.

QVAE NOBIS HINC NOtanda ſint.

Iam tertio loco uidebimus, quid ex hac opulentiſſima ſententia, & nunquàm pro dignitate ſatis penſitata nobis ſit ad noſtram conſolationem & doctrinam, & ſubinde etiam ad confutandum aduerſarios animaduertendum.

VOLO.

1 Primo in eo quod dicit: uolo, aperiantur piorum omnium non ſolum aures, ſed & corda, ad auſcultandum quid ſit illud, quod deus optimus maximus uelle ſe dicit, quæ ſit illius uoluntas, in quo omnis noſtra ſalus eſt ſita, qui omnia habet in manu ſua, qui unus perdere poteſt & ſaluare. Videmus in hoc ſeculo, quanto ſtudio obſeruentur magni principes, ut uoluntas eorum agnoſcatur quo liceat illis gratificari, fauorem eorum obtinere, illis ſeruire, & in omnibus accommodare, cum tamen nihil ſit illorum uoluntate incertius & fallacius. Prauum eſt enim cor hominis & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud? Et certe in eo non falluntur filij huius ſeculi, quod putant ſibi magnatum ſpectandas uoluntates, quo liceat eis bene & commode gratificari ac ſeruire. Eſt enim totum cuiuſuis cultus ac ſeruitij ſiue obſequij fundamentum in eo ſitum, ut obſequundetur eius uoluntati, cui ſeruire cupias. Cui nihil poteſt magis eſſe contrariũ, quàm ſi præſumas hero tuo non ad illius uoluntatem, ſed iuxta propoſitum tuũ ſeruire, id quod tum potiſſimum agnoſcimus, cum ab alijs non ad noſtram, ſed ad ipſorum uoluntatem nobis ſeruitur. Hier. 17.

Cur non ad eum modum etiam in cultu Dei facimus? certe nemo negare poteſt, in eo non coli Deum, quod ipſi non placeat. Vnde & qui ſuperſtitionibus diditi ſunt, ubi excuſare uolunt ſuas adinuentiones, dicunt ſe credere ea placere Deo, quæ ipſi bono animo faciant, quare ſatis fatentur, non eſſe cultũ Dei, quod Deo non placeat, atq; ideo ſpectandum in colendo Deo beneplacitum Dei. Hinc Eſaiæ ultimo quæritur Deus populum ſuum ea elegiſſe, quæ ipſe nunquàm probauerit. Et Auguſtinus li. 1. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 18. dicit etiam Socratis eſſe ſententiam, unumquenq; deũ ſic eſſe colendum, quomodo ſeipſe colendũ præceperit, quia ſi alio modo illũ colere uellent, quàm ſe colendũ eſſe dixerit, non utiq; illum colerent, ſed quod ipſi finxiſſent. Socrates

Teſtatur itaque ingens ille zelus colendi Dei, quem ſuperſtitioſi aliquando præſtitimus, habendam eſſe

esse Dei rationem Deumq; colendũ, qua in re conuenit, nõ solũ Christianis, sed & Iudæis & gentibus uniuersis.

2 Deinde testantur & gentium scripta, & ipsa aduersariorum excusatio, colẽdum illum esse, in eo, quod ipsi placeat, qua in re rursus omnibus conuenit.

3 Tertio, quid uero ipsi placeat, & quid illi sit præstandum, quæ illius sit uoluntas, hic studia in contraria scinduntur. Hic putant rudiores placere Deo, quæ bono animo faciunt, quicquid sit, id quod excusari posset uel tolerari, si adeo esset occulta uoluntas Dei, ut sciri non posset qua in re liceat illi gratificari. Nos uero ad ea mittimus, quæ uerbo Domini nobis declarantur habere uoluntatem Dei. Quid potest esse insanius, quàm clamante Deo, hæc est uoluntas mea, illam negligere, & nescio quæ uana ex nobis ipsis comminisci?

Quemadmodum autem hominis uoluntas nemini potest cognita fieri sine uerbo hominis, ita, & uoluntas Dei sine uerbo Dei cognosci à nobis non potest.

Quid enim aliud est uerbum Dei, quàm expressa Dei uoluntas, quam uarijs modis humano generi φιλανθρωπως Deus, siue uisionibus, siue per angelos, siue per prophetas, & nouissimè per filium suum patefecit. Ebr. 1. Videmus ergo quo loco debeat nobis esse uerbum Domini, imò quid in ipso uel lecto, uel audito spectare debeamus.

BIFARIAM SPECTANDA VOluntas Dei.

1 Est autem in uerbo uoluntas Dei bifariam spectanda. Primum quæ sit uoluntas Dei, id est, beneplacitum

2 uel beneuolẽtia dei erga nos. Deinde, quæ sit uolũtas dei, cui debeamus obedire, hoc est, quid ipse uicissim à nobis exigat, quidue nos fugere uelit, aut quid in nobis uel amet uel odiat. Est enim hic nobis plane faciendum quod genuinis filijs erga parentem, quibus primum debet esse studium agnoscendæ paternæ erga se uoluntatis seu beneuolentiæ, deinde quid ab ipsis exigat, qua in re debeãt ipsi gratificari, quidue odiat, ut sciant illius cauere indignationem. Cum ergo simus filij Dei per Christum, quid nobis tam proprium erit, quàm ad eum modum, qui genuinos filios decet, cum qua sit erga nos beneuolentia, tum quid à nobis requirat, qua in re gratificari illi queamus, summo studio quàm diligentissime spectare?

Quod autem primum dico spectandum & agnoscendum esse, quæ sit erga nos Dei beneuolentia, in causa est, quod sine illius cognitione nequeat à nobis iuste diligi ac coli. At nisi diligamus eum, quomodo poterimus toti in eo esse, ut per omnia uoluntati eius obtemperemus? Nequit enim uere coli nisi dilectus. Rursus nequit uere diligi, nisi probe cognitus. Necessarium est ergo ante omnia paternam ipsius beneuolentiam erga nos habere quàm spectatissimam, atq; tum absq; omni dubio sequetur & iusta obedientia, quæ sola est uerus Dei cultus, iuxta illud Psal. 40. Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfeciſti mihi. In capite libri scriptum est de me, ut faciam uoluntatem tuam, &c.

Oportet autem hanc paterni animi beneuolentiam non aliunde concipere, quàm ex fide Christi Iesu, in quo totum, ut ita dicam, paternæ benignitatis pectus sese effudit, unde Paulus Rom. 8. colligit Deum esse pro nobis eo quod unigenito suo non pepercerit, &c. Huc pertinent loci illi, Ioh. 6. Hæc est uoluntas patris mei qui in cœlis est, ut qui credit in filium habeat uitam æternam. Et Eph. 1. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorũ per Iesum Christum secundũ propositum uoluntatis suæ uide locum. Et propter infirmas conscientias notandum est, & urgendũ, hanc Dei beneuolentiam in Christo nobis exhibitam, esse uniuersalem, ne quis timeat illam ad se non pertinere, dummodo credat in Christũ, Ioh. 3. Sic Deus dilexit mundũ, ut omnis, &c. Et Ioh. 6. Vt omnis qui uidet filium & credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Et Ro. 8. Sed pro nobis omnibus tradidit illum. Ro. 3. Iustitia Dei per fidem Iesu Christi quæ est in omnes & super omnes. Rom. 10. Idem Dominus omnium diues in omnes qui inuocant eum.

Item al Tit. 3.

Iteẽ Tit. 2. Item prædicate Euang. omni creaturæ, Et Ro. 1. Euang. est uirtus Dei saluti omn. credenti.

Istis sententijs muniendæ sunt infirmorum conscientiæ, ne per ea quæ de electione & prædestinatione scripta sunt in desperationem adigantur, cogitantes se non esse inter eos, ad quos ista Dei beneuolentia pertineat, et ne putent nostram dignitatem à Deo respici, pensandũ est, quod gratis nobis & indignis beneuult in Christo, & quod non sit acceptor personarum. Non enim ad perturbandos, sed magis ad consolandos piorũ animos scripta sunt, quæ Paulus de electione tradit. Sic illud: Non est uolentis neq; currentis, sed miserentis Dei, non huc debes rapere, ut de electione dubites, sed magis eo, ut certus sis, quandoquidem hoc dicto nihil aliud agitur, q̃ nostram dignitatem non esse causam electionis, sed magis Dei misericordiam, qua re quid potest infirmis animis esse iucundius. Idem agit illud Eph. 1. ubi dicit: Elegit nos in Christo, Christum faciens electionis causam. Et illud Ro. 8. Quos prædestinauit eosdem & uocauit, quos uocauit eosdem & iustificauit, consolationem habet, certam & firmam esse electionem Dei, ne quo pacto diffidamus.

Rom. 1 Act. 10 Rom. 9

Hanc uoluntatem Dei obscurarunt Pontifices, & per opera humana traditerunt placandum esse Deum.

Ista sunt primo loco consideranda, & fide indubitata tenenda, ne fluctuemus in eo quod omnium est primarium, & unde non solum principium, sed ipsa quoq; summa salutis nostræ pendet. In hac quippe uoluntate Dei per Christum Iesum prestita & perfecta sanctificati sumus, Ebr. 10.

Deinde spectandum est, quæ sit ueluntas Dei cui debeamus obedire, hoc est, quid à nobis requirat, & quid nos fugere uelit. Nam ista pietatis portio in hæc duo diuisa est, nempe, discede à malo & fac bonum.

2

Et quanquàm in hac parte etiam si nulla esset scriptura, omniũ tamen mentibus inscriptũ est, primum spectandã esse uoluntatem Dei, siquidem illi gratificandũ sit, hoc est, ea præstanda illi esse, quæ non displiceant, & quæ displiceãt fugienda, deinde nõ posse illi placere nisi quæ ad ingenij ipsius filũ ac ductum accedant. Nam ita reipsa comparatum esse uidemus apud omnes, ut quisq; pro suo ingenio delectetur rebus uel abstineat, malus malis, bonus bonis, & tertio, Deum esse bonum, iustũ, ueracem, longanimem, misericordem, &c. atq; ideò bonitate, iustitia, ueritate, longanimitate & misericordia gaudere, tamen ipsa scriptura quasi ταῖς ἡμῶν προλήψεις astipulando, ista omnia copiosissimè tradit, tum sententijs & exemplis.

Matth. 6.

Mat. 6. docet nos orare Christus. Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Qui petitione manifeste nos docet, quo debeamus esse erga cœlestem patrem affectu, immo quo futuri etiam simus, siquidem ueri Dei filij fuerimus.

Mat. 7. dicit: Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit uoluntatem patris mei, qui in cœlis est.

Rom. 12. Et ne accommodetis uos ad figuram seculi huius, sed transformemini per renouationem mentis uestræ, ut probetis quæ sit uoluntas Dei, quod bonum sit, acceptum q; & perfectum.

Ephe. 5. Propterea ne sitis imprudentes, sed intelligentes, quæ sit uoluntas Domini.

1. Thess. 4. Quod superest igitur fratres, rogamus uos & adhortamur per Dominum Iesum, quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat uos uersari & placere Deo, ut abundetis magis. Nostis enim quæ præcepta dederimus uobis per dominum nostrũ Iesum. Hæc est enim uoluntas Dei sanctificatio uestra, &c.

Hæc dicta sunto de eo quod dicit uolo, uel uolui חפץ, ut uideamus quo studio & diligentia nobis sit spectanda uoluntas Dei, quàm arrectis debeamus esse auribus, ubi uoluntas Dei proponitur, & quomodo ad uerum cultum Dei requiratur, ut uoluntati Dei obtemperemus, quomodo q; illa sit per uerbum Dei percipienda: deinde bifariam capienda, primum quomodo sit erga nos affectus, deinde quid à nobis requirat. Iam uideamus reliqua

MISERICORDIAM.

Secundo loco uidendum est, quid uelit, uel in quo delectetur. Misericordiam inquit uolo. Ecce uno uerbo referantur penetralia diuinæ mentis, immo ipsum cor Dei profunditur. Proinde diligenter consideranda est ista misericordia. Tractabimus autem eam bifariam, ut supra memorauimus. Vno modo, ut intelligamus eam qua nostri miseretur Deus, Alio modo, de ea, quam à nobis requirit, qua uidelicet proximi sui quisq; misereri debeat. Nam utroq; modo & à plerisq; locus hic capitur, & summam habet cum consolationem tum doctrinam.

QVOD DEVS NATVRA sit misericors.

In prima expositione, qua misericordiam uelle se dicit deus, hoc est, delectari in hoc, ut nobis misereatur, primo omnium notandum est, Deum natura misericordem esse. Si enim uoluntas eius est ad misericordiam, & talis, quæ cũ summa sit delectatione, ut exprimit Ebreũ uerbum, ergo naturaliter misericors est. Nequit enim quisquàm re aliqua delectari, ad quam non sit natura propensus. Quod autem natura sit misericors, etiam Ecclesia testatur, dum canit. Deus cui proprium est misereri semper & parcere. Atq; ex hoc intellectu interpretandi sunt illi loci, qui Deum prædicant esse misericordem, ut sunt Exo. 32. Psal. 103. Ionæ 4. 2. Cor. 1.

Deinde, Si natura misericors est Deus, ergo coëterna est illi misericordia. Nihil enim poterit naturæ Dei adscribi, quod non sit illi coëternum. Est igitur salutis nostræ radix & origo misericordiæ Dei adscribenda, per quam in Christo & electi & saluati sumus, non uicissim misericordia Dei nostris meritis. Huc pertinent omnes loci, qui docent nos per misericordiam Dei saluatos esse gratis in Christo Iesu. Vt est Ephe. 2. Deus autem qui dives est in misericordia, &c. Et Tit. 3. Secundum misericordiam suam saluos nos fecit. Et 1 Pet. 1. Qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos. Hæc bene notanda sunt contra doctrinam meriti, pro defensione gloriæ gratiæ Dei.

Tertio, Ex hoc etiam colligitur misericordiam Dei esse constantem et immutabilem, ne putemus aliquando quidem talem fuisse Deum, nunc uerò non ita. Contra tentationem eam quæ est Psal. 89. nempe ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine, &c. probe tenendum est fide, immutabilem esse dei, et æternam misericordiam, quia naturaliter misericors est. Item Psal. 77. quoq; talis est tentatio. Nunquid obliuiscetur misereri Deus, aut continebit iratus misericordias suas? 3

Quarto, Notandum est etiam, quæ sit adflictorum consolatio, in eo, quod non simpliciter se misericordem esse dicit Deus, sed delectari etiam misericordia. hoc est naturaliter inclinari ad misericordiam. Ergo non grauatim miseretur adflictorũ inuocantium se. Neq; enim difficile est eos flectere ad misericordiam, qui natura ad illam sunt propensi, & maxime in ea delectantur, ut adiram facile mouentur, qui natura sunt iracundi. Vide Ionæ 4. 4

Quinto, Si natura misericors est, ita ut delectetur misericordia, ergo non delectatur miserijs & calamitatibus nostris. Ad quid igitur adeò nos calamitosos subinde facit, si miserijs non delectatur? Respondeo. Quod nos pauperes, ægrotos & calamitosos reddit, & mortificat etiam, disciplina est paterna, & ipsissimum misericordiæ opus, ad hoc nos exercens in temporalibus, ut in futuro perpetuo saluet. Ebr. 12. Pater quem diligit filium castigat. Et 1. Cor. 11. A Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Non enim delectatur perditionibus nostris. Tob. 3. Vide locum. Vt faciat opus suum, alienum est opus eius ab eo. Esaiæ 28. Et hoc plurimum facit ad consolandum adflictos, si sciant non delectari Deum nostris miserijs, sed magis huc inclinari, ut nos saluet. 5

DE MISERICORDIA NOSTRA erga proximum.

In secunda expositione, qua intelligitur Deus delectari misericordia nostra, quam exhibeamus proximis nostris, eam q; à nobis exigere, primo considerandum est, qua ratione illam à nobis requirat, ut ipso ueluti fonte diuini huius beneplaciti inspecto eo reddamur ad misericordiam proniores. Vide Micheæ 6.

Primo. Qui in hoc mundo dominantur, & obedientiam à suis exigunt, ea potissimum ab eis requirunt, quæ sibi, non subditis, prosint. Deus uerò à suis non quæ sibi fiant, neque quæ sibi prosint, sed quæ illis sint utilia, exigit. Quam enim utilitatem sibi ex eo sumit, quod nos misericordes esse uult erga proximos? Qua ergo causa hoc potissimum petit? 1

Principalis

Principalis causa est, quam supra commemorauimus, nempe quod ipse natura misericors est miseris & afflictis, atq; ideò & nos tales esse uult. Similes enim similibus congaudent. Vult ergo ut hanc naturam suam filij referamus. Hinc est quod Christus dicit, Lucæ 6. Estote misericordes sicut & pater uester misericors est.

Lucæ 6.

Altera est. Quod nos uult ad iuuandum miseros uelut instrumenta usurpare, non quod nostro indigeat ministerio, sed ut nos isto honore afficiat, & ueluti bonitatis suæ participes reddat. Posset enim omnia sine nobis. Nam ipse solus est ut summe bonus, ita & omnipotens pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. Verum ea est summi boni natura, ut communissimam cupiat esse bonitatem suam. Nisi enim hoc uellet, quid prohiberet, quo minus afflictis sine nobis succurreret?

Tertia causa est ipsa æquitas. Est enim omnium æquissimum, ut quibus misericordia diuinitus contigit, etiam proximorum suorum misereantur, iuxta illud: Serue nequam. Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonné ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Recte ergo exigitur à nobis misericordia erga proximos conseruos nostros, post quàm nobis tanta est impensa misericordia, ne istam iniquitatem incurramus.

Matth. 18.

Deinde, quoniam & ista est summa æquitas, ut qua mensura mẽsi fuerimus, remetiantur & nobis Matth. 7. Vt misericordibus misericordia, immisericordibus nulla misericordia contingat, ut habeat locum in perpetuum nostri miserendi, exigit ut misericordes simus. Iuxta illud: Beati misericordes quoniam misericordiam consequentur, Matth. 5.

Videmus igitur ex ipsis causis summa bonitate Dei & nostra utilitate fieri quod misericordiam exigimur.

Secundo notandum est, cur nõ æque dicat: Iustitiam uolo & non sacrificium, atq; quod se misericordiam uelle dicit. Si enim ideo misericordiam exigit, quod ipse misericors est, cur non eadem ratione exigit iustitiam cum etiam ipse iustus sit? Si nanq; ideo misericordiam amat, quia ipse misericors est, quare non æque iustitiam amaret cum non solum misericors sit, sed & iustus?

Respondeo. Non fit hoc præter rationem, quod misericordiam à nobis potissimum requirit. Videlicet non quod iustitiam nolit, quam & ipsam requirit, nempe, ut nemini faciamus iniuriam. Sed quod nos perpetuo sinistro modo iustitiam sectamur, dum ius nostrum persequimur, nunquàm alioqui iustitiæ dediti, quam dum nobis fuerit commodum. Ideò misericordiam exigit, qua & peruersitas ista tutandi nostri iuris eximatur, & non solum nemini quicquàm fiat iniuriæ, sed etiam ea præstentur quæ non debentur iure. Recte ita q; utrunq; dispensatur per misericordiam, quæ nos eo adigit, ut non solum nemini iniuriam faciamus, sed & oblatam iniuriam patienter toleremus, atq; ita quàm proxime ad imaginem Dei accedamus, qui & ipse nemini iniuriam facit, sed summe iustus est, & tamen erga gratos & ingratos benignus est & misericors, Vide Lucæ 6.

Admonemur ergo, ut quemadmodum ipse magis ad misericordiam erga nos quàm ad iustitiam inclinatur, ita & nos erga proximos faciamus.

Cauendum tamen hic propter simplices & imprudentes, ne illud, misericordiam uolo, ita accipiatur, ut putetur Christianis usus Magistratus hinc esse interdictus. Nihil enim hic loquitur Deus de usu gladij, sed exigit, ut quisq; erga proximum in sua ipsius causa misericors sit. Potest autem Christianus Magistratus utranq; præstare, & misericordiam scilicet & iustitiam. Neq; enim sorores istæ diuinæ tales sunt quæ nequeant simul esse. Alioqui neq; Deus ipse posset esse & misericors & iustus, sed cogeretur uel relicta iustitia seruare misericordiã, uel relicta misericordia tantũmodo iustus esse.

Iam scriptura utrunq; de Deo prædicat. Iustus est Dominus, inquit Psal. 10. & iustitias dilexit. Et Psal. 103 Miserator & misericors Dominus, longanimis & multum misericors. Non secundum peccata nostra fecit nobis, &c. Quatenus ergo Magistratus Christianus est, imitator sit paternæ misericordiæ, in sua ipsius causa cõdonans delicta: quatenus uero iudex est, minister sit iustitiæ Dei, uindex ad iram illis qui male agunt, ut tueatur innocentes.

Enormiter hic errarunt quidam hæretici, nempe Manichæi, qui duos Deos constituerunt, unum durum & crudelem, alterum bonum & misericordem, cuius filium Christum esse dixerunt, non animaduertentes æque Deum esse iustum atq; misericordem.

Tertio. Notandum quod non dicit, uolo ut inuicem alius alij largiamini pecuniam, cibos, uestes, sed, misericordiam uolo, illud ponens quod non minus potest præstare pauperrimus quisq; quàm ditissimus. Nemo ergo poterit hic se excusare, quasi propter rerum penuriam nequeat uoluntati Dei obsequi. Quemadmodũ & mandatum illud habet, Diliges proximũ tuũ sicut teipsum.

Rursus pulchre repellitur hypocrisis, dum uoluntati Dei non satisfit externo opere, sed ipse cordis requiritur affectus, quem reprobi nequeunt habere.

Quarto. Ex hoc non sequitur, non esse necessarium ut egentibus contribuamus quod non dicit, uolo ut proximos cibetis ac uestiatis, sed misericordiam uolo. Neq; enim hoc pacto fructus excludit, quod bonam quærit radicem, sed maxime includit, sed apud eos quibus est substantia huius mundi. Proinde uideamus quomodo debeamus ostendere misericordiam. Quemadmodum enim pleriq; fidei opinionem sibi usurpant, cum reuera fidem non habeant, ita & multi misericordes uideri uolunt, cum nihil habeant misericordiæ, unde ut illis dicitur, ostende mihi fidem tuam ex operibus, ita & istis recte ocinitur, ostende mihi misericordiam tuam ex operibus.

VSVS MISERICORDIAE EX IPSA misericordiæ definitione.

Vt autem agnoscamus uerum misericordiæ usum, perpendenda est misericordiæ definitio. Est autem misericordia, teste Cicerone, imò teste experientia, animi dolor, & ægritudo de alterius concepta miseria, & ad succurrendum propensa. Ex qua definitione primo notandum est, qui nobis à Deo commendentur quorum debeamus misereri, quando exigit ut misericordiam proximis impendamus, cum in summa dicit, misericordiam uolo.

Qui nobis a Deo cõmendentur.

uolo. Oportet enim hoc dicto nobis commendari eos, quorum queamus misereri, qui misericordiæ nostræ capaces sunt. Qui sunt autem illi? Si misericordia est animi ægritudo de alterius miseria concepta, ergo qui miseri sunt & calamitosi, misericordiæ nostræ capaces sunt, atq; ideò nobis à Domino commendati. Quicunq; enim uidentur bene habere, ij certe nos ad misericordiã mouere nequeunt, cũ nullam uideamus in eis miseriam.

Qui sunt uerò illi calamitosi? Omnes homines reuera sunt miseri, quotquot adhuc in hac ualle miseriarum habitant. Verum non omnium adeò patet miseria. Proinde nos eos recensebimus, quorum nobis miseria est ob oculos exposita.

misericordia.

~~Miserorum est duplex genus~~, quorum scilicet miseria pectora nostra tangere potest. Vnum est eorum, qui etsi ~~corpore rebusq; corporalibus non male habent~~, in spiritalibus tamen laborant & miseri sunt. Hi sunt, qui peccatis premuntur, aut ignorantia & cæcitate. Est enim reuera misera in rebus diuinis cæcum esse, & animã ægrotare, captiuumq; esse peccati. Qui ergo tales sunt, eò miseriores sunt, quò periculosius laborant. Proinde nos ad misericordiam mouere debent, non ad contemptum & ad condemnationem. Atq; hac causa carpuntur hic Pharisæi à Christo, quod nulla tenebantur erga peccatores misericordia. Et profecto ~~nulla alia re uerius possunt deprehendi falsæ & ueræ iustitiæ discrimina, quàm hac una~~ erga peccatores misericordia.

Ecce uel in hoc uno miserorum genere, etiam si nulli essent alij, satis haberet pius homo ac misericors, in quibus posset exercere misericordiã. Hic sunt publici peccatores. Hic sunt errantes uelut oues pastore carentes. Horum utrorumq; miseretur Christus quoq;, ut hic & Marci 6. Notent hic Magistratus, & qui præterea miseris ac cæcis Pontificijs succurrere possunt, maxime illis qui præterquàm quod cæci sunt, etiam cæcorum alio rũ tyrannide premuntur, ut qui in monasterijs sunt etc. Hic fons est, unde oratio nostra ad Deum fluere debeat pro cæcis, ignorantibus ac delinquentibus.

Diuites. miseri.

Hoc ~~genere miserorum~~ comprehenduntur potißimum qui in hoc seculo florent, quiq; suam miseriam, uelut insani, nõ agnoscunt, ita ut qui in hoc seculo abiectus est & pauper iuxta uoluntatẽ Dei queat taliũ misereri.

2

Alterum ~~genus~~ est eorum qui in corporalibus miseri sunt, ut pauperes & egeni, uiduæ & orphani, aduenæ & peregrini, esurientes ac nudi, cæci et ægroti, captiui & quocunq; modo adflicti. Hos enim esse miseros ipsa scriptura ostendit, dum nobis eos commendat, & ipse affectus eorum qui misericordes sunt, sicubi tales occurrunt experitur. Si qui uerò tales pro miseris non habent, digni essent, qui in seipsis horum experirentur miseriam & calamitates.

Commendantur ergo nobis illi potißimum, quorum nullam habet rationem mundus, maximam uerò habet Deus. Nam alioqui nobis illos non ita commendaret, ut eorũ miserti beneplacitum ipsius exequamur. Nos uerò contrario modo eorum habemus rationem, illis copulamur, quos mundus facit maximi, Deus minimi. Ecce qui sint, in quibus seruire Deo queamus.

Deinde uideamus, quales nos erga miseros exhibere debeamus. Hic rursus consulenda est definitio misericordiæ, quam supra posuimus. Si enim est animi dolor & ægritudo de alterius concepta miseria, & misericordiam à nobis exigit Deus, ergo requiritur, ut in cordibus nostris aliorum miseriam sentiamus & miseris condoleamus, hoc est, & ipsi cordibus nostris cum miseris miseri fiamus. Sic Paulus: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Hoc uerò exigit homines scientes quid sit miseria. Miseriam uerò nesciunt, qui illam non sunt experti. Christus ut fieret Pontifex misericors, tentatus est per omnia. Ebr. 2. & 4. Quanquàm enim cor misericors sit donum Dei, plurimum tamen ad acquirendam misericordiam facit, si fueris ipse adflictus, miseriasq; expertus. Dauid, quamuis animo esset mansueto, tamen adflictionib. uarijs, quasi ad hoc præparabatur, ut esset dux, qui posset adflictorum ad se confugientiũ misereri.

2 Quales nos erga miseros exhibere debeamus.

Col. 3. Induite, &c. uiscera misericordiæ.

Christus.

Dauid.

Delinquunt hic erga peccatores, Pharisæi & iustitiarij hypocritæ. Et Corinthij, de quibus Paulus. Quare non potius luxistis, sed inflati estis.

Ita erga eos qui corporaliter miseri sunt delinquũt, diuites pleriq;, nullam experti miseriã. Qui nunquàm paupertatis est expertus miseriam, quomodo sciet quæ sit & quanta paupertatis molestia? Ita & de singulis.

Taxanda hic delicata illa & mollis diuitum educatio. Quid miraculi fuerit si tales nulla sunt erga pauperes misericordia?

Sed dicet aliquis. Quomodo non sunt misericordes, cum tamen dant eleemosynas? Respondeo. Aliud est de quo loquimur, nempe esse misericordem, & aliud dare eleemosynas, quæ dari possunt etiam sine misericordia, immo corde existente crudeli. Christus Mat. 23. exprobrat Pharisæis immisericordiam, & Lucæ 11. rapinam & tamẽ eleemosynas dabant, etiã teste Christo, Mat. 6. Et Lucæ 11. Veruntamen eleemosynam datis, & ecce omnia munda sunt uobis, false taxans eos, quod putabãt sibi omnia esse munda, eo quod eleemosynas dabant, tametsi essent iniqui & raptores, atq; ab omni misericordia alieni.

Verum enormius delinquitur hic ab illis qui pauperes sunt & adflicti, siquidem & ipsos uidemus esse sine misericordia. Id quod reuera monstrum est.

Tale est etiam, si muliebre genus immisericors fuerit, quod natura debebat ad misericordiam inclinari. Isti omnes suas ipsorum miserias uel non agnoscunt, uel plus æquo obliuiscuntur, alioqui immisericordes esse non possent. Hinc erat, quod Stoici misericordiam à sapiente reijciebant, eo quod sapientem fingebant adomnia stupidum.

Peßimum uerò genus hominum est, qui non solum miserorum non miserentur, sed & de eorum miseria gaudent id quod omnium est extremum scelus.

DE CONSPECTV MISERIAE.

Deinde, ad hoc, ut calamitatis miserorum misereamur, necessarium est, ut uel auditu uel conspectu necessitatis, quæ illos urget, ad misericordiam moueamur, maxime ipso conspectu. Nihil enim adeò potens est ad permouendam misericordiam, atq; ipse miseriæ ante

oculos positæ conspectus. Tametsi enim etiam ex auditu nonnunquàm ad misericordiam cõmouemur, magis tamen sensu uisus impellimur ad commiserescendum miseris, quàm auditu. Hinc toties in scripturis est illud, uidens misertus est, ut Exod. 2. de filia Pharaonis, Cernens inquit, infantem uagientem miserta est eius. Et Mat. 14. de Christo, uidens turbas misertus est eorum. Et Luc. 7. Cum autẽ appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ, & hæc uidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cum uidisset Dominus misericordia motus super illã, dixit illi, &c. Et Lucæ 10. de Samaritano, uidens eum misericordia motus est, &c. Quamuis enim misericordiæ affectus uerè sit donum Dei, tamen eget his medijs, maxime miseriæ conspectu. Quanquàm sine animo ad misericordiam propenso, etiam ipse conspectus calamitatis nihil operatur apud impios, ut uidere est apud Sacerdotẽ & Leuitam capite eodem, quos conspectus uulnerati nihil mouebat, id quod certißimum signum est animi immisericordis, & charitate proximi destituti. Quemadmodũ æstatis tempore, flante Zephiro, experimentum potest sumi de arboribus, quæ frugifera sit, quæ minus, id quod per hyemem notari non potest, ita & hic habet inter Samaritanum & Sacerdotem cum Leuita, discerni nõ poterat, uter esset misericors, uter minus, nisi obiecta uulnerati calamitate. *Simile.*

Quando ergo beneplacito isto Dei sese accommodabunt, qui miseriarum conspectum data opera fugiũt?

OPVS MISERICORDIAE.

3 Tertio notandum est in definitione misericordiæ, quod diximus eam talem esse animi ægritudinem ex aliena conceptam miseria, quæ propensa sit ad succurrendum. Loquitur enim Deus in scripturis sanctis ut de uera fide, quæ per dilectionem sit efficax, & de dilectione, quæ non sit in uerbis, sed in ipso opere, ita & de uera misericordia, quæ hoc habet in se proprium, ut statim rapiatur ad succurrendum miseris. Quemadmodum enim iræ ingenium est, ut ad uindictam sit prona, & inuidiæ, ad mordendum ac detrahendum, ita misericordiæ natura est & genuina propensio ad subleuandum miseros.

Hinc in scripturis legimus Exod. 2. ubi supra, cum filia Pharaonis memoratur miserta esse pueri uagientis, mox subsequutũ esse ipsum opus misericordiæ, nempe, quod infantem educari curauerit. Et Psalm. 37. de iusto, iustus autem miseretur, & dat. Item: Tota die miseretur & commodat. Vides, quomodo mox atq; dixit, miseretur, subiungat, dat, & commodat? Sic Christus Matth. 14. Cum uidisset turbas, illarumq; misertus esset statim memoratur ægrotos ac malehabentes curasse, Et Matth. 18. in parabola, cum misertus esset Dominus serui debitoris sui, statim condonatis omnibus liberum dimisit. Ita Lucæ 7. Dominus ex conspectu oblatæ calamitatis misertus uiduæ, opus ipsum misericordiæ subiungit, excitando ac restituendo mortuum filium. Et Lucæ 10. Samaritanus misertus uulnerati mox curationem aggreditur. Quemadmodum igitur Iohannes capite 3. primæ Epistolæ dicit: Si quis habuerit substantiam huius mundi, & clauserit uiscera super fratrem suum quem uidet necesse habere, quomodo charitas Dei manet in illo? ita & hic dici potest, qui habuerit substantiam huius mundi, & uiderit fratrem suum, necesse habere, & nihil ei porrexerit, nec aliqua re succurrerit, quomodo misericordia manet in illo?

Ex his itaq; uidemus quàm necessario sequatur misericordiam propensio quædam animi ad succurrendum, ad hoc, ut uera sit. Quod ergo, ut antea monui, Christus non dicit se opus aliquod uelle, aut largitionem aut ut mutuum detur, sed misericordiam, hoc est, animi ægritudinem de aliena miseria, ut omnem externam hypocrisim excludit, eorum qui eleemosynas quidem dant, misericordia tamen carent, ita & istam, de qua loquor, animi ad succurrendum propensionem requirit, ut uera sit misericordia, ne & isti locum hic habeant, qui subinde misericordiam quidem simulant uerbis, opere uerò negant, quemadmodum & fidei ratio habet, quæ cum requiritur, ita requiritur, ut opera sine fide reijciantur quidem, ut sunt hypocritarum, uerum & illi interea reprobentur, qui cum se fidem habere dicunt, nullum tamen fidei fructum ostendunt. Vrgenda itaq; ueritas misericordiæ.

Exploremus itaq; nunc quales simus arbores, perpensis & examinatis fructibus. Non enim potest arbor bona uel mala melius cognosci, quàm ex ipsis fructibus.

OPERA MISERICORDIAE.

Rectius posuerimus unum duntaxat opus misericordiæ, in genere, nempe succurrere miseris, cuius infinitæ sunt species.

Qui sunt ergo illi fructus misericordiæ? Vulgo connumerarunt sex, nempe uisitare infirmos, cibare, & potare famelicos ac sitientes, redimere captiuos, tegere nudos, colligere aduenas, & peregrinos, condere mortuos, quæ quidem omnia si ex misericordia fiunt opera sunt misericordiæ, sed in hoc erratur quod opem misericordiæ in his sex consummarunt, quasi non sint infinita. Nequit enim misericordiæ præscribi, ut modus ita nec aliquis operũ numerus. Nam infinita est miseria hominum in hoc mundo, unde & infinita sint opera misericordiæ necesse est.

Nos uerò quanquàm nullo numero miserias mortalium comprehendere ualeamus, notiores tamen uidebimus, idq; rursus ea distinctione qua supra miseros in duo genera diuisimus, unum eorum qui anima, alterum qui corpore & rebus corporeis laborant.

ERGA PECCATORES.

Primum ergo genus atq; potißimum misericordiæ præstandæ concernit eos qui anima laborant, peccatorum pondere pressi. Quid hic faciet misericordia? Succurrere conabitur, & tollere laborantium miseriam, iuxta quod uiderit saluti illorum conducere. Si opus sit docebit, si opus sit admonebit, si ita necesse sit arguet, si proderit, tolerabit, si opus sit consolabitur. Vt enim uarij sunt peccatores, ita & in uarias sese formas uertet uera misericordia, unum hoc opus agens, ut succurrat pereuntibus. Ita agit hic Christus, succurrit peccatoribus, ut saluẽtur, & omnia facit quæ illis prodesse nouit.

His interea neglectis omnibus, malumus imitari pha-

risæos

risæos quàm Christum, hoc est, toti in hoc esse, ut iudicemus, contemnamus, condemnemus, traducamus peccatorum miseriam, quam debebamus, si misericordes essemus curare non iudicare.

Sed hoc forsan facis siquando aduersum proximum tuum quisquàm peccando deliquerit. Hic forte potes excusare & obtegere delinquentem, paratus quàm facillimè absoluere reum, qui in alium non in te deliquit. Verum uidendum est, an hoc & tum facias, quando in te deliquit frater, an & hic paratus sis ad condonandum & parcendum, ad excusandum & obtegendum proximi delictum. Pauciſsimi sunt qui hoc faciunt: Ergo pauciſsimi sunt, qui uerè misericordes sint. Vide Luc. 6. Colos. 3.

Misericordia non potest condemnare, etiam cum nequit excusare delictum. Semper cogitat imbecillitatem mortalium, illiusq; commiseretur, etsi non poterit aliud nemo tamen prohibere poterit, quin lugeat, & oret pro peccatoribus, etsi impœnitentes sint cum Paulo defleat pereuntes. Hypocritæ uerò, quia misericordia carent, ita proni sunt ad iudicandum, ut subinde & innocentes condemnent, ut uidere est infrà cap. 12. unde & Christus idem hoc dictum, misericordiam uolo & non sacrificium, Si sciretis, inquit, quid sit illud: Misericordiam uolo, & non sacrificium, non condemnassetis innocentes.

Huc pertinet & eorum miseria, qui non solum cæci sunt, uerum Dei cultum ignorantes, sed & cæcos duces sequuntur, imò impostores, ad suam ipsorum perniciem. Vt sunt qui sacrificulis adhærent, cultum eorum, quem finxerunt obseruant, missas audiunt, simulachra adorant, fiduciam operum, etiam eorum, quæ Deus non exigit, imbibunt, gratiam Dei quæ per Christum est, amittunt, alios mediatores quærunt. An illi non cæci sunt? Quod si duces cæci misericordiam non merentur, certe uel isti merentur, qui ita cæci sunt, ut neq; ductores suos uideant esse cæcos, neq; animaduertant foueam, in quam cum ductoribus suis casuri sunt. Quid illis faciendum? Succurrendum scilicet. Quomodo? Quisq; pro officio suo. Quid faceremus duobus cæcis, ubi alter alterius ducem ageret? idq; ita periculose, ut iuxta Christi dictũ Mat. 15. & Luc. 6. ambo casuri essent in foueã? Primũ, si possemus daremus illis uisum, si nõ optaremus tamẽ. Deinde conaremur eos segregare, maxime eum qui duceretur, ab eo qui secum esset cæcus, ducem mentiretur. Hoc quisq; sedulo ageret. Quod si tanta esset amentia in utrisq;, ut nec hic deserere ducem, cæcum & uidenti se concredere, nec iste cæcum suum ipse cæcus dimittere sustineret, quid aliud exposceret uera misericordia, quàm potestatem Magistratus, qui etiam nolentes diuideret, & uel unum liberaret, maxime ducem istum cohiberet, ne alios ducendo, & se & alios perderet?

Per omnem modum ita faciendum est, & cum hoc hominum genere, quod se putat in traditionibus hominum contra Dei uoluntatem Christo seruire, quos & ipse Christus Matth. 15. cæcos appellat. Succurrat quisque pro suo officio, misertus pereuntium. Qui docendo ualebit, docebit, qui non, orabit saltem. Qui potestate funguntur, uel ui coërcebunt impostores istos, duces cæcos, idq; ex misericordia, atq; ita liberabunt miseros.

Alterum genus eorum est, qui in rebus corporeis miseri sunt, ut sunt pauperes & egeni, uiduæ & orphani, aduenæ & peregrini, esurientes ac nudi, cæci & ægroti, captiui, & quocunq; modo lugentes & adflicti. Quid hic faciet misericordia? Rursus unum hoc aget ut subleuet adflictorum miseriam. Quoniam enim aliorum calamitatem suam facit, mox statuet, quid sibi in loco fieri uellet. Percurramus nunc singulas miserias. 2

Pauperem uides? Mox atq; paupertatis ipsius misertus fueris, rapieris ad subleuandam paupertatis molestiam, id quod duplici nomine fit. Primum commodando, si ita res poposcerit, deinde & dando, si necesse fuerit, ut est uidere Psalm. 37. 1

Si occurrerint orphani & uiduæ, misertusq; fueris, quid aliud facies, quàm quod miseriam eorũ alleuiabis, si non plane tollere potueris, alleuiabis & mitigabis tamen aliquousq;, uidua destituta est uiro, hoc est, tutore, orphani orbati sunt parente. Si ergo necesse sit, eris illis adiumento, agesq; tutorem ac protectorem. De uiduis ac pupillis multa habet scriptura. Psalm. 68. uocatur Deus pater orphanorum & iudex uiduarum. Et Psalm. 146. Orphanum & uiduam subleuabit. Exod. 22. Pupillo & uiduæ non nocebitis. Et Hierem. 22. Pupillum & uiduam nolite contristare. Et maxime iudices alloquitur Deus, ut causam orphanorum & uiduarum diligenter agant, ut est Esa. 1. 2

Cum ergo tantam habeat rationem pupillorum ac uiduarum Deus, qua pœna digni non erunt, qui maxime ex uiduis & orphanis aucupantur, quod ad quæstum faciat, homines crudeliſsimi? Vide quid Esaiæ 10. mox ab initio legatur. Crudeliſsimum est prædam sectari apud eos, qui etiam in hoc seculo misericordiam merentur, idq; duplici nomine, primum, quod rerum sunt imperiti, & facile decipiuntur, deinde, quod tutore carent. Notanda hic rapina hypocritarum, de qua est Matth. 23. qua comedunt domos uiduarum sub prætextu longæ precationis.

Occurrat aduena & peregrinus? Christus indicat quid facere debeas, Matth. 25. hospes fui, & collegistis me. Hæc misericordia iam pene obliterata est, imò non solum non colliguntur peregrini, sed etiam uituperantur communi ignominia. Sye mussen all streycher sein, ungeseuffer, quasi Christus iam desierit esse peregrinus. Aduenas & peregrinos nobis scriptura diligenter commendat, Exodi 22. Aduenam non contristabis, neq; affliges eum. Aduenæ enim & ipsi fuistis in terra Aegypti. Et Deut. 10. Amat peregrinum Dominus, & dat ei uictum atq; uestitum. Et uos ergo amate peregrinos, &c. Et Ebr. 13. Hospitalitatem nolite obliuiſci, &c. Et merito. Nam & nos aduenæ fuimus, uerum suscipit nos Deus in Christo filio suo, ut iam non sumus hospites & peregrini, sed ciues sanctorum & domestici Dei. Ephes. 2. Qui domesticus Cæsaris est, quocunq; imperij loco fuerit, peregrinorum non habetur loco. Cur non eadem ratio seruetur inter Christianos cum Christianis? An Christianus non est domesticus Dei? 3 Aduenæ. Vide historiam Leuitæ Iudicũ xix.

Rursus an non est terra Dei? Non sumus nos populus Dei? Non sumus domus Dei? Ecclesiam Christi uocat Paulus domum Dei. Quomodo ergo peregrinus est in hac domo, qui de una parte domus transfertur in aliam.

Sed sint peregrini. An non hoc ipso misericordiam merentur, quod peregrini sunt? Nusquàm poterit effugere cordis nostri duricies, quin sit culpabilis.

Obiectio. Sed obijcitur. Plerunq; sunt nebulones qui errabundi uagantur. Respondeo. Fateor, reperies plures tales. Sed pro talibus tum demum habendi sunt, quando manifestum fuerit eos tales esse. Vt quid ignotum iudicas? Si non uis recipere, uel non iudica saltem. Alioqui satis miser est, quid opus est aggrauare etiam hac iniuria animum adflictum.

In alijs ciuitatibus bene institutis habentur ξενοδοχίαι, id est, domus peregrinorum, in quibus suscipiuntur, latine hospitalia, germanice, Die ellende herbergen, ubi ipsum nomen quasi digito ostendit, quid sit faciendum peregrinis.

4 Quarto, si accesserint esurientes ac sitientes, quid faciet misericordia? Cibabit ac potabit. Et hoc quoq; opus misericordiæ agnoscet Christus sibi factũ. Mat. 25. Esuriui et cibastis me, sitiui & potastis me.

5 Quinto, si uiderit nudos, operiet, quod & ipsum misericordiæ genus Christo fiet acceptum. Dicet enim: Nudus fui & operuistis me.

6 Sexto. Egrotos uisitabit, consolabitur, & si qua in re poterit consolabitur. Et de hoc Christus dicet: Infirmus fui, & uisitastis me.

7 Septimo. In carcere existentes accedet, etsi poterit, liberabit. Et hoc gratum erit Christo. In carcere inquit fui, & uenistis ad me. At inquies. Hoc non permittitur. Facies ergo, quod non poterit quisquàm prohibere: nempe, lugebis cum lugentibus, & si causam eorum aliquousq; iuuare poteris, facies.

8 Octauo. Accedunt lugentes, quod genus uarium est. Hic solaberis, & si non poteris aliud, flebis tamen cum flentibus. Huc maxime pertinent, qui lugent mortuos suos. Illi solandi sunt fide et spe resurrectionis, iuxta admonitionem Pauli. 1. Thessal. 4.

Videmus ergo, quàm innumera sit latitudo & multitudo operum misericordiæ, & quàm nunquàm desint homini misericordi occasiones exercendæ misericordiæ, ita ut uita iusti hominis ferè nihil sit aliud, quàm quotidiana quædam exercitatio misericordiæ, ut recte dictũ sit à Paulo. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. 1. Corint. 10. Ex his apparet, quàm non sit uita monastica iuxta hanc regulam instituta.

Et Psal. 37. Tota die misereatur.

Et non sacrificium.

Ista propheticæ huius sententiæ tertia portio est, quæ & ipsa magno fructu, si diligentia accesserit, perpendi potest. Declarauimus ea Christi uerba, quibus ostendit quid à suis requirat deus: nempe misericordiam, uidendum iam quid non uelit.

Partiemur autem hunc locum in sua membra, perpendemusq; primũ, quid illud sit, quod se nõ uelle dicit.

Deinde, de quo sacrificio dicat.

Tertio, quomodo non uelit sacrificium.

Quarto, quid nobis sit obseruandum ex hoc loco.

Primo. Quid sit quod se nolle dicit, aperit dicens: 1
Et non sacrificium. Est autem sacrificium quidem non simplex, & quæuis incruenta oblatio, sed proprie uictima, quæ Deo mactatur & offertur, & tamen generaliter hic accipitur pro quauis oblatione, quæ Deo offertur. q.d. Non hoc à uobis quæro, ut mihi offeratis munera & sacrificia, sed ut misericordiam quisq; erga proximum suum declaretis.

Deinde. Quoniam uarium in scripturis est sacrifi- 2
cium, uidendum de quo sacrificiorum genere hic dicat. Primum sunt sacrificia pecudum, quæ in lege offerebantur. Deinde est sacrificium unicum illud Christi, quod in cruce pro nobis oblatum est ad reconciliationem & redemptionem mundi. Tertio est sacrificium commune pijs omnibus, quod tam in ueteri quàm in nouo testamento à fidelibus Deo mactatum est: nempe cor contritum & spiritus contribulatus, Psal. 51. Quarto est & sacrificium laudis, quo labiorum uituli Deo mactantur, de quo est Psal. 50. et 51. & Mal. 1. De quo itaq; istorum sacrificiorum loquitur deus, cum per omnia illi offeratur? Certe de eo quod Christus obtulit, nemo piorum intelliget. Neq; de eo quod cor contritum est, cum Dauid dicat Psal. 51. Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Ita neq; de quarto, quod laudis est sacrificium, cum de eo dicat Deus, Sacrificium laudis honorificabit me, Psalm. 50. Relinquitur ergo de sacrificio pecudum dici, & reliquorum legalium, illud: Et non sacrificium.

Tertio. Si ergo de sacrificio legali intelligitur, iure 3
queritur, quomodo se nolle dicat Deus, quod sæpissime sibi placuisse legitur, & ipse quoq; populo suo, etsi ad tempus, tamen offerre præcepit. Abel obtulit Deo & placuit. Obtulit Noë, & odoratus est Dominus sacrificium eius, quasi odorem suauem. Obtulit Abraham, Isaac, Iacob, & reliqui patres, & placuerũt illorũ sacrificia, deinde inter reliqua legalia statuta etiam sacrificia præcepit. Quomodo ergo se sacrificia nolle dicit? An ideò quod mala sint? Si mala sunt, cur aliquando placuere, & cur populo suo illa sibi offerre præcepit? Si mala non sunt, cur ea se nolle dicit?

Duplex ratio ostenditur à quibusdam, qua se sacrificia nolle dicat Deus. Neq; enim eadem duntaxat nolendi ratio est, quemadmodum neq; uolendi, sed aliter atq; aliter potest aliquid uel præcipi uel refutari, placere uel displicere, id quod hoc loco aperte uidemus.

Vna ratio eorum est, qui intelligunt hanc particu- 1
lam, & non sacrificium, idem esse, atq;, plus quàm sacrificium, quasi dicat Deus: Misericordiam uolo magis quàm sacrificium. Atq; isti monentur non tam ex eo, quod nonnunquàm & placuerunt sacrificia, & præcepta quoq; sunt, quàm ex eo quod Oseæ 6. mox subditur his uerbis. Et scientiam Dei plus quàm holocaustum, unde & ista ad hunc modum capienda esse putant.

Altera eorum est, qui intelligunt Deum sacrificia 2
nolle propter seipsa, nuda, sed magis in sacrificijs alia potiora spectasse cum ea præciperet. Atq; isti diuinam naturam considerant, cui per se talia sacrificia sane placere

placere non possunt, cum spiritus sit, et spiritum hominis quærat, non pecudes.

Est autem inter istas duas rationes hoc discriminis, quod priore Iudæi taxantur quidem, quod misericordiam, quam Deus potissimum quærit, omiserunt, sacrificia tamen eorum non reprobantur, posteriore uerò, non solum reprehenduntur de neglecta misericordia, sed & sacrificia eorum reprobantur, quæ Deo sine fide & charitate nunquàm placere potuerunt, quia per se non placent, nisi fide & charitate commendentur. Et huic posteriori sententiæ astipulari uidentur loci isti. 1.Sa.15. Psal.40.50.51.Iesa.1.66.Hier.7. Mich.6.

Quemadmodum itaq; Deus sacrificia non propter se ipsa, tanquàm bona in seipsis, exegit ac præcepit, quo modo fidem & charitatem, & nominis sui cultum exigit, ita ea rursus hoc loco nõ ideo reijcit, quod in seipsis mala sint. (Nam alioqui nunquàm ea præcepisset, nec unquàm ipsi placere potuissent) quomodo incredulitatem et immisericordiã, ut mala, reprobat, sed ut ea propter fidem & charitatem alendam præcepit, ita ea sine fide & charitate præstita reprobat & damnat. Proinde illud: Et non sacrificium. ego nõ aliter intelligo dictum, quàm ut ostendat se Deus non solum magis uelle misericórdiam quàm sacrificium, quod & ipsum uerum est, sed etiam nolle, & prorsus reijcere sacrificia, quæ neglecta misericordia præstantur.

QVAE EX HOC LOCO notanda sint.

1 Primo. In eo quod non dicit: misericordiam uolo, & non fastum, uel contemptũ miserorum & peccatorum, aut, & non rapinam, furtum, fraudem, uiolentiam, aut aliud quicquàm id genus, quæ in seipsis mala sunt, quæ tamen reuera Deus non uult, iuxta illud: Non Deus uolens iniquitatem tu es, sed ea ponit, quæ cultum Dei concernebant, eaq; non quæ humanitus essent instituta, sed diuinitus præcepta, neq; quæ uulgaria & simplicia, sed quæ præcipua habebantur, nempe sacrificia, illaq; se nolle dicit. Admonet nos, quæ ratio sit diuini cultus, qui in fide & charitate, etiam Augustino teste, situs est, & quo loco sint coram Deo ceremoniæ nostræ, quæ, etsi diuinitus institutæ sunt, tales tamen sunt, ut tam à malis, quàm à bonis præstari possint, quatenus externũ quendam actum habent. Nempe eo quo erant apud Iudæos, quæ diuinitus acceperant. Debebant esse manuductiones ad fidem & charitatem alendam. Erant quasi quædam corpora, quæ non nisi fide & charitate uitam coram Deo habebant, & sine fide & charitate plane mortua erant, imò pessima quædam hypocrisis. Errabant Iudæi in eo, quòd putabãt se ex opere operato, ut uocant, sine fide & charitate per sacrificia Deo seruire, Deum placare, et grati quicquàm facere. Contra hoc totis uiribus reclamarunt Prophetæ. Ad eum plane modum errarunt & nostri, qui gratiam sacramentis alligarunt, ex opere operato sine bono motu utentis, tantum non ponat obicem peccati mortalis. Nos uerò ex hoc loco aperte uidemus Deum, etiam ea quæ præceperat, nolle, imò detestari, si desit fides & charitas.

Opus operatum.

Iam si in ueteri testamento ita fidem & charitatem exegit Deus, sacrificiaq; sine fide & charitate facta reprobauit non opus externum, sed spiritum offerentis respiciens, quanto magis hoc in nouo testamento facit, de cuius tempore Christus dixit: Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & ueritate. Nam pater tales quærit, &c. Si in ueteri, quanto magis in nouo. Ioh. 4.

Quod si nos more Iudæorum tantum externis actibus adhæsuri sumus neglecta fide & misericordia, quid nobis quoq; reclamabit Deus aliud, quàm, Misericordiam uolo & non cænam? An Christus non dicet: Non sum loquutus uobis de cæna illa, sed fidem & charitatem, & mei memoriam uolebam. Corpus & sanguinem meum testamenti loco moriturus pro peccatis uestris, pane & uino communicaui & dedi, quæ dona debebatis fide et animo grato percipere, & charitate mutua alius alium complecti, quando uos in membra corporis mei assumpsi, debebatis unum esse corpus, qui de uno pane communionem accepistis. Hæc uolebam scilicet, quæ uos potissimum neglexistis, & quæ ego non quæsiui, anxie seruastis. Ista profecto nobis obijci possunt, non minus quàm Iudæis. Cæna.

Sed quid usuuenit istis, qui fidem & charitatem exigunt in Sacramentis, reijcientes opinionem operis operati? Nimirum id quod & Prophetis & Christo usuuenit. Habebantur pro seductoribus, destructoribus cultus diuini, improbatoribus eorum quæ Deus præcepto suo exegerat. Id & hodie istis contingit, cum nihil quærant minus, quàm abrogationem eorum, quæ deus instituit, sed toti in hoc sint, ut ad uoluntatem dei seruentur, addita fide & charitate, in quibus solis est uerus Dei cultus. Sed ut Iudæos offendit illud: Misericordiam uolo & non sacrificium, eos scilicet, qui quæstum in sacrificijs quæsierunt, ita & nostros, quod fidem non ceremonias exigimus.

Deinde. Etiam hoc notandum est. Si ea quæ ipse præcepit se nolle dicit, neglecta misericordia, quæ ratio eorum erit, quæ meræ sunt traditiones humanæ, quibus Christus frustra colitur? Quomodo ea patietur quæ nunquàm præcepit, si ea reijcit, quæ etsi externa sunt, tamen populo suo præcepit? 2 Contra traditionũ humanarum cultũ.

Videmus hic quid sit de cultu illo, qui ex traditionibus humanis est sentiendũ. Misericordiã exigit Deus, atq; ita, ut nisi illa præstetur, etiam sacrificia præcepta respuat, contra uicissim omnem operam uulgo eo collocant, ut multa insumant in oblationes non præceptas, imò in meram idololatriam offerendo mortuis sanctis, & statuendo magnis sumptibus sacella, imagines, & id genus, atq; ista demum putant esse uerum cultum, neglectis pauperibus, cum reipsa sint abominationes coram Domino. Fortissimum est, quod dicit: Nolo, contra totum mundum, & uniuersam superstitionem quarumuis impietatum & traditionum.

Item nota. Si quæ Deus præcepit, non placent, præter fidem ab impijs præstita, quomodo sacrificuli eam prærogatiuã dant adinuentionibus suis, ut etiam à scortatoribus præstita placeant. 3

Tertio loco, etiam hic quod ad misericordiam attinet, notandum est, quod quæ Deus præcepit, & quæ sibi 3

propriè fieri debebant, misericordiæ postponit, ita, ut illa neglecta, ista prorsus nolit: qua in re summopere observandum fuerit, quo loco debeat apud nos esse misericordia. Si enim apud Deum tanti est, ut omnia illa, quæ ad honorẽ eius facere debebant, ei postponantur, certe nisi uelimus Deo contrarij esse, etiam apud nos eodem loco esse debet. Apparet itaq; hoc loco peßimum genus crudelitatis esse, quæ exercetur titulo religionis & diuini cultus, qualis erat Scribarum, Phariſæorum & Sacerdotum in ueteri, de qua est Matth. 15. ubi obijcitur, quod titulo diuini cultus misericordiam parentibus exhibendam ad oblationes Deo faciendas inuerterint. Et Matth. 23. quod domos uiduarum sub prætextu longæ precationis deuorarint.

DE EO QVOD SVPRA DE CVLTV Dei admonitum est, nempe de opinione Operis operati, aliquot syllogismi Iudaici.

1 Quicquid à Deo præceptum est, bonum est.
Sunt autem sacrificia à Deo præcepta:
Ergo Sacrificia bona sunt.
In maiore declarandum est, quomodo uaria sint præcepta, & quando sacrificia bona sint.

Aliter. Quicunq; facit quod Deus præcepit, Deum colit.

2 Quisquis Deo sacrificat, facit quod Deus præcepit:
Ergo. Quisquis Deo sacrificat, Deum colit.
Declarandum est in maiore, quomodo fiat quod deus præcepit, nempe, quando ita fit, ut præcepit. Non enim mox facit, quod Deus præcepit, qui opus exequitur externum, sed qui uoluntati Dei obtemperat in præcepto.

Tertius. Quicquid Deo unquàm placuit, hoc illi semper placet.

3 Sacrificia illi placuerunt in Abel, Noẽ, &c.
Ergo. Sacrificia Deo placent etiam hodie.
In minori declarandum est, quatenus sacrificia Deo placuerint in iustis, & quousq;.

Tunc adeunt eum discipuli Iohannis dicentes: Quam ob causam nos & Pharisæi ieiunamus plerunq;, discipuli uerò tui non ieiunant?

Inter reliqua diuinæ sapientiæ miracula non minimum est, quòd ueritatem suam Deus per improborum impugnationem subinde manifestiorem & firmiorem reddere solet. Id quod ut ubiq; ita & hoc loco spectandum est, unde sanè non mediocris nobis utilitas accesßit ex infestatione inuidorum Phariſæorum.

Quod hic noster dicit: Tunc adeunt eum discipuli
Lucæ 5. Iohannis, si Lucam inspexeris capite 5. apparet Phariſæos eos ipsos hoc fecisse, quorum iam murmur Christus represserat, feciſseq; statim sub Christi responsionem. Nam in Luca sic legitur mox post uerba Christi. At illi dixerunt ad eum: Quare discipuli Iohannis ieiunant frequenter &c. Adfuisse uerò & discipulos Iohannis hic noster testatur, qui eos dicit ad Iesum accesßisse, & hanc quæstionem mouisse. Vnde colligimus, ut & in Marco liquet, conspirasse Phariſæos cũ discipulis Iohannis, eò quod utriq; inuidiæ spiritu aduersum Iesum ducebãtur.

Quæstionem aũt hanc de ieiunio & precationibus nõ ideò faciunt, quod ueritatem edoceri cupiant, sed ut, quia hac uia non probe succesßerat, qua iam tentarant, aliunde Christo calumniã texant. Christũ enim etiã hac uice nõ discipulos petebãt. Quod aũt discipuli Iohannis pro Iohanne magistro suo zelo quodam ducti sint in inuidiã erga Christũ, ex 3. cap. Iohannis liquido apparet.

Est autem status huius quæstionis, imò uerius intentatæ calumniæ talis. Purgas te & factũ tuum, quod cum publicanis & peccatoribus manducas, citato Prophetæ loco excusas, misericordiãq; nobis obijcis, & prætexis salutem peccatorum uelut ægrotorum, ad quam restituendam te medici instar cum peccatoribus uelut infirmis uersari dicis. Sit sane ita. Sis medicus, & quæras salutem peccatorum, misericordiamq; impertias, & maxime hoc facto dictum Prophetæ adimpleas: quomodo uerò defendere poteris, quod discipulos tuos, quos iam lucratus es, qui te iam audiunt, tecum perpetuo uersantur, nec ad ieiunia, nec ad preces instituis? Aut non sunt bona opera ieiunia & preces? Si sunt, cur tui perpetuo comedunt & bibunt? Si non sunt, ut nos sanè reijcias, an & Iohannem carpere petes, qui suos non aliter ad ieiunia & preces obseruandas instruit, & assuefacit, quàm Phariſæi, quos tu plane exufflas, suos? An & hic habes quod prætexas? Si Iohannes suos bene instituit, ergo tu male doces tuos. Si uerò ille male, edic nobis palam, ut hoc ei significemus, quatenus & ipse suos ad edendũ & bibendum, hoc est, cultum non Dei, sed uentris imbuat. Nam hoc morsi genus Lucas exprimit, qui scribit eos Cap. 5.
dixisse: tui autem edunt & bibunt.

Ad hunc itaq; modum putabant se habere instructißimam & ineluctabilem calumniam, quam Christus abstergere non posset. Sed audiamus Christi responsionem, qui admiranda sua sapientia ita calumniam istam diluet, ut & se defendat, & tamen nec Iohannem improbet, nec ieiunia & preces reijciat, sed pulchre & tacite tentatores suos & calumniatores suo ipsorum mucrone confodiat. Dicit itaq;:

Et dixit illis Iesus: Num possunt filij sponsi lugere, quamdiu cũ illis est sponsus? Venient autem dies, cum tolletur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.

Responsio Christi duo habet, quemadmodum & calumniosa ista quæstio duo obiecit. Vnum, quam ob causam ipsi, nempe discipuli Iohannis & Phariſæi, crebrò ieiunent: alterum, cur discipuli sui edant & bibant, ut Lucas habet. Ad posterius itaq; primũ respondet, quod discipulos suos concernebat, & hanc à se calumniam priore loco reijcit, Deinde & ad primum respondet.

Quod itaq; dicit: Nũ possunt filij sponsi lugere, &c. ad id pertinet quod isti obiecerãt: quare discipuli ipsius nõ ieiunarent, sed ederent & biberent. Quibus uerbis, nec negat discipulos suos non ieiunare, nec ieiunia calumniatur, sed tantum ostendit illis nondum esse ieiunij tempus fore aliquando, ut et ipsi luctum acturi & ieiunaturi sint. Nunc esse magis tempus gaudij, quod ieiu-

nia

nia non recipiat, quia luctum neſciat. Et quia conabantur eum autoritate Iohannis premere, reſponſionem ſuam ita inſtituit, ut uel ex ipſis uerbis admonerentur teſtimonij Ioannis quod Ioan. 3. legimus, atq; ita per ipſius Ioannis autoritatem, & ſe liberat, & tentatores ſuos reuerberat. Eſt autem tale quod dicit: Obijcitis, cur diſcipuli mei non ieiunent, ſed edant & bibant, quaſi parum religioſe illos inſtituam, uos autem non parum cæcitatem cordis ueſtri etiam hac uice proditis, non uidentes diſcipulis meis nõ eſſe luctus, ſed gaudij tempus. Non eſt autem tempore gaudij ieiunandum. Quod uerò diſcipulis meis iam non luctus, ſed gaudij tempus ſit, ſi mihi non
Ioan. 3 creditis uel Iohanni, quem obijcitis, credite, qui de me uobis audientibus dixit: Qui ſponſam habet ſponſus eſt, amicus autem ſponſi qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter uocem ſponſi. Hoc ergo gaudium meum iã impletum eſt. Si ergo ſponſus ſum, iſti quì ſunt niſi filij ſponſi, ſodales & amici ſponſi, atq; ideò in gaudio nuptiali conſtituti? Quomodo igitur ieiunarent? Verum ieiunium locum non in gaudio habet, ſed in luctu. Erit aliquando, ut & ipſi ieiunent, ſed poſteaquàm propter abſentiam ſponſi cœperint lugere, tunc ſcilicet ultro ſatis ieiunabunt.

Ita ſcilicet, ut dixi, etiam ipſam Ioannis autoritate, quam obijciebant ſeſe tuetur, & aduerſarios ſuos liuoris damnat, ut qui nec ſibi nec Ioanni crederent. Deinde & ad primum reſpõdet, quod attinet ad crebra Phariſæorum et diſcipulorũ Ioannis ieiunia, ad hunc modum.

Nullus immittit aſſumentum panni rudis in ueſte ueteri. Aufert enim ſupplementum illius à ueſtimento, & peior ruptura fit. Neq; immittũt uinum nouum in utres ueteres, alioquí rumpũtur utres & uinum effunditur, & utres pereũt, ſed mittunt uinum nouum in utres nouos, & utraq; ſimul ſeruantur. Et Lucæ 5. addit: Et nemo qui biberit uetus ſtatim uult nouum, dicit enim, uetus melius eſt.

Hoc Chriſti reſponſum uarie exponitur. Quidam ita exponunt, ut per ueſtimentum uetus, & utres ueteres intelligant diſcipulos Chriſti, propter illorum infirmitatem, & per pannum rudem, & uinum nouum traditionem ieiuniorum, tanquàm ſeriorem, quàm quæ teneritudini diſcipulorũ Chriſti cõuenire potuerit, quaſi Chriſtus ita uelit quæſtioni & calumniæ ſatisfacere, quod non ideò diſcipulis ſuis ieiuniorum onera hactenus non impoſuerit, quod putat ieiunia eſſe mala, quæ ſciat eſſe utilia & ſerio agenda, ſed quod oporteat ſe ſapienter expectare capacitatem diſcipulorum, quo cum fructu poſſit iſta ſeriora illis cõmittere, ne ſi iam id tentaret, omnem operam & impenſum perderet. Atque in hac ſententia ſunt, Chryſoſt. & quidam ex noſtris recentioribus, cum quibus hoc loco ſentire non poſſum, proinde libere dicam meam ſententiam.

Mihi diuerſum uidetur. Nimirum Chriſtum hic per ueſtimentum uetus, & utres ueteres intelligere Phariſæorum & diſcipulorũ Ioannis animos, inueteratos iam in traditionibus ueterum: per pannum uerò rudem, & uinum nouum, doctrinam noui teſtamenti, & Chriſtianæ libertatis ſolidioriſq; iuſtitiæ. Rationes cur ita ſentiam, iſtæ ſunt.

Primum quod Chriſtus, ut uidebimus, his ſimilitudinibus non hoc agit, ut diſcipulos ſuos defendat, id quod antea iam fecit, rationemq; reddat cur ipſi nõ ieiunent, ſed ut rationem reddat cur Ioannes hanc libertatis doctrinam uelut uinum nouum diſcipulis ſuis non commiſerit. Nempe non ideò, quod mala ſit, & iſta cui aſſueuerant potior, ſed quod oportuerit eum habere rationem ſubiectorũ, imbecilliorum, quàm quibus iſta noua & inſueta infundi potuerint. Q.d. Quod uerò diſcipuli Ioannis non ad hanc libertatis doctrinam pariter atque mei inſtituti ſunt, in culpa eſt nec ipſe, nec hæc mea doctrina, ſed ipſi diſcipuli. Hi nanq; ſunt adeò aſſueti ueteribus traditionibus ut non aliter feciſſet Ioannes, ſi doctrinam hanc meam mox illis concredidiſſet, quàm ſi quis pannum rudem ueſtimento ueteri aſſuat, aut uinum nouũ in utres ueteres infundat, ubi non ſolum nihil proficitur, ſed ibi ſciſſura peior redditur, & hic cum utribus etiam ipſum uinum perditur. Veſtri animi non aliter habent, quàm palatus eorum qui ueteri uino aſſuefacti, non ſtatim nouum bibunt, ſed dicunt: uetus melius eſt. Proinde uos reperimini culpabiles hac in re nõ ego, neque diſcipuli mei, nec doctrina mea, nec ipſa ieiunia, neq; etiam ipſe Ioannes. 1

Deinde, quod hunc locum ita intelligendum putem, facit ipſa antitheſis uetuſtatis & nouitatis, in qua non uideo quomodo per utres ueteres debeant intelligi diſcipuli Chriſti, etiam ſi reſpexeris eorum imbecillitatem, eò quod in utribus antiquis ſpes rerum meliorum non ſit, ſed magis deteriora in dies expectanda, id quod ad diſcipulorum Chriſti imbecillitatem non quadrat, ſed magis diuerſum. Nam tametſi imbecilles fuerint, erant tamen ad ſuſcipiendam recentem Chriſti doctrinam, uelut noui utres, Phariſæis & diſcipulis Ioannes longe accommodatiores. 2

Tertio monet, quod non bene nouo uino, aut panno rudi, traditio & doctrina ieiuniorum conferri poterit, ſed magis ſimpliciter Chriſti doctrina, quæ licet noua non fuerit in ſe, noua tamen uidebatur reſpectu illius quam imbiberant Phariſæi & diſcipuli Ioannis. 3

Quarto, non uidetur rationem habere quod diſcipuli Ioannis capaces fuerũt ad ferendum uinum nouum, ieiuniorum ſcilicet obſeruãtiam, diſcipuli uerò Chriſti minime, quaſi non æque diſcipuli Chriſti ieiunare potuiſſent, ſi in ieiunijs ſita fuiſſet ſolida iuſtitia, quaſiq; Ioannes perfectiores effecerit diſcipulos ſuos, quàm Chriſtus ſuos. Iam ſi diſcipuli Chriſti apti erant, quibus illa fidei doctrina committeretur à Chriſto, myſteriáq; regni Dei traderentur, quomodo nõ fuiſſent apti ad ſuſcipiendam ieiuniorum obſeruantiam & doctrinam? 4

Proinde per utres ueteres, & ueſtimentum uetus non Chriſti, ſed Ioannis diſcipulos, & per uinũ nouum non ieiuniorum, ſed Chriſtianæ fidei & libertatis doctrinam intelligo.

Atq; ita intelligũt ex ueteribus Hieronymus & Hilarius. Hieron. Hilarius.

larius. Hieronymus sic dicit: Veteres utres debemus intelligere Scribas & Pharisæos. Plagula panni noui & uinum nouum præcepta Euangelica sentienda sunt, quæ non possunt sustinere Iudæi, ne maior scissura fiat, &c. Sermo igitur Euangelicus Apostolis potius, quàm Scribis & Pharisæis est infundendus, qui maiorum traditionibus deprauati synceritatem præceptorũ Christi non poterant custodire. Hæc ille.

Tale quid Galatæ tentabant.

Hilarius uerò dicit: Vt autem intelligerent nõ posse sibi in ueteribus positis perfecta hæc salutis Sacramenta committi, comparationis exemplum posuit, pannum rudem ueteri uestimento non assui. Hæc iste.

Erasmus in Paraphr. super Matthæum sic scribit: Ioannes uetustis utribus non est admissus aliud, quàm uetus uinum cõmittere, iciunium & huiusmodi, quæ multum absunt ab his quæ præstanda sunt uiris Euangelicis. Ego meæ doctrinæ mustũ non credo nisi nouis uasculis.

Dicit itaq; Christus. Non est mirum quod uobis doctrina mea nõ arridet. Quomodo enim illam amplecteremini qui adeò insenuistis maiorũ traditionibus, ut & uitam uos in illis habere putetis, unde fit ut libertatem filiorum Dei, & regni Dei iustitiã nõ agnoscentes, offendamini in hoc quod discipulos meos ad ieiuniorum crebram obseruantiam non instituam, &c.

QVID EX HOC LOCO NOtandum sit.

Primo. Notandum est, quomodo ilico externa religionis opera supercilium adducant, & ad iudicandum alios permoueant eos, qui solida iustitia præditi nõ sunt. Quod enim de eo quæstionem mouebant, cur discipuli Christi non ieiunarent, nõ erat aliunde, quàm quod sibi bene in ieiunijs suis placebant, & reliquos non ieiunantes præ se condemnabant.

Deinde. Pulchre uidemus ingenium iustitiariorum in eo, quod nihil putant sanctum, nisi quod à communi uitæ statu abhorreat. Hinc est quod etiam frugalem discipulorũ Christi uictum pro crapula & ebrietate ducunt, dicentes: tui autem edunt & bibunt. Ad eum modum & Pontificij Pharisæi faciunt. Pluris faciunt sua ieiunia & statas preces, quàm omnia charitatis opera cum tamen Deus misericordiam præ omnibus exigat. Sic & Christi quadragesimale ieiunium super omnia eius opera extulerunt. Sic piorum uictus utut frugalis illis pro crapula habetur, cum nemo lautius uentri studeat, quàm illijpsi ieiunatores, uel potius ieiunij prædicatores. Tertio, in eo quod discipuli Ioannis contra Christũ et suos cum Pharisæis conspirãt, cum tamen Christo & Ioanni optime cõuenerit: exemplo est, quàm sit animalis homo, animalis auditor, ad hæresis ingeniũ appositus. Cõtra Christum inuidiæ zelo pro Ioanne suo ducuntur discipuli Ioannis, etiã cum Ioannes nihil aliud quæreret quàm gloriam Christi. Ad eum modum & Corinthij faciebant, uide 1 Corinth. 1.

Quarto. Pharisæi tametsi Ioannem non receperint, ut est Matth. 11. 21. & Luc. 7. nihilominus sese discipulis Ioannis coniungunt, quatenus & illi cõtra Christum inuidiæ spiritu pro Ioanne agebantur. Exemplo isto uidemus sortem ueritatis, quomodo contra illam in unum conspirent, etiam qui intra se alias dissident.

Quinto. Si eodẽ spiritu ducuntur Christus & Ioannes, cur non eadem uita & ratione uterq; suos instituũt? cur hic suos ad ieiunia instituit, ille suos permittit edere ac bibere? An alia est Christi, & alia Ioannis doctrina? Nequaquam: Notandum itaq; hoc loco, non esse rarum, nec absurdum alios ab alijs etiam bene concordibus aliter atq; aliter institui. Oportet omnino obseruare commoditatem subiectorum. Hinc illud est Augustini Epistola 86. Interminabilis inquit est ista contentio, generans lites non finiens quæstiones. Sit ergo una fides uniuersæ quæ ubiq; dilatatur Ecclesiæ, tanquàm intus in mẽbris, etiam si ipsa fidei unitas quibusdam diuersis obseruationibus celebratur, quibus nullo modo quod in fide uerum est, impeditur. Hæc ille.

QVAE NOTANDA SINT EX EO quod dicit. Nunquid possunt filij sponsi lugere quàm diu, &c.

Primo. Cum Christus se sponsum hoc loco dicit, necesse est, ut sponsam habeat. Nã ista dictio, sponsus, una est ex illis prædicamẽtis quæ relationẽ habẽt, & ad aliquid dicuntur, ut quemadmodũ necesse est habere Dominum qui seruus est, ita necessario sit habere sponsam qui sponsus est. Alioqui sanè nemo recte sponsus dici potest, nisi cui sit sponsa, nec sponsa potest uocari, nisi quæ sponsum habeat. Hinc Ioan. 3. Qui habet sponsam sponsus est. Ergo sponsam habet Christus, cum seipsum sponsum esse dicit.

Deinde, quoniã non legimus illũ mundano more nupsisse, opus erit ut nuptiæ ipsius alterius seculi, nimirum cœlestis, rationem habuerint. Quemadmodũ enim cum scriptura eum prædicat esse regẽ, & tamen nihil legitur de mundano ipsius regno, imò ipse diserte fassus est regnum suum nõ esse de hoc mundo, necesse est regnum ipsius eße spiritale, nisi non uerum sit, quod rex esse dicitur, ita & hoc loco necesse est nuptias ipsius esse spirituales, cũ nihil legatur de terrenis ipsius nuptijs, et tamen prædicetur esse sponsus & habere sponsam. Constant itaq; ista duo. 1 Christum habere sponsam. 2 Nuptias ipsius esse cœlestes. Hinc itaq; quasi manu ducimur ad sublime illud humanæ reconciliationis ac redemptionis mysterium, ab æterno quidẽ prædestinatũ diuinitus, nouissimis uerò tandem tẽporibus præstitũ, & per Euangelium mundo reuelatũ, quod omniũ pulcherrime per nuptialis fœderis ac pacti similitudinẽ considerandum nobis hoc & alijs locis proponitur, ut uideamus reconciliationẽ humani generis esse iucundißimã, utilißimam, & omnium firmißimam, ne quo pacto illi diffidamus.

Quemadmodum enim apud magnates ac principes huius seculi, quãdo qui antea grauiter à se inuicẽ discrepauerant recõciliantur, quatenus fausta, & firma sit reconciliatio, imò maior amicitia, q̃ fuerat ante discordiã contrahatur & corroboretur, nuptiæ instituuntur, ita ad certificandam & corroborandam reconciliationis fiduciam, institutæ sunt à Deo nuptiæ, sumptis ex utroq; latere qui connubiali uinculo coadunati, quasi quædam reconciliationis pignora essent & obsignationem: nempe ex parte Dei demissus est, non angelus aliquis,

sed

sed ipse Dei filius unigenitus qui sponsus esset, & ex terris in uno homine assumpta est in sponsam ipsa humani generis natura, atq; ita hoc nuptiali fœdere in unũ coiere cœlestia & terrestria, corroborataq; est in perpetuum ista reconciliatio, qua genus humanum cum creatore suo Deo reconciliatum est. Coll. 1

Hinc ad natiuitatẽ Christi cecinerũt angeli. Gloria in excelsis Deo & in terra pax.

Desponsatio ista facta est per incarnationem uerbi, qua in unam personam coadunatæ sunt diuinitas & humanitas, quoq; factũ est, ut filius Dei iam sit caro de carne nostra, & nos spiritus de spiritu ipsius. De hoc mysterio uide ad Eph. cap. 5. locum insignem, & nunquam satis expensum. Ex uirtute itaq; huius desponsationis non solum corroborata nobis est reconciliatio cum Deo, sed ipsa humana natura omnino diuinam gloriam & potentiam in Christo adepta est, ita ut iam nostra sint omnia, quæ Christi sunt: & uicißim quæ nostra erat miseria Christi facta sit. Hinc est quod Paulus dicit, omnia uestra sunt, uos autem Christi, Christus uerò Dei. Prorsus ineffabile est desponsationis huius gloria & maiestas. Quis enarret beneuolentiã Dei, qua filium suum in has fœces mortalium demißum perditißimo humano generi etiam connubialiter coniungi uoluit?

2

Secundo loco. Quærendum est quid hoc sit quod dicit: Quandiu cum illis est sponsus, uenient dies cum auferetur ab eis sponsus, tunc ieiunabunt? An nõ ipse dixit: Matth. ult. *Ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Et* Matth. 18 *ubicunq; fuerint duo uel tres congregati in nomine meo* Ioan. 14 *ibi in medio eorum sum. Et: Si quis diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligã eum, &c. & ad eum ueniemus, & mansionẽ apud eum faciemus. Si ergo cum suis est usq; ad cõsummationẽ seculi, & si in medio eorũ est, qui in nomine eius cõgregantur, & si mansionem apud dilectos suos facit, quomodo hic dicit, non posse filios sponsi lugere, quàm diu cum illis est sponsus: uenturos autẽ esse dies, quibus cum ablatus fuerit ab eis sponsus, ieiunaturi sint? Iam certè legimus ieiunasse Apostolos, Act. 13. etiam in nomine Christi cõgregatos. Et de multis Pauli ieiunijs legitur in posteriore ad Corinthios. Si ergo non possunt filij sponsi ieiunare, ut est apud Marcum & Lucam, quàm diu cum illis est sponsus, & Apostoli leguntur ieiunasse, atq; ita impletũ esse, quod Christus dicit: Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt, ablatus erat ab eis sponsus. Si ablatus quomodo quæ suprà dicta sunt de ipsius præsentia uera sunt?*

Respondeo. Vtraq; uera sunt. Et est ablatus sponsus, & tamen præsens suis usq; ad consummationem seculi. Sed bene obseruandæ sunt duæ in Christo naturæ, diuina et humana. Est enim Christus uerus Deus, & uerus homo. Quæ igitur in uerbis Christi talia sunt, quæ diuinitati Christi non competunt, ut hîc, quod se dicit auferendum, & Ioan. 14. Vado ad patrem, quia pater maior me est, & si qua sunt talia, ut & illud Ioan. 12. Pauperes semper habetis uobiscum, me autem non semper habetis, ad humanitatem eius referenda sunt. Si qua uerò talia sunt, ut humanitati nequeant tribui, ne confundantur in Christo naturæ, ad diuinitatem referenda sunt. Talia sunt illa: Ecce ego uobiscum sum, &c. Et in medio eorum sum, & mansionem apud eum faciemus, & antequam Abraham esset, ego sum. Vide hic Augustinum ad Dardanum, & super Ioannem tract. 50. Nobiscum itaq; est usq; ad consummationem seculi, præsentia diuinitatis & maiestatis suæ, absens uerò est corpore humanitatis suæ, quo in cœlum ascendit.

Ergo nos sumus instar sponsæ expectantis sponsum suum, qui data prius arrha, & facta desponsatione ad patrem, abijt paraturus nuptias. Sic Christus uado uobis Ioan. 14 *parare locum, & iterum ueniam & accipiam uos ad meipsum. Seruãda itaq; illi coniugalis fides & castitas, fugiendiq; proci, ne ab integritate & synceritate fidei, quam ei debemus deijciamur. Huc pertinet locus ille Pauli 2 Corinth. 11. Desponsi uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo, sed metuo ne qua fiat, ut quemadmodum serpens Euam decepit uersutia sua, ita corrumpantur sensus uestri à simplicitate, quæ erat erga Christum. Cauendæ sunt hæreses, quæ uel unam duntaxat in Christo naturam tradiderunt, humanam solam, ut Cherintiani & Ebionitæ. Diuinam solam, ut Valentiniani, Apollinaristæ. Vel duas quidẽ naturas in Christo statuerunt, sed mixtas, ita ut diuinitati dederint quæ humanitatis sunt: nempe paßibilem illam fuisse, ut & patripaßioni patrem esse paßum docuerunt, & humanitati, quæ diuinitatis sunt, quomodo Timothiani naturas in Christo miscuerunt.*

Sic Eutices humanam naturam in Christo negans solam diuinam statuit, qui damnatus est in concilio Calcedonensi, ut est Dist. 16. cap.

Proinde notandæ sunt utraq; in Christo naturæ, & bene discernẽdæ, tribuendumq; unicuiq;, quod illius est proprium. Obseruandiq; sunt diligenter loci, diuinam in Christo naturam docentes, deinde non minus & illi, qui humanam tradũt maxime, qui docent Christum esse filium hominis, semen Abrahæ benedictum, & semen Dauidis, fructumq; Mariæ benedictũ, Lucæ 1. Item illud Ebr. 2. quo docetur quomodo oportuerit Christũ communicare de carne & sanguine fratrum suorum. Deinde quæcunq; infirmitatis sunt in Christo, huc referenda sunt, ut si quando commemoratur alicubi non fuisse, uel aliquò abijsse, ut illud Ioan. 11. Lazarus amicus noster mortuus est, & gaudeo propter uos, quod non fui illic, ut credatis &c. Si non fuit illic, unde habet, quod nouit eum esse mortuũ? Si uerò illic fuit, quomodo dicit, quo- Mar. 16 *niam non fui illic? Fuit ergo illic præsentia maiestatis* Luc. 24 *suæ, non fuit uerò præsentia corporali. Et illud post re-* Matth. 28 *surrectionem. Surrexit, non est hic. Quomodo non erat illic? corpore quo surrexerat.*

Ita & hoc loco: Non possunt filij sponsi lugere quàm diu cum illis est sponsus. Venient aũt dies cum auferetur ab eis sponsus tunc ieiunabunt, de nulla alia præsentia & abitione Christus loquitur, quàm de corporali.

Vnde & Erasmus Rot. super Marcum hæc uerba Erasmus *ita exponit. Obstat illis huius corporis præsentia. Venient aũt dies, quũ corporalis sponsi præsentia tolletur ab illis, tunc facti firmiores hausto cœlitus spiritu, non solum ieiunabunt, idq; sua sponte, uerumetiam fortiora præstabunt uolentes & alacres. Hæc Erasmus.*

Tertio

3 Tertio. Ex eo quod doctrinam ſuam comparat uino nouo, & immiſſuræ panni noui, documentũ accipimus, non ſemper malum eſſe quod nouum eſt. Contra eos qui doctrinam Euangelij hodie hoc pacto ſe quàm maxime inſamare putant, quod eam dicunt eſſe nouam.

2 Ex eodem quoq; uidemus quæ ratio ſit, quod pleriq; hodie doctrinam Euangelij non accipiunt. Nempe quod illis uſuuenit, quod ijs qui uino ueteri aſſueti ſunt. Illi dicunt, uetus melius eſt, atq; ideò nouum nõ bibunt. Vt eſt Lucæ 5. Ita & ij qui traditionibus humanis inueterati ſunt, guſtũ noui uini non probant, id eſt, doctrinã Euangelij, doctrinam ſpiritus & libertatis non accipiunt.

3 Tertio uidemus, quales animos requirat Euangelica doctrina, nempe rudes ac recentes. Vnde ſummopere curandũ eſſet, ut iuuentus probe inſtitueretur, quandoquidẽ illi qui traditionibus inſenuerunt, adeò doctrinam ueritatis ægre admittunt.

4 Quarto. Obſeruandum etiam fuerit in eo quod dicit: Et peior fit ſciſſura, unde ſit, quod apud pleroſq; doctrina Euãgelica, doctrina libertatis & ſolidioris iuſtitiæ argumentum dare uidetur magnæ ac inſolitæ temeritatis, qua uidentur iam Euangelici auditores quiduis ſentire, dicere, facere, pro omni libidine, cum antea omnia fuerint contracta ora. In promptu cauſa eſt. Vtres ſunt ueteres ac ueſtimentum uetus. Vino ac panno nouo non accõmodi, quos Euangelica doctrina non malos facit, ut qui antea mali erant, ſed peiores: nõ ſua, ſed inueteratorum opinionum culpa.

Deprehendimus ergo triplex malum eſſe traditionum humanarum ſicubi fuerint inueteratæ. Vnum eſt, quod guſtum ac palatum inficiunt, ne uinũ nouum Euangelicæ doctrinæ admittat, id quod in Phariſæis tempore
2 Chriſti, & hodie quoq; uiſum eſt. Alterũ, quod non ſolum illam non admittit, ſed etiam contemnit ac uitupe-
3 rat, dum uetus uinũ laudat & extollit. Tertium, quod etiam aſſumptum nouum uinum in argumentum nocumenti uertit, cauſam præbẽs, ut quod debebat ad ædificationem facere, deprauationi maiori inſeruiat. Duo
1 priora mala uidemus in aduerſarijs. Primum in illis qui
2 tantopere doctrinæ huic aduerſantur. Alterum in illis, qui guſtauerunt quidam muſtum Euangelicæ doctrinæ, ſed quia uidebatur auſterius ad uetus traditionũ uinum
3 relabuntur, dicentes: uetus melius eſt. Tertium uidemus in pleriſq; noſtrorum, qui ſatis temere uiuunt, maiore ſcilicet libidine quiduis agendi quàm antea.

REMEDIVM.

1 Et huic morbo non erit aliud remedium quàm primum, ut omnia ea quæ doctrinæ Euãgelicæ repugnant,
2 per magiſtratum è medio tollantur. Deinde, ut temeritas illa quiduis ſine timore agendi, magiſtratus potę-
3 ſtate cohibeatur. Tertio, ut iuuentus quàm accuratiſsime educetur, ut à teneris annis Euangelicæ doctrinæ aſſueſcat, quatenus, ut in prouerbio eſt, quod noua teſta capit, inueterata ſapiat.

Hæc cum illis loqueretur, ecce primas quidã uenit, & adorauit eum dicens: Filia mea modo defuncta eſt. Sed ueni & impone manũ tuã ſuper illam, ac uiuet.

Hiſtoriam iſtam habet Marcus 5. & Lucas 8. cap. Noſter hic non ſine ratione illam deſcripturus dicit. Hæc cum illis loqueretur, ecce primas quidam uenit & adorauit eum &c. Videtur enim hoc uelle. Cum ad hunc modum inſtituti ſui rationem redderet Phariſæis & diſcipulis Ioannis, à quibus habebatur pro homine impio, impiorũ & publicanorum ſocio, uorace, & qui ſuos ad nullam pietatem inſtitueret, quemadmodũ Ioannes & Phariſæi ſuos. Ecce mox offertur occaſio, qua iã non uerbis, ſed ipſa Dei uirtute declararetur, utri ſanctiores eſſent, Phariſæi cum diſcipulis Ioannis, an Chriſtus cum ſuis, qua ſcilicet præſtanda eſſet nõ ieiuniorum hypocriſis, ſed diuina uirtus & beneficentia. Iſta ſcilicet uidetur mihi uelle Euangeliſta cum dicit: Hæc cum illis loqueretur. Sed tractemus ſingula.

Ecce princeps quidam. Marcus & Lucas deſcribũt hunc, qualis princeps fuerit, nempe primarius quidam ſynagogæ. Atqui hoc hominũ genus inter eos pertinet, qui quo in populo Dei matore potiebantur honore, hoc Chriſto erant infenſiores. Cur ergo non accedit ſanctos illos ieiunatores magis quàm abiectum hũc publicanorum ſociũ, hominẽ uoracem, nihil cum ſuis ieiunantem?

Sed hoc exemplo uidemus primũ quàm de nullo ho- 1
minum genere ſit deſperandum. Habet Chriſtus ubiq; ſuos. ~~Deinde uidemus utilitatem afflictionũ in eo quod~~ 2
~~primarius morituræ filiæ ſuæ neceſsitate adactus ad Chriſtum ſe recipit, & opem illius implorat, alioqui forſan utut de eo ſenſerit, nihil habiturus cum illo commertij propter metum Iudæorum~~. Neceſsitate uerò preſſus non ad eos confugit, qui ſanctimoniæ ſplendore ac nomine reliquis, etiã Chriſto, præſtare uolebant. Sed ad eum, unde ſperare poterat auxilium & opem, hoc eſt, diuinam uirtutem & beneficentiam, non ad oſtentationem, ſed ad ſanandum & iuuandum paratã. Huc ſcilicet relictis hypocritis ſuis ſe recipit, ibi auxilium quærit. Diſfamatus erat Chriſtus apud hoc hominum genus, & uicißim magno habebantur honore Phariſæi. At hic primas calamitate filiæ ſuæ preſſus, nihil hac Chriſti diffamia offenſus, uirtutem Dei in illo implorat.

Videmus ergo hoc loco hypocriſeos & ueritatis diſcrimen. Dum nihil urget applauſibilis eſt ficta ſanctimoniæ ſpecies. Vrgente uerò neceſsitate quapiam animum afflictum, ut ſit in conſcientijs iudicij & iræ Dei metu preſsis, non iam poſſunt opem ferre opera illa, ſpecioſa ieiuniorum & aliarum traditionum, neq; qui illis ſtudent, ſed deſideratur ipſa ueritas, imploratur gratia & miſericordia Dei.

Et adorauit eum.] Quod hic noſter dicit προσεκύνει αὐτῷ, Marcus habet πίπτῃ πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ ubi uidemus quid ſit illud προσκυνεῖν apud Græcos & השתחוה apud Ebræos, nempe nihil aliud quàm procidere ad pedes, hoc eſt, humiliato corpore honorem alicui ferre, ſeſeq; illi ſubmittere, longe aliud quàm quod ſolẽt uertere adorare, id quod ſoli Deo conuenit. Hoc uerò & hominibus præſtatur, ut maioribus à minoribus. Sic Iacob incuruabat ſe aliquoties ante faciem Eſau fratris ſui.

Eſt

Est itaq; animi submissi ac humiliati humiliterq; gratiam alicuius ambientis gestus ista corporis prostratio uel incuruatio, pro more cuiusq; nationis. Atq; hinc est, quod oraturi in genua coram Deo procumbimus, hoc ipso testantes, humiliter & animo subiecto ambiendam
Hypocrisis. esse gratiam Dei. Qui gestus si sine cordis affectu respondente fit, iam nihil est aliud quàm ludibrium & irrisio maiestatis diuinæ. Vt est eorum, qui cum non Deo sed uentri seruiant, nec in animo habeant quicquàm à Deo serio precari, neq; animos suos coram Domino humiliẽt, nihilominus hos gestus procumbendi, capita flectendi, seseq; prosternendi in usu habent.

Notandum est etiam hoc loco, quàm non excusari
Eidola. queant ab eidololatria sua, qui ante simulacra procumbunt, etiamsi dicant se non adorare ea, hoc est opem eorum implorare, cum tamen usitatissimũ sit, quod procidant coram eis in genua & manus extollant idq; supplicando. Iam non solum uetitum est adorare alienos Deos, sed & ne ante eidola, id est, imagines & simulachra procumbamus, Exo. 20. Vbi legitur, quod nullas debeamus imagines facere, neq; ante eas procumbere. Nam Ebræus habet לא תשתחוה להם id quod Græcus reddit, καὶ μὴ προσκυνήσῃς αὐτοῖς. Vnde clare uidemus, eidololatriam eos committere, & contra præceptum Domini peccare grauissime, quotquot simulacra hoc pacto uenerantur. Quam autem illud graue sit, & quàm huic impietati irascatur Dominus uidere est Exo. 20. & Esa. 2. Alia ratio est procumbendi coram homine potẽte, à quo iuuari potes, quàm apud simulacra surda et muta opera manuum hominum, quæ nihil iuuare possunt.

Quod autem non minus peccatum sit procumbere ante statuas & imagines opera manuum hominũ, quàm adorare, hoc est, colere & inuocare deos alienos, Danielis 3. uidere est in tribus pueris, qui non solũ deos Babyloniorum adorare noluerũt, sed neq; statuam auream procidendo uenerari, ita ut citius passi sint in fornacem ardentem se proijci, quàm ut ante statuã auream sese incuruassent, cum tamen id solum à rege exigeretur.

Atq; id ita uerum esse Hieronymus quoq; testatur, cum dicit: Siue statuã ut Symmachus, siue imaginem auream ut cæteri transtulerunt, uoluerimus legere, cultores Dei eam adorare non debent. Ergo iudices & principes seculi qui imperatorum statuas adorant & imagines, hoc se facere intelligant quod tres pueri facere nolentes placuerunt Deo. Et notanda proprietas, deos coli, imaginem adorari dicunt, quod utrunque seruis Dei non conuenit.

Filia mea modo defuncta est, sed & ueni, & impone manum tuam super eam & uiuet.] Exemplũ hic habemus fidei de Christo imperfectæ. Debebat dicere cum
" Centurione. Sed tantum dic uerbo, & uiuet filia mea. Quoniam uerò dicit: Sed ueni, & impone manum tuam super eam, satis declarat se nihil aliud de Christo adhuc credere, quàm esse illum uirum aliquẽ Dei, prophetam, & qui oratione & interpellatione sua apud Deũ multa posset. Nam illud, & impone manũ tuã super eam, nihil est aliud, quàm & ora super eam ad Deum.

Deinde credebat præsentiam eius, ut hominis sancti, filiæ plurimum profuturam. Sic Martha & Magdalena ad Christum dicebant: Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sic Naaman ille mandatum Helisæi continebat, eo quod non descendisset ad eum, & coram manu lepram tetigisset. Putabam quod egrederetur, inquit, ad me, & stans inuocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me. Sic Sunamitis illa cogebat quodãmodo Helisæum ut secum accederet filium mortuum. Ad cum omnino modum & hic synagogæ princeps putabat operæpretium esse, ut coram Christus impositis super filiam manibus ad eum oraret, eo quod nõ sentiret de illo altiora, quàm de quodam uiro Dei & propheta sancto. Verum in hac fidei imperfectione non relinquitur. Interea tamen uritur illa quam & qualem qualem habet, uotiq; compos redditur, ut audiemus.

Habemus præterea hoc loco, exemplum amoris pa- "
terni. Moriturã filiam cupit uiuere. Hunc affectum parentibus erga liberos suos indidit Deus. Et Christus illi non contradicit. Non enim dicit: Quid est quod mortua est filia? An nescis eam mortalem fuisse, ut & te quoq;? Ad quid uis eam uiuere uitam istam miserabilem? Es tu princeps synagogæ & tam parum adhuc philosopharis? Vis ne Deo repugnare? Nihil horũ illi obijcit. Neq; enim malum est in se, quod filiam diligit, & quam diligit cupit uitæ restitui, tantum non repugnet pertinaciter diuinæ uoluntati. Videmus in Dauide, quàm etiã sanctos uiros afficiat liberorum calamitas. 2 Sam. 12.

Qui hodie sibi uidentur reliquis duplo spiritalio- "
res, eo abeunt inhumanitatis, ut neq; ad uxorum neq; ad liberorum mortem uel unam lachrymulam effundant, cum Christus & uiduæ sit misertus mortuum filium plorantis Lucæ 7. & super mortuum Lazarum fleuerit.

Rursus & alij sunt qui liberos suos uel negligunt, uel mox mori cupiunt, magis bestiæ quàm homines, imò ne bestiæ quidem, hoc negãtes liberis suis, quod bestiæ fœtibus suis summopere curant ac defendunt.

Admonendi sunt etiam liberi, ut parentum amori 2 "
respondeant. Sæpenumero legimus Dominum à parentibus pro salute & uita liberorum interpellatum esse, à filijs uerò pro parentibus, nusquàm. Verum est prouerbium, Dijs & parentibus non redditur æquiualens. Hinc est, quod in præceptorum ordinem relatum est, ut liberi parentes suos honorent & obseruent, colant ac diligant quod de amore parentum erga liberos non est factum. Nam naturaliter diligunt parentes liberos suos, unde nihil necesse est, ut mandato tradatur dilectio parentum. In liberis uerò secus habet. Hinc etiam apud Germanos dicimus. Es ziehe ehr ein uatter zehẽ kind, Proverbium
den zehen kind eynen uatter. Imò plerunq; uidemus mortem parentum cupide expectari & optari à liberis, tam abest, ut anxie cuperent eos uiuere. Ita uidelicet deprauatæ naturæ sumus. Non multorum uox est, Domine pater meus modo mortuus est, sed ueni & impone manũ tuam super eum & uiuet. Legimus quidem de aliquo suprà cap. 8. ad Christũ dixisse, Domine permitte me primũ ire & sepelire patrẽ meum, non aũt

Domine

Domine pater meus iam mortuus est, ueni & excita eũ, aut, pater meus grauiter decumbit, ueni & cura eum. Ista non ideò dicuntur, quod putem prorsus neminẽ esse qui de morte parentum suorum doleat eosq; quàm longissime uelit uiuere, sed quod tales rariores sunt, quàm parentes qui liberos suos uiuere cupiunt. Proinde admonenda est iuuentus, ut morbum hunc deprauatæ naturæ intelligant. Et certè parentum uicio plerunq; saginatur hic morbus, in eo, quod nulla alia ratione liberis suis consulunt, quàm quod magnas illis diuitias colligũt, & post se relinquunt, quarum desiderio fit, ut non admodum doleant de morte parentum suorum, relictæ hæreditati cupidissime inhiantes.

Inuenti sunt qui parentem ne sepelierint quidem, & tamen eodem mox die, quo mortua erat mater, hæreditatem inuaserint. Quando putas istos ad Christum dicturos fuisse, Domine mater nostra defuncta est, sed ueni & excita eam?

Et surgens sequutus est eum.

1 Vide mansuetudinem Christi. Excluserant eos extra synagogam qui Christum confitebantur. Ioan. 9. id quod certè nõ fiebat sine huius conscientia, qui princeps synagogæ apud suos erat. Et tamen Christus hic nihil illi opprobrat. Non dicit: Quid ad me uenis, quem tanto odio & execratione prosequimini? Iam quando te tuorum calamitas premit ad me tandem curris.

2 Rursus neq; obijcit fidei imbecillitatem & imperfectionem, dicens: putas me filiam tuam restituere non posse, nisi coram, & impositis manibus? Quid opus est ut tecum eam? Si credis me uerbo præstare posse quod petis, curabo filiam tuam, sin minus, uade, non digne satis de me sentis. Nihil horum, sed mox placidissime surgit, & petenti satisfacturus, obsequitur.

Imitanda Christianis omnibus est ista Christi facilitas, maxime illis, qui cæteris plus prodesse datum est à Domino. Primum, ut nihil exprobrẽt si quisquam antea lesit, sed mox beneficium impendant. Deinde, ut imbecillitatem interpellantium, si quando minus senserint, quàm par sit, placidissime ferant.

Et discipuli eius cum eo.

Apud Marcum est. Et turba multa cum eo, & premebant eum. Magna est plerunq; adres insolentes spectandas populi curiositas, cuius hic exemplũ uidemus. Cupiebat quisq; uidere miraculum, atq; ideò nemo non satagebat Christo esse quàm proximus, ita ut premerẽt eum. Habebat itaq; Christus hoc sortis suo tempore, ut donec circuibat sanando, miracula faciendo, multos habuerit sectatores ac spectatores potius, quàm iustos auditores. Cum uerò crux esset subeunda, tum multo secus usueniebat. Propinqui tum stabant procul.

Et ecce mulier, quæ sanguinis profluuio laborauerat.

Historiam hanc copiosius describũt Marcus & Lucas. Proinde Marcum uidebimus, et primo tractabimus quod historiam concernit. Deinde quæ ad nostram doTransitio. ctrinam pertinent. In præcedentibus commemoratum est, quæ fuerit in Iairo principe synagogæ fidei imbecillitas. Iam ordinante Domino inter eundũ occasio datur, qua mulieris infirmæ exemplo, & huius Iairi fides imbecillis corroboretur, & simul ostendatur, quàm nonnunquam quæ huius mundi sunt infirma excellat in fidei negocio sanctos & prudentes huius mundi. Atq; hoc est, quod Matthæus historiã istam narraturus, dicit: Et ecce mulier &c. Marcus diligenter historiam hanc scribit, singulari ut apparet studio, absq; dubio nulla alia ratione, quàm commendandæ fidei mulieris istius. Neq; immerito. Erat enim magna & egregia. Vnde & à Domino commendata est. Quatenus itaq; mulieris huius fidem Euangelista illustrem faciat, & simul in illa Christi uirtutem spectandã ob oculos ponat, studiose conditionem & fortunam mulieris describit, in eo nempe quod morbum illi fuisse commemorat inueteratum, & iam certo experimento deploratũ, imò magis auctum. Hinc est quod dicit: Et mulier quædam, quæ fuerat obnoxia profluuio sanguinis annos duodecim (ecce morbus inueteratus) fueratq; multa perpessa à compluribus medicis, & insumpserat omnia sua, neque quicquàm adiumenti senserat, sed magis in deterius uenerat. Ecce malum desperatum. Non enim dicit, ab uno & altero medico, sed à cõpluribus, quo nihil aliud dicit, quàm quorumuis medicorũ operam in hac muliere sananda fuisse inualidam. Deinde fuisse omnia bona iam insumpta, ut nihil fuerit, quod alijs medicis potuerit amplius dari. Postremo non solum nihil acceßisse adiumenti, sed malum redditum auctius. In his rebus ita desperatis, uideamus quid fecerit mulier, quid ualuerit fides, imò quid præstiterit uirtus & beneuolentia Christi.

Cum audisset de Iesu, uenit in turba à tergo, & tetigit uestimentum eius.

Primum commemoratur audisse de Iesu. Absq; dubio propterea, quod eam mentem, quam de Iesu sibi concepit, ex isto auditu perceperit. Hoc est, quod ex his quæ de Iesu ex aliorum relatione audiuerat, mota sit salutis spem sibi haurire, & ex hoc Iesu promittere. Iam oportet, ut ea quæ de illo audiunt, non fuerint uulgaria & humana, qualia de medicis prædicari solent, utut industrijs. Nam hinc nullã sibi sanitatis spem concepisset, utpote toties artem medicorũ frustra experta. Necesse est igitur, ut diuina fuerint, quæ de Iesu audiuit, unde mota sit in eam fiduciam, quam postea declarauit. Quæ fuerũt illa? Procul dubio quæ paßim faciebat, unde declarabat se unum esse, cui nihil esset difficile, qui quosuis sanare posset, qui ad hoc uenerit, ut humanæ miseriæ opem ferret, atq; ideò uerum Meßiach illum qui esset à Deo nouißimis tẽporibus per prophetas iam olim promissus. Qui summa beneuolentia quosuis exciperet, neminem cõtemneret, omnibus esset expositus. In summa, in quem diuina se uirtus & bonitas luculentißime effudisset. Talia oportet mulierem istam ex his quæ audiuerat mente sibi de hoc Iesu concepisse. Atque hinc Euangelista subdit.

Dicebat enim. Si uel uestimenta eius tetigero, salua ero.

Q. d. Valeant mei medici, quos hactenus frustra passus

passus & expertus sum, malum nõ solum non tollentes, sed cõduplicãtes etiã. Hic est uerus medicus, hic est uerè saluator in terras missus diuinitus. Huius tanta est uirtus, hic tam est sanctus, ut etiam si uel uestimentum eius utcũq; tetigero, salua sim futura. Hac itaq; fide de Christo concepta turbæ se immiscet Christum sequenti, & à tergo uestimenti oram contingit, nihil dubitans, se uoti fore compotem. Tantus erat conceptæ fiduciæ ardor.

Quòd si hæsitasset, poterat cum turba tacite Christum usq; in ædes archisynagogi cõcomitari, & uidere quod ibi esset uirtutis suæ specimen daturus. Verũ nihil horum legimus. Tantum ad auditam de Christo famam approperat, & iuxta concepta de illo fiduciã mox atq; licuit uestimentũ eius magno et ardẽti affectu nihil hæsitabunda contingit, id quod signũ est constantis fiduciæ. Vnde & uoti sui compos euasit. Ideò dicit Euangelista.

Et confestim siccatus est fons sanguinis eius, & sensit corpore quod sanata esset ab eo flagellã.

Q. d. Nec fefellit eam concepta de Iesu fiducia, sed quemadmodum credidit sanam se fore, si uel uestimenti illius fimbriam duntaxat tangere liceret, ita & illi contigit, ut & hic uerum sit illud peculiare dictum Christi, fiat tibi secundũ fidem tuã. Et ut uirtutem Christi commendet, non dicit, cœpit melius habere, sed siccatus est prorsus fons sanguinis eius, idq; confestim. Deinde non hoc solum, sed & natiuum corporis uigorem mox esse restitutum, ita ut sentiret mulier se iam ex omni parte sanatam esse. Ista diuinam omnino uirtutem prædicant.

Et statim Iesus in semetipso cognoscẽs uirtutem ex sese prodisse conuersus in turba, aiebat: Quis tetigit uestimẽta mea?

Mulier non solum pro sexus, sed & morbi sui ratione ex pudore retro clanculum accesserat, & quasi suffurata fuerat hoc adeptæ sanitatis beneficium. Christus uerò partim propter celebrãdam gloriam & uirtutem Dei, partim propter imbecillem Archisynagogi fidem corroborandam, non passus est quod actum erat, latere, sed exigens & morbi confessionem & agnitionem accepti beneficij, quærit & elicit eã à quo fuerat cõtactus.

Vides turbam undiq; prementem te, & dicis, quis me tetigit?

Discipuli ostendunt his uerbis, se non intelligere mentem Christi. Dicunt: uides turbam undiq; prementem te, & dicis, quis me tetigit? quasi Christus ignorauerit à turba se premi, & non magis de alio quodam singulari contactu quæsierit.

Mulier uerò timens ac tremens, sciens quod factum esset in se, uenit & accidit ei dixitq; ei omnem ueritatem.

Tametsi ex pudore egerat occulte, quod egerat, nõ malo animo, tamen cum uideret Christum non latere quod ipsa adeò commiserat occulte, sed & circunspicere, ut uideret eam quæ hoc fecerat, compulsa cõscientiæ ui, licet timens ac tremens, ne forte uel quidpiam esset exprobraturus, uel beneficiũ repetiturus, prodit è turba, & ante pedes Christi procidit, confitens omnem rei ueritatem ex animo, cunctis qui aderãt audientibus.

Ille autem dixit ei, filia, fides tua te seruauit. Vade cum pace, & esto sana à flagello tuo.

Matthæus & Lucas habent: Confide filia. Hoc est, esto bono & securo animo, nihil metuẽs. Viderat enim eam timentẽ ac trementẽ, unde his uerbis eã consolatur, cum quod iubet esse securã, tum quod uocat filiã, id est eam prò sua agnoscit. Deinde, ut in ea qua uenerat, illã fide cõfirmaret, & Archisynagogum quid credere deberet, admoneret, dixit: fides tua te seruauit. Hoc est, ea fiducia, quam tibi de me concepisti, effecit ut sanitatem sis iam adepta. In ea facta es sana, in ista persiste.

Voluit ergo Dominus hanc mulieris istius fidem in medium propter exemplũ producere, uelut egregiam, ut confunderet stupiditatem Pharisæorum & Scribarum, imò etiã eorũ qui ex Iudæis docti in lege, in ipsum & si credebant, tamen imbecille credebant. Ita producebat fidem mulieris Chananeæ. Ita dilectionem mulieris peccatricis in domo Symonis leprosi, Lucæ 7. Ita fidem Centurionis Matth. 8.

QVAE SINT EX HAC HIstoria notanda.

Vsus huius historiæ bifarius erit. Primum uidebimus ea quæ attinent corporis & morbum & sanitatẽ. Deinde migrabimus ad morbos & curationem animorum.

Primo. Notandum est, quod morbus huius mulieris 1
uocatur & ab Euangelista & à Domino, flagellum. Quod sanata esset inquit, ab eo flagello. Item & esto sana à flagello tuo. Sumitur autem flagellum pro uirga disciplinæ, qua suos Deus in hoc mundo, quos diligit, castigat, iuxta illud: Visitabo in uirga iniquitates eorũ, & in uerberibus peccata eorũ. Atq; ideò legimus Ebr. 12. eandem dictionem quam hic, ubi Apostolus dicit: μάστιγοι δὲ πάντα ὑὸν. Et hic: ἀπὸ τῆς μάστιγός σου. Admonemur ergo hoc loco, ne putemus si in morbos inciderimus, fortuitu illud & casu accidere, sed esse flagellum Domini, hoc est disciplinam patris nostri 2

Deinde, perpendamus qualis fuerit morbus & quale flagellum: nempe fluxus sanguinis, talis, qui totũ corpus paulatim confecerit & deiecerit, ita ut curari nequiuerit. Iam hoc quid est aliud, quàm immutatio naturæ, ab eo quod datum erat ad sanitatem & corporis sustentandi uigorem in mulieribus, in perditionem corporis & omnis sanitatis ac uigoris? Admonemur ergo hoc loco, ut ijs quæ naturæ nostræ constitutionẽ concernunt, probè utamur & grati simus, agnoscentes in illis Dei beneficia, ne nostra temeritate digni reddamur, quibus quæ ad salutem data erant, uertantur in perniciem uel plane auferantur. Plurimũ hac in re delinquitur. Abusus donorum Dei magnus est. Hinc & plurimum inuersionis uidemus, ita ut propè omnia, quæ in se bona sunt, in perniciem nobis uertantur, uxor, liberi, facultates, bona corporis, bona animorum, &c.

Tertio. In eo quod à nullis medicis potuit curari, 3
sed omnia frustra in illos insumpsit, ita ut non solũ nõ sit curatus, sed etiã auctus morbus. Admonemur, nihil esse

medicorum operam, nihil illorum posse industriam, nisi adspirante diuina uirtute. Imò sine ope Dei omnia reddi deteriora, ut agnoscamus quàm uerum illud sit: Domini est salus. Atqui nemo est, qui hoc ignorasse uelit. Verum ipsa Dei dispensatio satis ostendit, quàm raro, & quàm non ex animo istud perpendamus. Manifestum est, quàm studiose quæramus idq; primo loco, medicorũ operam. Nam mox atq; morbus corripuerit, ad medicos mittitur, Dei nõ talis est cura. Proinde iusto Dei iudicio fit, ut sæpenumero tam absit, ut per medicos iuuemur, ut etiam omnia reddãtur peiora, idq; magnis sumptibus factis, id quod pulcherrime hoc exemplo uidemus. Non unũ tentauit medicum, sed mox atq; aliquem nihil efficere sensit, deq; aliquo alio audiuit, illi se quoq; addixit. Atq; huc nonnullorum medicorum improbitas non parum facit, nihil nõ promittentium, & parũ præstantium, duntaxat exugant pecunias. Ita culpatur Asa, Asa 2 Para. 16 quod nõ Dominũ, sed medicos quæsierit. Non enim propterea flagellat nos Dominus, ut aliò curramus, sed ut ad ipsum, qui nos flagellat conuertamur.

Ista tamen non ideò dicuntur, ut prorsus medicos contemnamus, cum medicina & ipsa sit donũ Dei, unde nos scriptura monet, ut medicos honoremus propter necessitatem. Vide Ecclesiastici cap. 38. Sed ut quod primum est non omittamus.

4 Quarto. In eo quod dicit: si uel uestimentum eius tetigero, salua ero. Quærendũ qua ratione mulier nõ contenta inuisibili fidei tactu, corporalem etiam & sensibilem uestimenti Christi tanto desiderio ambiat. Certè non ideò, quod aliàs saluari non potuerit, cum omnis salus in una sit fide constituta, & hic Christus non dicat: Contactus uestimenti mei saluam te fecit, sed: fides tua saluam te fecit. Quam uidelicet & ante contactum habuit. Cur ergo quæsiuit tantopere uel uestimentũ Christi cõtingere? Absq; dubio gestiebat Christo appropiare, seseq; pedibus ipsius applicare, & quàm enixissime pro beneficio sanitatis obsecrare. Verum uincebat pudor fœmineus, qui in ea propter morbi genus auctior erat, ut non fuerit ausa coram illum accedere & appellare. Cum ergo tantum de eo fidei concepisset, cogitabat. Etiam si non audeas in faciem eum accedere & cõpellare, accedes tamen retro, & tanges uel uestimẽtum eius. Tantæ siquidem est sanctitatis, ut uel ex uestimenti ipsius contactu sanitatem sis adeptura.

Atq; hic affectus hinc nobis est, quod adhuc corporei sumus. Tametsi enim fidem habeamus, & fides una coram Deo satis sit, ita tamen comparati sumus, ut non sola fide, uel solo fidei sensu, & tactu cõmertium rerum diuinarũ quæramus, sed & corporeo & uisibili, quoad eius fieri licet. Cum ergo cuperet mulier aliquo pacto applicari Christo, & ex eo sanitatem adipisci, putabat se sanam fore, si aliquid eius posset contingere, cuius contactu aliquid esset ad se tanquàm medio instrumento de uirtute Christi peruenturum. Eam nanq; credebat esse Christi sanctitatem, ut omnia illius essent sanctissima & saluberrima. tantam uidelicet de illo sibi conceperat æstimationem. Ad eum modum faciebant & illi, qui Act. 5. ægrotos suos in uicis exponebant, ut uel umbra prætereuntis Petri eos cõtingeret, & curarentur à languoribus suis. Item & illi qui Act. 19. sudariola & succinctoria Pauli ægrotis imponebant. Ita & Luc. 6. Omnis turba quærebat eum tangere. Quia uirtus de illo exibat, & sanabat omnes. Et quia ista omnia nulla alia fide agebantur, quàm quæ esset in Christum, & uirtus Christi esset declaranda orbi, factum est, ut uoti cõpotes euaserint. Hinc tamen non erit probanda illa mundi superstitio, quæ à plerisq; exercetur cum reliquijs sanctorũ. Est quidem hoc innatum hominibus, ut chara habeant ea, quæ aliquo pacto ad eos pertinuerunt, quos admirantur. Peculiarem uerò illis uirtutem & cultum superstitiose addicere, hoc est quod improbatur. Atq; hoc hominum affectu abusi sunt, qui quæstum in Ecclesia Christi sectati sunt, & ex domo Dei spheluncam latronum fecerunt. Quid ex tunica Christi, quid ex clauibus tentauerint, omnibus hodie notum est.

Superstitio uerò ista, non potest melius deprehendi, quàm in eo, quod ea quæ Christo & uiciniora sunt, & magis propria, & nõ corporis, sed mentis ipsius nobis reliquias exhibent, non adeò complectimur, atq; ea quæ corpori ipsius contigua fuerunt, uel saltem fuisse finguntur. Vtpote uerbum ipsius, quod non extrinsecus corpori adhæsit, sed ex ipsis animi & cordis penetralibus emanauit, non eo desiderio amplectimur, atq; tunicam illam, quam Christi fuisse homines auari & impostores commenti sunt. Tale est etiam quod reliquias sanctorũ, beatæ uirginis, Petri & Pauli apostolorũ, Euangelistarum, & c. tanto honore uenerati sumus, neglectis illis reliquijs quæ ex mentibus eorum prodierunt.

CONTACTVS FIDEI.

Quinto. In eo quod Christus dicit: Quis tetigit uestimenta mea. Obseruandum est, quis sit sensus Christi, quo tangentes se agnoscit. Premitur à turba, testibus discipulis, nedum tangitur, & tamen nõ dicit se tangi, sed quasi stupidus tacet ad eam pressuram, quam à turba patiebatur, nec aliquid uirtutis exijsse de se commemorat. Mox uerò atque mulier ista accesit, nec premens, nec corpus eius uel leuiter sed uestimentum, imò uestimenti duntaxat fimbriam contingens, subsistit, & conuersus quærit à quo sit contactus, sensisse nanq; se uirtutẽ emissam. Quid quæso nobis hic aliud cõmendatur, quàm excellentia fidei. Quam uidelicet potens sit fidei cõtactus. Ad contactum turbæ nulla uirtus egressa commemoratur, ad contactum uerò mulieris huius mox egreditur, mox sese exerit. 5

Videmus hoc spectaculo, imaginẽ Ecclesiæ nostræ. Nam & nos turba quædam sumus Christum sequens, & sequendo premens, quoties uerbum ipsius contingimus uel ore uel aure, quoties ad mensam ipsius accedimus. Plurima turba est quæ Christũ premit, ad quam tamen nulla uirtus, nullus contactus huius fructus egressus esse legitur. Vna mulier fide prædita oram uestimenti eius contingit, & uirtute Christi saluatur. Ad eum omnino modum pauci sunt, qui pura fide uerbũ Christi, & corpus Christi contingentes refocillantur. Reliqua turba Christo molesta est non contingens, sed premens. Ita molesta erat turba Iudæorum Deo tempore ueteris testamenti

menti corpore terens tabernaculum eius, & oblationes frequentans sine corde, sine fide. Vt est Esa. 1.

Admonemur ergo, ut si cum fructu, cum pace, & quieta conscientia læti uoluerimus domum reuerti, ut Christum contingamus uera fide, syncero & recto cordis affectu, hoc est, ut uerbum eius non aure tantum corporis, sed & cordis: corpus eius non in sacramento tantum, sed & fideli mente contingamus & apprehendamus. Est enim talibus etiamnum parata Christi uirtus. Nondum obstupuit iste Christi sensus. Velles more mulieris huius ipsius contingere uestem? Parum est. Potes corpus ipsius amplecti. Nam seipsum tibi palpandum, imò uescendum præbet. Potes cor & animum eius complecti, quoties uerbum eius fide amplecteris. Potes ipsum habere habitatorem tuum. Potes esse membrum corporis ipsius. Vide quàm parum sit uestem eius contingere, cum ista tibi liceant, multo maiora. Ipsum Christum induti sumus quotquot baptizati sumus. Gala. 3. Habemus illum in nobis habitantem, si fidem in illum puram atq; integrã seruauerimus. Ephe. 3. Si dilexerimus. Ioan. 14. Ita uidelicet gaudet fide Christus.

6 Sexto. Notandum est, quare dicat, fides tua te saluam fecit, cum tamen illam uirtus egressa de ipso, sanam reddiderit? Vnde & dicebat: Sentio uirtutem ex me prodisse. Nam reuera uirtus Christi sanabat omnes, quot-
Mar. 6. quot sanabantur. Vnde & Lucæ 6. legimus. Quia uirtus de illo exibat, & sanabat omnes. Etenim si fides hoc potuisset per se, cur non fuisset sanata fide, antequàm ad Christum appropiasset? Cur ergo dicit: Fides tua te saluam fecit, & non magis, uirtus mea te saluam fecit? Du-
1 plex huius est ratio. Vna est, quod tametsi uerũ sit uir-
Prima ratio. tutem Christi solam mulierem hanc sanasse, quemadmodum & reliquos: quia tamen ista Christi uirtus talis est, ut nemini cõtingat, neminem saluet nisi cui adfuerit fides, & fides sola talis sit, quæ uirtutis Christi sit capax. Recte dicitur hæc mulier sanata esse per fidẽ, quam habebat in Christum. Oportet itaq; ista duo coniungere, fidem scilicet & uirtutem Christi. Vtut enim magna sit uirtus Christi, nemini tamen sese exeruit incredulo, ut est Mar. 6. Vbi legitur non potuisse multas uirtutes facere in patria sua propter eorum incredulitatem. Rursus, nisi esset uirtus Christi & immensa bonitas, inanis esset omnis in illum fides. Cum ergo ista ita habeant, relinquitur fidem & uirtutem Christi habere se inuicem correlatiue, ita, ut recte dicatur hæc mulier per fidem esse saluata, cũ tamen uirtus Christi hoc fecerit, & rursus eadẽ ratione posit dici uirtute Christi saluata, cum tamen sine fide non fuisset uirtute Christi saluata.

Ad eum modum sentiendum est & de fide & gratia uel bonitate Dei. Fide dicimur saluari in Christo Iesu, cum tamen reuera per gratiam & misericordiam Dei saluemur. Vnde Paulus dicit Ephe. 2. Per gratiam estis seruati. Et Tit. 3. Secundum misericordiam suam saluos nos fecit. Verum quia nemo incredulus per gratiam Dei saluatur, nemo sine fide bonitatis Dei particeps esse potest. Ebr. 11. Et necesse est, ut ipsa Dei gratia, bonitas & misericordia fide apprehendatur in Christo Iesu, sit ut fidei adscribatur salus & iustificatio. Habet autem se fides correlatiue ad gratiã & misericordiam Dei, ita ut nulla earum sine altera prosit. Atq; ideò Paulus cum ad Ephe. 2. semel posuisset, per gratiã estis seruati, ne putant illud sine fide factum uel fieri posse, mox idem resumens, dicit: Gratia enim seruati estis per fidem.

Item & Psal. 21. posteaquàm positum est, quibus beneficijs Deus affecisset regem, & subiuncta esset ratio: nempe, eò quod rex fiduciam suã collocasset in Deum, mox subditur, & per bonitatem altissimi non est motus.

Ista bene notanda sunt propter iustitiarios, & gratiæ Dei hostes. Nam etiamsi fides dicatur tanta posse coram Deo, non tamen est putandum hoc propter meritum aliquod & dignitatẽ fieri, sed propter solam Dei gratiam, bonitatem & misericordiam, ut salua maneat gloria gratiæ Dei. Mundus non sustinet agnoscere, quomodo fide Christi saluemur. Id quod non est aliunde, quàm ex eo quod ingenium bonitatis Dei, & æternum illud consilium & mysteriũ, per Euangeliũ inuulgatum non agnoscit, quod nõ potest nisi syncera fide cognosci.

Deinde magno consilio factum est à Christo ut non Altera ratio.
diceret: Virtus mea te saluauit, sed fides tua te saluam fecit. Nempe ideò, ut mulierem hanc in ea fide confirmaret, ostenderetq; hanc esse uiam acquirendæ salutis, & participandi de uirtute illa sua diuina, ut uidelicet syncera fiducia ei adhæreamus. Id quod non fecisset, si dixisset: uirtus mea saluam te fecit. Prædicasset quidem uirtutem suam, uerum uiam apprehendendæ illius non commendasset, quod maxime fieri necessarium erat. Nam absq; dubio mulier alioqui sciebat uirtute Christi se saluam esse factam. Hoc uerò mysterium, & hanc potentiam fidei, nondum sciebat. Quæ mihi foret utilitas, Simile.
si potens ac diues quispiam, ubi magna quæpiam & splendida designasset. diceret: potentia & opulentia mea ista fecit, id quod ego alioqui non ignorarem, nisi ostenderet uiam, qua possem potentiæ & opulentiæ eius particeps fieri? Mundus non ignorat multa magna & præclara fieri per uirtutem illam Dei omnipotentem. Viam uerò participandæ illius non nouit. Proinde, ut una ista salutis acquirendæ uia, fides scilicet commendaretur, dicit: Fides tua te saluam fecit, id quod sæpenumero facit, nusquàm non commendans fidem.

De eo quod dicit, Confide filia, dictum est suprà initio huius capitis, in historia paralytici.

ALTER HVIVS HISTORIÆ USUS.

Quanquàm quæ de muliere ista ab Euangelistis scribuntur corporalem morbum & sanitatem concernunt, quia tamen medicum hic habemus, quo usa est, non corpora duntaxat, sed & animas, imò animas potissimum curantem, non abs re fuerit perpendere etiam ea quæ curationem animorum spectant. Nam ipse cursus historiæ ultro nos ad hoc inuitat.

Primo, Mulier ægrota, sanguinis fluxum tot annos passa, pulchrè nobis depingit eum peccatorem, qui concupiscentiæ, delitiarumq; fluxu laborat, ita ut nisi curetur, tandem sit periturus. Talis tamen ille sit, qui &

morbum sentiat, & curationem exposcat. Quemadmodum hæc mulier nihil omisit, quo ab hoc fœdo morbo curaretur. Sunt enim quidam peccatores, qui cum turpiter peccatis laborent, peccatis tamen nõ præmuntur, nec illis liberari cupiunt. Ergo eum nobis peccatorem hæc mulier, & eam conscientiam repræsentat, qualis est eorum, qui iudicio & lege Dei in agnitionem & detestationem peccatorum deducti sunt, liberariq; cupiunt.

Quantus fuerit feruor & uotum quærendæ & acquirendæ salutis ac sanitatis in hac muliere, in eo patuit, quod tot medicos experta est. Qua in re satis declarauit, se nihil omisisse, quo ab hac fœditate liberaretur. Ad eum omnino modum, & multo amplius aguntur illi, qui peccatorum agnitione & pondere premuntur. Perpendamus itaq; quomodo hac in re deficiamus. Certè sine sensu peccati, non est sperandũ remedium. Quot eorum
" sunt qui cum de peccato in peccatum proruant, nullum tamen peccati morsum sentiunt? Imò qui omnem admonitionem contemnunt. Simul hic notandum est, quomodo consilio dei pactum sit, ut hæc mulier, quia fluxũ peccati & concupiscentiarũ non sensit, sentiret flagellum: nempe fluxum sanguinis, atq; uel hoc pacto ad Christum cogeretur, uelut ad medicum.

2 Deinde, quod hæc mulier sanitatis cupida nullũ non experitur medicum, & eos potissimũ patitur, per quos non solum non iuuatur, sed magis atq; magis perditur, illustrissimo exemplo repræsentat eam sortem, quã hactenus passi sumus, & quidam etiamnum patiuntur, in eo, quod medicis nos concredidimus, qui non solum non iuuarunt, sed morbos nostros peiores etiam reddiderũt. Neq; enim ad eum nos duxerũt medicũ, qui unus est saluator, & qui in hunc mundum uenit peccatores saluos facere, qui à patre ad hoc missus est, ut populum suum liberet à peccatis suis, sed traditionib. humanis, uelut corruptis & inanibus pharmacis curare nos conati sunt, magna promittentes, nihil præstantes, tales, de quibus legitur 2. Pet. 2. qui cum sint serui corruptionis libertatẽ
Augast. tamen promittunt, de quibus Augustinus dicit super Canonic. Ioh. tract. 1. Fratres, Iesum Christum iustum habemus aduocatum apud patrem, ipse est propiciatio peccatorum nostrorũ. Hoc qui tenuit hæresim non fecit, hoc qui tenuit schisma non fecit. Vnde enim facta sunt schismata? Cum dicũt homines nos iusti sumus: cum dicũt homines, nos sanctificamus immundos, nos iustificamus impios, nos petimus, nos impetramus. Quid hoc est aliud dicere quàm, eatur ad nos. Nos sumus medici, nos possumus curare animos peccatis laborãtes. At quid effecerunt? Morbum reddiderunt duplo peiorem, inueteratum iam, & incurabilem.

Tales erant & in ueteri testamento illi, de quibus Christus Mat. 23. dicit. Væ uobis scribæ & pharisei hypocritæ, quia circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo magis quàm uos estis.

Recurramus ad priores nostras tenebras, & perpendamus, quæ fuerit angustia, quæ incertitudo pacificandarum conscientiarum, an non pari modo prorsus quo hæc mulier quouis usa est medico, ita & nos quosuis uel tantillum promittentes usurpauerimus. Deinde quàm uaria nobis pharmaca dederint.

3 Tertio, quod dicitur hæc mulier omnia bona sua expendisse in medicos, præsagium iam tamen erat, quales nos habituri essemus medicos, & quàm nihil nõ à nobis extorsuri essent, magnifica promittentes. Ita ut non minus nobis dici iam queat, quod populo suo deus dicebat: Esa. 55. Quare expenditis argentum uestrum, & non in pane, & laborem uestrũ, & nõ in saturitate &c. Quid est emere non panem, & illud quod saturare non potest, aliud quàm omnia expendere in philosophorũ somnia, & hypocritarum nugamenta, traditiones uidelicet humanas nomen habentes medicinæ, rem uerò ipsam nemini præstare ualentes?

Iam quæso quæ est ista insania, quod cum nullis bonis pepercerimus ad acquirẽdã illa falsa pharmaca, iam uera & cœlestia ne gratis quidem accipere sustinemus? Studium erat bonum, licet accesserit error.

4 Quarto. Quod mox atq; de Christo audiunt fide in illum concepta, consilium cœpit accedendi eum, duorũ nos admonet. Vnum quod fides sit ex auditu, de quo legimus Rom. 10. Alterum qui sint illi, qui ad auditionem Christi spem ac uotum salutis concipiunt. Nempe, quos peccatorũ conscientia constringit, & totis uiribus peccatis liberari cupiunt. Hos ad se uocat Christus Mat. 11. Venite ad me omnes qui laboratis &c. De Christo absque dubio multi audierũt. Verum nõ omnes illi sese applicuerunt.

Profuit ergo mulieri huic experientia medicorum inanium, & propè desperata salus ita nobis prodesse debebat ineffabilis illa calamitas, quam in papatu experti sumus, quo eo citius ad auditum Euangelij Christo uerò medico nos addiceremus.

De contactu Christi, qui per fidem, & salubris est, iam antè diximus. 5

Quinto. Quod uirtute Christi fons sanguinis sistitur, atq; ita mulier curatur ac sanatur, exemplum habet animi per Christum curati, in quo fluxus ille peccatorũ & concupiscentiarum sistitur. Quemadmodum itaque mulier tum sanata fide per uirtutẽ Christi dicitur, quando repressus est fons sanguinis, ita animus peccatis laborans, tum demum sanatus dici debet, quando fluxus ille peccatorum cohibitus est.

Imago spiritalis ac ueræ sanitatis est in hac corporea sanitate. Et notandum, quod ferè ubiq; est uerbum sanandi, ubi uersum legimus. Soll selig uuerden Mat. 1. Mar. ult. Luc. 19. 1 Timo. 1. 1 Cor. 1. Hinc Christus saluator dicitur, hinc medicus. 6

Sexto. Ponderandũ est, quod dicitur hæc mulier sensisse corpore se esse curatam. Hic sensus acceptæ sanitatis animaduertendus est in eis, qui à Domino saluantur. Oportet enim omnino ueram esse Christi medicinam.

Animaduertendus est autem non more hypocritarũ & iustitiariorum, qui dicũt: Gratias ago tibi Domine, quod non sum sicut cæteri hominum &c. Qui mox atq; externis & crassioribus uitijs sese non esse obnoxios uiderint,

derint, putãt omnia esse salua. Considerandum est, quod hic dicitur exarefactus esse fons sanguinis uirtute Christi. Non solum stetit fluxus, sed arefactus est ipse fons. Cor mundum non hoc dicimus, quod grauia & enormia peccata in publicum quidem non emittit, radicem tamen eorum uitrinsecus fouet, sed quod & in ipsis penetralibus expurgatum est.

OBIECTIO.

Sed dicis. Atqui hoc pacto neminem reperies in hac uita à Christo liberatum à peccatis. Verum est. Ita subito non tollitur malum. Primo quidem tollitur reatus. Deinde progressus mali sistitur, & innoxium redditur. Vide Roman. 6 Postea quotidie magis atq; magis enecatur, id quod tum consummabitur, quando corpus peccati telluri subditum fuerit. Nihilominus uirtutẽ & efficatiã Christi ueram esse, & sentiri, in eo, quod nõ hoc modo temere delinquit ab ipso curatus, quo solent huius seculi filij.

7 Septimo. Exigitur confessio & morbi, & acceptæ sanitatis, ad laudem & gloriam Dei, ut innotescat uirtus Christi. Ita Paulus confitetur se fuisse blasphemum, 1 Tim. 1. & 1 Corin. 15. Hac in re peccarunt nouem illi leprosi, Lucæ 17.

8 Postremo. Quod mulier timens ac tremens audit. Confide filia, fides tua te saluam fecit. Consolatio est & corroboratio conscientiæ uirtute Christi sanatæ, quæ nobis subinde necessaria est. Primũ ut de accepta salute certi reddamur, deinde ut admoneamur nullis nostris meritis, sed licet fide nostra, gratia tamen & uirtute Christi nos esse saluatos.

Ad eum modũ & Luc. 7. tametsi dimissa iam essent mulieri peccatrici peccata, dixisset q; de illa ad Symonem Christus. Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multũ. Tamen ut illam huius certã redderet, & mœrentem solaretur, dicebat ad eam: Dimissa sunt tibi peccata tua. Ista uerò consolationis huius uerba, nempe. Bono animo esto filia, fides tua te saluam fecit, uade in pace, & esto sana à flagello tuo, nulli conscientiæ accommodari possunt, nisi credentis. Vbi fides in Christum nõ est, ibi ut dici nõ potest, fides tua te saluam fecit, ita neq; dici potest: Esto bono animo, uade in pace: esto sana à flagello tuo. Vna fides horum est particeps, extra quam, ut nõ est salus, ita nulla est conscientiæ uera pacificatio.

Obseruandum uerò fuerit hoc loco propter infirmas conscientias, quomodo fides huius mulieris, licet egregia & efficax, adiunctum tamen habeat timorem ac tremorem, ita, ut necesse habeat à Christo consolari, pacificari & confirmari. Vnde uerò erat ille timor ac tremor in hac muliere? Erat sibi ipsi conscia propriæ infirmitatis, sciebat immeritam esse tanti beneficij, timebat illius amissionem ac repostulationem. Timor ac tremor mulieris.

Ad eum modum omnino & infirmis conscientijs fidelium usuuenire solet. Licet enim credant in Christum, & uirtute Christi sint salui facti, tamen adhuc non planè immunes sunt à timore iusti Dei iudicij, eò quod sciant quàm sint indigni hoc tanto Christi beneficio, quàm iure possent illo priuari, quæ & quanta queant sibi opprobrari. Istos sanè non est dicendum carere fide. Nisi uelimus & hãc mulierem dicere, sine fide fuisse, cum timeret ac tremeret. Proinde male habent quorundam conscientiæ plus æquo securæ & temerariæ, nullo timore Dei præditæ. Contra istas est admonitio Pauli, Rom. 11. Tu uerò fide constitisti. Ne efferaris animo, sed timeas. Nam si Deus naturalibus ramis nõ pepercit, uide ne qua fiat, ut nec tibi parcat. Et Phil. 2. Cum timore ac tremore uestram ipsorum salutem operemini. Periculosa est igitur ista & temeraria cogitatio: Saluus iam sum per fidem in Christum. Nihil est amplius periculi. Sum animo bono & securo. Nequeo amittere quod semel accepi. Certè talis non erat mulieris huius cogitatio, tametsi fidem haberet, & fide sanitatem iam adepta esset, adeptamq; in corpore suo probe sentiret. Ita eorum qui uerè credunt, qui uerè per fidem saluati sunt, quo magis sentiũt ineffabile illud salutis donum, hoc amplius humiles sunt, timentes ac trementes. Atq; istos reuera confirmat spiritus Christi, iubens esse animo bono, & pacifico.

Verum oportet ante eam consolationem præmittere confessionem, humiliari ante pedes Christi, dare Deo gloriam &c. Qui magna beneficia à magnis ac potentibus principibus sumpserunt, si sapiunt nõ eo reddũtur insolentiores, sed humiliores, ac maiore timore ac tremore erga benefactores suos præditi sollicite cõuersantur. 1 Qui magni oratores, quo sunt eloquentiores, hoc maiore timore & tremore orationes suas ordiuntur. 2 Id quod & de Cicerone legitur.

Qui thesauros ingentes in uasculis infirmis portant, 3 non sunt temerarij, nõ insolescunt, sed quo magis agnoscunt, quantum gestent thesaurum, & quàm ipsi sint imbecilles, hoc magis timent ac tremunt.

Ita reuera, qui uerè credunt, uerè per uirtutẽ Christi cœlestem illum thesaurũ adepti sunt, salui facti sunt, gratiam nacti sunt, eo sunt maiore timore ac tremore præditi, eò magis opus habent, ut coram Christo procumbant, omnemq; ueritatem confiteantur, quatenus in acceptis beneficijs confirmentur.

Atq; huc pertinent etiam ipsa Christi uerba, quæ ad consolationem ac confirmationem mulieris huius dicit: nempe: Et esto sana à flagello tuo. Tametsi enim dixisset: Fides tua te saluam fecit, ut & reuera salua iam facta erat, seq; sanam esse corpore sentiebat, certa tamen salutis huius non erat, ita ut auferri nequiret. Oportebat tamen eam agnoscere ita quidem acceptam, ut quæ semper posset auferri, unde subdit: Esto sana à flagello tuo. Nõ dicit: Es tu sana à flagello tuo, uel: Quia iam es sana à flagello tuo. Sed esto, id quod consentientis & confirmantis est. Non est quod antea in eam muleris huius sanitatem Christus non consenserit, quasi à se fuisset inuito ablata. Sed quod ita opus erat animo mulieris timido ac tremẽti, rationibus istis, quas supra assignaui: nempe, ut salutis acceptæ redderetur certa, et sciret esse beneuolẽtiæ Christi donũ, quod potuisset etiã acceptũ auferre.

Adhuc eo loquente, ueniunt à principe Synagogæ, qui dicerent: filia tua mortua est, quid ultra uexas magistrum?

Supra cõmemoratum est, quæ fuerit archisynagogi

istius fides, quàm infirma & imbecillis. Deinde quomodo exemplo mulieris prædictæ, uirtute Christi & fidei interuentu curatæ, nonnihil sit erecta. Iam uerò narratur quomodo rursus per eos, qui mortuã iam esse filiam ipsius annunciabant, & de non uexando amplius Christo admonebant, sit deiecta & debilitata. Quid enim aliud erat, quod dicebant: Filia tua mortua est, quid ultra uexas magistrum? quàm deploratum est, amissa est omnis spes. Cum uiueret, poterat, si præsens fuisset, manumq; adhuc spiranti imposuisset, ægrotam forsan erigere. Verũ cum iam sit mortua, irrita sunt omnia. Quis enim suscitabit mortuam? Proinde nihil opus est, imò stultum est ultra uexare magistrum.

Tentatio fidei.

Exemplo isto nobis depingitur tentatio fidei, quomodo illa iudicio & sensu rationis impugnetur. Vix erat exemplo mulieris nõnihil erectus, maxime per uerba Christi dicentis: uade in pace, fides tua te saluam fecit, ita ut paulo maiora mente inciperet de Christo concipere. Verum nondum eò peruenerat, ut agnosceret uirtutem Christi tantam esse, quæ etiam mortuos suscitaret, nec dum sciebat filiam suam iam esse mortuam, sed eam adhuc uiuam ad reditum suum fore sperabat. Et absq; dubio, non parum metuebat, ne moreretur antequàm domum suam magistrum adduceret. Ita habenti etsi paululũ erectæ, imbecillæ tamen adhuc fidei, mox occurrit tentatio ad desperationem sollicitans, tanto fortior, quanto, quod antea metuerat iam certo adnunciabatur. Ipse alioqui cogitabat: Si mortua fuerit filia, antequam domum ueneris, frustra adduxeris magistrum. Quum uerò nuncij idem occinerẽt, & quasi metum & hæsitationem ipsius confirmarent, quomodo non fuisset sollicitatus ad desperationẽ? Dicebant: Quid ultra uexas magistrum? Mortua est iam filia tua, restitui non potest, dimitte magistrum, ut abeat.

In huiusmodi tentatione põdus est & grauitas, quod non solum interne laborat, & luctatur fides cum ratione ac diffidentia, id quod alioqui graue bellum est per se. Sed quod & externe accedit aliorum calculus, & testimonium, non pro fide, sed pro diffidentia decernens, ut quod iste non solum apud se cogitabat, morietur forsan filia, antequàm magistrũ domum abducas. Sed etiam per domesticos suos, id iam factũ esse audit, deinde quod non solum putabat penes se, si mortua fuerit puella, uanam futuram esse Christi præsentiam, sed quod & à suis iam externe audit, se frustra magistrum, mortua filia, uexare.

1 Similis est tentatio, quando conscientia infirma, tentatur penes se ipsam interne, uanum esse, si quis Dei & iustitiæ rationem habeat, pietatiq; studeat, si talia cogitanti, uel in istis laboranti nebulo quidam homo impius suggerat: Ecquid te ipsum crucias, & probitati studes. Vanum est quod moliris. Nulla istorum apud Deum est ratio, &c. Tale quid legimus Malach. 3.

2 Tales erant Pseudapostoli conuersis Iudæis tẽpore Pauli.

Rursus non dissimilis est tentatio, quæ contingit infirmis conscientijs in articulo iustificationis. Hic ægre creditur hominẽ iustificari coram Deo sola fide in Christum. Semper recurrit, per bonorum operum merita nos oportere saluari. Istis conscientijs, quid aliud sunt iustitiarij nostri operum prædicatores, quàm quod hic sunt principi synagogæ domestici isti nuncij?

Ad eum modum & se habet cum istis, qui cum sint 3
præ cæteris habiti loco doctorum ac piorum, tamen turpiter uiuunt, nõ aliter, quàm si articulus & fides resurrectionis futuræq; uitæ, merum esset & inane commentum humanæ superstitionis, ut nostri sacrificuli, & qui primores in Ecclesia habentur. Isti quæso quid obijciũt infirmis fide, & alioqui in his articulis luctantibus ac laborantibus? Quid aliud, quàm posteaquàm mortuus fueris, mortuus eris, nec poteris reuiuiscere. Nulla est post hanc uitam alia. Quid ultra tibi & alijs molestus es? comede & bibe, cras enim morieris. Nam tametsi uerbis ista non dicunt, ipsa tamen uita nihil aliud prædicant, quàm comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Si uerum est, quod Paulus 1 Corinth. 15. dicit: Corrumpere bonos mores colloquia praua, quid nõ poterit conuersatio praua?

Item. Talis est tentatio, quæ per Anabaptistas infirmis conscientijs obijcitur, in eo quod nõ permittunt eos esse Christianos, cum dicunt: Si Christianus esses, iam prorsus omnino sine peccato esses, nec posses peccare, essesq; plane mortificatus, & præcepta Christi plene seruares. Iam quia ista non facis, quomodo audes te Christianum dicere? Rarissimus est, qui Christianus sit. Videre uelim aliquem Christianum, & quæ huiusmodi sunt. Cum ergo is qui infirmus est fide, & sibipsi alioqui sordet, nihil aliud antea iam penes se cogitet, & mente uoluat anxius, quàm se non esse uerè Christianum, nec dignum, qui inter Christianos connumeretur, quid aliud hic dicitur & obijcitur, quàm uanum est omne studium pietatis. Nihil commune habes cum Christo, desine ab hac spe, &c. & plane relinque Christum, tanquam ad te non pertinentem?

Item quando infirmis ad cænam Domini accedentibus dicunt: Quomodo audes ad cænam Domini accedere? Es tu ne hac mensa dignus? Nescis quid huc requiratur? Paratus es pro Christo mortem subire? paratus es omnia communicare cum fratribus? paratus es ad perfectionem uerè dilectionis? An eum ignoras iudicium manducare, qui indigne manducat? Cum igitur alioqui hac de re sint penes seipsos anxij, qui conscientia sunt infirma, & non disparia penes se musitent, quid isti aliud faciũt externe ista obijcientes, quàm quod eos plane ab hac communione absterrent, & in hæsitatione sua confirmant?

Sed quomodo succurretur istis? Nimirum eo modo, quo Christus huic principi Synagogæ succurrit, id quod uideamus.

Iesus autem protinus audito sermone qui dicebatur, ait principi Synagogę: Ne metuas, tantummodo crede.

Lucas addit: Et salua erit.

Ex his uerbis satis liquet, quantum accesserit periculi principi Synagogæ ex isto nũcio. Quod enim Euangelista Dominum mox audito hoc sermone, principem Synagogæ alloquutũ & consolatũ esse dicit: atq; iussisse ne

ne quicquàm metueret, tantũmodo crederet, saluã fore filiam. Nihil aliud innuit, quàm uoluisse eum hac consolatione fidem ac spem illius collabentem ac periclitantem erigere. Nisi nanq; metuisset, nihil opus fuisset monere, ut metũ poneret. Nisi in periculum uenisset illius fides, frustra iussus fuisset, ut tantum crederet. Nisi de salute & uita filiæ desperasset, sine causa dixisset Christus: Et salua erit filia.

Admonemur itaq; hoc loco, ut Christi benignitatem ac curam, quam pro erigendis infirmis habet probè obseruemus, quæ pulchrè hoc exemplo depingitur.

1 Cur non nuncios, sed patrem puellæ alloquatur.

Primum, quod non ad nuncios istos, qui è domo principis Synagogæ uenerant: nimirum è medio ululantium & lugentium, aliquid dicit: nempe, ne metuerent, ne dubitarent, tantum crederent, sed ad parentem conuersus: Ne metuas, inquit, tantum crede, & salua erit. Cur hoc facit: nisi quia eum uult consolari, qui potißimum turbabatur, ad quem potißimum pertinebat mortuæ filiæ calamitas. Deinde & eius erigere et confirmare fidem, à quo fuerat imploratus. Discamus ergo hic, quorum potißimum in tribulationibus curam habeat Christus. Nempe eorum, qui calamitatibus uiciniores, atq; adeò reliquis mœstiores sunt: deinde & eorum fiduciam maxime erigere, quibus datum est, uel aliquousq; ipsi appropiare, & opem eius implorare. Nimirum, quorum fides exigitur ad impetranda promissa. Ingens itaq; hoc loco solatium est omnium adflictorum, & propè desperantium, & nescio quæ grauia metuentium, eorum uidelicet, quibus dici potest: ne metuas, hoc est, ubi consolatio locum habet, eorum inquam, quibus fide opus est ad impetrandam diuini numinis opem, & uarijs tamen tentationibus exercentur.

2 Mox audito sermone isto

Deinde, Obseruandum est, quod Euangelista dicit: Mox audito sermone qui dicebatur, ait principi Synagogæ: ne metuas, &c. quibus uerbis non hoc solum commemoratur, quod labentem archisynagogi fidem erexerit, sed quod mox illud atq; tentatio accesserat, fecerit, quod non solum solatus illum sit, sed mox atq; metus occasio obtigerat, & periculum desperationis præ foribus erat, solatus sit. Qua in re hoc discimus, Christum non ignorare infirmitates ac tentationes nostras. Deinde non negligere suos, sed mox atq; necesse fuerit, opem ferre, etiam non rogatũ. Maximam consolationem habet, talem nos habere Dominum, qui ultrò infirmitates nostras perpendit, & tentationes nostras non ignorat, nec negligit. Sed mox succurrit. Talis nobis Christus etiam Ebr. 2. & 5. capite describitur.

3 Crede.

Tertio. Expendendum est, quo pacto timorem ac metum archisynagogo huic excutiat. Iubet quidẽ, ne metuat: uerum addit præsentißimum remedium contra illum timorem. Quodnam est illud. Tantũ crede, inquit, & salua erit. Hoc est. Et ab eo quod times, liberaberis. Fidem ergo suadet. Imò ad fidem illum erigit. Nam ista uerba non tam sunt fidem exigentis, quàm præstantis ac facientis. Ergo fides est contra omnem metum firmißimum remedium. Vbi simul notandum est, quod non simpliciter dicit: crede, et salua erit, sed, tantummodo crede, & salua erit. Quibus uerbis aperto indicat, se nihil omnino quærere, nisi unam fidem. Quare? Quia ubi incredulitas, ibi nequit sese diuina uirtus petenti exerere. Ergo ubi una fides fuerit, ibi locum habet bonitas & uirtus Christi. Quid quæso nos miseri homunculi aliud quæremus, postquàm ipsa æterna Dei maiestas nihil aliud exigit, nisi ut tantummodo sibi credatur?

Tantũmodo

Neq; puto transeundum, quod non dicit: Si perfectè ac plene credideris, fide firma & inconcussa, salua erit, sed simpliciter: tantummodo crede, hoc est, duntaxat, ne planè diffidas. Crede tantum, et uoti compos euades. Neq; enim ignorabat uiri huius imbecillem fidem & animum, cui reuera non præstitisset quod petebat, si solidam & immotam fidem ab eo exegisset.

Eat nunc aliquis, & reddat rationem, quare Christus dominus et saluator noster, ab implorantibus & inuocantibus se nihil quærat aliud, nisi unam fidem, eaq; plerunq; adeò infirma contentus sit, illiq; non solũ corpoream, sed & æternam animæ salutem acceptam ferat. Turpißimum, imò impium est, diuinam clementiam & bonitatem in ius uocare, cur hoc ita uelit.

Est itaq; uerbum hoc Christi uigilantißimè excutiendum, quod dicit: tantummodo crede. Valebit enim contra omnes, quàmuis graues tentationes. Tantundem quippe est, ac si dicat: utut causa tua habeat, utut impoßibile sit rationi, quod optas & petis, nihil metuas, nihil sis anxius, posteaquàm ad me ueneris, posteaquàm petitioni tuæ locum præstiti, salua res est, dummodo mihi ne diffidas. Et reuera etiamnum ita habet. Idem est Christus, eadem Christi uirtus, eadem expromptæ facilitas, tantum non desit fides.

Et non permisit, ut quisquàm se sequeretur, preter Petrum, & Iacobum, & Iohannem fratrem Iacobi.

Quærendum est hoc loco, qua ratione reiectis reliquis, hos tres tantum discipulos ad puellam suscitandam secum sumat, cum tamen filium uiduæ in oculis discipulorum suorum, qui tum aderant, omnium, & coram turba copiosa excitauerit, & in suscitando Lazaro neminem uel discipulorum, uel alioqui præsentium Iudæorum à se reiecerit. Iam uidemus in Euangelicis historijs non hoc tantum loco tres istos à Christo relictis alijs assumptos, ut infra capite 17. ubi sese transfiguraturus erat in monte Tabor, & colloquium cum Mose & Helia habiturus. Et tertio, cum esset luctaturus cum mortis anguſtia in horto, antequàm caperetur iterum hos tres secum ab alijs separatos deduxit. Ex quibus apertißime liquet, Christum delectum habuisse in instruendis & formandis discipulis, ita ut quosdam uoluerit quædam latere, quæ cæteris patefaceret. Mar. 14.

Arbitror itaq; non sine certa ratione Christum hos tres ueluti potiores, ad ista secretiora spectanda elegisse, qua in re forsan nemo dubitabit. Quur autem hoc loco ipsos assumpserit, relictis cæteris, cum tamen ad suscitationes filij uiduæ, & Lazari hoc non fecerit, poterit nonnihil quisquàm hærere.

Mihi uidetur ideò factum, quod antea nullum dum mortuum excitauerat, sed hæc filia prima erat, id quod

& alij quidem arbitrantur, licet Lucas capite septimo describat suscitationem filij uiduæ, et cap. 8. huius filiæ. Neq; enim Euangelistarum propositum fuit in describendis Christi gestis, per omnia temporis seruare rationem & ordinem.

Cum ergo eius, quod Dominus esset mortis etiam, qui uerbo posset excitare mortuos, sublimior cum esset cognitio & reuelatio, quàm quæ quibusdam daretur indiscretim, uoluit pro temporis ratione, & captu discipulorum, instar boni & prudentis magistri, non quosuis ad istud spectaculum admittere, ne discipulos quidem omnes, nisi selectiores hos tres, & patrem & matrem puellæ, ut scirent præstitum diuinitus beneficium, atq; ideò & his ipsis prohibuit, ne cuiquam ista manifestarent. Posteaquàm uerò, ut Matthæus habet, fama facti huius, in omnem eam regionem exijsset, non erat opus in suscitatione filij uiduæ & Lazari discipulos amplius semouere & abstinere.

Quid ergo hoc loco docemur aliud, quàm etiam apud Deum seruari discretionem quandam in administranda Christi ac regni sui cognitione. Quemadmodum illam non primum toti orbi, sed Iudæis uoluit prædicari. Vt & filium suum non mox ab initio mundi ad nos misit, sed temporibus nouissimis. Item quomodo Christus ipse mysteria regni sui non pari ratione uulgo promiscuo, & discipulis suis tradidit, sed uulgo per parabolas, discipulis uerò secreto enucleatius & apertius, ut infra uidere est capite 13. Quin & resurrectionem suam non omnibus mox reuelauit, quibus illa tamen postea per discipulos patefacta est, sed testibus paucis, præordinatis à Deo. Ad hæc & ipsis discipulis non mox omnibus sese uisendum exhibuit, sed primum Magdalenæ & mulieribus reliquis, quæ discipulis istud annunciarent, postea alijs atq; alijs, & tandem simul omnibus.

Admonemur itaq; ex istis, cognitionem Christi esse rem sacratissimam, quæ non mox omnibus, neq; mox tota diuinitus apprehendatur. Sed certa discretione ac dispensatione pro captus nostri ratione exhibeatur. Proinde non putemus nos mox omnia apprehendisse, & statim quibusuis patere aditum ad exactam regni Dei mysteriorumq; cœlestium cognitionem. Nam spiritus sanctus, Christi uicarius, dispensator est sapientissimus, disponens omnia suauiter, ac singulis distribuens, prout uult, quædam tradit, ut afficiat, quædam occult, ut nos semper discipulos habeat: quædam à longe ostendit, ut ad quærendum alliciat.

Atq; his rationibus fit, ut non sint mox omnia sine omni discretione quibusq; credenda, sed perpetuo obseruanda auditorum capacitas. Quemadmodum enim in ludo literario non statim audit tyrunculus sublimia philosophiæ præcepta, sed omnia certo ordine pro captu discipulorum traduntur, ita & in Ecclesia impudentiæ fuerit promiscue omnibus omnia, & eadem tradendi formula præscribere. Cum & Paulus sapientiam loquatur inter perfectos, ut quidam hunc locum exponunt. Et Augustinus in libro de catechisandis rudibus pulchrè docet, quomodo in cognitione sacramentorum aliter rudiores, & aliter doctiores sint instruendi.

Paulus 1. Cor. 2.
Augusti.

Item uide initium 3. capitis. 1. Corin. ubi Apostolus de hac re loquitur.

Et tamen interea non est putandum, cum ista fiunt, hoc animo fieri, ut aliquid de ueritate Christianis animis occulatur ac subtrahatur, aut, quod, postea, cum ea traduntur, quæ antea ignorata fuerunt, præterita fuerint falsa, ut ita maiora proponantur, tanquàm priora debeant per ea uanitatis argui. Quomodo enim quæ rudiores in scholis primum percipiunt, falsa per se nõ sunt cum maiora post illa docentur, ita & in Ecclesia. Ita exempli gratia: si mihi instruendus esset Iudæus in cognitione Christi, non mox illi inculcarem Christum esse uerum Deum, eiusdem cum patre diuinitatis & maiestatis, sed in hoc incumberem, ut indicarem illi Christum esse semen illud Abrahæ promissum, esse Meschiach illum, filiũ Dauidis in prophetis prænunciatũ. Postea in his & similibus exercitatum magna cautione instruerem de diuinitate Christi, & mysterijs maioribus regni Christi. Exempli gratia,

Ad eum modum & hodie de Sacramentis prudentissime agendum est. Res quidem & ueritas eadem est, sibiq; perpetuo constans, uerum impares sunt auditores potior pars carnales sunt, quibus si quouis modo uelis loqui de mysterijs nostris, nihil aliud agas, quàm si infantibus crassum cibum proponas, ueteres usi sunt quibusdam loquendi modis de cœna Domini, qui certe non omnibus competunt.

Et uenit in domum principis Synagogæ, uidetq; tumultum, ac flentes & eiulantes multum.

Videmus hoc exemplo mores superstitiose & gentiliter lugentium, quos & ex gentibus quidam editis scriptis taxarunt. Primum non fuisse simplicem & mediocrem luctum, qui pios non dedecet, sed nimiũ & impium, ex eo liquet, quod Euangelista dicit: uidetq; tumultum, non dicit, simpliciter, luctum, sed tumultum, nec duntaxat flentes, sed eiulantes, quod est sine modo immediocriter ululantiũ, in Græco est ἀλαλήζοντας. Neq; solum eiulantes, sed plurimum eiulantes. 1

Ad eum scilicet modum solent mortuos suos deplorare gentiles, cognitione Dei ac spe futuræ uitæ carentes. Christianis uerò, licet non sit plane interdictus mortuorum luctus, nõ tamen permittitur, ut more gentium lugeant. Vide 1. Thessa. 4. Quo in loco, pulchrè uidere est, quomodo à luctu quidem mortuorum dehortetur Christianos, eo uidelicet, quo gentes utebantur, spem non habentes, & tamen interea non omnem plane luctum illis interdicat, cum subiungit: Itaq; consolemini inuicem in uerbis istis. Quid opus consolatione, ubi nullus relinquitur luctus.

DVPLICITER HIC DELINQVITVR.

Dupliciter hac in re peccatur. Primũ per eos qui iustũ lugendi modũ excedunt, quorũ hic exemplũ habemus. 1

Deinde eorum, qui Stoicis ipsis stupidiores sunt in mortibus suorum, ita ut nullam prorsus compassionem, ne naturæ quidem, erga suos ostendant. Quidam eorum etiam eò progrediuntur, ut eos qui uel parum suorum mortes lugent, tanquàm non Christianos iudicent, 2

quasi

quasi deus ex hominibus uelit fieri saxa & truncos sine omnibus affectibus naturæ agnatis. Hoc hominum genus interrogauero, cur Christus dicatur misertus esse mulieris uiduæ, quæ mortuum filium suum flebat. Lucæ 7. Deinde cur fleuerit etiam cum ad sepulchrum Lazari duceretur. Iohan. 11. Item cur Paulus de Epaphrodito scribat. Philip. 2. Et certe fuit infirmus, ita ut esset uicinus morti, sed Deus misertus est illius, at non illius tantum, sed & mei, ne dolorẽ haberem super dolorem. ut quid ista, si nihil omnino flendum & lugendum est in
Rom. 12. mortibus amicorum? Paulus dicit: Flete cum flentibus. Sed quid mirum, si cum flentibus flero, iam nescimus, quando neq; cum gaudentibus gaudere nouimus? Euidens testimonium est, nõ adeò multum charitatis in hoc hominum genere erga uiuos esse, qui nihil compassionis erga mortuos sentiunt. Nequeo nanq; dicere, quod omnes humanos affectus ita exuerint, ut propterea mortuos nihil lugeant, quod humana simpliciter cõtemnãt. Nam in reliquis deprehenduntur subinde esse adhuc homines. Proinde nihil aliud hic censeri possum, quàm defectum charitatis.

2 Deinde non fuisse mediocrem & tollerabilem luctum etiam ex eo liquet, quod Matthæus commemorat tibicines adfuisse, hoc est, conductos aliquos auletas, qui cantu lugubri reliquos ad ploratum & eiulatum incenderent. Quo exemplo exprimuntur primum ij, qui magis student communi uulgi consuetudini satisfacere luctum simulando, quàm quod ipsi reuera lugeant. Neq; enim etiam gentilis luctus, qui modum excedit, mox omnium est, sed pleriq; magis cupiunt pro lugentibus & mortem suorum dolentibus haberi, quàm uerè lugere. Iam turpe est non lugere mortem, uel uxoris, uel parentis, uel amici. Cõducebantur ergo personati quidam, qui ceremonias illas luctuum exequerentur. Sic tempore Chrysostomi uocabantur ad agendum luctum quædam mulierculæ, quæ in hoc fictè lugendi ac ploranPræfica. di artificio exercitatæ erant et instructæ. Ad quam rem hic legimus fuisse uocatos tibicines. Ita uidemus fieri in domibus diuitum. Nam & iste dives erat. Nimirum, princeps Synagogæ. Sic hodie quidam ad agendos luctus funebres, pauperculos quosdam subornant uestibus pullatis indutos.

In ipsis uerò tibicinibus exemplum habemus eorum, qui accepta pecunia luctum simulant, quem corde non habent. Quorum hoc est ingenium, ut quoniam ea in re quæstum habent, primum cum nemine adflicto & lugente uerè & ex animo lugeant. Deinde etiam in hoc gaudeant, quod alijs causa luctus est. Mallent hunc quæstum sibi quotidianum esse. Tales sunt hodie nostri tibicines, qui suas uigilias & requies uoce ad luctum composita, quæsus gratia uenditant.

Et ingressus ait illis: Quid tumultuamini & ploratis? puella non est mortua, sed dormit. Et deridebant eum.

Lucas addit: scientes illam esse mortuam.

Quod immodicum illum ploratum & tumultum propter mortuam puellam corripit, nihil est quod mi- »
remur, quando & Gentiũ sapientes hoc fecerint. Quod uerò addit causam, dicens: puella nõ est mortua, sed dormit, fuerit fortasse iusta exquisitione dignũ. Potuit more philosophorũ dicere: Quid ploratis & tumultuamini? Non est naturæ necessitati repugnandũ. Ita fata puellæ huius tulerunt. Ferendum est, quod mutari uel caueri non potest. Verum non ita dicit, sed multo suauiore sermone luctum illum sedat, imò parentum mœrorem solatur: nempe, puellam non esse mortuam, sed dormire.

Quid ergo? Nesciebat eam esse mortuam? Sciebat utiq;. Parentibus quidem, & huic turbæ tumultuanti, imò orbi uniuerso, sibi quoq; ipsi, uerè erat mortua puella, Christo autem filio Dei, cui uiuunt omnia, non erat mortua, sed dormiebat, dormiebatq; ad gloriam Dei, suscitationem ipsius expectans. Recte itaq; dicit: Puella non est mortua, sed dormit, non negans ueram mortuam esse secundum naturam, sed ita loquens, quomodo habebat res ista in oculis suis, non ut habebat in oculis eorum qui mortuam lugebant.

Atq; ista sciebat quidem turbam illam tumultuantem, nec intelligere, nec credere, sed risuram etiam. Verum ad hoc ista dicit, ut postea esset eò illustrior diuina uirtus. Et ista irrisio illis ipsis risoribus certissimum te- »
stimonium, nõ dormientem è somno, sed uerè mortuam puellam ex ipsa morte per irrisum hunc Christum excitatam. Atq; hoc est quod Lucas adijcit: scientes illam esse mortuam.

QVID SIT HIC NOTANDVM.

Primum illud quod dicit: Puella non est mortua, sed 1
dormit. Quid tumultuamini & ploratis? non ita nobis accipiendum est, tanquàm ad istam actionem duntaxat, Puella nõ est mortua, sed dormit.
& hanc de qua agimus, puellam, & non ad nos quoq; pertineat. Est enim uox Christi, uox diuinæ uirtutis, uox Saluatoris orbis, nobis omnibus communis, atq; ideò nunquàm non ad nos pertinens. Compescamur itaq; & nos his uerbis in mortibus & luctu nostrorum. Dicat & nobis Christus: Quid ploratis? quid tumultuamini? Puella non est mortua, sed dormit. Quin dicat Christianus quisq; nomine Christi sui mortuos lugentibus hæc ipsa Christi uerba: puella non est mortua, sed dormit. Sed dicis: Quomodo ego ista dicam, qui mortuos suscitare non possum? Nihil refert. Christus is est, »
cuius uocem audient mortui omnes, & resurgent, uelut è somno excitati. Huic dormiunt omnes. Huius gloriam uindica, hanc inculca, hanc ubiq; promoue. Quid enim quod non mox excitantur mortui? An propterea non excitabuntur?

Propter futuram itaq; resurrectionem, imò ad stabiliendam & promouendam futuræ excitationis mortuorum fidem, assuescamus huic Christi sermoni, perpetuo illũ celebrantes. Non sunt mortui, sed dormiunt, quid ploratis? Quod si enim de mortuorum aliorum excitatione dubitauerimus, qua fide nos corpora nostra terræ mandabimus? Quomodo credemus mortem nostram non mortem esse, sed somnum, si de alijs dubitauerimus?

Quod

Quod autem mors nostra non mors sit, sed somnus, ubiq; scriptura sancta inculcat. Sic Stephanus in Actis cap. 7. dicitur obdormiuisse in Domino. Et Christus Iohannis 11. dicit Lazarum mortuum dormire. Et Paulus 1. Corinth. 15. uocat Christianos mortuos, dormientes in Christo. Item 1. Cor. 11. Et dormiunt multi. Et 1. Thessa. 4. Nolo uos ignorare fratres, de ijs qui obdormierunt. Et. Sic & Deus eos qui obdormierunt per Iesum adducet cum illo. Et. Nequaquàm præueniemus eos, qui dormiunt. Istud uerò non ita est intelligendum, quod fidelium duntaxat mors somnus uocetur. Nam & de mortibus impiorũ in scripturis hoc dicitur, eò quod & ipsi resurgent. Ioh. 5. dicit Christus. Nolite mirari hoc, quia ueniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient uocem eius, et prodibunt qui bona fecerunt in resurrectionẽ uitæ, qui uerò mala egerunt in resurrectionem condemnationis. Et Matth. 25. dicit congregandas esse ante se omnes gentes, & separandos esse alteros ab alteris, et malos in ignem æternum, bonos uerò in uitam æternam abituros. Atq; ideò & Paulus 1. Thessa. 4. non dicit, ut non contristemini sicut cæteræ gentes, quæ resurrecturæ non sunt, sed, quæ spem non habent. Non enim uult Christianos ideò non debere dormientium gratia lugere, quod ipsi resurrectionem habeant, gentes uerò lugere, quod illam non sint habituræ, sed quòd isti spem resurrectionis habeant, illæ uerò non. Et hinc caute factum est, quod in fidei nostræ symbolo non dicimus: fidelium resurrectionem, sed in genere, carnis resurrectionem.

C² in symbolo fidei dicamus, Carnis, non fidelium, resurrectionem.

Quoniam ergo etiam impij in nouissimo die resurgent æque atq; pij, fit ut scriptura non solum piorũ mortes somnium ac dormitionem uocet, sed & impiorum. Sic legimus 1. Regum 14. Et dormiuit Hieroboam cum patribus suis. Et ibidem. Dormiuit Roboam cum patribus suis. Et 1. Reg. 15. Dormiuit Abia cum patribus suis. Quod autem isti impij fuerint, testatur scriptura. Et Esa. 14. Vniuersi reges gentium dormierunt in gloria quisq; in domo sua.

Aug. tract. 49. super Iohannem.

Hinc pulchrè Augustinus dicit: unusquisq; cũ causa sua dormit, & cum causa sua resurget.

Hoc tantum interest hoc loco, quod in oculis impiorum uiuentium, mors nõ somnus, sed plane interitus est. In oculis uerò piorum non interitus, sed somnus. Vtriq; quidem Domino dormiunt, & ab illo excitabuntur. Verum istud à pijs solis creditur, qui sciunt Deum non esse mortuorum, sed uiuentium, & omnes illi uiuere. Vt Christus dicit Lucæ 20. Impijs autem ridiculum est ista credere, eò quòd nulla ratione, sed sola fide apprehendantur.

Cum itaq; ista teneat Christianorum fides, obtinuit communiter, ut mortuos suos non mortuos esse, sed obdormiuisse dicant. Atq; hinc locũ etiam sepulchrorum magna & præclara fide pulcherrimo uocabulo κοιμητήρια uocarunt, latine dormitoriũ, ein schlaff Kamer. Volueruntq; illa fidelium dormitoria propè Dominicas, id est, Ecclesiasticorum conuentuum ædes, ante oculos fidelium constituta esse. Nouut superstitiose agerent cum dormientibus, sed ut in fide ista alerentur: nempe, futuræ resurrectionis, & præsentibus rebus eò minus implicarentur.

Loca sepulchrorum Cœmeteria p[ro] dormitoria fidelium constituta e[rant].

Et irridebant eum.] Deinde, est etiam hoc loco, ubi dicitur: Et irridebant eum, pulchre expressum ingenium impiæ rationis, quomodo illa habeat erga Christi sermones, fide duntaxat apprehendendas. Christus dicit: Nolite tumultuare. uel: Quid tumultuatis ac fletis? Non est mortua puella, sed dormit. Quibus uerbis eos stultitiæ arguit. Verum ipsi contra magis Christum pro stulto habent, ista dicentem: Nihil enim aliud uolebant irridendo Christum, quàm significare illum esse insanum, qui mortuam puellam dicat uiuere. Ad hunc modum Christus rationi humanæ nihil aliud est quàm ipsissima stultitia, nõ solum in articulo isto. Sed in omni doctrina sua. Maxime tamen hunc articulum humana ratio ridet, potissimũ apud sapientes. Exemplo sit, quod Paulus Athenis Actor. 17. Cum inter alia resurrectionis mortuorum meminisset, ab incredulis irridebatur. 2

Atq; ista irrisio sermonũ ueritatis, non solum à gentibus fit, sed ab illis, qui populo Dei accensentur. Sic enim deprauati ingenij est humana ratio, ut non solum uerbo domini non assentiatur, sed & illud irrideat, maxime cum corripitur illius malitia, & prædicuntur futura supplicia. Ita Hieremias cap. 20. queritur, uerbum Domini sibi factum esse in derisum & in opprobrium.

Si corripitur uerbo Domini, auaritia, stultitia & insania, mox adest irrisio. Ita deridebant Pharisæi Christum Lucæ 16. cum hortaretur adducta iniqui œconomi parabola, ut amicos facerent ex mammona iniquitatis, & ne conarentur duobus dominis, Deo & Mammonæ seruire. Auaritia.

Si uerbo Domini admonemur, ut non præsentia, sed futura respiciamus, eò quod præsentia caduca, futura uerò sint æterna, ut Paulus habet 2. Cor. 4. Mox adest irrisio. Ich uueis uuie es hie zu gadt, aber nit uuie dort. Sic scribit Chrysostomus suo tempore quosdam dixisse, δός μοι τὴν σήμερον, καὶ λαβὲ τὴν ἄυριον, id est, da mihi hodiernum, id est, præsentem, & sume tibi crastinum, id est, futurum diem. Futurorum contemptus.

Si fuerit quisquàm timore Domini præditus, ita ut nolit temere in omnia pro libitu sese delere, sed abstinere magis ab ijs, quæ Christianum non decent, ut ut undeantur utilia & plausibilia, mox irridetur. Hunc Romæ uocant zon Christian Ironice, fatuum. Ita uita Tobiæ irridebatur etiam à cognatis suis. Vide Tob. 2. Timor Dei.

Ita si quisquàm spem aliquam in Deum præse tulerit, irridetur. Sic Psalm. 14. Consilium inopis irrisistis, quod Dominus spes eius est. Spes in Deo.

In summa. Animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt. Stultitia siquidem illi sunt. Proinde qui uult sapiens esse coram Deo, stultus fiat in mundo. Vicissim sapientia mundi stultitia est coram Deo. Dominus enim nouit cogitationes hominum quod uanæ sunt.

Ipse uerò eiectis omnibus, assumit patrem et matrem puellę, & eos qui cũ ipso erant,

ipso erant,& ingreditur eo ubi puella erat iacens.

Inciuile uideri poterat, quod in alienis ædibus id sibi potestatis sumebat,ut eijceret turbam flentem, amicos scilicet,patrisfamiliás, & forte familiam ipsam, uel certe conductos deploratores. Nam si in templo illi dicebatur,ubi eiecerat uendentes & ementes: in qua potestate hæc facis? & quis dedit tibi hanc potestatem? cũ tamen is locus non esset priuati cuiuspiam,sed iuris communis,quantomagis obijci poterat idem ista in his ædibus Archisynagogi facienti?Sed nihil est insolẽtiæ, quod Christus facit,quod & cuilibet medico in ædibus ægroti licet, qui abigit quos uult, nec ad ægrotum accedere permittit,nisi quos ipse decernit ægroto fore non molestos,sed utiles. Cum itaq; ista turba tibicinum, plorantium, & ululantium non solum molesta esset parẽtibus, sed & pie monenti illuderet, recte illam eiecit. Nimirum ex eo loco,ubi erat iacens puella mortua. Neq; enim puto extra ædes planè esse reiectam turbam.

Admonemur ergo hoc loco, ut nos ipsi hoc hominum genus apud ægrotos consolandos, & apud mortuos suos lugentes non patiamur. Et certe si quid tale minister uerbi faceret apud eos quos uerbo consolationis alloqui debet,parendum esset, quemadmodum hic uidemus Archisynagogum nihil contradicere Domini iussis. Dignum enim erat, ut morem illi gereret, quem ad filiæ salutem induxerat.

Hoc quippe genus hominum, quod more gentilium ægrotos uel mortuos deplorat, deinde & qui conducti cantus lugubres quæstus gratia faciunt, & etiam isti potissimum, qui ueritatis sermones irrident, molesti magis sunt, quàm utiles, malum non tollentes,sed conduplicantes, & gloriam Dei obscurantes, atque ideò non ferendi.

Et certe ubi Christiani sunt, qui ad ingressum Christi,id est,doctrinæ Christi,morigeros sese præbent, non potest aliter fieri,quàm hic factum est. Nempe eijciuntur fistulatores,tanquàm inutile genus hominum, qui in aliorum miserijs quæstum aucupantur, & introducuntur Apostoli,uerbi ministri,& prædicatores diuinæ uirtutis,qui lugentes solentur uerbo uitæ.

De eo quod non solum tres illos discipulos,sed & patrem & matrem puellæ miraculi istius testes assumit, poterit forsan aliquid rationis inquiri. Neq; enim puto sine singulari causa factũ esse. Nos quod simplicius esse putamus,trademus. Quoniam puella ista adhuc erat in potestate parentum, utpote duodecim annorum, uoluit Dominus eos beneficij istius spectatores esse, quò filiam eò diligentius regeneratori & resuscitatori suo educarent. Nam ita uoluit ac disposuit Deus, ut cognitio sui liberis inculcetur per institutionem parentum. Ad certificandam itaq; fidem parentum puellæ huius, assumpsit eos ad conspectum rei,quam patracurus erat, id quod non solum eò facturum erat, ut ipsi in fide Christi redderentur solidiores,sed & eò, ut filiam hanc regeneratam in cognitione Dei diligentius instruerent.

Quemadmodum enim Moysi dicebat Deus: Quid habes in manu tua, cum uirgam haberet, & proijce ad terram,cum esset uertenda in serpentem,ut illum eò firmius in causa gerenda imbueret, & miraculi diuini certiorem redderet, ita & hic uoluit Dominus parentes puellæ præsentes habere,ut uiderent primum ante oculos suos filiam mortuã,et mox iussu suo uitæ restitutam.

Quid itaq; hoc loco obseruandum est aliud, quam multum referre, qua fide sint parentes,ad instruendum liberos suos,& quomodo plurimum concernant parentes, quæ Deus cum liberis agit, ut illa certo sciant & perpendant?

Res ista uisibiliter quidem gesta est in oculis istorum parentum,uerum non minus miraculum diuinæ bonitatis in Ecclesia geritur, quoties lauacro regenerationis è morte in uitam, è regno Satanæ in regnum Dei excitatur & transsumitur, qui baptizatur. Quo pacto non pertinet ad parentem pueri,ut in spiritali excitatione reiectis irrisoribus præsens sit, & coram uideat & audiat,quæ non humanitus, sed diuinitus gerun tur, ut postea sciat se non iam primæ,sed secundæ natiuitatis habere puerum? Audiat pater hanc uocem, qua puero dicitur. N. Ego te baptizo in nomine patris, & filij,& spiritussancti. Quod quid est aliud,quàm: N. ego te de uinculis æternæ mortis ad uitam perpetuam regenero,& excito?Sed dicis. Atqui ad uocem Christi surgebat coram parentibus puella,& euidentia facti prædicabat potentiam Christi. Hic uerò nihil tale fieri uidemus. Respondeo. Nos iam non de corporea excitatione mortui cuiusdam loquimur,quæ uisibilis sit,sed de ea Christi uirtute quam operatur in illis, quos spiritu suo regenerat, cuius sacramentum baptismus est, opus omnino non nostrum, sed patris & filij & spiritussancti,de quo nobis ut Christianis non licet aliter iudicare, aliter loqui,quàm de eo iudicauit & loquutus est spiritus sanctus ipse in Paulo. Proinde oculis fidei comprehendenda est ista uirtutis Christi efficacia, non oculis corporis. Credat pater instituto Christi, & non dubitet, se ex eo tempore domi habere puerum regeneratum, & in numerum electorum gratia spiritus sancti, & institutionis Christi uirtute assumptum. Hæc putaui exempli gratia hoc loco notanda.

De baptisma te.

Obiectio.

Et appræhensa manu puellæ, ait illi: Talitha kumi, quod est, si quis interpretetur, puella tibi dico surge, & confestim surrexit puella,& ambulabat.

Omnia aguntur non secus atq; si è somno aliquo excitanda sit puella, cum tamen res omnium mirabilissima diuina uirtute geratur. Ita quippe solemus eos qui dormiunt uel appræhensa manu erigere, uel uoce inclamando excitare. Videmus itaq; quomodo ipsa rei actio cum uerbis superioribus conueniat. Dixerat enim: Non est mortua puella,sed dormit. Et hic non aliter agit,quàm si dormientem puellulam excitet. Manu illam apprehendit,quasi adhuc præsens esset tactus sensus,& uoce inclamat, tanquàm adhuc in illa esset sensus audiendi,quæ omnia in mortuis non sunt.

Qua in re spectanda & pensanda nobis proponitur uirtus uerbi Christi, in eo quod mortuis loquitur, & illi audiunt, qui uniuerso mundo nõ obedirent, id quod non solum hic facit, sed & Lucæ 7. et Ioh. 11. Vide ipsa loca.

Ista uox Christi, quæ hic in terris loquuta est mortuis, & à mortuis audita, ad quam excitati prodierunt mortui, ista sese exeret in extremo die, dum per eã quot quot in sepulchris sunt, excitabuntur. Vnde legimus: Ioh. 5. Nolite mirari hoc, quia uenit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient uocem filij Dei, & prodibunt, qui bona fecerunt in resurrectionẽ uitæ, qui uerò mala egerunt in resurrectionem condemnationis.

De morte peccatorum.

Interea tamen non est putandũ quod ista uerbi Christi uirtus tantum in suscitatione mortuorum corporali, uel in futura duntaxat resurrectione sese exertura sit, & non etiam hodie mortuos non minore miraculo suscitet, atq; cũ hic esset, fecit. Quid enim aliud facit, cum peccatoris animum ad pœnitentiam et fidem immutat, quàm quod illum è morte perniciosissima ad ueram uitam excitat? Et quia tres legimus à Christo mortuos suscitatos, puellam hanc, & filium uiduæ, & Lazarum, quorum alter altero mortis uinculis aliquanto deploratius ligatus erat, pulchrè nobis ob oculos depingitur, quàm nõ sit desperandum de aliquo peccatore, utut deplorato, dummodo accedat uirtus inclamantis Christi. De his mortuis uide Augustinum super Iohannem, de suscitatione Lazari.

Tres mortui a Christo excitati.

1 Est quoddam peccatorũ genus, quorum peccata adhuc sunt in cogitatione, uel saltem in occulto. Hoc est, quorum mors (Est enim peccatum mors) adhuc recens est & occulta, neq; uulgi cognitioni exposita. Isti clanculum sunt illis tantum præsentibus ad quos spectant uirtute uerbi Christi excitandi. Sufficit enim erga istos priuata obiurgatio.

2 Aliud peccatorum genus est, eorum quorum peccatum iam in publicum egressum est. Isti maiore negocio excitantur. Horum exemplum habet filius uiduæ adolescens mortuus, iam extra portam ad sepeliendum elatus. Iste in publico excitatur. Sic publice peccantes coram omnibus sunt arguendi.

3 Tertium genus eorũ est, qui iam consuetudine peccandi deplorate mortui sunt, & fœtent diffamia scelerum. Horum imaginem gerebat Lazarus quatriduanus in sepulchro. In illo suscitando maius negocium insumptum est, ut ostenderetur, difficulter excitari eos, qui deplorati uidentur in sepulchris peccatorum fœtentes. Verum ei qui omnes mortuos suscitaturus est, nihil erit difficilius istos suscitare, atq; hanc puellulam, id est, eos qui adhuc recentes sunt in peccatis,

Et cõfestim surrexit puella, et ambulabat

Ista ab Euangelista dicuntur, ad amplificandam Christi potentiam, in eo quod non solum mortuam suscitat, & præter morem Prophetarum imperandi uerbo suscitat, sed & ita suscitat, ut præter omnẽ moram subito uiua sit. Et non solum uiua, sed & omni reiecto morbo surgens & ambulans. Quis medicorum ægrotum aliquem ita subito erigit, ut mox surgat & ambulet?

De propheta Eliseo legitur 2. Regum 4. quomodo mortuum quidem excitauerit, sed longe maiore negocio, quàm hic de Christo prædicatur. Vide locũ ipsum.

De Apostolo Petro uerò legitur Acto. 9. quomodo, præmissa tamen oratione, mortuam quandam discipulam è morte excitauerit, ita, ut & ipsa mox uiua resederit, & accepta manu Petri surrexerit. Ita uidelicet uirtus Christi etiam in Apostolis potenter sese exeruit.

Et reuersus est spiritus eius.

Lucas ita habet. Et reuersus est spiritus eius, & surrexit continuo. Hic Chrysost. notat non aliam, sed ipsam priorem animam corpori mortuo restitutam esse. Et certe non frustra. Contra eos hoc est, qui putarunt, & hodie putant, animam post mortem corporis nihil esse, quemadmodũ quidam philosophi tradiderunt, de quibus apud Ciceronem uidere est in Tuscul. quæst. lib. 1. qui dicebant eam uim, qua uel agimus quid uel sentimus in omnibus corporibus, Vim æqualiter esse fusam, nec separabilem à corpore, quippe quæ mortuo corpore nulla sit, nec sit quicquam nisi corpus uiuũ & simplex, ita figuratum, ut temperatione naturæ uigeat & sentiat, quorum opiniones etiam Cicero ipse refellit. Tum & contra eos est hic locus, qui dicunt animam simul mori cum corpore, & in die iudicij resuscitandam esse. uel certe de hac re dubitant ac disputant, satis temere. Vide Eccle. 3. Item uide Sap. 2.

Atq; hæc pestilentissima opinio de animæ mortalitate tempore Origenis in Arabia prævaluerat, cuius extirpandæ gratia Concilium habitum est disputante contra istam hæresim Origene, & illam plane extirpante. Huius mentionem facit Eusebius in historia Ecclesiastica lib. 6. cap. 27. Vnde Augustinus in libro de quinque hæresibus, Ad quod uult Deum hæresim istam Arabum uocat. Quin etiam nostris temporibus, eadem rursus, uel certe ea cuius Cicero meminit, apud Italos inualescere cœpit, unde & in concilio Romæ decretum est, animam esse immortalem. mo Pas a qd mgnt

Contra istam opinionem notandi sunt quidam scripturæ loci. Primus, iste quem hic habemus. Nempe quod spiritus huius puellæ reuersus esse dicitur, id quod dici non posset, si cum corpore interisset. Quin potius dici debuisset, & datus est illi alius spiritus. uel, Et simul excitatus est illi spiritus eius. Deinde Eccle. 12. Et reuertitur puluis in terram, ut erat, & spiritus reuertitur ad Deum qui dedit illum. Et Mat. 10. dicit Christus: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam aũt nõ possunt occidere. Si anima cum corpore moreretur, utiq; qui corpus occideret, pariter occideret & illius animam. Nihil ergo esset quod Christus dicit animam ab hominibus occidi non posse. Et Phil. 1. Cupio dissolui, & esse cum Christo, inquit Paulus. Quod certe non potest aliter intelligi, quàm de dissolutione animæ & corporis, de qua & loquitur, & quod spiritu suo crediderit se apud Christum fore, post mortem. Si enim spiritu simul atq; corpore moriturus fuisset, sine ratione ista dixisset ut qui certe non minus uiuens cũ Christo esse potuisset atq; mortuus. Hinc etiam sunt illæ communes loquutiones, qua dicimus morientium animas egredi, non mori. Sic Christus dicitur Mat. 27. emisisse spiritum suum. Et

pios

pios qui in Domino mortui sunt, agere in cœlis. Item
Luce 23. quod Christus dicebat ad latronem: Hodie mecum eris in paradiso. Hinc etiam fides nostra non spirituum, sed carnis resurrectionem habet. Ex quibus omnibus pio & credenti satis perspicuum est, animas hominum morientibus corporibus superstites relinqui.

Quò animæ è corporibus egressæ abeant, & qualis sint cõditionis, usq; ad resurrectionis diẽ, à multis multa disputata sunt, sed ut uaria ita et incerta. Nobis satis sit, spiritum redire ad eum, qui dedit illum. Et post dissolutionem nos futuros esse cum Christo. Quid ultra quæremus? Cætera curiosa relinquamus curiosis.

Erat enim annorum duodecim. Et obstupuerunt stupore magno.

Erat enim. Ad id referendum est, quod dixit. Et ambulabat. Quoniã enim dixerat τὸ παιδίον οὐκ ἀπέθανεν. Et, παραλαμβάνει τὸν πατέρα τοῦ παιδίου. Et ingressus est ubi ἦν τὸ παιδίον ἀνακείμενον. καὶ κρατήσας τῆς χειρὸς τοῦ παιδίου. Ne putaretur fuisse infans, cui nondum fuerit ambulandi usus & ætas, cum dixisset, & ambulabat, mox eius rationem addidit. Erat enim annorum duodecim.

Quod dicit: Et obstupuerunt stupore magno, ad cõmendationem pertinet miraculi. Neq; enim immerito obstupuerunt ista uidentes. Erat quippe magnæ uirtutis, diuinæ scilicet, argumentum. Cum ergo esset insolitum, fiebat ut obstupescerent.

Sed hic perpendenda nobis & simul deploranda non horũ duntaxat, sed & communis nostra stupiditas. Stupent in eo, quod puella, cuius corpusculum ante oculos uidebant, membris suis nondum destitutũ iacens, & cui nihil deerat nisi spiritus, uerbo iubẽtis Christi, recepto spiritu surgit et ambulat, id quod reuera magnum erat. Verum qui fiebat, quod cum eadem ipsa puella primum in utero matris conciperetur & nasceretur, prodiretq; ex matris aluo, in qua antea nihil huius erat, in qua mirabiliter concepta, nutrita & fota fuerat, nihil stuporis parentibus suis attulerat? Quia consuetum hoc scilicet est, & quod quottidie ob oculos nostros uersetur. Verum an ideò minus habet miraculi? certe non. Ergo in hoc delinquimus omnes, quod ista mirabilia, quæ quottidie ea ipsa uerbi Dei uirtute fiunt, quod ut omnia fecit, ita & omnia conseruat, quæ in cœlis, et quæ in terra sunt. Colossi. 1. nihil nobis stuporis inferunt, sed stupide omnia transimus.

Hinc scilicet factũ est, ut diuina prouidentia huiusmodi miracula, quæ per filium suum faceret, ad id temporis seruata sint, quo debebat promoueri & corroborari sermo regni Dei in orbe terrarum, ut ipsorum conspectu mouerentur ad stuporem, qui alioqui stupidi sapientiam & uirtutem dei in creaturis suis non obseruant. Atq; hac uia factum est, ut astu Satanæ deceptus sit mundus, dum uidit ex lapidibus factas imagines responsa dare, & nescio quæ signa latentis in ipsis numinis, stuporem mouente opere hominis, cum ob oculos uersarentur quotidie uiuæ Dei imagines, uidentes, audientes, loquentes, ambulantes, &c. quibus tamen nihilo mouebantur, ut nec hodie, ad stuporem. Prædicanda itaq; primum Dei bonitas, quæ se in omnes formas uertit, ut nos ad se suiq; cognitionem in Christo filio suo traheret. Deinde uidendum, ut quottidiana miracula diligenter obseruemus, creaturasq; uiuas, uirtutis dei precones magis admiremur quàm superstitiones istas Satanicas. Augustinus Epistola 49. ad Deogratias presbyterum sic scribit: Omnis natura rerum transit plena miraculis, sed illa non quasi facili perueſtigatione rationis, sed uidendi consuetudine mira non sunt, atq; ob hoc nec consideratione, nec inquisitione digna uidentur. Nam ego & mecum quicũq; inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt intelligere moliuntur, aut non minus, aut amplius admiramur in uno seminis tam paruulo grano, omnia quæ laudamus in arbore tanquàm liciata latuisse, quàm mundi huius tam ingentem sinum, quæ de corporibus humanis dum dilabuntur assumit, resurrectioni futuræ tota & integra redditurum.

Et præcepit illis uehementer, ne quisquàm id sciret.

Reperimus Christum aliquot locis mandasse curatis à se, ne cuiquàm referrent quæ fecisset, ut suprà ca. 8. ad leprosum quem curauerat: Vide ne cui dixeris, inquit, sed abi et ostende te Sacerdotibus, &c. Et hic Marci 5. Et Matth. 9. duobus cæcis quos illuminauerat, Videte ne quis sciat, inquit.

Huius rei duplex redditur ratio. Quidam uolunt ideò factum esse, ut daret suis exemplum fugiendæ uanæ gloriæ, ut satis uidelicet haberent iuuasse homines, gloriam autem hinc sibi nullam quærerent. Vtilis quidem admonitio, & nobis nunquàm satis animaduersa.

Altera uerò, quæ probabilior esse apparet, hæc est. Quia sciebat Christus hinc curiositatẽ uulgi, illinc ingentem Sacerdotum erga se inuidiam inuulgatione magnorum istorum miraculorum irritari, ut hi nescio ad quem terrenum honorem præstandum allicerentur, ut uidemus Iohan. 6. Isti uerò magis atq; magis ad insidias struendas permouerentur, audito, quod stupenda patraret. Et maxime, cum nondum esset tempus gloriæ, nec oportuerit ipsum ante passionem pro Christo Dei inuulgari: puto his rationibus factum, ut toties noluerit magna illa de se miracula prædicari.

Atq; huius rei uidentur testimonium exhibere aliquot loci. Vt Mat. 12. Sequutæ sunt eum turbæ multæ, & sanauit eos omnes, & interminatus est illis, ne se facerent manifestum, ut compleretur quod dictum erat per Esaiam prophetam, qui ait: Ecce filius meus quem elegi, dilectus meus, in quo sibi bene complacuit anima mea. Ponam spiritum meum super illum, & iudicium gentibus annunciabit. Nõ cõtendet, neq; clamabit, neq; audiet quisquàm in plateis uocem eius. Arundinem comminutam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eijciat ad uictoriam iudicium, & in nomine eius gentes sperabunt. Hic per illud: Non cõtendet, neq; clamabit, neq; audiet quisquàm in plateis uocem eius, donec eijciat iudicium ad uictoriam, & in ipsum gentes sperabunt, reddetur ratio illius, quare Christus prohibuerit uulgo curato, ne se manifestum facerent. Nempe

quod noluerit mundana gloria, fama, pompa celebrari, et aduersarios suos irritare, sed gloriam suam magis custodire in id temporis, in quo ipsa ueritas causam exponeret iudicio, & aduersarios confunderet.

Huc etiam facit, quod discipulis uetuit, ne se manifestum facerent, donec filius hominis à morte resurgeret, ut est infrà capite 17. ubi post transfigurationem in monte Thabor, cum descenderet, dicebat: Ne cui dixeritis uisionem, donec filius hominis à morte resurgat. Et Luce 9. dicebat discipulis: Vos autem quem me esse dicitis? Respondente Petro: Christum Dei. Ille comminatus præcepit, ne cui dicerent hoc. Et rationem huius reddens, inquit. Oportet filium hominis multa pati & reprobari à senioribus & principibus Sacerdotum & Scribis, & occidi, ac tertia die resurgere.

Ex his locis puto satis liquet, qua ratione Christus aliquoties publicari miracula sua noluerit: nempe, quod nondũ uisum fuerit euulgari se esse Christum, licet ipse seipsum quibusdam notificaueriт, ne ad inanem regni speciem populum incitaret, & Pharisæos & Sacerdotes exacerbaret.

Admoneremur ergo hoc loco & nos, ne ita pro ueritate propaganda æmulemur, ut carnalibus occasionem demus carnalia meditandi, & nescio quæ terrena quærendi. Et rursus ne aduersarios sine causa exacerbemus, sed feramus & modesti simus, istis intenti interea, quæ ad gloriam Dei faciunt & hominum salutem, idq; sine omni præpostero zelo, certi adfore tempus, in quo ipsa se ueritas sit uindicatura.

Et iussit, ut daretur illi quod ederet.

Istud factum est, ad certificandam excitationis ueritatem, ne uideretur esse phantasma. Vnde & ipse per se non dedit, sed iussit, ut parentes ipsi hoc facerent. Sic & Lazarum à mortuis excitatum conuiuam habere uoluit. Est autem non solum corporis uiui indicium, sed et bene sani. Vt igitur probaretur, non solum uerè restitutam esse uitæ, sed & sanitati, iussit illi cibum dare.

Quid nos hic animaduertimus aliud, quàm opera Christi, ut uera, ita & perfecta esse? Non satis habet uitæ participem facere, nisi & sanum faciat, & quæ ad sanitatem conseruandam faciunt procuret. Huius enim exemplo, non solum è morte peccati ad uitam nos uerbo uirtutis suæ excitauit, sed & alimentum exhibere curauit, ut in ea uita quã dedit aleremur. Escam quippe dedit timentibus se.

Quemadmodum ergo hic argumentum est uitæ & sanitatis, quod puellæ datur cibus, & quod comedit, ita & in ijs qui spiritaliter excitati ad uitam sunt, argumentum est ueræ uitæ & sanitatis, si comederint paratum uitæ cibum: nempe sermonem uitæ. Quid ergo aliud sunt, quàm mortui, qui cibum hunc uerbi Dei nondum gustare sustinent? Experiamur ergo & nos, an uitæ & sanitati restituti simus. Nam & in nobis experimentum ueræ uitæ est sumptio cibi. Et quemadmodum hic ad gloriam Dei faciebat euidentia miraculi in sumptione cibi & deambulationis, ita & in nobis per Christum suscitatis.

SEXTA HISTORIA NONI CAPITIS.

Et cum discederet illinc Iesus, sequuti sunt illum duo cæci clamantes ac dicentes: Miserere nostri fili Dauid. At cum uenisset in ædes, adierunt illum cæci, & dicit illis Iesus: Creditis me hoc posse facere? Dicunt illi: Credimus Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Iuxta fidem uestram fiat uobis. Et aperti sunt illorum oculi. Et interminatus est illis Iesus, dicens: Videte ne quis resciat. At illi cum abissent diuulgarunt famam illius in tota terra illa. De duobus cæcis.

Rursus occasio declarandi, quæ sit cum Christi bonitas & potestas, tum fidei uirtus. Quæ duo in omnibus Euangelicis historijs primaria sunt, & præcipue notanda. Nam huc omnia tendunt, ut & Christum probe agnoscamus saluatorem nobis de cælo missum, & simul discamus, qua uia illius participes euadamus, quæ nobis utraq; rursus hac etiam historia ob oculos ponuntur. Primum enim ipsa sese ultrò omnium sensibus ingerit exposita Christi bonitas, potestas & uirtus saluandi. Nam ita nobis illam Euangelistarum scripta exponunt. Iam puto nemo tantæ erit impudentiæ, ut audeat istam Christi bonitatem pariter & potentiam illis duntaxat temporibus, & præteritæ dispensationi carnis tantum adscribere, iam uerò post ascensionem adimere. Deinde iuxta perpetuo quasi à latere concurrit exactio fidei simul & uirtus. Credis hoc? confide. Si credis possibile est. Tantum crede. Et apud Marcum. Non potuit ibi Mar. 6
quicquàm facere propter incredulitatem illorũ. Et hic. Creditis hoc me posse facere? Et iuxta fidem uestram fiat uobis. Quibus certe locis, ut & suprà in historia mulieris hæmorroidæ notatum est, fidem & uirtutem Christi correlatiua esse, & ita utranq; exquiri uidemus ad salutem, ut utram abstuleris, nihil tibi prosit altera.

Hanc itaq; fidem in his duobus cæcis fuisse uidemus. Audierant de uirtute & bonitate Christi, maxime ex illa fama, quæ in omnem eam terram de suscitata Archisynagogi filia, hoc Euangelista teste, egressa erat, atq; ideò concepta fiducia, totos se huc conferunt, ut opem ipsius implorent. Atq; ideò mox atq; animaduerterunt Christũ esse in itinere, sequuti sunt illũ pro suis uiribus, clamantes ac rogantes: Miserere nostri fili Dauid. Et quanquàm nihil in itinere accipiebãt responsi, à cœpto tamen non deficiunt, sed qua erant spe & fiducia curationis, perseuerant, ita ut & domum ingressum adeant, & opem quærant. Vbi cum rogantur, an credant hoc fieri posse, magna affirmatione respondent: utiq; Domine. Atq; mox audiunt: iuxta fidem uestram fiat uobis Ecce fidei exemplum, Ecce etiam bonitatis & uirtutis Christi exemplum. Sed uideamus iam quæ ex hac historia præterea notanda sint.

QVAE NOTANDA.

Primum in duobus illis cæcis exemplum habemus 1
eorum, qui cæcitatem et ignorantiam suam agnoscunt, illaq; liberari cupiũt. Neq; enim omnes cæci tales sunt. Sunt enim primum, qui cæcitatem suam non agnoscunt,

imò

imò cæteris uolunt oculatiores uideri. Atq; ideò pro dignis habentur, de quibus Christus Matth. 15. Cæci sunt, & duces cæcorum. Ista cæcitas duplici nomine peßima est. Primum propterea quod incurabilis est, & inexcusabiles facit, de quo est Iohannis 9. Deinde quod & alios seducit, & in foueam præcipitat. Mat. 15. Tales erant tempore Christi Scribæ & Pharisæi, & id genus hominum, & nostro tempore Episcopi, Cardinales, Doctores, Monachi, Sacerdotes, & id genus. Sed dicent mihi quod isti Christo dicebant: An & nos cæci sumus? Quibus & cum Christo respondeo. Si cæci essetis, non haberetis peccatum, id est, Si uos pro cæcis agnosceretis &c. Nunc uerò quia dicitis: uidemus, peccatum uestrũ manet. Isti uerò cæci cæcitatem suam agnoscunt, cupiuntq; illa liberari, atq; ideò ueram lucem sequuntur Christum dominum, ad illum clamant: Miserere nostri fili Dauid, qua uoce utiq; satis indicant, agnosse se miseriam suam. Quisquis enim dicit: miserere mei, is certe agnoscit & fatetur se esse miserum, & à miseria sua liberari cupit. Tales possunt curari. Isti uerò, qui uel duces uolunt esse cæcorum, cum & ipsi sint cæcis cæciores, uel à ducibus istis cæcis pendent, curari nequeunt, quia Christum non implorant.

2 Duo cæci.

Deinde in eo, quod isti duo cæci, se coniungunt, Christumq; simul implorant, exemplum est, eorũ qui ijsdem ducuntur affectibus, quàm libenter se coniungant. Eadem cæcitate laborant, eodem uidendi desiderio tenentur, eundem Christum sequuntur, coniuncta prece & uoce, eodem clamore, ijsdem uerbis Christum implorant, eandem fidem habent, eadem perseuerantia, usq; in ædes sequuntur, rogati idem respondent, & simul curantur. Vnde hæc omnia? Quia scilicet non solum eodem defectu laborabant, id quod & plerisq; contingit, qui tamen inde non coniunguntur, sed ijsdem affectibus, & eodem desiderio uidendi, & eadem fide, ad eundem Christum ducebantur & agebantur.

Tale exemplũ est in decem leprosis

Videamus ergo, ut nos habeamus. Si ijdem defectus nos non coniungunt, id quod debebant, an forte nos eadem fides, idem salutis desiderium, idem Christus saluator, in unũ coniungat. Si unus morbus omnium, si unum & idem salutis desiderium, si una & eadem fide, unum & eundem Christum saluatorem sequimur & imploramus, unde sunt schismata? unde fit quod non ad exemplum istorum cæcorum unanimes simul Christum sequimur & imploramus? Neuter istorum cæcorum alteri suam cæcitatem obijcit & exprobrat, neuter alterum contemnit ac reijcit, nulla inter eos disceptatio, nullum dißidium. Quare? Quia plane ijsdem affectibus unanimes ducebantur, & eodem utriq; respiciebant. Si hoc in nobis esset: nempe cor unum, & anima una, absq; dubio & nos ad eum modum coniungeremur.

Cõtra schismata.

Fili Dauid.] Tertio. In eo quod non solum dicunt: miserere nostri, sed adiungunt fili Dauid. Documento est, quod eum non solum pro simplici quodam Propheta, sed pro Christo filio Dei, in Prophetis promisso, habuerunt. Et ueri simile est, ita Iesum tum uulgo habitum esse pro Christo. Nam tum temporis tota ista Iudæorum gens Christum expectabat: unde & Iohannem aliquando opinabantur esse Christum, Lucæ 3.

Videmus hic consilium illud Dei, quo mysterium Christi reuelatur hominibus nihili, in cæcitate interea relictis illis, qui omnia erant in omnibus, uidentes cæci sunt, & cæci uident. Sapientes non potuerunt agnoscere tempus uisitationis suæ, & isti cæci, qui de Christo tantum audiebant, agnoscunt illud.

Quid mirum si & hodie, qui pro cæcis habentur, ueritatis lucem uident, & filium Dauidis agnoscunt & inuocant, cum interea qui pro uidentibus habentur, in cæcitate perdurantes obstinatißime lucem ueritatis auersantur? Notum est illud Christi Matt. 11. Confiteor tibi pater cœli ac terræ, quoniam reuelasti ista paruulis, & abscondisti à sapientibus.

FIDES DE PERICVLO NON cogitat.

Obseruandum est etiam hoc loco, ubi Christum uocant filium Dauidis, quàm fides de periculo parum cogitet. Erat decretum à maioribus Iudæorum, ut extra Synagogam ejiceretur, qui fateretur hunc Iesum esse Christum filium Dauidis, Ioh. 9. Attamen huius decreti nullo metu tenentur isti cæci, iuxta carnem cæci, mente uerò uidentes. Qua in re discimus eos, qui carne uident mente cæci sunt, nihil agere ad rationem fidei, sed quo oculatiores sunt iuxta seculũ, hoc meticulosiores esse in negocio & confeßione Christi, id quod hodie luce clarius uidemus. Qui uerò in sapientia seculi, non ita oculati sunt, sed oculis mentis ualent, illi uelut clausis oculis, quæ periculosa sunt in negocio fidei aggrediuntur.

Proinde ad confeßionem fidei aptiores erunt, qui plus mentis quàm carnis oculis ualent. Atq; ideò res est pestilentißima luce rationis in rebus fidei uti uelle. Ratio nihil aliud uidet, quàm stultas res, absurdas, inutiles, impoßibiles, periculosas, &c. Nota conuersionem Pauli, qui cum conuerteretur, & ad ministerium regni Christi promouendum, & ad innumera pericula illius nomine ferenda pararetur, primum carnis luce priuabatur, & mente illuminabatur ad declarandum oportere iuxta carnem cæcum, et mente uidentem esse promotorem regni Christi.

Ergo sine omni prudentia & consilio agendum est in rebus fidei? Respondeo. Nequaquàm. Optimo consilio agendum est. Vide Lu. 14. de supputando sumptu. Sed id est non è sapientia carnis petendum, sed ex ipsa fide. Habent et pij suũ consiliũ. Sed illud est fides ac spes in ueritatẽ & bonitatẽ Dei. Tenebræ sunt & ipsißima stultitia consilium mundi, quæ ex ratione progrediuntur. Lux sunt & uera sapientia, quæ fidei sunt & spei consilia. Sed oportet iuxta hoc seculum stultum fieri, ut sapientia uera, Dei scilicet, appræhendatur. 1. Corint. 3. Qui uult sapiens esse corã deo, stultus fiat in hoc seculo.

Et obserua hoc loco, quàm sine periculi metu clament sublata in altum uoce, unde liquet, quàm fuerint fide firma ac solida.

Quarto. In eo quod domum ingressum adeunt, etiamsi in uia nihil responsi acceperint, pertinacis spei exemplum est, quæ propterea non cessat, quod non mox ad primam opis implorationem uoti compos euasit, sed

pertinax perdurat, donec assequatur. Nisi enim isti firma fide ac spe erga Christi uirtutem ac bonitatem fulti fuissent, quomodo ausi essent sepositio pudore domum ingredi, in qua erat Christus? Quin potius cogitassent, si uel uoluisset uel potuisset uisum uobis restituere, in uia hoc fecisset. Iam quia hoc non fecit, frustrata est omnis spes, desistite ergo. Ista quippe mox occurrunt, ubi fides infirma fuerit. Talis erat fides & mulieris Syrophenissæ, Matthæi 15.

Quinto, Quod dicit: Creditis me hoc posse facere. Ostendit, quomodo ad assequendam Christi uirtutem fides acquiratur, idq; illa fides qua credatur Christum nõ orationis beneficio, sed suapte uirtute saluare posse. Non enim dicit: Creditis me hoc posse impetrare à deo? sed creditis me hoc posse facere. Quibus uerbis omnino exigitur talis fides, qua Christo diuinam uirtutem tribuamus, assequuturi illius beneficium.

Sed quæres hic. Quid est illud, hoc, quod cæci debeant credere Christum posse facere? Nimirum illud, quod ipsi petierant. Quid autem petierant? Dixerant: Miserere nostri fili Dauid. Ergo misericordiam rogauerant. Atqui quis est hominum, qui non queat misereri cæcorum? An istud tantæ uirtutis est, ut tantopere rogandi fuerint cæci, an credant Christũ hoc posse facere?

Respondeo. Verum est, dixerant: Miserere nostri, atq; adeò misericordiam rogauerant, uerum non ociosam, sed efficacem ac ueram: nempe, quæ non solum in affectu cordis consisteret, sed quæ reipsa miseriæ ipsorum succurreret. Erat autem miseria istorũ cæcorum, quod luce carebant. Huic succurrere erat uisum præbere. Visum præbere, atq; ita cæcorum miseriam tollere, & reipsa misereri, non erat quorumuis, sed solius diuinæ uirtutis. Proinde rogat Christus, an credant se hoc posse facere, sciens mentem petitionis eorum: nempe, quod misericordiã rogando, opem rogauerint, hoc est uisum, quàmuis non dixerint: Da nobis uisum fili Dauid, sed duntaxat: Miserere nostri fili Dauid.

Duo ergo nobis hoc loco notanda sunt: unum quod attinet ad nostram consolationem: alterum, quod attinet ad nostram admonitionem & doctrinam.

1 Primum, Consolationem habet, quod Christus pro misericordia rogatus, ultro intelligit & agnoscit, quid uera misericordia exigat: nempe opem efficacem, hoc est, sublationem miseriæ. Vnde animaduertimus esse sensum & cognitionem miseriarum nostrarum apud Christum dominum, de quo scriptura loquitur, quod sit nobis datus misericors pontifex, Ebr. 2. 5. Et ex Prophetis Matt. 9. suprà audiuimus Deum misericordiam amare, naturaq; misericordem esse. Si natura misericors est, & misericordiam amat, & misericordia uera est, quæ miseris succurrit, ergo plena fiducia misericordiam Dei imploremus, non dubitantes Deum scire, quo pacto sit nobis succurrendum, & quid nostra miseria exigat. Ita dixit Christus: Scit enim pater uester quid opus habeatis suprà cap. 6.

2 Alterum est quod ad nostram doctrinam & admonitionem attinet, ut & nos ad hunc modum penes nos ipsos misericordia moti miserorum necessitates ac calamitates perpendamus, ut satis sit miserum dixisse: miserere mei frater, utpote, nudo non opus sit dicere: da uestem, sed duntaxat miserere pauperis: da pecuniam, sed tantum, miserere mei, &c.

De hac re uide: nempe, de efficacia ac ueritate misericordiæ, suprà hoc ipso capite ibid. Misericordiam uolo, & non sacrificium.

Samaritanus non rogabat uulneratum, quid sibi fieri uellet. Quin tacente etiam uulnerato, ipsa misericordia quid opus esset satis intelligebat, &c.

Sexto. In eo quod dicit: Secundum fidem uestram fiat uobis, rursus uidemus commendationem fidei: Nempe, hactenus patere mortalibus salutis fontem, quatenus ad illum fide accesserint, tantum inde haurire nos posse, quantum fide apprehenderimus. Nam hic sermo Christi: Secundum fidem uestram fiat uobis, non solum ad cæcos istos pertinet, sed & ad omnem hominem. Quisquis enim in illum crediderit, non pudefiet. Ro. 10. Esa. 28. Nam dies est in omnes, qui inuocant illum. Inculcanda itaq; mentibus nostris ista uerba sunt: secundum fidem uestram fiat uobis: ut nunquàm obliuiscamur tantum cuiq; de misericordia Dei paratum esse, quantum fidei attulerit. Oraturis enim fide opus est.

Qua in re quæso perpendamus ineffabilem Dei bonitatem. Potuisset iure ab illis, qui aliquid ab eo petebant, uitæ probitatem ac iustitiam exigere, uel aliquid compensationis, ac dicere: Secundum iustitiam uestram fiat uobis, uel secundum merita uestra fiat uobis. Sed quis tum ausus fuisset aliquid ab eo petere? Verum non ita, sed fidem exigens dicit: Secundum fidem uestram fiat uobis. Atq; id certe merito exigit, ut misericordiam accepturus de hac bene speret. Et rursus merito eam negat & claudit incredulo. Quis enim hominum illi daret aliquid, qui se non benefideret? Proinde oremus Dominum, ut fidem nobis det, & datum augeat. Dicamus: Da nobis domine quod non habemus ex nobis ipsis & quod tu tamen merito exigis. Redde mentes nostras misericordiæ tuæ capaces, &c.

Septimo. Expendamus etiam, quamobrem oculos ipsorum attigerit. Neq; enim credibile est frustra factum esse. Si ergo non est frustra factum, oportet ut aliquid rationis habuerit. Si cum ratione factum est, uideamus ad quid? Puto ad nihil aliud, quàm ad hoc quod faciebat: nempe ad illuminationem, ad præstandũ uisum.

Deinde non possumus dicere, Christum cæcorum istorum oculos non potuisse aperire, nisi digitis suis contactos, qui solo uerbo potest uel mortuos excitare: Ergo non ideò tactu suo oculos istorum aperuit, quod hoc sibi ad perficiendam hanc illuminationem necessarium fuerit. Itaq; si Christo non fuit necessarius hic contactus, & tamen non frustraneus, sed ad illuminationem faciens, relinquitur eum istis cæcis necessarium fuisse: nempe ad hoc, ut fides ipsorum, quæ exigebatur, in ipso opere iuuaretur. Ita quippe comparati sumus, ut plurimũ posse contactum eorum putemus, quos sanctos ac diuinos arbitramur, quemadmodum & suprà commemoraui in muliere hæmorroida. Igitur perpensa Christus humana imbecillitate, ut fidem istorum cæcorũ iuuaret, oculos

Exemplo Naaman Syrus in libro regum. 2. Reg. 5.

ipsorum

ipsorum, id est, cum locum in quo deficiebant, ea membra, quæ curata et restituta cupiebant contigit, id quod absq; omni dubio plurimũ cæcis istis fiduciam ac spem recipiendæ lucis corroborabat.

Vide itaq; bonitatem & ingenium Christi, quomodo imbecillitatem nostram in eo ipso quod fidem exigit, expendat & adiuuet. Magna consolatio. Rogemus eum, ut & nostros mentium oculos ad iuuandam fidem nostram spiritu suo contingat.

Octauo. De eo quod Euangelista dicit: At illi cum abissent, diuulgarunt famam illius in tota terra illa, non
1 idem sentitur, an bene uel male fecerint. Quidam putãt bene fecisse cæcos illos, quod miraculosam sui illuminationem ubiq; prædicarunt. Nam hoc & gratitudinis fuisse, & ad gloriam Christi, promotionemq; regni dei profecisse uolunt. Atq; isti hoc sentiunt, qui, ut suprà dixi, interminationem Christi, ne cui hoc dicerent, putant modestiæ tantum gratia factam esse.

Iuxta istos admonemur hic, ut quò magis gloriam hominum benefaciendo fugerimus, eò magis illam sequuturam, & ut quò magis qui boni sunt modestiæ gratia beneficia sua taceri atq; ignoti esse cupiunt, hoc nos amplius illa prædicemus, eosq; cognitos omnibus red-
2 damus. Quidam uerò putant hos cæcos male fecisse, quod Christo non sunt obsequuti, maxime tanto serio prohibenti istam huius miraculi inuulgationẽ. Neq; enim simpliciter eos admonuit ne cuiquam hoc dicerent, sed cum comminatione & diligenti commissione. Id quod ipsa uerba satis ostendunt. καὶ ἐνεβριμήσατο αὐτοῖς. Et ὁρᾶτε μηδεὶς γινωσκέτω.

Atq; hoc sentiunt, qui ut supra commemoraui, non modestiæ gratia sentiunt hoc Christum, ne inuulgaretur prohibuisse, sed magis propterea, quod noluerit dum passim pro Christo agnosci.

Nos uerò, perpensa utrorumq; sententia, tametsi prior nihil habeat periculi, malumus tamen cum posterioribus sentire, quemadmodum & supra.

Proinde, quamuis uideatur ad gloriam Christi, & nomen eius ampliandã fecisse, quod isti duo cæci, quem-
Leprosus. admodum & leprosus Marci 1. contra inhibitionem Christi rem gestam inuulgarunt, quia tamen homini pio non licet contra expressum Dei uerbum facere, ut ut magis arrideat contrarium, non possum aliter sentire, quàm istos male fecisse. Neq; satis erit causæ, si dixerit aliquis, hoc quod fecerunt nõ solum gloriæ Christi promouendæ, sed & gratitudinis præstandæ rationem exegisse. Gloriam Christi promouendam quis negat? sed rursus uoluntati domini obtemperandum esse, quis dubitat? Quis non credet Christum gloriæ Dei promouendæ addictiorem fuisse, quàm hos cæcos? Item quis negabit eum exactius cognouisse, rationem illius promouendæ? Quisquis ergo putat hos cæcos merito non esse obsequutos Christi iussioni, aut dicet eos gloriæ Christi fuisse appetentiores, aut in illa promouenda instructiores, quàm Christus ipse?

Iterum. Gratitudinem benefactori Christo præstandam esse non negamus. Sed hoc rogamus, an ea sit uera gratitudo, quæ contra benefactoris mentem, imò expressam inhibitionem impenditur? Quis mortalium ad eum modum seruiri sibi uolet?

Concludimus ergo. Si Christus gloriæ Dei addictior est, quàm isti cæci, si uiam & rationem promouendæ illius exactius nouit, quàm isti cæci. Deniq; si uera gratitudo est, non contra, sed iuxta benefactoris mentem, & iussionem gratum esse, relinquitur istos cæcos male fecisse. Præposterа est ista gratitudo, præposterus est zelus, quo filius contra præceptum patris, gloriam patris conatur inconsulto asserere. Quis feret in filio eam præposteram gratitudinem? imò quis in seruo suo? Quis in uxore sua?

QVID HIC ADMONEAMVR.

Admonemur ergo hoc loco doctrinæ nunquàm satis expensæ, quam si obseruassent tam ueteres quàm nostri, tantum errorum nunquam irrepsisset. Ea est, cuius & Chrysostomus aliquoties diligentissime admonuit. Nempe, ut simpliciter iussis Dei obtemperemus, ut ut nobis uideatur aliquid melius fieri posse. Neq; enim decet hominem uelle sapientiorem esse, quàm ipsa diuina sit sapientia, quæ nihil præcipit, nisi cum summa ratione.

Quod autem dico, non tantum errorum irrepere potuisse, si ista regula seruata fuisset, euidentibus aliquot exemplis declarari potest, quid huius doctrinæ neglectus damni dederit.

Deut. duodecimo mandat Deus populo suo, ut mox atq; in terrã Canaan ingressi fuerint, non faciant quod quisq; rectum esse putauerit, sed quod ipse præcipiat tantum, cui nec addere quicquàm, nec demere debeant.

Mandauit autem inter cætera, ut non in quouis loco sibi sacrificandum esse putarent, sed eo duntaxat, quem ipse constituturus sit. Quod si præceptum hoc seruassent, tot altaria, tot lucos, tot excelsa non erexissent ad prouocandam in suam ipsorum perniciem, diuinam uindictam. Qua uerò ratione non seruarunt præceptum domini, nisi quia uidebatur parum esse in uno duntaxat loco colere Deum, magisq; ad promouendam pietatem facere, si tota terra illa referta esset altaribus, excelsis, ac lucis, atq; ad eum modum hoc ipso quod contra uerbum Dei faciebant, putabant se Deum multo melius colere, quàm si illum in uno tantum loco colerent.

Præceperat etiam, ut gentes expellerent è terra ista, nihil amicitiæ cum ipsis contraherent, altaria eorum subuerterent, cultumq; Deorum plane extirparent. Quomodo uerò & hoc mandatum tenuerint satis declarat caput secundum libri Iudicum, uidebatur illis durum tot gentes expellere: deinde non necessarium, cum haberent iam reliquias istas in sua potestate. Præterea nihil esse periculi putabant, si amicitias cum ipsis iungerent, sicque altaria & cultus eorum relinquerent. Quid uerò inde sequutũ sit, testatur caput iam dictum. Deinde & omnes ferè Prophetæ.

In Saule idem uidere est. 1. Samu. 15. Hic mandatum acceperat à Deo per prophetam Samuelem, ut Amalechitas extirparet, nec parceret uel senibus uel iuuenibus, nec uiris, nec mulieribus, neq; infantibus etiam, neq; animantibus. Sed nec de substantijs & pecudibus eorum quicquàm sumeret, sed cuncta disperderet.

Quomodo uerò præceptum hoc expleuerit, quidq; & quomodo contra illud deliquerit, punitusq; sit à Domino, caput ipsum satis declarat. Putabat populus satius esse, quæ præcipua erant conseruare, & meliora pecora ad hostias et holocausta domino consecrare, quàm iuxta mandatum acceptum prorsus disperdere. Nam hoc magis ad gloriam & cultum Dei facere arbitrabantur. Sed uide uerba prophetæ Samuelis.

Tertio, tale exemplum habemus & in eo, qui uerbo domini iussus, Prophetam percutere nolebat, quomodo ob eam rem à leone sit interfectus, de hoc est uidere 1. Reg. 20. Cur iste noluit Prophetam percutere? Quia putabat esse malum. Et certe malum fuisset, nisi hoc iussisset uerbum Domini.

In nouo testamento. Tale quid erat quod Petrus faciebat, Matthæi 16. uolens Christo persuadere, ne permitteret se à Iudæis crucifigi. Item quod Ioh. 13. nolebat permittere Christum, ut sibi pedes lauaret.

VNDE HAEC PRAEPOSTERA & diabolica sapientia.

Secundo loco uidendum, unde iste zelus præposterus animis mortalium insideat. Hoc uidere est Gene. 3. in transgressione Adæ, et astutia serpentis, quomodo præceptum Domini suggillauerit, persuaseritq; satius esse comedere de pomo, quàm non comedere. Hinc scilicet uenenum illud mortalium pectoribus, tanquàm ex radice insedit

QVOMODO HVIC MALO debeat occurri.

Tertio loco quærat quis, quo pacto morbo isti finis poni possit. Breuiter duobus. Primo, ut præceptum istud Dei Deut. 12. de quo supra, quod hac ratione potissimum datum est, probè obseruetur. Deinde, ut Magistratus officium suum agat, ne liceat cuiuis in populo dei facere, quod sibi rectũ uidetur. Nam ubi isti qui Magistratũ gerunt negligentes sunt, nequit aliter, quàm ad hunc modũ fieri. De hac re exemplum est Iudicum 17. ubi sic legitur. Tum temporis non erat rex in Israël, & quisq; faciebat quod sibi rectum uidebatur. Atq; istud redditur pro causa cõmissæ per Micham idololatriæ.

Nono. Perpendenda est etiam Christi mansuetudo, quod his cæcis, & leproso Marci 1. beneficium præstitum non aufert, quod certe meruissent. Nam minando etiam tam serio prohibuerat utrobiq;. Neq; enim aliquid rationis habet, si dicat quisquã, uel ex eo liquere cæcos istos non male feciſſe, quod factum Christi inuulgarunt, quod accepto lumine non sunt priuati, quasi Christus non passus fuisset hoc delictum inultum abire.

Quod autem talia sæpenumero sit passus Christus, neq; tamen præstita beneficia reuocauerit, exemplo poterunt esse nouem illi leprosi, de quibus Christus dicit: Nunquid decem mundati sunt, & nouem ubi sunt. Non est inuentus qui rediret et daret gloriam deo, nisi hic alienigena. Lucæ 17. Deinde & Ioh. 5. tale quid habemus in eo, qui cum Sabbato sanatus esset à Christo, iussusq; lectum suum tulisset, & percontantibus nescire se respondisset, quis esset, à quo fuisset sanatus, mox atq; illud in templo à Christo cognouisset, ad Iudæos abijt, illisq; prodidit, ita ut cum cœperint Iudæi de interficiendo Christo cogitare. Quis defendet istos? Certe nemo. Atqui non legimus Christum propterea beneficia illis præstita reuocasse.

SEQVITVR SEPTIMA HISTORIA noni Capitis.

Illis autem egredientibus, ecce adduxerunt illi hominem mutum dæmoniacum, & eiecto dæmonio, loquutus est mutus. Et admiratę sunt turbę, dicentes: Nunquàm apparuit sic in Israël. At Pharisæi dicebant: per principem dæmoniorum eiicit dæmonia.

Hæc est capitis huius historia septima, qua Euangelista uirtutem Christi ad cognitionem ipsius promouendam, ipsa transitione, describere se significat. Quod enim dicit: Illis autem egredientibus, ecce adduxerunt illi hominem mutum, nihil aliud agit, quàm ut ipsa curandorum male habentium sedula uicissitudine & accessione, quasi perennem diuinæ bonitatis, & ueræ salutis in Christo fontem fluxisse, & quibusuis obuium fuisse declaret. Nam hoc unum, ut supra commemorauimus, in historijs Euangelicis nobis animaduertendum est, quibus omnis salus sita est in una cognitione Christi.

Atq; huc præclare facit, quod talia miracula ab Euangelista commemorantur, quæ non sint uulgaria, sed ipsa diuina prouidentia et singulari dispositione ad hoc ordinata, ut essent ingruentis regni Christi, ueluti præsignata testimonia, unde & in Prophetis ante multa secula ad hoc prædicta sunt. Vt est quod paralyticos claudos ambulare, mortuos resurgere, cæcos uidere, mutos loqui, & surdos audire fecit, quæ noster Euangelista mox in ipso exordio apparitionis Christi facta esse pulchrè describit hoc capite, de quibus uidere est Esa. 35. ubi sic legimus. Ipse ueniet & saluabit uos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & laudabit lingua muti, &c. Quanquàm enim ista maiore uirtute, Christoq; magis competenti in animis mortalium, quàm corporibus sanandis præstita sunt, tamen etiam ista externa corporum curatio ad hoc prædicta est, ut esset testimonium præsentis saluatoris, iuxta uerbum prophetæ, unde & infra Matth. 11. cum Iohannes in uinculis constitutus discipulos suos ad Christum, ut illius cognitione imbuerentur, rogatum misisset, quis esset, an alterum expectare deberent, respondit Christus, proficti, renunciate Ioanni, ea quæ auditis et uidetis. Cæci uident, & claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui excitantur, &c. Qua sanè responsione non quidem dicit: Ego sum, qui uenturus erat, sed ita potenter prophetico testimonio idem dicit, ut nõ habuerint contradicendi facultatem, quotquot propheticorum oraculorum gnari erant. Malebat enim ad ipsum operum testimonium eos mittere, quàm uerborum. Cum ergo hoc capite uideamus ista prædicta de Christi aduentu, saluatorisq; præsentia miracula describi, quale est & hoc, quod iam de curato muto tractandum est, quid

aliud

aliud priore loco notabimus, quàm quod ipsa diuina prouidentia notandum nobis proponere uoluit: nempe ut iuxta Christi dictũ, opera quæ ego facio testimonium perhibent de me, testimonia ista de Christo, deq; aduentu & regno saluatoris ad cõfirmandam ipsius cognitionem animis nostris infigamus?

Hoc etiam animis turbæ obuiam factum est, ubi dicũt: Nunquàm apparuit sic in Israël. Quibus sanè uerbis apertè fatentur, ista miracula prophetarũ gratiã ac dispensationem excedere omnium, quotquot in Israël populo Dei cõparuerunt unquàm. Id quod nihil erat aliud quàm suprà omnes prophetas hunc Iesum, atq; ita in locum Christi ponere. Proinde ista pro principali declaratione & usu huius historiæ præmittere uolui, ut assuescamus testimonijs regni Christi, ad cõfirmandam pro-
7 pheticis testimonijs fidem nostrã aliàs longè imbecilliorem, quàm quæ in tentationibus subsisteret. Iam uideamus, quæ præterea sint notanda.

QVAE NOTANDA SINT ex hac historia.

8 Primo. In eo quod dicit: Ecce adduxerunt illi hominem mutum dæmoniacum, obseruandum est quomodo Christus non solum eos, qui ultro ad se opem implorantes ueniebant curauerit, sed & eos, qui non sua uoluntate, sed aliena inuiti adducebantur. Nam illis quibus omnes Christi actiones ad institutionem obseruandæ & pensandæ sunt, non sine fructu etiam hoc obseruationis erit, ut animaduertant quales fuerint, qui per Christum curati sunt. Perscrutantibus aũt quales fuerint, occurret quadruplex genus hominum à Christo curatum esse.

Primum eorum qui sua sponte accesserunt opemq; rogarunt. Vt cæci, leprosi, & id genus aliorũ. Alterum eorũ ad quos per alios adductus est, ut erat filia Archisynagogi, de qua supra. Vel pro quibus rogatus est absentibus, ut erat seruus Centurionis, & filia Cananææ mulieris. Tertium eorũ, quos ipse ultro nõ uocatus accessit, & curauit, ut erat ægrotus ille 38. annos morbo laborãs, Ioan. 5. Deinde & filius uiduæ mortuus. Luc. 7.

Quartum eorum, qui non solum ultro non ueniebant. Sed inuiti quoq; adducebantur: qualis erat hic dæmoniacus mutus, cuius curatio hac præsenti historia describitur? in qua singularis Christi bonitas, & ad curandum procliuitas proponitur.

Tametsi enim non sine magna bonitate Christi curati sint, qui ultro ueniebãt, opemq; orabãt: deinde etiã maiorẽ declarauerit in illis, quos uocatus accessit, & curauit: etiã in eis quos absentes rogatus curauit, et in alijs quos nõ rogatus curauit, multo tamẽ maiorẽ, imò maximã in istis ostendit, quos inuitos nedũ salutis suæ nihil cupidos curauit, id quod in hoc dæmoniaco factũ uidemus.

Ingenium eorum est, qui alicui rei impensissime dediti sunt, ut in ea sectanda nulla certa regula teneantur, nullo certo loco, nullo tempore, sed quouis modo loco, tempore, ubicũq; se offert occasio ad id quod gestit animus, quàm cupidissime tendant. Huius innumera sunt exempla in uita mortalium. Qui ludis delectatur, nullo certo ludendi genere, loco, tempore, collusore, se patitur includi. Qui compotationibus studet, quouis pacto, cuiuis, nullo non diei articulo paratus est ad bibendum.

Pater qui liberis suis impense fauet, unum hoc agit, uno hoc delectatur, ut illis consulat & beneficiat. Cæterum nulli certæ regulæ se addicit, sed omnibus horis, ubiq;, & modis omnibus ad beneficiendum liberis appositus est. Si rogatur à filio & ad succurrendum implo ratur, paratus est. Si quisquàm alius pro absente filio rogat, paratus est. Si tales sunt liberi, ut opem implorare nesciant, imò etiã auersentur, non animum uel linguam, sed magis ipsam eorum necessitatem considerans, pro uiribus suis opitulatur.

Ad eum omnino modum Christum nobis describunt Euangelicæ historiæ. Rogatus exaudit & adiuuat, uocatus accedit. Non accedentes accedit ipse & ultro curat, non rogãtes. Attractos ab alijs nihil opis rogãtes, quin etiã auersantes nõ minore facilitate, quàm si opẽ ipsi rogassent curat, & sanitati restituit. Imò multo facilius. Nihil enim hic eorũ audimus, quæ de reliquis cõmorantur. Confide fili, uel creditis me hoc posse facere et, id genus: sed mox neglectis istis omnibus adductũ curat. Respicit magis quid ipsa miseri calamitas dicat, q̃ 1
quid lingua uel animus malo spiritu occupatus nõ dicat. Sed quis pater hoc non facit filio suo? Quãto magis Christus? Cum ergo tanta sit Christi bonitas, tam miseris omnibus ad succurrendum prompta, nihil desperemus de
2 illis, qui salutis suæ parum cupidi, nescio quo dæmonio uexantur, sed adducamus eos nostris precationibus ad
3 eum, nihil dubitantes, affore auxilium.

Videmus etiã hoc loco, quàm non debeamus de illis desperare, quibus uel non est datus, uel ademptus rationis usus, cum illorum calamitas ipsa plus in auribus Dei loquatur, quàm uerba sensatorum.

Habent & isti suam hic consolationem, qui timent sibi rationis usum sub tempus moriendi ademptum iri, atq; ita futurum, ut nequeant animas suas corde fideli, & ad misericordiam Dei suspirante commendare, id quod putant causam fore, ut misericordia Dei priuentur, si ita contigerit. Sed isti non bene ingenium diuinæ bonitatis expendunt, cuius hic exemplum habemus. Magnum quidem est corde adhuc sano & mente integra in extremis constitutũ spiritum suum Domino ex animo commendare. Verum propterea non est putandum à cœlesti beatitudine fore excludendũ, si quisquàm non incredulitate, sed mentis inopia eò fuerit adactus, ut hoc facere nequeant, cum non sit iudicium Domini decretum ad mortem super mentis inopia, sed super incredulitate, & ipsa mentis inopia per se magis diuinam clementiam imploret, quàm ulla bene sani lingua.

Secundo. In eo quod dicit eum hominem, qui adducebatur mutũ fuisse & dæmoniacum, satis quidem ostendit sermonis usum per dæmonium illi, quo obsidebatur, fuisse adẽptũ. Quærendũ uerò qua ratione spiritus ille malus homini loquẽdi ademerit usum. Neq; enim putandum est, quod hoc frustra et sine ratione negocij sui fecerit. Dicam igitur quod mihi uidetur. Ingeniũ Satanæ est gloriã Dei in creaturis suis opprimere. Nã planè illi cõtrarius est & hostis. Gloria uerò dei est in opificio hominis nõ modica, quod audit, uidet, intelligit, & loquitur.

Neque enim ullus est intellectus humanæ rationis qui queat istorum capere rationẽ. Proinde plerunq; Satan in eo est, ut istã gloriam Dei in illis, quos inhabitat pessundet. Atq; ita Mar. 7. legimus Christo oblatum dæmoniacum, qui fuerit surdus & mutus. Et infrà 12. fit mentio dæmoniaci, qui fuerit cæcus & mutus, ita ut aperte liqueat Satanam gloriam Dei in his donis solitum fuisse, maxime illo tempore obscurare, præsertim uerò in usu loquendi. Nam & in eo cuius hic, & in eo cuius infra 12 & in eo cuius Mar. 7. fit mentio, uidemus usum & uires sermonis abstulisse, uel certè cohibuisse Satanam.

Videmus ergo hoc loco, quod sit ingenium Satanæ. Nẽpe ut ea dona hominis, quæ diuinitus habet, ad hoc, ut in cognitione Dei crescat, & ad gloriam Dei uiuat, uidendo, audiendo, loquendo, intelligendo, supprimat, reddatq; hominẽ plane mentis inopem. Vnde satis cõstare nobis poterit, etiã si nulla ex re alia liqueret, ista dona Dei cum ad gloriam diuini nominis, tum ad nostram salutem & utilitatem esse data. Quis enim dubitat Satanam gloriæ Dei, & nostræ salutis esse infensissimum hostem? Quòd si hoc est, nequeunt omnia illius machinamenta aliò tendere, quàm ad hoc unum, ut gloriam Dei & nostram salutem pessundent.

Ex his itaq; uidemus quo spiritu teneantur, qui uel ad ea quæ gloriam Dei, uel ad ea quæ communem hominum salutem concernunt, muti sunt. Nempe nullo alio, nisi Satanæ. Voco aũt hic mutum esse ad gloriam Dei, nõ eos solum, qui ne uerbo quidem eorum recordãtur, mentionemq; faciunt, quæ Dei sunt, aliàs in rebus uanis eloquentissimi, ut sunt filij huius seculi, crasse carnales. Sed & eos, qui eum loquendi usum amittũt, quem ut inter se uersent, mentesq; suas alter alteri explicent, mortalibus dedit immensa Dei prouidentia & bonitas. Est enim uerbum imago mentis nostræ, quod quisq; in rebus gerendis proximo suo, quasi mentis suæ exemplar proponit. Hoc enim Deo uisum est efficere, & hominibus solis præ animantibus omnibus tribuere, quia non solum eos in communionem quandam præcipuam, & singularem sistere uoluit, ad quam sermonis usus plurimum conduceret, sed & imaginem quandam hominibus inesse uoluit diuinitatis illius ineffabilis, qua mens æterna & consilium illud perpetuum de homine ipsi homini per uerbum suum, Christum Iesum ab initio mundi in finem usq; manifestaretur. Atq; hinc est, quod Christus & uerbum & imago Dei patris inuisibilis in scripturis nuncupatur. Quis enim nobis uoluntatem & mentem Dei erga nos, quem nemo unquam uidit, declarasset, nisi hoc factum fuisset per Christum Iesum, cum in ueteri tum in nouo testamento? Huic inquam, gloriæ Dei, quæ est in usu uerbi sermonisq; humani, quisquis os suũ erga proximum claudit, utut interea de Deo multa loquatur, reuera aduersarius est, & non Christi, sed Satanæ spiritu tenetur. Illud uerò facit in quibusdam spiritus superbiæ, in quibusdam uerò spiritus inuidiæ. Apertum est, quomodo inuida sermonẽ hominis erga proximũ suum liget, & cõtra illum absentem plus æquo soluat. Spiritus uerò superbiæ duplex in hac causa uidetur.

1 Primum in illis qui carnaliter, propter res terrenas insolescũt, & proximos pauperes alloqui dedignantur. Hoc dæmonio obmutescunt plerunq; diuites.

Deinde in illis, qui spiritaliter superbiunt, opinione 2
iustitiæ inflati, qui & ipsi proximis suis, quos peccatorum nomine contemnunt, beneficium sermonis impendere dedignantur. Hoc spiritu malo laborant plerunq; hypocritæ, et maxime nostro tempore Anabaptistarum quoddam genus, quos silentes uocant fratres, qui nemini ne salutati quidem, nisi suæ sectæ cõplicibus, loquuntur.

Christus uerò contrario modo, donum sermonis suo loco restituit. Non uult hominẽ esse mutum. Vindicator est enim gloriæ Dei in creaturis & operibus suis. Restituit autem sermonis usum non ad quæuis, sed ad ista duo in summa. Nẽpe ut & gloriæ Dei seruiat, & proximorum cõmoditati. Atq; ista ita sunt seria, ut Christus dicat Matth. 12. nos reddituros esse rationẽ de quocunq; uerbo ocioso, in die iudicij. Et Paulus Col. 3. Quicquid egeritis sermone aut facto, omnia in nomine Domini Iesu facite, gratias agentes deo, & patri per illum. Et Ephe. 5. Cæterum scortatio & omnis immundicia, aut auaricia ne nominetur quidem inter uos, sicut decet sanctos, aut obscenitas, aut stultiloquiũ, aut urbanitas, quæ non conueniunt, sed magis gratiarũ actio. Quod uerò attinet ad affabilitatẽ erga proximũ, habemus Matth. 5. Vbi uult nos non solum amicos, sed & inimicos salutare. Quin ipsa tota Christi uita, etiã hac in re exemplar quoddam nobis proponit. Proinde uult Paulus Christianum hominem comem esse erga homines. Col. 3. Christus itaque etiam hodie opera spirituũ immundorum, superbiæ & Psal. 9
inuidentiæ: item & incredulitatis & ignorantiæ dissoluens, spiritu suo, spiritu fidei nõ solum corda nostra, sed & ora resoluit ad laudem Dei. Hinc illud est: Credidi, quapropter & loquutus sum, Psal. 116. Et 2 Corinth. 4. Cæterum cum habeamus eundem spiritum fidei iuxta illud quod scriptum est: Credidi, & ideò loquutus sum, & nos credimus, quapropter & loquimur. Ita & spiritu charitatis tã ora quàm corda nostra ad affabilitatem & comitatẽ, eiecto spiritu superbiæ, et inuidiæ resoluit.

Notanda etiam hoc loco summa Satanæ peruersitas, qua ad ignominiã gloriæ & operum Dei, non solum mutos, cæcos, ac surdos reddit homines. Sed & hodie quoq; homines uidentes, audientes, & loquentes idolis cæcis, surdis, ac mutis subijcit. Verum hoc non faceret, nisi eos primũ mẽte excæcasset, surdosq; ac mutos reddidisset. Nam ita dicit Dauid, Psal. 115. Similes sunt illis qui faciũt ea. Adducamus ergo istos quoq; ad Christum.

Cum itaq; intelligamus ingenium utriusq; & Satanæ & Christi. Satanæ, quod deditus est uel ad compescendam planè, uel ad peruertendã hominis linguã, tanq; gloriæ Dei ex professo hostis, maxime aduersus illos, quorũ officium in eo est, ut uel sermoni regni Dei, uel iudicio Dei, quod magistratui cõmissum est, seruiãt, ut sunt uerbi Dei ministri, & iudices terræ. Christi uerò, quod ad hoc ad homines uenit, ut opera diaboli dissoluat, surdos audire, cæcos uidere, mutos loqui faciat. Precemur eum etiam hodie, ut mutos nostros loqui faciat, & eos qui loquuntur ab isto spiritu muto custodiat, & peruersa labia muta reddat, iuxta petitionem Dauidis, Psal. 31.

Pulchre

Pulchre etiã Euangelista, ut istam Christi uirtutem, qua linguas mutorum soluit, commendet, cum dixisset: ecce attulerunt ei hominem mutum dæmoniacum, non subiecit, & eiecto dæmonio loquutus est homo. Quid enim miraculi, si loquitur homo? Neq; dixit, loquutus est dæmoniacus. Nam & hoc non est rarum, sed dixit: loquutus est mutus. Oportebat hunc hominem etiam loquendo nomen obtinere muti, ad cõmendationem uirtutis Christi. Ita publicanus, ita mulier peccatrix, ita latro, adhuc retinent uitiorum nomina, ad commendationem gratiæ Dei.

Epist. 53 Sic Leo papa in quadam Epistola uocat Christum ad dexteram Dei corruptibilem pulverem, nimirum ad nostram carnem respiciens.

Tertio. Notandum est, quod miraculum hoc Christi uariè excipitur, iuxta quod tamen regnabãt in hominibus singulares affectus. Miraculum hoc omnino erat in se simplex & bonum, & apertissimum indicium regni Dei. Sed hic uidemus quàm non eodem modo exponatur. Aliter factum Christi excipiunt turbæ, aliter Scribæ & Pharisæi. Turbæ dicebant: Nunquam apparuit sic in Israël. Scribæ & Pharisæi, in principe dæmoniorum eijcit dæmonia.

Videmus hoc exemplo. Primum, quàm multũ situm sit ad iudicandas res bonas in hominum affectibus. Vulgus erat affectu simplici & minus uiciato. Nullo tenebantur inanis gloriæ, nullo inuidentiæ spiritu. Proinde oculis puris factum Christi contuebantur, & simpliciter quod uerum erat iudicabãt. Verum enim erat, nunquàm sic apparuisse in Israël. Isti ergo gloriam Christi profiterẽtur in hoc facto. Scribæ uerò & Pharisæi, hãc Christi gloriam non ferentes, iuxta quod uitiatis erant affectibus. Sinistræ factum Christi interpretantur, & quod bonum est, malum esse dicunt, quod ex Deo, Satanæ adscribunt. Hoc itaq; exemplo conspicuum est, quàm nequeant de rebus bonis bene iudicare, qui excæcatis sunt per inuidiam mentibus: quemadmodum qui palatos habẽt corruptos & amaros, istis etiam dulcissima amara sunt. Quid ergo nobis hodie aliud usuueniret nostris corruptissimis temporibus, ubi pauci sunt inter eos qui regno Christi seruire deberẽt, quorum affectus non sint corrupti, quàm quod hic uidemus contingere Christo, in re tam aperta & clara? Vulgus quidem minus corrupto iudicio, aliquanto melius de ueritate iudicat: primores uerò, quod uerum est, dicunt esse mendacium, quod uerbum Christi, hæresim.

EXEMPLI GRATIA.

1 Sacerdos in matrimonio constitutus, immundus est, in fornicatione uerò mundus. Contra illud Ebr. 13. & 1 Timo. 3.

2 Qui sub utraq; specie, cum de plebe sit, communicat hæreticus est, qui tantum sub una catholicus. Cõtra apertam Christi institutionem, & publicum primitiuæ Ecclesiæ usum, id quod & cõciliũ Constantiense fatetur.

3 Qui unum mediatorem Christum profitetur, hæreticus est, ex diabolo est, qui uerò neglecto Christo alios quærit, catholicus est, contra Paulum 1 Tim. 2.

4 Qui simulacris non prouoluitur, hæreticus est, qui uerò illa colit, catholicus est. Cõtra apertum Dei mandatum, non faciendi neq; procumbendi ante simulacra. Exo. 20. Ista sint exempli gratia dicta. Nam innumera sunt huiusmodi deprauata ipsorum iudicia.

Ex hoc loco etiam uidere est, quàm non sit nouum, quod Ecclesiasticæ cõciones etiam ab auditoribus tam uarie, tam sinistre iudicantur. Hic habet quod carpat, cum iste idem laudet, & quod hic laudat, iste uituperat. Vnde hoc nisi ex eo, quod diuersis auditur affectibus?

Hoc uerò uitium, quod res bona sinistre exponitur, non solum in ista fidei causa obseruandum est, & corrigendum, sed etiã in alijs, siue publicis, siue priuatis. Spiritus inuidiæ non habet aliud ingeniũ. Si non habet aperte malũ quod traducat, conatur etiam ea quæ bona sunt conspurcare, & suspecta sinistris interpretationibus reddere. Quod sane uitium nimis cõmune est omnibus. Quomodo Christus huic iudicio Pharisæorum respondeat, uidebimus infra cap. 12. ubi idem habebimus.

Deinde notandum est etiam hoc loco, quomodo nõ nunquam ueritas ita se dilucide mortalium oculis suffundat, ut nõ nequeant eam agnoscere, & tamen illam non semper ad salutem usurpari. Sed magis ad hoc ut sint inexcusabiles, quod sanè hoc exemplo uidemus. Populus agnouit aduentum Christi, agnouit nunquam talem apparuisse in Israël. Verũ quomodo illa cognitione Christi est usus? Hoc apparuit tempore crucis, & postea, ubi pauci aliquot illa bene sunt usi. De istis dicit Christus: Si non uenissem & opera fecissem, quæ nemo alius facere potuit, peccatum non haberent. Iam uerò excusationem non habent de peccato suo. Quid quæso erat aliud quod uulgus dicit hoc loco. Nunquam sic apparuit in Israël, quàm quod hic Christus dicit: nempe nunq̃ uisum esse in Israël, qui talia feciisset, qualia uidebãt à Christo fieri? Proinde iudiciũ istorũ erit ex suo ipsorum ore. Ioan. 15

IN PRINCIPE DAEMONIORVM eijcit dæmonia.

Expendamus istam calumniam, quid in se malitiæ & uersutiæ habeat. Nam sæpe Christo obiecta est. Hic & infra 12. Mar. 3. & Lucæ 11.

Primum. Non audent negare factum ipsum id quod maluissent, quemadmodum & Ioan. 9. conabantur in cæco illuminato. Quia uerò cõspicuum erat factum, fatentur quidem, sed alia uia quærunt calumniam struere. 1

Deinde. Non audent etiam factũ istud tanquam malum in seipso culpare, quemadmodum reprehendebãt, quod cum publicanis et peccatoribus manducabat. Non enim in se ipso malum est dæmonia eijcere, homines mutos curare, & linguas illorum soluere, sed reuera bonum. Vnde & populus alicubi dicit: Bene omnia fecit, & surdos audire fecit, & mutos loqui. 2

Tertio. Neq; audent dicere factum hoc leuis esse momenti & uirium uulgarium. Nam mox audirent: Facite ergo uos ista, si uires humanas non excedunt. Fatentur ergo tale esse hoc factum, quod maiorem potestatem exigat quàm humanam. 3

Quarto. Neq; contradicere possunt, quod populus dicit: Nunquam talia uisa esse in Israël. Fuissent enim impudentiæ manifestæ. 4

QVID

QVID ERGO FACIVNT?

Quoniam factum ipsum non possunt negare, nec dicere nullius esse momenti aut malum in se, aut etiam ab alijs similia facta esse, & tamen ferre nequeunt gloriam istam, quam populus Christo facti huius & aliorum gratia dabat, translatione utuntur callidissima.

1 Primum istam potestatem eijciendorum dæmonum in alium transferentes, & ipsi Christo adimentes, ne uideatur ista sua potestate facere, sed prorsus aliena, atque ita nulla ad ipsum redeat gloria.

2 Deinde. Non satis habentes gloriã huius facti, quam populus illi tribuebat, Christo auferre, sed conantes ipsi etiam summam ignominiam ex hoc ipso facto inurere, non dicunt (quemadmodum Petrus & Ioannes Act. 3. ad populum dicebant: Quid admiramini? Vel quid nos intuemini, quasi nostra ipsorum uirtute claudum istum ambulare fecerimus?) Quid admiramini factum huius hominis? Non sua potestate hoc fecit, sed Deus ista fecit, quomodo & Ioan. 9. ad cæcum dicebãt: Da gloriã Deo. Nos scimus quod hic homo peccator sit. Ita inquam non dicunt, sed totum diabolo adscribunt, quatenus Christo suspicionem apud populum moueant, quod non solum istud, sed omnia sua mirabilia facta homo diabolicus dæmonum uirtute faciat, malo spiritu obsessus, ut & alibi dicunt: Samaritanus es, & dæmonium habes.

3 Tertio. Neq; hoc simpliciter faciũt, sed ita, ut ipsum traducant pro homine summe diabolico, qui non uulgari dæmone, sed ipso dæmonum principe agatur, idq; faciunt duplici astutia. Vna, ut uerisimile appareat, quod dicunt eum non Dei, sed diabolica uirtute eijcere dæmonia, id quod uerisimile non fuisset, si dixissent, in dæmonio eijcit dæmonia. Altera ut ei occurrant, quod populus dicit: Nunquam talia uisa esse in Israël, quasi fatentur & dicunt. Recte dicitis. Quia neq; talis unquam apparuit, qui non uulgari dæmonio, sed ipso dæmonum principe agitaretur, atque hic homo. Hinc scilicet est, quod talia facit, qualia hactenus à nemine sunt uisa.

4 Quarto. Et ut eò efficacius istã malam suspicionem contra Christum animis populi inculcent, addunt, ut est infrà 12. Mar. 3. Luc. 11. etiam nomen principis istius dæmoniorum, idq; non ignotum, sed tale quod esset ob ueterem idololatriam bene notum & pariter summopere exosum. Nempe Beelzebub, id est, magistrum uel deum muscarum, de quo est 2 Reg. 1. Vbi uocatur Deus Accaron Beelzebub. Sciebant enim populum nõ modicam nauseam, & abominationem concepisse tum tempus erga idololatriam gentium, atq; ita conantur uulgo huiusmodi cogitationes mouere. Hic homo, animum ad legem Dei non habet, id quod patet in sabbatis, quæ non custodit: deinde & in eo, quod nõ offert in templis: item in eo quod sacerdotes Domini uituperat, unde apparet gentilem animũ in se habere, & monstri aliquid alere, atq; ita certè possibile est, quod Pharisæi dicunt eum in Beelzebub principe dæmoniorum eijcere dæmonia. Quid ergo futurum est aliud, quàm ut eos, quos deceperit in cultum idolorum ac dæmonum denuo deducat? Ad hũc modũ uidetur mihi habere ista calumnia, quam hoc loco Pharisæi Christo mouent.

Beelzebub

NOTANDA.

Notandum ergo priore loco, quæ sit astutia & malicia diaboli. Nam nemini dubiũ est, quin ex diaboli instinctu dicant ista Pharisæi, qui pater est omnis mendacij & maliciæ. Nomen suum huic facto Christi adscribit nõ ut illud honorabile reddat, sed abominabile. Qua re sanè confirmat malam illam opinionẽ, apud omnes mortales de se conceptã. Confirmat esse dæmones, esse principem dæmoniorũ, eumq; esse malum, omnia ipsius esse astuta & mala, atq; ideò detestãda & fugienda. Rursus cõfirmat è regione esse Deum, eumq; bonum, & omnia ipsius similiter bona atq; ideò sectãda & appræhendenda. Ista inquam, facile cognosci & teneri à mortalibus patitur, sed & egregie confirmat. 1

Sed uide, quanta astutia opinionem istam in suum negocium uertat. Primum quæ Dei sunt, atq; propterea bona & salutaria, ne ab hominibus colantur, & appræhendantur, deturq; gloria Deo, & appræhendatur salus, in se transfert per calumniam, ut ea ita reddat suspecta & abominabilia. Quemadmodũ hoc loco uidemus ea quæ Christi uirtute fiunt, & ad humanæ salutis commodum fiunt, principi dæmoniorum adscribi, ad hoc, ut & Christus & opera sua suspicione mala grauentur.

Deinde quæ diabolica sunt, quæ malo spiritu aguntur, Deo adscribit, ut illa reddat honorifica & acceptabilia. Ita faciebat in ueteri testamento, ubi adinuentiones falsi cultus, diuinæ uoluntati adscribebat.

Quare ista facit? Primum ad hoc, ut cursum regni Dei impediat, quæ ad regnum Christi pertinent, sibi, id est, Satanico & malo spiritui adscribit. Deinde ut regnũ suum promoueat, quæ sua sunt, Deo adscribit.

Deinde. Non est putandum, quod ista non etiam ministris Christi, post ascensionem Christi faciat. Nam Matth. 10. dicit Christus. Si patrem familiãs uocarunt Beelzebub, quanto magis domesticos eius. Proinde, non est satis ministris Christi, ut sciant esse diabolum, eumq; esse malum, & sciant esse Deum, eumq; bonũ, sed oportet, ut probe agnoscatur quid uerè ex diabolo, & quid uerè ex Deo sit. Nisi enim illa cognitio accesserit, etiam nobis usuueniet quod ueteribus. Nẽpe ut hoc ipso quod Deum scimus esse bonum, & quæ illius sunt sectati cupimus: diabolum uerò esse malum, & quæ huius sunt summopere detestanda, contra animi nostri sententiam ad nostram perditionem faciet, dum quæ bona sunt & ex Deo Satanæ tribuentes, fugiemus, & quæ Satanæ Deo dantes, sectabimur. 2

Videmus itaque hic, non mox esse credendum illis, qui statim uociferantur istud est diabolicum, hoc est hæreticum, hoc est blasphemum: quando Satan illius est ingenij, ut hoc pacto innocentes & simplices seducat, sed testimonio sacræ scripturæ tenendam esse ueritatẽ, quæ sola nos saluare potest.

Et circuibat Iesus ciuitates omnes ac uicos, docens in synagogis illorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans omnem morbũ, & omnem languorem in populo. Cum uidisset autem turbas affectu

affectu misericordiæ tactus est erga illas, quod essent destituti ac dispersi uelut oues nõ habentes pastorem. Tunc dicit discipulis suis, ipsa quidem messis copiosa, cæterum operarij pauci. Rogate igitur Dominum messis, ut extrudat operarios in messem suam.

Diuidemus hunc locum in duo. Primum tractabimus circuitum hunc Christi. Alterum erit de affectu misericordiæ, quem erga turbas desolatas habuisse describitur, & de eo quod discipulos promittẽdis operarijs dominum messis orare monuit. Primo. Et circuibat Iesus. Hæc uerba etiam supra habentur ad uerbum, cap. 4. propè finem: quæ tametsi ibidem de illis egerimus, quia tamen iam denuo occurrunt, agemus & denuo de illorũ utilitate. Neq; enim frustra tam diligẽter circuitus Christi ad docendum & sanandum ab Euangelista describitur. Zœlus ille & feruor Christi, quo ad saluandos quosuis, & ad promouẽdum regnum ac gloriam dei, destruendumq; regnum Satanæ ferebatur, non potuit satis diligenter describi. Erat enim maximus & incomparabilis. Quippe pastor erat Christus, medicus erat, saluator erat in hunc mundum à patre ad hoc missus, ut humanæ saluti succurreret. Hoc ut exprimat Euangelista, postea quàm singulatim quosdam locos, & quædam facta sanationum ac miraculorũ Christi cõmemorauit, ratus adhuc parum se dixisse, & eorũ quæ gessit Christus recensuisse, tanquam nunquam satis incredibile studiũ Christi ad promouendum regnum Dei declaraturus, si singulis enumerandis uellet immorari, summatim ea colligẽs dicit: Et circuibat Iesus &c. Q.d. Quid conor singulatim omnia Christi facta, quæ docendo & sanando circũquaq; patrauit recensere, id quod prolixißimi uoluminis esset? ut in summa dicam, quod per partes exprimere longum, & pro rerum gestarum copia & dignitate impoßibile est, breuiter hoc dico. Nullum in Galilea locum, ut supra dixi, nullum etiam in Iudæa, siue ciuitates spectes, siue uicos etiam minutas omisit, quem nõ diligenter inuiserit, in quo populum non docuerit in quo morbidos & ægrotos non benigne curauerit & sanitati restituerit, ipso facto ostendens, ad quid esset in hunc mundum à patre missus,

Cõmemorauit autem hactenus quomodo Christus primũ in Galilea cœperit docere, deinde quomodo morbos curauerit, circuẽundo per totum Galileam. Postea quomodo facto populi concursu ascenderit ad montem, & ibi discipulos docuerit. Sub hæc recensuit curationẽ leprosi, Serui cẽturionis, socrus Petri, & aliorum multorum, quomodo traiecto freto in terra Gergesenorum liberauerit duos dæmoniacos, post ad Galileã reuersus curauerit paralyticum, uocauerit Mattheum, suscitauerit filiam archisynagogi, sanauerit mulierẽ hæmorroidã, illuminauerit duos cæcos. Istis enumeratis, summatim, ut audiuimus subiungit. Et circuibat &c.

QVID EX HOC LOCO notandum sit.

Locum hũc paulo fusius excutiemus, eo quod nostris temporibus tantum dissidium in ea re ortum est, quæ salutem nostram concernit, nempe in doctrina Christianæ religionis.

Priore loco ponderandus est feruor ille Christi, & incomparabile studium prosequendi muneris sui, hoc est, docendi et sanandi, quod nihil erat aliud, quàm beatum uelle genus humanum corpore & anima. Cuius studij diligentia in eo pensanda est, quod non impeditur calumnia illa peßima Pharisæorum, quam iam tractauimus. Non cogitauit: Quòd si studium meum ad hunc modum uolũt sinistre & peruerse interpretari, bene desistam ergo, & permittam, ut ipsi faciant quod ego facio. Nihil huius meditatur, sed pro studio suo ac feruore promouendi regni Dei pergit. Quemadmodum Satan peripateticus est ad perdendũ, ita Christus ad sanãdum.

Deinde, & in eo æstimandum est, quo feruore munus suum exequutus sit, quod non duntaxat eos docuit & curauit qui ad se uenerunt, sed ipse ultro circuiens quosuis docuit & curauit, id quod signum est præcipuæ bonitatis & beneuolentiæ, quemadmodum & suprà ostendimus. Et tertio, in eo quod omnes ciuitates & uicos etiam &c.

Admonemur ergo hoc loco ministri Christi, ut ad exemplum Christi, & ipsi nihil moti maleuolorum calumnijs in prosequendo suo munere diligenter & studiose pergant, nec populum Dei deserant propter eos, qui nihil sciunt, nisi hæreses & anathemata obijcere: quin aliquando, ut hic factum uidemus, surdis auribus huiusmodi càlumnias transeant, tanquàm ita impudentes, ut non semper responsionẽ mereantur. Istud inquam in genere notãdum est omnibus Christi ministris. Et reuera magno opus est spiritu, ut qui ista experiuntur, fortiter & immotæ pergant. Nam & Hieremiæ toleratu duræ fuerunt, & graues huiusmodi calumniæ, ita ut nõnunquam cogitauerit munus suum deserere, quemadmodum uidemus expresse, Hiere. 20. Proinde orandus est Dominus, ut ministris suis spiritu fortitudinis adsit, ne deijciantur animis, & munus suum deserant.

Deinde specialiter exemplum hic habent circuẽundi & docendi, qui se Christi & Apostolorum uicarios esse gloriantur. Primũ Pontifex, deinde Cardinales, & Episcopi, qui se nolunt ad unius urbis Ecclesiam esse redactos, sed totas regiones suo muneri uindicant. Isti in magno fastu & luxu deliciantes circuitũ hunc Christi prorsus contemnunt, mittentes interea suffraganeos, ut parietes & altaria, & calices, & uestes consecrẽt, & officiales uel fiscales suos, ut pecuniam exugant.

Sed bone Deus quis ferret sumptus tot equitum, equorum, & reliquorum de comitatu Episcoporum, si nostri Episcopi, quales eos habemus, cogerentur Episcopatus suos circuire?

Ad hæc, quomodo non præter decorũ esset tam magnificorum Dominorum, si non solum ciuitates, sed & uicos quosuis deberent inuisere exemplo Christi? In canonibus habent Pontificij propter conseruandam autoritatem Episcoporum relinquendos esse Episcopos in urbibus maioribus, & minutos presbyteros in pagis ac uicis, ne uilescat dignitas Episcoporum, si ad tam minuta deduceretur. Rex cœli & terræ, quem tremunt angeli, ne uicum quidem intermittit, quem nõ inuisat. Quippe qui 99. relictis unam ouem errantem non negligit.

Est in Epistola Clementis ad Iacobum.

Omnino eorum est, quorum officio commissa sunt integra

integra regna, ditiones, regiones, hoc interest, ut si Apostoli sunt ipsi circueant omnes Ecclesias, si uerò magistratus sunt, mittant eos qui populum ubiq; doceant.

Ita fecisse legimus Iosaphat 2 Para. 17. qui sacerdotes, leuitas, adiunctis ministris suis, in omnes ciuitates & uicos regni sui emisit, ut circumquaq; docerent populum, idq; simul in id itineris assumpto uolumine legis.

Secundo loco. Expendendum est, quid in isto circuitu egerit Christus. Primarium est quod Euangelista cõmemorat, quod docuerit: deinde quod & sanauerit omnem morbum & languorem.

Debent ergo uicarij Christi & Apostolorum hoc exemplo doctores esse populi. Sed isti malunt regnantis in cœlo Christi uicarios agere, quàm in terra circumeuntis & docentis. 1 Primum enim istuc uidetur esse gloriosius, quàm si docendi munus exequerentur. Apparet nanq; humile quiddam esse, docere populum. Proinde relicto alijs utcunq; docendi munere, toti in hoc sunt, ut seculi principes adæquent, ac strenue omnibus imperent, nomine regnantis Christi. 2 Deinde uidetur esse quietius & minus molestum Dominos agere, quàm populi doctores. Est enim reuera res molestiæ plena, circuëuntem ac docentem Christum in terris exprimere.

DE DIGNITATE ET VTILITATE muneris docendi.

Nos autem contra declarabimus multo præstantius & generosius esse docere, quàm Dominorum more imperare. Deinde & maioris etiam utilitatis.

1 Dignitatem doctrinæ primum in eo consideremus, quod illa non potest administrari, sine rerum quæ docendæ sunt cognitione. Quid enim docebit rerũ omniũ ignarus? Doctor ergo rerum diuinarũ opus habet illarum cognitione. Qui uerò Dominum agit, nihil curans quomodo imperet, sed dicens: Sic uolo, sic iubeo, rem agit, quam quilibet stultus agere potest. Quanto itaq; præstãtius est, id quod nõ omnes præstare possunt, quàm quod uel stultissimi quiq; possunt, & quanto est generosius rerum cognitio quàm ignorantia, tanto præstantius & generosius est docendi munus, quàm imperandi & superbiendi.

2 Deinde quàm sit præstantius docendi munus quàm imperãdi, etiam in eo uidere est, quod qui docet, ut animum instruit & illuminat, ita & uoluntariũ ad ea quæ docentur præstanda facit: qui uerò imperat, ut non instruit, ita nec uoluntarium reddit, atq; ideò cogit. Iam quis non maualt animum spontaneum quàm coactum? Quanto ergo præstantius est homines ad bonum uoluntarios reddere quàm cogere, tanto præstantius est docere quàm imperare:

3 Tertio. Si perpendas dignitatem doctrinæ ab ipso autore, quemadmodum solent qui rerum dignitates expendunt, etiam hic uidebimus, non esse rem adeò humilem ac uilem, quæ magnates istos dedeceat. Christus hic Dominus omnium, qui uno uerbo potuisset quosuis cogere, non dedignatur docendi munus usurpare. Non dicit Euangelista. Et circuibat imperans & mandans, sed docens. Et ne istud hoc loco duntaxat feciss̃e putetur, legitur Marci 10. consuetudinem habuisse docendi. Et sicut consueuerat, inquit, docebat eos. Et Luc. 19. Docebat quotidie in templo. Et in ueteri testamẽto attribuitur Deo docendi munus. Vt Esa. 48. Ego Dominus docens te utilia. Quin & ipsa lex, quæ uidetur multa imperare, à docendo magis quàm ab imperando תורה dicta nomen habet. Et Christus Ioan. 7. ut doctrinæ suæ autoritatem faceret dicebat: Doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me patris. Et Ioan. 6. Erunt omnes à Deo docti. De spiritu sancto quoq; dicit Christus, Ioan. 14. Paracletus aũt ille spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia. Et Ioan. 16. Cum aũt ille uenerit spiritus ueritatis, docebit uos omnẽ ueritatẽ. Si ergo diuina maiestas illa, quæ posset quosuis uel inuitos cogere mauult tamen docere quàm imperare. Quæ est ista peruersitas, quod ij qui ad docẽdum ordinati sunt, putant sibi dedecorosum esse, si hac in re ministros Dei præstarent?

Deinde si spectetur utilitas, absq; dubio etiam præstantius erit docere quàm imperare. Imperando quippe nemo saluatur. Docendo uerò saluari possent, qui doctrinæ obsequuntur. Esa. 3. Comparantur doctores pastoribus & doctrina pabulo. Dabo uobis, inquit pastores iuxta cor meum, & pascent uos scientia & intellectu. Et Ioan. 17. Hæc est uita æterna ut cognoscant &c. Atqui istud nõ fit imperando, sed docendo. Rom. 10. Quicũq; inuocauerit nomen Domini saluus erit. Quomodo inuocabunt in quem non credent? Quomodo credent de quo non audiunt? Quomodo audient sine prædicãte? Quomodo prædicabũt nisi mittãtur? Et 1 Corin. 1. Quin placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Et Ephe. 4. satis luculenter ostẽditur utilitas doctrinæ. Atq; hinc est quod Christus suos amandans in orbem uniuersum cum dixisset: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, non subiecit: ite & imperate uel mandate, sed: ite & prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes &c. docentes eos seruare &c.

Ex istis puto satis liquet quanto sit præstantius docere, quàm imperare, ut uideamus stultitiã eorum, qui munus docendi negligentes malunt imperando terribiles esse, quàm docendo prodesse.

Verum hic nolim locum dari illis, qui omnem coactionem è negocio religionis tollunt. Magistratus habet imperium. Illo debet uti ad gloriã Dei promouendam, & cogere quidem subditos, sed ad hoc ut audiant & doceantur, ad exemplum Iosaphat de quo suprà. Nam est aliquis locus in religione coactionis eius, quæ fit per Magistratum. Sed docendi munus multo est præstantius, ut dictum est, id quod propriè ad Episcopos pertinet.

In Epistola Clementis ad Iacobum legitur Petrum ita dixisse, cum sibi successorem substitueret. Clemẽtem hũc Episcopum uobis ordino, cui soli meæ prædicationis & doctrinæ cathedram trado.

Item. Neq; enim iudicẽ aut cognitorẽ secularium negotiorũ hodie te ordinare uult Christus, ne præfocatus præsentibus hominũ, curis nõ possis uerbo Dei uacare.

Item. Idcirco tu quidem ad hoc solum uocato, ut opportune & sine intermissione doceas uerbum Dei, per quod homines salutem consequi possint.

QVOMODO

QVOMODO AD FIDEM NEMO cogendus sit.

Augustin. tom. 7. contra literas Petiliani Donat. lib. 2. cap. 83. Ad fidem quidem, inquit, nullus est cogendus inuitus, sed per seueritatem, imò & per misericordiam Dei tribulationum flagellis solet perfidia castigari. Nunquid quia mores optimi libertate uoluntatis eliguntur, ideò mores pessimi non legis integritate puniuntur? Sed tum male uiuendi ultrix disciplina præposterа est, nisi cum præcedens bene uiuendi doctrina contemnitur. Si quæ igitur aduersus hæreticos leges constitutæ sunt, non eis benefacere coguntur, sed malefacere prohibentur. Nam benefacere nemo potest, nisi elegerit, nisi amauerit, quod est in libera uolũtate. Timor autem pœnarum etsi nondum habet delectationem bonæ conscientiæ, saltem intra claustra cogitationis conbèrcet malam cupiditatem. Hæc ille.

COACTIONEM NON DEBERE fieri sine doctrina, & uicissim.

Idem ad Vincentium Epist. 48. Si terrerentur & non docerentur, improba quasi dominatio uideretur. Sed rursus, si docerentur & non terrerentur, uetustate consuetudinis obdurarentur, & ad capescendam uiam salutis pigrius mouerentur. Ibidem. Quis nos potest amplius amare quàm Deus? Et tamen nos non solum docere suauiter, uerumetiam terrere salubriter non cessat.

Sed ista coactio, quemadmodum dixi, non Episcoporum, sed Magistratus muneri tribuenda est. Episcoporum est docere, corripere, admonere, & tantum urgere auditores, quantum uerbo ueritatis, & gladio spiritus expediri poterit. Vide hic Chrysost. super Epist. ad Eph. hom. 11. Et ad Tit. hom. 2. Et Bernhardũ ad Eugenium de consider. lib. 2. cap. 4.

In synagogis. Tertio loco. Notandum est, ubi docuerit Christus. Neq; enim & istud prætereundum est. Quippe quod nõ frustra ab Euangelista commemoratur. Posteaquàm enim dixisset. Et circuibat Iesus per omnes ciuitates & uicos, docens subdit: in Synagogis, ne putaretur clanculum hoc fecisse in latebris, quemadmodum solent falsi prophetæ et Apostoli, qui cũ lucẽ publici ferre nequeãt, & sua publico iudicio omnium obijcere, tenebras captant, ad seducendum incautos, id quod indicium est falsæ doctrinæ. Christus uerò nõ ita. Veritatem enim docebat, lucem amans, latebrarum tenebras fugiebat, atq; ideò doctrinam suam publice cunctis audientibus proponebat. Ioh. 3. Nam omnis qui male agit, odit lucẽ, nec uenit ad lucem, ne arguantur opera ipsius. Qui autem operatur ueritatem uenit ad lucem, ut conspicua fiant facta ipsius. Ioh. 18. Nam ex Deo sunt facta. Atq; ita & doctrinam suã à calumnia seductionis & falsitatis tutus est Christus apud Pontificem in concilio cum de illa interrogaretur, dicens: Ego palam loquutus sum mundo, ego semper docui in synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto loquutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui me audierunt, quid loquutus sim ipsis. Ecce hi sciunt quæ dixerim ego. Q. d. Non sum ex eorum numero, qui lucem fugiunt, propterea quod opera eorum mala sunt, sed magis ex illis qui ueritatem docent, atq; ideò lucem ferre possunt.

Idem uidere est in circuitu Pauli & Barnabæ Act. 13. 14. 15. 16. etiam in oratorijs gentium 17. quomodo non in latebras irrepserint, sed publicos conuentus inuiserint, & publicè docuerint. Vnde ubiq; Euangelista Lucas inculcat illud, & docebant in synagogis. Nam ita & Christus fecerat, doctrinam q; suam hoc pacto defenderat, & Apostolis suis quoq;, ut ita facerent præceperat, Matth. 10. Quod dico uobis in tenebris, dicite in luce, quod in aurẽ auditis prædicate si: per tecta. Istud studiose fecerunt Apostoli ad exemplum pariter, & præceptum Magistri sui.

Atq; ex hoc loco facile nobis sumenda nota est, qua agnoscamus nostri temporis seductores ex Anabaptistis qui more subintroëuntium fratrum circueũtes, in latebras irrepunt, & nocturnis tenebris zizania seminant. Quid isti efficiant, & quis sit finis instituti illorum, horrendo exemplo Monasterienſium docetur.

Si possunt, sequitur non in eo notam esse ueræ doctrinæ, quod aliquis publicè docet.

Verum est. Non mox uera docet, qui publice docet. Neq; istud hoc loco agitur. Et doctrina Christi non sic defenditur, quod propterea fuerit uera, quod publicè docuit, cum & suo tempore pharisæi & scribæ doctrinas & adinuentiones suas in synagogis publicè docuerint, sed magis in eo seductionis notam, peculiarem scilicet illam seductorum, à se reijcit, quod non amauerit tenebras et latebras, sed magis lucem ac publicum. Qui occultè docere amat, indicium de se præbet seductionis & falsæ doctrinæ. Propterea tamen non sequitur, quod omnis publica doctrina iusta sit & inculpabilis. Quem admodũ nõ quidè mox bene curat, ita ut male nequeat, qui publicus medicus est, & tamen qui medicinæ suæ rationem ita occulit, ut ad lucem non ueniat, & studio tenebras amat non obscurã notam exhibet falsæ medicinæ.

Notatur ergo studium occultè docendi, non simpliciter occulta doctrina. Nam alioqui & Christus discipulos suos secreto quædam docuit, quæ uulgus publicè non docuit. Ita habet ingenium seductorum, ut ament latebras. Istud carpitur. Rursus qui ueritatem docens, amant lucem, hoc commendatur.

Obseruandum est etiam, quod tametsi uerum sit etiam à publice prædicantibus falsa posse doceri, minus tamen periculi est hic, quàm ab illis qui clanculum falsa tradunt. Quemadmodum enim publica mala citius possunt agnosci, ac carpi, occulta uero non ita, ita & seductio habet. Illa si fuerit occulta, ut non potest deprehendi ita non potest prohiberi. Et tamen instar fermenti paulatim uirus suum foras exerit, & totum aliquando Ecclesiæ corpus corrumpit. Exemplo sint Monasterienses. Paulus comparat eam cancro serpenti.

Si fuerit publica, tametsi & sic mala & non toleranda, tamen potest deprehendi, maxime cum iam in omnium oculis, uel sint uel certe queant esse luminaria illa duo ueteris ac noui testamenti.

Duorum ergo admonemur hoc loco.

Primum ut suspecta nobis sit eorum doctrina, qui lucem fugiunt, siue sint Anabaptistæ, siue quicunq; alij.

Alterũ, ut lucem sacræ scripturæ usurpemus, quandoquidem & publice docentes seducere possunt.

Quarto. Videndum est etiam quid docuerit Christus. Neq; enim statim quæuis doctrina probanda est, sed oportet eam apprehendere, quæ ad salutem facit. Puto autem nemo negabit Christum, ut uitæ fontem, & ad salutem nobis à patre missum non de lana caprina, uel ijs rebus quæ ad salutem non pertinent, docere, sed ea duntaxat quorum cognitio nobis ad salutem necessaria est tradere. Quid ergo docuit? Non dicit, prædicans Sabbata, circumcisionem, uel traditiones patrum, sed: prædicans Euangeliũ regni. Quod si ista ad salutẽ profuissent, ea certe non istud prædicasset, quippe qui saluator aduenerat: Ergo Euãgeliũ doctrina Christi est, atq; ideò doctrina saluatoris ac salutis nostræ. Proinde Paulus Ro. 1. dicit illud esse uirtutem Dei ad saluandũ omnem credẽtem. Quid igitur faciũt, qui illud contemnunt? An non eã doctrinam contemnũt, quæ Christi est & salutis? In quo saluabuntur?

A persona prædicantis.

A dictione Euangelij.

Quid est autẽ Euangeliũ? Bonũ scilicet nunciũ. Ein gutes botenbrot. Tale scilicet, nunciũ, quod rem omniũ lætissimã & saluberrimã adferat, eamq; non priuatã sed uniuersalem, qua soli priuentur contemptores & incredduli. Ecce quàm læto titulo cõmẽdetur Christi doctrina?

De qua re uerò est illa Euangelica prædicatio? De regno. Prædicans, inquit, Euangelium regni. Cuius regni? Regni Dei, regni cœlorum.

Examinemus istam prædicationem. Nemini dubiũ sit istam Christi prædicationẽ esse de eo mysterio quod tum gerebatur: nimirum de redemptione humani generis. Hoc scilicet uocat regnum Dei, uel Euangelium regni. Prædicationis huius formam exprimitur, Marci 1. istis uerbis: Venit Iesus in Galilæam, prædicans Euangelium regni Dei, dicens: Impletum est tempus, aduenitq; regnum Dei, resipiscite & credite Euangelio. De hoc regno prædicatio Christi fuit, illius prædicationem cõmendauit Apostolis, Mar. ult. De illo prædicarũt etiam Apostoli. Qua uerò ratione uocatur hoc mysterium dispensationis Christi regnũ? Regnum à regnãdo dicitur. Est ergo regimen. Hic oportet esse regem, oportet esse populũ, oportet esse protectionem ac conseruationem populi. Nam alioqui non regnũ, sed uerius tyrannis uocaretur. Cuius est regnum? Dei. Quis est rex? Christus. Quale est regnũ? cœleste. Regnum meum inquit, non est de hoc mundo. Et appropinquauit regnum cœlorum.

Regnum.

Si ergo regnum prædicat Christus & regnum Dei, oportet ut ipsissimã salutem prædicet, idq; omniũ, quicunq; illius participes fuerint. Vuas solte es anders sein uuan Gott regirẽ uuil? uua soll sein reych anders hin reichen, dan zu aller seligheit? Vbi prædicatur illud? In mũdo, inter mortales, peccatores, &c. Ergo prædicatur recõciliatio. Ita legimus 2. Cor. 5. Deus erat in Christo mũdum reconcilians sibi, & imposuit in nos, &c. Reconciliatio uerò exigit peccatorũ remissionẽ, et omnimodam concordiam cũ Deo, & summam beneuolentiam. Hoc quæso quid est, quàm perfectissimã beatitudinẽ ac felicitatem prædicare? Rex uero regni huius est Christus, rex iustitiæ. Atq; ista uiderunt prophetæ, qui tam præclara de hoc regno Dei prædixerunt. Esa. 11. Hier. 23. Ezech. 34. Psal. 72. Et Luc. 1. Dabit illi Dominus Deus sedẽ Dauid patris sui, & regnabit in domo Iacob in æternũ. Et Mat. 1. Ipse saluum faciet populũ suũ à peccatis eorum.

Ergo prædicare Euangeliũ regni Dei nihil est aliud, quàm prædicare reconciliationem, remissionem peccatorum, restaurationem omniũ, Eph. 1. Col. 1. & æternã beatitudinem. Vnde Christus dicit: Beati sunt pauperes quoniam ipsorũ est regnum cœlorũ. Prædicare uerò ista oportet non in alterius nomine & fide, nisi unius Christi. Luc. ult. In summa prædicare Euãgelium regni Dei, est prædicare captiuis liberationẽ, ut est Luc. 4. Et Io. 8. Si uos in sermone meo manseritis liberi eritis. Et ueritas liberabit uos. Si uos filius liberauerit, uerè liberi eritis. Et Gal. 5. Vos in libertatem uocati estis fratres.

Commendatur itaq; nobis doctrina Christi, uel ipsis utut paucis uerbis, quæ Euangelista ponit. Primũ, quod eam uocat Euangelium, non tristem aliquam annunciationem, qualis plerunq; erat prophetarũ. Deinde quod non cuiusuis uulgaris boni nuncium, sed regni, id est, liberationis de seruitute & tyrannide, & uniuersalis cuiusdã salutis. Tertio. Neq; cuiusuis regni, sed Dei, quod tamdiu antea promiserat. Quarto, quod ipse Dei filius, regni huius rex ultro aduenit, prædicationem regni huius per se administrat, fitq; suipsius preco.

1 2 3 4

Quinto, quod nõ simpliciter de illo loquitur, sed prædicat, hoc est, ex animo magno gaudio, & plenis, ut dicitur buccis, exclamat.

5

Perpendamus iam qui sint, qui hodie Euangelium istud regni Dei prædicent.

Cum ergo Christus rex ille cœlestis tanto studio Euãgeliũ istud regni Dei prædicauerit, atq; Apostolis suis nihil aliud prædicare præceperit, puto satis liquet, eum non esse ministrum Christi, nec gloriam Christi quærere, qui aliam doctrinam prædicauerit. Imò Paulus ait talem esse anathema.

1

Deinde, quoniam ista prædicatio Euangelij sola est, quæ salutis doctrina uocari queat, sequitur eos qui illam non docent, seductores esse. Quod aũt ista sola sit salutis doctrina, satis puto hinc liquet quod Christus nullam aliam prædicauit, nec Apostolus aliam prædicandã commisit. Quicquid ergo uel isti doctrinæ contrarium, uel, in eandem stationem cum ea collocatum fuerit, non poterit non esse pernitiosum.

2

Tertio. Obseruandũ est etiam ex præmissis, non mox prædicare Euangelium regni Dei, eos qui, ut plerique solent, historias aliquas Euãgelij populo prædicant, more historico. Sed eos qui reconciliationem cũ Deo, pœnitentiã & remissionem peccatorũ, & fidem in Christũ, nomine Christi prædicant. Sic inquit Christus, oportebat Christũ pati & resurgere tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiã et remissionẽ peccatorũ, in omnes gẽtes. Et Paulus Act. 20. dicit ad Episcopos Ephesiorũ: Vos scitis, &c. quomodo nihil suffugerim eorũ quæ essent in rem uestrã, quin annũciarem uobis, & docerem uos publicè & per singulas domos, testificans Iudæis simul & Græcis, eam quæ erga Deũ est pœnitentiã, ac fidem, quæ est erga dominum nostrum Iesum Christum.

3 Luce.

Qui

Qui non prædicat Christum Iesum esse, non dico simpliciter saluatorem, sed unicũ saluatorem, eum scilicet, in cuius unius nomine nos oporteat saluos fieri, iste certe, etiamsi omnes historias euangelicas prædicet, Euangeliũ regni Dei nõ prædicat. Nam sic inquit Petrus, Act. 4. de Christo. Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomẽ est sub cœlo datũ hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Qui non prædicat unum mediatorem esse Christũ Iesum, non prædicat Euangeliũ. 1. Tim. 2. Vnus est Deus, & unus mediator Dei et hominum homo Christus Iesus. Qui non prædicat liberationem conscientiarum à seruitute traditionũ humanarũ, non prædicat Euangelium. Non enim prædicat uocationẽ Christianorũ de qua est in Pauli epistolis Gal. 5. & ad Colosſ. & alijs.

Qui non prædicat pœnitentiam erga Deũ, id est, cõuersionem à regno Satanæ & peccatorũ, non prædicat Euangelium, etiamsi multa de euangelica gratia dicat. Pœnitentiã uerò prædicat, qui populo Dei peccata sua annunciat, idq; non solum quæ sunt uulgi, sed & quæ magnatum, non solum quæ externa, et in oculis carnis mala sunt, sed & quæ superstitionem & hypocrisim concernunt, & quæ cum primis cordis impietatem resipiunt.

Rursus qui pœnitentiam quidẽ prædicat, sed remissionem peccatorũ per fidem in Christum, unicũ saluatorem non prædicat, non prædicat Euangelium regni.

Ex his scilicet facile liquet, qui uerè prædicent Euangelium regni Christi, & qui prædicent regnum ac dominium Pontificis Romani & suorum complicũ. Apertum est, quis hactenus regnauerit in Ecclesia, & apud multos etiã hodie regnet. Nempe cuius mandata eo loci habita sunt, ut facilius fuerit contra legem Dei & uerbũ Christi delinquentem ueniam sortiri, quàm si contra statuta Pontificia deliquisset.

Quod si fides spectetur, id est, fiducia, omnis uel in sanctos, uel in sacerdotes, uel in propria merita collocata est. Si obedientia spectetur, maior est apud eos quæ Pontifici, quàm quæ Christo præstatur. An hoc est prædicare & promouere regnum Christi?

Prædicãs. Postremo & hoc notandum est in eo, quod non simpliciter dicit, loquens de regno Dei, uel de Euangelio regni, sed prædicans, quales animi, qui affectus, quis spiritus ad hoc exigatur, ut quis Euangeliũ regni Dei annunciet. Exigit enim non simpliciter narrantem, aut loquentem, sed prædicantem. Prædicare uerò latinis, quemadmodum & κηρύττειν Græcis est rem aliquam collaudare, celebrare, multisq; & palàm apud omnes cõmendare. Quod ergo Euangelista dicit Christum circuisse, prædicasse Euangelion regni dei. Nihil aliud dicit quàm illum eam gratiã regni Dei, quæ tum offerebatur, reconciliationem humani generis, & restaurationem omniũ plenis buccis & magno spiritu apud omnes celebrasse, laudasse, & commẽdasse. Discimus igitur hic, quàm parum sint accõmodi prædicatores, id est, precones Euangelij regni Dei, quibus illud non est cordi, qui non regnũ Dei, sed quæ uentris sunt, quærunt. Quandoquidem non satis est ad prædicandi Euangelij munus exequendũ, simpliciter ad populũ dicere quæ scripta sunt, sed opus est, ut magno animi gaudio, & totis uiribus ista gratia prædicetur & magnificetur. Licet enim uera dicat, qui ea dicit, quæ in Euangelicis scriptis leguntur, nõ tamen mox dici potest Euangelij prædicator, nisi prædicantis etiam referat conditionẽ & מְשַׂפֵּט, hoc est, nisi aperte, palam, omnibus, magno gaudio, non tantũ narret, sed prædicet, celebret, commendat & extollat iucũdissimũ illud Euangelij nunciũ. Proinde parum apti sunt ad prædicandum Euangelium, qui tantũ hoc curant, ut ad horã dicant ad populum utcunq;, quicq; ita dicunt, ut neſcias an aliquo sint affectu ad ea quæ dicũt: quorũ quidam ita dicunt, ut quasi ex libro legere uideantur: quidam composita de industria uoce eodem accentu uerius canunt, quàm prædicant: quidam ita frigide, ut totũ auditorium tepescere faciant. Nonnulli neglecta Euangelij materia toti in hoc sunt, ut phalerata dictione suspendant magis quàm ædificent auditorẽ. Quorũ nihil in eo est, qui uerè & ex animo Euangelium regni prædicat, ita ut nemo non intelligat magno illum affectu gratiã Christi deprædicare & celebrare. Sed ad ista quis idoneus inquit Paulus? Rogemus ergo Dominum, ut ipse tales mittat.

Deinde. Quemadmodum nõ cuiusuis est uerè prædicare Euangelion regni, ita non cuiusuis est illud ritè audire, & ut decet accipere. Exigit nanq; talem auditorẽ cui Euangelion sit Euangelion, id est, quẽ hoc nuncium summopere adficiat et exhilaret, in eo quod prædicatur. Ad hoc enim institutũ est diuinitus, ut miseros & afflictos cõsoletur, & prædicatione libertatis, reconciliationis, & ueræ salutis magno gaudio repleat. Proinde in prophetis, ubi de Euãgelio prædicitur, perpetuo id uerbi ponitur, quod significat nõ simpliciter aliquid annunciare, sed rem lætam prædicare istis, quibus hoc nuncio magnum adfertur gaudium: nimirum quibus quæ ad salutem sunt annunciantur. Vtpote si captiuo quispiam adferat nunciũ liberationis. Illud quidem captiuo gratissimum erit, ei uerò qui uel captiuus non est, uel captũ se esse non dolet, non ita. Ebrei utuntur in his rebus dictione בְּשׂר quæ significat rem prosperam & iucundam annunciare, Hier. 20. Qui בִּשַּׂר, id est, nuncium attulit patri meo, natum esse sibi filium, & exhilarauit eum. Et ideò בְּשׂוֹרָה ein bottenbrot, & letũ nuncium, 2. Sam. 4. & 2. Reg. 7. significat, de illis scilicet qui caput Isebbosceth ad Dauidem adferentes, putabãt se rem omnium gratissimam annunciare. Et de leprosis, qui cum in castris Syriæ spolia hostiũ fugientiũ reperissent, dicebant הַיּוֹם הֶזֶה יוֹם בְּשׂוֹרָה הוּא, id est. An nõ dies ille, dies est boni nũcij? Hinc est quod Esa. 52. quem locũ Paulus citat Ro. 10. de prædicatione Euangelij legimus, quã speciosi pedes מְבַשֵּׂר טוֹב, &c. Et Esa. 61. quẽ Christus in synagoga Capernaum legit, eadem dictio est.

Quinto. Considerandũ est etiam, quid in eo sit animaduertendum, quod Euangelista dicit Christũ, non solum docuisse, sed & quemuis morbum, & quemuis languorem curasse in populo.

Ex isto loco quemadmodũ & supra cap. 8. notatum est, obseruandum est primo quid ad ædificationem fidei nostræ in Christo Iesu, deinde dilectionis quoq; facere queat. De fide nostra ex hoc loco alenda, ex ipso Euangelista supra 8. Deinde ex oratione Petri ad Cornelium

& ſuos, Acto. 10. pulcherrime peti poteſt. Duo quippe ſunt, quæ fidem in Chriſtum Ieſum confirmant. Vnum quod in Chriſto uidemus expreſſam Dei potentiam & uirtutem. Eam uerò declarauit in eo quod quemuis morbum & languorem curauit. Sic loquitur Petrus, Acto. 10. Quomodo Ieſum Nazarenum unxerit Deus ſpiritu ſancto & uirtute, qui obambulauit benefaciendo et ſanando omnes oppreſſos à diabolo. Quoniam Deus erat cum illo. Ecce quomodo ſpiritus ſanctus nobis in iſta oratione per os Apoſtoli Petri uſum iſtius loci aperiat oſtendatq;, quid ex eo debeamus capere: nempe, hinc colligere iſtum Ieſum, qui ita circuiuit benefaciendo & ſanando à Deo unctum eſſe ſpiritu ſancto & uirtute, ad hoc ut ſaluator eſſet omnium, & quod his ueluti teſtimonijs declaratum ſit Deum fuiſſe cum illo. Vt & Paulus 2. Corinth. 5. dicit. Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Et Chriſtus ipſe Ioh. 5. dicit: Opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quod pater miſerit me. Hinc ſcilicet corroborandi ſunt animi noſtri, in fide Chriſti quod in Chriſtum credentes, in Deum credamus, qui illum in mundum miſit, & iſtud diuina uirtute teſtimonium illi dedit. Ergo iſtæ ſanationes & curationes ægrotorum & languidorum ita cupiendæ ſunt, ut opera diuinæ uirtutis, & teſtimonia dei. Certe quiſquis teſtimonijs Dei credit, is fidei ſuæ ſolidum habet fundamentum. Iſta inquam ex oratione Petri ad Cornelium petenda ſunt.

Ex octauo uerò capite huius Euangeliſtæ petendum eſt, quomodo fides noſtra, non ſolum in potentia & uirtute, ſed & in diuina Chriſti bonitate & benignitate firmentur. Nam ibi cum idem ſcripſiſſet Euangeliſta de Chriſto quod hic adnotauit, tanquàm uſum eius loci demonſtrans, ſubdit: ut impleretur quod dictum erat per Eſaiam prophetam cum ait: Hic infirmitates noſtras ſuſcepit & morbos portauit. De quo uide quæ ſupra cap. 8. notata ſunt.

De dilectione uerò noſtra, quomodo illa ſit ad iſtud Chriſti exemplum formanda erga proximum, etiam ubi ſupra commemoratum eſt.

Hic uerò ſpecialiter ad amplificandam Chriſti bonitatem expendendum eſt, quod Euangeliſta dicit Chriſtum non ſolum πᾶσαν νόσον, id eſt, quemuis morbum. Sed & πᾶσαν μαλακίαν, id eſt, quemuis languorem curaſſe. Eſt autem ut & Eraſmus annotat inter morbum & languorem id differentiæ, quod morbus, utpote uehementior, hominem correptum in lectum proijcit, languor uerò, id eſt, imbecillitas quædam corporis, hominem etſi non permittat eſſe ſanum, lecto tamen non affigit.

In eo ergo, quod Chriſtus non ſolum uehementer ægrotos curat, ſed & eos qui nonnihil uel parum imbecillitatis in corpore patiebantur, ita ut non eſſent planè ſani, non contemnit tametſi non adeò multum ex ipſis gloriæ ad eum potuerit accedere, argumentum nobis exhibetur immenſa ipſius bonitatis, quæ quibuſuis ad ſuccurrendum, etiam leuiter uexatis, parata eſt. Tales facile contemnuntur. Vtpote qui non adeò grauiter ægrotent. Ingenium quippe eorum eſt, qui non ex animo diligunt, non ſtatim ſuccurrere, niſi forte cum uiderint hominem plane deiectum, & prope extrema patientẽ.

Et tamen interea nos omnes ita comparati ſumus, ut mox atq; tantillum languoris, uel incommodi nos apprehenderit, cupiamus neminem eſſe, qui nõ ſuccurrat.

Interea tamen nullæ nobis delitiæ ſatis ſunt, nullæ diuitiæ animos noſtros exaturare queunt, omnia parum ſunt quæ habemus, &c. Vnde hæc eſt inhumanitas erga alios? Ex eo ſcilicet, quod uel nulla, uel certe modica dilectione erga proximos præditi ſumus. Dilectio uera componeret nos ad iſtud exemplum Chriſti.

Admonemur ergo hoc loco, ut Chriſtum oremus unicum noſtrum ſaluatorem, quatenus pro ſuo ingenio, non ſolum uehementer in Eccleſia ægrotos curet, ſed & utcunq; languidos plenæ ſanitati reſtituat. Quid enim eſt illius Eccleſia, niſi quoddam Noſocomium, in quo uarij ſunt ægroti: partim planè decumbentes & & morituris ſimiles: partim imbecilles & languidi circueuntes?

Diſcamus igitur hic in ſumma eam eſſe Chriſti bonitatem, ut quoſuis uelit eſſe ſanos, colligamusque à minori ad maius, eum qui utcunque languidorum miſeretur, illosque non contemnit, ſed curat, multo minus neglecturum eſſe uehementer ægrotos, id quod nobis certe, qui ualde ægrotamus, magnæ conſolationi eſſe debet.

Ἐν τῷ λαῷ.

Poſtremo. Nec hoc prætereundum eſt, erga quos Chriſtus talis fuerit. Nam in eo non parum ſitum eſt ad corroborandam eam Chriſti bonitatem, de qua diximus. Inuenire quippe eſt etiam hodie medicos, qui magnam habeant non ſolum ægrotorum, ſed & languidorum curam & rationem. Sed quorum? Diuitum uidelicet & magnatum, ut uidemus fieri in urbibus opulentis & principum aulis. Quod ſi Chriſtus idem fecit erga nobiles, potentes, diuites, quid hinc habebit prærogatiuæ? Nihil. Sed dicat Euangeliſta. In populo inquit, ἐν τῷ λαῷ. Inter laicos. Vnder den leyen, dem uerachten uolck. Non putemus abſq; ratione additum, in populo. Cum enim dixiſſet: Et circuibat per omnes ciuitates & uicos, docens in Synagogis, & prædicans Euangelion regni, & curans quemuis morbum & quemuis languorem, ne cui in mentem incidat ſuſpicio, potentum & diuitum hac in re habitam eſſe rationem à Chriſto, quomodo ſolet in hoc ſeculo ab illis qui quæſtum aucupantur, diligenter fieri, addit: in populo. Et ut nullum relinquat ſuſpitionis uel ſiniſtræ interpretationis locum, non ponit ἄλλως, ſed τοῦ λαοῦ, quæ dictio uulgum plerunq; ſignificat. Alioqui in populo recenſentur aliquando & potentes & magnates. Eſt enim populi dictio, qua ſignificatur ea ſocietas hominum, quæ in unam ciuitatem, ciuilesq; leges eaſdem coadunata eſt. In illa ſunt patricij, magnates, nobiles: ſunt item plebei, quos dicere poteris laicos, hoc eſt, infimæ ſortis partem in populo, quæ & opibus, & potentia, & rerum ſcientia minores habeat, atq; ideò ab opulentioribus & peculiariori induſtria præditis facile contemnitur.

Atq;

Atq; ob eam causam Pontifices cum apud Pilatum
Luc. 23. Christum accusarent, cuperentq; eum hoc titulo damnari, quòd uulgum ac plebem, utpote ignauos ac leues homines ad seditionem commouisset, hac utebantur dictione, quam hic legimus, dicentes: ὅτι ἀναστατοῖ τὸν λαὸν, διδάσκων καθ' ὅλης τῆς Ἰουδαίας, ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἕως ὧδε.

Qua in re quoq; notandum est, quæ sit hominum maleuolorum prauitas, quàm peruerse detorqueant ad struendas calumnias, quæ à Christo diuina prorsus bonitate fiebant, ut hic uidemus. Illud quippe, quod Matthæus describit à Christo factum: nempe plebis rationem à Christo habitam, ita ut infirmos & languidos in populo curauerit, imperitosq; docuerit de Euangelio regni, ita peruertunt, ut inde cupiant speciem aliquam dari, structæ seditionis in populo, id est, Christum propterea infimæ sortis populo adeò fuisse amicum, ac ad illorum gratiam propensum, ut eum isto pacto ad se allectum, contra Magistratum excitaret. Atq; istud corroborare uidebatur, quod singulari affectu esset erga plebem, & parum propicius Pontificibus, Sacerdotibus, Scribis, & pharisæis. Deinde quod & populus uicißim aliquo apparebat esse erga Christum fauore, illum undiq; sectando, illum libenter audiendo, illum prædicando & celebrãdo. Vnde et dicebant Pharisæi, & Sacerdotes: Videtis quod nihil efficimus, quoniam omnis populus abit post eum.

Cum uidisset autem turbas, misertus est illarum, &c.

Iam consequenter Euangelista non contentus circuitum Christi, doctrinam & curationes ægrotorum descripsisse, subijcit quomodo in isto circuitu statum &
Idem uide Mar. 6. conditionem populi animaduerterit, & quàm sit illius ex animo misertus, ita ut non tantum facta Christi, sed et cor & animum illius erga populum exprimat. q. d. Interea uerò cum, ut dixi, per oppida & uicos quosuis circuiret, diligenter obseruauit deserti ac neglecti populi miseriam, ita ut ex animo illi condoluerit, commotaq; sint uiscera eius super dissectione ac dißipatione miserrimi populi, cuius nulla habebatur ratio, etiam ab illis quorũ erat officium instituere ac pascere populũ Dei.

Et ut ob oculos ponat, quomodo fuerit populi status, quàm misere habẽtem inuenerit Christus in isto suo circuitu, utitur duobus uerbis, quæ illud luce clarius declarant. ὅτι ἦσαν, inquit, ἐκλελυμένοι καὶ ἐρριμμένοι. Primum idem est atq; dissoluti & dißipati, quo modo sunt quæ extra iustum ordinem diuulsa uidentur, ita ut nulla pars alteri cohæreat.

Alterum significat dissectos uel sparsos, id quod de illis rebus sumitur, quæ negligenter & sine ordine sparsæ sunt ac proiectæ. Quibus sanè uerbis satis ostendit populum Dei à Christo inuentum esse dissolutum, dißipatum, dissectumq;, hoc est, palabundum & planè eorum cura, à quo debebat regi, destitutũ ac neglectũ.

Id ut euidentius exprimat, subdit similitudinem sumptam ab ouibus, quas mali & negligentes pastores in montibus sine omni custodia palabundas errare permittunt, id quod nihil est aliud, quàm in omne periculum exponere. Ita dicit fuisse turbas illas, omni doctrinæ pabulo destitutas.

Deinde ut non solum quàm malo fuerit statu populus, exponat, sed & ipsum defectum, uel causam potius defectus ostendat, addit Christum dixisse discipulis: Ipsa quidem meßis multa, cæterum operarij pauci. Quibus sanè uerbis apertè declaratur, culpam non fuisse populi, sed pastorum & doctorum. Quandoquidem populum comparat meßi ad falcem iam maturæ, cui nihil defuerit, nisi manus metentiũ & colligentium. Quemadmodum & in priore similitudine non dicit: Quia erãt sicut oues, non ferentes pastorẽ, sed sicut non habentes.

Quemadmodum igitur miserabile est oui culas, animal scilicet ignauum & inerme, cuius salus ab hoc maxime dependet, ut fidelem habeat pastorem, pastoris cura destitutas, atq; adeò lupis expositas sparsim oberrare, & in eo quod ad sustentationem quærit, inuenire interitum, & quomodo miserum est messem copiosam, quæ iam colligi poterat, per messorũ inopiam in agris deperire, ita uidebatur Christo habere rem populi sui temporis, quemadmodum hic describi uidemus.

Et quia uolebat discipulos suos eodem erga populi calamitatem misericordiæ affectu duci, admonet eos huius, dicens: Rogate igitur Dominum meßis, ut extrudat operarios in messem suam. Nequit enim fieri, ut istud facientes nullo sint misericordiæ affectu erga miseriam eorum, pro quibus orauerint. Quum ergo eos ipsos esset operarios in istam messem emissurus, atq; ideò conueniebat, ut præ cæteris magis sentirent calamitatem populi, rectè istorum eos admonet.

Ad idem eos & Lucæ 10. hortatur, cum iam emissurus esset ad demetendam istam segetem. Vide locum.

QVAE FACIENT AD NOSTRAM doctrinam & consolationem.

Primo omnium obseruandum est, in eo quod dicit, uidens turbas, misericordia motus est, quo affectu sit Christus erga populum suum, misere habentem: Nempe tali qui non sit lapideus, sed qui facillimè ad misericordiam moueatur. Atq; illud in eo notandum est, quod non dicit: Cum audisset querelas uulgi, sed cum uidisset turbas, ut ostendat Christum ipso duntaxat conspectu populi male habẽtis, ad misericordiam & commiserationem permotum esse, ut cui non opus fuerit multis uerbis, rem alioqui ob oculos uersantẽ declarare. Idem & infrà cap. 14. & Marc. 6. factum esse describitur. Atq; multis id alijs locis obseruare est. Quid quæso hinc discemus aliud primo loco, quàm qualem habeamus Pontificẽ et pastorem: nempe talẽ qui misericordißimus sit?

Prosit illud fidei nostræ. Prosit etiam ad imitationẽ, ut & nos eandem præstemus animorum & affectuũ mouendorum erga miseros facilitatem et ingenuitatem, ita ut quemadmodum solus miseriæ conspectus tantũ apud Christum ualet, ut nihil opus sit ultra ad commiserationem, ita ualeat & apud nos. Vnde procul absumus donec miserorum, etiam querelis tam ægre permouemur. De Samaritano non legimus, quod quærimonijs & longis precationibus uulnerati Iudæi sit motus, solo

conſpectu motum legimus. Diues uicißim damnatus eſt, quod Lazari ante fores ſuas iacentis conſpectu ad miſericordiam non eſt motus.

Secundo. Penſandum eſt etiam, qua in re miſertus ſit turbarum. Nam oportet, ut aliquid miſeriæ in oculos incurrerit, unde ad commiſerationem ſit motus. Quia, inquit, erant diſſoluti & diſiecti, ſicut oues non habentes paſtorem. Non loquebatur de externæ & mundanæ poteſtatis adminiſtratione, qua caruiſſent tũ temporis. Nam erant ſub imperio Romano, ſed de paſtorũ in uerbo Dei negligẽtia. Videmus ergo iſto loco quæ ſit miſeria, quæ calamitas, ſi populus deſtitutus ſit recto paſtore. Cuius magnitudinem non ſolum ex eo colligimus, quod Chriſtũ ad miſericordiam mouit, ſed et ex eo quod illum ad commiſerationem non uulgarem, ſed plane uehementẽ permouit. Vnde & Euangeliſta dicit: ἐσπλαγχνίσθη πρὸς αὐτοὺς, id eſt, in ipſis uiſceribus ac præcordijs ad commiſerationem erga eos motus eſt.

Obſeruemus ergo ex oppoſito, quantum ſit bonũ habere uerbi Dei paſturam, & bonos paſtores. Si enim ex defectu paſtorum eſt, diſſolutio & diſiectio populi: ergo uicißim coadunatio & ſtabilimentum eſt populi bono præditũ eſſe paſtore. Quam rem uel ipſa ſimilitudo ouiũ, qua uſus eſt hic Chriſtus ſatis declarauerit. Si enim eadem eſt ratio populi, quod ad hunc locum attinet, quæ eſt ouium, non poterit præſentius eſſe periculum populo, quàm ſi fuerit boni paſtoris diligentia deſtitutus, id quod in ouibus uidemus, ad Eph. cap. 4. Videre eſt, quis ſit in populo Dei uſus boni paſtoris, quomodo ad ædificationem corporis Chriſti faciat, ad unitatem fidei, ad agnitionem ueritatis, atq; ad ſtabilimentum certũ ac firmum, ne palantes oberremus expoſiti ſeductoribus.

Tertio. Notandum eſt & hoc, non eſſe contra uoluntatem Dei, ſi quis illorum miſeria ad commiſerationem moueatur, qui iudicio Domini in calamitates incidunt. Quis dubitat iſtam populi calamitatem iudicio & uoluntate, imò diſpoſitione Dei accẽdiſſe? Rurſus, quis dubitat Chriſtum minimè omniũ uoluntati Dei contrariũ fuiſſe? Cur ergo dolet de eo, quod diuino factum erat iudicio? Certe patri nuſquàm eſt aduerſatus. Oportet ergo obſeruare an etiam hac in re patri conuenerit cum filio. Iſtam calamitatem iuſto iudicio propter peccata populi induxerat pater. Verum eſt. Sed uidendum eſt, an ita, ut nunquàm uoluerit populi ſui miſereri. Hoc nõ poteſt dici. Deſtinauerat enim illis ſaluatorẽ ac paſtorem fidelem certo tẽpore, quem & in prophetis pollicitus erat, qui ipſorum miſeria tangeretur, atq; hic erat Chriſtus. Tam abeſt ergo ut contra uoluntatem Dei fuerit, quod Chriſtus calamitatis miſeretur diuinitus immiſſæ, ut niſi hoc feciſſet, apertiſſimum argumentũ fuiſſet, ipſum non eſſe deſtinatum illũ populi paſtorem ac ſaluatorem. Ad eum modum & conſpecta Hieroſolyma, uerſanteq; oculos mentis futura illa clade miſerabilis excidij, ad lachrymas cogebatur, tametſi ſciret illa iuſto Dei iudicio futuram. Iſto exemplo aſſueſcamus & nos eorum commiſeratione tangi, qui etiã iuſto Dei iudicio puniuntur. Quis pater indignabitur famulo, ſi percuſſi à ſe & flagellati filij commiſeratione tangatur? Tametſi enim ira ſcatur pater filio, tametſi meritũ puniat, nõ tamen egre ferret iſtam famuli mentem, quin ſi diuerſum notaret, maxime diſpliceret. Verum ſi conſtaret de inpœnitentia finali, deq; omnimoda reiectione Dei, iam frangeretur iſte miſericordiæ affectus in pijs. Samuel lugebat Saulis reiectionem à Domino, uerum diuinitus propter illam ſuum luctum corripitur. Vſquequò, inquit Dominus, tu luges Saulem, cũ ego reiecerim eum 1. Sam. 16. Interea tamen, cũ de iſta omnimoda reprobatione malorũ certi non ſumus, ſequenda eſt charitatis regula, & præſtãdus erga calamitoſos cõmiſerationis et humanitatis affectus

Quarto. Obſeruandum eſt etiam, quo loco populum ſeductum habeat Chriſtus, nempe loco ouiũ. Quod uide licet in adducta ſimilitudine bene notandũ eſt, ubi dicit Euangeliſta, quia erant ſicut oues nõ habentes paſtorẽ. Poterat eos comparare alijs beſtijs, utpote ſuibus, aſinis, aut alijs eiuſmodi pecudibus. Verũ maior eſt Chriſti clementia, quàm noſtra meretur prauitas. Tale eſt etiam, quod populum, licet miſerum & ſeductum, tamen uocat meſſem ſuam. Cum ergo populum ueteris teſtamenti, errabundum & ſeductũ, uocat oues ſuas, & meſſem ſuam, quid aliud uocabit Eccleſiam ſuam hodie miſerrime diuulſam? Admonentur præterea, qui Chriſti miniſtri ſunt, ut et ipſi hoc affectu ſint præditi erga populũ Chriſti, nec æſtiment oues & meſſem Chriſti, iuxta mundi rationem, in cuius oculis ſoli potentes, diuites, & magnates, aut certe ſanctuli illi hypocritæ, populus Dei æſtimãtur. Magnam ſanè conſolationem adferre poterit miſeræ plebeculæ, quod in oculis Chriſti nõ eo habetur loco, quo ſanctulis huius mundi.

Spectandũ tamen, ne pergamus in grege Domini magis hœdos quàm oues referre. Exhibendi ſunt ouilli mores. Nam & inter pecudes dominici gregis erit iudiciũ Domini. Deinde uidendum ne in meſſe Dominica magis uelint eſſe loco zizaniorum, quàm tritici. Demetentur quidem & zizania, ſed comburentur. Triticum uerò in horreum Dominicum congregabitur.

Taxanda fuerit hoc loco corruptio iſta uulgi & incredibilis peruerſitas, laudandaq; ueterũ ſimplicitas, quæ tametſi patuerit locumq; præbuerit ſeductoribus, maiore tamen uenia digna erit in iudicio Domini, quàm iſta noſtrorum temporum uulgi peruerſitas, & peruerſiſſima aſtutia, atq; incredibilis rerum omniũ contemptus. Malum quidem erat apud maiores noſtros, quod uocem alienorum contra admonitionem Chriſti admiſerũt. Hoc tamen boni adiunctum fuit, quod aliquo tenebantur Domini zelo & timore. Hodie quid uidemus fieri? Datum eſt quidem, quod iſta conſcientiarum captiuitas, quæ erat ex traditionibus & uoce alienorum ablata eſt. Interea tamen non ſolum uox fugitur alienorum, ſed & uox Chriſti, id eſt, doctrina ueritatis contemnitur, ouilla ſimplicitas conculcatur, aſtutijs & uerſutiæ ſtudetur uulgo non minus, quàm à reliquis potioribus.

Proinde uidendum erit, ut ſi delectat nos, quod apud Chriſtum populus Chriſti loco ouium habetur, ut & uulgo tales ſimus, qui comparari ouibus queamus. Quod attinet ad ſimplicitatem, ignorantiam, imbecillitatem, timiditatem, & quæ huiuſmodi reperiuntur

riuntur in ouibus, boni consulet bonus pastor, & suo tẽpore emendabit, duntaxat uideamus ne accedat ingeniũ hædorum, prauitas uidelicet, astutia peruersa, & id genus nihil minus, quàm ouibus agnata uitia.

Tum demũ scilicet miseratione Christi dignus est populus Christi, quando tali miseria præditus est, quam nõ habeat aliunde quàm ex inopia bonorũ pastorũ, quando talis est, ut si adfuisset fidelitas & custodia boni pastoris in eam miseriam nõ incidisset. At istud tum demũ liquet, quando beneficio Domini dãtur boni pastores. Quod si acceptis bonis pastoribus miseria ista seductionis et ignauiæ, è populo tollitur & pietas plãtata fructus suos adfert, manifestũ est, quod præterita miseria non fuerit aliunde quàm ex inopia bonorum pastorum. Si uerò illud non fuerit, rursus manifestum est, quod culpa populi facta sit præterita miseria.

QVOMODO COGNOSCENDI SINT boni pastores.

1 Primo. In eo quod Christus miseretur turbarũ, uidẽs eas uelut oues pastorem non habentes dissipatas & dissectas, exemplũ proponitur boni pastoris, quo debeat esse erga gregem Christi ingenio & affectu. Nimirũ eo quo Christus hic præditus esse describitur. Qui tangatur uidelicet miseria populi Domini. Neq; enim alia in re citius datur specimen boni pastoris, quàm si fuerit amore ouium præditus. Atq; hoc erat potissimũ quod Christus exigebat à Petro, cũ esset illi ouiculas suas commissurus Ioh. 21. dicens: Petre, amas me, &c. uide locum. Et merito. Diligit enim oues suas Christus, atq; ideò uult eas bene curari. Nouit autem eum demũ fore bonũ pastorem, qui amore sui præditus beneuelit ouibus. Atq; ideò cum Deus bene uellet populo suo mittebat tales, qui esset bono affectu erga illum. Vtpote Mosen, Samuelem, Dauidem, &c. Iam cum sit non minima contentio inter nos & aduersarios de pastoratu, uolentibus illis esse pastorum loco, nobis quoq; idem uideri studentibus. Quis discernet? Certe nihil melius quàm ista nota, quam uidemus hic in Christo. Videatur qui notam fãlsorum pastorum non oues, sed seipsos pascentes, & qui notam boni pastoris præferant, non seipsos, sed oues pascentes. Sequamur hac in re sapientiam Salomonis, qui magna dexteritate discernebat fãlsam pueri matrem à uera, solo explorato materno affectu. 1. Reg. 3.

Oppone illud Ioh. 7. Populus qui non nouit legem. Maledicti sunt.

2 Deinde. In eo quod dicit: Quia erãt dissipati & proiecti, sicut oues non habentes pastorem, Exemplum offertur, quo depictum uidemus, quid in populo sequatur, ubi pastores officio suo non adsunt. Inspiciamus illud cuius Christus misertus est in turbis. Quid quæso uidit? Vidit in populo peculiarem quandam rerum cœlestium ignorantiam, uidit dissolutos mores populo Dei tanta diligentia lege Dei, prophetarum oraculis & alijs id genus, adiumentis ad pietatem diuinitus instructo non conuenientes. Vidit iuxta ingenio esse ductili, & ueritatis amantem duntaxat defuisse, uidebat pastoris genuini officium. Vnde collegit istam populi dissolutionem & ignorantiam pariter & corruptionem: non hinc ortam esse quod pastoris curã ferre noluerit, sed quod illa destitutus esset. Quando uerò istud in hoc populo patuit? Nimirum quando lux ueritatis oriebatur, & se exhibebat ad illius apparitionem ductilem & cupidum. Ita uidelicet habebat populus isto tempore. Neglectus erat incuria pastorum, qui magis titulos aucupabantur pastorũ, & quæstum, quàm ipsam curam pastoralem. Quemadmodum & tempore prophetarum usuenisse, uidere est Ezech. 34. uide locum ipsum.

Iam rogo per Deum, an non planè eadem sit in papatu etiã hodie facies Ecclesiæ? Si respicias ipsos pastores, an non & ipsi titulos tantũ habent pastorum? An nõ & ipsi seipsos pascunt non oues? Si respicias ipsum Christi gregem, an non & ipse dissipatus est & proiectus, rerũ cœlestium planè ignarus, moribus Christianæ professioni non cõuenientibus? Si perpenderis qua auiditate proiectæ illæ turbæ & contemptæ auditum ueritatis sermonem excipiant, an non planè idem dixeris quod Christus tum dicebat: Messis quidem multa, operarij uerò pauci?

Tertio, in eo quod dicit: Messis quidem multa, operarij uerò pauci, comparans ministerium promouendi regni Dei messi, & ministros illius operarijs, adiungensq; 3
Rogate ergo Dominũ messis, ut extrudat operarios in messem suam, & supra: quia erant sicut oues non habentes pastorem, satis aperte declarat se nõ agnoscere in regno suo ociosas illas & principales dignitates, & dignitatum titulos. Ministerium ipsius tale est, quod laborem exigit, non ocium & dominia. Proinde non uult Episcopos illos & pastores, qui titulotenus Episcopi sunt, dignitates tantũ & præbendas cũ magnis dominijs aucupantes. Non dicit: Messis quidem multa, sacerdotes uerò scribæ et pharisæi pauci sunt. Erat enim istorũ nullus numerus. Sed operarij, inquit, pauci sunt. Operarios ergo exigit. Habet enim messem demetendã, non ociosa dominia dispensanda. Ita certe & nostro tempore finge eũ dicere, messis quidẽ multa, operarij uerò pauci. Nõ: Pauci sunt Cardinales, pauci Episcopi, pauci presbyteri, pauci sacerdotes, pauci monachi, pauci præpositi, decani, canonici, prælati, Abbates, quandoquidem & horũ non est numerus. Intelligamus ergo mentem Christi, ne fallamur specioſis titulis. Operarios quærit. Si Episcopi, & quorũ iam catalogũ posui, messores sunt & operarij in messe domini, agnoscet eos Christus pro suis. Si uerò perget esse ociosi Domini & onera terræ, nequaquàm pro suis habebit, sed uelut hypocritas condemnabit.

Illud quod in regno Christi, donec in hac uita sumus nomine & iussione Christi præstandum est Episcopis, et alijs Christi ministris, tale est planè, ut non ocium, sed laborem exigat, utpote:

Primo. Quod hic à Christo assimulatur pasturæ ouium, quemadmodum & Ioh. 21. Pastura uerò ouium res est magni laboris & negocioſissima. 1 Pastura.

Deinde quod etiam hic à Christo messis uocatur. Iam quis dubitat messem exigere non inanes ociosorum titulos, sed magnum laborem? 2 Messis.

Quod etiam agriculturæ comparatur. 1. Cor. 3. Dei agricultura estis. Sed & ista laborem quærit. 3 Agricultura.

Quarto, quod etiam plantationi confertur. Ibidem. Ego plantaui, Apollo rigauit, &c. Plantatio uerò nõ fit ocio, sed exigit laborẽ. Vnde & ibidẽ dicit. Vnusquisq; 4 Plantatio.

propriam

propriam mercedem accipiet, secundum suum laborẽ.

5 Ædificatio. Quinto. Quod & ædificatio uocatur, ibidem Dei ædificatio estis, Et Ephes. 4. & ædificationem corporis Christi. Aedificare uero laborem postulat.

6 Doctrina. Sexto. Quod doctrina uocatur, 1. Tim. 3. et Tit. 1. Et: Docete omnes gẽtes Mat. ul. Doctrina uerò laborẽ effla gitat. Septimo. Quod etiã ministeriũ & dispensatio uocatur. 1. Cor. 4. Sic nos existimet homo, tanq̃ ministros Christi & dispensatores mysteriorum dei. Ministerium uerò & dispensatio, non ocio, sed labore adimplentur.

7 Ministeriũ et dispensatio. Atq; hinc est quod Paulus perpetuo laboris meminit. Gal. 4. Timeo ne frustra laborauerim in uobis. Phil. 4. Adiuua eos qui mecum laborauerunt in Euangelio. 1. Thess. 5. Rogamus autem uos fratres, ut agnoscatis eos qui laborãt inter uos, & præsunt uobis in Domino, &c. propter opus illorum, &c. 1. Tim. 5. Maxime qui laborant in uerbo & doctrina. 2. Tim. 2. Labora sicut bonus miles Christi. 2. Timoth. 4. In omnibus labora, opus fac Euangelistæ.

Et ideò toties ministros Christi sui temporis συνεργοὺς, id est, cooperarios uocat. Et 1. Tim. 3. dicit: Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Non dicit magnum principatum & dominium desiderat, sed opus & laborem.

Iam confer pastores, Episcopos, & reliquam turbã magnorum illorum Dominorũ his uocabulis, & uide an sint ministri Christi, hoc est, pastores, messores, agricolæ, plantatores, ædificatores, doctores, ac dispensatores mysteriorum Dei, & uidebis eos nihil minus esse, quam quod hactenus habiti sunt. Quid ergo Christus etiam hodie dicet aliud quàm quod tum dixit, nempe: Meßis quidem multa, et multi ocioſi Domini quæ sua sunt, quærentes, sed operarij & messores pauci.

Quarto. Obserua, quàm signanter dicat, extrudat. Cum de operarijs loquitur. Alioqui cum res est de præbendis & dignitatibus ultro accurrunt, qui seipsos quærunt, ubi uerò laborandum est, non ita. Proinde commode dicit, ut extrudat operarios in messem suam. Et reuera nisi ipse mittat et extrudat, ultro nemo ad huius messis laborem accurret. Quomodo inquit Paulus prædicabunt, nisi mittantur? Rom. 10. Hinc certißimum signum est à Deo missum, & extrusum esse, si quem uiderimus diligenter in hac messe laborare Christo domino.

Oremus ergo Dominum, cuius est meßis, cuius sunt messores, oremus inquam nos, qui sumus ista Domini meßis, ut messores extrudat. Oremus qui sumus uelut oues dilectæ, ut pastores mittat, qui nos in unitatem fidei colligant, qui pabulo uitæ fideliter pascant. Oremus, quia ista precatio ad gloriam Dei, ad promotionem regni Christi, ad nostram salutem pertinet. Oremus, quia etsi nos indigni sumus qui audiamur, dignum tamen est regnum Christi quod promoueatur, dignum regnũ Satanæ quod destruatur, dignus Christus cuius iussui orando obtemperemus, cum dicit: Rogate ergo, &c.

FINIS TOMI PRIMI.

SECVNDVS

TOMVS COMMEN

TARIORVM IN EVANGELIVM MATTHAEI,

Vuolphgango Muſculo Duſano autore.

SECVNDVS TOMVS

COmplectitur undecim Capita, quibus Euangelista à decimo usque ad uicesimum primum progressum & auxesim dispensationis Christi describit. Huc pertinent, uelut argumenta quædam auctæ iam gloriæ Christi: delectus duodecim Apostolorum, quos ob eam causam ad prædicandum regnum Dei emisit, quod operam illorũ corda mortalium regno Dei inhiantium, uelut urgente demetendæ iam messis maturitate, efflagitabãt: fama miraculorum Christi usq; adeò aucta, ut Ioanni quoq; in carcere constituto innotuerit: Scribarum & Pharisæorũ liuor, lucem Christi circumquaq; sparsum ferre nõ ualentium: turbarũ undiq; concursus, ita ut in desertis locis primum 5000 deinde 4000 uirorum præter mulieres & pueros paruerit: transfiguratio in monte, & colloquium Mosis & Eliæ: de excessu ex hoc mundo conferentium: discipulorum ambitus & contentio de primatu in regno Dei obtinendo: & tandem de imminente morte præmonitio.

CAPVT X.

ET accersitis duodecim discipulis suis dedit eis potestatē aduersus spiritus immūdos, ut eīcerent eos, & sanarent quemuis morbum, & quemuis languorem.

Hanc historiam istam scribunt Marcus cap. 6. & Lucas cap. [illegible]. Non est autem putandum, quod duodecim Apostolos hic primum selegerit Christus, propterea quod primum hic ipsorum nomina ponit Euāgelista. Selegerunt enim eos iam antea, ut uidere est Mar. 3. & Luc. 6. Nam Marci 3. legimus quod eos ideò segregauerit, ut essent secum. Voluit enim eos aliquandiu antea in futuram legationem præparare, ut commodo tempore ad opus prædicationis amandarentur.

Descripturus autē Euangelista incrementa primordiorū regni Christi, posteaquàm cōmemorauit quousq; Christus sua prædicatione, & miraculorum potētia regni Dei exordia prouexerit: nēpe eo usq;, ut iam ad falcē multa appareret maturata meßis, talis uidelicet, quæ multorū operariorū exigeret manus, ita ut Christus dixerit ad suos: Meßis quidē multa, operarij uerò pauci. Rogate ergo Dominum meßis, ut extrudat operarios in messem suam. Consequēter prosequitur, quomodo fidelis ille dispensator regni Dei, imò Dominus ipse & regni sui rex Christus, præsenti necessitati succurrerit. Nēpe, quomodo duodecim illos Apostolos suos, quos diuina prouidentia iam antea selegerat, ad se uocauerit, & instructos ad functionem prædicatum regnum Dei emiserit. Atq; ita dicit: Et accersitis duodecim illis discipulis suis, dedit eis potestatem aduersus spiritus immundos, ut eijcerent eos, et sanarent quemuis morbum, & quemuis languorem. Primum eos munit aduersus spiritus immundos antequàm emittat. Erat enim eos emissurus ad destructionem regni Satanæ, & restaurationē regni Dei. Occupauerat autem tyrannidem in populo Dei etiam peßimus ille hostis dei Satan, proq; suo ingenio obsederat plurimos mortalium, & innumeris morbis ex permißione diuina grauauerat. Liberaturus ergo Christus populum suum, Apostolis eandem dat potestatem aduersus spiritus Satanæ ministros, qua ipse potiebatur, & ad saluandum populum utebatur.

Præterea, quia erant homines idiotæ & ignobiles, ne planè contemnerentur & exploderentur, imbuit eos tali potestate, qua animos populi cum in stuporem miraculorum potentia, tum ad amorem sanandorum morbidorum beneficentia permouerent.

QVID HIC SIT NOTANDVM.

1 Primo omnium uidemus hic exemplum boni, ac prudentis dispensatoris regni Dei, illis imitandum quibus præcipua populi Dei curandi concredita est cura. Aliquandiu solus prædicauit & sanauit. Interea tamen futuri non immemor, selegit sibi quos penes se habere indiuiduos comites & discipulos, quos & ad futuram legationem institueret: nempe duodecim Apostolos, quos & Apostolos uocauit, mox atq; eos elegerat, ut scirent ad quid instituerentur. Deinde ubi animaduertit creuisse messem, assumit eos laboris socios, & eadem potestate, necessaria nimirū, bene munitos emmittit. Ad eum modum & illis hodie, quibus populi cura demandata est, prouidenter agendum est ad futurū, ne desint necessarij Ecclesiæ & Christianæ Reip. ministri. Ad hoc institutæ sunt scholæ. Atq; hoc fine orta sunt collegia Canonicorū, quæ hodie nihil sunt minus, quàm quod esse debebāt. Luc. 6

Deinde & illud expendi poterit, quod non quouis, 2 sed duodenario numero eligit Apostolos. Numerus iste in scripturis, & in operibus Dei illustris est & sacer. Bucerus annotat ideò duodecim Apostolos electos, ut essent tanquàm fermētum ueri Israēlis per prædicationem Apostolicam ex omnibus gentibus congregandi. Quemadmodum enim sumptum Abrahamum ex gentibus in duodecim patriarchas et tribus Israēlis multiplicauit, ita rursus ex Israēlitis sumpsit Apostolos duodecim, qui essent uelut fermentum spiritalis Israēlis, undecunq; colligendi, ex quibus multo copiosius impleretur multiplicandi Israēlis promißio Abrahæ facta, quàm ex filijs illis Iacob. Quemadmodum enim carnali generatione ex duodecim Israēlis filijs multitudo Iudæorum prouenit, ita ex 12 Apostolis spiritali natiuitate progressa est multitudo credentiū, iuxta multitudinē arenæ quæ est in littore maris. Si nanq; Paulus eos quos ad fidem Christi instituit genuisse se rectè dicit: quomodo non & de reliquis Apostolis illud diceretur?

Ad hoc Christi exemplum fingitur Pontifex Romanus duodenarium numerum in eligendis sibi Cardinalibus, quos Apostolorum loco haberet, seruasse. Nam ex hoc loco senatum istum purpuratorum defendit quidam in suis locis. Quanquàm parum est Romano Pontifici duodecim Apostolos habere, proinde longè ultra illum numerum excesit, ut quemadmodum in reliquis Christi tenuitatem superat, ita & hoc loco uincat. Cardinales

In Decretalibus Greg. de officio archipresbyteri in glosa sic legitur. Cardinales dicuntur à cardine, quia sicut in cardine regitur ostium, ita per Cardinales regitur uniuersalis Ecclesia.

Tertio. Notandum est & hoc. Supra legitur ad discipulos suos dixisse: Meßis quidem multa, operarij aūt pauci. Rogate ergo Dominum meßis, ut extrudat operarios in messem suam. Hic uerò cōmemoratur ex eisdem mox sumere, ipse Dominus meßis, quos in messem suam operandi gratia mittat. Qua in re uidemus quales uelit meßis suæ operarios. Nempe tales quorum animi sint appositi ad functionem subeundam. Nemo siquidem huic officio par erit, nisi qui ut Dominū, ita & messem eius ex animo diligat, beneq; curatam cupiat. 3

Fecit etiam ad hoc illud precandi præmissum mandatum, ut scirent se cum mitterentur diuinitus mitti, & in opus & messem Domini amandari, tanquàm operarios Domini, id quod summopere agnoscendum & expendendum est operarijs Domini. Illi planè carebunt omni φιλαυτίᾳ, & omni inuidia & quæstu, in hoc opere nihil ita in uotis habentes atq; unum hoc, ut promo-

ueatur regnum Christi, quàm felicissime per quoscunq;. Ita gaudebat Paulus, Phil. 1. de eo quod Christus annunciabatur. Propterea & Lucæ 10 legimus Christũ, cum 70 discipulos euangelizandi gratia emitteret, dixisse: Messis quidem multa, operarij uerò pauci, rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Non dicit, ut mittat uos, sed ut mittat operarios in messem suam, ut hunc in illis affectum erga messem Domini conficiendam excitaret, ita ut & ipsi pro sua uocatione fideliter in messe Domini laborarẽt, & interea perpetuo rogarent Dominũ messis, ut operarios in messem suam extrudat. Tales operatores erant Apostoli, ut in Actis est cap. 6. Dicebant enim: Non est æquum nos derelinquere uerbũ Dei, & ministrare mensis. Cõsiderate ergo fratres uiros ex uobis boni testimonij septẽ, &c. Nos uerò orationi & ministerio uerbi instãtes erimus.

Atq; hoc exemplo prodesset etiã rebus publicis curandis & administrandis deligere tales uiros, qui non quæ sua, sed quæ Reip. essent, quærerẽt: qui simul essent & precatores & operatores, amatores populi, quibus nihil esset gratius, quàm ut Reip. bene curaretur. Exemplum Moysis, Samuelis &c. Qui & ipsi scirent se à Domino extrusos, non ultro cucurrisse, esse operatores Domini, non liberæ uel alicuius alterius potestatis, idq; in messe Domini, nõ sua uel cuiuspiam alterius, qui scirent inquam quicquid hic delinquerint, aduersum ipsum Dominum delinqui, & quoscunq; labores insumpserint, in gratiam Domini insumi.

4 Quarto. Notanda est etiam potentia Christi in eo, quod Apostolis & ministris suis quibus erat usurus ad destructionem regni Satanæ, potestatem tribuit, & tribuere potest, aduersus spiritus immundos, eosq; ut Lucas scribit, omnes nullo excepto, hoc est, quod omnes Satanæ ministros spiritus, quos erãt habituri aduersarios, in potestatem suorum ministrorum subijcit. Quid quæso aliud innuitur quàm Christi potentiã, esse potentiam Dei, aduenisseq; iam regnum Dei, imò ligatum esse Satanam immundorum spirituum principem. Ita quippe dicit Christus infra 12. Quòd si ego spiritu Dei eijcio dæmonia, ergo peruenit ad uos regnum Dei. Alioqui quomodo potest aliquis intrare domum potentis, & uasa illius diripere, nisi prius uinxerit potentem, & tunc domum illius diripiet? Exprimitur ergo nobis hoc loco diuina Christi potentia, in eo quod non solum ipse spiritus immundos suæ potestati subiectos habet, sed & alijs potest illos subijcere. Sunt enim multi, qui etiam si ipsi aliquid præstare præ cæteris queant, illud tamen non poterunt mox alijs largiri.

Deinde & in eo, quod etiam super omnes illis potestatem dat. Quid si Satan hoc præstare posset suis ministris? Actum esset de nobis. Bene ergo nobis, quod eum habemus Dominum, qui omnium aduersariorũ suorum etiam pessimorum potestatem habet, illamq; suis ministris dare potest. Quòd si nobis hodie non passim id potestatis largitur, soletur tamen uel hoc, quod nos ita tuetur, ut ab aduersarijs istis spiritibus nõ perdamur. Quis quæso non libenter ei se Domino addicet, qui omnium suorum aduersariorum potestatem habens, suos potest uel ab illis tueri, uel etiam super illos potentes efficere?

Et certè hoc erant instruendi discipuli. Nam alioqui potuisset mox in uno momento, clanculum sine ipsorum conscientia, antequàm mitterentur simul omnes immundos spiritus ex hominibus abigere, ita ut in isto circuitu neminem dæmoniacum inuenissent. Verum satius erat rem ita dispensare, ut aduersus immundos spiritus accepta potestate, reipsa Christi potentiam, cuius essent ministri, experirentur.

Atq; hoc est, quod Paulus nos hortatur, Ephe. 6. ut in Domino confortemur, & in potentia uirtutis eius. Rectè huius nos admonet beatus Apostolus, cuius ipse apprime iam expertus erat. Habebat enim exploratam multis modis istam Christi potentiam, aduersus omnes suos aduersarios potentissimam & insuperabilem.

Quinto. Quia solenne est aduersarijs nostris, ut titulo potestatis à Christo acceptæ quiduis sibi licere putent, & omnia pro sua licentia audeant, expendendum est, quod hic Christus discipulis suis potestatem dat, an mox omnia possit iure, qui aliquam à Domino potestatem accepit. Iam enim non excutiam, an ipsi ministri Christi sint, qui aliquid potestatis à Christo acceperint, & non magis ex illis, qui non uocati more pseudoprophetarum cucurrerint, sed posito, esse eos Christi ministros, etiã Apostolos, uidebimus quam habeat rationem potestas ministrorum à Christo accepta.

Potestas ἐξουσία græce, ius est aliquid faciendi, quæ nonnunquàm inter homines quidem cum δυνάμει careat, id est, uirtute & facultate exequendi iuris, effectu suo caret, in diuinis uerò non item. Apud Deum quippe coniuncta sunt, ἡ ἐξουσία καὶ ἡ δυναμίς. Potestas & facultas. Proinde quia discipuli à Christo uero Dei filio potestatem hic accipiunt, accipiunt simul & uirtutem effectricem, unde & Lucæ 9. legimus illa duo cõiuncta. ἔδωκεν, inquit, αὐτοῖς δύναμιν καὶ ἐξουσίαν.

Est autem potestas quædam libera & absoluta, quædam ministerialis & limitata. Absoluta est, quæ nulla lege, nullo alterius superioris arbitrio coherceri potest. Ea solius est Dei, nulli unquàm homini concessa, nisi uni illi qui non solũ uerus homo est, sed & uerus Deus, Christus Iesus, unigenitus Dei filius. Hic dicit Matth. ult. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. 1

Ministerialis uerò & limitata, est quæ aliunde accepta, subest maioris potestatis arbitrio, quæ & ipsa quidem ius habet & facultatem faciendi, sed ea duntaxat, quæ in cõmissis habentur, ultra quorũ limites non ualet accepta potestas. Talis est potestas quam à Christo, siue hoc loco, siue post resurrectionẽ acceperunt. Accipiunt hic potestatem super omnia, ut Lucas inquit: Sed audimetam, dæmonia inquit, Non simpliciter inquit, super omnia, sed super omnia dæmonia. Ergo nõ super omnes angelos, non super omnes homines. Super omnia inquit dæmonia, & super omnem morbum & languorem. Et neq; hic absolutam potestatem accipiunt, Non enim illis mox quicquid cum dæmonibus agere licebit pro arbitrio. Additur enim ut expellerent ea. Non ergo poterunt ea hominibus immittere, operaq; illorum ad hu- 2

mani

mali generis perniciem abuti. Ita non hoc modo ſuper quemuis morbum & languorem poteſtatem accipiunt, ut eos infligant hominibus, ſed aut auferant, non ut ex ſanis ægrotos, ſed ut ex ægrotis ſanos reddant. Erant enim miniſtri medici. Vnde & Lucæ 9. audiunt (cum dixiſſent: Domine uis iubebimus ignem de cœlo deſcendere, ut conſumat illos) poſt increpationem dicentem Dominum: Neſcitis cuius ſpiritus ſitis, filius hominis nõ uenit ad perdendum animas hominũ, ſed ad ſeruandum. Acceperunt Ioan. 20. poſt reſurrectionem poteſtatem ligandi & ſoluendi. Item & Matth. 18. Verum non abſolutam. Neq; enim ideò mox poteſtatem habuerunt ea ligandi quæ in cœlis ſunt, & ea ſoluendi quæ in inferno ſunt. Non enim dicit: quæcunq; ligaueritis in cœlo. Sed quæcunq; ligaueritis ſuper terrã. Nec dicit: Quæcunq; ſolueritis in inferno, ſed quæcunq; ſolueritis ſuper terrã, &c. Neq; etiam ſuper terrã mox licuit quemuis ligare aut ſoluere. Credentẽ enim & pœnitentẽ nõ potuiſſent ligare, & impœnitentem non potuiſſent ſoluere.

Acceperunt poteſtatem docendi, ſed non quiduis. Ea, inquit, docentes eos, quæ ego præcepi uobis. Atq; id proprium eſt legati munus, ut ea quidem quæ in commiſſis habet fideliter nunciet, ultra uerò de ſuo nihil addat, inquit Chryſoſtomus ſuper epiſtolam ad Ro. Hom. 2

Vide iam quomodo iſtis conueniat quod Pontifices Romani ſibiipſis adſcripſerunt poteſtatem cœleſtis, & terreni imperij 22. Diſt. ca. Omnes, & ſuper omnes imperatores, reges & omnem creaturam. Item quod poſſint omnes iudicare, iudicari uerò à nemine 40. Diſt. Si papa. Item ſolus omnium plenam habeat poteſtatem 2 quæſt. 6. Qui ſe ſcit. Item quod poßit contra Apoſtolum et uetus teſtamentũ diſpenſare, de cõceſſ. præbend. ca. propoſuit, glo. in uerbo. ſupra ius. Item quod ſit uiua lex ſuper terram glo. in c. ab arbit. & cætera ſuperba innumera, quæ in Decretis Pontificum legũtur. Apoſtolus 1 Corin. omnia, etiam Apoſtolos, credentibus ſubijcit. Iſti uerò ſibi.

Nos uerò probè teneamus, Chriſtum non eo loco habere gregem ſuum, ut tales Dominos illi imponat, cuius ipſe ſolus uult eſſe Dominus. Vnus inquit Paulus eſt Dominus, Ephe. 4. Miniſtros dedit, quibus & poteſtatem aliquam commiſit. Sed quæ ſit non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem. Non aduerſus ueritatem, ſed pro ueritate, 2 Corinth. 10. 13. Poteſtatem dedit docendi, paſcendi, corrigendi, illam oſtendant ſi poſſunt, noſtri aduerſarij. Si uerò non paſcere, ſed deglubere, ſpiritus immundos non eijcere, ſed fouere, morbidos non curare, ſed interimere, & ex ſanis morbidos facere, & quiduis pro ſua libidine imperare, quiduis ſine commiſſo Domini prohibere, & ex liberis ſeruos facere uoluerint,
1 Cor. 7 ſequendus eſt Paulus qui dicit: Empti eſtis precio magno, nolite fieri ſerui hominum.

Non eſt id conſuetudinis apud Deum, ut poteſtates largiatur in gratiam eorum, quibus aliquid poteſtatis tribuit. In mundo uidemus hoc plerunq; fieri. Solent imperatores poteſtatem ſuper integra regna conferre, non in gratiam populi, ut illi bonos præficiant paſtores ac principes, ſed in gratiam eorum quibus illa conferunt, ut habeant unde ſplendide & magnifice uiuant. Et Pontifex quoq; Romanus ita largitur poteſtatem & beneficia Eccleſiaſtica.

Deus uerò non ita. Quancunq; ille & cuicunq; ſuper alios poteſtatem committit, committat eam non in eius quem præficit. Sed in eorum gratiam & cõmodum quibus eum præficit. Atq; ideò poteſtatem committit non perdendi, ſed curandi. Vt exempli gratia.

Qui in magiſtratu ſunt, in poteſtate ſunt. Illam habent à Deo. Ad quid? Certè non ad hoc, ut ipſi tantum dominentur & libidinentur. Sed ad hoc, ut populo proſint, populum paſcant, noxia pellant, commoda procurent & prouehant. Quod uerò plerunq; contrarium uidemus, culpa eſt peccatorum noſtrorum.

Poteſtatem dedit uiro ſuper uxorem ſuam. In poteſtate, inquit, uiri eris, & ipſe dominabitur tibi. Sed non ideò, quod magnã gratiam uoluerit præſtare uiro, quatenus pro libidine ſua abutatur uxore. Nequaquàm. Sed magis eam poteſtatẽ in gratiam uxoris dedit uiro. Atq; ideò iubetur uxorem diligere. Nimirum ut amoris impulſu officio & poteſtate ſua erga uxorem alioqui abuſurus, rectè in commodum uxoris utatur.

Ita & parentibus in liberos plurimũ poteſtatis dedit. Quam in rem & in cuius commodum, ipſi paterni affectus, quos dedit Deus, ſatis declarant.

Ad eum modum & miniſtris ſuis Chriſtus poteſtatem commiſit Eccleſiæ ſuæ, non ut Domini ſint in illa, & magnifice ac ſplendide dominentur. Nam illud non placet ſupremo paſtori, qui & de falſis paſtoribus conqueritur, Ezech. 34. quod auſtere gregi miſero imperauerint. Et Chriſtus Matth. 24. ſatis oſtendit, quàm ſibi placeant illi mali ſerui, qui in ſui abſentia comedũt & bibunt, & conſeruos percutiunt. Atq; hoc uidit Pe- 1 Pet. ult.
trus unde & prima ultimo cap. dicit: Non dominãtes in clero, id eſt, hæreditate & ſorte Domini.

Quis adeò ouiculis ſuis maleuult, ut paſtorem imponat in hoc, ut pro ſua libidine poßit omnia in oues, tantum ad hoc ut ſit ouium Dominus, utut oues uel paſcantur uel perdantur?

Atq; hinc eſt quod Paulus peruerſam patientiã Co- 2 Cor. 11
rinthiorum taxaturus, improbam dominationem in eos pſeudoapoſtolorum obijcit, dicens: Suſtinetis enim ſi quis uos in ſeruitutẽ redigit, ſi quis deuorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem uos cedit, &c.

VSVS HVIVS LOCI.

Ecce ad eum modum penſitata poteſtatis ratio, duplicem uſum nobis & fructum adfert. Vnus eſt in eo, quod poteſtatem eorum, quos nobis præficit Dominus, diximus eſſe non liberam & abſolutam, qualis eſt Dei, ſed limitatam & miniſterialem. Hinc diſcimus non eſſe in omnibus ferendam dominationem eorum, qui ſibi omnem adſcribunt poteſtatem in Eccleſia Chriſti, ita ut pro ſua libidine quiduis audeant. Si enim non eſt mens Chriſti, talem dare cuiquam poteſtatem in ſuos, ergo contra Chriſtum nõ facit, qui tantæ libidini morem non gerit. Illud etiam animaduertendum in reliquis pote-

2 statibus, quas supra commemorauimus. Alter in eo est, quod ostendimus scopum & mentem diuinæ prouidentiæ in præficiendis populo suo ministris, quibus aliquid potestatis cõmittit, non in hoc ut ipsi bene, sed ut populus bene habeat. Hinc discimus bonitatem patris nostri erga nos, etiam in ea re quam non admodum diligimus. Subiecit nos illis, quos sua potestate munitos nobis præfecit. Iam eam potestatem non boni consulimus, quia non libenter obedimus aliorũ iußibus. Ea scilicet est nostra peruersitas simul & ignorantia proprij cõmodi. Putamus illis magni quid à Domino concessum, quos nobis præfecit, nos uerò miseros, quos illis subiecit. Verum si res ista recta reputaretur, siue respicias ministros uerbi siue magistratus, siue parentes, siue officium uiri erga uxorem, puto manifestum esset, nos potius esse dominos & habere cõmodius, quàm nobis præfectos. Illos nobis potius seruire, quàm nos illis. Quis enim maior est, dicoro? An non ille cui ministratur? Sic Christus dicit, Luc. 22. minorem esse eum qui ministrat. Hoc probè perpensum, generabit animum hilarẽ ad obediendum & promptum, id quod ad hoc faciet, ut cœlestis pater qui nobis ita consultum cupit, suo fine potiatur, quod non fiet, nisi ex animo potestatibus ordinarijs subditi simus, nosq; regi & pasci ad nostrum commodum sinamus.

Porrò duodecim Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon qui uocatur Petrus, & Andræas frater eius, Iacobus filius Zebedæi, & Ioãnes frater eius, Philippus & Barphtolomæus, Thomas & Matthæus, qui fuerat publicanus, Iacobus filius Alphæi, & Lebbæus cognomento Thaddæus, Simon Cananæus, & Iudas Iscariotes qui prodidit illum.

Habet hoc scriptura, ut nomina eorum quorum opera Deus ad suum usus est ministerium, non sinat in obliuione sepulta iacere. Sed eos nominibus suis exprimat, qui fuerint, ut partim sciamus Deo non esse neglectos, qui illi seruiunt: partim etiam ipsorum fidem memores imitemur. Multum enim utilitatis habet ex nomine cognitos habere, quorum ministerio Deus ad nostrum profectum uti dignatur. Et præterea dignum est, ut iuxta illud: In memoria æterna erit iustus, maneant in hominum memoria, qui Deo fideliter ministrarunt. Sic Exo. 35. Ponit Moyses nomina eorum, quorum industria factum est tabernaculum. Et 1 Paral. 15. commemorantur eorum nomina, qui arcam Dei in tabernaculum à Dauide factum, reduxerũt. Et præterea primo Regum commemoratur etiam ex nomine, qui ad ornatum templi egregia opera perfecit. Quanto dignius est, ut eorum nomina sint in memoria apud credentes, quorum ministerio domus Dei, quæ nos sumus, in uniuerso orbe fabricata est? Euangelista igitur, quoniam hactenus Petri duntaxat & Andrææ nomina: deinde & Matthæi, posuerat, cõmodum uoluit hoc loco omnium Apostolorum nomina commemorare. Nobis uerò conandum, ut quorum sacrosancta habemus nomina, doctrinam etiam & fidem amplectamur. Sint autem quædam quæ pensanda puto, illa uideamus.

Primo occurrendum est illis, qui ex hoc loco Romanæ monarchiæ fulcimentum quærunt, propterea quod Petrus primo loco cæteris præponitur, unde primatum Romani Pontificis firmare conantur, quasi mens fuerit Euangelistæ in isto nominum catalogo dignitates obseruare Apostolorum, id quod & Chrysostomus & Hieronymus negant.

Deinde apertus est locus Cypriani tract. 3. de simplicitate Clericorum, ubi sic dicit: Hoc erant utiq; & cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris & potestatis. Si pari consortio potestatis & honoris prædíti fuerunt, ut quid somniatur Petri primatus? Præterea nihil hic legitur, quod Petro Christus præ cæteris dederit. Eadem commemoratur potestas, eadem legatio. Postremo etiam si largiamur Petro aliquid datum esse prærogatiuæ, quid istud ad Pontifices Romanos? Exprimant dilectionẽ Petri erga Christum & oues Christi, & credamus eos aliquid habere præ cæteris Episcopis.

Proinde simpliciter accipiendi sunt Euangelistæ, qui Petrum et Andræam, aut Petrum & Iacobum & Ioannem, priore loco non alia ratione ponunt, quàm quia isti priores sunt in uocatione. Et Petrus præterea reliquis aliquanto erat senior & maturior. Nihil minus cogitarunt Euangelistæ, quàm primatũ in eo, quod primo loco Petrum commemorarunt. Quemadmodum & Paulus Gal. 2. non ideò Iacobum præponit Petro & Ioanni, ut Iacobo primatum statuat, cum dicit: Cum cognouissent gratiã mihi datam Iacobus Cephas & Ioãnes, qui uidebãtur esse columnæ. Ita nec Christus propterea Cæsarẽ Deo præposuit, ut suprà Deũ illum ueneretur, cum dixit: Date Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt.

Deinde. Expendendum est quod dicit: Qui uocatur Petrus, Ioan. 1. legimus. Tu uocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Et Mar. 3. cui imposuit nomen Petro. Et Luc. 6. Quem Petrum nominauit, unde intelligimus huic Apostolo peculiare nomen à Christo inditum. Ad eum modum & de Iacobo legimus & illius fratre Ioanne Mar. 3. Quibus imposuit nomina Boanerges, quod est filij tonitrui. Voluit ergo Christus hos tres peculiaribus nominibus insignire, ut haberent unde ad singularem etiam animi uirtutem ac dexteritatem incitarentur & admonerentur. Nam omnino in futurum respexit. Neque enim dum isti tres quicquàm præ alijs egregij designauerant, cum peculiaribus istis nominibus à Christo notabãtur, ut hoc facto uoluerit eos quasi præmij loco cæteris præferre. Quin si eos iudicare licet ex factis, non sunt inter Apostolos, excepto Iuda proditore, qui adeò, ut isti, grauiter deliquerit. Factum Petri notum est. Matth. 16. Item quomodo Christum negauerit. Deinde Iacobi & Ioãnis factũ in petendo consessu iuxta Christiũ describitur, Mat. 20. Proinde nõ est alicuius præcipuæ uirtutis gratia, quã in se habuissent, à Christo factum quod hic legimus, sed magis ob id quod usurus illis erat ad res præcipuas, & ut Paulus ait, ad

hoc,

hoc, ut quasi columnæ essent cæterorum, uoluit eos impositis alijs nominibus admonitos dexteritatis et officij. Simonem uocat Petrum, ut admoneat opus fore constanti confessione & fide, quasi ad futuram negationem aspiciens. Iacobum & Iohannem uocat filios tonitrui, admonens tonitrui instar exaltandam fore ad prædicationem Euangelij uocem, qua totus commoueretur orbis. Quod & isti tres cæteris constantius & confidentius Christum prædicauerint, testantur Acta Apostolorum. De Petro & Iohanne leginus Acto. 3. 4. quomodo propter confessionem Christi positi sint in custodiam. Et de Iacobo & Petro quoq; Act. 12. scribitur, de Iacobo, quomodo sit propter Christum ab Herode occisus: de Petro, quomodo sit occidendus in carcerem coniectus. Atq; ita certe non frustra indita sunt illis hæc nomina. Quid enim frustra faceret Christus ipsa ueritas? Romani Pontifices ad imitationem hanc Christi cum creantur alia nomina accipiunt, sed nomina sine re.

Abraham. Sarai. Israël. Iohannes. Iesus.

Admonendi sunt hic, quibus mox atq; ad functionem aliquam electi sunt, ex ipsis officijs alia nomina accedũt, ut nominibus suis satisfaciant, quibus accepti officij admonentur. Nõ possum hic transire Romanã illã stupidã ambitionẽ, cui Cephas idẽ est quod caput. Arguentes enim ex hac dictione probare conantur suũ primatũ Romani põtifices. Nã ita leginus in epist. 3. Anacleti papæ. Et licet omnes essent Apostoli, Petro tamẽ à domino cõcessum est, & ipsi id ita inter se uoluerunt, ut reliquis omnibus præesset Apostolis, & cephas, id est, caput & principatũ teneret Apostolatus. Et in Decretis Vigilij papæ ca. 7. ita legitur. Quoniã licet omniũ Apostolorũ par esset electio, beato tamẽ Petro cõcessum est, ut cæteris præemineret, unde et cephas uocatur, quia caput est & primus omniũ Apostolorũ. Hos remittamus ad euangelistam Iohannẽ, qui ca. 1. dicit: Tu uocaberis cephas, quod si interpreteris sonat Petrus. Vsq; adeò uidelicet Romani caput & primatũ somniant in Ecclesia, ut saxum illis sit caput. Bene scilicet Ecclesiæ consulunt, caput illi dantes saxeum. Quanto melius illi, qui filium Dei ponunt Ecclesiæ caput?

DE RATIONE IMPONENDORUM NOMINUM.

Quoniam in ista Apostolorum nomenclatura tribus Apostolis alia per Christum indita esse nomina commorant Euangelistæ, puto nõ præter filum fore, si paucis hic commemorauero rationem imponendorum nominum, id quod etiam ad hoc conducet, ut rationem uideamus, ob quam Christus id fecerit.

Est autem imponendorum nominum duplex ratio. Primaria & generalis est, ut alios ab alijs discernamus, propter multitudinem indiuiduorũ, cuius gratia necesse est, ut unicuiq; mortaliũ suũ imponatur nomẽ, quo ab alijs discernatur. Altera est, qua non solũ ad hoc imponitur nomen, ut sit unde queat quis ab alijs discerni, sed etiam ad hoc, ut rei alicuius præteritæ memoria indito nomine cõseruetur, ut ex ipso nomine sit admonitio rei gestæ simul & cõseruatio. Hac ratione imposita sunt multis nomina, quæ aliquã habent significationem.

Adam. Sic uocatus est à Deo primus homo אדם Adam, id est, terreus, eò quod de terra esset sumptus. Sic Gen. 16. datur ab Angelo nomen puero Agar, quem ex Abrahamo conceperat, adhuc in utero existenti, nomen Ismaël, ex re uidelicet gesta: propterea quod dominus audisset uocem & calamitatẽ Agar. Quia iste puer caput erat futurus magnæ posteritatis, atq; ea gens separanda erat à populo fœderis Dei, uoluit dominus, ut uel ex autoris nomine, à quo dicendi erant Ismaëlitæ, admonerentur eius Dei, qui in calamitate constitutam parentẽ generis audiuisset et adiuuisset: id quod etiã ad id faciebat, ut ex ipso nomine redderentur inexcusabiles istius gentis abominationes & idololatriæ. Non aliter, quàm quomodo nobis impositũ est nomen à Christo, quod Christiani uocamur, ex quo uidelicet uel nomine, si nihil esset aliud, admoneremur, cuius deberemus esse fidei, ita ut nulla posit alicuius impietatis & defectionis excusatio nobis esse in posterũ. Audimus hodie: Ich uueyß schier nit an uuen ich glauben soll. An non ex ipso nomine potes admoneri, cuius te oporteat esse religionis & fidei? Sed de isto postea. Et Geneseos. 41. posteaquàm luctatus esset Iacob cum angelo, & prævaluisset immutatum est illi nomen, ut uocaretur Israël, id est, prævalens cõtra deũ: nimirum ex re gesta, quod nominis ad hoc faciebat, ut gestæ rei memor confidentior esset in posterum, metumq; illum inanem, quo fratrem timebat, excuteret. Deinde factum est, ut et posteri ipsius Israëlitæ dicti, admonerentur paternæ fidei, cuius numirum sint uirtutis, qui Deo sese fide constanter addicunt.

Id moris autem usurparunt pij. Hinc habent nomina sua. Cain, Abel, Seth, Isaac, Iacob. Deinde & filij Iacob, Reuben, Simeon, Leui, Iudas, Dan, Nephtalim, Gad, Aser, Isachar, Zabulon, Ioseph, Beniamin. Qua in re uidemus studium istud fuisse pijs, ut in imponendis nominibus memoriam conseruarent rerum gestarum, maxime beneficiorum Dei.

Huc pertinet, quod quidam memorias parentum, fratrum, sororum, & amicorum per nomina liberorum studiose conseruant, id quod etiam tempore Christi in usu fuisse in natiuitate Iohannis Baptistæ, uidemus Lucæ 1. quem uolebant in circumcisione Zachariam uocare, nomine uidelicet patris sui, uel certe putabant nomine aliquo eorum, qui essent in cognatione uocandum puerum. Hunc morem etiam hodie quidam, maxime nobiles, studiose seruant, ita ut aliquando duo nomina coniungant. Isti uidentur mihi carnali quodam affectu conseruandæ memoriæ suorum, uel generis prouehendi gratia, istud facere. Tametsi non culpo, si parentis memoria conseruetur in filio, duntaxat uideatur, ut ea sit parentis uita & conditio, ut ex memoria paterni nominis habeat filius causam pietatis, non alicuius mali exemplum.

Istud postea degenerauit in eum morem, ut sanctorum nomina imponerentur liberis, ita ut quasi sanctorũ cultui cõsecrati sint pueri per istam cognominationem, idololatriam sapit ista consuetudo. Hac uellem Euangelicos nostros uti cautione, ut quia non cuiuis lubet priorem modum ueterum in imponendis nominibus sequi, saltem eorum nomina pueris inderent, quorum pietatem

tem nobis scriptura prædicat, & quorum nomina nulla polluit idololatria. Hactenus de altera ista imponendorum nominum ratione.

Tertia ratio est, ad significandum rem aliquam futuram. Sic Euah uocata est uxor Adæ, eò quod futura esset mater omnium uiuentium. חוה siquidem uitam significat. Gen. 3. Sic Abraham pater multarum gentium & Sarai, eò quod multi principes egressuri erant ex ea. Gen. 17. Sic Shlomoh, quia uidelicet futurus erat rex pacificus, cuius regnũ bellis non esset turbulentum. Sic Iohannes, quia futurus erat præcursor gratiæ. Sic Iesus, quia futurus erat saluator populi sui. Huius scilicet rationis sunt & ista nomina tribus istis Apostolis à Christo indita. Significabãt enim futurũ, ut iste cõstanti fide præditus, illi sublimi uoce ueritatis precones essent.

4 Quarta ratio est eorum nominum, quæ ex religione imponuntur, ita ut quisq; religionis suæ, uel ex nomine, quo censetur, admoneatur. Ita cœptum est Antiochiæ, ut illi, qui in Christum credunt, uocentur Christiani, ex autore suo quem colunt. Cum ergo id nominis habeamus omnes, nõ erit ratio, ut aliquis hæsitet, cuius debeat esse fidei. Istud nomen per quosdam postea obscurari cœpit, alijs assumptis, ex alijs autoribus. Hinc sunt Augustiniani, Benedictini, Bernhardini, Franciscani. Isti testãtur ipsis nominibus defecisse se à Christo, posteaquàm aliorum autorum nomina sibi usurparunt. Istud corripit Paulus. 1. Cor. 1. Huc pertinent & illa nomina, quæ ex officijs induntur: ut, Consul, Senator, Prædicator, Diaconus, pater, mater, &c. quæ sunt innumera. Per ista admonetur quisq; officij sui. Hactenus de ratione imponendorum nominum.

Tertio, Obseruandum est & illud, quod tanta simplicitate, tanta humilitate, absq; omni põpa ponuntur tantorũ uirorũ nomina, sine omni dignitatũ uel præfatione uel adiectione. Non audiuntur hic illa ampullata & magnifica, sanctißimus, maximus, reuerendus, religiosißimus: nec illa, subtilis, seraphicus, angelicus, deuotißimus, aut id genus alia, quibus nostri seculi prælati in cœlum usq; extolluntur, quibusq; ita assueti sunt, ut summi probri loco ducerent, si absq; aliqua præfatione honoris, uel appellarentur ipsi, uel eorũ mentio fieret. Quæso te, quid tale hic uides? Hic habes ipsam sanctitatem cum summa simplicitate, sine omni adulatione. Nos uerò iam eò prolapsi sumus, ut splendidis titulis studentes re ipsa careamus.

4 Quarto. Neq; hoc negligendum est, quod Matthæus nomini suo adiungit probrosum illud ueteris uitæ cognomen, dicens: Et Matthæus qui fuerat publicanus. Poterat simpliciter sine aliqua cognominis adiectione nomen suum ponere, quandoquidem nulla opus erat discretione, qua ab alijs dignosceretur, nemine inter Apostolos existente, qui eodem uocatus esset nomine, quemadmodum & alij Euangelistæ, Marcus & Lucas hoc faciunt. Deinde cum alij Thomam postponant, ipse illum
1 sibi præponit. Quid hic admonemur? Primum admonemur, ut humiles simus, nemini nos præponentes. Al-
2 terum, ut gratiam dei, quæ nobis contigit, non obscuremus, sed prædicemus, etiam si illud probro nostro fiat. Pertinebat enim ad gloriam Christi, quod ex publicano factus esset Apostolus. Sic oportebat Matthæum istud cognomen retinere. Sic latro, sic publicanus retrò ianuam, sic mulier peccatrix, sic Paulus 1. Tim. 1.

Et obserua, quod reliqui Euangelistæ hoc nõ faciunt. Satius enim est, ut quisq; per se hoc faciat, id est, ut ueteris turpitudinis suæ non obliuiscatur, quàm ut alij hoc faciant. Nos uerò contrario modo agimus, nostram turpitudinem contegentes, & aliorum retegentes.

Quinto. In eo uerò quod dicit: Et Iudas Iscariothes, qui et prodidit illum, ignoro plane, quid priore loco annotem. Abscondita est diuina illa & admirabilis prouidentia Dei, qua usus est Christus in hoc Iuda proditore suo. Ad perfectionẽ redemptionis nostræ opus erat traditore. Hunc oportebat esse discipulum, ut adimpleretur: Qui edit panem meũ leuabit super me calcaneum suũ. Nec satis erat, ut esset discipulus, oportuit in sacrosanctum istum duodenarium numerũ adlegi, ut ad perficiendam proditionem, eò maiorem haberet opportunitatem. Qua in re uidemus, quæ sit humani generis peruersitas. Quibus quæso et quot modis à Christo affectus est, ut si uel tantillum mentis habuisset, ab ista potuisset animi prauitate auerti? Verum omnia illa magis illum eò prouehebant, ut esset proditor Christi. Sed ista relinquamus secreto Dei iudicio, orantes ne nos deserat.

Quin magis expendamus, cuius exemplũ gerat hic Iudas. Iudas auaritiæ typus, maxime eius, quæ in sacris, sub prætextu pietatis committitur, nobis hic proponitur. Huc facit, quod cognomen habet Iscariothes, uel à uico, unde fuerat ortus: uel à tribu, quæ dicitur Isachar commodum scilicet cognomen huic Apostolo, qui uenditurus erat pro mercede Dominum suum, שבר enim mercedem significat. Huic sese conformant, qui turpis lucri gratia, Christum, id est, gratiam Dei uendunt. Illi scilicet potißimũ, qui hoc sub prætextu pietatis faciunt. Nam hic Iudas, nec nomine, nec officio tale facinus præ se ferebat, sed nomine erat splendidiore magis, quàm quisquàm alius. Iehudas enim confessio dicitur. Deinde, non erat ex gregarijs Christi discipulis, sed ex selectißimis uidelicet Apostolis, tanta uidelicet pietatis specie præditus, ut omnibus imponeret Apostolis. Et quàmuis fur esset, & loculos haberet, tamen furtum suum ita tegebat operculo & prætextu pietatis, ut nihil appareret fraudis. Ioh. 12. dicebat: Quare hoc unguentum non uenijt 300. denarijs, & datum est egenis. Dixit aũt hoc nõ quod pauperes illi curæ essent, sed quia fur erat, & marsupium portabat, &c. Quos ergo nobis alios refert hic Iudas, quàm eos Christi ministros, qui sub prætextu pietatis, & Christum uendunt, id est, gratiam Christi produnt ac uendunt, & quæ pauperibus data sunt furantur? Certe iuxta hoc exemplum Romani pontifices magis Iudam Apostolum, quàm Petrum referunt. Vide 1. Quæst. 1. ca. Qui studet, an non etiam ipsa Decreta hoc fateantur.

Postremo & illud hic notandum est, quàm nulla societas adeò sacrosancta sit, quin in ea sit aliquis malus. Proinde uidendum, ne unius mali gratia reliqui boni abijciantur, ne propter Iudã reijciamus alios Apostolos.

Hos

1 Hos numero duodecim emisit Iesus.
2 Quibus præceperat, dicens: In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorũ ne ingrediamini, sed ite potius
3 ad oues perditas domus Israël. Profecti autem prædicate, dicentes: Appropinquauit regnum cœlorum. Infirmos sanate, leprosos mundate, mortuos suscitate, dæmonia eijcite. Gratuito accepistis
5 gratuito date.

Posteaquàm Euangelista ostendit duodecim Apostolos ad Christum uocatos, potestatem accepisse super quosuis spiritus immundos, & super quemuis morbum & languorem. Deinde et nomina ipsorũ perpetuæ memoriæ consecrauit iam ordine pergit cõmemorare, ad quid à Christo uocati, et tanta fuerint potestate instructi: nempe ad hoc, ut ad prædicationem regni dei eos emitteret. Atq; ideò dicit: Hos numero duodecim emisit.

2 *Postea, ad quos eos emiserit, subiungit: In uiam gentium ne intrauertis, & in ciuitatem Samaritanorum ne ingrediamini, sed ite potius ad perditas oues domus Israël. Videmus hic magna diligentia inculcari discipulis Apostolis, ad quos non debeant, deinde ad quos debeant abire. Ad Samaritanos & ad Gentes eos non uult accedere, sed potius ad Israëlitas, cum tamen non solum Israëlitarum, sed & Gentium, & Samaritanorum nomine uenerit in huic mundum. Qua id ratione factum sit, postea in annotationibus huius loci uidebimus.*

3 *Tertio subdit, quid mandati dederit, quid apud perditas oues domus Israël facere debuerint, dicens: Profecti autem prædicate. Ergo ad prædicandum emittebantur, non ad canendum & missandum.*

4 *Quarto, declarat etiam quid eos prædicare iusserit. Neq; enim satis est prædicare, sed oportet præscriptum mandatum, hoc est, mandatum prædicationis genus exequi. Quod erat illud? Dicentes, inquit: Appropinquauit regnum cœlorum.*

5 *Quinto. Potestatem eam, cuius supra meminit, quomodo dederit, subnectit: Infirmos inquit curate, &c.*

6 *Sexto, ut omnem quæstus occasionem amputet, uetat eos acceptam potestatem ita collocare, ut pro sanatis infirmis, curatis leprosis, suscitatis mortuis, liberatis dæmoniacis, prædicato etiam regno Dei, nihil mercedis ac lucri terreni exigerent, dicens: Gratuito accepistis, gratuito date.*

VIDEAMVS IAM QVORVNDAM ex prædictis rationem: deinde & quid doctrinæ nobis ex ipsis sit notandum.

1 *Primo. Illud, quod notanter dicit: In uiam gentium ne intraueritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne ingrediamini, sed ite potius ad oues perditas domus Israël Quæstionem habet. Quæri nanq; poterit, qua ratione hoc fecerit, cum constet, eum non solum propter Israëlitas, sed et propter gentes totius mundi saluatorem aduenisse. Habet cursus regni Christi sua tempora ab æterno dispositа, suumq; propagandi ordinẽ. Neq; enim mox diuina cognitio omnibus erat impartienda, sed per ordinem primum certo cuidam & selecto populo: deinde & ex illo, quasi sumpto fermento ad alios demum progrediendum. Ita uidemus & cum regno Christi factum. Erat huic populo Christus in Prophetis promissus, ex quo debebat & nasci. Huic igitur, debebat primo omnium ista regni Dei, cuius in Prophetis habebant promissiones, annunciatio mitti, & postea demum ad omnes gentes, id quod ex fine colligimus. Sic & Paulus Actorum 13. Vobis oportebat primum.*

2 *Deinde, quoniam mysterium illud de uocandis gentibus nondum erat reuelatum, & Iudæi putabant Christum, nõ nisi ad se pertinere, ne ante tempus occasionem daret offendiculi, necesse erat, ut gratiam Dei non statim ad gentes, sed prius ad Israëlitas mitteret. Huc ac-*
3 *cidebat, quod incredulis uersabatur simultas inter Iu-* De Samarit.
dæos & Samaritanos, unde cauere etiam uoluit, ne su- 2. Reg. 17.
spitionem Iudæis moueret, quasi Samaritanos ipsis præferret. Nam alioqui illum Samaritanum uocabant.

Præterea oportuit impleri summam Iudæorum per- 4
uersitatem, qua non solum Prophetarũ, sed etiam Christi sui oracula reijcerent, ut essent in excusabiles, ut postea iuxta Prophetarũ uaticinia, irritarentur in gente stulta, quandoquidem ipsi gratiam uocantis Dei tantopere respuissent.

5 *Ad hæc, quoniam uocationis Gentium tempus nondum aduenerat, non erant etiam, qui ex Gentibus uocari potuissent: erant autem inter oues Israëliticas, quæ uocatæ uenturæ & accessuræ erant, ut postea patuit prædicantibus Apostolis, ubi primum. 3. deinde. 5. millia Iudæorum credidisse scribuntur, unde & Iacobus dicebat ad Paulum: Vides frater quot millia sint Iudæorum, qui crediderunt. Actorum 21.*

Non itaq; propterea uetat Apostolos suos ire ad Gentes, sed ad Iudæos solum, quod Iudæis duntaxat destinata esset gratia Dei, sed propterea, quod oportebat ordine perfici cursum regni Dei, ne præter causam offenderet Iudæos, & aliquam excusationis uel speciem relinqueret, id quod postea ex cursu regni Dei uisum est.

Quid autem nos hinc colligimus? Locus hic est unus 1
secretorum iudiciorum Dei. Gentes & Samaritanos oportet tantisper priuari luce cognitionis Dei, donec peruersitas Iudæorum finem suum sortiretur, & quædam hinc inde sparsæ ouiculæ colligerentur. Videmus hic quomodo secreto Dei consilio, quibusdam prædicatio regni Dei ad tempus negatur, quibus tamen non in uniuersum negata est, sed etiam ab æterno præordinata est diuinitus. Sic Acto. 16. legimus, Paulum à spiritu sancto prohibitum, ne uerbum Dei prædicaret in Asia. Et tamen postea Actorum 19. legimus, illum magno fructu prædicasse in Asia. Admonemur ergo isto exemplo, non mox in uniuersum priuatos esse uerbo Dei, qui illo ad tẽpus priuãtur. Erat Apostolis planè incognitũ, futurũ, ut & Gentes ad Euangelij consortiũ essent uocandæ. Id quod postea patuit in actis Apostolicis. Ita & nos hodie putamus multa loca, tenebris papisticis & mundi huius tyrannide pressa, nunquàm istam Euangelij lucem habitura, quam nos hodie habemus. Verum hoc exemplo discamus non mox ad pomeria regni dei non pertinere,

qui ad

qui ad tẽpus in tenebris relinquuntur. Proderit ista admonitio ad sedulã pro regno Christi dilatando precem.

2 Deinde. In eo quod Iudæi quidem primi sunt, quibus regnum cœlorum annunciatur, tamen nouissimi fiunt, factis ex nouissimis primis, iuxta dictum illud Christi: Primi sunt nouissimi, et nouissimi primi. Exemplum est, quod nunquàm debebat ex oculis nostris seponi. Nam & nos in ea gratia, quæ bonitate Domini posterioribus istis temporibus contigit, si non primi, certe cum primis, uel saltem proxime post primos Euangelij lucem uidimus. Timendum ergo, ne & nos Iudæorum exemplo ex primis reddámur nouissimi. Ingens sanè pœna et condemnatio omnium iustissima est eorũ, qui ex primis fiunt nouissimi. Qui cum primi ad nuptias uocati sint, indignos se cœlesti reddunt honore, quemadmodum & magna omnino gratia est, quam contemnunt. Si omnia ad nostram doctrinam scripta sunt, certe & ista ad nostram doctrinam scripta sunt.

3 Tertio. Quærendum est, quare non dicat: Sed ite potius ad Israëlitas, aut ad domum Israëlis, ut uniuersum Israëlem comprehenderet, sed ad oues perditas domus Israëlis. An non uniuersi Israëlitæ erant perditi? utiq; Sed non erant omnes ad uitam præordinati. Mittit ergo Ezech. 34 suos ad electos. Docemur hic, quorũ gratia potissimum mittantur Christi ministri: Nempe perditarum ouium gratia. Electi instar sunt ouium perditarum. Ouis perdita hoc habet, ut pastori uisitanti non reluctetur, sed Mat. 7. pareat. Alioqui erant & canes & sues inter Israëlitas.

Notandum etiam, quod etiam illi possunt esse oues Christi, & ad uitam electi, qui in errore sunt. Proinde erroris gratia nemo cõdemnandus est, nisi pertinaciter uocanti pastori reluctetur.

4 Quarto. Notandum est etiam, quod quemadmodum in alijs locis, ita et hic, Iudæos illorum temporum uocat domum Israëlis, cum tamen decem illæ tribus iam olim Esa. 7. ita fuerint in captiuitatem Assyriacam abductæ, ut in 2. Reg. 17. hodiernum usq; diem non sint reductæ, & istis Christi temporibus duntaxat domus Iehudah & Beniamin, & pauci quidam ex Israëlitis ex Babylone reducti, terram hanc inhabitauerint. Notum est illud discrimen Iehudah & Israëlis, quod sub Hieroboam cœpit. Iam qua ratione Christus eos, qui ex Iehudah erant contra consuetum illud discrimen uocat domum Israëlis? Nobis sanè ista non frustra notantur. Verum est, nomen illud Israëlis, usurparant sibi decẽ tribus, in illa quæ sub Roboam facta est, regni diuisione. Non tamen ideò domus Iehudah excluſa erat ab ista nominis communione, propter tribuum paucitatem, quemadmodum non ideò merito decem tribus Israëlis posteros sese gloriabantur, quod numero tribuum Iudah & Beniamin uincebant. Quin si nominis ratio recte reputetur, iustius tribus Iehudah domus Israëlis uocanda erat, quæ etsi non sine defectu, tamen plenius fidem & deum Israëlis sequebatur, quàm decem illæ tribus, quæ magis debebant dici domus Hieroboam, quàm domus Israël. Quod enim etiam à Prophetis domus Israël uocatæ sunt, non ideò factum est, quod solæ essent ac uerè domus Israël, sed quia seipsos ita uocabant, & ut possent Prophetiæ discerni. Recte ergo Christus istas reliquias domus Israëlis uocat, licet non omnes essent Israëlitæ, qui carne erant Israëlitæ.

Quid ergo hic notabimus aliud, quàm non mox esse catholicos, qui se multitudine & nomine tantum catholicos iactant (Nam quod apud nos hodie sonat nomen catholicæ Ecclesiæ, hoc apud Iudæos sonabat Israëlis nomen) Nec mox ista communione catholici nominis priuati sunt coram Deo, qui in hoc mundo illo priuantur, sed reuera ueros esse catholicos, qui fidem catholicæ Ecclesiæ tenent. Regem habent Romani & cultum, quem ipsi præter uerbum Dei elegerunt, & quia reliquos multitudine excellunt, uolunt soli catholici uideri, cæteris hunc regem & cultum non agnoscentibus extra catholicæ Ecclesiæ communionem excluſis. Ea quæ domui Israëlis contigerunt, magna securitate quidam hodie ad Ecclesiam Christi non pertinere putant, quasi non timenda sint etiam hodie ea, quæ Iudæi quia contempserunt, magno suo malo experti sunt, cum tamen Apostolus ad Rom. 11. apertè nobis domum Israëlis ob oculos exempli gratia ponat.

Christus hic non sine ratione domu Israëlis meminit, ad Israëlitas suos mittens. Quid domus sit, non est obscurum. Intelligit posteros Israëlis, qui ab Iacob patriarcha descenderant. Illius domũ & posteros elegerat sibi deus in populum peculiarem, fœdus cum illo inierat, & quasi hæreditatem suam, quam haberet in terris, unicam summo studio coluerat, Esa. 1. Vnde toties Israëlem uocat hæreditatem suam, uocat dilectum suum, uocat filium suum, & id genus multa. Decerat illi uiuendi leges, præscripserat certum cultum, cœderat Sacerdotes, miserat Prophetas, promiserat Saluatorem, quibus omnibus quomodo sint usi Israëlitæ, testantur scripturæ. Perpende iam, quomodo habeat iste domus Israëlis apparente Christo saluatore. Decem tribus iam dudum erant idololatriæ gratia in captiuitatem abductæ, nec dum reductæ. Remanserant duæ, Iudah & Beniamin. In illis remanserat etiam nomen Israëlis. Et tamen istæ quoq; destinatæ erant propter suam pertinaciam excidioni horrendæ, breui sequuturæ, in qua adhuc hodie detinentur. Iam neq; ad omnes eos, qui tum superstites erãt suos mittit, sed tantũ ad oues perditas domus Israëlis, hoc est, ad modicos illos electos, qui ueri erant Abrahæ filij, & domus Israëlis posteri, reliqui in sua cæcitate perdurant ac pereunt. Et etiam electi in errore inueniuntur. Quid hic aliud uides, quàm timenda dei iudicia? Habes populum unũ, populũ Dei, populũ unius domus, unius [illegible]nis etiam, unius quoq; fidei & testamenti. Et tamen quod ad salutẽ attinet, uides reliquias paucas saluari, iuxta illud Rom. 9. Si numerus filiorum Israël.

Exemplo isto docemur utiq;, non mox sequendam esse multitudinem. Multitudinem posse perire, electos etiam posse errare, catholicam ueritatem posse in paucis consistere, propter paucos quosdam magnam à Deo uocari multitudinem, iuxta illud: Multi uocati, pauci electi, paucos illos etiam posse in errorem deduci, fieriq; oues perditas.

Qvinto. Ex eo quod Christus quoq; hic Israëlitis 5
tantũ dat prærogatiuæ, ut ad eos solos mittat Apostolos

suos

ſuos præter alia multa, quæ diuinitus hic populus præ alijs accepit, & tamen his omnibus ita pertinaciter eſt abuſus, ut nemo unquàm fuerit, qui iuxta uerbum Stephani Actor. 7. tanta obſtinatione ſpirituiſancto, uocationiq; Dei reluctatus ſit, ut & merito in Prophetis uocatus ſit populus incredulus & contradicens. Videmus non mox ſequendos eſſe eos, quibus inſignia præ alijs diuinitus beneficia contigerunt, nec ab ipſorum autoritate ſtatim ſumendam eſſe religionis normam, ſed magis ipſum uerbum Dei audiendum & ſequendum, niſi lubeat in errorem abire.

Quid eſt ergo argumentũ illud Eccleſiæ de prærogatiua & beneficijs Eccleſiæ factis, ſumptũ? Eccleſia inquiunt, eſt ſponſa Chriſti, corpus Chriſti, unica Chriſti, quam dilexit, & ſanguine ſuo luit, illã quomodo deſeruiſſet tot annos in errore? Credamus ergo quomodo credit Eccleſia. Maneamus apud Eccleſiam. Quaſi non poſſent idẽ nobis hodie quoq; occinere Iudæi. Iſraëlitæ ſunt populus Dei, peculiũ Dei, uinea dei, hæreditas dei, ſponſa Dei: quorum ſunt oracula dei, quorum ſunt Prophetæ, quorum teſtamenta, quorum patres, quorum etiam Chriſtus eſt. Credamus ergo, ut Iudæi. Maneamus apud Iudæos. Quomodo enim potuiſſet Deus populum ſuum, quem tantopere dilexit, ut in Eſaia dicat: Si poterit mater obliuiſci infantis uteri ſui, potero & ego tui obliuiſci, imò ſi illa obliuiſcatur, ego tamen tui non obliuiſcar, tot ſecula in errorum captiuitate deſerere? Proinde nihil habet hoc argumentum uirium, quod ex beneficijs Dei ſumitur, cum uideamus etiam eos, quibus maxima beneficia diuinitus contigerunt, ueritatem uel reſpuiſſe penitus, uel admiſſam non diu tenuiſſe. Quin magis oſtendant Romanam Eccleſiam, iuſtitiam & fidem probæ ſponſæ erga ſponſum Chriſtum conſtanter tenuiſſe. Conſpicuum enim eſt & Chriſto id ſortis contingere, ut plus diligens minus diligatur, id quod plerunq; illis uſuenit, qui plurimum ſuos diligunt, & magnis eos beneficijs afficiunt. Proinde tutius eſt in cauſa religionis ſequi diligentem Chriſtum, qui dicit: Qui me ſequitur non ambulat in tenebris, quàm dilectam Eccleſiam (Romanam illam & externam intelligendo. Nam alioqui ueram Chriſti Eccleſiam, quæ uerbo ſponſi ſui fideliter adhæret omnes pij ex animo diligunt & complectuntur) quæ plurimum dilecta minus diligit, atq; ideò non leue iudicium aliquando patietur.

Rom. 9. Et Chriſtus uocat eos filios regni. Et Paulus naturales ramos.

Eſa. 49.

6 Sexto. In eo quod uocat oues perditas, eos quos ad regnum ſuum uocabat. Admonet nos, qua in re ſita ſit perditio, & qua in re ſalus. Quomodo erant perditi, ad quos ſuos mittebat Chriſtus? Corporaliter certe non erant perditi. Quæruntur enim non in deſertis locis, nec quæruntur in carceribus, aut alijs corporalibus periculis, ſed in urbibus ac uicis conſtituti, & tales, apud quos eſſe poterant Apoſtoli, donec diuerterentur aliò. Relinquitur ergo ſpiritaliter perditos fuiſſe. Spiritalis autem perditio eſt, qua quis ueræ & futuræ uitæ coram Deo perditus eſt, non iſti præſenti, etiam ſi hic apprime floreat. Iam qua in re erat illa perditio? Illud uidelicet ex iſta legatione patet. Si enim Apoſtoli ad hoc mittuntur, ut perditas oues domus Iſraël ad Chriſtum paſtorem ducant, atq; ideò ducant, ut ſaluentur. Iuxta illud Chriſti: Venit enim filius hominis quærere, et ſaluum facere quod perierat. Relinquitur perditionẽ eſſe, extra paſturam & cuſtodiam regni Chriſti eſſe. Quemadmodum enim ouiculæ perditio eſt, extra cuſtodiam paſtoris fidelis, pro ſuo uoto oberrare in montibus ac uallibus, & uiciſſim ſalus certa, ſub paſtoris cuſtodia teneri ac paſci, ita & noſtræ, uel perditionis, uel ſalutis ratio habet. Nam alioqui, quicquid uel diuinæ cognitionis, uel iuſtitiæ, uel ſanctitatis extra Chriſtum apud mortales inueniri poterit, apud Iudæos certe uiguit etiam. Habebant enim non ſolum cognitionem unici dei, ſed & zelum Dei, teſte Paulo. Deinde & ſectabantur iuſtitiam, eodem Paulo teſte. Quomodo igitur fuerunt oues perditæ, etiam qui inter eos erant ad uitam præordinati, niſi quod uera Chriſti cognitione carebant, & extra ueri & unici paſtoris ac Saluatoris cuſtodiam poſiti in tenebris & umbra mortis errabant. Hæc enim inquit Chriſtus Iohannis 17. eſt uita æterna, ut cognoſcant te Deum patrem, & quem miſiſti Chriſtum. Nam extra Chriſtum non poteſt eſſe uera Dei cognitio, multo minus uita & ſalus. Ad patrem quippe nemo uenit, niſi per Chriſtum. Iohannis 14. Relinquitur ergo perditionem eſſe, extra Chriſti paſtoris curam & cuſtodiam, & ſalutem uiciſſim, in illius cuſtodia & paſtura poſitum eſſe. Proinde concludimus eos, qui homines ad Chriſtum ducunt, ad ſalutem eos ducere, & a perditione liberare, & eos qui cognitionem Chriſti impediunt, mortalium ſalutem impedire, & perditionem promouere, utut interea ſplendida in ſpeciem opera doceant, & multa de religione & cultu Dei blaterent.

Matth. 18 Luc. 19.

Hic tamen animaduertendum etiam fuerit, quid uerè ſit ad Chriſtum paſtorem ductum eſſe, paſturaq; illius & cuſtodia ad ſalutem potiri. Quantum enim attinet ad externa illa, quod in Chriſtũ baptizati ſumus, quod nomine illius cenſemur, quod memoriam mortis ipſius externe celebramus, uerbum illius prædicamus & audimus, bonum quidem eſt iſtis potiri, ſed in iſtis tamen non eſt ſalus. Nam alioqui ſaluaremur omnes, qui Chriſti nomine cenſemur. Proinde oportet aliud quiddam eſſe, quod ſit uerè paſtoris huius cuſtodia ad ſalutem potiri. Primarium hoc eſt, Chriſto ex animo credere, tanquàm filio Dei, & ex hac fide ſpiritu Chriſti duci. Quiſquis enim ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Rom. 8. Qui uerò hanc fidem habent, & ſpiritu Chriſti ducuntur, illi audient uocem Chriſti, illumq; ſequentur, atq; ideò ab ipſo paſcentur & conſeruabuntur. Quemadmodum ouiculæ bonum quidem eſt, paſtorem habere fidelem, illiq; adduci, illius nomine cenſeri: uerum tum primum, quum ſe illius cuſtodiæ addidit, uocem ac ductum illius ſequitur, atq; ita uerè cuſtodia & cura illius potitur. Atq; ideò Chriſtus Iohannis 10. de ouibus & paſtura ſua loquens, non hoc contentus eſt, quod ſe dicit eſſe bonum paſtorem, qui oues ſuas educat ac reducat, & ſaluet etiam, idq; morte ſua, ſed de ouibus ſimul adiungit, quomodo uocem eius ſint audituræ, & uocem alienorum declinaturæ, quomodo ductum ac reductum eius ſint ſequuturæ.

Videamus

Videamus iam quomodo habeat ratio nostræ salutis, an uere simus à perditione liberati, & ad custodiam Christi salutarem adducti, &c.

Prædicate regnum Dei.

Deinde, Expendendum est etiam, quale mandatum illis det. Neq; enim liberum est legatis annunciare quidlibet, sed oportet, ut id tantũ, exequantur quod in mandatis accipiunt. Profecti autem, inquit, prædicate, dicentes: Appropinquauit regnũ Dei. Simile præconis, cuius est aduentum regis annunciare. Hic non statim ab initio prædicat regis atq; regni mysteria, futurasq; actiones, sed satis habet prædicasse regis aduentum, quatenus ad excipiendum cum gaudio regem, regniq; primordia, animi populi excitentur, et quasi præparentur. Ad eum modum uidetur habere ista legatio, qua nihil in commissis accipiunt Apostoli, quàm regis cœlestis & regni prædicare aduentum. Hinc Luc. 10. legimus, in omnem locum emisisse Christum discipulos, in quem ipse uenturus erat. Talis erat etiam legatio Iohannis Baptistæ, qui & ipse prædicabat pœnitentiam & regnum Dei.

QVID HIC SIT NOTANDVM.

Quia de prædicatione regni Dei supra sub finem capitis noni, ibi: prædicans Euangelium regni, fuse diximus, non fuerit hic operæprecium denuo de illa quæ dicta sunt ponere.

Tamen ne sine doctrina locum istum transeamus, notandum est, quomodo, aut per quid iubeantur. Apostoli perditas oues domus Israëlis ad Christum unicum pastorem adducere. Supra expendimus, qua in re sita fuerit eorum perditio, ad quos Apostoli mittuntur: nimirum in eo quòd pastura & custodia Christi pastoris carebant errabundi, & uicißim, quomodo omnis salus sit in hoc uno sita, quod à Christo pascimur & conseruamur. Cum ergo Apostoli ad hoc emittantur ad perditas oues, ut à perditione illas eximant, & saluandas Christo adducant, recte iam quæritur, quomodo et qua uia hoc facere debeant. Et cum subiungitur: prædicate regnum Dei, relinquitur prædicationem regni dei, uocationem et adductionem esse ad pastorem Christum ac saluatorem, atq; adeò & ad ipsißimam salutem.

Subit hic locus ille Dan. 2. de isto regno Dei nunquàm satis pensatam prophetiam habens. Mundi regna, diuina ordinatione suos fines præfixos habent, iuxta quod in uisione regis Babyloniorum, quam Daniel exponit, dilucide comprehensum est ac præmonstratum. Quoniam electis Dei mundanorum regnorũ iniqua & uiolenta potentia magnopere toleratu grauis est, uisum est spirituisancto fines illorum præmonstrare, idq; ad ingressum futuri regni Dei, per quod sint comminuenda omnia regna mundi. Vide locum ipsum de quatuor regnis, & de regno Dei, cuius nullus erit finis.

Cum ergo ista nobis sint per spiritum sanctum prædicta, sintq; consolationis gratia prædicta, cumq; regnum illud dei, quod omnibus mundi regnis debeat imponere finem, iubente Christo sit per Apostolos prædicatum, qui fit, quod nullam harum rerum rationem habemus? Cur nobis adeò magna uidentur mundi regna, cum sit prædicatũ iam dudum illud regnum, quod contritis omnibus in perpetuum durabit?

Ipse mundus iam testatur adesse regnum Dei, etiam si taceat uox Euangelij. Ruinæ illius, inquit Gregorius, uoces eius sunt. Qui enim tot percußionibus cõteritur, atq; à gloria sua decidit, quasi aliud regnum se fortius adesse ostendit. Quotidie expectamus casum illum lapidis de monte sine manibus abscidendi, hoc est, aduentum secundum Christi regis regum, qui omnia regna mundi planè conteret, & tamen adhuc regnis mundi adblandimur ac permouemur. Si ruinam sui domus quassata minaretur, quisquis in illa habitaret, fugeret, & qui stantem dilexerat, recedere quanto citius à cadente festinaret. Quid aliud erat, quod Iohannes Baptista prædicabat ad aduentum huius regni Dei, dicens: Omnis caro fœnum, et omnis gloria eius quasi flos agri, Exiccatum est fœnum, & cecidit flos, &c. uide locum. Vide etiam quomodo Petrus prima epistola cap. 1. hoc loco utatur. Hinc etiã est, quod Paulus admonet 1. Co. 7. mundum hunc cum figura sua præterire. Videndum itaq;, ut qui possident, sint tanquàm non possidentes. Quin corripiamus quæ nostra sunt ex istis mundi ruinis, transferamusq; in istud regnum Dei, &c.

Mat. 24. Mar. 13. Luce 21. Insurgere gnum aduersus regnum.

Simile Gregorij.

Prædicatio Iohannis.

Tertio. Expendenaum est & illud, quod dicit: Infirmos curate, mortuos suscitate, etc. Magnũ erat omnino siue prædicare, siue audire noui cœlestisq; præconia regni. Vt igitur tam Apostolorũ ad prædicandum, quàm perditarum illarum ouium ad credendum et obsequendum excitarentur animi, addita sunt signa magna & multa, multoq; præclariora, quàm erant Mosaica illa, quæ liberationi Aegyptiacæ præmittebantur, quatenus nouæ & inauditæ prædicationi fidem faceret, tot miraculis declarata diuinæ uirtutis præsentia. Sic Marci ultimo ostenditur usus miraculorum Euangelicorum. Et Paulus dicit miracula infidelium, non fidelium gratia facta esse. Atq; ideò tametsi inter gẽtes incredulas multa signa fecisset, Timotheum tamen suum, cum esset infirmus, non miraculo aliquo sanitati restituit, sed ad modicum uini usum adhortatus est. Et Epaphroditum Philippensem uehementer ægrotum, ita ut de salute ipsius desperaret, nullo miraculo restituit, sed manui Domini permisit. Erant enim fideles, nec opus habebant miraculorum uirtute ad fidem Christi excitari.

Atq; hic habeant responsum suum aduersarij, qui hodie miracula à nobis exigunt, quasi prædicationem aliam adferamus, quàm eam ipsam, quæ tot miraculis Apostolorum comprobata est diuinitus. Probent ipsi suum purgatorium, & alias nugas humanarum adinuentionum miraculis. Imò etiam si hoc faciant, non tamen credendum fuerit, nisi uerbum Dei ostendant. Hoc autem non poterunt, quia non sequetur aliud Euangelium ab eo, quod iam prædicatum est.

Quemadmodum itaq; signa illa in Aegypto futuræ liberationis beneficium præcedebant, ita & ista instar auroræ solem ac splendorem aduenientis regni Dei luce sua, quæ reuera magna erat, præcurrebant, ita tamen, ut & uerbo dei per Prophetas iã antea etiã essent prædicta & prædestinata. Vide Esa. 35. 61. Luc. 4. Mat. 11.

Obseruandum est & illud, quod non quæuis miracula regno Dei præmittuntur, sed talia, quæ naturam etiam

etiam huius regni, imò ingenium ipsius regis exprimerent. Nihil enim hic legimus de baculo in serpentem uerso, de manu lepræ maculis tacta, neq; de fluuio sanguineo, nec de ranis, nec de grandine, nec de tenebris, aut quæ alia aliquando à deo, etiam facta sunt, magnum horrorem incutientia, non solũ hostibus, sed & populo Dei, cum fierent terribilia. Hic talia fiebant, quæ & nihil minus diuinam uirtutem præferrent, & tamen cunctis essent acceptißima, ita ut nihil appareret aliud, quàm semel effusam esse Dei gratiam erga miseros & afflictos mortales: quæ non solum à naturalibus & incurabilibus, siue uiuorum, siue mortuorum malis, sed & à Satanæ ipsius tyrannide mortaliũ genus liberare, & plane saluare uenisset. Infirmos, inquit, curate. Quid humanius? Mortuos suscitate. Quid acceptabilius? Leprosos mundate. Quid istis hominibus potuisset accidere gratius? Dæmones eijcite. Quid potentius pariter & saluti mortaliũ accõmodatius, quàm cõmunem omnium eijcere hostem? Agnoscamus itaq; ex præuijs regni Dei miraculis, quale sit hoc regnum, qualis rex.

3 Notanda fuerit etiam hoc loco mirabilis illa dispensatio dei, qua fit, ut quæ uel ex peccato & transgreßione, uel ex Satanæ tyrannide mortalibus ad perniciem acciderunt, cogantur materiam præstare illustrandi regni Dei. Vnde enim sunt morbi, unde est mors, unde lepra, unde Satanica obsessio, nisi partim ex transgreßionibus, partim ex tyrannide Satanæ? Nisi enim transgreßioni obnoxium fuisset factum mortalium genus, nec morbis utiq;, nec Satanicæ tyrannidi obnoxiũ esset. Ecce ex ipsis operationibus Satanæ & peccati, mortis quoq; materiam sumit illustrandi regni sui Christus, qui uenerat ad destructionem peccati, mortis, & Satanici regni. Seruiant itaq; morbi, mors, & Satanæ infestatio, gloriæ Dei, posteaquàm nec sanitas, nec uita, per nostram corruptionem hoc facere sustinent. Quid enim etiam hodie aliud facit, quando eos qui beneficijs diuinis, sanitate, rerum prosperitate, & alijs bonis ad gloriam Dei non utuntur, diuersa uia ad hoc ducit, ut sit occasio glorificandi nominis Dei?

Magnum planè est, creaturam fragilem eò deduci, ut fiat ministra gloriæ Dei, illustrandiq; regni Christi. Quid quæso non libenter ferat animus cognitione Dei imbutus, si perpenderit ad gloriam Dei promouendam facturum? Isti infirmi leprosi, mortui, dæmoniaci, qui per uirtutem Christi liberati sunt & sanati, si recta reputassent opus Domini, non solum patienter, aut etiam libenter cum gaudio infirmitates suas perpeßi essent, sed & liberati de liberatione & restitutione sui non adeò gauisi fuissent, atq; de hoc uno quod in ipsis declarata & illustrata esset gloria regni Christi.

Exemplo sint etiam cæcus Ioh. ix. Et Lazarus Iohan. xi.

Iam cum nos simus in Christo, qui uita est, & uirtus Dei, ita ut omnis nostra infirmitas, mors etiam ipsa, non sit futura mors, sed manifestatio uirtutis Christi, iuxta illud: Ego sum resurrectio & uita, &c. qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, uiuet, &c. Rom. 8. Viuificabit mortalia corpora uestra. Et Col. 3. Mortui estis, & uita uestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit uita uestra, tunc & uos apparebitis cum illo in gloria. Et qui habet Christum, inquit Iohannes primæ capite 5. habet uitam, &c. Quid quæso poterit lætius obtingere, quàm ea, quæ ad hoc faciunt, ut ista Christi uirtus & gloria in nobis eluceſcat? Quod, qualeq; fuerit desiderium Pauli hac in re, ipse non tacet, ad Philip. cap. 1. sic scribens: Semper magnificabitur Christus in corpore meo, siue per uitam, siue per mortem. Sed uelles ad eum modum glorificari per te Christum, quo per istos infirmos glorificatus est, ita scilicet, ut in hac uita sanitati restituereris, quem admodum illi. Hic affectus impurus est, non solam Christi gloriam quærens, sed magis quod carni placeat. Nam si solam gloriam Christi quæreres, nihil opus esset ad eam promouendam iste curandi modus, quo tum usus est ad tempus, sanans & uiuificans, breui denuo morituros, sed malles illo modo glorificari per te Christum, quo usurus est in extremo iudicio, excitans ad æternam uitam, nunquàm iterum morituros. Nam ista signa, quæ in primo aduentu Christi ad illustrationem gratiæ Dei facta sunt, eorum quæ futura sunt in resurrectione noußima, non nisi gustus quidam & prælibatio fuerunt: non beatum reddentia, sed adhuc miseriæ locum permittentia, cum ea quæ futura sunt eam Christi uirtutem declarabunt, quæ in perpetuum beatos, & ab omni miseria & erumna, siue corporis, siue animæ liberos reddat. Hac certe potieris cum omnibus electis Dei. Cum ergo potiore modo glorificandus sit in corpore tuo Christus, hoc est, perfectiore modo, quid quæso absurdius esset, quàm illo neglecto, ad istum, quo temporaliter usus est suspirare?

Ista considerata commendabunt uirtutem Christi: deinde & omnem nostram infirmitatem, omnem molestiam, ipsam etiam corporum nostrorum mortem dulcem reddent, nisi tales simus, qui gloriam Christi non desideremus.

Gratuito accepistis, gratuito date. Ne 1
acquiratis aurũ, neq; argentum, neq; es 2
in zonas uestras, neq; peram ad iter, neq;
binas tunicas, neq; calciamenta, neq; baculũ. Nam dignus est operarius cibo suo. 3

Duo sunt quæ quàmuis legationem, maxime principalem ac regiam summopere dedecent & conspurcant, ita ut non parum ex illis probri redeat ad principem, adeoq; nulli in suis legatis ferenda.

Vnum est, si qui à principe administrandæ principalis munificentiæ gratia amandantur legatione sua, ad quæstum abutantur, lucrosum sibi & subditis sumptuosum facientes, quod gratuita principis liberalitate administrandum susceperunt. Nam hoc pacto beneficentiæ gloria, quæ debebat à subditis ad principem redire plane impeditur & subuertitur, ita ut donum iam non sit donum: qua re nihil potest liberali principi molestius quicquàm obtingere.

Alterum est, si legati pro sua diffidentia egestatem 2
et inopiam rerum necessariarum peruerse solliciti metuant, si debeant legationem commissam pro uoto principis præter omnem quæstum exequi, anxie disputan-

tes, quis dabit ad legationem necessaria? quid comedemus? quis excipiet hospitio? quis tutabitur inermes? Indecorum est de istis cogitare eum qui famulaturus est principi opulento & liberali. Indiciũ de se daret, quod uel principi uel causæ administrandæ male fideret, si quisquàm de istis, antequam profectioni sese accingeret, anxiè cogitaret, certusq; reddi quæreret.

Quod si ista non uidentur ferenda liberali principi, in rebus terrenis, quomodo quæso Christi in rebus diuinis ad regnum Dei, diuinamq; potentiam simul & liberalitatem pertinentibus toleranda essent? Emissurus itaq; legatos suos in causa regni sui, effusurusq; omnem liberalitatem & munificentiam in populum suum, idq; per ministerium Apostolicum, post iniunctum prædicationis & curationum mandatum, ista duo turpissima uitia planè prohibet.

Gratis date. Ad primum pertinet, quod dicit: Gratis date. Sciebat istam legationem summopere ad quæstum facere posse. Quid enim non daret ægrotus pro recuperanda sanitate? Quid non darent parentes pro suscitandis liberis suis? Sciebat humani cordis peruersitatem, qua seipsum ubiq; etiam in rebus diuinis quærit. Atq; ideò notanter et expressis uerbis præcipit, ut gratis diuinam illam liberalitatem in Prophetis olim prædictam, administrarent. Et ut æquissimum quoq; ostendat hoc esse præceptum, duo rationis uice præmittit. Vnum, quod ista non habeant ex seipsis, sed à se acceperint. Deinde quod nullo precio, nulla commutatione, sed gratis à se acceperint. q.d. Quod si ista beneficia in miseros diuina liberalitate cõferenda uendi deberent, quis ea iustius uenderet, quàm ego, qui ex me ipso ea possum, & uobis administranda cõfero? Iam si ego illa uobis gratis dedi, qui uendere possem, quanto magis æquum erit, ut uos ea gratis detis, qui à me illa gratis accepistis?

Gratis accepistis.

De isto uitio, quàm deo displiceat, non solum in uendentibus, sed & ementibus gratiam Dei, exempla sunt in scripturis, ut 2. Reg. 5. de puero Helizei Giezi, & Actor. 8. de Simone mago, & Ioh. 2. & Mat. 21. de uendentibus & ementibus è templo pulsis.

Extant etiã multa in Canonibus, maxime. 1. Quest. 1. ca. Qui studet. ubi ista prædicta exempla citantur.

Accedant hic Pontificij, & purgent se de hoc crimine. Quod si credendum est ipsorum Canonibus, ne unus quidem erit inter eos Episcopus, aut Sacerdos, sed erunt in uniuersum omnes hæretici. Appello ipsorum Canones, & iuxta totius ecclesiæ conscientiam. Sanctus Gregorius scribit: benedictionem ipsorum uerti in maledictionem. Viderint qui cum eis communicant. Negant eos esse sacerdotes, negant cõsecrare posse, negant gratiam Dei posse conferre, qui uel precio uel prece, uel obsequio sacerdotium adepti sunt.

Gratis inquit accepistis. Iam non gratis, Ergo nec accepistis. Gratis date. Iam non gratis datur, Ergo nec datur. Talis est enim hic thesaurus cœlestis gratiæ, ut nisi Dominus illum dederit, non detur. Ille autem non dat nisi gratis. Vbi autem non datur, ibi certe non accipitur, Ergo qui non gratis accipit, à Domino non accipit, atq; ideò non accipit. Petri uox est, Actor. 8. Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.

Nos igitur expendamus in eo quod cœlestia dona gratis exhibentur, summam & infinitam beneuolentiam Dei, pariter ac liberalitatem. Quod si omnino aliquid lubet rependere, non prohibebo, sed impendas paupertatibus, nõ tamen eo animo, quasi uelis æquare accepta dona, & quasi illa coëmere, sed tanquàm qui animum gratum cupiat ostendere in eo præstando quod Christus iussit. Nobis nihil dandum est, nisi quod ad uictum attinet, ut postea audiemus.

Ad alterum pertinet, quod subdit: Ne acquiratis aurum, neq; argentũ, neq; æs in zonas uestras, neq; peram iter, neq; binas tunicas, neq; calciamenta, neq; baculum. Nam dignus est operarius cibo suo. Istis sanè uerbis nihil aliud prohibet, nisi diffidentiam & præposteram sollicitudinem rerum necessariarum, qua ostenditur, quàm parũ uel principi uel susceptæ causæ fidatur. 2

Per aurum, argentum, & æs pecuniam intelligit, ut & alij Euangelistæ ponunt. Propterea quod ex istis metallis fiat pecunia, quæ primum, ut Erasmus scribit, fuit ærea, deinde argentea, tertio facta est aurea, ut contrarium acciderit monetæ à moribus. Nam illi primum fuerunt aurei, deinde argentei, postea degenerarunt in æreos, imò ferreos.

In zonas uestras inquit. Castrensis loquutio est, autore Erasmo, sumpta à militibus, qui pecuniam in zonis gestabant. Nam alioqui uulgo gestabatur ab humeris bulga aliqua. Hinc prouerbium est: zonam perdidit, de pauperibus, qui omnem pecuniam in zonis habẽt, quas si perdiderint, perdiderunt omnia.

Quid ergo. Mala ne est pecunia, malum aurum, malum argentum, quod Christus non uult discipulos suos tollere pecuniam in zonas? Nequaquàm. Nam & ipse circuendo loculos habebat, quos Iudæ commiserat. Quemadmodum neq; malum per se est calciamenta habere, baculum habere, duas tunicas habere, aut peram etiam itinerariam habere. Cur ergo ista uetat? uult eos absq; omni cura & sollicitudine rerum necessariarum liberrimos et expeditissimos in istam legationem abire, nihil dubitantes affatim adfore, si qua re opus fuerit.

Proinde non dicit: ne habeatis, sed μὴ κτήσασθε, id est, ne acquiratis, ut Matthæus habet, quod magis sonat studium acquirendi, quæ non habentur, quàm præsentium possessionem. Et Lucas, μηδὲν αἴρητε εἰς τὴν ὁδόν, id est, nihil tuleritis ad profectionem, ut & Marcus loquitur. Nam hoc uerbum non est à fero, sed à tollo, ut & Erasmus annotat. Et quod binas tunicas tolli prohibet, ad idem spectat, ne uidelicet alteram induant, alteram in sarcina deportent pro mutatoria. Eadem ratio est baculi & calciamentorum, item & peræ. Nam ista omnia à profecturis curari, & ad iter assumi solent, ne quid horum in itinere cum opus fuerit desit.

Voluit suos Christus experiri semel, nihil defore ministris suis si fideles fuerint, atq; ideò omnibus istis destitutos ac nudos emisit, idq; ad tempus. Nam postea de penula Pauli legimus, ad iter sumpta. Et in Petro reperitur gladius. Atq; ideò legimus, quasi loci istius, imò

mentis

mentis Christi expositionem, Lucæ 22. Quando misi uos, inquit Christus, sine sacculo & pera & calciamentis: nunquid aliquid defuit uobis. At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum tollat, &c. Vbi primo uidemus istam præceptionem temporariam fuisse: deinde ad hoc institutam, ut discipuli experirentur, quod dixi, nihil deesse fidelibus Christi ministris.

Nouit etiam Christus nostram imbecillitatem, quàm facile auellamur à recto scopo, & in suscepta legatione impediamur, si uel modice carni nostræ permiserimus. Proinde sunt, qui locum istum ita exponant, quasi Christus cõsiderata Apostolorũ infirmitate, ne animis essent parũ expeditis ad negotium, pecuniam & cætera prohibuerit. Ad eum modum sanè legimus, annotante Erasmo Pescennium Nigrum uetuisse, ne milites zonam secũ deferrent in bellum, sed si quid haberent pecuniæ, publico commendarent, recepturi post prælium, simul & ipsis luxuriei materiam eripiens, & hosti prædam, si quid aduersi euenisset.

In summa non potest melius sententia Christi in his præceptis sumi, quàm ex ipsa ratione quam mox subiungit, dicens: Nam dignus est operarius cibo suo. q. d. Communis omnium habet sententia, dignum esse cibo eum, qui laborat. Proinde nihil de cibo curando attinet ad laborantem, sed ista prouincia incumbit ei cui laboratur. Curate potius, ut fideliter laboretis, nihil solliciti de cibo. Nam is ultrò aderit, subministratus ab illis, ad quos diuertetis. Nam istud ita intelligendũ esse: nempe, oportere laborantem cibum sumere ab eo, in cuius bonum laborat, atq; ita Apostolos ab illis, quibus regnum Dei annunciant, ipse Christus Luc. 10. clare docet, cum dicit: In eadem domo manete, edentes & bibentes, quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius cibo suo. Et in quamcunq; ciuitatẽ intraueritis, & susceperint uos, manducate quæ apponuntur uobis.

QVID SIT EX HOC loco notandum.

Quæstionem habet hic locus, quam oportet primum explicare. Tametsi in enumeratione eorum, quæ Christus uetat Apostolis amandandis, quædam à nonnullis Euangelistis taceantur, quæ alij habent, & quædam nonnulli ponant, quæ alij tacent, id quod sæpenumero fieri uidemus, non tamen in eo discrepare uidentur. Verum in eo sibijpsis discrepare apparent, quod Matthæus & Lucas quædam prohibita esse à Christo scribunt, quæ Marcus concessa esse cõmemorat, ut Matthæus & Lucas utriq; ponunt: neq; baculum. Marcus uerò contrario dicit: nisi duntaxat baculum. Rursus. Matthæus dicit: neq; calciamenta. Marcus uerò: sed calciati sandalijs. Quibus uerbis Marcus non solum uidetur innuere, neq; baculum, neq; calciamenta à Christo prohibita, sed etiam expresse concessa. Quid ad ista dicemus?

Augustinus

Laborat Augustinus in ista quæstione, de consensu Euangelistarum lib. 2. cap. 30. conatus eam ita explicare, ut eadem dictio in hoc Euangelista sine figura, in altero figurate sit accipienda. Ita scilicet, ut baculus apud Matthæum & Lucam, sit purè baculus. Apud Marcum sit potestas per baculum figurate designata, quasi dicat Christus: nihil ad iter uobiscum, nec magnum, nec paruum sumatis, sed tantum uirgam, id est, potestatem istam, quam uobis tribuo prædicandi & sanandi, qua fiet, ut abunde sint omnia ad futura.

Ita de calciamentis. Matthæum intelligit de calciamentis ueris. Marcum de mysticis: Nempe, quibus significetur, nec Euangelium tegendum, nec terrenis fidendum, propterea quod sandalia superne pedem non tegant, inferne tellurem nude contingere non permittant. Sed finamus hunc uirum cum honore suam seruare sententiam. Ego dicam, quæ mihi uidentur simplicius hunc nodum soluere.

Duo sint omnibus certissima. Primum, Christum hunc sermonem semel Apostolis dictum, non diuerso modo dixisse, minus sibijpsi contrario, hoc est, certum quendam fuisse catalogum eorum, quæ prohibere uolebat, à Christo positum, eumq; non habuisse, ut Matthæus, non ut Marcus, non ut Lucas recensuit: quorum alter minus, alter plus, tertius quoq; non eundem numerum posuit. Vnde nõ est credendum, Christum contraria præcepisse, si credimus, ne diuersa quidẽ tradidisse.

Alterum. Quoniam credimus Euangelistas, ut ex spiritu sancto ita uera scripsisse, firmiter quoq; credendum est, quæ scribunt non esse sibijpsis contraria, quia uera sunt. Nam contraria non possunt utraq; uera esse, & quia spiritus sanctus sibijpsi nullo modo contrarius est. Ergo nihil dubitamus ista quæ Matthæus & Lucas: deinde & Marcus, de baculo & calciamentis ponunt, non esse contraria nec falsa, sed uera, & à Christo ita præcepta. Quomodo ergo concordabimus eos. Ita scilicet. Quod Matthæus & Lucas de baculo ponunt, intelligendũ est de eo, qui à uiatoribus quibusdam ad defensionem gestari solet, qualis est, quem uidemus portari à nuncijs. Quod uerò Marcus dicit: nisi tantũ uirgam. intelligendum est de ea, quæ ad sustentationem à uiatore sumitur, ad pugnandum inepta. Atq; hic mos plerisq; Patriarchis & Prophetis fuisse legitur, quod tales uirgas gestauerint. Vt Iacob. Moses, & Helizeus. Est autem huiusmodi uirga signum pauperum & nudorum. Vnde & Iacob Gene. 32. iam dies factus dicebat: Cum baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior. q. d. Arm und bloß bin ich hinzogen, reych Kum ich heruuiderumb. Atq; ipsa uerba Marci pulchrè hoc innuere uidentur, cum dicit Christum præcepisse, ne quid tollerent ad iter, nisi uirgam tantum: quasi ad istum patriarcharum et Prophetarum proficiscendi modum respiciens.

Rursus, quod de calciamentis commemorat Matthæus. intelligendum est de non sumendis nouis, & ad iter paratis. Quod uerò Marcus de sandalijs dicit. intelligendum est de usualibus et quotidianis, ut quemadmodum uetuit binas tunicas, id est, alias præter consuetis, quibus erant induti sumere, ita hic uetuerit & bina calciamenta, id est, alia præter ea, quæ iam tũ more suo in pedibus habebant, secum ad iter deportare. Vt ita in summa, quemadmodum supra dixi, nihil uoluerit eos ad iter sumere, præter quotidiana & consueta, ut baculum & calciamenta in Marco intelligas de consuetis,

in alijs de peculiariter cõparatis, et ſtudio ad profectionem ſumptis. Videamus iam, quæ notanda ſint. Conſi-
1 derandus eſt hic locus duplici uia. Primo, quomodo
2 faciat ad commendationem regni Chriſti. Deinde quomodo ad noſtram doctrinam ſit uſurpandus.

DE PRIMO.

Solenne eſt in legationibus, regum regales oſtentare diuitias. Atq; ideò quò quiſq; ditiori regno præeſt, hoc ſplendidius legatos ſuos, quos emittit, adornat, ita ut ex legatorum apparatu & comitatu de regni regisq; potentia iudiciũ ſumatur, ut ſi multus ſit comitatus, ſplendidus ueſtitus, liberalitas erogandi, & auri magna copia, mox colligant omnes, eſſe magni regis legationem. Nam omnis legatorum ſplendor, regis honorem concernit. Ad eum modum & hic faciendum eſt.

Oportebit autem non carnalibus oculis de iſtorum legatorum ſplendore iudicare, ſed ſpiritalibus. Sunt enim non terreni cuiuſdam, ſed cœleſtis & ſpiritalis regni legati, imò precones. Carnalibus quidem oculis omnium apparent contemptiſſimi. Nihil equorum, nihil famulitij, duntaxat bini emittuntur, nihil auri aut argenti, ſed omnia tenuiſſime inſtituta: & quod ad terrena attinet, ita emittuntur nudi, ut niſi plane uoluiſſet nudos emittere, non potuiſſent minore apparatu.

Sed quæſo conferamus utrinq; ſplendorem terrenorum regum, & huius cœleſtis. Nam omnino in legatis iudicium ſumi poteſt de potentia regni.

1 Primum, terreni regis legatus negocium ad ſummum terreni regni agit. Iſti uerò regnum prædicant cœleſte,
2 & æternum. Deinde quod ad ſplendorem & inſignia regni attinet, terreni regni legatus gloriam regis ſui prædicat in auro & argento, ſerico, mulis & equis, rebus ſcilicet terrenis ac perituris, & externè quæſitis, ex montibus ac fodinis, ex bombicibus, et pecudibus. Vnde & alijs ſuppetit huiuſmodi apparatus copia. Iſti uerò cum poteſtate proficiſcuntur omnium ſplendidiſſima, quam totus orbis dare nequit: Nempe, tollendi morbos, mundandi leproſos, eijciendi dæmones, ſuſcitandi mortuos. Iſtis uidelicet inſignijs conſpicuum reddebatur, cuius regni legati eſſent. Quis Cæſarum potentiſſimorum unquàm tale quicquàm legato ſuo dare potuit, ut inuocato Cæſaris nomine, uel leproſum mundare, uel infirmum alioqui curare potuiſſet?

Caro cogitat. Ecquid adeò ſordidos & humiles ſine omni apparatu emiſit? Potuiſſet multo ſplendidiores emittere. Magnificum eſt ac regum magno comitatu inſtructos facere legatos. Verum contrario modo uidemus Chriſtum data opera ſuos terrenarum rerum, quas mundus admirari ſolet, nudos ac deſtitutos emittere. Et plane merito. Quid enim opus eſt aſcititium quærere ſplendorem cœleſti regi cœleſtem potentiam exerenti? Infirmorum eſt iſtud. Quis ſanæ mentis, cum ſit cœleſtibus inſignijs ac diuinis commendatus cupiat admirationem ſui facere ex rebus terrenis & humanis?

3 Tertio. Quod ad ſumptum attinet itineris, terreni reges in hoc uideri uolunt, quod larga pecunia ſuos legatos inſtructos reddunt. Sed quæſo, utrum ſplendidius eſt, legatum ſecum deferre unde uiuat, aut talem exiſtere, itaq; uenire inſtructum, ut nemo ſit, qui non cupiat abunde neceſſaria, quæq; etiam ſuperflua tradere, nihilq; planè ferendum ſit penuriæ in toto itinere, quales hic Apoſtoli emittuntur, ut & ipſi Luc. 22. fatentur? Quis quæſo uellet terreni regis legatus eſſe, ſi ad eum modum nudus remitteretur? Certe nemo. Quamobrem? Quia non ubiq; adeſſet neceſſariarum rerum copia, nec liberet hoſpitibus, ad quos diuerteret gratis excipere nihil adferentem.

Ecce ad eum modum expenſa iſta legatio Apoſtolorum Chriſti, clariſſime ob oculos exponit Chriſti gloriam & maieſtatem, utut carni uideatur humillima, apparetq;, quamobrem uoluerit ſuos omni terreno ſplendore deſtitutos ad præconiũ regni ſui emittere: Nempe, quod præter omne decorum fuiſſet quærere terrenum apparatum, conſpicuos cœleſti, eoq; tali, quem nullus uſpiam monarcha ſuis dare queat. Nam, ut Chryſoſtomus ſcitè dicit: Contumeliam facit cœleſtibus & æternis bonis, qui terrena quærit.

Et certe ad eum modum & nobis contemnenda eſſet omnis huius mundi gloria & ſplendor, præditis cœleſti gloria & ſplendore. Quæ eſt enim inſania iſta, quod cum ditati ſumus æternis bonis, cumulati cœleſti gloria filij & hæredes Dei, cohæredes uerò Ieſu Chriſti, contemptis iſtiuſmodi bonis, terrena tantopere ſectamur? An non certiſſimum argumentum eſt, quod regni Dei, cuius ciues ſumus, imò filij, gloriam planè conculcamus, aut certe nõ cõcredimus? An fruſtra eſt, quod caput noſtrum Chriſtus tantopere terrenũ apparatũ, & quemuis huius mundi ſplendorẽ contempſit? Quæſo an uitæ illius exemplar noſtra nihil intereſt. Vide Eph. 1. Qui benedixit nos omni benedictione cœli

Atq; uel ex iſto loco liqueat pompam iſtam papiſtici regni, cum plus quàm mundano ſplendore, quo utuntur Romani Pontifices, Cardinales, Epiſcopi, &c. non eſſe ex ſpiritu Chriſti, imò contra ſpiritũ & exemplum Chriſti. Et certe, ueriſſimum ſignum eſt, ibi minus eſſe ueri ac cœleſtis ſplendoris, ubi plus eſt terreni ac fucati. Prophetæ, Chriſtus, Apoſtoli, & quiq; ſpiritales uiri, cœleſtibus bonis ornati, ſummo ſtudio terrenum ſplendorem uitarunt, tanquàm probrum æternis diuitijs futuri, ſi nugis iſtis delectarentur. Quamobrem quæſo? Guſtarunt ſcilicet gloriam ſpiritualium bonorum, poſſederunt uera & cœleſtia bona, illis delectati ſunt, atq; ideò non potuerunt terrenis delectari.

Si Romanus pontifex duodecim legatos ſuos Cardinales emitteret, bone deus quem ſplendorem, quem comitatum cerneres? Recte. Nihil enim adferre poſſunt aliud, in quo regis ſui gloriam oſtentant, quàm aurum, argentum, equos, mulos, purpuram, ut ipſo aſpectu intelligas te non Chriſti Apoſtolos, ſed terreni regis, uidere legatos. Ita Paulus Secundus, mox primo anno pontificatus ſui, Cardinalibus pannũ coccineum dedit, quo quiſq; mulos ſuos ſterneret: deinde præcepit, ne quiſquàm in tota urbe pireta coccinea ferret, niſi ſoli Cardinales: nimirum, ut ex ſplendore & apparatu Cardinalitio conſpicuus eſſet pontificatus ſui ſplendor. Quid quæſo populus faciet, poſtq; iſta committunt, qui ſe gloriantur uicarios eſſe Chriſti, ac ſucceſſores apoſtolorũ.

De

DE SECVNDO.

Secundo, uideamus etiam, quæ ex hoc loco ad nostram doctrinam peculiariter faciant. Tametsi enim præceptum istud quod discipulis Christus hic dedit, ad Apostolos duntaxat pertinuerit, quibus dabatur, et præterea temporarium fuerit, quemadmodum & illud: In uiam gentium ne intraueritis, &c. cum tamen postea in uniuersum orbem ad omnem creaturam emiserit: est tamen præcepti ratio nobis seruanda, quæ talis est, ut etsi externum illud, quod temporarium fuit, de nõ tollendis pecunia, pera, baculo, & id genus alijs apparamentis itinerarijs, ad nos & ad nostra tempora non pertineat, cum ea nec Christus seruauerit, nec postea Apostoli, extra istam profectionem, ista tamen perpetuo ualeat, & omnibus seruanda sit. Ita scilicet habet cum omnibus eiusmodi præceptis, quæ certis quibusdam personis, & certo tempore data sunt, ultra non duratura. Sunt quædam externa uelut testa, sunt autem etiam interna quædam uelut nucleus. Testa sunt in circuncisione, carnis amputatio, & ea octauo die. Illa Iudæis tantum, & tantum ad tempora usq; aduentus Christi duratura data sunt, atq; ideò ad nos hodie pertinent. Nucleus est, fœderis & gratiæ Dei manifesta professio, & in populum Dei puerorum credentium parentũ obsignatio & accensio. Ista scilicet est circuncisionis ratio, nõ personãlis nec temporaria, sed uniuersalis & perpetua tam noui quàm ueteris testamenti populo seruanda. Ad eum modum habet & Sabbati ratio. Præcepta Dei sunt aut apertè ad omnia pertinẽtia, ut præcepta diligẽdi Deum & proximum, & quæ similia sunt: aut talia, quæ prudenti quadam dispensatione quædam uel prohibeant, uel iubeant, quæ non ad omnes pertineant, nec semper duratura sint: qualia sunt præcepta cerimonialia, et illis similia, & tamen aliquid in se habent, quod perpetuo & omnibus ualere debeat. oportet enim certa quadam ratione, uel ad fidem, uel ad charitatẽ, uel aliquo pacto ad salutem hominum facere, quæ Deus unquàm præcepit. Talia sunt & pleraq; Christi, ut quæ hic habemus. Iam quemadmodũ absurdus esset, qui simpliciter omnibus ad literam iam uellet, tanquàm seruandis præceptis addictus esse, quæ Deus populo suo aliquando præcepit, & non magis ipsam præceptorũ mentem & rationem spectare, quàm externas testas: ita & hodie ridiculus planè esset, si quis ea, quæ Christus hic præcepit, & alibi, quæ temporaria duntaxat erant, uellet superstitiosè seruare, & non magis ea, quæ Christus istis præceptis quærebat. Exempli gratia. Mat. 16. discipulis suis præcipit, ne cuiquàm dicant, quod ipse Christus esset. Ergo nobis nõ est hodie dicendum: Iesum hunc quem colimus, esse Christum? Atqui ita præcepit. Sed spectandũ quousq;. Deinde, quæ fuerit ratio. Ratio huius præcepti erat: Secreta non esse ante sua præfixaq; tempora reuelanda. Hoc scilicet semper faciendum. aliud iam non. Alioqui peccassent Apostoli, quod post mortem ac resurrectionem Christi ipsum prædicarunt esse Christum. Tale est & illud: In uiam gentium ne intraueritis.

Sic & hoc loco sentiendum est. Externa testa est huius præcepti, quod dicit: In uiã gentiũ ne intraueritis, &c. Item: Ne tollatis aurũ, argentum, æs, peram, baculum, calciamenta, &c. Nihil itaq; ad nos. Nucleus uerò, hoc est, ipsa præcepti ratio, est, nihil diffidendum esse omnibus, qui regno Dei quocunq; modo seruiunt, nec timendum, ne quid rerum necessariarũ sint desideraturi, sed uidendum magis, ut fideliter regno Dei seruiant, rerum necessariarum anxia cura Deo relicta, qui optime nouit, operarium cibo suo dignum esse. Certe ista fiducia, quærendiq; regni Dei ratio cum illius iustitia, Christianis omnibus curæ esse debet.

Atq; hic uidemus stultitiam, imò uertus hypocrisim eorũ qui se Minores fratres uocant, qui ad regulam ac normam istam Apostolis hic peculiariter & ad tempus datam sese compositos simulant, tanquàm seruatores dominici præcepti, pecuniam nõ attingentes, calciamenta superne integra non gestantes, baculum portantes, &c. & quæ apud eos ad quos diuertunt, apponuntur, comedentes & bibentes, sed maxime apud diuites familiãs, quasi in istis sita sit præcepti istius ratio, cũ reuera nihil aliud agant, nullam aliam ob rationem exeant & circueant, quàm bene instruendæ quam domi habent coquinæ. Sed relictis hypocritis, uideamus quid nos ex hoc loco concernat. Ex ijs uerò, quæ cõmemorata sunt, intelligimus ea ad nos & ad omnes pertinere, quæ in istis præceptis, quasi nucleus quidam sunt, & eam habent rationem, ut nemo non sit, cuius non interfit ea apprime custodire. Vtpote, si quid fidei, si quid charitatis, si quid humilitatis, si quid æquitatis in istis præceptis fuerit. Certe nemo est, qui dubitet ista nos omnes concernere. Minores.

Primum, Quod discipuli imbuuntur ad hoc, ut re ipsa experiantur, nihil deesse ijs qui cum fiducia regno Dei famulantur, in eo quod nudi emittuntur, etsi non omnes ad prædicandum emittamur, tamen omniũ est seruire regno Christi, atq; id summa cũ fiducia. Discamus ergo hic, fidendum esse prouidẽtiæ Christi, relinquendamq; illi curam de omnibus, duntaxat fideliter quisq; gloriæ Dei seruiat. Sed de isto supra. 1

Deinde, quod omnem mundi huius pompam data opera contemnit: propterea, quod præditus erat cœlesti, qua & suos adornauerat, quid aliud discimus, quàm filios Dei, qui cœlesti gloria donati sunt, terrenã omnem debere contemnere? Et de hoc supra. 2

Tertio. In eo quod prohibet aurum, argentum, æs, baculũ, peram, calciamenta, panem, binas tunicas, cum tamen res istæ in se non sint malæ, sed bonæ, obseruanda est prouidentia, qua & nos utamur. Ea est, quod nõ tantum res in se ipsis considerandæ sunt homini cauto, sed & humana imbecillitas, qua fit, ut noceant res non solum malæ, sed et bonæ. Volebat Christus discipulos suos experiri semel adhuc in sua corporali præsentia, qua debeant fiducia commissum euangelizandi munus, rejecta omniũ rerum necessariarum cura, obire. At huc non profuisset, si bene instructos rebus necessarijs emisisset propter ipsorum imbecillitatem. Atq; ideò prohibet res non profuturas, etsi non malas. Ista prouidentia bene notanda est. Nam ex hoc quasi fonte, sunt multa Christi præcepta: utpote, quod suos non uult colligere thesauros, imò ne de uictu quidẽ sollicitos esse. Mat. 6. 3

Cũ tamen thesaurũ colligere in se nõ sit malũ, nec uictũ curare, & amictum malum sit. Sed consideratur nostra imbecillitas. Hac uti deberemus prouidentia omnes.

Contra hanc faciunt, qui putant sibi nihil esse uitandum, quod in se non malũ est. Istud inquiunt, non est malum, nec est prohibitũ, ergo non est mihi uitandum. Ad hunc modum non bene colligeret ægrotus. Quin magis
1.Co.6.10 dicamus cum Paulo: Omnia quidem mihi licent, sed non omnia expediunt. Discipuli nõ disputabant cõtra Christum, quam ob rem res bonas prohiberet, quibus uterentur uiatores omnes, sed simpliciter obtemperabant.

Aegrotus contra me dicum non uult argutulus esse, uina prohibentem, & cibos alioqui bonos, quibus utuntur reliqui. Sed hodie parum est, quod contra ministros uerbi disputatur, si quando cultum istum, ac luxum uestium immodicũ: deinde, commessationes, & præposterum ditescendi studiũ taxauerint, pariter et ædificandi. Quin & contra Christũ ipsum disputatur, maxime ubi prohibet resistere malo, præcipit non disceptandum in iudicio, sed magis tunicam cum pallio dimittendam, diligendos inimicos, benefacere malefactoribus, dandum omni petenti, & id genus alia.

4 Quarto. In eo quod dicit: Gratis accepistis, gratis date, est quod ad nos non pertineat: nempe, quod gratis iubentur curare ægrotos, &c. & est quod ad nos quoq; attinet. Quod illud? Quod uidelicet æquitati & charitati cõuenit. Aequitatis est & charitatis, gratis expendere, quæ gratis acceperis, non minus, quàm hic iubentur Apostoli. Gratis autem accepisti, quæ habes omnia. Siue sit prudentia, siue scientia, siue artificiũ aliquod, siue diuitiæ, & naturæ pariter & fortunæ, ut uocant, bona. Quid enim inquit Paulus habes, quod non accepisti? Danda erunt ergo tibi & administranda gratis omnia, quacunq; sis conditione, Quicquid à domino habes, quod ad aliorũ usum pertinet, quod propterea habes, ut alijs prosis, exigitur æquitatis & charitatis regula, ut expendas, expendasq; gratis, siue sis Magistratus, Episcopus, Iurisperitus, medicus, negociator, artifex manuarius, mercenarius diurnus, &c.

1 Sed hic duo regeres. Primum dices. Atqui non accepi quæ habeo, quæ scio gratis, sed ea mihi comparaui magno labore, aut magno studio, uel magno sumptu.

2 Deinde dices: Vnde uiuam, si meos labores, & res meas debeam gratis expendere?

1 Ad primum respondeo. Esto acceperis tua non planè gratis, sed impenso labore, studio, etiã magno sumptu. Putas illa ideò tui iuris esse, ut queas uendere pro libitu? Rogo, quis dedit ingenium ad studiũ? quis laborandi uires? quis ad comparandum sumptus suffecit? Cogitandum est, te omnia habere à Domino. Deinde, ut ministrum Domini, ut illa expendas ad aliorum commodum, non minus quàm Apostoli. An non Paulus dicit, nos omnes nõ nobis ipsis, sed alijs uiuere, ut multis prosimus. Quod de labore, uel sumptu, aut studio impenso obijcis, idem potuissent facere Apostoli. An non & ipsi sua omnia impenderunt regno Christi, relictis omnibus Christum sequuti? Ecce, inquit Petrus. Nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Quid ergo erit nobis? Sed dicis: At illi huius gratia magnam expectabant remunerationem, cuius & Christus ibi meminit. Recte idem, si uoles, & tibi sperandum est. Nam si gratis expenderis, quæ à Domino habes, absq; dubio non carebis remuneratione cœlesti. Sed nunc non dicam, de fructu & utilitate huius, quin debitum magis urgebo. Quicquid de sumptu ac labore impenso dicas, uelim respondeas ad 1
ista. Primum, an negare queas te omnia habere à Domino, quocunq; modo illa acquisieris? Puto non negabis. Deinde, an non gratis acceperis? Si negas, respon- 2
de, quid Deo dederis pro ingenio, pro uiribus, pro substantia huius mundi, & in summa pro te ipso quoq; & pro uita tua? Si nihil, certe constat quod gratis acceperis omnia. Tertio. Dicas uelim, an tui sis iuris, ita ut 3
quæ habes pro uoto queas, tanquàm Dominus rerum tuarum administrare. Si dixeris, dices cõtra sententiam Pauli, atq; adeò contra ipsam ueritatẽ. Paulus 1.Cor.6. dicit: Non estis uestri. Empti enim estis precio magno. Et Rom.14. Nemo nostrum sibi ipsi uiuit, & nemo sibi ipsi moritur. Siue enim uiuimus, Domino uiuimus, siue morimur, domino morimur, siue ergo uiuamus siue moriamur, domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est resurrexit, ut & uiuorũ & mortuorum dominetur. Et secunda Corinthiorum quinto. Pro omnibus mortuus est Christus, ut qui uiuunt iam non sibi ipsis uiuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est. Si ergo nõ sumus nostri ipsorum, sed domini, quomodo sumus nostri iuris? Si uerò nõ sumus iuris nostri, sed eius cuius sumus, liquet omnia nostra non pro nostræ potestatis libertate, sed pro uoluntate domini esse dispensanda. Sed istud etiam à Papistis aliquando auditũ est, qui & ipsi prædicarunt neminem bonorũ suorũ esse dominũ, sed omnes esse dispensatores Dei. Ista certe indubitata sunt. Vltra uidendum quomodo quisq; debeat quæ accepit ad uoluntatem domini expendere. Primũ constat Deũ nulla in re opus habere bonis illis, quæ ab ipso accepimus. Psal. 16. & 50. Deinde ipse ultro ostendit, imò præcipit, quibus ea debeamus administrare. Nempe, proximis nostris. Atq; ideò præcipit, ut proximos diligamus sicut nos ipsos. Et Paulus 1. Cor. 10. uult, ut nemo sibi ipsi uiuat, sed 1.Ioh.3.
quisq; quærat quæ sunt aliorum. Imò Iohannes in sua canonica exigit, ut animas pro fratribus ponamus. Et Pau Ephe.4.
lus præcipit, ut quisq; laboret manibus suis, ut habeat unde det necessitatẽ patienti. Cõcludimus ergo ex præmissis: quoniã primũ omnia habemus à Deo, deinde gratis, tertio non ita, ut nostri iuris simus, sed ut ea ad uoluntatem domini, cui uiuimus, expendamus. Quarto, idq; ad commodum ac necessitatem proximorũ nostrorum, sequi infallibiliter, nos in omni administratione bonorum nostrorum, quæ gratis à Deo accepimus, non minus esse ministros domini, quàm Apostolos, nec minus debere gratis, quæ gratis accepimus expendere, quàm Apostolos, ut & nobis omnibus à Christo dicatur: Gratis accepistis, gratis date, quicquid obiecerimus de impenso studio, labore ac sumptu. Ad illud quod obijcis, Secunda obiectio.
unde uiuere debeas, si oporteat omnia gratis dare. Respondeo, gratis dare hoc loco nõ esse aliter accipiendũ, q̃ ita quæq; dispẽsare et administrare, ut nihil inde lucri

& quæstus

quæstus aucupemur, nisi unũ hoc, ut uictũ habeamus & amictum. Est enim ut Christus hic dicit: operarius dignus cibo suo. Quamuis enim Apostolis Christus præcipiat, ut gratis administrent quæ gratis acceperunt, permittit tamen illos tantum inde desumere, quantum exigebat corporalis necessitas, unde & nihil patiebatur eos præparamenti, uel sustentamenti gratia ad iter secum tollere, potestatem faciens ab illis capere, quibus erant seruituri, quæ necessaria futura erant, nihil aliud prohibens, quàm ne ex ista potestate, quam cõcesserat, thesauros sibi colligerent, aut aliquid quæstus aucuparentur eorum gratia, quorum non erat Domini, sed administri amandati.

Notanda est itaq; primum ministris uerbi ista regula, ut Euangelio seruientes, de administrato Euangelio nihil quærãt amplius, quàm ut de Euãgelio uiuãt, quam materiam copiose tractat Paulus, 1 Corinth. 9.

Deinde non solum ministris uerbi, sed Christianis simul omnibus diuino iure nihil amplius permissum est, quàm ut quisq; operarius de labore suo uiuat, dignus cibo suo. Qua nanq; ratione de labore uel studio uel sumptu rerum terrenarum homini Christiano liceat pro suo uoto quæstum facere, quasi ex seipso habeat quæ habet, & ministro uerbi non liceat? si spectes unde utriq; habeant sua, inuenies eundem esse Dominũ, unde omnia bona sunt. Si spectes cõditionem utrorumq;, utriq; sunt ministri Domini, nihil minus quàm proprij iuris. Si consideres eorum quæ expenduntur dignitatem, certè potiora administrat, qui spiritalia administrat, quàm qui terrena & carnalia, ut si de alienis bonis ministro liceat quæstum aucupari, multo liceret amplius ministrum uerbi hoc facere, quàm quemuis alium Christianum. Sed absit. Nemini licet de uniuersa sua dispensatione ultra uictum & amictũ quicquàm quærere & exigere. Proinde pulchre à maioribus institutum est, ut æqua commutatio seruetur, qua uicißim quæ necessaria sunt accipiat, qui alteri necessaria administrat.

Atq; ipsa ciuitatis ratio hoc exigit quæ non aliter habet, quàm constitutio corporis, in quo multa membra sunt, quorum quodq; peculiare donum habet, idq; non ita, ut sibijpsi tantum illo utatur, aut ut alia membra huius gratia depeculetur ac spoliet, sed ut alijs, & toto corpori seruiat, nihil inde recipiens amplius, quàm alimentum necessariũ, ut subsistere, corporiq; prodesse queat. Egregium donum est, donum uidendi, quod habent & toti corpori administrant oculi. Magnum donum est capitis, unde uelut ab arce regitur totum corpus. Ingens gratia est aurium, per quas toti homini administratur auditus. Quis officiositatem manuum ac pedum, ut reliqua membra taceam, satis expendet? Sed quid cuiquam ex istis accedit pro dono suo ac labore, ultra quod hic Christus dicit: nempe quod alimẽto potitur necessario? Ista scilicet agnouerũt, & gentiles tam Græci q̃ Latini.

Contra ista peccatur uarie. Primum peccant hic, qui non contenti uictu & amictu, cuius admonet Paulus, dispensationem suam ita instituunt, ut magnas diuitias pariter & delitias aucupentur & colligant. Vt illi qui ministros se Ecclesiæ in papatu simulant. Ministris Christi constitutũ est à Domino, inquit Paulus, ut Euangelio seruientes de Euangelio uiuant. Viuant, inquit, non delitientur. Deinde & omnes auari, qui æquitatis normam trangressi de negociationibus suis ingentes diuitias sibi ac liberis suis colligũt. Et quotquot donis acceptis à Deo pro suo libitu ad quæstum abutuntur, tanquàm si sui planè iuris essent.

Deinde. Peccant hic secundo loco, qui quæ à Domino acceperunt sibijpsis continent, nec in publicum expendunt. Nimirum ociosi homines, de quibus rectè intelligitur illud: Inutilem seruũ proijcite in tenebras exteriores. Oportet enim omnino dispensatorem, quæ dispensanda accepit, dispensare. Nam non solũ tum reprehensibilis est minister si male bona Domini sui dispensauerit, sed & si planè nõ dispensauerit. Qui iubetur quæ accepit gratis expendere: Primum certè iubetur expendere, reus, si non expenderit. Qui dicit gratis date, ante omnia dicit date. Rei sunt hic, qui diuitias suas iuxta uoluntatem Domini egenis non dispartiunt. Deinde & illi plurimum, qui cum & sciant, & ex officio debeant, uel domi suæ, uel publico his artibus quas nouerũt prodesse, non faciunt. Quid enim aliud faciunt, quàm quod talentum acceptum abscondunt ac negligunt, merito serui nequam uocandi? Tertio loco, reprehensibiles sunt hic qui quum nihil laborent, tamen optimis bonis abundè prætextu dispensationis, quam sibi ipsis adscribunt, potiuntur, eaq; uendunt quæ non administrant. Si enim peccat qui bona Domini administrat non gratis, quantũ est illorũ delictũ, qui cum non dispensent bona Domini, tamen illorũ prætextu magnũ quæstum faciunt? Tales sunt hodie nostri Episcopi, Canonici, & id genus creaturæ Pontificiæ, onera terræ, & fruges consumere nati. Qui non laborat, inquit Paulus, non manducet. Parũ est quod manducãt, nisi etiã delitiarentur in opibus Domini nihil planè laborantes. Si dignus est operarius cibo duntaxat, quantum delicti habet, quod non operantes non solum cibo necessario, sed omnibus delitijs operis gratia, quod non operantur potiuntur?

2 Thess. ult. Iubentur isti uitari.

Vide 13. quæst. 1. ca. Ecclesias.

Quarto peccant hic ab illis, qui laborantibus non tantum rependunt, ut cibum & amictũ habere queant. Dignus est operarius cibo suo, inquit Christus. Item & illi qui mercenarijs diurnis idem faciunt. Et qui famulitio suo iustum alimentum negant.

In quancunq; uerò ciuitatẽ aut uicum ingressi fueritis, exquirite quis in ea dignus sit, atq; illic manete donec exeatis.

Pergit præcipiendo legatos suos instruere de rebus necessarijs. Et quia primarium est, uel certè non postremum eorum quæ legato necessaria sunt cognitu, scire ad quod mittatur, ne putarent se mitti ad omnes inuniuersum passim sine discrimine Iudæos, propterea quod præmiserat, quomodo nolit eos ire, uel ad gentes uel ad Samaritas, sed ad oues perditas domus Israël. Consequenter apertius instruit quos intelligat, per oues perditas domus Israëlis, ad quos debeant abire, atque ita dicit: In quancunq; uerò ciuitatem aut uicum ingressi fueritis, exquirite quis in ea dignus sit.

q.d. Nolo uos ad quoſuis ingredi ſine delectu. Neq; enim iſta gratia, cuius eſtis nuncij ad quoſuis pertinet. Volo ut diligenter inquiratis quis illa dignus ſit, & ad illum diuertatis, pacem meam illi annunciaturi.

Quod uerò ſubdit: atq; illic manete donec exeatis, hoc eſt, donec ciuitatẽ illam uel uicũ aliò abituri exeatis, adhoc pertinere uidetur, quod nolit eos ſalutato illo, quem primum acceſſerint, mox ad alias domos mendicorum more abire. Saperet enim ſordes uel hoſpitis uel legatorum. Atq; ideò Lucas notanter ponit, cap. 10. Nolite tranſire de domo in domum. Sordidum notaret hoſpitem, qui duos homines cœleſtis regni legatos, tam ingentia bona adportantes grauaretur, tantulum temporis domi ſuæ continere & alere. Signũ eſſet contempti ac faſtiditi nuncij. Rurſus præter decorũ legatorum eſſet mox commutare hoſpitem. Legati principũ ægerrime diuerſoria, in quæ primum diuerterunt, commutant, potißimũ in eadem legatione conſtituti. Non facile, ſi quando denuo quam urbem acceſſerint in aliud hoſpitium diuertunt, relicto eo in quo aliquando egerũt. Habet enim notam turpitudinis non obſcuram, quæ uel legatos uel hoſpitem denigret. Legatos, ut eos qui difficiles tractatu ſint, aut tales qui probo hoſpiti ſint intolerabiles, hoſpitem, utpote ſordidum & parum commode tractantem, qui ad ſe diuertunt.

Nam binos emiſit iuxta Marcum.

Vt itaq; iſta cauerent, ſcirentq; ſibi non debere grae uideri, hoſpitio eodem excipi, contineri, & ali, tanq; graues futuri filio pacis, cum tantorum bonorum eſſent προξενοί huius admonet, in quo docet, nec graue futurum tales legatos perpetuos habere hoſpites, nec debere Apoſtolos faſtidita forſan primi hoſpitis tenuitate lautiorem quærere.

QVORVM HIC ADMONEAMVR.

1 Primum. Admonemur hoc loco, qua debeat æſtimatione adminiſtrari cœleſtis gratia regni, in eo, quod præcipit de dignis exquirere, uolens illam obijci indignis. Id quod & ſupra cap. 7. præcepit, dicẽs: Nolite ſanctum dare canibus, neq; proijcite margaritas ueſtras ante porcos. Quod nihil aliud eſt quàm, nolite paßim quibuſuis gratiã regni cœleſtis, quam annunciaturi eſtis obtrudere, ſed relictis indignis, qui magis canes referunt ac ſues quàm homines, exponite illam dignis. Quas uerò conſiderationes habeat hic locus, uide ſupra cap. 7.

SI QVIS IN EA DIGNVS SIT.

Secundo loco cogit ipſa neceßitas, ut diligenter expendamus, qui ſint digni illi ad quos regni Chriſti annunciatio mitti debeat, quandoquidem illam Chriſtus nullis alijs uult impartiri. Iam quid nobis aliud ad ſalutem itanecceſſarium eſt, atq; iſta cõmunicatio regni Chriſti cœleſtisq; gratiæ, quam impartitur Euãgelij prædicatio? Rurſus. Si illa non poteſt cõmunicari, nec debet, niſi dignis, quomodo ſaluabimur? An illa tam exigui momenti eſt, ut æquari noſtra dignitate poßit? Aut ſumus nos tantæ dignitatis, ut cœleſti illa & inæſtimabili gratia digni queamus haberi? Abſit iſta cogitatio ab animis pijs. Quam dignitatẽ haberet homo cinis ac puluis, qua cœleſti illi & ineffabili gratiæ regni Chriſti reſponderet, cum & ipſis cordis penetralibus deprauatus ſit & corruptus. Quid ergo uult Chriſtus, quod ſuos tantum ad dignos mittit? Excutiendum eſt diligenter, propter conſcientias imbecilles. Qui indigni ſint, nõ potes aptius capere, q̃ ſi per oppoſitũ conſideres eos, quos cap. 7. uocat canes ac ſues, hoc eſt tales homines, qui nõ magis gratia regni Dei afficiuntur, q̃ canes rebus ſanctificatis, et ſues margaritis, prorſus mũdani, & in rebus mundi, cœnoq; uoluptatũ carnalium abſorpti. Iſtis non debent communicari bona regni Chriſti. Digni uerò qui ſunt? An illi qui non ſunt peccatores? Qui bonis operibus dignos ſe reddiderunt cœleſti gratia? Si de iſtis intellexerimus, quid faciemus Chriſto, qui ad publicanos ac peccatores diuertit, ſalutemq; obtulit? Dicemus né Chriſtũ contra ſeipſum præcepiſſe? Abſit. An non ipſe dicit: Non ueni uocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiã, ſupra cap. 9. Et ipſa prædicandi forma qua uſus eſt & Chriſtus, & Apoſtoli iuſſu Chriſti, nõ patitur, ut intelligamus dignos eos eſſe, qui iuſti ſint, indignos uerò peccatores. Vt quid enim diceretur iuſtis, pœnitentiã agite? &c. Certũ igitur eſto, ut per indignos non peccatores, ita per dignos nõ intelligendos eſſe iuſtos. Imò peccatores maxime eſſe eos, ad quos mittantur Apoſtoli. Ad quos enim abirent medicorũ miniſtri, rectius quàm ad ægrotos? Quas oues rectius quærent paſtoris miniſtri, quàm perditas?

Indigni.

Digni qui.

Qui ſunt ergo digni illi? Nam ſi ſimpliciter peccatores acceperis, erũt digni & illi, quos intelligit per canes ac ſues ſupra cap. 7. & hic per indignos. Etenim & illi peccatores, & uehemẽter peccatores ſunt. Oportet ergo, ut ſit quoddam peccatorũ genus, quod per dignos intelligatur. Nam omnino, ut dictũ eſt, de peccatoribus intelligendũ eſt, quandoquidẽ Chriſtus nõ uenit uocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiã. Sunt ne tales peccatores, qui non multũ, ſed parũ ac in leuibus delinquerũt, ut excluſi ſint qui multũ & in magnis peccauerunt? Sed rurſus Euangelicæ hiſtoriæ, deinde & ipſa cœleſtis medicinæ ipſiuſq; medici ratio & gloria iſtud nõ patitur. Quid enim ad curationẽ modice ægrotantiũ tanta medicina tantoq; medico è cœlis deſcendere opus fuiſſet? Aut quæ gloria tanto medico minutulos duntaxat curare morbos? Tam abeſt itaq; ut de minutis peccatoribus ſit intelligẽdus Chriſtus, ut maximi peccatores cum primis tales ſint, propter quos Chriſtus uenerit. Teſtes ſunt publicani, peccatores, mulier peccatrix, latro, Paulus, etc.

Qui ſunt igitur illi peccatores, qui cum & ipſi peccatores ſint non minus alijs, tamen digni habentur, ad quos diuertãt cœleſtis regni nũcij? Digni exquiſiti ſunt, poſteaq; & Chriſtus tam diligenter eos ab indignis ſecernit, & pro talibus habet ad quos ſolos Apoſtolos ſuos mittat. Digni itaq; illi, non ſunt alij, q̃ in quos gratia regni Chriſti non fruſtra impenditur, à quibus illa ſcilicet non reſpuitur, ſed auide accipitur, & cum fructu bene collocatur. Hoc eſt, digni ſunt, qui ſeſe ad prædicationẽ pœnitẽtiæ regniq; cœlorũ cõmodos exhibẽt, id eſt, tales ſeſe accõmodant, ut locũ in illis habeat iſta regni Chriſti gratia, qui nihil reluctentur, legatos cœleſtis gratiæ non auerſentur, ſed placidè & cum gaudio excipiant. Sed uideamus iſta ex ipſis Chriſti uerbis.

Primo. In eo quod ſuprà dixit: ite potius ad oues perditas 1

litas domus Israël, etsi obscure, tamen satis indicat, ad quos eos mittat, & qui sint illi digni. Nempe illi, qui etsi in cõmuni sint cum reliquis omnibus perditione, præ cæteris tamen hoc habẽt, ut reduci se sinãt, pastoriq; uisitanti ac è perditione liberãti, instar ouiũ nõ reluctẽtur.

2 Deinde idem dicit, in sequentibus. Et quicunq; non receperit uos, neq; audierit sermones uestros etc. in quo uidemus è regione dignos esse qui pacis legatos recipiunt, sermonemq; illorum audiunt, si indigni atq; relinquendi sunt, qui nec recipiunt, nec audiunt.

3 Tertio idem est quod Luc. 10. dicit: Et si fuerit ibi filius pacis, requiescat super illũ pax uestra, si minus reuertatur pax uestra ad uos. Quo loco, quem hic dignũ, illic filiũ pacis uocat. Quòd si ista collegerimus: nempe quod Apostoli mittuntur ad oues perditas, ad recipientes & audientes, ad filios pacis, quid quæso aliud relinquitur, q̃ dignos illos ad quos mittũtur Apostoli, esse tales, qui gratiã hanc regni cœlorũ non repudient, sed placide excipiant, illaq; ad salutẽ utantur? Quid enim aliud est esse ouem perditam, filium pacis, gratiæ nuntium recipere & audire? In rebus quidem humanis ista dictio, ἄξιος, quantũ mihi liquet, nullam aliã dignitatẽ rerum significat, q̃ qua uel mentis uel iusta cõmutatione ac reposĩone æquãtur, quæ ab alijs accipiẽda sunt. In diuinis uerò non item. Quis enim hoc pacto dignus haberetur cœlesti gratia, quæ per Christũ orbi offertur? Neq; ista dignitas gloriæ Dei conuenit. Ad humana pertinet, ubi necessaria est æqua cõmutatio rerum. Apud Deũ uerò non ita. Nunquàm satis expensa est ista dignitatis ratio, cum tamen non sit alia, quantum ad istam regni Christi gratiam attinet. Quid quæso aliud est, quod Matth. 22. de inuitatis illis ad cœnam, qui propter empta prædia, iuga boum, ductas uxores, quiq; cõtumelia affectis nuntijs, ad nuptias uenire noluerãt, dicit: Qui inuitati sunt non fuerũt digni. Cum & illic eadem sit dictio quæ hic? Quomodo non fuerunt digni? Ita quod iustitiæ meritis & probitate uitæ honorẽ istum nõ essent meriti? Atqui illud non ignorabat antea Dominus. Verum ipse contextus, ostendit ideò non fuisse dignos, quod oblatam gratiam respuissent. Concludimus ergo dignos istos nõ esse eos, qui iusti sint, id est, sine peccatis, bonisq; meritis conspicui, sed cum primis peccatores: deinde nõ modici peccatores, sed maximi etiam, dummodo oblatam gratiam non respuant, sed auide excipiant, & ad salutẽ bene collocent. Tales digni erant Zachæus, Matthæus, mulier peccatrix, latro, Paulus. Quare? Quia gratiam regni Christi acceptarũt. Tales digni sunt, de quibus Christus dicit: Matth. 21. Amen dico uobis, quod publicani & meretrices præcedent uos in regnum Dei. Quare? Quia scilicet gratiam Dei acceptaturi erant, quam Pharisæi & Scribæ repudiabant. Quis quæso istam gratiam Dei, satis expendet? Vides quomodo quod primum uidebatur triste: nempe quod suos tantum ad dignos mittit, re perpensa sit summa cõsolatione plenũ, cõscientijsq; grauatis & gratiæ Dei cupidis iucundissimum. Quid hic faceret doctor aliquis non gratiæ, sed meriti humani? Ille mox disputaret de merito cõgrui & condigni. Istam dignitatem, de qua Christus hic loquitur, tribueret bono motui uiribus humanis elicito, uocaret meritũ congrui, quo gratia prima promereretur, adderet: illud uerò meritũ non sufficere ad salutẽ, sed opus esse merito condigni, hoc est, bonis operibus, quibus homo dignus redderetur uita & salute æterna. Ista pestis summopere cauenda est, & firmiter tenendũ, ex uiribus humanis, nec gratiam, nec salutem promereri aliquo merito, siue congrui siue condigni, sed omnia cœlesti gratiæ deputanda, esseq; salutis æternæ participem eum dignũ, de quo iam dixi: qui nempe oblatam gratiam, quam nunquam promeruit, de qua nunquam cogitauit, non recusat, sed cupide amplectitur, id quod illi duntaxat faciũt, qui ad hoc præordinati sunt. Mar. ult. Cũ Apostolos in uniuersum orbem Euangelij prædicandi gratia emitteret, non dicebat: Qui ex bono motu naturaliter elicito uos susciet, merebitur primã gratiam, salutem uerò nondum, nisi partim suis uiribus, partim diuina gratia, quam de congruo primum promeruit, adiutus, bonis operibus de condigno illam promereatur, sed quomodo? Quicunq; inquit, crediderit et baptizatus fuerit, saluus erit. Quid hoc aliud est, quàm salutem illi adscribere, qui eam fide apprehenderit, idq; mox atq; crediderit, antequàm de bonis operibus quicquàm instructus sit? Paulus Rom. 6. non dicit: Meritum condigni est uita æterna, sed quid? Donum Dei est inquit, uita æterna, per Iesum Christum Dominum nostrum. Et Christus quoties dicit: Qui credit in me habet uitam æternam? Non dicit: Qui ex elicito bono motu in me crediderit promerebitur primam gratiã, æternã uerò uitã tum habebit, cum ex bonis operibus illam condigne promeruerit. Ephe. 2. dicit Paulus: Gratia enim estis seruati per fidem, idq; non ex uobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Non dicit primã quidem gratiã uestris uiribus promeruistis, uerũ salutẽ nondum, nisi illam de condigno promereamini. Procul itaq; abigatur ista doctrina de merito cõgrui & condigni, id est, qua docetur hominem ex proprio bono motu naturaliter elicito promereri primam gratiã, id est, seipsum congruũ & aptum reddere ad promerendam primã gratiam, qua iuuetur ad id, ut postea bonis operibus sese cõdignum faciat æterna uita: ita ut prima gratia nõ saluet, sed ad salutẽ condigne bonis operibus promerendã adiuuet uires humanas. Enormiter enim ista doctrina peccat. Primũ in eo quod principium ad salutem facit naturales motus uiriũ humanarum. Deinde quod gratiæ fidei, non salutẽ, sed auxilium quoddam ad salutem bonis operibus condigne promerendam tribuit, quæ omnia ignorantur à sacra scriptura, imò gratiæ cœlesti aperte repugnant.

In rebus humanis, Dignus quis dicatur.

Dignus rõ quid dico & quod Deus

De merito congrui & condigni.

Cum aũt intrabitis domum, salutate illam, & siquidem fuerit domus digna, ueniat pax uestra supra illã. Sin minus fuerit digna, pax uestra ad uos reuertatur.

Posteaquàm admonuit de diligenti inquisitione eorũ, qui regno Dei digni essent, iam subiungit etiã modũ, quo debeãt agnoscere an digni sint, ad quos diuerterint. Nõ uult enim illos temerè sine experientia certa de dignis aut indignis iudicare, ne fiat ut sola suspitione ducti prætereant dignos. Dicit itaq;: Quod autem iubeo

exquirere

exquirere de dignis, id non poteſtis melius exequi, quàm per oblatam pacis ueſtræ benedictionem. Per illam cognoſcetis qui digni ſint, ad quos uos mitto. Quòd ſi domus, ad quam acceſſeritis, digna fuerit, id eſt, ſi pacẽ ueſtram receperit, ueniat pax ueſtra, uel ut Lucas habet, requieſcat pax ueſtra ſupra illam. Si uerò uos non receperit, id eſt, ſi digna non fuerit, idq; uos non recipiendo declarauerit, reuertetur pax ueſtra ad uos. Hoc eſt, carebit domus illa oblata benedictione pacis, quam ut indigna reſpuit. Eſt autem modus iſte loquẽdi: nempe, reuertetur pax ueſtra ad uos, etiam nobis Germanis conſuetus, de illis, qui ſalutati nihil reſpondent, ſignificantes ſe pacem noſtram non acceptare, ſed reſpuere & contemnere. Illis dicimus: Vuiltdu es nit, ſo gib mirs uuider. Q.d. Es ſol darumb mein gruß nit uerloren ſein, ob du ihn ſchon nit uuilt, uuil uuol finden, die mir darumb dancken uuerden. Ad eum modum & Chriſtus hic ſuos inſtruit, ut ſicubi apputerint per imprudentiam ad indignos, oblatam pacem reſpuentes, ſcirent propterea non deſiſtendum eſſe à ſalutatione iſta, ſed eam mox ad ſe recipiendam, & alijs accepturis offerendam.

QVAE SINT HOC LOco notanda.

1 Primo omniũ exigit ipſa intelligendæ mentis Chriſti neceſſitas, ut expendamus ſalutandi rationem, quam Apoſtolis hoc loco cõmendat. Qualis nempe fuerit illa ſalutatio, qua iubet ſalutare domũ uel familiam, ſi quam ingreſſi fuerint. Variant autem hic ſententiæ eorum qui
1 ſuper iſta ſcripſerunt. Sunt qui intelligant ſalutationem iſtam nõ fuiſſe aliam, niſi conſuetam & uulgarem. Iſtis fauere uidetur, quod Lucæ 10. legimus mandaſſe Chriſtum, ut dicerent: Pax huic domui. Quanquàm & hoc loco ſatis innuitur imprecationẽ pacis ſalutationem iſtam fuiſſe cum dicit: Si fuerit domus illa digna, ueniat pax ueſtra ſuper illam, ſin minus, reuertatur pax ueſtra
2 ad uos. Alij putant Chriſtum non fuiſſe præcepturum de conſuetudine ſalutandi uulgari, quæ ita nemini non fuerit in uſu, ut fruſtraneũ uideri potuiſſet de ea præcipere, maxime in legatione iſta regia & cœleſti, qua longè ſeriora cõmittenda fuerint. Atq; ideò ſalutationẽ iſtam non fuiſſe uulgarem illam & cõſuetam. Sed oblationem cœleſtis gratiæ, pacis hic ſalutem ac benedictionem uocatam eſſe, quam nõ duntaxat iſtis uerbis: pax uobis, uel pax huic domui, ſed iuſta pœnitentiæ & gratiæ regni Chriſti narratione & annunciatione debuerint impar-
1 tiri. Nos uerò neutram ſententiam reprobabimus, ſed quid in utraq; ſit notandum uidemus. Quòd ſi prior arridet, expendendum eſt, quid Chriſtum mouerit, quod de ea præceperit. Oportet enim ut non ſine magna ratione hoc fecerit. Salutationem conſtat ſignum eſſe beneuolentiæ, amicitiæ, ac dilectionis, qua uidelicet bona quæq; imprecamur illis, ad quos acceſſerimus. Vnde & Chriſtus Matth. 5. Vbi de diligendis non ſolum amicis, ſed & inimicis docet, ſalutationis meminit, iubens ut non ſolum amicos, more gentium, ſed & inimicos ſalutemus. Et ipſa experientia hoc docet, qua uidemus fieri, ut neq; ſalutemus, neq; ſalutationem accipiamus ab illis, quibus nõ beneuolumus. Vult itaq; Chriſtus, iuxta priorem ſententiam Apoſtolos ſuos. Si quam domum fuerint ingreſſi, mox conſueta ſalutandi beneuolentia præoccupare eorum animos, quos debeant per Euangelium regni lucrari, ad hoc, ut eò lubentius audiantur & admittantur. Nam ita comparati ſumus, ut non difficiles nos exhibeamus illis, quos nobis beneuelle ſenſerimus. Huius gratia uidelicet ita diligenter præcipit, ut, tametſi ignoraturi ſint, num excipiãtur nec ne, nihilominus ipſi conſiderato mortalium ingenio ſymbolo beneuolentiæ ſeſe inſinuent, conſuetaq; ſalutatione pacem domui, id eſt, omnia proſpera precẽtur. Ideò et Lucas habet, cum intraueritis domum. Primum dicite: pax huic domui. Notanter poſitum eſt, primum dicite: id nimirum indicans, quod iam memini.

Admonet uerò ſimul, ut & animis ita ſint erga quoſuis beneuolis, ut quemadmodum uerbis omnia proſpera precari iubentur domibus, quas ingreſſuri erant, ita & cordibus eſſent erga illas affecti.

Docemur ergo hoc loco & nos, quales nos debeamus præſtare erga eos, quos cupimus regno Chriſti lucrari. Nimirum tales ante omnia, ut intelligant animorum noſtrorum candorem, ſynceritatem ac beneuolentiam, nihilq; nos quærere aliud, quàm ipſorum ſalutem.

Hinc uſus iſte apud Epiſcopos inoleuit, ut quaſi proprium ſibi fecerint iſtud ſalutandi genus: pax uobis, id quod ueteres abſq; dubio propterea fecerunt, ut iſta comitate ſalutandiq; officioſitate deuincirẽt ſibi ſubditorum animos. Nunc uerò nihil huius cõſideratur, tantum uerba proferuntur, idq; ab illis, qui non ſolum belligerãtur ipſi, ut Eraſmus in Annotationibus ſuis queritur, ſed & alios ad bella incitant, ita ut parum decora ſit iſtis Epiſcopis hæc ſalutatio. Notanda eſt etiam in hac re Chriſti modeſtia, qua nõ nouam aliquam & inuſitatam ſalutandi formam, ſed conſuetam & uulgarem, quæ paſſim huic populo in uſu erat, Apoſtolis tradidit, qua & ipſe ſolebat uti, ut inſolentiæ notã declinaret, quemadmodum & angelos erga eos ad quos miſſi ſunt, & ſanctos patres feciſſe legimus. Ea modeſtia & hodie Chriſtianis obſeruanda eſt, ut huiuſmodi rebus quæ in uſu ſunt, niſi ſint cõtra Dominum, cum uulgo utantur, duntaxat hoc ſpectantes, ut ex animo loquantur & agant. Habent quæq; gens ſuos peculiares mores, quos ſine inſolentiæ nota non facile mutaueris, parum commodus ſalutator ſi peregrina induxeris. Iſta debebant Anabaptiſtæ obſeruaſſe, quorum tanta eſt inſolentia in his rebus, tantaq; ſuperſtitio, ut quaſi ex Iudæis nati piaculum dicant, ſi conſuetam ſalutationem uel ipſi alijs offerãt, uel ab alijs recipiant, nihil aliud ſonantes, q̃ Der frid ſey mit euch, cum interim ſint cordibus amaricatiſſimis.

Epiſcopi

Anabaptiſtæ

Quòd ſi placet altera ſentẽtia: nempe, quod Chriſtus per pacis ſalutationẽ intellexerit cœleſtem illam regni ſui gratiam, non terrenam aliquã proſperitatem, obſeruandum erit, q̃ cõmode illa pacis nomine cõmendetur. Quid enim aliud eſt, quod prophetæ Chriſtũ uocãt principẽ pacis, q̃ quod inter nos, et Deum uerus recõciliator pacẽ ac reconciliationẽ cõſtituit, quẽadmodũ & Euangeliũ, Euangeliũ pacis uocatur, & Chriſtus pacẽ euangelizaſſe, & pax noſtra factus eſſe dicitur. Et Paulus ex

prophetis

Prophetis dicit, Ro. 10. Quàm speciosi sunt pedes euangelizantium pacem? Pacis iucundißimum est nuncium. Sed quando? In metu uidelicet bellico & hostili, quando omnia sunt angustijs plena, horroreq; et umbris mortis. Ita uidelicet iucundum est Euãgelium animis metu iræ, & iudicij Dei mortisq; æternæ pressis. Quid illis iucundius annunciari potest, quàm gratia recõciliationis, remißio peccatorum, & regnũ Dei? Hanc pacem Paulus Philip. 4. dicit omnẽ hominis sensum excedere, propterea quod inæstimabilis sit, ineffabilibus bonis referta.

Commode itaq; Christus uerbo pacis gratiã reconciliationis regniq; sui prædicationem hic commendat, ostendens extra se non esse pacem cum Deo, sed iram & iudicium Dei, æternamq; perditionem. Iam uerò aduenisse tempus gratiæ, apertam esse reconciliationis ac salutis ianuã, omnibus adflictis cœlestisq; gratiæ cupidis. Ista notanda putaui de hac pacis salutatione, quãdoquidem utraq; sententia habet, quod doctrinæ nostræ inseruiat. Deinde & hoc notandum est, quod cum supra dixerit: In quancũq; ciuitatẽ aut uicum fueritis ingressi, exquirite quis in ea sit dignus, atque illic manete donec exeatis, non tamen hic dicit: Cum autem intrabitis domum, salutate patrem familiâs, ne uideatur gratiã istam reconciliationis ad adultos duntaxat, & ipsa familiarũ capita pertinere uelle. Sed ita iubet eos dicere: pax huic domui, ut intelligatur pacem istam & recõciliationem toti domui offerri. Si paterfamiliâs dignus fuerit, hoc est, eam receperit. Vnde & in Luca, cum dixisset: In quancunq; domum intraueritis, primũ dicite: pax huic domui, & cum esset subijciendũ, ut in Matthæo hic est. Si fuerit domus digna, ueniat pax uestra super illam, sin minus, reuertatur ad uos, ita subdit: Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet pax uestra super illũ, sin minus, reuertetur ad uos, ut intelligas. Primum ita pacem hanc offerre Christũ digno patrifamiliâs, ut simul offerat omnibus illius domesticis ad illũ pertinentibus, illaq; requiescat super domum totam, si à patrefamiliâs accepta fuerit. Deinde domus dignitatẽ consistere in patrefamiliâs, uides in eo quod dicit Lucas: Si ibi fuerit filius pacis.

Atq; ista est peculiaris illa Dei bonitas, quæ etiam in ueteri testamẽto locum habuit, quod gratiã fœderis non in solo patrefamiliâs sistit. Sed cum illo simul omnẽ eius domũ assumit, id quod uidere est in Noah, in Abraham, Isaac, Iacob, & in euangelico illo Zachæo. Vbi Christus dicit: Hodie domui huic salus facta est, eò quod ipse sit filius Abrahæ. Hinc & Apostoli iuxta istam impartiendæ gratiæ cœlestis normam, uniuersis domibus gratiam Christi signo fœderis impertierunt, ut uidere est in Actis cap. 16. Ista si animaduertissent Anabaptistæ non mouissent pædobaptismati tãtas turbas. Nos uerò agnitam istã gratiã toto corde acceptemus, beneq; locemus.

Sed dicet hic quisquàm, eorũ scilicet, qui magis terrena commoda spectant quàm cœlestia. Ecquæ tandem est illa pax? aut, quomodo dicit pacem super eam domum uenturam, quæ Apostolos receperit, cum nihil unquàm plus mouerit dißidij, q̃ ista ipsa Euangelij prædicatio, ita ut quemadmodum & infra legitur, ista annunciatio domum antea bene pacatam nõ pace, sed seditionibus replere, & filium à patre, filiam à matre, domesticos à patrefamiliâs seiungere, & inter se magnis simultatibus, & odijs discerpere soleat, ita ut uerius gladium adferat ista annunciatio, quàm pacem?

Certè ista Christianæ doctrinæ absq; dubio à gentibus pariter & Iudæis obiecta sunt, quemadmodum & hodie Euangelicis obijciuntur. Etenim & hodie talia fieri uidemus. Sed probè considerandum est, quorũ ista uitio fiant. Certè natura Euangelij hoc non habet, quo ad pacem & salutem uocantur omnes. Et Christus ipse non gaudet in perditione filiorum hominum, sed magis omnium salutem quærit. Et Christiani, qui spiritu Christi omnium mansuetißimo ducuntur, neminem odiunt, sed quantum in ipsis est, cum omnibus pacifici, etiã cum illis qui pacem odiunt, uiuere quærunt. Vnde est ergo tantum dißidij in his urbibus ac domibus, quæ Euangelij doctrinam admiserunt? Primum non aliunde, quàm ex Satanæ impulsu, qui belli dißidiorumq; autor est, quemadmodum Deus pacis autor esse dicitur. Deinde, ex affectibus inordinatis hominum carnalium uel gloriã mundi, uel diuitias, uel uoluptates carnis sectantium. Isti scilicet impulsu Satanæ ueritatis luci repugnant, ne per illam prodantur. Nonnulli etiam per cæcitatem & diuinæ uoluntatis ignorantiam, præposteró zelo pios persequuntur, putantes se obsequium præstare Deo.

Cum igitur ista fieri uideamus, quid nos aliud faciemus, quàm quod primum, conabimur nostra mansuetudine & modestia nemini dare causam odij, sed magis beneuolentiæ, nisi quantum ipsa ueritas nobis odium excitat. Deinde dolebimus, quod etiam inter Christianos, ubi summa pax esse debebat, tantũ dißidij ueritatis gratia suboritur, quæ debebat ab omnibus obuijs l rachijs appeti. Nam ita habet animus piorum, ut summopere doleãt, si cognouerint se quempiam cõtristare. Sic Hieremias cap. 15. dicit: Væ mihi mater mea. Quare me genuisti uirum rixæ ac discordiæ. Neq; ad fœnus cuiquam dedi, nec à quoquam accepi, & tamen omnes mihi maledicunt. Et cap. 20. tantũ doloris huiusmodi exprimit, ut & diei maledicat, in qua natus erat.

Et quicunq; non exceperit uos, neque audierit sermones uestros, exeũtes exædibus, aut ciuitate illa, excutite puluerẽ pedum uestrorum. Amen dico uobis tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorũ in die iudicij, q̃ ciuitati illi.

Hactenus Apostolos suos instruxit, quomodo declinatis indignis sese reciperẽt ad studiose quæsitos dignos. Deinde & modũ addidit, quomodo quærẽdi sint digni: nempe oblatione pacis, adiuncto simul de euentu pacis, apud quos illa sit uel mansura, uel non mansura. Iam instruit eos, quid ipsi facere debeant, si contigerit uenire ad indignos, gratiæ Dei cõtemptores ac repulsores. Dixit quid debeant apud dignos facere. Adiungit ergo & de indignis. Quamuis enim in se suum habeat commodum ac fructum accipere sermonem ac ministros gratiæ, ac rursus suum incommodum non accipere, sed respuere, tamen præcipit ut sese commode habeant, sciantq;

sciantq;, quid faciant, siue acceptentur, siue minus. Vt nanq; plurimum refert quomodo se habeat receptus Domini legatus, ita plurimum quoq; refert, quomodo se habeat non receptus. Neq; enim putandum est ista à Christo frustra præcipi. Potuit simpliciter dicere. Ite & annunciate, quicunq; receperint uos bene habebunt, qui non, male. Verum hoc non cõtentus, utrobiq; præcipit, quid facere debeant, ne quid ex ipsorum parte delinquatur, uel omittatur quod ad causam hanc pertineat. Recensebimus autem ex ordine, quæ in ista præceptione commemorat.

1 Primum, In eo quod dicit: Quicunq; non receperint uos, neq; audierint sermones uestros. Metam ponit & notam quandam, ad quam respiciant, & iuxta quam iudicent de dignis, apud quos maneãt, & de indignis à quibus recedat: nempe, si recipiantur & audiantur, uel non recipiantur & non audiantur, ut ex isto commode queant cognoscere, qui sint digni, qui non.

2 Deinde, præcipit, ut si contigerint tales, qui nec recipiant, nec audiant, id est, indigni, apud illos non maneant, sed relinquãt indignos, ne uideantur inuitis uelle obtrudere cœlestem gratiam, aut magis spectare terrenum aliquod cõmodum, quàm regni Dei promotionem.

3 Tertio. Non contentus de egressu præcepisse, uult eos non simpliciter ab indignis recedere, sed ita ut cõtestentur eos & magnitudinis delicti pariter & pœnæ futuræ. Hoc scilicet est quod cum dixisset: exeuntes ex ædibus, aut ciuitate illa, subdit: excutite puluerem de pedibus uestris.

Exponunt aũt hunc locum quidam, ita ut per istam pulueris excussionem uoluerit Christus Apostolos suos palam testari, se ita nihil eorum quæsisse, ad quos diuerterant, ut ne puluerem quidem, quem apud eos contraxissent, deportare sustineant. Mihi uerò uidetur Christus nõ hoc agere isto loco, ut uelit suos declarare, quàm nullius quæstus gratia circuëant. Sed magis, ut mystico hoc facto ostendant, quemadmodum dixi: cum peccati, quo gratiam oblatã respuebant indigni, tum pœnæ futuræ magnitudinẽ. Atq; ita esset ista de excutiendo puluere præceptio talis. Exeuntes è ciuitate illa, nõ simpliciter discedite, sed ostendite indignis, quàm enorme commiserint peccatũ respuendo gratiam, & quàm magnam sint expectaturi pœnam. Huius gratia excutite puluerem de pedibus uestris, ut ostendatis ita magnam esse futuram illis pœnam, ut non sustineatis uel pulueris communionem cum ipsis habere, sed relinquatis eos cum omnibus suis horrendo illo futuro iudicio. Ad hanc uidelicet sententiã uidentur respicere, quæ Lucas habet ca. 10. Vbi scribit Christum ita præcipere, ut dicãt: etiam puluerem qui adhæsit nobis de ciuitate uestra extergimus in uos. Illud enim, etiam tale quid uidetur innuere, ac si dicant: Adeò nullũ uolumus uobiscum habere consortium, propter magnitudinẽ delicti, ut nihil planè de omnibus uestris nobiscũ deferre sustineamus. Estis enim in anathemate & maledictione Dei cum omnibus uestris bonis cõstituti. Et hoc uidetur etiã illud uelle, quod Lucas dicit, qui adhæsit nobis de ciuitate uestra, quasi uelit ostẽdere, ideò excutere puluerẽ iussisse Christum, quod in ea ciuitate collectus esset, quæ gratiam regni Dei oblatam respuisset.

Vel certè ista excussio pulueris hoc uolebat, ut testimonium esset incredulis ac contemptoribus contemptæ ac repudiatæ gratiæ, ne uidelicet in posterum esset locus excusationi, de nõ audito regni Dei nuncio. Huc facere uidetur quod Mar. 6. legimus, in testimonium illis. Et Luc. 9. aduersum illos. Q.d. uel puluis iste, quem in uestra ciuitate legati regni Dei contraximus, testis erit in illo die, adfuisse nos regnumq; Dei annunciasse, uos aũt spreuisse, ut nequeatis excusari, quasi nemo uobis regnũ Dei annunciauerit. Contestabitur uos excussus iste puluis, quem ad hoc in uos excutimus, etiam si uos negare uolueritis. Iam utrum recipias, nihil refert, quando utrobiq; sit obtestatio & comminatio, quam Christus uidetur respicere.

Quarto. Non contentus facto simplici. Vult ut & 4
acti rationem exprimãt, uerbisq; Iudæos incredulos obtestentur, quod in Luca cap. 10. uidemus, ubi sic dicit: Dicite. Etiam puluerem qui adhæsit nobis de ciuitate uestra extergimus in uos. Tamen hoc scitote, quod appropinquauit in uos regnum Dei. Exigit, ut intelligant indigni, hoc est contemptores gratiæ, quam gratiam reijciant, & quid illis minentur legati repudiati per istam pulueris excussionem.

Quinto. Quoniam & Apostoli talium rerum adhuc 5
rudes erant, referatq; non parum Christi ministrum scire, quanto peccato repudietur, subiungit: Dico uobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorũ & Gomorrheorum in die iudicij, quàm ciuitati isti, quibus uerbis declarat Apostolis per collationem interitus Sodomæ & Gomorrhæ magnitudinem pœnæ futuræ eorum, qui gratiam istam reiecerint. Et ut rem istam serio persuadeat, more suo dicit: Amen dico uobis. Indicat uerò ex magnitudine futuræ pœnæ magnitudinem eius peccati, quo propter repudiatos Euangelij nuncios, tanta pœna digni reddantur increduli.

QVAE SINT EX HOC LOco notanda.

Primo. In eo quod dicit: Quicunq; non exceperit 1
uos, neq; audierit sermones uestros, exeuntes ex ædibus aut ciuitate illa &c. Aperte uidemus quos debeat minister Christi pro indignis habere, & tanquàm indignos relinquere. Nẽpe eos à quibus, nec recipitur, nec auditur. Illos iubet Christus uitari, præcipiens Apostolis, ut ex illorum ædibus uel ciuitatibus egrediantur, apud eos non maneant, sed relictis illis aliò cõcedant. Oportet igitur, aut repulsam istam gratiæ Dei talem esse, ut non liceat ministro gratiæ hærere apud contemptores ac repudiatores Euãgelij, aut ministerium ipsum gratiæ hoc exigere, ut relictis indignis ad alios cõcedatur, aut certè utrunq;. Potest autem utrunq; in causa esse.

Notandum uerò est, quod non dicit: Quicunq; persequutus uos fuerit. Neq; tantum: Quicunq; nõ receperit uos, sed hic metam ponit, addens: & nõ audierit sermones uestros, ut sciant sibi nõ manendum esse apud eos quoq;, qui recipiunt quidem hospitio, utpote uel amicitiæ, uel alia quapiã causa, sermones uerò regni Dei non audiunt,

audiunt, aut illis cõtradicunt. Peccant hic, qui mox atq; non plenam uiderint in omnibus resipiscentiam, citato hoc loco, clamant ministrum Euangelij puluerem excutere de pedibus, & abire debere, non animaduertentes præscriptã metam esse, de auditis uel nõ auditis sermonibus regni Dei, & non de omnium omnimoda pœnitentia & obedietia. Alioqui nulli unquàm Christi ministro in ulla licuisset Ecclesia consistere. Vnde quemadmodũ non debet manere Christi minister, si non audiatur, ita nõ debet discedere, donec auditus fuerit, etiã si non mox apud omnes subsequuta fuerit recta Euangelij obedientia. Id uides 2 Tim. 4. Vbi Paulus magno serio ad hunc modũ scribit: Testificor inquit, coram Deo & Iesu Christo, qui iudicaturus est uiuos & mortuos, & per aduentum ipsius et regnum eius, prædica uerbũ, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi doctores, ij quibus pruriũt aures, & à ueritate quidem aures auertent, ad fabulas uerò conuertentur, &c. Quid hic aliud facit, quàm quod Timotheũ instruit, imò adiurat, ne abitum meditetur, propterea quod non subsequeretur iusta resipiscentia in ea Ecclesia, in qua laborabat, sed patienter perduret docendo, admonendo, obsecrando, increpãdo, siue id opportune fiat, siue importune, fore aliquando cedendi tempus: nempe cum ceperint non audire amplius sermonem ueritatis. Discamus ergo hic omnes, ut nõ cessemus ab admonẽdis fratribus, quousq; admonẽdi locus permissus fuerit, ut soli sint relinquendi, qui nec recipiunt monitorem nec audiunt.

Tertio. Delinquũt etiam hic Anabaptistæ qui cum non solum non recipiantur nec audiantur, sed eijciantur etiam ex urbibus, eiecti recurrunt, contra istam Christi præceptionẽ. Sed quid opus est hac regula Christi illis, qui nec à Christo mittuntur, nec doctrinam Christi, sed suas opiniones promouere cupiunt.

Ex eo tamen, quod dixi ministro Christi manendi metam, uel discedendi in hoc positã, si audiatur, uel non audiatur, non poterũt sibijpsis blandiri auditores, quasi satis sit audire sermones Dei. Et si enim non licet ministro Christi discedere, donec fuerint qui audiant, nõ tamẽ excusabũtur auditores, nisi quæ audierint fide perceperint, et reipsa præstiterint. Vide quid Deus quæratur de populo suo Ezech. 33. in fine cap. Item Matth. 7. Qui audit uerba mea, & non facit ea. Propterea Paulus
1 Thess. 2 laudat Thessalonicenses, quod sermonẽ suum, ut sermonem non hominis, sed Dei acceperint.

2 Secundo loco expendenda est etiam ista puluueris excussio. Videtur enim res esse leuicula, in qua nihil sit quod ad nostram doctrinam faciat. Verum ego putauerim nihil uspiam in Christi uel dictis uel factis ita sterile esse ac leuiculum, ut non plurimum habeat in se cœlestis ac diuinæ sapientiæ. Dicam igitur quid mihi uideatur, cæterum expendant alij.

1 Primum. In eo quod Christus non uult suos Apostolos simpliciter ab illis, qui oblatã gratiam respuunt abscedere. Sed primum contractum pedum puluerẽ excutere, uidemus quàm non sit contentus futura illis pœna, sed exigat, ut iste discessus cum cõtestatione quadã fiat, ita scilicet, ut intelligant, quemadmodum dixi, uel certè admoneantur, quantũ delicti committant, quãto peccato gratiam oblatã respuant. Tametsi enim ista contestatio in præsentiarũ uideatur frustra fieri, ad hoc tamen facit, ut postea in iudicio Domini sint inexcusabiles.

Istud aũt non hoc tantum loco, sed multis alijs factum uidemus, nunc uerbis duntaxat, nunc externo quopiam adiuncto facto, quod in prophetis solenne est. In nouo testamento talis est contestatio Matth. 23. in fine cap. Item Matth. 11. Væ tibi Corazim, &c. Act. 13. Paulus cõtradicentibus Iudæis Antiochiæ Pisidiæ idem facit: primum uerbis, deinde & excusso puluere. Item & cap. 18. Corinthijs contradicentibus Iudæis, ueslimenta sua in eos excutit, addens: Sanguis uester super caput uestrũ. Mundus ego ex hoc ad gentes uadam. Et Act. ult. simile quid legitur. Admonemur ergo hoc loco, ut & nos pari ratione gratiæ oblatæ contemptoribus ualedicamus, contestantes & uerbis & facto, ut uideãt quo nobis sint horrori. Verbis exprimamus magnitudinem delicti, quod gratiã contẽnunt, factis ostendamus, quales sint, qualesq; haberi debeant. Hoc est declinemus ab eis, fugiamusq; illorũ consortia, tanquàm eorum qui magna impietate præditi, iudicio Dei obnoxij sunt. Aut enim tales sunt, quales iam dico. Hic certè optimum est nullo cõmertio cum illis occupari. Aut si futurũ est, ut aliquando resipi Vide
scant, proderit & tum horrorẽ quendam erga eos ostendisse, ut tandem in se reuersi commissum delictum ex- 2 Thess. ul.
pendant, gratiãq; Dei exquirant. Illud uerò nolim quibuslibet fieri, aut mox post unum aut alterũ colloquium fieri. Sed tentato aliquandiu illorum animo, tum scilicet quando conspicuũ fuerit, admonitioni nullũ esse locum. 1 Cor. 5

Proderit istud & nobis ad hoc, ut ostendamus quanti nobis sit ueritas, nec ostẽdamus solum, sed & animos nostros in ea obfirmemus, ne & ipsi per illorũ consortium in similem gratiæ Dei cõtemptũ deueniamus. Nequit enim fieri, ut magno serio ueritatem cordi habeat, qui cum illius contemptoribus quæuis potest habere cõmertia. Sensim degenerant animi talium, ut & ipsi tandem religionem Christi pro re habeant omnium leuissima. Hoc scilicet uidemus in eis, quibus multum est commertij cũ diuersæ religionis hominibus, Iudæis, Turcis, Papistis. Es kan nit uuol sein, das ein uueybs bild irer ehrẽ groß achte, uuen ir uuol ist mit leichtfertigẽ uueyberen. Atque hoc erat, propter quod Deus populo suo tanto serio commertia gentium indixit. Tale quid & Paulus Christianos admonet, 2 Corinth. 6.

Ista admonitio, ad eos pertinet, quibus curæ est propria salus, quiq; aliquo zelo sunt in promouenda Christi religione. Illi etiam ita se habebunt. Conabuntur lucrari quoslibet, patientes erunt erga eos qui admonitionẽ uel aliquo pacto admittunt, cõtemptores uerò pietatis Christianæ, qui non solum non sustinent audire, sed & ipsam ueritatẽ blasphemant, auersabuntur, sed contestatione adiecta, ita scilicet illis ualedicent uerbo & opere, ut facile uideant, quo habeantur horrore. Quibus uerò nec propria salus, nec ipsa ueritas curæ est, qui nullo sunt in religione ac pietate zelo, quiq; ita uiuunt, ut nec præ-

sentia sua prodesse, sed magis obesse, nec auersione sua aliquem queant incutere horrorem, & de pietate neglecta contestationem, ad illos ista non pertinent.

Tertio. In eo quod Marcus dicit: Excutite puluerem de pedibus uestris, in testimoniũ illis, uidemus quæ sit auxesis iustitiæ Dei, qua non satis habet, sibi cognita esse quorumcunq; delicta, nisi addat & cuiq; sua testimonia, ita ut nemo uel sibijpsi uel alijs uideatur iniuste damnari. Ne uerò cogites, & unde accipiet pro tanta delinquentiũ multitudine & uarietate testium copiam? Vides hic exiguum ac uilem puluerem pedibus contractum, cuius nulla cuiquàm est ratio, testem futurũ in nouissimo die repudiatæ cõtemptæq; gratiæ. Si testari potest puluis pedum Apostolicorũ, adfuisse oblationẽ cœlestis gratiæ, & tamen repudiatã esse: quid quæso non facient tot signa & testimonia præsentiæ eorum qui gratiam Dei annunciarunt, utpote tanti labores susceptι, tanta pericula tolerata, tantus sanguis effusus, ipsæ mini strorum Dei habitationes, ipsa loca in quibus prædicarunt, ipsa demum uestigia, quibus terram presserunt.

Audite quotquot temerè delinquitis, latebris delicta à facie mundi abscondentes, quasi nihil sit periculi, si non agnouerit acta nostra conscientia mortaliũ. Si puluis pedum testimoniũ feret de improbis in extremo iudicio, quis euadet insons? Quis non innumeros habebit huiusmodi testes? Illa externa, cum quibus agimus, per quæ delinquimus, testimonium iniquitatis nostræ dabũt in iudicio Dei. Vide Iacobi 5. Aurum & argentũ uestrũ eruginauit, & erugo eorum in testimonium uobis erit.

Vide Gen. 31. de cumulo testimonij.

Aurũ in imagines expensum testabitur de idololatria nostra.

Quin magis uersa uice curemus, ut probitatis ubiq; testimonia post nos relinquamus. Si enim uerũ est, quod creaturæ Dei de nostra iniquitate testabuntur, quomodo non uerum est, quòd si bene uixerimus etiam de pietate nostra testaturæ sint. Cõstituamus bonos testes, opera misericordiæ ac ueræ dilectionis. Testes nostri sint pauperes adiuti, captiui ac ægroti uisitati, peregrini hospitio susceptι, nudi uestiti. Illi multo testantur melius, quàm aurum & argentũ eruginatum, quàm uestimenta tineis consumpta, quàm sumptus in imagines lapideas ac ligneas impensus. Illi testes assumẽt nos in æterna tabernacula. Quarto. Videndum est etiam & diligenter ponderandũ, quod dicit: Amen dico uobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhorũ in die iudicij, quàm ciuitati illi. Est enim omnino seria comminatio unde & dicit: Amen dico uobis, cõsiderabimus itaq; diligẽter, quæ in ista nobis sint protestatiõe Christi notãda.

4

1 Primo. Per hoc quod Sodomitas & Gomorrhos, deinde & futurum iudicij diem inducit. admonemur animaduersionem diuinã peccãtibus metuendam esse, propterea quod delinquentes tam in hac uita, quàm in futura puniantur puniendiq; sint. Animalis homo, parũ moratur amissionẽ cœlestis gratiæ, nihil quærens nisi præsentia præsentis uitæ bona, quibus sese totum addicit. Et quia putat se, si cœlesti gratiæ accõmodaretur, bona ista terrena amissurũ, repudiat cœlestia, ne amittat terrena. Huic igitur inculcandum est, non solum cœlestẽ gratiam amittere, sed & terrenã prosperitatem, imò æternas pœnas incurrere eos, qui gratiam Dei oblatam respuunt. Proinde Christus non cõtentus supra dixisse: reuertetur pax uestra ad uos, hoc est, carebũt pacis bono, quod respuunt: addit & de futuris pœnis. Et quia futuris ut bonis ita & pœnis, qui sine fide sunt parũ mouentur, ut fidem faciat futuris, inducit exẽplum diuinæ animaduersionis ex gestis præteritis, & tale, de quo nemo dubitare potest, quin & factũ sit, & cœlitus factum sit. Adhæc, metum istum iudicij Dei auget, per hoc quod ostendit etiã Sodomitas, tanta seueritate in hac uita castigatos denuo puniendos in futuro iudicio.

Terreant itaq; ista animos remissos, animos terrenis addictos, cœlestium cõtemptores, eoq; permoueant, ut etiam si in hac uita aliquandiu impune peccemus, ad illum tamen futurũ iudicij diem, certo uenturũ, cuius omnis scriptura meminit, respiciamus, respicientesq; terreamur ac territi peccatis renunciemus, cœlestẽq; gratiam quæramus, qua saluemur ab illa æterna cõdemnatione, quæ consumptura est impios.

Reuera non frustra est, quod & Christus toties, & Apostoli, huius diei mentionẽ faciũt, adeoq; illum certo, & tamen inopinato futurũ, adeoq; terribilem fore, deinde omnia in illo iudicio Dei examinanda, etiam quæq; occultißima, & quemq; pro gestis, uel bonis uel malis accepturum, siue uitam siue condemnationem æternam prædicũt. Quid quæso causæ est, quod cum ista legamus & audiamus, etiam in articulis fidei Christianæ cõmemoremus ac fateamur, tamen tanta propè omnes temeritate pariter & securitate in peccatis pergimus & perseueramus? Credimus ne ista uera esse, uel non credimus? Si non credimus, ut credibile est paucos esse qui credãt, quæ quæso est fides nostra? Si credimus, quomodo non iuxta fidem nostrã uiuimus? Quomodo adeò temerè delinquimus? Promittimus nobis illum diem adhuc procul abesse. Verũ aliud admonet Paulus Phil. 4. aliud docet Christus, Luc. 21. Vide supra cap. 6. Et esto sit procul. An ideò non uenturus est? An ideò impune erit, quod iam delinquimus? Pone hodie illum adesse. Rogo an qui tempore diluuij increduli fuerũt diuinæ admonitioni, aliquid ex eo releuationis habebũt, quod ante tot annorũ centurias deliquerũt? An Cain, qui primis temporibus fratrem odio persequutus est, & occidit, eò habebit leuius, quod tam diu est quod peccauit?

Cum ergo dies iste sit omnino futurus terribilis, & horrendus omnibus, sitq; futurus quando minime putamus: deinde quum omnia nostra facta in illo sint manifesta futura coram omnibus, & angelis & hominibus, ad hæc in iudicium Dei ducenda, quod nec falli potest, nec declinari, quod non tale erit, ut aliud post se sit habiturum, ut interea liceat malefacta emendare, sed omnino postremum & finale, in quo omnis omnium nostrarum rerum summa iudicabitur & periclitabitur, per quod æternæ pœnæ adiudicabuntur impij & impœnitentes, oportet reuera incredibilem & ineffabilem esse nostrã stupiditatẽ, ne dicam an temeritatẽ, quod cognitis his omnibus, nihil nobis ab illo die metuimus. Quis nostrũm est, qui non sibi ab eo die metueret in quo sciret se coram hac uniuersa ciuitate omnium suarũ actionum rationem redditurum, meritasq; mox pœnas daturum?

An

An non caute in posterum uiueret, semper memor eius diei, in quo esset certis & infallibilibus iudicibus sistendus? Et quomodo hic adeò sumus negligentes? Ideò scilicet, quod uel non credimus futurum hunc diem, uel procul adhuc abesse nobis ipsis persuademus.

Deinde. Ex eo quod dicit, tolerabilius erit terræ Sodomorum in die iudicij, quàm isti ciuitati, uidemus grauiores pœnas grauioribus delictis paratas esse. Quemadmodum enim delictorum gradus sunt, ita sunt & pœnarum gradus. Peccatum peccato grauius esse, uel Christus ad Pilatum testatur, cum dicit: qui me tibi tradiderunt maius peccatum habent. Grauioribus peccatis grauiores etiam deberi pœnas. Rursus testatur Christus nõ solũ hoc loco, sed & alijs, ut infra 11. ubi dicit: Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij. Et cap. 23. ad Pharisæos: Væ uobis Pharisæis qui comeditis domos uiduarũ sub prætextu longæ precationis, propter hoc & grauius puniemini. Et Lucæ 12. Seruus qui cognouit uoluntatem Domini sui, & illam non fecit, uapulabit plagis multis, qui uerò nõ cognouit, & fecit digna plagis, uapulabit paucis. Ista adhoc nobis prosunt, ne temerè peccatis peccata cumulemus, id quod solẽt, quibus mens est desperabunda, qui cogitant, quid profuerit, si me deinceps à peccatis continuero, posteaquàm nulla spes est salutis, nihilq; supereſt, nisi ipsa perditio? Ista cogitatio hoc nititur, quod putatur in futuro supplicio nullum fore pœnarum discrimen. Atq; ideò, quia qui tales sunt, æstimant se non laturos ampliora supplicia, si quibuslibet sese peccatis dederint, quàm si aliquousq; sese cohiberent, temerè proruunt in omnia flagitia. Qua re quid faciũt aliud, quàm quod ut Paulus dicit, Rom. 2. coaceruant sibijpsis iram in diem iusti iudicij Dei.

Item uide Matth. 5

3 Tertio. Ex his etiam Christi uerbis conspicuum est, quam enorme sit peccatum, gratiam Dei, & conditionem pacis per Christum oblatam respuere. Atq; illud facile poterit intelligi, si expendatur adductum Sodomitarũ exemplum. Nam data opera Christus illud ad hoc adduxit, ut auxesim istius peccati exprimeret, id quod & infra cap. 11. facit. Quisquis enim grauius punietur in extremo, id est, omnium iustißimo iudicio, certum est quod enormius etiam reliquis peccauerit. Et qui præcipuis peccatoribus grauius punietur, absq; dubio omniũ maxime deliquit. Qui autem gratiam oblatã respuunt in futuro iudicio grauius etiã Sodomitis præcipuis peccatoribus punientur, teste hic Christo. Ergo peccatum eorum omnium est maximum. Vide Gene. 19. quale fuerit peccatum Sodomæ & qualis interitus.

Habet autem istud Sodomitarum peccatum & supplicium magnum horrorem apud quosuis, estq; ideò multis locis in scripturis celebratum, tanquàm famosissimũ iudicij Dei exemplum, tumq; maxime quando minabantur singularem aliquem & horrendum populis interitum, à prophetis inductum. Vt Deut. 29. Esa. 13. Hiere. 23. 49. Tren. 4. Ezech. 16. Sopho. 2. Qui fit ergo, quod cum peccatum Sodomorum tanto sit horrori, istud quod illo maius est adeò cõtemnitur? Quis quæso sustineret in futuro iudicio cum Sodomitis connumerari? Atqui teste Christo grauius erit, cum gratiæ regni Christi contemptoribus connumerari. Quæso te, an non horreres consortium hominis Sodomitæ? Vtiq;. Et merito. Et quare non magis eorum, qui grauius coram Domino delinquunt, in eo quod gratiam Dei respuunt?

Deinde. Si peccatum istud repudiatæ gratiæ in se ipso etiam citra alterius collationem inspexerimus, liquido apparebit enormitatis ipsius ratio. Quæ est ista? Alia peccata ideò grauia sunt, quod contra præcepta Dei transgreßionem habent. Magnum est enim contra mandata Dei expressa delinquere. Attamen qui ità deliquit, potest si gratiam quæsierit, gratiam Dei acquirere. Atq; talis non planè negauit Dominum. Rursus fit aliquando, ut delinquat aliquis, & tamen gratiam Dei nõ quærat. Istud priore grauius est. Neq; enim adeò grue est transgredi præcepta Dei, id quod quotidie fit & ab omnibus, atq; post commissum delictum gratiam Dei non quærere, & nulla facti pœnitudine teneri. Tertio loco. Quòd si ultra hæc duo, nempe posteaq; in immensum peccatum est, nec aliquo pacto gratia Dei quæsita, ultro fuerit oblita cœlestis gratia & pacis cõditio, quæ summopere debebat ambiri, & tamen non suscepta, sed repudiata. quæso te, an non istud omnia quàmuis enormia delicta excedit?

Notum est peccata circunstantijs grauari. Ponamus similitudinem regis alicuius, cuius præcepta sint transgreßi ciues regni. Contra illos merito indignatur rex. Multo uerò iustius irascetur illis, si neq; post transgressionem ueniam orauerint: omnium autem iustißime excandescet etiam in perfidos, si ultro oblatas gratiæ, & pacis conditiones respuerint. Quis quæso poterit maior excogitari regiæ maiestatis contemptus? Expende nunc quid isti sit populo factum, & uidebis qua ratione Christus dicat Sodomitis tolerabilius fore in extremo iudicio. Tot modis contra Dominum delinquentes, nullam gratiam ambiuerunt, prophetas insuper occiderunt, & postremo Christũ Dei filium reiecerũt. Debebant mittere caduceatores pacis, & gratiæ petendæ gratia, & ecce cum hoc isti non solum non facerent, sed prophetas etiam occidissent, feciales suos Christus non belli, sed pacis legatos mittit, pacis conditionem ultro offerens, nec amplius exigens, quàm ut resipiscerent, & cœlestẽ gratiam Euangelij fide grati appræhenderẽt. Istos ergo respuisse, an non extremo supplicio dignum fuerit?

Est itaq; consummatio iræ Dei in eo, & extremum omnium delictorum, si fuerit oblatio cœlestis gratiæ repudiata & blasphemata. Nullum potest euidentius imminentis supplicij signum & argumentum capi, quàm si Euangelij gratia fuerit reiecta. Et certè omnimoda internicies tum demũ isti populo præ foribus erat, cum Euangelicam pacem respueret.

Quarto. Quàm ciuitati, inquit, illi. Audiant hic, qui perpetuo in ore habent, ciuitatis considerandum esse profectũ, quãdo de promouẽdo Euãgelico negocio agitur. Audiat inquam qua in re sita sit salus ciuitatis. Nempe non in eo, si iuxta seculum floreat, sed in eo, si gratiam regni Christi non auersetur. Tale est & Matth. 11. 4

Væ tibi Corazim. Quid proderunt iſti ciuitati in die iudicij, tam portentoſæ diuitiæ, tantus urbis ſplendor, & regius fauor? Nihil planè. Quid tum proderit regnum Chriſti admiſiſſe?

5 Quinto. Expendendum eſt etiam quod ad Apoſtolos iam amandandos iſta dicit: Plurimum enim refert Apoſtolum ſcire quãto commodo ab illis ad quos mittitur, ſuſcipiatur, quãto malo reijciatur. Illud enim agnoſcere ad hoc facit, ut eo maiore ſerio officium ſuum exequatur, nihilq; eorum omittat quæ ad cõmendationem commiſſi muneris faciunt, ne ſuo uitio reijciatur.

1 Non habent hic locum Pontificij. Primum, quod quæ Apoſtolos Chriſti concernunt, ad Rom. Pontifices & Cardinales, etiam reliquos Epiſcopos noſtri ſeculi, non pertinent, propterea quod à Chriſto non ſunt miſſi. Vnde & Chriſtus in illis nõ poteſt, uel ſuſcipi uel reijci.

2 Deinde mandatum Apoſtolis datum non adminiſtrant, hoc eſt, gratiam & pacem regni Chriſti non annunciãt, ſed ſua mandata & propriãs traditiones extra uerbum Chriſti adinuentas, & maxime ad quæſtum facientes. Cum ergo nec à Chriſto ſint miſſi, nec Euangelium regni Chriſti annuncient, non poterit ad eos pertinere, quod perpetuo obijciunt: Qui uos audit, me audit: Qui uos ſpernit, me ſpernit, &c.

Quin etſi miſſi eſſent, & gratiam regni Chriſti annunciaſſent, tamen ita ſe habuerunt, & hodie quoq; habent, ut contemptus iſte magis ipſorum uitio, quàm eorum fieret, per quos contemnuntur.

Precemur ergo Dominum, ut illi qui gratiam regni Chriſti annunciant, perpendant quo ſerio, quóue timore Domini, qua etiam diligentia officium ſuum exequi, nihilq; omittere debeant, quod ad cõmendationem regni Chriſti faciat, poſteaquàm tanto cõmodo, nimirum uitæ æternæ, ſuſcipiuntur, tantoq; uicißim malo, æternæ ſcilicet damnationis, reijciuntur.

Ecce ego mitto uos, uelut oues in medio luporum. Eſtote igitur prudentes, uelut ſerpẽtes, & ſimplices ſicut columbæ.

Poſtquàm Apoſtolos ſuos Chriſtus ad futuram legationem inſtruxit, & quid, ac quibus annunciare deberẽt, quidúe uel eos qui hoc nunciũ ſuſcepturi, uel eos qui reiecturi erãt, maneat, & quomodo ſe apud utroſq; haberent docuit, recto nunc ordine progreditur ad ulteriora: nempe ad ea quæ paſſuri erant pericula. Illa diligenter prædicit, ut conſequenter uidebimus. Et ſimul ſubdit, quomodo in illis conuerſari oporteat. Nam hoc demum fidelis eſt Domini, ut ſuos quos amandat rerum futurarũ gnaros reddat, & quomodo ſe habeant in aduerſis inſtruat. Magno ſtudio Chriſtus iſta uſq; ad finem huius capitis facit. Ad primum pertinet, quod quaſi uno uerbo dicit: Ecce ego mitto uos, ſicut oues in medio luporum. Hoc eſt: Ecce in eorum medium uos mitto, qui adeò ſunt crudeles, ut nihil aliud ſint quàm lupi, ita ut inter eos futuri ſitis, non minore periculo, quàm ſi quiſquàm oues mittat in medium luporum. Mitto uos inermes, rebus omnibus ad tuitionem pertinentibus deſtitutos. Attamen eũdem eſt. Nam quærendæ ſunt ouiculæ, quæ in medio iſtorum luporum uerſantur. Itaq; quaſi quadam ſumma omnes inſidias, omnia pericula iſta luporum & ouium ſimilitudine complectitur, dum dicit: Ecce ego mitto uos, ſicut oues in medio luporum, licet poſtea particulatim ſit additurus futura aduerſa. Quis enim ignorat quæ ſint ouiculæ in medio luporum conſtitutæ metuenda? Emphaſim enim habet illud ὡς μέσον. Multum eſſet ad confinium luporum mitti ouiculam, nedum in illorum medium.

Sicut oues in medio luporum.

Ad alterũ facit, quod ſubdit: Eſtote ergo prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Nam illud, οὖν ſatis indicat, propterea à Chriſto prædici Apoſtolis quam ſortem ſint habituri in legatione Euangelica, ut eo ſint cautiores. Huc etiam pertinet, quod non ſimpliciter præmittit: Mitto uos ſicut oues in medio luporum, ſed: Ecce ego mitto uos: nimirum ut animos ipſorum hac dictione, quæ ſemper aliquid præcipui ſignat, excitet & ad cautionem, de qua erat præcepturus, permoueat. Vt autem & iſtam cautionem dilucide tradat, rurſus utitur ſimilitudine animantium, diuerſi quidem ingenij, ſed talium, ut ex utriſq; ſumi queat, quod commode ad caute cõuerſandum uſurpandum ſit. Prudentes, inquit, ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. De prudentia, quæ ſit à ſerpentibus mutuanda, uariè traditur. Sunt quidem multæ huius animantis aſtutiæ, ut & Gen. 3. ſcriptura ſerpentem cunctis animantibus callidiorem uocat, & qui de natura animantiũ ſcribunt, uaria de ſerpentibus tradunt. Verum oportet certam quandam prudentiã ſerpẽtis hic à Chriſto reſpici, quæ contra improborũ conatus & inſidias ſit uſurpanda. Quidam putant eam eſſe, qua hoc animal pro capite conſeruando, in quo uitam habet, totum corpus obijcit, quaſi Chriſtus uelit ſuos admonere, ut cauti ſint pro ſumma ſalutis, hoc eſt, uera fide & negotio cõmiſſo, diligenter, etiam impenſis omnibus, conſeruãdo. Quidam rurſus eam prudentiam adducunt, qua per anguſtũ foramen ſeſe traſigens, ueterem cutem reijcit, ut nouam induat. Alij alia adferunt. Mihi uerò magis uidetur Chriſtus ad eam ſerpentis prudentiam reſpicere, qua incantatoris uocem, uel clamorẽ pauonis, aut halitum cerui, tanquàm ſibi peſtilentem declinat.

Eſtote per δεῖγμα.

Aut certè in genere reſpicit, ad cõmunem illam animantis huius prudentiã, id eſt, calliditatem, qua magna cautione nemini fidit: Sed omnia aſtute agit, quo ſibi probè caueat, inſtruens ſuos, ut magna cautione, quam per ſerpentinã prudentiam exprimit, lupos in quorum erant medium amandandi, fugiant, ſibiq; ab illis caueãt. Et rurſus, erga oues illas perditas domus Iſraëlis ſimpliciſſimi ſint & integerrimi, ſine omni aſtu, inſtar columbarum, quibus nihil eſt aſtutiæ. Neq; enim erga eoſdem cõuenit, & ſerpentem agere & columbam Chriſti miniſtros. Erga lupos uſurpanda eſt ſerpentis prudentia, erga ouiculas regno Chriſti acquirẽdas, columbina ſimplicitas. Ita puto mentẽ Chriſti, quàm ſimpliciſſime capi poſſe, ſi iſta duo hominũ genera reſpiciantur, & cuiq; tribuatur ſeorſim, quod cuiq; conuenit. Nam ita cõparatum erat etiam iſto tempore, ut ouium perditarum

gratia

gratia discipulis Christi fuerit quasi in mediũ luporum proficiscendum. Atq; ita eos bifariam instruit. Ex uno latere cõtra luporum insidias prudentes esse debere, ex alio ad lucrandum ouiculas perditas, omnium simplicissimos admonens, ita ut alij sint erga lupos, & alij sint erga ouiculas acquirendas futuri. Hæc sententia uidetur esse simplicior, & argumento huius cõmissionis, & legationis accommodatior. Nonnulli ita exponunt, ut intelligant Christũ de serpẽtina prudentia ideò præcipere quidem, ut luporum insidias fugiant: de columbina uerò simplicitate, ad hoc, ut seipsos non uindicent. utramq; & prudentiam serpentis, & simplicitatem columbæ erga lupos usurpandam putantes. Mihi uerò, ut dixi, prior sententia magis arridet.

QVAE SINT EX HOC LOco notanda.

1 Primum diligenter animaduertendum est, qua ratione suis Christus futura pericula prædicat. Videtur enim timendum fuisse, ne hinc absterriti, profectionem non susciperent. Verum Christus hoc in se habet, ut libenter quæ mala futura sint suis prædicat, id quod multis locis facit. Nõ uult causam dare futuris quærimonijs, ne dicere postea queant, ista mala se ignorasse, alioqui sibijpsis probè cauturos fuisse. Proponit itaq; illis diligenter omnia pericula, modũ cauendi, auxilium supernum, mercedem futurã, ne locus sit ullus futuræ quærimoniæ. Atq; ita Paulus quoq; fecit, ut uidere est in priore ad Thessalonicẽses. Ista nos quoq; admoniti iam olim sumus: nempe non defuturos graues aduersarios, adfore crucem. Adiunctum est rursus, non defore quoq; opem diuinam. Monstrata est uincendi uia: nempe per patientiam esse euadendum. Hæc ideò hic commemoro, ut intelligatis nec uobis relictum esse conquerendi locum, causandiq; ignorantiam futuræ crucis. Certè qui aduersa ferre non uult, satis imprudenter facit, si se isti doctrinæ, quæ mundo aduersatur, mundumq; cum suo principe maximum habet aduersarium, addicit.

2 Deinde. Et in eo quod dicit: Mitto uos sicut oues in medio luporum, non obscure significat, quis fuerit Ecclesiæ Dei tum temporis in populo Israëli status. Nempe talis, ut qui populo præerant, maxime sacerdotes, Scribæ & Pharisæi, cũ debuerint pastores esse, in lupos fuerint conuersi. Nã de illis hoc loco dicit: sub quibus erant oues perditæ domus Israëlis, ad quas Apostolos suos mittebat, ita ut ratio huius legationis non aliter habuerit, quàm si quis eat, ouiculas ex ipsis luporum quasi faucibus eripere. Oportet enim ut Apostolos suos in mediũ luporum non propter lupos, quos magis cauere iubet, sed propter ouiculas eripiendas miserit. Si propter ouiculas, necesse est ea fuerit illarum ratio, ut in medio fuerint luporum. Quomodo alioqui Apostolis concedendum fuisset in medium luporum, cum non illorum, sed ouium gratia emitterentur, nisi in medio luporum fuissent oues illæ, quas debebant Christo adducere? Atq; ex hac etiam ratione colligo Ecclesiam Israëlitarum iuxta seculũ, non adeò male habuisse. Nam aliàs uoracibus lupis non fuisset occasio pasturam Ecclesiæ usurpandi.

Quòd si hodierna quoq; Ecclesiæ facies considerẽtur, quæso an non & ipsa hac sorte pressa reperietur, ut in medium luporum concedendum sit ei, qui debeat oues Christi lucrari? Deinde quæ alia fuit occasio istis quoq; lupis, nisi Ecclesiastica bona inuadendi? Vide quid Paulus prædixerit, Act. 20.

Tertio. Obseruandum est etiam magnæ consolationis argumentum in ipsis Christi uerbis. In eo enim quod Apostolis suis aduersa futura prædicit, ostendit se optime scire sortem suorum futurã. Si futuram nouit, quanto magis præsentem? Multum consolationis habet etiam in rebus seculi. Si minister propter negotium heri sui periculis inuolutus, certo cognouerit, herum non ignorare in quibus sit, & quantis suo nomine periculis. Nam tametsi plerunq; sint, qui ea non curent: ingenui tamen Domini is animus est, ut suo tempore ostendat, se non ignorasse fidelis ministri pericula, suo nomine tollerata. 3 Nihil ergo sit mus anxij ne nos deserat. Quis enim pastor ouesuas quas scit in medio luporum constitutas deseret. Maxime is pastor, qui animas pro illis posuit.

Christus itaq; nõ solum in ipsis periculis aut postea, agnoscit quid sui sint passi. Sed antea illa expẽdit, etiam non admonitus, ut ostendat se illa nõ ignorare cum præsentia fuerint, & omnium maximè posteaquàm tolerata fuerint agniturum.

Ad eum modum Luc. 22. dicit: Vos estis, qui mecum permansistis in tribulationibus meis, &c. Huc etiam facit, quod lupos eos uocat, quos uult caueri, quare ostendit, se probè scire aduersariorum crudelitatem, & non solum sciat, sed nesciat eorum obliuisci. Nam omnino, & quod ultro eorum recordatur, & quod metaphoricôs ex humana natura illos ad beluinam, eamq; non quamuis, sed quæ singulari sæuitia prædita sit, traducit, lupos uocãs, cum de hominibus loquatur, ista duo euidenter exprimit.

Quarto. Et hoc notandum est, quàm longè sit alio iudicio in iudicandis, & uocandis falsis pastoribus Christus, quàm sit hoc seculum. Isti homines, tametsi lupina rabie, & uoracitate prædíti essent, pro pastoribus tamen habebantur, & nihil minus quàm lupi uocabantur. Solet enim mundus non iuxta rem ipsam, sed iuxta titulos & externam faciem iudicare. Atq; hinc fit, quod pro pastoribus habeantur & sanctis, qui omnium sunt rapacissimi, & nihil aliud quàm lupi. Ex uita & animi affectibus æstimat Christus. Nõ sinit se falli titulis, Sacerdotum, Scribarum, Seniorum. 4

Atq; hoc non penes se duntaxat facit, sed & in auribus discipulorum suorum. Id quod procul dubio propterea facit, ut et ipsi istos homines nullo alio haberẽt loco, nullo alio titulo dignarentur, quàm luporũ. Et nos itaq; admonemur, quàm non debeamus hoc hominum genus iuxta titulos æstimare, sed ut leonẽ ab unguibus, lupum à rapacitate, ita istos à moribus agnoscere et appellare. Sic & Paulus eos appellauit, antequàm nascerentur.

Quinto. Notandum etiam fuerit, tametsi omnis consolatio in unius debeat Christi potẽtia & sapientia esse, omnibus Christi ministris, si quid periculi incidat, uelle tamen Christum suos non esse ignauos, sed & de suo adferre, quæ siue ad cauendum lupos, siue ad lucrandum alios commoda poterunt esse. 5

Admonemur ergo hoc loco, ut ita diuinæ prudentiæ nos credamus, ut tamẽ, quantũ per nos licet, nihil omittamus quod aliquo modo prodesse poterit. Et rursus prudentia nostra ita utamur, ut tamen illa non nitamur, sed magis omnem spem in unam Dei potentiam & bonitatem collocemus.

Exemplum 1. auidis & Pauli.

Vbi & hoc notandum est. Videmus hic quomodo suos Christus bifariam instructos esse uelit: hinc serpentis prudẽtia, illinc columbæ simplicitate. Discimus ergo hic quomodo debeamus non iidem esse erga quoslibet, sed alij erga lupos, id est, impios & astutos homines, & alij erga ouiculas, id est, eos quos uidemus animo esse nõ impio. Non quod oporteat nos esse duplici animo, iuxta morem seculi, ut parati simus mala duplicitate homines fallere. Christus ipse fuit diuersus diuersis, & de Deo dicitur cum sancto sanctus es, & cum uiro peruerso peruerteris. Nos hac in re plurimum peccamus. Quod ad seculũ attinet probè duplices sumus. Quod uerò ad religionis causam, aut peruersè sumus simplices erga quosuis sine omniũ discrimine, id quod Ecclesiam perdidit, aut maligne sumus penes nos ipsos prudentes, uitantes non uitandos. Proinde oportet ut cauti simus, utamur simplicitate erga eos quos lucrari uolumus, aut qui nos lucrari cupiunt, prudentia uerò serpẽtina erga eos quos constat, non quæ Christi, sed quæ sua sunt quærere.

Ioan. 2

Hic etiam refellendi sunt illi, qui cum ad cognitionis Dei studium, & sacrarum literarum lectionem, & cognitionem admonentur, mox de simplicitate columbæ regerunt, & illud: Qui simpliciter ambulat, bene ambulat. Quasi simplicitas ista sit ignauia, et stultitia quædam, & ignorantia rerum tenendarum, ut idem sit simpliciter ambulare, atq; ignorantem esse. Ista simplicitas non iudicium concernit, sed animum. Animum oportet simplicem esse, iudicium uerò prudens, doctum & cautum. Vide Ephe. 5. Non quasi insipientes, sed sapientes.

Prouer. 10

Item. Quia tu repulisti scientiã, repellam & ego te. Et certè hoc loco satis uidetur, Christum non loqui de stulta ignorantia, alioqui locum non haberet prudentia, sed de tali simplicitate loquitur, quæ nihil aliud sit quàm integritas animi, iuxta quam & prudentia iudicij locum habere queat. Ista stulta simplicitas locum præbuit, innumeris erroribus in Ecclesia. Atq; ad hanc populum persuaserunt improbi lupi, contra hanc Christi admonitionem, qua ut lupos uitarent suos admonet esse prudentes, illi uerò econtra. ut locus esset fallendi & imponendi suaserunt, melius esse nihil scire, sacram scripturam ignorare, simpliciter, id est, stulte ambulare. Iam perpendatur utra pars cum admonitione Christi faciat. Illi uolunt totam Ecclesiam planè scripturæ sacræ ignaram esse. Nos uerò tanto studio laboramus, ut sacra scriptura nemini non nota sit. Vtri per Deum oro cupiunt abuti ignorantia populi? Perpetuo clamant, nobis rem esse cum populo, simplici & ueritatis ignaro, belle scilicet sese tuentur. Quorum culpa factum est, quod populus adeò simplex, id est, ignarus est rerum cœlestium? Si periculum est populo à nobis, propterea quod simplex est, cur quæso illum non reddiderunt ueritatis gnarum? Cur carpunt, quod hodie sacra scriptura in manu populi est? Si non est periculum, cur quæruntur, nos agere cum simplici populo? Admonenda hic est Ecclesia, ut uerbum Domini diligenter legat, uide Chrysostomum.

Osee 4

Chrysostomus ad Col. Homilia. 9. Audite quotquot estis mundani, & uxoribus præestis ac liberis, quomodo & uobis præcipiat Apostolus sacras scripturas legere, idq; non simpliciter, neq; obiter, sed magna diligentia. Item eadem. Audite obsecro seculares omnes. Comparate uobis Biblia, animæ pharmaca. Si nihil aliud uultis, uel nouum Testamentum acquirite, Apostolum, Acta, Euangelia, continuos ac sedulos doctores. Hoc demum malorum omnium causa est, quod scripturæ ignorantur. Siue armis bellum ingredimur, & quomodo seruaremur? Armati uincere solent, inermes nequaquam. Non omnia in humeros nostros proïjcite. Oues estis, uerum non irrationales. Multa & uobis committit Paulus.

Postremo. Obseruandum etiam est hoc loco, quomodo Christus doctrinam suam similitudinibus ob oculos ponat, ab animantibus sumptis notis quidem, sed quorum non mox ingenia nota sint. Proinde opus fuerit, animalium & creaturarum naturam non omnino ignorare. Nam ut Augustinus dicit lib. 2. de doctrina Christiana cap. 16. ignorantia rerum naturalium multos scripturæ locos obscuros reddit. Quis enim Christum intelligit, cui serpentis prudentia, & columbæ simplicitas ignota est? Admonendi hic parentes, ut liberos suos bonis disciplinis consecrent. 6 Aug.

Cauete autem ab illis hominibus. Tradent enim uos in concilia, & in conciliabulis suis flagris cædent uos. Quin & ad príncipes ac reges ducemini propter me, in testimonium ipsis ac Gentibus.

Quia supra dixerat: Estote prudentes sicut serpentes. Quo sensu hoc dixerit, istis uerbis clarius exprimit, cum dicit: Cauete autem ab hominibus istis. Nimirum ut quemadmodum suprà notaui, eam se serpentis astutiam imitabilem suis proponere ostendat, non quæ ad nocendum, sed ad fugiendum ac declinandum improborum maliciam faciat.

Non est autem putandum Christum præcipere Apostolis, ut quosuis homines fugiant, aut sibi absq; omnium discrimine à quibusuis caueant. (Alioqui quomodo lucrati fuissent oues perditas, quarum gratia emittebantur?) Sed hoc agere, ut eos fugiant, quos ante uocauit lupos. Atq; ideò Erasmus uertit notanter: Cauete autem ab illis hominibus. Pulchre uerò dicit, ab illis hominibus, tacitis eorum cognominibus ac titulis. Erant enim satis noti discipulis, qui doctrinæ Christi potißimum aduersabantur: nimirum, Scribæ, Pharisæi, Sacerdotes, Seniores q; populi.

Deinde, ut rationem reddat, quare sibi debeant cauere ab istis hominibus, adiungit quæ sint ab ipsis passuri mala: Nam tradent uos, inquit, in concilia, &c. 2

Ista

Ista mala non ad præsentem legationem pertinent, sed ad eam potius, quam erant post Christi ascensionem obituri Apostoli. Nam in ista, cuius hic fit mentio, nihil tale legimus Apostolis accidisse, sed omnia tranquilla fuisse, ut uidere est Lucæ 22.

Quia uerò eos hoc loco, ut essent Apostoli sui, instituit, & primum emittit, non ita, ut hac duntaxat uice essent Apostolatu functuri, quem per omnem erant mundum obituri, uoluit non tam, quid in hac præsenti legatione, quàm quid per omnem ubiq; Apostolatum essent malorum experturi, mox ab initio declarare, ut postea recognoscerent sibi illa aduersa omnia primum cum Apostolatum suscepissent, à Christo domino suo prædicta esse, eaq; propterea perferrent patientius ut quæ antea essent prædicta.

3 *Et ut scirent omnia ista, non tam sibi quàm domino ipsi, à quo essent emissi, & cuius legatione fungerentur, euentura, hoc est, in ipsum dominum casura, addit: propter me, ne putarent hæc omnia propter sua merita accidere.*

4 *Et annectit: In testimonium ipsis ac Gentibus. q.d. Possem ista prohibere: nempe, ut non traderemini in manus impiorum, sed cum solis ouiculis negocium uobis esset. Verum oportet hoc hominum genus inexcusabile reddi, atq; ideò uel hoc pacto testimonium contra ipsos statui. Quod dicit: Ipsis. aut intelligit Iudæos, aut traditores, aut principes ac reges: per Gentes uerò, uel plebem, uel Gentium nationes. Atq; huc pertinet, quod dicit: & in Synagogas uel conciones, populares uidelicet conuentus. Oportet enim Christi ministrum non secretis duntaxat Concilijs in testimonium senioribus, sed & in publicis populi conuentibus, in testimonium populis ac Gentibus iudicari ac damnari.*

QVAE SINT HIC notanda.

Primo. Nascitur quæstio, quomodo iubeat Apostolos sibijpsis ab improbis hominibus cauere & attendere, cum rationis uice subiungat: Tradent enim uos in Concilia, & in Synagogis suis flagris cædent uos, &c. Non dicit: Conabuntur enim uos tradere et cædere, aut insidiabuntur uobis, uel tale aliquid, quod malorũ duntaxat conatus exprimeret, sed omnium certissime asserit tradendos esse in Concilia & flagris cædendos. Si omnino tradituri erant Apostolos improbi isti lupi, in Concilia, & flagris cæsuri, quid opus erat monere, ut cauerentur? Quis enim cauere poterit, quod omnino certo futurum est?

Respondeo. Non frustra monet Christus, uult suos sibijpsis à lupis attendere & cauere: interea dum ouiculas perditas quærunt, non ideò ut pericula tantum conentur effugere, nihilq; mali simpliciter patiantur, cum aliter fuerit à Deo præordinatum, & re ipsa futurum, sed magis ad hoc, ut nullam dent improbis ante tempus sæuiendi ansam. Sic & ipse Christus aliquoties Iudæorum furorem declinauit, cum tamen sciret se ab illis crucifigendum. Vult suos paratos quidem esse ad malorum tolerantiam, interea tamen non uult, ut imprudenter ac temerè cum improbis conuersentur, sed illorum maliciam diligenter & prudenter fugiant, etiamsi parati sint ad ferendum pro regno Dei omnia.

Ad eum modum hortatur Christianos in medio Gentium uiuentes, & Paulus Ephe. 5. Videte, inquit, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus: quoniam dies mali sunt. Et ad Colossenses 4. In sapientia, inquit, ambulate erga extraneos.

Docemur ergo hoc loco, primum impiorum insi- 1
dias prudenter declinare, ne quo pacto illos ad furorem irritemus præter rationem.

Deinde, ad mala à Domino præfixa fortiter ferenda 2
nos ipsos præparare.

Secundo loco. Expendendum est etiam quod dicit: Tradent enim uos in Concilia, & in Synagogis suis flagris cædent uos, & ad præsides et reges ducemini, &c. Quid est tradi in Concilium? Quid est cædi in Synagogis? Quid ad præsides ac reges duci? Certe non aliud, quàm speciem exhibere, non temerarij furoris, aut priuatæ & malignæ inuidiæ, sed iusti & publici iudicij παραδώσουσι, *inquit,* ὑμᾶς εἰς τὰ συνέδρια. *Synedria sunt Concilia & consessus seniorum & primorum populi. Synagogæ sunt conciones populares. Præsides & reges superioris potestatis locum obtinent, quæ diuinitus instituta est, ad uindictam malorum & laudem bonorum. Quid ergo prædicit suis aliud, quàm iudicandos fore, uel certe ad iudicandum tradendos publico iudicio, publicæq; potestati ad puniendum adducendos? Ergo sortem istam mox ab initio ministris suis prædicit Christus, ut non sint temerè tyrannidis, sed magis consulto iusti iudicij titulo & specie condemnandi. Atq; ita scilicet condemnandi, ut nemini liceat contradicere. Quis enim contradicet Concilio seniorum, maximè Scribarum & Pharisæorum? Deinde Synagogæ populi, si quid illa condemnauerit & punierit quis reclamabit? Deniq; potestati principum & regum, quis obsistet?*

Quid hinc obseruabimus? Hoc uidelicet. Aduersarios Christi, utut lupos & bestias magis quàm homines referant, totos in hoc fore, ut non ui sed iusto iudicio uideantur Christi ministros, tanquàm schismaticos & seditiosos in Concilijs condemnatos, in Synagogis populi communi consensu castigatos, publicæ potestati puniendos offerre. Quamuis enim hoc hominum genus, nec populum curat, nec magistratum, tamen magno studio illis ad suos affectus abutitur, in unum hoc intentum, ut uideatur nihil ex odio & sinistro affectu, sed omnia iusto iudicio metiri. Habet enim istud peculiare impia hypocrisis, ut nolit uideri cuiquàm iniuriam inferre, sed magis omnia amore ueritatis, pietatis, & iustitiæ facere. Atq; ideò quos probos persequitur ad Concilia tradit, in Concilijs accusat, in Concilijs condemnat: deinde iustæ ac legitimæ potestati puniendos offert. Ad hoc uidelicet, ut non solum homines perdat, sed & imò magis, ipsam ueritatem obscuret.

Ad eum modum cum Christum ipsum cœpissent per

ſuos ſatellites, potuiſſentq; per uiolentiam occidere, malebant illum primũ Concilio ſeniorum ſiſtere, ibiq; condemnare: deinde uigore Concilij condemnatum, præſidi offerre puniendum. Atq; ideò ut Lucas habet capite 22. Seniores plebis, principes ſacerdotum & Scribas in Conciliũ cogunt, illicq; innocentem condemnant, atq; ita condemnatum præſidi ſiſtunt, & rogati, reſpondent: niſi hic eſſet malefactor, tibi illum non tradidiſſemus. Iohannis decimo octauo.

Ad iſtam formam rapiuntur & Petrus & Iohannes Act. 4. Et Apoſtoli omnes, Act. 5. Et Stephanus Act. 6. & 7. Et hanc iudicandi formam, probè obſeruarunt in Eccleſia Romani pontifices. Et ut illi ſummam autoritatem conciliarent, finxerunt Concilia errare nõ poſſe: atq; ideò per Concilia damnatos, pro hæreticis certiſſimis & indubitatis habendos, & à magiſtratu ſeculari puniendos. Deinde, ut cautè agantur omnia, locum dederunt in Cõcilijs, duntaxat, ſuæ farinæ hominibus. Illos poteſt Romanus pontifex augere pro uoto.

Concilia.
Concilia.

Iam dubitet quiſquam Chriſtũ & ſuos iniuſtè damnatos, quum ſint Concilijs traditi, Conciliorumq; irrefragabili ſententia damnati.

Tertio. Videmus etiam hoc loco, Chriſtum male propitios habere omnes mundi potentatus, et quò quid in hoc mundo ſublimius, & aliqua præditum eſt autoritate & poteſtate, hoc amplius in perſequutionem Chriſti doctrinæq; ſuæ rapi, ſiue ſint Concilia, ſiue Synagogæ populares, ſiue præſides, ſiue reges, hoc eſt, omne iudicij forum, omnis mundi huius poteſtas, etiam quæ à Deo ordinata eſt, ad uindictam malorum, & laudem bonorum. Quid hic obſeruabimus aliud, quàm principem huius mundi Satanam, in iſto mundo tyrannidem obtinere, et omnes uires mundi, omnem poteſtatem aduerſus Chriſtum excitare, idq; ea peruerſitate, ut eam poteſtatem, quæ diuinitus ad cohærcendum malos, & omnẽ impietatem reprimendam data, atq; adeò miniſtra Dei eſt, ad defendendum regnum ſuum, & impugnandum regnum Chriſti ſeruire faciat. Et quod omnium eſt aſtutiſſimum, iſtud ita moderatur, ut præſides, & reges putent ſe probè ſeruire Deo, ipſamq; pietatem reprobata impietate tueri, dum omnino contrariam faciunt. Ita uidelicet potens malum eſt cæcitas, ut per illam Satan principatum in mundo obtineat. Nouit enim per ueritatis cognitionem regnum ſuum potiſſimum deſtrui, nec tyrannidem ſe niſi in tenebricatis hominum mentibus obtinere poſſe. Atq; hoc eſt quod Paulus 2. Cor. 4. ſcribit. Quod ſi opertum eſt Euangelium noſtrum, in his qui pereunt eſt opertum, in quibus Deus huius ſeculi excæcauit mentes infidelium, ut non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago dei. Iam ſi in hoc ſita eſt regni Satanæ tyrannis, ut mentes hominum cæcitate percuſſas in ſua poteſtate detineat captiuas, ut & Paulus 2. Timoth. 2. commmemorat, dicens: Ne quando det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam ueritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius uoluntatem. quis dubitabit illum cum primis magnam habere rationem

Cæcitas.

eorum, qui & miniſtri Dei peculiares ſunt, & in poteſtate in mundo qua debeat cohiberi impietas, potiuntur, atq; ideò totum in hoc eſſe, ut illorum mentes in cæcitate maxima omnium detineat? Certe huius gratia Paulus 1. Timo. 2. tam obnixè admonet, ut pro regibus & omnibus in ſublimitate conſtitutis ad Deum oremus, addens: ut quietam & tranquillam uitam agamus in omni pietate & honeſtate.

Ex his facile uidemus, quo ſpiritu ducantur, qui magno ſtudio cauent, ne potentes huius mundi, uel aliquam cogitationem de cognoſcenda ueritate ſibi ſumant.

Quarto loco, & hoc expendendum eſt quod dicit: Propter me, ut intelligamus quid ſit uerè pati propter Chriſtum, quandoquidem non mox propter Chriſtum patitur, qui patitur: rurſus ſæpe non putatur propter Chriſtũ pati, qui patitur propter Chriſtum. Illud uerò toties à Chriſto ponitur: propter me, propter nomen meum, non ſolum iſto loco, ſed & Mat. 5. Mar. 8. Lu. 9.

Satan ex profeſſo Chriſti hoſtis totus in hoc eſt, ut miniſtros Chriſti adfligat, idq; quouis modo, quouis titulo. Mallet quidem aperto marte nomen Chriſti ita impugnare, ut planè de terra tolleretur, atq; ideò aliquandiu ſine omni diſſimulatione impugnauit ipſum Chriſti nomen, ad tormenta & ad necem nuſquàm non Chriſti miniſtris hoc tantum nomine raptis, quod Chriſtiani dicerentur, ut uidere eſt in Apologetico Tertulliani cap. 3. & 4. Atq; illi ſanè, qui ita paſſi ſunt uerè propter Chriſtum paſſi ſunt, hoc eſt, propterea per Satanam et illius ſatellites adflicti ſunt, quod Chriſti eſſent ita ut non tam ipſi, quàm Chriſtus in ipſis peteretur à Satana. Poſteaquàm uerò efficere non potuit, ne nomen Chriſti in mundo obtineret, propter immenſam regni illius uirtutem, quæ ſeſe per uniuerſum orbem per euangelij prædicationem & miraculorum corruſcationem exerebat, cognouitq; ſe iam deinceps non ubiq; contra nomen Chriſti aperto bello pugnare poſſe, mutato conſilio cœpit ſub ipſo nomine Chriſti regnum ſuum promouere, inducta ſuperſtitione & cæcitate traditionum humanarum, de quibus prædixit Apoſtolus 2. Theſſ. 2. 2. Timo. 4. ita ut non minus fidem Chriſti puram, doctrinamq; illius ſanam, quàm antea opprimere queat. Hac itaq; ratione fit, ut uideamus inter Chriſtianos quoque adfligi & occidi Chriſtianos, non minus propter Chriſtum, quàm olim inter gentes & Iudæos: licet non aperto titulo propter Chriſtum occidantur, occidũtur tamen aſtu Satanæ propter zelum ac ſtudium uerbi Chriſti, quo ſeſe contra doctrinas hominum ac ſuperſtitionem falſi cultus opponunt: uel ſaltem ab eo ſeſe auellunt, ut purum Chriſti uerbum ſectentur. Illos non minus dicimus propter Chriſtũ pati, quàm eos qui apertè propter ipſum nomen Chriſti olim occidebantur. Quid enim aliud eſt propter uerbum Chriſti, quàm propter Chriſtum ipſum pati? Neq; enim ſatis eſt nomine Chriſti cenſeri, niſi & uerbo Chriſti obedias, ac propter illud pati paratus ſis. Nam ſic & Chriſtus dicit Marci octauo: Qui perdiderit animam ſuam propter me, & propter euangelium. Quid opus eſt adiungere: propter

Euangelium

Euangelium? Certe propterea hoc fecit, ut ostenderet eum reuera pati propter se, qui passus fuerit propter Euangelium. Item eodem capite: Qui me confessus fuerit, & uerba mea. Item Lucæ 9. Qui me erubuerit, & meos sermones.

Hoc astu usus est Satan & in ueteri testamento. Nam & illic aliquando Iudæos occidi fecit, tantum hoc nomine quod Iudæi essent, aperte nomen Israëlis ac ueri Dei impugnans. Postea uerò etiam occulto bello, & summe subdolo idem agens, uerum relicto in honore nomine Dei & Israëlis, ipsam tamen ueram ueri Dei religionem ac legem inducta superstitione primum oppressit: deinde & illius assertores trucidauit, non quidem eo titulo quod Iudæi essent, sed quod inducto falso cultui sese opponerent. Ita scilicet occisi sunt plerunq; Prophetæ per reges Israëlis, qui nihil magis uideri uolebant, quàm ueri Dei cultores. Isti non minus propter Deum occisi sunt, quàm si aperte propter nomen ueri Dei occisi fuissent.

Et hic rursus notandum est, quod non ita intelligi debeat, quod dico plerosq; inter Christianos propter uerbum Christi occidi, quasi illorum occisores aperte uerbum Christi impugnent. Nolunt enim neq; tales uideri, qui uerbo Dei repugnent, sed magis pro illis haberi, qui & ipsi uerbo Dei morem gerant. Hoc tamen uerius agunt, ut sensum suum, ad quem uerbum Dei detorquent, quod purum est adulterantes, tueantur magis, quàm ipsum uerbum Dei, quo traditiones suas stabiliant. Hinc factũ est, ut Romana sedes occupata in Ecclesia tyrannide, assumpserit sibi soli scientiam & interpretationem sacræ scripturæ: ita, ut pro hæretico sit habendus, quisquis illam aliter interpretetur, quàm ipsa permiserit.

At cum tradiderint uos, ne sitis solliciti, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim uobis in illa hora, quid loquamini. Non enim uos estis illi loquentes, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis.

Quia dixerat: tradent uos in Concilia, & ad præsides ac reges ducemini propter me: unde non parum poterant animis deijci Apostoli, propriæ ruditatis sibi probè conscij, ac statim cogitare, quomodo nos poterimus apud præsides, Concilia, reges, hanc causam tueri, cum simus homines idiotæ, præter lacum ac piscium capturam nihil sciẽtes. Occurrit eiusmodi cogitationi, ac docet sollicitudine ista nihil fore opus: propterea quod res ista nullis humanis uiribus, sed plane diuina uirtute esset administranda. Habet itaq; magnam consolationem & confortationem animorum imbecillium, quod dicit: Cum tradiderint uos, ne sitis solliciti, quomodo aut quid loquamini. Et quia poterant cogitare, quare non debemus solliciti esse de re maxime necessaria. Erit enim omnino necessarium scire quid respondeamus ante præsides & reges constituti, addit: dabitur enim uobis, quid loquamini. q. d. Pater uester scit quid uobis rebus ita habentibus sit opus. Et ut eos planè ab ista sollicitudine liberet, adijcit: in illa hora, hoc est, opportuno tempore, cum potissimum opus fuerit. Deinde ut plane persuadeat, adiungit: Non enim uos estis illi loquentes, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Vbi bene notandum est, quod non dicit: Non enim uos eritis qui loquamini, sed: non enim uos estis illi loquentes, item non dicit: sed spiritus patris uestri loquitur in uobis, sed in præsenti, spiritus inquit patris uestri, qui loquitur in uobis, quatenus agnoscentes uirtutem dei in ipsis agentem & loquentem, etiam extra persequutionem, non dubitent eandem fore quæ defendat in tribulatione. Neq; enim timendum, ut is opus suum deferat eo tempore, ubi maxime defensum & assertum oportet, neq; etiam uerendum, ne illi uerba defutura sint, cum opus fuerit.

Et obserua, quàm signanter non dicat: Non enim ex uobis ipsis loquimini, sed ex spiritu patris uestri, ex quo loquimini, sed tametsi ipsi futuri essent quidem spiritus sancti instrumenta, & uerè loquuturi: tamen non solum illis aufert loquendi sapientiam & industriam, sed & ipsam planè loquutionem, uel si mauis, loquendi usum & officium, cum dicit: Non enim uos estis illi loquentes, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Parum uidebatur dicere: Ex spiritu patris uestri loquimini, propterea hoc ponit, quod magis uirtutem & operationem diuini spiritus exprimit, quatenus eos plane ab ista sollicitudine absoluat. Est enim multo maioris sollicitudinis Apostolos ex spiritu Dei, quàm spiritum Dei in Apostolis loqui. Nam omnino omnis cura ad eum pertinet, qui opus ipsum peragit, magis, quàm ad eum, qui instrumenti tantum locum obtinet. Quid itaq; Christus his uerbis aliud facit, quàm quod omnem euangelici muneris administrandi, curam ac sollicitudinem in spiritum sanctum reijcit? Neq; enim instrumenti est de opere perficiendo cogitare, sed magis opificem ea cura concernit. Postremo uide quomodo non dicat: spiritus Dei, uel spiritus meus, sed spiritus patris uestri loquitur in uobis, ut eò reddat confidentiores per paternam beneuolentiam. Nam quis pater sua uirtute deseret filium in necessitate constitutum?

QVORVM HIC ADMONEAMVR.

Primo omnium uidemus hoc loco, quàm non deserat suos Christus, quorum opera ad promouendum regnum suum usurus est. Ipse per se expendit, quibus rebus opus habeant. Nouit ipsorum tenuitatem & imbecillitatem, non ignorat quàm nihil effecturi sint, nisi sua uirtute adsit. Atq; ideò toties illud de spiritu suo Apostolis inculcauit: non solum hoc loco, sed & alijs, ut Marci 13. Lucæ 12. 21. Atq; ita uidemus ubiq; factum, etiam in ueteri testamento. Exo. 35. cum uellet Deus opera Bezaleel ad conficiendum tabernaculum uti, instruxit eum suo spiritu, sapientia & industria, quanta ad perficiendum opus poscebat ipsa necessitas. Num. 11. cum iussisset Mosen eligere de senioribus populi 70. uiros, in quorum humeros moderandi populi onus diuideret, statim dat illis de spiritu suo, quo essent ad regendum populum bene appositi. In libro Iudicum,

cum

cum uellet populum de manu hostium liberare, atq; ad eam liberationem uti ministerio alicuius iudicis, dabat illi mox per spiritum suum, & industriam, & mentis fortitudinem. Ita et Iehosua spiritu domini repletus est. Ita & Saul donec illius opera utebatur Deus. Sic & Dauid, item & Salomon 1. Reg. 3. Quis quæso potentissimorum orbis, uel regum uel principum istud suis potest præstare ministris.

Nota quod dicit: in illa hora. Ostendit se probè obseruaturum eam horam, qua sistendi erant regibus ac principibus. Quid quæso ministro Dei iucundius accidere poterit, quàm certo scire in ipsa hora adesse sibi spiritum patris?

2 Deinde uidemus etiam hic, quo loco debeant nobis esse scripta Apostolica. Si non ipsi sunt loquuti, sed loquutus est in eis spiritus Dei, quomodo alio loco habebimus ipsorum uerba, quàm loco uerborum Dei? Hoc testimonij cum habeant à Christo, non poterimus falli, si sermonibus & doctrinæ ipsorum obtemperauerimus. Possumus autem falli, si crediderimus illis qui perpetuo de successione Apostolorum gloriantur, cum interea ne minimum quidem diuini spiritus in illis appareat, &c.

3 Tertio. Pensanda est etiam crassissima illa mundi cæcitas & insania, qua factum est, ut eos occiderit, in quibus loquebatur spiritus sanctus. Prophetæ loquuti sunt ex spiritu sancto, & tamen pro seductoribus habiti & occisi, idq; à populo Dei. Apostoli loquuti sunt ex spiritu sancto, & tamen contumelijs affecti & occisi. Vide Actorum quinto. Item septimo. Item Actorum 26. audit Paulus: Insanis Paule. Quid de Apostolis dico? Ipse filius Dei Christus Iesus, dicebatur habere dæmonium, Iohannis septimo, octauo, decimo. Quis quæso ueritatem persuadebit eos homines, quos non potest persuadere spiritus Christi? Relinquenda est illa mundi pertinacia iusto iudici.

4 Quarto. Occurrendum est etiam hic ignauis fucis, qui ex hoc loco argumentum sumunt suæ desidiæ & ignauiæ defensandæ, deinde & reijciendi aliorum peritiam, quam ex scripturis habent. Ecce inquiunt, Christus non uult suos cogitare de eo, quod loqui debeant, sed dicit: Non uos estis loquentes, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Ergo illi qui ministri Christi sunt, non habent necesse, ut legendis scripturis operam impendant. quandoquidem in ipsa hora datur eis, quæ debeant loqui. Cauendi sunt itaq; illi, qui ex præmeditato loquuntur, seseq; lectione scripturarum ad dicendum communierunt. Non enim loquuntur ex spiritu sancto. Qui uero idiotæ sunt, ut erant Apostoli, illi magis sunt, ex quibus loquitur spiritus sanctus, atq; ideò soli audiendi. Quid illis respondebimus?

Interrogabimus eos, an credant spiritum sanctum etiam in Timotheo loquutum esse? Puto fatebuntur. Quid ergo opus fuit Paulo scribere: Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ dum uenio. 1. Timoth. 4. Item 2. Timoth. 3. Et quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu. Omnis enim scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, &c.

Non sequitur: cum tradiderint uos, nolite solliciti esse quid loquamini, dabitur enim uobis in illa hora quid loquamini: ergo ministri Christi, non debent legere sacras scripturas, neq; ex sacris scripturis loqui. Quemadmodum non sequitur, Matthæi 6. Nolite solliciti esse, quid manducetis, quid bibatis, quid induatis, Ergo Christiani non debent laborare, neq; ex labore manuum suarum uiuere. Bella consequentia.

Quæso num certius est eum loqui ex spiritu sancto, qui ex scripturis diuinitus inspiratis, ea loquitur, quæ loquutus est spiritus sanctus in Apostolis, quàm eum, qui reiectis scripturis simulat se ex spiritu sancto loqui, propterea quod nihil ex scripturis didicerit, cum reuera de suo loquatur?

An non magis dicetur ille ex Deo uiuere, qui laborans quod honestum est, de labore manuum suarum, iuxta admonitionem Pauli uiuit, quàm is qui nihil operis faciens, sed curiose agens, ociosus circuit, de aliorum labore comedens, ac uentrem saginans? Vtiq;. Sed quæso te an non ea facilitate potest talis dicere, se ex Deo uiuere, seruareq; uerbum Christi, de non cogitando, quid edat & bibat. Eos uerò qui quotidie laborant, non uiuere ex Deo, neq; seruare uerbum Christi, atq; hoc loco isti dicunt, se loqui ex spiritu Christi, propterea quod scripturas non legant, idiotæq; sint: eos uerò, qui scripturas legunt, non loqui ex spiritu Christi?

Proinde media tenenda uia est: nempe, ut qui ministri sunt Christi, iuxta admonitionem Christi, non sint anxie solliciti (Nam hoc est quod uetat Christus, cum dicit: μὴ μεριμνήσητε) quomodo ueritatem defendant. Nam hoc argumentum esset diffidentiæ, qua non speraretur spiritus sancti assistentia, sed magis putaretur hoc cœleste negocium humani ingenij uiribus & industria perficiendum.

Verum, si perpendimus non solum quid uetat Christus, sed & causam, propter quam uetat, non uerbi ministros duntaxat, sed & omnes reliquos Christianos ista doctrina concernet. Nam si in genere, non debet tempore necessitatis anxius esse pro re necessaria, qui ope & beneuolentia diuina fruitur, propterea, quod cœlestis pater talem nequeat deserere, quid aliud sequitur, quàm omnes filios Dei non debere quacunq; in re necessaria anxios esse. Hinc illa admonitio est, ad omnes pertinens: Nolite solliciti uel anxij esse quid manducetis, &c. Scit enim pater uester, quod his omnibus opus habeatis. Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Quemadmodum itaq; minister uerbi, si anxius esset nimio, quo pacto humana quadam industria regnum Christi tueretur, contra istam Christi admonitionem delinqueret, propter diffidentiam, istius anxietudinis suæ causam, ita & quilibet Christianus æqua ratione peccaret contra paternam prouidentiam, cui male fideret, si qua in necessitate constitutus, de rebus necessarijs anxius esset.

Rursus ex alio latere uidendum, ne ista spiritus sancti assi-

ti aßistentia ministrum Christi securum ac negligentem faciat. Ignauos enim odit spiritus sancti gratia, animos amans pietatis promouendæ studiosos. Propterea admonitioni Christi adiungenda est admonitio Pauli de legendis sacris scripturis. Tam enim abest, ut studium legẽdæ sacræ scripturæ gratiæ spiritus sancti repugnet, ut magis illam negligat, qui lectioni sacræ scripturæ uigilanter non attenderit. Atq; istud aperte uidere est in admonitione Paulina. 1. Timoth. 4. Cum enim dixisset: Dum uenio attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ, mox subiunxit: Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij. Hæc exerce, &c. Quis non hic uidet, neglectum esse gratiæ spiritus sancti, non attendere lectioni sacræ scripturæ ministrum Christi? Et 2. Tim. 1. dicit: ἀναμιμνήσκω σε, ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ, ὅ ἐστιν ἐν σοὶ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν μου ubi pulchra similitudine uidemus gratiam spiritus sancti posse negligi, non aliter, quàm igniculus quidam, si non excitetur flatu & impositis lignis uel alterius generis alimonijs alatur. unde manifestum est, gratiam spiritus sancti amare studia & exercitia legendarum sacrarum scripturarum, atq; illis quasi igniculus quidam excitari & ali. Non quod istis studijs opus habeat spiritus sanctus, sed quod non amet corda ignaua, sed magis studio quodam collaborantia.

Quemadmodum ergo ministrum uerbi, etiamsi potiatur gratia spiritus sancti, non oportet securũ ac desidem esse, sed studiosum legendæ sacræ scripturæ, ut gratiam in se Dei excitet ac foueat, ita certe oportet & Christianos omnes, tam hac in re: nempe defensione uer
Col. 4. bi, ut sciant quid cuiq; respondere debeant, quàm in alijs omnibus, licet gratia Dei potiantur, & in prouidentia Dei consistant, studiosos esse cooperatores Dei, non ignauos ac negligentes. Licet enim cœlestis patris nostri prouidentia nos alat & pascat, doceat ac moderetur, tamen uult ad hoc nostro quoq; uti ministerio.

Probè expendendum, quid peccent, qui istas utrasq;
1 admonitiones non obseruant. Minister de gratia & operatione Dei non persuasus, si doctus fuerit, prædicationis suæ munus et profectum eruditione sua metietur, quam uelut idolum quoddam colet. Si indoctus, mole negocij territus, animũ despondebit, causamq; deseret.

Christiani reliqui, in rebus gerendis omnia pensabunt ad mensuram suæ industriæ, si non adsit fides prouidentiæ Dei. si quod prospere cesserit, adscribent illud proprijs laboribus, rerumq; gerendarum dexteritati. Hinc festus, hinc luxus, hinc immisericordia erga proximum, pauperem, quem damnant ignauiæ, quæ omnia non essent, si paternæ prouidentiæ rerum prosperitas adscriberetur magis, quàm ingenij dexteritati.

Rursus. Si necessitas urserit, paupertas, uel alia quæpiam calamitas presserit, mox anxietudo, rerumq; desperatio, ad malas artes prauaq; consilia impellens animos occupat. Vt exẽpli gratia. Viduæ quædam hodie propterea quod hanc prouidentiæ paternæ fidem non habent, de uictu & liberorum educatu anxij, nebulonibus, quorũ hoc seculo ingens est copia, nihil aliud, quàm scortationis libidine ductis, hoc facilius credunt, & ad libidinem consentiunt, quod putant se illos isto obsequio ad matrimonium posse sibi deuincire. Eadem ratione falluntur pleræq; uirgines. Quod si prouidentiam Dei ob oculos haberent, longè maiore animi constantia præditæ essent, nec adeò facile in facinus assentirentur. Quanquàm huius generis innumera sint exempla, libuit tamen istud adducere propter præsentem necessitatem, quod uideam istis impostoris muliebre genus hodie passim falli & corrumpi.

Ex alio latere, si minister nimium securus, nihil non 2
de gratia Dei præsumpserit, ociosusq; ad omnia sterteterit, nihil aliud aget, quàm quod gratiam Dei in se negliget & extinguet, unde fiet, ut paulatim in quosuis errores labatur. Huius generis exempla uidimus in Anabaptistis, maxime Monasteriensibus.

Reliqui Christiani in alijs rebus gerendis: siquidem omnia negligentes diuinæ prouidentiæ tribuerint, incident in egestatem, atq; etiam ea quæ habent, inutiliter consument, ut postea cogantur alijs esse oneri.

Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij aduersus parentes, & morte afficient eos. Et eritis odio habiti ab omnibus propter nomen meum. Verum qui sustinuerit usq; ad finem, hic saluus fiet.

Quia supra cœpit prædicere de persequutione, qua tradendi essent in concilia, ducendiq; ad præsides ac reges, ad idem reuertitur per auxesim. Apparet enim Christum magno studio nihil celare discipulos eorum, quæ propter nomen suum passuri erant, sed exacte omnia prædicere uoluisse. Erat autem positus in signum quoddam, cui contradicturi essent omnes huius mundi filij. Bellum enim istud est inter Deum & principem huius seculi omnium uehementißimum. Proinde repetit priora, & dicit: Dixi uos tradendos in concilia, & ad præsides & reges propter nomen meum ducendos. Nolite autem putare ista uobis ab alienigenis euentura duntaxat, & non ab amicis & cognatis: in cognatis & amicis fore malorum solatium. Tantum sustinebitis odij meo nomine, ut nulla cognationis & consanguinitatis iura furori Satanæ obsistere queant. Proinde uidete, ut magno animo persistatis. Nisi enim ad finem usq; perstiteritis ac sustinueritis odium istud omnium aduersus uos, non poteritis saluari. Videte igitur, ut constantes sitis ac patientes. Nam in sola patientia possidebitis animas uestras.

QVID HOC LOCO NOtandum sit.

Primo. In eo quod discipulis suis prædicit, tantum in 1
eos futurum mundi odium, ut ad mortem sint à fratribus, parentibus, proprijs quoq; liberis tradendi. Videmus uehementißimum odium Satanæ, aduersus regnum Christi: deinde & potentißimam tyrannidem in filios huius seculi, qua etiam fratrem in fratrem, patrem in filiũ, filios in parentes armat. Quid non potest iste princeps in suos, qui hoc potest, ut frater fratrem in mortem tradat,

tradat, nihil meritum, ipse nulla adfectus iniuria, pater filiũ, à quo nihil est læsus, quem genuit, quem habet successorem ac hæredem bonorum suorum, liberi, parentes, à quibus initium uitæ sumpserunt? Et quod omnium est mirabiliſsimũ, licet regeneratio, quæ per Christum est, humaniſsimos, & benigniſsimos, mansuetiſsimosq; reddat eos, qui in Christũ credunt: ut nemo queat æque præstare fratrem fratri, patrem liberis, morigeros atq; obsequentes liberos parentibus, atq; in Christum credentes, nihilominus tanta est uiolentia Satanicæ tyrannidis, ut suos armet, non solum contra naturam, sed & regeneratam & amabiliſsimam naturam, qua nihil potest esse ad hoc, ut ametur, accommodatius.

Verum ista non ita sunt capienda, quasi filij huius seculi tum demum spiritu odij imbuantur, quando contra Christianos armantur & inflammantur. Iam antea in illis natura corrupta est, maloq; odij spiritu imbuta, ita ut non solum odiant alius alium, sed etiam odibiles sint. Atq; hoc est quod Paulus Tit. 3. dicit: Nam eramus, inquit, quondam & nos stulti, inobedientes, errantes, seruientes desiderijs ac uoluptatibus uarijs, in malicia & inuidia degentes, odioſi, inuicem odio prosequentes. At postquàm bonitas &c. Vnde satis uidemus, mundum alioqui iam antea spiritu odij præditum esse, quemadmodum regenerati spiritu Dei imbuti sunt, qui nihil aliud est, quàm ipsiſsima dilectio.

Auxesim uerò habet, quod cum Christiani iam non sint amplius συγκοὶ οὐδὲ μισοῦντες ἄλλους, sed omnes diligant, & reuera amabiles sint, nihilominus contra eos odiũ excitat omnium, quasi soli sint digni, quos omnes odio prosequantur. Vnde sapiẽtibus satis liquet, hoc odium non esse ex mundanis quibusdam accidentibus causis, quibus sæpenumero fit, ut frater fratrem, pater filium, liberi parentes odio prosequantur, sed ex inuidia Diaboli contra Christum, uiolentaq; illius in suos tyrannide. Rursus non est putandum, quod sine omni ratione odij, suos in Christianos excitet & impellat. Sunt enim rationes, quibus ipse mundus mouetur ad tantum odij erga Christum, Christiq; doctrinam. Christus ipse Iohannis 7. dicit: Non potest mundus odisse uos, me autem odit: quia testimonium fero de illo, quod opera eius mala sint. Ecce causam odij, quo mundus erga Christum inflammatus est. Totus positus est in maligno, uiuit iuxta cõcupiscentias suas peruersas, et tamen non agnoscit suam maliciam, uult coli & laudari, non uult argui. Deinde non uult esse impius, sed qui et ipse deũ magnopere colat, putat cultum esse Dei, quod mera est superstitio & idololatria, & cultus Satanæ. Iam quia Christi doctrina istis planè repugnat, mundumq; de peccato arguit, de iustitia et de iudicio, uita quoq; Christianorum, quæ non est mundana, sed cœlestis, condemnat uitam mundi, fit ut Christiani summo odio habeantur à mundo. Hinc est, quod Christus dicit Ioh. 15. Quia elegi uos de mundo, propterea odit uos mundus, uide locũ Sap. 2.

Ex istis docemur primo, unde sit, & quàm malum sit odium, dilectioni, quæ ex spiritu Christi est contrarium. 1. Ioh. 2. Qui diligit fratrem suũ in lumine manet. 1. Ioh. 4. Omnis qui diligit fratrem suum ex Deo natus est. Item 1. Ioh. 3. Non sicut Cain, qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum. Est autem hoc peccatum odij tantum, ut non sit aliud, in quo planius agnoscantur filij Diaboli, & solum quod facere nequeunt, qui ex Deo nati sunt, ut uides 1. Iohannis 3.

Deinde admonemur, ut si Christũ sequi uoluerimus, parati simus ad ferendum omnium odium, eorum scilicet, qui illi aduersantur. 2

Tertio, ut uideamus, ne quicq; causæ demus mundi odio, nisi unum hoc, quod Christi sumus, ita ut non odiat mundus in nobis, quæ ipse in se habet odio digna. Sed hinc tantũ moueatur, quod Christi sumus, quod de mundo electi sumus, quod diuersæ uitæ sumus. quod testimonium firmius de illius malis operibus. 3

Secundo loco. Pensandũ etiam est, quid erga mundi odium facere debeamus, si uelimus saluari. Non dicit: Si quis se fuerit probe ultus, si quis uicissim odio illũ prosequutus fuerit, saluabitur. Neq; dicit: Si quis illi obsequutus fuerit, saluabitur. Sed quid? Si quis inquit, in finem usq; perstiterit, uel sustinuerit, saluabitur. Hoc scilicet est quod Lucæ 21. dicit: In patientia uestra possidebitis animas uestras. Instruimur ergo tolerantia & patientia uincendum esse omne mundi odiũ. Qui in non solũ hoc docemur, sed etiam promittitur salus sustinentibus. Vide Matth. 5. Beati estis, si oderint uos omnes homines, &: Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam. Notanda est itaq; hoc loco uirtus patientiæ, qua in omnibus aduersis uictores euademus. Exemplis plena est scriptura. Iacob, Dauid, Ioseph, Prophetæ, Christus, Apostoli, &c. 4

Sed non est prætereundum quod dicit: ad finem usq;. Erit ergo finis malorum. ista siue in hac, siue post hanc uitam contingat.

Deinde, non esse ueram patientiam, quæ non durat ad finem usq;. Multi dicunt: Ecquis potest perpetuo ista tolerare? Certe quisquis propter Christũ tantummodo patitur, quæ patitur, poterit etiã ad finẽ usq; illa pati.

Ita etiam habet in omni nostra bene instituta conuersatione. Non est pensandum quàm diu, sed semper ad finem respiciendum. Qui æstimat quantum perficerit itineris, aut superbiet, aut lassabitur: qui uerò tantum aspicit ad finem quò properat, is neq; superbiet, sciens sibi adhuc multa deesse, neq; cessabit, donec apprædendat præfixum scopum. Hinc Paulus. Sic currite, ut comprædendatis. 1. Cor. 9. Et Ebr. 12. Manus remissas & soluta genua erigite. Item: Recogitate eum, qui talem sustinuit contradictionẽ, ut non fatigemini animis uestris deficientes. Item Ebr. 3. Cuius domus sumus nos, siquidem fiduciam & gloriationem spei ad finem usq; firmam tenuerimus.

Quid proderat Iudæis, eductos fuisse ex Aegypto, posteaquàm in fide Dei non perstiterunt, atq; ideò terram promissam non attigerunt?

Quid proderit aliquandiu diligenter in argentifodina laborare, tandem uerò antequàm apprædendatur argentum, deficere? An non uniuersus labor ac sumptus perierit? Quid est si bene quidem cœperis currere, antequàm uerò metam ac brauiũ apprædendas, defeceris? 1. Cor. 9

Qui

Qui initio quidem belli fortiter sese gerit, nisi perseuerauerit usq; ad consummationẽ belli, omnia frustra instituit. Hinc est quod in uniuersa ubiq; scriptura tãto serio urgetur patientia & perseuerantia. Vide Ebr. 6.

Cum autem persequuti uos fuerint in ciuitate hac, fugite in aliam. Non perambulaueritis omnes ciuitates Israëliticas, quin iam uenerit filius hominis.

Quia dixerat, quomodo tradendi essent, ingentemq; persequutionem ab omnibus passuri, addideratq; : eum saluum fore, qui ad finem usq; justinuerit, ne putarent non licere ex ea ciuitate cedere ac fugere, in qua contigerit oriri persequutionem, declarat his uerbis, quàm uon prohibeat eos luporum ferociam, impiorumq; insaniam declinare, imo præcepit etiam, ut furori cedant, sed addit: in aliam ciuitatem. Neq; enim simpliciter uult eos utcunq; ad hoc fugere, ut seipsos saluent, sed ita, ut Euangelion regni, si in una non permittatur, in alia ciuitate spargant. Officio non uult eos cedere, cedere uult lupis. Quod uerò subdit: Non perambulaueritis omnes ciuitates Israëliticas, quin iam uenerit filius hominis. obscurum est, & uariè expositum à Patribus pariter & recentioribus.

Chrysost. *Chrysostomus hunc locum non de ea quæ post resurrectionem Christi futura erat, sed de ea, quæ illam præcedebat persequutione intelligit, atq; hæc uerba sic exponit. Nãne dicerent inquit, si ab alia ciuitate in aliam fugerimus, quid faciendum nobis est, si illuc usq; persequutores peruenerint? Ab hoc timore illos liberans. Non poteritis inquit, tantam Palestinam prius circuire, quàm ego ad uos ueniam, &c. Et paulo post, sufficiebat certe ad sedandos labores suos solus aspectus Christi. Ergo sententia Chrysostomi est, Christum loqui non de aliquo suo mystico aduentu, neq; de aliquo alio post resurrectionem, sed simpliciter de eo, quo ad amandatos Apostolos se polliceatur uenturum, illosq; ad se recepturum, antequàm peragrent omnes Israëliticas ciuitates. Videlicet, ne anxij cogitent, & quid faciemus, si ubiq; pulsi fuerimus? Quò ibimus, quid tentabimus postea, quandoquidem non uult, ut in ciuitates Samaritanorum et Gentium uias eamus? sed ut sciant in tempore adfuturum se illis, & ad ulteriora instructurum.*

Hilarius uerò, de secundo aduentu Christi intelligit: nimirum, ad extremum iudicium, quasi dicat Christus: Non consummabitis, id est, ad fidem meam conuertetis uniuersas Israëlis ciuitates, donec filius hominis ad iudicium ueniat. Expellemini ad Gentes, illæ credent, Israëlis reliquiæ non credent, donec rediero.

Hieronymus ista uerba transit.

Recentiores quidam intelligunt illud: donec ueniat filius hominis, pro donec appareat regnũ filij hominis, regnum Dei, id est, donec declaretur filius hominis: ita ut Christus loquatur hic de uirtute illa regni sui, quæ à resurrectione, spiritusq; sancti missione cœpit. Quo sensu uidetur etiam dictũ, quod infra capite decimosexto, Marci 9. Lucæ 9. legitur: nempe, Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec uideant filium hominis uenientem in regno suo cũ uirtute. Iuxta hunc itaq; sensum dixerit Christus ad hunc modum: Ne sitis anxij in uestra fuga, si de una in aliam ciuitatem fugati fueritis, ne in uanum sit abiturus labor uester, regnumq; meum extirpandum. Amen quippe dico uobis, non peragraueritis omnes Israelis ciuitates, quin filius hominis uenerit, hoc est, declarauerit se uenisse, iuxta promissiones Prophetarum, quin uisuri sitis regnum Dei cum uirtute obtinere passim. Atq; iste sensus uidetur uerisimilior

Rursus alij imitantur sententiam Hilarij, de secundo Christi aduentu, illudq; : Non consummabitis ciuitates Israëlis omnes, ita legunt. quasi dicat Christus, tam non deerit quò fugiatis, ubi prædicetis, ad aduentum usque meum glorioſum, ut ne Israëlis quidem ciuitates omnes sitis Euangelio meo consummaturi, donec rediero, nedum totius orbis tot regiones & urbes.

In ista uarietate, quanquàm simplicior uidetur sententia Chrysostomi, tamẽ ea uidetur uerisimilior, quàm supra recensui quorundam recentiorum.

QVID EX HOC SIT LOCO notandum.

Primum, ex Chrysostomi sententia, & altera quoq; recentiorum, admonemur, ut simpliciter iussis diuinis pareamus, nihil anxiè disputantes de illorum, uel fine, uel fructu, sed firmiter credentes non defuturum nobis in tempore eum, cuius iussis obtemperamus. Bene notanda est ista doctrina, & summe omnibus necessaria. 1

Secundo. Obseruandum est, quomodo persequutio ministrorum Christi, & eorum fuga, nihil aliud fuerit, quàm ut Hieronymus scitè scribit, seminarium quoddam regni Christi, euangelicæq; doctrinæ. Tam uidelicet abest, ut ad extirpandam ueritatem ualeat quod aduersarij moliuntur, ut magis eam promoueat. Eadem adhuc hodie est uirtus Christi speranda. 2

Vide in actis capite octauo, undecimo ad finem usq;.

Tertio. De fuga ministrorũ Christi multi multa hic cõmentati sunt, quando illa liceat, quando non. Breuis regula est huius causæ. Regnum dei quærendum est Christi ministris & fidelibus omnibus. Si ad illius profectum facit, ut fugias, fuge: si proderit, ut maneas mane. Ea fuga culpanda est, quæ derogat regno Christi, utpote, si fugiens quærat discessum ab officio, quærat latebras ad hoc tantum, ut seipsum conseruet. 3

Non est discipulus supra præceptorem, neq; seruus supra dominum suum. Sufficit discipulo, ut sit sicut præceptor ipsius, & ut seruus sit sicut dominus ipsius. Si ipsum patremfamiliâs uocauerunt Beelzebub, quanto magis domesticos illius. Ne igitur metuatis eos. Nihil enim est tectum, quod non sit retegendum, & nihil occultum, quod non futurum sit, ut sciatur.

Incipit iam argumentis persuasorijs imbecilles discipulorum animos ad patienter aduersa, quæ futura prædixit, toleranda corroborare. Sunt autem in animis mortalium cognitiones quædam & cogitationes, qui-

bus ad res alioqui duras perferendas animentur (licet corrupta sit natura) superstites adhuc & reliquæ, quarum uidebimus, Christum suos hoc capite diligenter admonere, ad hoc uidelicet, ut intelligant, nihil absurdi esse, si quid propter regnum Dei in nomine suo passuri sint. Ex illis eas quæ hoc loco comprehenduntur recensebimus, reliquas suo tempore subijciemus.

Primum. In eo quod dicit: Non est discipulus supra præceptorem suum, &c. argumento utitur ab eo, quod communi mortalium sensu æquum æstimatur, & cuius contrarium apud omnes mortales pro absurdo & insolenti habetur. Est autem æquissimum, ut discipulus non sit meliore fortuna, quàm præceptor eius, nec maiore sit reputatione seruus, quàm dominus eius, in quantum seruus est. Atq; ista æquitas ultro sese mentibus & iudicio mortalium ingerit, ex collatione conditionis hinc præceptoris, hinc discipuli, hinc domini, illinc serui. Longè siquidem maior est dignitas præceptoris, quàm sit discipuli, domini, quàm serui: ita ut si alterutri aliquis honor, aliqua impendenda fuerit reuerentia, certe præceptori magis, quàm discipulo, domino magis, quàm seruo æquum fuerit illud honoris ac reuerentiæ, quicquid sit, impendere. Quod si uerò ea obtinuerit improbitas, ut neq; præceptori, neq; domino, alioqui digno, cui suus impendatur honos, iusta habeatur reuerentia, sed & quod peius est, nulla non etiam contumelia inferatur: reuera impudens fuerit discipulus, qui sibi fieri cupiat, quod uidet præceptori suo negatum, qui cupiat honore potiri, cum uideat præceptorem contumelijs affici, aut etiam ægrè ferat ea sibi inferri quæ pro temporis iniuria cernit præceptorẽ patienter tollerare.

Ex hoc itaq; fonte est, quod Christus hic dicit: Videtis, inquit, quid mihi usuueniat. Nunquid ego sum præceptor uester? Nunquid sum dominus uester? Nunquid si cuiquàm honos debetur, mihi debetur? Atqui qua non contumelia me afficiunt? Quo non odio me prosequuntur? An ægrè fero? Nequaquàm. An cedo? Nequaquàm. Iam ipsi perpendite, an non æquum sit uos non ægre ferre, si eam iniuriam toleretis, quam uidetis mihi ante uos inflictam? Proinde patientes estote, & nihil insolentiæ putate, si eiusdem sortis participes mecum fueritis. Quin hoc magis insolens putetur, si me præceptore uestro contempto, uos honore fueritis affecti. Et ut istam æquitatis rationem probè expendant, non simpliciter in genere contemni se dicit, sed Beelzebub uocari, quo probro nõ poterit aliud esse enormius. Si summam habet contumeliam hominem iustum & innocentem ministrum uocari Satanæ, quam non habebit contumeliam filium Dei, non Satanæ, sed principis dæmoniorum uocari ministrum, imò non illius ministrum, sed ipsum Beelzebub. q.d. Postquàm hoc mihi usuuenit, quid uos non æquo animo feretis?

2 Deinde ex ista æquitatis ratione colligit, quod persuadere uolebat: Nempe, non esse metuendos eos, id est, aduersarios, qui traditurі erant in mortem. Igitur, inquit, posteaquàm uidetis eos hac cæcitate impelli, ut præter omnem rationem odio prosequantur immeritum, imò bene meritum, & amore pariter & honore dignum, neq; simpliciter odio prosequantur, sed Beelzebub etiam uocant, non erunt uobis metuendi: utpote quorum insania impotens & breui peritura sit: propterea, quod omnium est impudentissima, & contra ipsam Dei potentiam tendens, ut taceam iniustam esse uel hoc nomine non metuendam, citoq; confundendam.

Tertio. Huius uelut rationem aliam subiungit, rursus ex uulgari paræmia desumptam, qua dicitur: nihil adeò occultum esse, quod non sit in lucem proditurum. Quod non in genere sumit, sed ad propositam causam duntaxat: nimirum hoc sensu. Ego iam istis hominibus habeor Beelzebub, & homine improbissimo: ita, ut uos meo nomine summas sitis cõtumelias ac persequutiones perpessuri. Sed patientes estote. Breui futurum est, ut mundus uideat, quis sim, & quæ mea sit causa. Manifestabitur luce clarius, quod iam mundo est abditum. Retegetur aliquando, quod iam magno studio ab aduersarijs, maximè uerò à principe huius mundi in animis mortalium tegitur & supprimitur. Tum scilicet, & uos eritis in gloria, tum uice uersa amabimini, qui nunc summo estis apud omnes odio prosequendi. Scitis commune prouerbium. Quid opus est subtili cogitatione? Non fallet, quod in omniũ ore uoluitur, ipsaq; experientia magistra factum est omnium certissimum: Nempe, nihil tectum esse, quod non retegatur, &c. 3

His itaq; rationibus moti fortiter state, nihil uobis ab istis hominibus metuentes, certi omnia ista aduersa uelut in uentum emanitura, imò in longè meliora abitura. Quod si uobis maledixerint, si odio prosequuti fuerint, si nomen uestrum polluerint, si tanquàm reprobos persequuti fuerint, nihil moueant hæc omnia, certi ueritatem proditurам aliquando in lucem, idq; cum summo aduersariorum uestrorum probro.

QVAE SINT HOC LOCO notanda.

Primum diligenter obseruandum est, quomodo 1
Christus ad corroborandum animos suorum, rationibus ex communi mortalium sensu sumptis utatur, cum posset simpliciter proposita sua sententia, additaq; sua autoritate contentus esse. Verum mauult utrunq; imbecillitati ipsorum, captuiq; succurrere, ut non solum propterea futuram crucem subeant, quod aliter fieri nequeat, & dominus ita ordinauit, sed intelligant etiam æquissimum esse, ut patienter illam ferant: deinde & alacres sint in ipsa patientia non ignari futuræ uicissitudinis. Docemur ergo hoc loco, quomodo & nos debeamus ad hoc intenti esse, ut ad persuadendum animos mortalium, rationes eas obseruemus, quæ apud communem sensum ualent, ut uideatur & palpetur causæ nostræ, non solum ueritas, sed & expositissima æquitas. Nos hac in re plurimum peccamus, quod in cognoscendo mortalium, hoc est, nostro ipsorum communi sensu & ingenio negligentes sumus ac stupidi, cum uideamus Christum tam diligenter argumentis ex illo sumptis erga suos uti, seseq; demittere ad nostrum captum, iam similitudinibus ex consuetis rebus usurpatis, iam prouerbijs uulgaribus, iam ex communi nostro sensu arguendo, per omnia, quomodo solet ægrotis is cibus, qui

ad sanitatem

ad sanitatem facere putatur, uarijs modis illorum imbecillitati & fastidio ita adaptari, ut tandem sumatur, qui simpliciter exhibitus reijceretur.

Quid quæso in causa est, quod nos eadem diligentia & συγκαταβάσεις non utimur, quàm quod non toti in hoc sumus, ut proximum iuuemus. Alioqui omnem industriam impenderemus, in omnia uerteremur, nullum lapidem non moueremus, ut uel aliquo pacto proximis succurreremus.

Deinde. Videndum est etiam, quomodo hoc prouerbium, quo Christus non hoc duntaxat loco, sed & Lucæ sexto. Iohannis 13. & 15. utitur, nempe: Non est discipulus supra præceptorem, &c. ad doctrinam nostram faciat. Eo sensu, quo isto loco, & Iohannis 15. usurpatum est, admonemur, qua patientia tolleranda sint nobis omnia, quæ in hac uita aduersa per filios seculi immeritis inferuntur. Si enim Christus iniuriam passus est, si odio habitus est, si Beelzebul uocatus est, omnemq; iniuriam patienter tulit, quæ esset illa impudentia, si nos uellemus honore haberi, nihilq; malorum ferre? Sic admonet etiam apostolus Petrus. 1. Petri 2. Quia inquit, & Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamini uestigia eius. Certe si iustitia honorem mereretur in hoc peßimo mundo, Christus utique illo dignus fuisset. Iam cum Christus odio sit habitus, & persequutionem in mundo tulerit, turpißimum foret, & non modica superbiæ species, uelle hic honorem ambire, & requiem in eo mundo, qui Christum ipsum odio persequutus est. Vide quomodo Paulus 1. Thessal. 2. admoneat, & consoletur etiam exemplo Christi.

Lucæ sexto idem prouerbium Christus hoc pacto adduxit: Nunquid potest cæcus cæcum ducere? An non ambo in foueam cadunt? Non est discipulus supra magistrum. Perfectus autem omnis erit, si fuerit sicut magister eius. Quo loco liquet Christum isto prouerbio alio sensu usum esse, quàm hic Matthæi decimo: Nimirum, ut ex circumstantijs liquet, isto. Quid uobis uidetur, si cæcus cæcum ducat? An non ambo in foueam cadunt? utiq;. Nequit enim fieri, ut qui ducitur, melius ducatur, quàm ducere queat, qui ductorem præstat. Rursus. Poterit ne discipulus plura addiscere, quàm sciat præceptor eius? Vtiq; non poterit. Satis enim erit discipulo, si par fuerit præceptori. Neq; facile illum uincet. Ita sanè non expectandum fuerit, ut melius sapiant qui docentur, quàm illi à quibus docentur. Si præceptores cæci fuerint, quomodo recte ingredientur discipuli? Quid sperabitis in discipulis, quod in ipsis præceptoribus desideretur? uidetis quales sint populi præceptores. Quomodo melius haberet populus?

Ergo etiam huius admonemur hoc loco: nempe, non posse bene habere populum, si indoctos & prauos habuerit pastores. Instruxerat autem discipulos suos de perfectione ueræ iustitiæ & dilectionis, qua deberent esse præditi maxime aliorum doctores futuri. Atq; ut istud quàm liquidißimum faceret, quàm esset necessarium istis prouerbijs usus est.

Videmus itaq; qua cura conandum esset, ut Ecclesijs præficerentur uiri docti ac pij. Verum huius, ut in Papatu, ita etiam inter euangelicos uidetur modica cura haberi. Omnino multum situm est in præceptoribus, nisi Christus hoc loco huius frustra admoneat.

Est autem illud probè pensandum, quod dicit: Sufficit discipulo, ut sit sicut præceptor eius. Quod non ita intelligendum est, ut uelit auditori apud Deum satis esse, si non sit melior prauo suo præceptore. Neq; enim excusabimur apud deum, si per malos pastores seducti fuerimus, sed magis ita, ut uelit animos discipulorum & auditorum exprimere, qui tales sint, ut non putent à se plura exigi, quàm uideant doctori suo inesse. Atque hoc est quod quotidie audimus, & in Papatu consuetum est. Cur ego præstarem, quod parochus noster non facit? cur à me exigeretur, quod nõ habet pastor noster? Hic animus omnino inest illis, qui nullo Dei timore tenentur. Illi satis putant, si queant sua delicta defendere & excusare pastorum ignauia.

Hoc in Græco ita legitur Perfectus autem omnis erit, sicut magister eius, id est similis magistro suo. q.d. Etiam si ad summum promouerit discipulus, non erit instructior præceptore suo.

Proinde pestilentißimum est, si in Ecclesia fuerint ignaui doctores. Huius quippe gratia Paulus exigit, ut irreprehensibiles sint Episcopi.

Iohannis tredecimo usurpatur ista paræmia à Christo ad hunc modum. Scitis, inquit, quid fecerim uobis? uos uocatis me magistrum & dominum. Et benedicitis. Sum etenim. Si ergo ego laui pedes uestros dominus & magister, et uos debetis alter alterius lauare pedes. Exẽplum enim dedi uobis, ut quemadmodum ego feci uobis, ita & uos faciatis. Amen amen dico uobis: non est seruus maior domino suo, neq; Apostolus maior est eò, qui misit illum. Admonentur ergo hoc sensu ad humilitatem discipuli Christi exemplo magistri & Domini sui, omnium fortißimo. Ad eam uerò humilitatem admonentur, non quæ sit monastica & superstitiosa, sed quæ sit utilis & officiosa erga proximum quemcunq;.

Conferamus hoc loco fastum Episcoporũ nostrorũ, cum ista Christi humilitate. Christus ita sese demittit, ut quæ discipulos suos, uel facere, uel perpeti decebat, ipse primus faciat & patiatur: ita, ut ualidißimo suo exemplo magis alliciat animos illorum, quàm præceptis & mandatis cogat. Quid tale uidemus in nostris Episcopis? Quin magis ita se habent, ut uerißima sententia de ipsis dicatur illud Matthæi 23. Imponunt onera grauia super ceruices discipulorum, quæ ipsi ne digito quidem attingunt. Omnia exequuntur mandatis, & horrendis minis intentatis more tyrannico, non solum contra istud uulgare prouerbium, sed & contra admonitionem apostolicam. 1. Petri ultimo.

Deinde cum Christus non solum ipse circueũdo prædicauerit, populumq; docuerit de regno Dei, sed & Euangelij prædicationem discipulis & Apostolis suis mandauerit, tam abest hodie, ut nostri Episcopi exemplum Christi imitentur, ut etiam turpe putent, & præter decorum officij sui, si prædicarent Euangelium Christi. Hic reuera discipulus maior est præceptore suo. Verum Christus non agnoscet istos Episcopos.

Tertio. Non est transeundum & hoc, quod, cum prouerbium habeat dominum & seruum. Christus in 3

applicatione prouerbij maluerit ponere patremfamilias & domesticos, quàm dominum & seruos. Qua in re satis declarat, quàm uelit suos sibi coniunctißimos esse, planè eo affectu, quo & alibi dicit: Iam non dico
Ioh.15. uos seruos, sed amicos. Magnam habet consolationem, Christũ esse patremfamiliàs, nos uerò domesticos eius. Vide Ephe. 2. Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei, &c. Verum magna diligentia uidendum est, quomodo pij in hac domo Dei conuersemur, &c.

4 Quarto. In eo quod dicit: Ne metuatis igitur eos. admonemur quàm non sint timendi, qui Christum Beelzebub uocant. Hoc autem faciunt, qui doctrinam ipsius dæmonio adscribunt, ministrosq; uerbi odio persequuntur. Neq; enim proficient. Quare? Quia scilicet non nos, sed Dei uirtutem impugnant, & ipsi ueritati restistunt. Si nos solos ac nudos persequerentur, certe merito timeremus. Posteaquàm uerò bellum non aduersum nos geritur, sed aduersus Christum & Euangelium eius, quàm certißimum est, casuros eos esse, & omnia frustra tentaturos, imò seipsos perdituros. Qui habitat in cœlis irridet eos, & Dominus subsannat eos. Loquetur illis in ira sua. Psal. 2.

QVAE EX ILLO LOCO notanda sint.

Nihil occultum, &c.] Vsus istius paræmiæ du-
1 plex est. Vnus qui facit ad consolationem eorum, qui iniuriam ferunt. Non enim mediocriter eos urit, quod cum sint insontes pro sontibus habentur & adfliguntur. Isti plurimum consolantur, si certo crediderint adfore aliquando diem, qui occultam ipsorum innocentiam in lucem producat. Huius exempla multa sunt: partim eorum, quorum innocentia in hac uita patefacta est: partim eorum, qui tandem in futura, qui fuerint declarabuntur. In hac, ut Ioseph, & Dauid, item Susannah. In futura uel saltem post mortem, ut Prophetæ Christus. Item Sapientiæ 5. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei. Et Collossenses 3. Vita uestra abscondita est cum Christo in Deo.

Arduum quidem est carni, post mortem demum patefieri nostram innocentiam. Etsi enim & ipsum sit molestum, uel ad horam illam esse absconditam, istud tamen reuera graue est. Verum, ut sit leue, inter istos Christus factus est caput, & ita, ut tametsi post resurrectionem iustitia illius sit plurimum manifestata, perfecte tamen manifestabitur demum in futuro iudicio. Vide Matthæi cap. 6.

2 Alter huius loci usus est, qui facit ad terrendum à malefactis. Ingenium carnis procliue est ad mala, & tamen ferre non potest, ut quæ mala designat manifista fiant. Hinc illud: Qui male agit odit lucem. Atq; ideò tantum est studium non uitandi mali, sed occultandi. Verum cum sit Deus iudex iustus, non patietur maliciam impiorum in occulto latere, quemadmodum neq; iustitiam & innocentiam piorũ absconditam esse permittet. Vt est Matthæi sexto: Reddet tibi in propatulo. Et 1. Corinth. 14. Qui illuminabit abscondita tenebrarum, & tunc laus erit unicuiq; à Deo. Atq; ita in utraq; parte uerum est, quod Christus hic dicit, nempe: Nihil absconditum, quod non scietur, &c.

Et ut supra dixi, ita hic quoq; obseruandum est, reuelationem maliciæ nostræ, uel hic, uel in futuro seculo futuram. De hac uita uide exemplum Dauidis 2. Samuẽlis 12. Tu enim feciſti abscondite. De futura uita Matthæi uigesimo quinto.

Ex hoc fonte est, quod Paulus 2. Thessal. 2. de reuelatione filij perditionis prædicit. Et 2. Timoth. 3. de hypocritarum manifestatione. Insipientia inquit eorum, manifesta erit omnibus. Et Christus Lucæ duodecimo eadem tractat. Vide loca.

Timeant etiam sibi hoc loco, quotquot maliciam suam tegunt, et à facie mundi abscondunt. Vtpote adulteri & adulteræ. Item ministri & serui ad oculum seruientes. Deinde & mercatores subdoli, qui sua astutia perpetuo se confidunt probè tectos fore. De istis uide Iob cap. 20. Esa. 29. Væ qui profundi estis corde, &c. Cœli inqui, reuelabunt iniquitatem eius.

Quid ergo restat, quàm ut si sapuerimus, ita uiuamus in occulto, quales nos inuenitri uoluerimus in publico. Cogitemus nos semper uersari in conspectu domini. Si bene egerimus, non sit cura de publicanda nostra iustitia. Neq; nos illam publicemus more hypocritarum: alioqui Deus illam obscurabit. Si subiuerit mala cogitatio, cogitemus illam, etsi ad tempus occulta fuerit, perpetuo tamen abscondi non posse, ut est prima Timoth 5. Semper ob oculos uoluamus diem illum, in quo illuminabuntur abscondita tenebrarum, hæreat in animis nostris ista Christi paræmia: Nihil occultum, quod non scietur, &c. & absq; dubio maiore custodia pietatis studium exercebimus & tuebimur.

Quid autem faciemus istis peccatis, quæ iam perpetrauimus, ne coram omnibus publicentur? Hoc scilicet. Videbimus, ne iudicium Domini incurramus. Quomodo? Si crediderimus in Christum. Ioh. 5. Reuelabimus ea priores domino, et ipse conteget ea. Psal. 32.

Quod dico uobis in tenebris, dicite in luce. Et quod in aurem auditis, prædicate super tecta.

Ista uerba quidam ita exponunt, ut intelligant Christum adhortari suos, ne cogitent se posse in occulto consistere, aut ea quæ ab ipso acceperant in tenebris occulere. q.d. Quæ uobis in tenebris, id est, uobis solis seorsum cõcredidi, tam abest, ut ea uelim occulta esse, ut oporteat uos ea palam in luce prædicare. Proinde abijciendus uobis erit omnis metus, & proceundum in publicum. Illud: Super tecta prædicate, dictum est more regionis illius, in qua ita constructa sunt tecta, ut in illis habeantur consessus, & stationes. Atq; ideò Deut. 22. ita legitur: cum ædificaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua, & sias reus, labente alio, & in præceps ruente. Et Iudicum 16. legitur: Iudente coram principibus Philisteorum Sampsone in tecto ac solario domus illius fuisse 3000. uirorũ ac mulierũ, Sampsonis ludum spectantiũ.

Quidam

Quidam uerò hæc uerba intelligunt eodem sensu dici, quo et priora: nempe isto. Tam abest, ut causæ meæ metuam, cupiamq; doctrinam istam quam uobis seorsum commendaui, occultari, ut magna fiducia iubeam uos illam in luce & in tectis dicere, imò prædicare. Causam enim bonam ac diuinam habemus, quæ non amat latebras, quicquid de illa sensurus sit totus etiam mundus. Atq; isto sensu uidentur hæc uerba Lucæ 12. posita esse, ubi sic legimus: Cauete uobis ipsis à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Nihil enim opertum est, quod non reuelabitur, neq; absconditum, quod non scietur: Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine audientur, & quod in aurem loquuti estis in conclauibus, prædicabitur in tectis, &c. Vt nihil hic discrepet, nisi quod hic in Mattthæo legitur: Quod in tenebris dico, dicite in luce. in Luca est: quod in tenebris dixistis, in luce audientur. & quod Matthæus dicit: & quod in aurem auditis, prædicate in tectis. Lucas habet: et quod in aurem loquuti estis in conclauibus, prædicabitur in tectis, mutatis scilicet personis. q.d. Videte ut integri sitis. Nihil occultum, quod non scietur. Nam ita res habet, ut quæ soli solis dicitis, sint prædicanda publicè in tectis. Idem scilicet eueniet doctrinæ meæ, quam uobis in aurẽ seorsum tradidi. Et in illa compleri per uos uolo, quod isto prouerbio dicitur. Verum in idem tendere uidentur utræq; sententiæ.

QVID HINC SIT NOTANDVM.

Ex eo sensu, quem in Matthæo uerba Christi habent, uidemus quàm uelit & exigat Christus doctrinam suam magna fiducia & optima conscientia publicè in luce coram omnibus prædicari. Ad hoc autem opus est, ut minister Christi euangelicam doctrinam ipse primum probe, ut sanam & integram agnoscat ac teneat, alioqui non poterit eam ista fiducia publicè prædicare.

Et ne metuatis uobis ab his qui occidunt corpus, animam autem nõ possunt occidere. Sed metuite magis illum, qui potest & animam & corpus perdere in gehenna. Nónne duo passerculi minuto asse ueneunt? Et unus ex illis non cadet in terram sine patre uestro. Vestri uerò etiam pili capitis omnes numerati sunt. Ne igitur metuatis, uos pluris estis quàm multi passerculi.

Quoniam ad eam functionem, quam subituri erant Apostoli, administrandam, exigebatur animus intrepidus, nullis periculis absterritus, commode postquàm de futuris periculis eos instruxerat, timorem ignauum illis adimit. Adres enim arduas obeundas nihil adeò impedit, atq; rerum aduersarum metus. Hoc optime nouit, qui ad similitudinẽ carnis nostræ, dempto peccato, carnem cum sua imbecillitate assumpserat. Atq; ideò aliquot argumentis metus ac pusillanimitatis impedimentum Apostolis suis, quo, ut supra dixit, id quod in aurem audierant constanter & intrepide, in tectis prædicarent, diligenter eximit. Non enim contentus supra dixisse: Ne metuatis eos, denuo subdit: Et ne metuatis uobis. Quin tertio quoq;. Ne igitur metuatis inquit, &c. sed uideamus quibus utatur argumentis.

Primo. Et ne metuatis uobis inquit ab his, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Argumentum est ab impotentia tyrannorum sumptum, qui utut sæuiant, non poterunt tamen ultra quicquam mali inferre, postquàm corpus occiderint: utpote, qui in animam nihil habeant potestatis, quam non possunt occidere. Pulchrè est in Luca obseruandum, quod illic legitur. Et post hæc non habent amplius quod faciant. Atq; ista argumentatione Christus uilem & contemnendam reddit impiorũ sæuitiam, quæ etsi ad summum euaserit, nihil tamen poterit pio adferri nocumenti, quod ad ueram & perpetuam salutem attinet. Et si diuina promissione corpus occiderint impij, quantulum hoc fuerit, cum illud alioqui breui sit moriturum?

Deinde non solum in seipsa sæuitiam tyrannicam eleuat, sed & per collationem diuinæ potentiæ planè contemnendam, & ne pili quidem faciendam admonet, dicens: Sed metuite magis illum, qui potest & animam & corpus perdere in gehenna. q. d. Quod si metuitis eos, qui aliquo pacto nocere possunt, uel malis saltem afficere, quomodo non magis eum metuetis, qui non solum corpus potest occidere, sed & animam cum corpore perdere, idq; in gehenna? Parum est occidere corpus. Potest enim illud denuo restitui. Nondum perdidit qui occidit corpus. Saluti nihil ademit, qui hanc uitam abstulit, quam nolunt uelint omnes deponere cogentur etiam ipsi corporum occisores. Qui uerò & animam & corpus condidit, is demum est, qui solus perdere potest, non solum corpus, sed & animam, idq; irrecuperabiliter in gehenna. Hunc certe, si sapueritis, unum timebitis, quem si timueritis, istos corporum occisores contemnetis etiam. In Luca cap. 12. hanc sententiam ita legimus: Ostendam autem uobis quem timeatis. Timete eum, qui postquàm occiderit habet potestatem conijciendi in gehennam. Certe dico uobis, hunc timete.

Tertio. Non solum in seipsa impiorum sæuitiam: deinde & per collationem diuinæ potentiæ, atq; omnimodæ perditionis, contemptibilem reddit, sed & ex consideratione diuinæ prouidentiæ idem facit, ut suadeat uel hoc nomine tyrannos istos corporum occisores non esse metuendos, quod ne tantillũ hoc quidem sæuitiæ, quam exercent, in sua potestate habeant, sed planè sit in manu Dei, non solum omnimoda perditio in gehenna, sed & ista corporum occisio, quam exercent impij. Vnde caute supra, non dixit: Ne metuatis uobis ab his, qui potestatem habent uel possunt corpus occidere, quomodo neq; in Luca dixit, sed simpliciter: qui occidunt, inquit, corpus. De Deo uerò, non dicit, qui & animam & corpus perdit in gehenna, sed qui potest, uel ut in Luca est, qui habet ἐξουσίαν, perdere in gehenna. Quibus uerbis, ut diuinam prouidentiam discipulis ob oculos ponat, tyrannis etsi corporum occisionem tribuit, potentiam uerò & potestatem non illis, sed Deo tribuit.

Vt autem quod ſuadet euidenter probet, exemplis utitur accommodiſſimis, talibus tamen, quæ & ipſa fide opus habent. Dicit itaq; Nónne duo paſſerculi aſſe minuto ueneunt? Et unus ex illis non cadet in terram, ſine patre ueſtro. Veſtri uerò etiam pili capitis omnes numerati ſunt. Ne igitur metuatis, uos pluris eſtis, quàm multi paſſerculi. Expendamus itaq; iſtorum uerborum
2 emphaſeis. Primo. Non proponit Prophetarum aut Patriarcharum exempla, in quibus declaret prouidentiam dei, ne, ut ingenium eſt modeſtorum & humilium, plurimum cauſentur diſcriminis eſſe inter ſuam et Prophetarum Patriarcharumq; coram Deo dignitatem & æſtimatione, neq; mox minora curare eum, qui maiorum probatur habuiſſe rationem. Propterea adducit in medium talia, quæ ſine omni controuerſia longè ſint infra mortalium etiam uiliſſimorum æſtimationem, ut cognita in minimis diuina prouidentia, non dubitent ſe multo magis illa potiri. Dicit igitur: Nónne duo paſ-
2 ſerculi, &c. Deinde. Non quoduis brutum animal adducit, ſed minutiſſimum, notiſſimum, ac uiliſſimum: ni-
3 mirum paſſerculum. Tertio. Non ſolum paſſerculum inducit, ſed & precium illius commemorat, quod tale eſt, ut unus ſolus nequeat certo precio æſtimari, atq; ideò duos cõiungit, qui ſimul uiliſſimo precio proſtent. Et Lucas quinq; ponit, qui duobus aſſibus minutis eman-
4 tur. Quarto. Ad hoc etiam facit, quod non dicit: aſſe ueneunt, ſed minuto aſſe ueneunt. Diminutiuum ponens ad hoc, ut non ſolum paſſerculorum, ſed & ipſorum
5 precij uilitatem exprimat. Quinto. Ad idem ualet,
6 quod non dicit: paſſeres, ſed paſſerculos. Sexto. Emphaſim quoq; habet ipſa interrogatio. q. d. Eſtote uos ipſi iudices, in re uobis quoq; notiſſima. An non uerum ſit quod dico. Nam omnium fortiſſimè arguitur ex ipſa annnuentis reſponſione. Septimo. Signanter non dicit:
7 Et illi non cadunt ſuper terram, ſed: Et unus ex illis non cadit ſuper terram, quatenus nos doceat, non ſolum in genere Deo nos curæ eſſe, ſed & ſingulos ſeorſum prouidentia Dei frui. Si enim ſingulos paſſerculos ita ſibi commiſſos habet, ut nullus ex ipſis ſine ipſius prouiden-
8 tia in terram cadat, quanto magis homines? Octauo. Illud: non cadet ſuper terram, idem eſt, atq; non occiditur, non capitur, non interit. Eſt enim ea ratione dictum, quoa iſtæ auiculæ, ſiue ultrò moriantur, ſiue ſagittis percutiantur, in terram mortuæ cadunt. Alioqui ſublimia incolunt. q. d. Man ſtelt in mit ſchieſſen nach, es uuirt aber ihr Keins troffen, und zur erden gefelt, on euueren uatter, &c. Quanto minus ueſtris inimicis in manu erit ſuis inſidijs pro uoto uos opprimere? Sie uuerden fehl ſchiß thun, uuenns der uatter nit zugibt.
9 Nono. Neq; hoc parum ad propoſitum facit, quod non dicit: ſine Deo, ſed ſine patre ueſtro. Nam omnium potentiſſimum eſt ad prouidentiæ Dei argumentum, ſi credamus illum eſſe patrem noſtrum.
10 Decimo. Cum debuiſſet ſubiungere: Quanto magis uos non occidemini ſine patre ueſtro, ut caſus caſui reſponderet, non hoc facit, ſed ut oſtendat nõ ſolum uitam ipſorum, ſed & minutiſſima quæq; ipſorum, & quæ alioqui ſuperflua habentur, & ab ipſis poſſeſſoribus non admodum curantur, in prouidentia patris ipſorum compræhenſa eſſe, dicit: Veſtri uerò etiam pili capitis omnes numerati ſunt. Expendamus autem & horum uerborum emphaſeis.

Veſtri uero pili capitis.

Primo. Non dicit: Vos uerò omnes in numerato habet. Neq; dicit: capita aut membra ueſtra uitalia numerata ſunt: ſed pili, qui tamen uiliſſima capitum portio ſunt. Iam qui pilorum rationem habet, multo magis de capite ipſo ſollicitus eſt. 1

Secundo. Emphaſim habent & illæ dictiones: uerò, &: etiam. Veſtri uerò. Reſpectu auicularum. Nam diſcriminis notam habet hic illud uerò. Etiam pili, occultam habet diminutionem. Quaſi dicat: Non ſolum uita, corpora, & quæ maiora in uobis ſunt, ſed pili quoq;, utut planè nullius æſtimationis ſint, tamen apud patrem ueſtrum numerati ſunt: ita nihil in uobis eſt, cuius nulla ſit apud ipſum ratio. 2 Vero. Etiam.

Tertio. Dictio: omnes, non eſt ociosa, ſed ideò poſita, ut plenariam & omnimodam diuinæ curæ diligentiam inculcet. Quaſi dicat: Nullus eſt adeò minutus capitis ueſtri pilus, uobis etiam ipſis neglectus, quem pater non habeat charum, quem non cuſtodiat. 3 Omnes.

Quarto. Neq; fruſtra eſt, quod non dicit: cogniti ſunt, ſed: numerati ſunt. Per numerationem enim oſtendit ſingularem & præcipuam curam. Nam quæ numerantur, ideò numerãtur, ne quid ex ipſis depereat. Notat ergo præcipuam æſtimationem. Nam quæ non æſtimantur, abſq; numero proijciuntur. 4 Numerati ſunt.

Quinto. Et hoc magnam habet conſolationem, quod non dicit, numerabuntur, ſed: iam ſunt numerati. Quaſi dicat: Iam olim eſtis in ipſam Dei patris ueſtri prouidentiam aſſumpti. 5

Poſtea confidenter concludit: Ne igitur metuatis, uos pluris eſtis, quàm, &c.

QVID EX HOC LOCO notandum ſit.

Obſeruandum eſt, quomodo timor mali damnique futuri per Chriſtum nobis non ſimpliciter adimatur, ſed magis dirigatur, & in ordinem redigatur. Eſt enim affectus iſte, quem definiunt appropinquantis mali metum, naturalis, diuinitus nobis, certaq; ratione inditus, atq; ideò, quemadmodum & gaudium, amor et odium, & ſi qui alij ſunt naturales affectus, non auferendus à mortalibus, ſed ſpiritu dei bono corrigendus, & à peruerſitate uindicandus. Atq; hoc eſt quod Chriſtus hoc etiam loco facit. Eſt autem iſta peruerſitas, quam ex prima tranſgreſſione concepit humana natura, talis, ut inſtar cæcorum metuat non metuenda, & quæ uerè metuenda ſunt non metuat. Proinde admonitione Chriſti moti hac de re pauca adnotabimus. Eſt enim metus mali adeò neceſſarius mortalibus, ut nec pietas ſine illo nec præſentis uitæ conuictus conſiſtere queat.

Primo. In eo quod dicit: Ne metuatis uobis ab his, qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere. Docet non eſſe uerum timoris uſum, ea timere quæ certam perditionem afferre non poſſunt. Mortem 1

autem

autem corporis non esse hominis perditionẽ, non solum sacræ, sed & gentium literæ fatentur. Occisionem uerò corporis, tanquàm extremã rerum lineam ponit, ultra quã nõ habet humanus furor quod agat, ut doceat multo minus, ea quæ minoris sunt periculi timenda esse. Videmus itaq; quam nõ deceat Christianos metus iste, quo ea, quæ nõ possunt ueram perniciem adferre timentur. Iam si mortem timere non est Christiani hominis, quomodo illius erit, bonorũ temporalium iacturam, & quæ eiusmodi infra mortem sunt timere?

2 Deinde, obseruandum est, quomodo peruersus & uanus timor corrigatur, in eo quod dicit: Sed metuite magis illum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehenna. Verus timoris usus est eum timere qui uerè & perpetuo nocere & perdere potest. Illo expellitur
Susanna. inanis timor. Exemplum huius habes in Susanna, quæ cum audisset minas duorum senum, dicebat: Angustiæ mihi sunt undiq; Si hoc egero mors mihi est, si non, non effugiam manus uestras. Sed melius est mihi absq; opere incidere in manus uestras, quàm peccare in cõspectu Dei. Hinc tam multa in scripturis habentur de timore Dei, quomodo sit initium sapientiæ, & quomodo à malo declinet, qui Deum timet, &c.

3 Tertio. In eo quod ad expellendam timoris peruersitatem prouidentiam Dei inducit, dum docet, ne corporis quidem occisionem, imò neq; capillorum amissionem esse in manu hostium, sed magis in manu Dei. Considerãda est illa stultitia, qua eum timemus qui nõ dat, sed accipit lædendi potestatem, eum non timemus qui illam dat. Nam qui dat, quando uult dat, & cui uult, & quod uult, & quousq; uult. Qui uerò accipit, non accipit quod uult, nec quando uult, nec in quemuis. Quid ergo metuimus eos qui hodie nullas alias minas in ore habent, quàm ab illis qui occisores sunt corporum? Dominus est, qui omnia habet in sua manu, multomagis uitam nostram non solum futuram, sed & præsentem. De illo legimus, Deut. 32. Ego occido, & ego uiuere facio. Et 2 Reg. 5. Dicebat Ioram rex Israël. Num ego Deus sum, ut occidere & uiuificare queam? Quibus uerbis sanè fatetur, ne in regis quidem manu esse, non solum uiuificare, sed nec occidere, sed utrumq; esse in solius Dei potestate positum. Est autem hic locus duplici usu. Vno ut non timeamus tyrannos corporum occisores, quando etiã pili capitis nostri sunt numerati, ita ut ne unus quidem posit perire sine scitu patris nostri. Magnam habet res ista consolationem. Altero, ut eum magis timeamus, qui omnẽ nostram salutẽ habet in manu sua, quàm eos, qui nihil possunt, nisi diuinitus detur.

QVOT MODIS HAC IN RE delinquatur.

1 Primo. Sunt qui Deum quidem timent, sed non ingenuo timore. Illi uidelicet qui seruili timore præditi sunt. Iste non est filiorum Dei, & magis ad legem quàm ad Euangelium pertinet. Rom. 8. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum dei, in quo clamamus: Abba pater. Et 1 Ioan. 4. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate. Simile serui, qui herum quidem timet, sed non amat, filius & si patrẽ timeat, amat tamen etiam illum. Item quomodo mala uxor uirum quidem timet, sed metu pœnæ quam promeruit: proba uerò & ipsa uirum timet, sed propter fauorem illius conseruandum.

Deinde. Sunt qui per timorem Dei eò adiguntur, ut 2
contra uoluntatem Dei delinquant per prudentiam, ut sunt qui zelum Dei quidem habent, scientiam uerò Dei non habent. Illi permouentur quouis, obiectione nominis Dei, cultus Dei, &c. Igitur nisi sit timori Dei coniuncta diuinæ uoluntatis cognitio, cogitur obesse, quod debebat prodesse. Est enim timor Dei instar freni & calcarium, quibus equis sessori obedire cogitur, quorum usus tum bonus est, quando illis ad uoluntatem heri sui regitur equus. Quòd si fur quisquàm equum per ea abegerit, iam non est rectus freni & calcarium usus, sed peruersus. Ita planè habet & timor Dei. Bonum est regi timore Domini, sed ad uoluntatem Domini, non ad uoluntatem Antichristi. Rom. 10 Simile.

Tertio. Sunt qui homines magis timeant quàm Deũ, 3
atq; ideò illis quoq; magis obediant quàm Deo. Est aũt triplex delictum huius loci. Vnum, quando, ut supra 1
dixi: timore tyrannorũ cõtra Deum delinquitur, quando magis timetur qui corpus occidit, quàm qui animam & corpus in gehenna perdere potest. Alterum, quando constanter seruãtur quæ præcipit homo, Deus autem 2
non præcipit, & quæ Deus præcipit, paßim negliguntur & contemnuntur. Vtpote. Romanus Pontifex præcepit, ut Sacrifici & omnes sui Clerici, matrimonio abstineãt. Hoc constanter à iuratis illius custoditur, uerum quod Deus fornicationem prohibuit, hoc nullius æstimatur. Præcepit Romanus Pontifex, ne certis diebus aliquot ciborum genera comedantur. Seruatur. Præcepit Deus, ne adulterium cõmittatur, minus ualet hoc præceptum. Tertium. Quãdo ea quæ Deus præcepit, quatenus à Deo præcepta sunt non obseruantur, mox uerò, 3
ut ab hominibus eadem præcipiuntur, tum primum custodiuntur. Hoc quomodo Deo displiceat, uidere est, Esaiæ. 29. Timuerunt me inquit mandato hominum, & doctrinis. Ideò ecce ego addam, &c.

Quarto. Sunt qui non solum Deum non timeant, sed 4
ne eos quidem qui gladium à Deo acceperunt. Hoc hominum genus omnium peßimum hodie magna licentia crescit. Iuuentus nullo prorsus neq; Dei, neq; hominum timore cohibetur. Quid aliud in causa est, quàm quod neq; magistratus, neq; patres familiàs officiũ suum peragunt. Bonus est in se timor, quo timentur etiam mortales, maxime qui potestatẽ habẽt à Deo datam. Nisi enim bonum esset, non dixisset Paulus, Rom. 13. Si male agis, time: Nõ enim frustra gladium portat. Vide locum. Per illum enim timorem, etsi non iustificantur mortaliũ pectora externè, tamen malæ actiones cohibentur, ut pactior sit mortalium conuictus. Quin ad pietatem quoq; promouendam facit, maxime in iunioribus. Tametsi enim coacte faciant quod iubentur, tamen usu & assue-

tudine tandem illa coactio mutatur in animum spontaneum. Nisi metuant uirgæ disciplinam liberi, quo euadent? Et qui bonis literis initiati sunt, nisi præceptores metuant, quid addiscent? Nisi igitur sit metus aliquis disciplinæ, nihil sequetur aliud, nisi ipsissima corruptio iuuentutis, & omnis generis flagitia passim designabuntur. Quin eò euadet ista licẽtia, ut ne peccatum quidem esse putetur, quod diuinitus prohibitum est, nulla alia ratione, quàm quod omnia impune licent. Cũ itaq; pauci sint, qui recto ac legitimo timore Dei præditi, uerbi Dei admonitione à malis sibi temperent. quis quæso cohibebit reliquam impiorum turbam, ne pro libidine in omnia scelera ruat, nisi sit aliquis metus magistratus? Proinde quemadmodum prudens agricola, uepres quidem & spinas cum urticis funditus extirpat, & nõnunquàm igne admoto nocentem etiam humorem ex ipsa tellure euocat & consumit, ne quid mali seminis relinquatur. Vitem uerò etsi male luxuriantem, non tamen ita extirpat, sed repurgat quod nociuum est amputans, ut quod bonum est suo munere liberius restituatur, ita & hoc loco faciendum. Amputandus quidem est peruersus abusus timoris, siue Dei, siue hominum, non tamen timor ipse funditus euellendus ex pectoribus mortaliũ, sed magis corrigendus, & muneri suo restituendus. Didicimus iniquũ esse, magis timere homines quàm Deũ, Deo minus obedire quàm hominibus, atq; hoc passim in ore uoluimus: Bonum hoc est. Sed quod eò licentiæ istud rapitur, ut nulla in re planè metuatur gladij potestas, hoc tandẽ est quod ferri nec debeat nec possit, neq; prosit etiam, sed pietati plurimum obsit.

Mat. 8 Luc. 9. 12

Omnis igitur qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego illum coram pater meo, qui est in cœlis. Porrò quisquis negauerit me coram hominibus, illum & ego negabo coram patre meo, qui est in cœlis.

Alio iterum argumento ad excutiendum præposterum timorem ex animis suorum utitur, ad hoc, ut uerbum suum fiducialiter reiecto metu deprædicẽt. Est aũt & hoc argumentũ, ab ipsa æquitate desumptum. Quid enim æquius quàm eum seruum à Domino tempore gloriæ suæ negari, qui herum suum tempore belli negauerit? Rursus, quid iucundius ministrum agnosci ab hero suo, tempore gloriæ, qui tempore humilitatis & aduersæ fortunæ, illum sine rubore ac metu fiducialiter confessus fuerit? Dicit itaq;: Omnis igitur qui confitebitur me coram hominibus, &c. Q. d. Si uultis ut uos pro meis agnoscam apud patrem in cœlis, certè æquum erit, ut & me agnoscatis in hoc seculo coram hominibus. Quòd si me negaueritis coram hominibus, omnium iustissime uos, & ego coram patre meo negabo. Proinde uidete ut reiecto pudore quod uobis mando publice prædicetis, meq; coram hominibus confiteamini. Quid enim uobis proderunt mortales in extremo iudicio, si illorum gratia me negaueritis, quando cum periculum subeundum erit de uniuersa salute, ego uos quoque uicissim negauero?

QVAE HIC NOTANDA SINT.

Primo. Videmus hic, non esse satis homini Christiano, in Christum corde credere, nisi illum & aperte coram hominibus confiteatur. Non enim dicit: Omnis qui confitebitur me in corde suo, sed, coram hominibus. Quamuis enim ante omnia exigatur fides cordis, attamen simul iure exigitur, & confessio oris. Quemadmodum enim genuini filij est, corde quidem erga patrem esse syncero & integro, iuxta tamen rectè exigitur, ut patrem non neget coram hominibus, si ipse uelit à patre uicissim agnosci. Ad eum modũ planè & hominis Christiani est, ut corde quidem ad iustificationẽ in Christum credat, ita tamen, ut ore illum quoq; coram hominibus confiteatur ad salutem. Rom. 10. 1 Non quod non dicit fi uos, sed o mnes.

OBIECTIO.

Sed dicet hic aliquis. Atqui fidei tribuitur iustitia & salus, quomodo ita necessario exigitur confessio? Ergo non iustificat & saluat sola fides? Respondeo. Non hoc agitur. Sed cõfessio nihil diuersi habet à fide. Nihil enim aliud est, quàm ueræ fidei testimoniũ & fructus. Quemadmodũ & de fide & operibus cum loquimur, non duas res à se inuicem diuersas proferimus. Sed opera locamus in locum testimonij de uera fide. Potest autem fieri, ut opera quidam habeat sine fide, huic nihil prosunt opera. Rursus potest fieri, ut fidem quis simulet sine operibus. Illi nihil profuerit opinio fidei, quæ non uera, sed mortua est, si oportunitas adfuerit beneficiendi. Ita & de confessione Christi loquimur. 2

Notent ergo hoc loco, qui putant satis esse, si corde in Christum & ueritatẽ eius crediderint, nec opus esse, ut ore quoq; illum confiteantur coram hominibus.

OBIECTIO.

Rursus dicet quidam. Quòd si me Christus non est agnaturus apud patrem, nisi illum hic fuero cõfessus coram hominibus: ergo si non data fuerit oportunitas illũ apud aduersarios confitendi, non agnoscet me apud patrem. Respondeo. Salus adscribitur ueræ fidei. Illa sese exeret, si locus fuerit. Si non fuerit, nihilominus in Christum credens saluaberis. Proinde ubi de negatione apud patrem futura loquitur, nõ dicit: Qui me non fuerit confessus, sed qui me negauerit. Iam potest fieri, ut etsi non confiteare, utpote nulla existente occasione confitendi, non tamen illum neges. Propterea bene notandum est, ad negantes spectare quod dicit: Negabo illum & ego coram patre meo. Quemadmodum enim non quemuis confitentem intelligit, sed eum qui coram generatione hac adultera & peccatrice confitetur, rebus uidelicet aduersis & apud aduersarios: ita & de negante, intelligit apud aduersarios negantem, non eum qui tempore prospero, cum occasionem non habeat, non confitetur, etsi non neget. Potest enim fieri ut tempore prospero sit qui confiteatur quidẽ ore, corde aũt nõ credat, ut uafra est mortaliũ hypocrisis (unde & Paulus Tit. 1. Confitentur, inquit, se nosse Deũ factis aũt negãt) quẽ si arripuerit aliqua aduersitas pro Christo subeũda, uidebis mox negare, quod antea fuerat in pace confessus. Ad eũ modũ uideas quoq; qui ore nõ admodũ confiteatur in pace, 2

qui

qui si tribulatio fidei probationem, & confessionem exigeret planè non negaret, sed confiteretur.

OBIECTIO.

1 Rursus obijciunt hic quidam ex Matth. cap. 7. illud: Nolite sanctum dare canibus, neq; margaritas proijcere ante porcos. Illã obiectionẽ, uide supra ca. 7. loco citato.

2 Deinde. Videndum est, ubi dicit: Qui me confessus fuerit, &, qui me negauerit. Quando Christus, et à quibus, & coram quibus negatus fuerit, aut aperta confessione agnitus rebus ut dixi aduersis, et cum periculo uel fortunæ uel uitæ. Nam simpliciores quidam putant confessionis huius, uel etiam negationis nullum esse nunc locum: propterea quod neq; inter Iudæos, neq; gentes infideles, Christoq; aduersantes Christiani hodie uiuimus, qua de re uide supra, ibi: Ante reges & præsides ducemini propter me.

Supra cap. hoc eodem

Christum confiteri, non solum est nomen eius confiteri, id quod multi quoq; pseudochristiani faciunt, sed hoc est Christum cõfiteri coram hominibus, doctrinam eius confiteri, & quæ fides Christiana iuxta uerbũ Dei de illo tenet. Vtpote, quod sit filius Dei, quod sit Dominus omnem habens potestatem, quod sit unicus mediator inter Deum & homines, quod sit saluator, quod sit uia, ueritas et uita, quod morte sua nos redemerit, quod sit unicus noster magister, quod fides in ipsum iustificet ac saluet credentes, quod extra ipsum non sit salus, & si qua alia habet Euangelij doctrina, quam nos oportet ex animo fiducialiter confiteri.

Vsuuenit autem subinde, ut eorum quæ uerbum & doctrina Christi habet, quædam per pseudoprophetas & pseudochristianos negentur, ut confessio illorum sit fideli Christiano periculosa. Hic si confessus fueris ueritatem illam Christi, quam reliqui negant, Christũ ipsum confessus es, atq; ideò ab ipso quoq; agnoscẽdus. Sic tem

1 Ioan. 4 pore Ioannis euãgelistæ, negabatur à quibusdã pseudapostolis Christi diuinitas, unde primæ ca. 4. scribit: Qui cõfitetur quod Iesus sit filius Dei, in Deo manet, et Deus in ipso. Id quod non ita intelligendum est, quod nihil sit aliud de Christo confitendum, quàm quod filius Dei est, sed quod tum istud negabatur à quibusdã, ideò uidelicet hoc nominatim ponit. Oportet itaq; non solum confiteri Christũ ex nomine, quod sit filius Dei, sed simul nihil negare eorũ, quæ illius habet doctrina, sed omnia ipsius oracula quoq; sine omni pudore constanti fiducia asserere & cõfiteri. Ideò quod hic Matthæus habet: Omnis qui confitebitur me, &c. Marcus addit: Et uerba mea. Et Lucas 9. Et meos sermones. Non solũ igitur is Christum negat, qui illum ex nomine simpliciter negat coram infidelibus professis Christi hostibus, sed & ille, qui sermones eius coram pseudochristianis negat.

Iudæi

An satis erat Iudæo simpliciter confiteri unũ Deum, Deum Abrahæ, Isaac & Iacob, patrum suorum, & non simul coram falsis Iudæis tenebatur legem quoq;, & tradita Dei mandata confiteri, cernens illa negligi, & per

Tobias doctrinam idolorum supprimi? utiq; tenebatur. Tobias si cum reliquis uitulorum cultoribus contra legis diuinæ oracula feciſſet, Deũ utiq; negasset, utut interea unum Israëlis Deum cõfessus fuisset. Quia uerò syncerus erat Dei confessor, non solum nomen, sed & legem Dei agnoscebat, & pro uirili confitebatur & custodiebat.

Tertio. Expendenda est & ista contentio, qua confessionem suam apud patrem opponit confessioni nostræ apud homines, & uicissim nostræ apud homines negationi, suam apud patrem. Quid poterit autẽ maius dici, quàm Christum filium Dei coram cœlesti patre, & ut Mar. 8. & Luc. 9. habent, in gloria patris & sanctorum angelorum, cum maiestate uenientem peccatorem hominem, palàm agnoscere pro suo? Rursus quid horrendum magis, quàm tum temporis à Christo negari? Quem quæso ista non incitabunt, ad confessionem Christi synceram? Quid cogitant miseri homines, qui pro- 1 Ioan. 12
pter gloriam terrenam quam magis diligunt, quàm gloriam Dei, cum Iudæis, qui in Christum quidem credebant, nõ tamen confitebantur, ne extra Synagogam ejicerentur. Malunt ueritatem negare coram huius mundi magnatibus, atq; in futuro iudicio uicissim à Christo negari, quàm cum Apostolis & Christi fidelibus ueritatem cõfitentes ineffabilem istam gloriam coram omnibus angelis & cœlesti patre expectare?

Quantulum est autem, & quid utilitatis quæso accedet Christo ex eo quod hic coram hominibus illũ confiteris? Rursus quid damni habebit, si negaueris apud peßimam & adulteram impiorum generationem? An eget Christus gloria mortalium? An potest uel abs te misero peccatore, si confessus illum fueris, uel ab impijs hominibus coram quibus illum fueris confessus, quicquàm gloriæ illi accedere? Nequaquàm. Tibi uerò, quãtum accessurum sit gloriæ, si in extremo iudicio à maiestate illa Christi infinita fueris agnitus & honoratus, quæ poterit quæso mens concipere, nedum lingua exprimere?

Quarto. In eo quod dicit: Confitebor illum & ego 4
apud patrem, &c. id quod nihil est aliud, quàm agnoscam illum, & ego pro meo, uidemus qui sint pro ueris Christianis habendi, qua in re hodie plurimum est controuersiæ. Papistæ exigunt à Christianis, idq; cum tormentis, fidem in sanctos, & occîdunt etiam non confitentes fidem sanctorum, id est, non agnoscẽtes patrocinium sanctorum defunctorũ, sed tantum unum Christum confitentes. Item exigunt, ut confiteamur potestatem Romanæ Ecclesiæ, iustificemusq; quo suis errores humanitus introductos in Ecclesiam. Negantes non habent pro Christianis, sed occîdunt uelut hæreticos. Anabaptistæ, non agnoscunt pro Christiano, nisi eum qui sit in omnibus perfectus, & ultra non peccet. Sed uideamus quos Christus sit agniturus pro ueris Christianis. Negari enim nõ potest, eos esse uerè Christianos, quos Christus in extremo iudicio agnoscens pro suis, corã patre & omnibus angelis suis cõfessurus est. Qui sunt illi? Omnis, inquit, qui cõfitebitur me corã hominibus. Id est qui me pro suo domino, & unico saluatore agnoscet, doctrinã & sermones meos coram hominibus non erubescet, sed ingenue confitebitur, illum & ego pro meo agnoscam. Erit igitur uerus Christianus, qui ueram & synceram,

fidem

fidem ac dilectionem in Christum habuerit, etsi necessitas popoſcerit, Christum in ſermones eius cum fiducia confeſſius fuerit, nihil erubeſcens Euangelium illius coram hac peccatrice, & adultera generatione, etiamſi non ſtatim ipſa uita omnibus Christi ſermonibus reſpon
Latro derit. Latro in cruce Christum confitebatur, ſeſeq; illi commendabat. Quid Chriſtus? An hunc propterea reiecit, quod latro eſſet? utiq; nõ reiecit, ſed pro ſuo agnouit. Quare? An ideò quod perfectus eſſet? Nequaquam. Sed ideò quod ipſum confeſſus eſſet coram impia & peccatrice generatione.

Hoc tamen non immerito exigitur, ut ita uiuere ſtudeamus, ne Chriſto domino noſter probro ſimus apud impios. Hac in re plurimum laborat Paulus, perpetuo admonens, ut digna conuerſatione uitæ uocationi noſtræ reſpondeamus, ne nomen Domini & doctrina Chriſti Ieſu blaſphemetur ab impijs. Sed in eo non conſiſtit, ipſum fundamentum noſtræ uocationis. Poteſt enim fieri, ut homo hypocrita quàm ſplendidiſſime uiuat coram impijs, ita ut traduci nequeat, cum tamen intus fide ſyncera, & charitate non ficta careat. An illum Chriſtus agnoſcet pro ſuo? Nequaquàm, uide Matth. 7. Non noui uos. Rurſus fieri poteſt, ut is qui ueram habet in Chriſtum fidem ac dilectionem ſubinde in peccata labatur, (ut iuſtus ſepties quoq; in die cadit) atq; ita impijs cauſam det blaſphemandi doctrinam Chriſti. An hunc negabit Chriſtus? Nequaquam. Alioqui quem confeſſurus eſſet? Quemadmodum itaq; probæ uxoris quidem eſt, ut honeſte uiuat, ne uiro ſuo probrum generet, et tamen non in eo conſiſtit uinculum connubij, ut eam maritus abijcere, negare queat, mox atq; nõ in omnibus uoto ſuo reſponderit. Sed hactenus illam pro ſua agnoſcit, quatenus adulterio datam fidem non fregerit, ſeq; uxorem eius eſſe candide cõfeſſa fuerit, ita & Chriſtiani quidem hominis eſt, utpote qui & ipſe Chriſto deſponſus eſt, 2 Corin. 11. Vt honeſte uiuat, ne ſcandalo ſit ſponſo ſuo Chriſto. Quòd ſi uerò per infirmitatem aut imprudentiam ſubinde deliquerit, non mox à Chriſto negabitur, duntaxat fidem & confeſſionem ſynceram & inuiolatam ſeruauerit. Propterea data nobis eſt in Eccleſia reſipiſcentiæ, remiſſionisq; peccatorum doctrina, factusq; acceſſus ad patrem pro remiſſione peccatorum orandi. Iſta ad conſolationem imbecillium dixerim.

Luc. 12 Non arbitremini, quod uenerim ad mittendum pacem in terram. Non ueni, ut mitterem pacem, ſed gladium. Nam ueni, ut diſſidere faciam hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, & ſponſam aduerſus ſocrum ſuam. Et inimici hominis erũt, ñ qui ſunt domeſtici ipſius.

Præoccupatio eſt. Erat communis opinio inter Iudæos omniũ mentes occupans de pace copioſiſſima, quæ futura eſſet ſub Meſchiach rege. Hanc ex dictis prophetarum conceperant, qui maximam futuram pacem uaticinati fuerant, de regno Chriſti prophetantes; unde illum & principem pacis uocarunt, cuius pax nullum eſſet habitura finem. Iſta opinio abſq; dubio & Apoſtolorum pectoribus inſederat, atq; ideò iſta Chriſti uerba, quæ de perſequutione futura prædixit, parum forſan uidebantur regno Meſchiæ congruere. Poterant cogitare. Quid hoc eſt, quod nihil nobis prædicis, niſi calamitates, perſequutiones, omnium odium, & in ſumma omnia aduerſa? Putabamus omnia fore proſperrima, & pacatiſſima. Sperabamus etiam liberandos nos fore ab oppreſſione illa Romanorũ. Iam uerò tam abeſt, ut iſta, ſi uera dicis, futura nobis ſint, ut etiam inter nos ipſos ſimus futuri turbatiſſimi. Quomodo conueniunt iſta dictis prophetarum? Quomodo reſpondebunt omnium de futuro Meſchiach expectationi? Talia uidelicet poſſibile eſt penes ſe Apoſtolos, iſta audientes, uoluiſſe & cogitaſſe. Hoc itaq; : Nolite arbitrari, quod uenerim ad mittendum pacem in terram, propterea dicit: ut prædictæ opinioni occurrat. Nã ea quæ Prophetæ de pace regni Chriſti prædixerant, non erant dicta de terrena & mundana pace, quam orbis iſte nunquàm habuit, nec habiturus eſt uſq; in finem. Neq; etiam habuerunt electi in hac terra, nec habebunt donec in hoc ſeculo uixerint. Quin contrarium magis erat: nempe diſſidia fore maxima qualia nunquàm fuerant. Nõ quod diſſidium doceat per ſe Euangelium, ſed quod filij huius mundi non ferentes cœleſtem ac ueram pacem, omnia pacis & concordiæ uincula odio Chriſti rupturi eſſent. Duo itaq; commemorat. Primum, non putandum ueniſſe ſe ad mittendum terrenam pacem, iuxta uulgarem de futuro Chriſto opinionem. Deinde iſto non contentus, addit non ſolum non ueniſſe ſe ad mittendum eam mundi pacem, ſed ueniſſe ad mittendum diſſidium, imò gladium. Vocat autem hic gladium quod Luc. 12. uocat ſeparationem ad ſimilitudinem gladij reſpiciens, qui coniuncta ſeparat ac diuellit. Et ut exprimat non fore uulgare diſſidium, ponit coniunctiſſimos naturæ gradus, quos ſeparaturus eſſet gladius, quem uenerat mittere in terram: nempe patrem & filium, matrem & filiam, ſocrum & nurum, ut appareat, nullum cognationis inter mortales, adeò firmum fore uinculum, quod Euangelij gladius non ſit diſſoluturus.

Exponunt autem hunc locum bifariam. Primum, ut intelligatur de ea diſſenſione, qua infideles à fidelibus per prædicationem Euangelij ſeiungendi fuerant. Quæ ſententia communior eſt. Siue autem legas fidelem hominem diſſidere ab infideli patre: fidelem filiam aduerſus infidelem matrem: fidelem nurum aduerſus infidelem ſocrum: ſiue magis infidelem hominem aduerſus fidelem patrem: infidelem filiam aduerſus fidelem matrem, &c. Nihil aliud ſignificatur, quàm tantum fore Euangelij ſtudium, ut cognatiſſimi illius gratia à ſe inuicem ſint diſſenſuri, nedum reliqui ciues, amici & exteri.

Deinde quidam exponunt iſta Chriſti uerba, non de euãgelico illo diſſidio, quo fideles ab infidelibus, ſed quo infideles & impij homines inter ſeipſos mutuo ruptis cognationis uinculis ex iudicio Domini, poſt abiectũ Euangelij nuncium ſint diſſenſuri, & inteſtino odio cõflicturi,

turi, tanquàm indigni terrena quoq; pace qui cœlestem reiecissent, indigni reuerẽtia & obediẽtia minorũ suorũ, qui Deo rebelles, & immorigeri extitissent, indigni mutua inter se cõcordia, qui uerã cum pijs concordiam spreuissent, ut impleatur illud Esaiæ: Nõ pax impijs dicit Dominus. Ad istam uerò sententiã huius loci uidentur permoueri prophetia Micheæ, qui cap. 7. ad hunc modũ dicit: Nolite credere amico, & nolite cõfidere in duce. Ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui: quia filius contumeliam facit patri, & filia insurget aduersus matrem suam, nurus aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici ipsius. Cum ergo Christus appareat istum huius prophetæ locum usurpasse, propheta uerò uideatur de dissensione impiorum inter seipsos post cõemptas propheticas uisitationes & admonitiones, bonorumq; occisiones, ut et initio capitis quæritur, & non de ea qua boni à malis dissentiant, loqui: uolunt & Christum hoc sensu locum istum adduxisse. Quanquàm Chrysostomus de dissidio malorum aduersus bonos, quod tum temporis uigebat inter Iudæos propter prophetas uel bonos uel malos, defendentibus malos malis, bonos bonis.

Tale quid est & Hiere. nono.

Hoc itaq; sensu idem esset, ac si diceret Christus: Nolite putare aduentu meo pacem terrenã adferre me huic populo. Non ueni adhoc. Quin magis ueni, ut & si quam hactenus in malo habuerunt, tollatur, & implea-tur: hæc terra summis dissidijs, & intestinis bellis, ad uindictam reiectæ uisitationis. Propterea nõ erit uobis expectanda terrena tranquillitas, cum uniuersa terra datura sit pœnas ingentibus & maximis dissidijs, instetq; tempus uisitationis illius. Verum si quæ sequuntur spectemus, nempe: Qui amauerit patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus. Apparet Christum magis de eo dissidio loqui, quo credentes ab incredulis, pij ab impijs, dissensuri erant Euangelij uidelicet gratia.

QVID EX HOC LOCO notandum sit.

De priori sensu.

Primo. Videmus hoc loco, pacem terrenam extra ueritatem Dei, nedum contra ueritatẽ, non esse bonam, & melius esse dissidium propter ueritatem, quàm pacem in errore & mendacio. Spectabile quidem bonum est & iucundum carni, terrena tranquillitas & concordia, ut ciues non discrepent à ciuibus, cognati à cognatis, liberi à parentibus, domestici à patrefamilias: uerum si illius gratia reijcienda sit ueritas, & obtinẽdus error, obtinenda impietas, iam non est bona concordia, sed nocentissima. Cum ergo in erroribus pax esset, & concordia inter Iudæos, Christus uerò uenisset ueritatem spargere, errores tollere, ueram pacem mittere, merito primum uenisse se dicit ad separationẽ eorum qui in malo cohærebant & unanimes erant. Erat enim instar medici, qui dato pharmaco totum corpus perturbat, dum malos humores excitat, ut bonos separet ac liberet, ne peruersa tranquillitate tandem omne corpus incipiat lœtaliter ægrotare & planè mori. Et quis prudens non malit eiusmodi turbationẽ corporis sui, quàm lœtalem concordiam & tranquillitatem?

2 Ad eum modum habebant & prophetarum tempora, ut uidere est in Elia, & reliquis.

Ita & in gentibus pacata erãt omnia, sed male. Vnde oportebat cõmotionem illorũ fieri, Euangelij pharmaco, ut quod seruandum erat, à malo liberaretur. 3

Posteri Noah unanimes erant in ædificanda contra uoluntatem Dei turre. Mala erat concordia, propterea opus erat bono dissidio. 3

Ista debebãt cogitare, qui hodie quæruntur, de intestinis dissidijs per Euangelium excitatis. Plausibile est quod dicunt in oculis carnis. Ecce ante nouam istam doctrinam, pacata erant omnia, eramus unanimes, nemo dissidebat religionis gratia à quoquàm. Iam uerò uidemus omnia turbata, luxata ac diuulsa esse cuiusuis cogitationis & societatis iura. Et quomodo poterit ista doctrina ex Deo esse? Ista sanè magni fiunt apud filios huius mundi terrenæ pacis, magis quàm cœlestis studiosos. Verũ idem est ac si dicat ægrotus cõmoto toto per pharmacum corpore, quid hoc est medicinæ? An isthæc est curatio corporis mei, cum antea multo melius habuerim, & iam omnia interiora mea turbata sint, ita ut exitium minari uideantur. Saperet ne ægrotus ista dicens? Quid medicus hic diceret aliud, quàm, bene habet fili, propterea ueni, ut istam commotionem in corpore tuo excitarem, ad liberandum illud à malis humoribus atq; adeò & ab ipso exitio?

Doceant itaque qui talia quæruntur bonam fuisse præteritam concordiam in causa religionis. Hoc si docuerint certè non inanis erit ipsorum querimonia: nempe quæ merito doctrinam hanc incuset turbatæ publicæ pacis excitatiq; intestini ac mali dissidij. Si uerò illud nequiuerint, quid est quod perpetuo istorũ temporum turbas obijciunt, quas libenter agnoscimus, utpote, quas scimus Euangelij beneficio excitatas, & meliores esse præterita pace, salutiferasq; multis Dei electis, quibus ad ueritatem inde facta est uia. Et tam abest, ut nõ agnoscamus quod obijciunt, ut cupiamus ista dissidia, ultra etiam inter illos excitari, qui adhuc in erroribus male concordes desident. Vtinam & istos corripiat gladius iste & ignis euangelicus, quin corripiat & Turcos & Iudæos & quosuis incredulos.

Quòd si simplicitate pacatas esse res mortalium, in seipso bonum est tale, ut illius gratia fugiendum sit bonum dissidium, culpandiq; qui dissidia per ueritatis doctrinam excitant, culpentur omnes prophetæ, Christus, Apostoli, &c.

Deinde uidemus etiã hoc loco, quàm non bene consulant Christianismo & regno Christi, qui propter pacem instaurandam putãt, multa esse de ueritatis doctrina concedenda, idq; in Concilijs unum agendum, ut istæ commotiones sedentur. Conciliorum status est non pax terrena, sed ueritas Christi, non extirpatio dissidiorum, sed mendaciorum.

Tertio uidemus etiam, quo feruore, quo studio adhærendum sit homini Christiano Euangelicæ ueritati & pietati: nempe tanto, ut alioqui magnæ autoritatis paterna cognatio diuinitus reuerẽda præcepta, cedere cogatur. Sed uidendum ut ista separatio, non nisi Euangelij gratia sit, in cæteris manente summa reuerentia.

DE

DE SENSV MICHEAE.

Hic obſeruandum eſt, quid maneat eos, qui terrenæ pacis & tranquillitatis gratia excludunt diſsidiũ Euangelicum, id eſt, pharmacum Chriſti. Nempe nihil aliud quàm quod ſcriptura dicit: Quod timet impius ueniet ſuper eum. Vt uidelicet peius & pernitioſe inter ſe diſcindantur, nec reuereatur filius patrem, nec filia matrem aliqua in re.

Qui amauerit patrem aut matrem ſupra me, nõ eſt me dignus. Et qui amauerit filium aut filiam ſupra me, non eſt me dignus. Et qui non accipit crucem ſuam ac ſequitur me, non eſt me dignus. Qui inuenerit animam ſuam perditurus eſt eam, & qui perdiderit animã ſuam mea cauſa, inueniet eam.

Quemadmodũ ſupra timoris peruerſitatem ne illa in obeundo munere impedirentur, ita hoc loco amoris quoq; affectum corrigit. Nam non minus à rectitudine Euangelij peruerſus amor auocat, quàm timor præpoſterus abſterret, dum ad gratiam eorum, quos amamus, ueritatem, quàm conſtanti tenore proſequi oportebat deſerimus: Gratificamur autem omnium facillime illis quos ardentius amamus, hoc eſt, uoluntati illorum nos accommodamus, moremq; illis gerimus, ſiue per fas hoc fiat, ſiue per nefas. Proinde oportet eum qui ſit ueritati conſtanter adhæſurus liberatum eſſe ab amoris peruerſitate, ne in gratiam quorumcunq; illam deſerat. Et reuera non eſt fruſtra, quod Chriſtus ſuos in iſtis duobus affectibus corrigendis inſtruit, qui propè totam mortalium uitam in obliquum ſua peruerſitate rapiunt, captiuamq; tenent. Aut enim metu malorum cohibemur à faciendis, aut amore eorum quæ deſideramus in tranſuerſum abducimur. Summopere itaq; neceſſarium eſt, ut correcti ſint iſti duo affectus in illis, qui ſint ueritatis, uel miniſtri, uel alumni perſeueraturi.

Corrigit autem amoris affectum non ſimpliciter in quibuſuis turpibus, quæ plerunq; ſectatur animalis homo, ſed in gradu omnium honeſtiſsimo. Is autem eſt, quo amantur à liberis parentes, & uiciſsim liberi à parentibus, maritus ab uxore, uxor à marito (cuius ſcilicet meminit etiam Lucæ 14.) Deinde honeſtum uidetur, ut quiſq; uitam ſuam amet, ac tueatur pro uirili, proq; illa ſeruanda nihil non deſerat, nihil non faciat. Quoniam igitur peruerſus amor in iſtud quaſi biuium ſcinditur: nempe ut aut nos ipſos diligamus, aut alios extra nos potius quàm creatorem, atq; ideò uel noſtri uel eorũ quos peruerſe amamus gratia uoluntatẽ creatoris ac ſaluatoris unici noſtri Domini non facimus, in utroq; noſtræ peruerſitati occurrit Chriſtus.

1 Primũ, quia ſuprà dixerat, ſe non pacem miſſurum, ſed ſeparationem eamq; domeſticam quoq;, ut pater à filio, filius à patre, mater à filia, filia uiciſsim à matre, &c. diſſentiant. Videriq; poterat non ſolum durum, ſed & in oculis mundi parum honeſtum: nempe liberos diſſentire à parẽtibus, domeſticos à patrefamiliâs, fratrẽ à fratre, opponit ſeipſum parẽtibus, liberis, fratribus etc. ut ex collatione doceat, et admoneat etiam quem potius amare, ſi Chriſtiani uelimus haberi, debeamus, cum dicit: Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, nõ eſt me dignus. Et qui amauerit filium aut filiam ſupra me, non eſt me dignus.

Quod autem hic dicit: Qui amat patrem aut matrem ſupra me, Lucæ 14. habet. Si quis uenit ad me, nec odit patrem ſuum ac matrem, & uxorem & filios, fratres & ſorores, præterea autem & animã ſuam, &c. Qui locus intelligendus eſt non ita, ut debeamus ſimpliciter odio proſequi parentes, quod eſſet contra mandatum Dei, & uerè diabolicum. Sed ut uelit nos parentes nõ amare ſupra ſe, quomodo hic dicit, Matth. 10. Oportet itaq; eum locum per iſtum declarare.

Et quod hic dicit: non eſt me dignus, in Luca dicit: non poteſt meus eſſe diſcipulus. Ne ſcilicet dicas: Et quis eſt Chriſto dignus? Tametſi indignus ſim illo, ſum tamen diſcipulus illius. Nequaquàm. Aliud eſt eſſe indignum uel reputari indignum à te ipſo, & aliud ſi te Chriſtus indignum iudicet ac reijciat, proq; ſuo agnoſcere nolit. Quod autem ſubdit: Qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus. Ad eam amoris peruerſitatem pertinet, qua uitam noſtrã amamus carnaliter, neglecto ueræ uitæ fonte. Atq; eam peruerſitatem duplici argumento corrigit. Vno ab exemplo ſuo, cum dicit: Qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus. Altero, ab utilitate conſeruandæ uitæ, & à damno amittendæ. Quemadmodum enim & ſupra non omnino mali metũ excuſsit ex animis ſuorum, ſed oſtendit quomodo magis timere debeant eum, qui non planè & in perpetuũ & animã & corpus perdere queat, quàm eum qui corpus tamen occidat breui alioqui moriturum, & poſtea non habeat quod faciat: ita & hoc loco amoris proprij peruerſitatem quidem corrigit, nõ tamen prohibet, quò minus uitam tuam diligas, dumtaxat uerè diligas ac conſerues, id quod quomodo facere debeas, docet, cum dicit: Qui inuenerit animã ſuã perditurus eſt eam, & qui perdiderit eam mea cauſa, inueniet eam. Q. d. Vultis uitam ueſtram conſeruare? Certè oportebit ut illam meo exemplo, non conſeruetis temporaliter, ſed perdatis, & æternaliter recipiatis.

QVID HIC SIT NOTANDVM.

Primo. Obſeruandum eſt, qua re opus habeamus, ad hoc, ut nihil non ueritatis Euangelicæ gratia faciamus, dicamus, patiamur: nempe dilectione Chriſti. Chriſtus autem, quem nõ uidemus, non poteſt amari, niſi fide ſumus in illum præditi. Hoc eſt, niſi oculis mentis dilectionem illius, qua nos proſequitur, conſpiciamus & toto pectore, abſq; omni dubio diurnæ lucis inſtar, teneamus & amplectamur. 1

Secundo. Videmus hic quàm non uulgarem amorem ſui Chriſtus exigat ab illis qui cupiãt eius eſſe diſcipuli, ſed planè ſupremum, qui totos nos in ipſum rapiat, qui parẽtes, liberos, propriam quoq; uitam uni Chriſto opponat. Durum uidetur, maxime quod hoc non ſimpliciter exigit, ſed ita ut alioqui nequeas illius eſſe diſcipulus. Verum nihil inſolentiæ habet, quando hoc & in ueteri teſtamento præſtitum eſt, imò exactum etiam. Vt 2

uidere

uidere est. Exo. 32. ubi Moses dicit: Si quis est Domini iungatur mihi. Hæc dicit Dominus, &c. occidat unusquisq; fratrem & amicum & proximum suum. Vide locum. Et Num. 25. tale quid factum est. Et Deut. 13. Si tibi uoluerit persuadere frater filius matris tuæ, aut filius
Genè. 22 tuus, &c. Vide locum. Et quid erat, quod ab Abrahamo exigebat Deus de immolãdo filio suo? Et Deut. 33. Vide quomodo laudentur Leuitæ hac in re. Cum hoc reperiatur in ueteri testamento, ubi minus erat diuinæ cognitionis. quid mirũ si hoc & in nouo exigatur? Quanquàm non exigitur, ut occidas dissentientes parentes uel liberos, sed hoc tantum, ut illos Christo non præponas. Et quid dico de ueteri testamento? An non quisq; ciuis in hoc obnoxius est magistratui, ut uxorem, liberos, parentes, amicos: adhuc autem & animam suam postponat patriæ saluti procurandæ, cum opus fuerit ad bellum exire? Quid ergo magni est, si Christo damus quod ciuis magistratui debemus?

3 Tertio. Iam expende quales Christiãni simus, qui nec pecunias quidem Christo postponimus, aut terrenum aliquem honorem. Quòd si Christo non est dignus, qui non patrem aut matrem, liberos & uitam illi postponit, quid nos erimus?

4 Quarto. Probè quoq; ponderandum est, & illud quod dicit: Non est me dignus. Certè, qui quod melius est, propter minus bonũ negligit & contemnit, meliore utiq; dignus nõ est. Pensandum hic quanta sit gratia quæ nobis per Christum contigit, quæ salus per illum allata sit, quantum dilectionis impenderit, non solum quod nos cum non essemus creauit, sed & spiritu suo regenerauit, morte acerba redemit, ad uitam æternam e faucibus Satanæ & mortis liberauit, perpetuo beatos reddidit. Hanc dilectionem, hanc gratiam, hanc salutem. Si quis siue parentum, siue liberorum, nedum aliarum rerum gratia neglexerit & contempserit, an non reuera Christo dignus non est? Quid igitur hoc loco notabimus aliud, quàm eum demum dignum esse Christo, Christiq; gratia qui non contempserit, qui illi nihil præposuerit, hoc est, qui magnifecerit talem se nactum esse saluatorem? Et nos ita solemus indignos æstimare beneficijs nostris, qui illa propter minus bona reijciũt. Itaq; æstimatio, dilectioq; Christi reddit nos Christo gratiaq; & beneficijs Christi dignos. Sed hac de re supra dixi. Ibi. Quærite quis dignus sit.

5 Quinto. In eo quod non simpliciter dicit: Qui amat patrem aut matrem, filium aut filiam nõ est me dignus, sed addit supra me. Videmus quàm nõ assequantur mentem Christi, sed uerbis Christi uim faciant Anabaptistæ quidam, qui hodie putant Christianum esse nõ posse, nisi qui relicta domo, uxore, ac liberis aufugerit, quasi duo contraria sint, amare Christum, & uxorem ac liberos habere & curare, cum tamen Christus non exigat, nisi hoc unum ut se supra quosuis diligamus, supra se nec patrem, nec matrem, nec liberos diligamus, hoc est, ut si uel ipse fuerit, uel parentes aut liberi deserendi, deseramus magis parentes ac liberos seq; seruemus. Isti uerò hoc prætextu relictis uxoribus ac liberis hinc inde ociosi uagantur, alieno labore uictitãtes, contra admonitionem Apostoli, 1 Timo. 5. Et interea, cum sint peiores infidelibus pro optimis Christianis ex hoc ipso malefacto sese uenditant belli homines, cum nihil plerunq; in causa sit, quàm quod pertæsi uxorum ac curandorum liberorum turpe ocium sectantur.

Ita scilicet miseri sumus, ut aut nimium diligamus parentes, liberos, uxores, Christi doctrinam illis postponentes, aut minus diligamus quàm par sit. Quin ea leuitas hodie deprehenditur apud plerosq;, ut magis sint ad amorem parentum, liberorum ac coniugum adhortandi quàm dehortandi, ostendendumq; quàm grauiter peccent, qui extra necessitatem deserendi Christi, suos iusto ac debito amore pariter & officio destituunt.

Imò, si ostendendum aliquando fuerit, uel in parentibus uel liberis, quàm unice Christũ diligamus, necesse erit, ut eos diligamus. Quid enim magni fuerit, si propter Christum deseras aliquãdo, quos alioqui iam antea non admodũ diligis? Quin non potest fieri, ut uerè propter Christum deseras, quos iam extra Christum deseruisti. Quomodo enim uincet in te amor Christi, amorem parentum, liberorum, coniugis, cum eum non habeas? Proinde, si commendandus in nobis est amor Christi, in eo, quod huius gratia parentes, liberos & coniuges deseramus, ipsum magis quàm istos amemus: omnino necesse est, ut eos amemus, & ita amemus, ut solus Christus illis præponatur. Quòd si pecuniæ, delitiæ, ocium, honor mundi, parẽtibus præponũtur, iam Christus non poterit primas istas habere, qui solus ipsis præponatur, atq; ita priuabitur hac gloria. Hinc facile colligimus hoc hominum genus, qui nullo recto amoris affectu erga parentes, liberos, & coniuges feruntur, non posse præstare quod Christus hic exigit, atque adeò & Christo indignos esse, nõ minus illis, qui supra Christum parentes ac liberos deamant. Imò dixerim hos minus dignos esse Christo, quàm istos, utpote qui quod uilius etiã est, quàm sint parẽtes ac liberi, Christo præponãt. Nam oportet, ut aliquid sit, quod eos ab amore parentum ac liberorum excludat, quod cum non sit Christus, necesse est minus aliquid esse, quàm sint parentes, qui unũ duntaxat Christum habent, cui postponantur.

Exhibeat itaq; quisq; se talem erga parentes, erga liberos, erga coniugem, ut ostendat quàm charos eos habeat, quos non sit deserturus, imò ne neglecturus etiam, nisi unius Christi domini ac saluatoris gratia, quibus neminem sit prælaturus, nisi unum Christum filium dei. Atq; hac in re hæc duo euidentissime demonstremus. Primum, quàm charos habeamus eos, quos in Domino 1
diligere tenemur, parentes, liberos, coniuges: nempe ita charos, ut nihil planè illis præferamus, nisi unum Christum. Sciat hoc filius in parentibus, neq; putet hinc se minus quàm deceat amari, sed ita amari, ut uno Christi amore superetur. Quis filius tales parentes nõ uicissim obnixe redamauerit?

Rursum, sciant parẽtes liberis suis ita se charos esse, ut nemo illis plus ametur in omni mortalium uita, præter unum Christum. Tales liberos quomodo non magno honore prosequerentur parentes? Quomodo eam uxorem nõ diligeret maritus, quam sciret ita erga se affici,

ut neminem sibi præponeret nisi unum Christum cœlestem sponsum?

2 Deinde eadem ratione declarabimus pulcherrime, quo loco nobis sit Christus, quem unum & parentibus, & liberis, & coniugibus alioqui omnium charissimis
Gene.22 præferamus. Abraham non potuit melius quo esset erga Deum amore declarare, quàm in resignando filio, unico & dilecto. Atq; huius gratia tam diligenter exprimitur: Tolle filium tuum, unigenitũ, quem diligis, Isaac.
Ioan.3 Quin & amoris Dei erga nos magnitudo & hyperbole
Rom.5.8 ineffabilis, in amore filij Iesu Christi consistit, dum nostri gratia illum in mortem tradidit.

Atq; ideò commendatur toties dilectio patris erga filium. Matth. 3. 17. Commemoratur unigenitus, dilectus, proprius esse Dei filius: ad hoc nimirũ, ut hinc colligamus, quàm charos nos habeat Deus, pro quibus unigenitum, dilectumq; filium tradiderit.

Ex istis itaq; puto satis euidẽter liquere, quàm amor Christi & amor parentum, liberorũ ac coniugum, non solum alius alium non pellat, sed magis exposcat, tam abest, ut uelit Christus prohibere, quò minus parentes, liberos ac coniuges amemus, cum non habuerit quo excellentiam sui amoris, hoc est, quo à nobis diligi debeat, euidentius potuerit declarare, quàm in amore isto parentum, liberorum ac coniugum: dum exigit, ut se plus quàm istos amemus, dum se unum uult esse, qui parentibus, liberis ac coniugibus nostris plus à nobis ametur.

6 Sexto. In eo quod dicit: Et qui non accipit crucem suam & sequitur me, &c.] Per crucem autem intelligit quæuis probra & aduersa, quæ diuinitus ueritatis gratia infliguntur.

1 Primo expendendum est, quàm homini Christiano non sit satis ea quæ extra se sunt Christo non præponere, sed opus esse ut & seipsum abneget, unde & Lucæ nono dicit: Si quis uult post me uenire, abneget seipsum. Multi sunt qui forsan externis renuncient, seipsos uerò qui abnegent, non ita.

2 Deinde, quomodo non simpliciter accipienda sit crux, sed cuiq; sua, id est, diuinitus destinata. Cõtra eos, qui sibijpsis cruces imponunt.

3 Tertio. Quomodo sequendus sit Christus qui accepta sua cruce nos præcesit. Et sequitur me inquit. Aspiciendus est dux noster Christus. Sequamini, inquit, Petrus uestigia eius. Item uide ad Ebr. cap. 10. Respicientes, inquit, ad fidei ducem & cõsummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio pertulit crucem. Crucis uia sanctificata est, per dominum uitæ & gloriæ.

7 Septimo. Notandum est etiam, in eo quod dicit: Qui inuenit animam suam perditurus est eam, & qui perdiderit animã suam mea causa, inueniet eam. Quo pacto, si quid chari habuerimus, seruareq; uoluerimus, uerè illud conseruare queamus. Nimirum, ut illud in hoc seculo propter Christum libenter impendamus, certi, nos omnia illic, in futuro scilicet, recepturos. Est enim potentissimus ac fidissimus omnium. Er lasst nieman im schaden ligen. Cũ itaq; simus alioqui amissuri omnia omninoq; perdituri, etiamsi nihil planè Christi gratia impenderimus, an non insani essemus, si aliquid eorum quæ chara habemus, libẽterq; seruaremus, pro Christo, olim magno fœnore recepturi, impendere & ad tempus amittere detrectauerimus?

Qui in alienis & periculosis regionibus rem faciunt, Simile
pecuniã quam lucrati sunt secum non detinent, sed uiam inueniunt, qua eam ad tempus alijs concredant, ut domi certius recipiant. Et illis dici poterit: Si pecuniã tuam seruaueris in hoc itinere, perdes eam. Si perdideris ad tempus, in patria recipies eam.

Agricola, si semini parcit, semen amittit: si in terram proiecerit, inueniet illud cum fœnore. Quis itaq; huic Domino non libenter seruierit, qui potest omnia affatim etiam uitam impensam restituere? uide Mar. 10.

Notandum est autem & hoc loco quod supra dixi: nempe quod non simpliciter dicit: qui perdiderit animam suam, inueniet eam, sed addit: mei gratia. Propterea opus est, ut qui uitam Christi gratia perdere debeat, alioqui illam charam habeat. Nam qui uenalem eam habet modicæ pecuniæ gratia, aut qui sibijpsis eam auferunt, ut aliquãdo faciebãt Donatistæ, & hodie pleroſq; uidemus, certè illam in Christo non recipient, sed miserè seipsos & in hoc, & in futuro seculo spoliant.

Misera res mortalium. Aut perditè uitam nostram diligimus, aut perditè odimus. Cum sint innumeri qui uitam suam pauculæ pecuniæ gratia uenũ exponãt. Cum sint multi, qui eã sibijpsis quoq; aut laqueo, aut submersione, aut præcipitio inæternum perdituri auferant: adhuc tamen ita pauci sunt, qui eam Christo non dubitent impendere, in æternum recepturi. Rursus cum sint tot millia qui uitam suam ne Christi quidem gratia sustinerent amittere, illam perditè amantes, reperiuntur tot deplorati homines, qui tanta leuitate uitam suam proijciant, perditè illum odio habentes?

Quid igitur? Orandus dominus, ut det nobis uitam nostram uerè & legitime amare, uerè ac rectè odio habere, hoc est, det nobis, ut totos nos ipsi uni consecremus, siue uiuos siue mortuos, ne uidelicet uitam nostram aut nobis ipsis perditè uendicemus, pro uoto illa abutentes, aut temerè more deploratorum abijciamus. Nam utrobiq; delinquitur, & quod nemo reddere potest, amittitur. Quemadmodum enim filiolus id quod à patre Simile
accepit munusculum malè collocat, & facile perdit, si aut sibijpsi illud imprudẽter retinuerit, quod patris custodiæ debebat concredere, aut si acceptum pro uili precio uendat, uel temerè abijciat, ita & uitam hanc quam certè pater dedit, quam nemo alius dare aut reddere potest nisi pater cœlestis, omnino amittemus, si illã aut nobis ipsis ad nostram libidinem uendicauerimus, aut uenum huic mundo exposuerimus, uel ipsi nobis ipsis abstulerimus.

Proinde, si quis uitam suam uerè diligit, consecret eam Christo (& quod de uita dico, de omnibus bonis dico) impendat eam illius uoluntati, paratus amittere etiam, si ita tulerit ipsius uoluntas. Hoc quisquis fecerit, uitam seruabit, siue per tyrannos illi hìc auferatur, siue non auferatur.

Qui recipit uos, me recipit: & qui recipit me, recipit eum qui misit me. Qui recipit

recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et quicunq; dederit ad bibendum uni ex pusillis his poculũ aquæ frigidæ, tantum nomine discipuli. Amen dico uobis non perditurus est mercedem suam.

Magnam his uerbis consolationem suis parat, & quasi τὸ ἀντίδοτον aduersus imminens excommunicationis ac reiectionis quam erãt passuri malum, de quo supra commemorauerat, in eo quod nõ contentus supra dixisse, quas pœnas daturi essent, indigni illi à quibus erant reijciendi, etiam addere uoluit quanto commodo essent à dignis recipiendi: nempe tanto, ut is, qui eos reciperet, se reciperet, atq; ita & patrem à quo erat missus, ut binc discerent quàm chari essent & sibi & patri. Magna est tentatio, & ingens scandalum, maxime imbecillioribus, reijci ab omnibus, odio haberi ab omnibus, excõmunicari à potioribus, idq; in populo Dei, imò ita ad mortem peti, ut putetur obsequium præstari Deo, si quàm atrocissime occidantur. Atq; hac ratione imbecillitati suorum consulens, ista ex altero latere inculcat. Q. d. Bono sitis animo. Tam enim abest ut propterea sitis à Deo patre proijciendi, ut sitis apud ipsum excommunicandi quod mundus iste impius uos proiecturus est & excommunicaturus, ut is qui uos receperit abiectos & excõmunicatos, omnibus iniustos, ipsum patrẽ sit recepturus: et uicissim qui uos reiecerit, ipsum patrem Deum sit reiecturus. Certè qui uos recipit, me recipit, quandoquidem à me mittimini. Scitis enim communi sensu uerum esse & indubitatum, in misso recipi eum qui misit. Iam si ego in uobis recipior, ergo & pater in me recipietur, quandoquidem ille me misit. Recipietur igitur in uobis mecum, & pater meus à quo missus sum. Et ut illud clare accipiant, adijcit de prophetis ac iustis: Qui prophetã, inquit accipit, propterea quod propheta est, mercedem prophetæ accipit, hoc est, participem se facit omnium bonorum ac laborum illius. Et qui iustum propterea quod iustus est, recipit, iustitiæ illius consortem se facit, parem cum illo mercedem recepturus. Quare hoc? Propterea uidelicet quod hoc pacto declarat se amatorem esse oraculorum Dei, & cultorem ueræ iustitiæ: deinde quod & istos in suo studio & munere adiuuat & promouet. Quemadmodum & qui malos recipit & sectarios, propterea quod mali sunt & sectarij, duplici nomine cõsortem se reddit illorum. uno quod unius animi cum illis est: altero quòd maliciam illorũ promouet. Ad eum planè modum, qui uos recipit: propterea quod mei estis, me recipit, & ita & patrem meum, cuius ego sum, parem mercedem uobiscum recepturus: propterea quod eiusdem animi erga me est, quem habetis & uos, & quod functionem uestram hoc pacto adiutam cupit.

Et ut augeat istam consolationem, exaggeratione utitur, qua asserit ista non solum ad Apostolos & Apostolorũ receptores pertinere, sed & ad minimũ quenq; suorũ, ita ut mercedem sit habiturus non solum qui Apostolos receperit, sed & qui unum ex pusillis suis receperit, imò tantum aquæ frigidæ potum dederit, in nomine discipuli, id est, propterea quod Christi sit discipulus. Quoniam uerò parum credibile uidebatur, propterea quod nihil magni feciisse putatur, qui potum aquæ frigidæ, qui bestijs quoq; dari soleat, dederit, iuramento utitur dicens: Amen dico uobis non est perditurus mercedem suam. Vbi & notandum est quod non dicit: recipiet mercedem suam, sed, nõ est perditurus mercedem suã. ut occurrat cogitationi nostræ pusillanimitatis, qua putamus pro paruis beneficijs nihil fore mercedis apud deũ, quasi perditum sit, si quid tale collocauerimus in adflictos Christi discipulos, quod nihil magni sumptus habet.

OBSERVANDA.

Primum. Notandum est hoc loco, quàm charos habeat suos Christus, nõ solum quos ad prædicationem regni sui mittit ministros, sed & quosuis suos discipulos, in eo quod se recipi dicit in eis, & quicquid illis impenditur, sibi impensum esse ducit, mercedemq; pollicetur. 1

Qua in re duo sunt obseruanda. Vnum quantam habeat consolationem, quod nõ solum Apostolos, prophetas & iustos pro suis agnoscit, sed & quosuis etiam minimos discipulos ad nomen suum pertinẽtes. Quis quæso talem Dominum ac principem non libenter haberet, qui suos ita diligeret et agnosceret omnes, nemine dempto, ut esset agniturus etiã & remuneraturus quicquid eis fieret? Egregia uox Christi Matth. 25. Quicquid uni ex minimis meis feciistis, mihi feciistis, quicquid illis non feciistis, mihi nõ feciistis. Quomodo ipse deseret suos, qui sibi imputat factum, quod illis fit. In hoc seculo reperiuntur forsan, qui potiorum suorum iniurias tanquàm sibi ipsis factas ulciscantur, uerum qui etiam abiectiorum quorumuis, non ita. 1

Alterum, quàm cupide & quanto cum honore debeamus, non solum uerbi Christi ministros, sed & quosuis Christianos, propterea quod Christi sunt, recipere, alere, uestire, solari &c. Certè nõ potest euidentius exprimi, quo simus erga Christum ipsum affectu, quàm si eos qui Christi sunt bene uel male tractauerimus. Si Christum diligimus, diligemus etiam eos qui illius sunt, quos ipse diligit, quos pro suis agnoscit. Si illi gratificari uoluerimus habebimus eos qui illius sunt in honore, illisq; benefaciemus. 2

Nec est quod dicas: Si Apostolos, si prophetas, si iustos haberem, Christum in eis facile uenerarer. Quæso te si non agnoscis Christi esse, nisi Apostolos, prophetas & eximie iustos, quid tibi facies? Quo loco teipsum habes? Non uis haberi pro Christiano? Puto uoles. Si ergo non libenter excludereris è consortio eorum qui Christi sunt, cum neq; sis Apostolus, neq; propheta, neq; iustus: nimirum talis, quales dari tibi optas, quomodo & alios non agnoscis, tui similes, pro illis qui ad Christum pertineant? Crede uel Christo, qui etiam minimos suorum hoc honore habet, ut sibi imputet quicquid illis fuerit impensum. Sed nos ipsos ista cogitatione fallimus, ne agnoscamus, quàm non pure Christum diligamus.

Deinde. Obseruandum est etiam hoc loco quàm fa- 3

cillima uia detur eò nos ascendere, ut prophetis et iustis æquemur in ratione futuræ mercedis. Arduum est prophetam præstare. Neq; enim omnes prophetæ sunt. Arduum est exactam iustitiæ normam tenere. Et tamen si lubet eandem cum prophetis & iustis in regno Dei sortem accipere, ecce paratam uiam. Recipe prophetam, propterea quod propheta est, & habebis mercedem prophetæ, id est, non aliam quàm si ipse propheta esses. Recipe iustum, propterea quod iustus est, & habebis mercedem iusti.

3 Tertium. Expendendum est etiam quod dicit in nomine prophetæ, in nomine iusti, in nomine discipuli. Vbi uidemus multum referre quo nomine suscipiantur prophetæ, iusti, Christi discipuli. Neq; enim satis est eos uel simpliciter suscipere, uel alia quàm ista causa suscipere. Vult eos propterea suscipi, quod Dei sunt, quod prophetæ, quod iusti, quod discipuli sunt. Atqui si propterea receperis, declaras qua sis animi pietate erga Deum, oracula Dei, iustitiam, regnumq; Christi. Hoc scilicet quæritur. Propterea non passim reperiuntur tales receptores, quia non passim reperiuntur, qui purè Deum, oracula Dei, iustitiam, regnumq; Christi in recipiendo respiciant. Reperias forsan qui sanctos, si quos agnosceret, domo reciperent, sed propter mercedem. Iam non dicit: Qui recipit prophetam, propter futuram prophetæ mercedem. Sed qui recipit prophetam, propterea quod propheta est: iustum, propterea quod iustus est, mercedem prophetæ ac iusti accipiet. Aliud est mercedem accipere à Deo, & aliud mercedis respectu boni quicquàm facere. Merces

4 Quartum. Videmus etiam hoc loco in quibus prophetis, iustis, discipulis Christus uelit coli ac recipi: nempe in illis, qui hic peregrinantur, qui adflicti sunt, esurientes, sitientes, &c. In Papatu duplici nomine delictũ est in hac causa. Aut enim mortuos sanctos coluimus, aut uiuos tales, qui neq; sancti erant, nec inopes.

Chryso. Chrysostomus ad Philip. Hom. 1. de hac re sic scribit: Si quis eorum qui Ecclesiæ præsunt, in rerum abundantia uiuit, nullius egens, etiam si sanctus sit, nihil illi tribuas, sed eum præpone, qui penuria præmitur, licet non adeò sit celebris & cõspicuus. Quamobrem? Quoniam Christus ita uult. Non enim oportet quosuis recipere, sed esurientes, sed sitientes, sed nudos, sed aduenas. Neq; enim simpliciter dicit: cibo refectus sum, sed esuriui inquit: Nam esurientem me uidistis, & aluistis. Itaq; si sanctus quidem est, nihil tamen patitur inopiæ, nihil tribuito. Nihil enim hic utilitatis est. Christus quippe hoc non præcepit. Imò neq; sanctus is est, qui cũ abundet, nihilominus accipit. Hæc Chrysostomus. Expẽde itaq; hic quo errore omnia profusa sint in opulentos illos monachos & Canonicos, aut certè in mortuos.

5 Quintum. Obseruandum est etiam in eo quod dicit: In nomine prophetæ, in nomine iusti, in nomine discipuli, quàm non opus ipsum expendatur, sed magis recipientis uoluntas. Id quod duplici ratione bene notandum est. 1 Vna, quod aliquando fieri potest, ut neq; propheta sit, neq; iustus, neq; Christi discipulus. Putetur autem talis. Iam si diceret Christus: Qui recipit uerè iustum, uere prophetam, uere discipulum, possemus falli & frustrari. Cum uerò dicat: in nomine prophetæ, in nomine iusti, in nomine discipuli. Satis declarat, nõ falli eum, qui hoc animo suscipiat, etiam non existentem talem habitum tamen pro tali. Atq; hic excusari posse puto maiores nostros, qui tot beneficijs sacrificos et monachos affecerunt, quatenus eos hoc nomine honorarunt, quod iustos & Christi ministros putarunt, etiam si illi nihil fuerint minus quàm iusti & Christi ministri. Illud enim: Qui uos recipit, me recipit. Ad eos pertinet, qui & à Christo sunt missi, & Christi doctrinam uerè prædicãt, regnumq; illius ex animo promouent.

Deinde, ad consolationem eorum qui & ipsi inopes nõ possunt tales, aut quemuis alium Christianum beneficijs huiusmodi afficere. Quid enim utilius est aqua frigida? Puto eum, qui etiam usq; ad potum aquæ frigidæ sese demittit, nihil aliud in ipso opere, quàm animi intentionem respicere, non excludere eum, qui cum nihil queat præstare, ex animo tamen cõpatitur iustis, prophetis, & consortibus suis Christianis. 2

CAPVT XI.

ET factum est, cum finem fecisset Iesus mandandi duodecim discipulis suis progressus est illinc, ut doceret, & prędicaret in ciuitatib. illorũ.

Regreditur Euangelista ad narrationem suam, qua cœperat in fine capitis noni circuitum Christi & prædicandi sanandiq; studium ac diligentiam commendare. Nam illic dixerat: Et circumibat Iesus ciuitates omnes ac uicos, docens in Synagogis illorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans omnem morbum, & languorem in populo.

Videntur autem ea quæ de missione duodecim Apostolorum toto decimo capite præmissa sunt, à Christo facta esse, ante istum circuitum, initio circuitus, ab Euangelista uerò per hysteron proteron, ut subinde fieri solet, post commemoratum circuitum scripta.

OBSERVANDA.

Primo. Iterum hic uidemus, quàm non exprimant siue Christi siue Apostolorum exemplum nostri Episcopi. Christus non est contentus Apostolos emisisse, nisi & ipse eodem studio & munere quod illis iniunxerat circuëundo fungeretur. Hac de re uide supra propè finem noni capitis. 1

Deinde. Videmus hic quo potissimũ beneficio Christus referri debeat. Nimirum docendi imperitos. Et hac de re supra circa finem noni capitis uide. 2

Ioannes autem cum audisset in carcere facta Christi, missis duobus discipulis suis dixit illi: Tu es ille qui uenturus est, an alterum expectamus?

Quid hoc est? An Ioannes ille post tot ac tanta testimonia, quæ Christo dedit, (ut uidere Ioannis primo & tertio, de quibus & Christus Ioan. 5. memorat) in carcere constitutus, de aduentu Christi dubitat? Sed

istud

istud de illo suspicari non licet propter subiectum de eo Christi testimonium. Neq; credendum est carceris pœna aut mortis metu animum illius immutatum esse, quoniam non erat Christi gratia in istam custodiam & mortis periculũ raptus. Sed propterea quod Herodem corripuerat in causa raptæ fratris sui cõiugis. Quòd si mortis metus & carceris squalor rigorem mẽtis in eo emolliuisset, ad Herodem magis suos misisset, quàm ad Christum, quem alioqui magnates in Iudæa inuisum habebant. Quid itaq; sibi uult ista legatio?

Non sui sed discipulorum gratia ad Christum mittit. Illi nanq;, ut uidere est Ioan. 3. pro magistro suo contra Christum æmulabantur, gloriam illius ferre non ualentes, à magistro ita prædentes, ut plura de eo quàm de Christo senserint. Illorum saluti consulit hac legatione Ioannes, non suæ. Sibi non credebant dicenti se non esse Christum, & Christo uerbis testimonium perhibenti. Modestiæ nanq; illius ista deputabant. Propterea mittit eos ad Christum ipsum, ut coram diuinam uirtutem conspicati, inciperent maiora sentire de Christo. Atq; ideò præmittitur, eos tum esse missos, quando relatum esset Iohanni, quàm magna & multa miranda facinora designaret hic Iesus. Lucas autem commemorat, hunc rumorem de Christo per ipsos discipulos ad Ioannem esse perlatum, unde sanctus uir cum uideret morbum suorum non imminui, ne carceris quidem & uincinæ mortis causa, daretur̃q; opportunitas consulendi, mox ista legatione ad Christum eos mittit.

OBSERVANDA.

1 *Primũ uidemus hic egregium exemplum animi pij & modesti, in eo quod adhærẽtes sibi discipulos à se magno studio auellit. Si tales haberet doctores hodie Ecclesia, minus esset sectarum. Alioqui difficillimum est tales auditores etiam si maximè uoles ab intuitu personæ ad ipsam ueritatem abilegare ac liberos reddere: quid fiet, si etiam ipsi doctores titillantur opinione & adhæsione discipulorum? uide Act. 20. quid Paulus dicat.*

2 *Deinde. Quod eos ad Christum mittit, admonemur, ad Christum omnes esse ablegandos. uide 1 Corinth. 1.*

3 *Tertio. Quod rogatum mittit de ueritate admonemur, principium esse cognoscendæ ueritatis, de ueritate interrogare.*

4 *Quarto. In carcere quoq; constitutus & mortis periculo, non sui, sed discipulorum saluti, Christiq; gloriæ consulit. Hoc exemplo admonemur, ut ad mortem usq; quæ regni Christi sunt, quæ ad salutem eorum qui nobis adhærent spectant, curemus.*

Et respondens Iesus dixit illis: Ite & renunciate Ioanni, ea quæ auditis & uidetis. Cæci uisum recipiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui excitantur, & pauperes lętum accipiunt Euãgelij nuncium. Et beatus est, quisquis non fuerit offensus per me.

Non respondet simpliciter ego sum ille. Nam ita non satis fecisset illis, mox regessissent: Tu tibi ipsi testimonium exhibes, ut & Iudæi fecerunt, sed ipsa opera, tanquàm diuina testimonia, obijcit, id quod & multis alijs locis facit, ut Ioan. 5. 15.

Ista uerò ita recenset conceptis uerbis, ut non obscurè eos ad testimonia prophetarum Esa. 35. 61. remittat. Et illud quod adijcit: Beatus est, quisquis non fuerit offensus per me: pulchre ad morbum ipsorum accõmodatur. Offendebantur enim discipuli Ioannis uita & facilitate Christi, pendentes ab austeritate & singulari quadam sanctimonia magistri sui.

OBSERVANDA.

Primo, quod non uerbis sed ipsis operibus respondet, facit quod eum decet, qui de seipso debeat testimonium dare. Istum magis decet opere quàm uerbis testari. Hoc exemplo, & nobis conandum, ut qui ueritati nõ credunt, efficatiæ illius in nobis credant. Nã & nostrum est magis uirtute operum, quàm nudis uerbis diuinam uirtutem in nobis ostendere. 1

Sed dicis: An igitur cæcos illuminabo? &c. Non est opus. Charitatem istorum operum fontem declara & exprime. Deus est charitas. &c. Quod ad confirmationem doctrinæ attinet, nostrum nõ est, qui eam prædicamus, ut miraculis istis eã confirmemus. Christi hoc erat, quia probare debebat se esse à patre missum mundi saluatorem. Nos si nobis ipsis hoc muneris adscriberemus, meritò istud exigeremur. Cũ uerò sumus ministri Christi, satis fuerit confirmatam illam de Christo doctrinam purè ac simpliciter proponere.

Secundo. Et illud est expendendum quod prophetici testimonijs commendantur facta Christi. Ne uidelicet extra scripturas quæcunq; de Christo suscipiamus. Hinc Augustinus, in scripturis Christum disci dicit. 2

Tertio. Bene ponderandum & illud: pauperes accipiunt lætum Euangelij nuncium. Nam hac in re cõmendatur diuina bonitas. 3

Quarto. In eo quod dicit: Beatus qui non fuerit offensus per me. Notandũ quomodo & adhuc hodie illud fiat. Mundus quærit insolita & splendida. Hinc præferuntur hypocritæ, contẽnuntur humiles, humilis Christi ministri. In Christo plurimos offendit forma humilitatis, crux, uita communis, nulla hypocrisis, &c. 4

Euntibus autem illis, cœpit Iesus dicere turbis de Ioanne: Quid existis in desertum, ut uideretis? Num arundinem quæ agitatur à uento?

Quoniam Ioannis erat officium de Christo, luce illa uera, quæ in mundum uenerat, testari, animosq; mortalium per doctrinã resipiscentiæ ad amplectendum Christum præparare conueniebat, ut tanto testimonio ferendo, fide dignus haberetur. Permisit itaq; diuina sapientia illi magnam autoritatem coram populo, ita ut multi arbitrarentur ipsum esse Meßiach. Vnde & tantus concursus ad eum fiebat in desertum. Verum posteaquàm coniectus esset in carcerem, cœpissetq; elucescere paulò altius gloria Christi, quaut ipse etiam testatus fuerat, Christus crescebat, ipse uerò minuebatur, ut solis radijs lunæ splendor obscurari solet, suboriebatur quidã illius contemptus in populo, qui nunquàm cõstantem opinio-

nem de rebus magnis conseruat, sed eam quàm primum magno feruore induerat, mox reijcit, maximè sicubi maior quædam lux suboriatur.

Quia uerò turbæ quæ aderãt, istamq; discipulorum Ioannis legationẽ audierãt, ex eo poterant in sinistra illa de Ioanne opinione, & cõtemptu corroborari, & conueniret gloriæ regni Christi, ut fides haberetur Ioannis testimonio. Visum est Christo autoritatem illius restaurare & corroborare suo testimonio uicißim. Fecit aũt hoc non præsentibus discipulis Ioannis, ne in morbo quo erant eos corroboraret. Et ut illud faciat, admonet turbas pristini feruoris erga Ioannem, ut illas argumẽto ex ipsorum facto sumpto, in pristinã opinionem de Ioanne conceptam aliquando reduceret. Quid existis, inquit, in desertum aliquando? De hoc uidere est suprà Matth. 3.

Num arundinem, &c.] Hoc est, Num hominem inconstantem, qui nunc hoc nunc aliud sentiat & dicat? Cur hoc dicit? Ad hoc scilicet, ut ostendat Ioannis testimoniũ esse firmũ, quod testator nõ sit homo inconstans, sed plane firmißimus. Non enim solet fides haberi testibus inconstantibus. Ad eam quippe autoritatem, cui debeatur fides requiritur firmißima uerborum & sententiæ constantia. Occurrendum hic æstui Satanæ, quo conatur ministros uerbi inconstantiæ nota obscurare. Declarandum qua in re sita sit ueri scopi, quo spectandum sit, constantia. Vrgebatur aliquãdo doctrina fidei, contra fiduciam illam operum falsam & seductricem, cõtra doctrinam hypocriseos, &c. Hodie cõtra iactatores fidei, qui nihil habẽt fidei, urgetur fidei efficatia in bonis operibus ostendenda. Vrgebatur aliquando gratiam Dei non esse alligatã Sacramentis, contra præposteram opinionem Sacramentorum. Hodie cogimur urgere dignitatem Sacramentorum contra contemptores Sacramentorum. Docebatur aliquando magno studio libertas Christiana contra captiuitatem conscientiarum, & traditiones illas humanas, hodie cogimur contra præfractos & nimiũ liberos illos Christianos ad charitatis regulam reuocare, quæ nos facit omniũ seruos. Ista uidentes & non intelligentes qui in Ecclesia uel rudes sunt uel maligni, eò rapiunt, ut traducant nos inconstantiæ, id quod eò tẽdit, ut omnis doctrina ueritatis suspecta reddatur, & fide priuetur.

Age quid existis ut uideretis? Num hominem mollibus uestitũ? Ecce qui mollia gestant in domibus regum sunt.

Q. d. Num delicatulum aliquẽ, qui in gratiã alicuius quiduis loquatur, præter animi sententiã, uidere uoluistis? Certè in desertis locis non solent huiusmodi agere, sed magis in domibus regum. Commendat hic Ioannis constantiam ab austeritate uestitus & uictus, de qua uidere est. Matth. 3.

OBSERVANDA.

Primò. In eo quod Christus Ioanni à quo ante iam testimonium acceperat, uicißim suum testimonium exhibet, quo doctrinæ ipsius autoritatem et ueritatẽ tueatur & corroboret. Exemplum habemus eorum, qui nõ suas ipsorum glorias, sed profectum regni Christi, & populi saluãdi constanter quærũt. Isti tam abest, ut alios alij detrahat nominis opinionẽ, ut cupiant magis cõfirmare. Sed iuxta considerandũ est etiã, quatenus uelit Christus ualere Ioannis autoritatem, & quatenus eam obscuret. Erga discipulos Ioannis eam deijcit, quia hic ualebat nimium, erga turbas eam extollit, quia isthic ualebat minus quàm par erat. Constituit aũt eam in id loci, ut ualeat testimonium illius, & doctrina de regno Dei lata. Ergo hactenus est cõseruanda doctori regni Christi fides, quatenus de regno Christi uera docet.

Secundo. In eo quod encomium Ioannis non coram discipulis Ioannis, sed coram turbis profert, exemplum est, quo discimus non quæuis apud quosuis dicenda, sed prudenter quæq; dispensanda.

Tertio. In eo quod turbas admonet pristini feruoris, exemplum est inconstantiæ popularis. Magno subinde feruore irruit populus, sed mox in aliam sententiam mutatur, ut de quibus aliquando magnifice sentiebat, nunc incipiat modice sentire.

Quarto. Quod non dicit: Quid existis in desertum audire? Sed quid existis ut uideretis.] Tacite accusatur uulgi curiositas, quæ est in libidine uidendi, cupiebãt uidere tantum uirum, si statuissent illum magis audire satius fuissent.

Quinto. Mollibus uestitum? Quid ad propositum Ioannis encomiũ hoc facit, quod eum cõmendat ab austeritate uestitus? Certè ad uirtutem constantiæ requiritur animus nõ mollis, sed obduratus & infractus. Illum cõuincebat in Ioanne rigor uestitus. Ergo uestitus mollis notã habebat animi delicati ac mollis. Taxandus hic luxus uestiũ, deplorãdaq; Germaniæ nostræ corruptio.

Sexto. In eo quod dicit: Ecce qui mollibus uestiuntur, in domibus regum sunt, satis apertè taxatur aulicorum corruptio. Magna est ista miseria. Nusquàm debebat maior esse ueritas, & constantia, quàm apud reges orbis moderatores: & ecce apud eos ipsos regnat delicatißima mollities, & pestis ista peruersißima hominum delicatorum, qui in gratiam regum quiduis dicunt. Ioannes uerò, nihil adulatus crimen illud raptæ fratris coniugis, quod nemo aulicorum audebat taxare, apertè taxauit, & huius nomine in uincula coniectus est.

Hodie illud mali etiã inter Episcopos regnat. Et pessimum seculum nihil credit, nisi quod isti purpurati & molliculi statuunt, quorum omnes studium non spiritus est, sed carnis, non gloriæ Dei, sed suæ ipsorum.

At quid existis uidere? Num prophetam? Certè dico uobis plus quàm prophetam. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui præparaturus est uiam tuam ante te.

Q. d. Quoniam non sine causa tanta frequentia in desertũ egressi estis ad Ioannẽ, oportet ut magni spectaculi gratia exieritis, uoluistis uidere prophetã? Nã oportet omnino singulare quiddã in Ioãne quæsieritis. Certè hic nõ estis frustrati. Vidistis enim prophetã, imò plus q̃ prophetam. Is enim est, &c. Cõmendat igitur hoc loco

Ioannem

Ioannem à dignitate prophetica, eaq; non uulgari, sed præcipua, cum eũ dicit plus esse q̃ Prophetã. Et ut huius fidem faciat, adducit testimonium propheticum ex Malachia capite tertio, in quo declarat, quomodo Ioannes excellat reliquos Prophetas. Nempe in eo, quod cum reliqui Prophetæ de Christo quidem & ipsi, sed è longinquo uaticinati sint uenturum, iste illum iam uenisse ostenderit, idq; facie ad faciem, & ipso digito. Præterea & reliqui Prophetæ de Deo uaticinati sunt, Iohannes uerò de se habet uaticinium Dei. Multæ sunt stellæ quæ lucem præcedunt, aduentum illius nunciantes, nulla tamen earum luciferi nomen obtinuit, nisi una, quæ cum ipsa luce procedit. Sic omnes Prophetæ ante Christum fuerunt, aduentũ illius nunciantes, sed è longinquo. Hic uerò cum ipso prope Christo uenit, atq; ideò præcursor illius dictus est. Atq; hoc est, cur maior dicatur à Christo reliquis Prophetis. Ad hæc & officium Ioannis isto prophetico testimonio declaratur: nempe, quod sit à Deo missus ante faciem eius, qui uenturus erat saluator mundi, ad hoc, ut illi uiam pararet, id quod & ipse Ioannes dixerat iam antea. Matthæi 3. Iohannis 1. iuxta uaticinium Esaiæ capite 40.

OBSERVANDA.

Primo. Notandum est, quanto studio diuina prouidentia sategerit, ut in carnem ueniens Christus agnosceretur & susciperetur ad salutem, cuius gratia aduenturus erat. Non solum ea per Prophetas suos longo ante tempore prædixit, quæ ipsius Christi aduentum, personam, & dispensationem concernebant, sed & nuncium destinauit ante faciem illius, eumq; non uulgarem, sed tanto splendore præditum, ut quosuis in sui admirationem induceret, ad hoc unum, ut aduentum Christi agnosceretur, uiaq; illi pararetur. Atq; aduentum etiam & functionẽ huius præcursoris prophetico uaticinio longè antea prædicere uoluit, ne aliquis relinqueretur ignorantiæ prætextus incredulis, & satis haberent inductionis ad credendum, qui ad hoc erant præordinati. Quid nos hic aliud admonemur, quàm ut Christum hunc filium Dei, per quem pater uoluit perituris succurrere, ex animo amplectamur, nisi uelimus diuinam illam bonitatem cum perituro mundo contemnere?

Deinde. In eo quod dicit: Qui præparabit uiam tuam ante te. Obseruandum est, quomodo illud sit à Iohanne adimpletum. Nempe, prædicatione resipiscentiæ, & testimonio suo quod Christo tulit, ad hoc, ut quosuis ad illum mitteret, tanquàm ad ipsum saluatorem. Ista duo & nobis obseruanda sunt: resipiscentiæ scilicet prædicatio, & fides in Christum. Nam in his sita est ad uitam uia.

Amen dico uobis: Non exortus fuit inter eos, qui nascuntur è mulieribus maior Iohanne Baptista. Attamen is qui minor est in regno cœlorum, maior est illo.

Ad hoc pertinet, quod Iohannem dixit plus esse quàm Prophetam. Quibus illum uerbis super omnes Prophetas extulit. Propterea quod hic simpliciter dicit: Non exortus est maior Iohanne Baptista, exponendum est è Luca ca. 7. ubi dicit: Maior propheta Iohanne Baptista nemo est. Nihil enim hic in eo commendat aliud, quam munus illud diuinitus Iohanni concessum. Quorsum alioqui attineret commemorare, uter in natis de mulieribus maior sit? Non est institutum Christi hoc loco Iohannem in seipso commendare & prædicare, sed ita ut ad regni dei gloriam faciebat. Proinde confert Prophetas ueteris & noui testamenti, cum dicit: Inter eos, qui exorti sunt è mulieribus, non dicit: qui exorientur. Et: Qui minor est in regno cœlorũ, maior est illo. Quod quidam exponunt de Christo ipso, uolentes illum se hoc loco uocare minimum in regno cœlorum: minimũ non reipsa, sed opinione. Mihi uerò magis placet, ut de ijs intelligatur, qui in nouo testamento ministri facti sunt Christi. Nam si Ioannes propterea maior fuit reliquis ante se Prophetis, quod Christum præcesserit mox aduenturum, aut quod præsentem ostendit: quomodo non maior est Apostolus, aut alius minor quisq; Christi minister qui non solum aduenisse Christum prædicat, sed regni illius mysteria prædicat, & uniuerso orbi proponit? Omnino enim Christus in eo est, ut ita laudet Ioannem, ut tamen interea omnis ea commendatio, ad hoc faciat, ut diuina regni sui, & temporis istius gratia, & agnoscatur & acceptetur.

OBSERVANDVM.

Commendatur ergo nobis hoc loco ministerium regni Christi, ex collatione ministerij prophetici ueteris testamenti. Primum ex eo, quod Iohannes ideò maior reliquis prioribus Prophetis dicitur, quod Christi regno propior: deinde ex eo, quod etiam isto Ioanne reliquis maior e maior dicitur, qui minor est in regno Christi minister. Quanquàm Apostolus iubeat, ut honore habeantur, qui laborant in uerbo: tamen istud non quærimus, dummodo ipsum ministerium, imò ipsa regni Christi gloria & gratia suo loco habeatur. Plurimum enim refert ad salutem mortalium, deinde & ad regni Christi gloriam, quo habeatur loco ministeriũ Euangelij. Atq; huius gratia 2. Cor. 3. 4. illud ex collatione ueteris testamenti magnificit & extollit.

In summa discimus hoc loco, quis maior sit in regno Christi: nempe, qui melior. Melior uerò, qui pluribus prodest.

Porrò à diebus Iohannis Baptistæ ad hunc usq; diem regnum cœlorum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud.

Commendat hic ministerium Iohannis ex eo, quod animi mortalium prædicatione illius ad regnum cœlorum quod prædicauerat, inflammati & correpti fuerant, ita ut magno feruore, & quasi uiolentia quadam ad hoc passim irrumpebatur, id quod certe à prædicatione Iohannis, & illius baptismate primum cœperat. Nam antea omnia frigebant sub ministerio legali Scribis & Pharisæis, &c.

Lucas capite septimo hoc explicat, exponens de populo & publicanis & peccatoribus, qui audito Iohanne pœnitentiam assumpserunt, obedientes consilio Dei, &c.

OBSERVANDVM.

1 Quid faciat regni Christi prædicatio respectu do-
2 ctrinæ operum. Deinde qui illi sint, qui ad regnum cœ-
lorum Euangelij prædicatione permoueantur.

Nam omnes Prophetæ & ipsa lex, usq; ad Iohannem prophetauerunt.

Rationem reddit eius quod dixit: regnum Dei uim pati à prædicatione Iohannis, qua scilicet ostẽdit adesse iam id tempus de quo & lex & Prophetæ iã antea prædixerant, præterisse tempus pædagogiæ, typorum & umbrarum, tempus uaticiniorum & expectationis eorum, quæ per Prophetas prædicta fuerant.

Et uide, quomodo non dicit: usq; ad me, uel de me, cum tamẽ ipse sit finis legis & Prophetarum. Nam hoc fuisset apertius, & forsan captui auditorum adhuc robustius, quàm quod tollerari potuisset. Et tamen idem agit, sed modestius, satis habens ostendisse, hoc tempus à Deo destinatum regno suo, ut paulatim excitaret auditorum animos. Idem habes Lucæ 16.

Et si uultis recipere, ipse est Helias ille, qui uenturus erat.

Malachiæ ultimo locus est, quem hic Christus citat. Quomodo uerò Iohannes Helias fuerit, legis Lucæ 1. uide locum. Istam prophetiam de aduentu Heliæ uersabant inter se et Scribæ, atq; ideò negabant regnum dei, hoc prætextu, quod Helias nondum adesset. De qua re uide infra 17. Atq; hac ratione & Ioh. 1. rogabant eum, an ipse esset Helias, uerum non intelligentes, nisi eũ qui olim uixerat. Is non erat, sed erat is, de quo Christus hic loquitur. Adhuc in eo est, ut regnum Dei adesse persuadeat, etiam isto uaticinio, dum ostendit adesse eum, qui in spiritu & uirtute Heliæ uenturus fuerat.

Qui habet aures, &c.

Solito epiphonemate animos eorum excitat. Et certe arrigendæ sunt aures, dum de regno Dei agitur.

Sed cui assimulabo generationẽ hanc? Símilis est pueris, qui sedent in foris, & acclamant sodalibus suis, ac dicũt: Tibia cecinimus uobis, & nõ saltastis, lugubria cecinimus uobis, & nõ planxistis. Venit enim Iohannes, nec edens nec bibens, & aiunt: Dæmonium habet. Venit filius hominis, edens ac bibens, & dicunt: En hominem comedonem & uinipotorem, publicanis amicum & peccatoribus, & iustificata est sapientia à filijs suis.

Posteaquàm Christus Iohannem magnis encomijs commendasset populo, idq; ab austeritate loci, uitæ, dignitate & autoritate muneris plus quàm prophetici, atq; illam duobus locis propheticis confirmasset, aut certe declarasset, item ostendisset, & legem & Prophetas usq; ad Iohannem pertigisse, iamq; finem accepisse: ad hæc regnum cœlorum à cursu Iohannis cœpisse uim pati, quibus quidẽ omnibus, quia uerè magna et summo studio obseruanda erant cum subiunxisset: Qui habet aures, &c. Rectè & opportunè occurrebat pertinax illa Pharisæorum, Scribarum, et seniorum malicia, quæ nulla poterat ratione ad resipiscentiam flecti. Istam declaraturus, imò detestaturus, utitur similitudine à uulgari puerorum cantione sumpta, tum omnibus nota, dicens: Sed cui assimilabo generationem hanc &c. (intelligit autem Scribas et Pharisæos, ut Lucæ 7. uidere est.) q.d. Sed hæc omnia frustra diuinitus sunt istis hominibus exposita, quibus nihil satis est ad resipiscentiam, quibus omnia carpuntur, qui mihi similes uidentur pueris, &c. Exponens autem similitudinem, dicit: Venit Ioannes, austeritate uictus & uitæ, quasi præsentissimo exemplo quosuis ad seriam resipiscentiam adhortans, cauens magno studio, ne quo pacto locus esset calumniæ curansq;, ut pœnitentiæ prædicatæ ipsa uita quadraret, sed isti homines quid? Hoc ipsum quod diuinitus erat ad hoc institutũ, ut ad permouendos animos in resipiscentiam faceret, non solum contempserunt, sed & Satanæ adscripserunt, dicentes: Dæmonium habet. Quasi alioqui fuissent ipsum audituri, & accepturi, si communi uictu usus esset. Venit filius hominis edens ac bibens, uisurus an uel hac ratione tanquàm humaniore & tollerabiliore ad pœnitentiam possent, & amorem regni Dei pellici, quandoquidẽ ex austeritate Ioannis peiores reddebantur, sed quid tum? Ecce inquiunt, homo comedo, uinipotor, socius peccatorum & publicanorum, ut et hac uia lusa sit omnis opera. Hoc quid est aliud, quàm pertinacem maliciam ostendere sole clarius?

Illud autem quod subijcit: Et iustificata est sapientia à filijs suis, uariè exponitur. Quidam intelligunt filios istos, electos, & Christo credentes, quod illi sapientiam Dei in Ioanne & Christo amplexi sint, & iustificârint, hoc est, approbârint & laudârint. Quidã uerò intelligunt hoc loco filios sapientiæ, reprobos Iudæos, qui filij erant, & dicebantur regni dei, qui uidelicet sapientiæ diuinæ institutũ curiosè iudicauerint & damnauerint, ut sit, iustificatur idem, quod nos Germani dicimus: uuirdt gerechtfertiget, ins gericht gefiert. Quanquàm ista Christo contigerint, & in se uera sint, malo tamen cum Chrysostomo sentire hoc loco, qui filios sapientiæ intelligit omnes, siue electos, siue reprobos, & illud iustificata est, prouicit in iudicio, nihil omisit erga filios suos, quod ad ipsorum salutem faceret, ut libera sit ab omni perditionis ipsorum culpa. q. d. Fecit quod in se erat, fecit quod quouis modo prodesse poterat, fecit quod electis ad salutem, quod reprobis ad ἀναπολογησίαν facit, unde nec electi nec reprobi habent quod quærantur. Atq; isti sentẽtiæ uidetur Lucas astipulare, cum dicit: Et iustificata est sapientia à filijs suis omnibus. Quin et ipsum argumentum uerborum Christi uidetur hoc innuere: deinde & quæ sequuntur de cõminatione.

OBSERVANDA HOC LOCO.

In eo quod Christus obstinatam & pertinacem maliciam Scribarum & Pharisæorum coram populo declarat exemplũ nobis esto, idem faciendi obstinatis quibusuis, qui pertinaciter ueritati resistunt.

Deinde, obseruandum est hoc loco ingenium animi liuiduli & obstinati, qui non solum quod bonum est non acceptat, sed & sinistrè traducit. De eo uidendum suprà capite nono.

Tertio

Tertio uidemus etiam hic reprobos maxime ſapientes & ſanctos huius mundi, nulla ratione, neq; ſancta prædicatoris uita, neq; quamlibet inſolenti miraculorum ſplendore, neq; aliqua humanitate ad credendum permoueri poſſe, quando neq; Iohannis auſteritas, neq; Chriſti humanitas, et χρηστότης quicquàm apud huiuſmodi potuit. Venit qui blandè & comiter, idq; lingua non uulgari notauerit quoſdam abuſus Scribarũ & Phariſæorum, ſed nihil inde ſunt moti, quin adulationis crimen intentarunt. Venit qui auſterè & apertè, & dicunt: Dæmonium habet, quis poteſt eum ferre, cum nemini parcat? Venerunt qui uita in ſpeciem auſtera, luxum huius ſeculi cohibere tentarent, qui ficto cœlibatu, ſcortationem publicam reſtringerent, ſed quid eos uocârint notum eſt.

Quarto. Illud quod dicit: Et iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis. Et nobis eſt notandum: nam & in nobis uerum eſt. Nihil enim omiſit diuina ſapientia, quod ad noſtram ſalutem requiri potuit, ita ut & nos ſimus inexcuſabiles.

Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus æditæ fuerant plurimæ uirtutes ipſius, quod ſcelerum eas non pœnituiſſet. *Et quæ ſequuntur.*

Videmus hic quid Chriſtus in omnibus ſuis actionibus quæſierit: nempe reſipiſcentiam. Non dicit: quod non laudauiſſent magna ſua facinora, quod nõ admiſiſſent, quod ſpectatores & admiratores non fuiſſent, id quod homini gloriam ſuam quærenti ſatis fuiſſet, ſed, quod ſcelerum, inquit, eas non pœnituiſſet. Hoc exemplum propoſitum habeat Chriſti miniſter.

Væ tibi Corazim, &c.

Vrbes ſunt Galileæ, propè lacum Genezareth. Timeant hic urbes euangelicæ, quibus præ alijs ueritas euangelica illuxit, niſi gratiam domini bene collocent.

Quoniam ſi in Tyro & Sydone.

Vrbes iſtæ fuere maritimæ, & magnis emporijs celebres, moribus ut fit corruptis, idololatricæ.

Singularem obſtinationem notat earum urbium, in quibus frequenter egit, quod citius urbes Gentium, idololatricæ, corruptæ, ad pœnitentiã conuerti potuiſſent, quàm iſtæ. Quare? Iſtæ uidelicet putarunt ſe eſſe populum Dei, eſſe filios Abrahæ, eſſe in fœdere Dei, habere uerum cultum Dei, &c. atq; ita eò pertinacius in malis ſuis falſa ſecuritate præditi perdurarunt.

Sed dices: Cur ergo non & illis ciuitatibus Tyro & Sydoni ſuo ſplendore ſuccurrit? Nõ eſt hic curioſe agendum, nec prouidentia diuinæ ſapientiæ in ius uocanda. Tale eſt quod hodie dicunt: Cur non & parentibus noſtris hanc doctrinã miſit? An paſſus eſt eos perdi? Iſtud relinquendũ eſt diuino iudicio. Nobis uerò uidendum, ut præſentem gratiam Dei non negligamus.

Tolerabilius erit in die iudicij.

Notandum hic, quod impœnitentibus obijcit diem iudicij futurum. Certe huius diei oportebat maiorem nos habere rationem. Vide ſupra cap. 10.

Terræ Sodomorum.

Notanter Sodomitarum exemplo terret, ut ſi futuri iudicij non adeò magnam, ut fit, rationem habeant, uel iſto Dei iudicio, quod negari nõ poteſt, permoueantur. Videmus etiam hic, ut peccata peccatis grauiora ſunt, ita pœnas pœnis atrociores futuras, ne uidelicet temerè peccata cumulemus. Matth. 23. Prolixius iudicium patiemini, & Rom. 2. Accumulas tibi iram.

Ad hæc. Videmus hic quod ſit peccatum omnium grauiſſimum. Nempe, impœnitentia quæ fit contemptu oblatæ gratiæ. Grauitas delictorum Sodomæ patet in pœna, qua perijt. Vide hac de re cap. 10.

Et tu Capernaum, &c.

Typus Romanæ Eccleſiæ. Exemplum earum quæ de imperio Eccleſiaſtico obtinendo laborarunt. Non itaq; tuto ſequeris eam, quæ exaltata, in infernum corruet.

In illo tempore, reſpondens Ieſus dixit: Gratias ago tibi pater domine cœli & terræ, quod abſconderis hæc à ſapientibus et prudentibus, & reuelaris ea paruulis. Certe Pater, ſic fuit bona uoluntas apud te.

Quando hoc factum ſit, apertius uidere eſt Luc. 10. Vbi etiam uidemus, quò referatur illud: reſpondens Ieſus dixit: Gratias ago. ἐξομολογοῦμαι. Confiteor, hoc eſt, laudo, prædico, celebro te.

Quod abſconderis hæc.] *id eſt, myſteria regni tui, ea ſcilicet, quæ tum gerebantur, uirtus illa Dei, quæ ſeſe magno ſplendore exerebat. A Sapientibus & prudentibus.*] *Scribis ſcilicet & Phariſæis. Et reuelaſti ea paruulis.*] *Chryſoſt. Illuminati ſunt ruſtici & ſimplices homines. Paruuli, uel in oculis mundi, uel in ſcientia Dei, per ignorantiam, non ſecundum contumaciam.*

Etiam pater. Aſſentientis eſt. Quia ſic tibi placet.

OBSERVAT.

Gratias ago quod abſcond.] *Videmus hic iudicium Dei de excæcandis mundi ſapientibus, & illuminandis paruulis. Vide 1. Cor. 1. Cur autem hoc fiat, in promptu cauſa eſt. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam. Et Eſaiæ ult. Super quem requieſcam.*

OBSERVAT.

Etiam pater, quia ſic placet tibi. Hic admonemur non eſſe diſcutienda conſilia Dei in operibus & iudicijs illius, ſed magis laudanda illa & prædicanda eſſe, tantum hac ratione, quod Deo ſic placeat. Non enim ad diſcuſſionem operum Dei, ſed ad honorandum Deum conditi ſumus. Non ſumus iudices actorum dei, ſed ſerui præceptorum eius. Boni domini eſt prouidere, quæ ſpectent ad utilitatem ſerui. Boni ſerui eſt, fideliter operari, & non diſcutere actus domini ſui. Sic Iob cum amitteret omnia, nullam rationẽ exigebat, cur hæc fierent, ſed dicebat: Sicut domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen domini benedictum. Iuxta rationem huius ſeculi ad proferendum regnum Chriſti cõducibilius fuiſſet, ſi acceſſiſſent & credidiſſent ſapientes & prudentes huius ſeculi, quàm quod paruuli acceſſerunt. Sed ita placebat domino patri. Proinde placet & filio. Placeat ergo & nobis.

OBSERVAT.

1 Gratias ago, uel laudo te. Ergo ad laudem dei facit hoc iudicium Iohannis 7 Populus qui non nouit legem. Maledicti ſunt.

2 Non ſolũ dicit: quia ſic fuit uoluntas apud te, ſed εὐδοκία Bona uoluntas.

Domine

Domine cœli ac terræ. Quasi ratio est, cur non sint in ius uocanda iudicia Dei. Quia Dominus est in cœlo & in terra. Quis non potest in suo facere quod lubet.

Facit autem istud elogium Dei, quo uocatur dominus cœli ac terræ, non solum ad hoc, ut boni consulamus laudemus, & acceptamus, quæ iudicio illius fiunt, utut rationi absurda sint, sed etiam ad hoc, ut non dubitemus nihil posse fieri in cœlo & in terra, sine ipsius nutu & prouidentia. Nam non ita habet hunc titulum, ut tantum uocetur dominus, non uerò moderetur etiã omnia.

Audiamus ergo hunc titulũ patris nostri, scribamus eum primum in corda nostra: deinde uersetur ob oculos ubiq; in omnibus ualuis & parietibus.

Omnia mihi tradita sunt à patre. Nemo nouit filium, &c.

Quia discipuli dixerant: Etiam dæmonia nobis in nomine tuo subijciuntur. Et ipse responderat: Ecce dedi uobis potestatem calcandi, &c. Iam quasi illud confirmat, & rationem eius adijcit: nempe ista se accepisse à patre, imò non ista solum, sed omnia. Id est, omnem potestatem, quemadmodum & Matth. ult. dicit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Id quod ad hoc sanè dicit, ut discipulorum, id est, paruulorum illorum, quorum meminerat, confirmaret animos. Nam multum facit ad confortationem ministri, si sciat potestatem Domini sui. EXPENDAMVS VERBA.

Omnia, ut sit plena perfecti dominij possessio. Chrysost. obseruat, quod non dicit: omnes, sed omnia. Omnes enim angustius erat, quàm ut expressisset istud dominiũ Christi. Omnia dicit, Hoc est. Omne ius, omnem potestatem, omne dominium cœli ac terræ, pater mihi tradidit. Proinde nihil mirũ est, quod dæmonia uobis subijciuntur in nomine meo, &c. cũ sim dominus omnium. Atq; hoc est, quod Ebr. 2. ex Psal. 8. cõmemoratur Christo omnia esse subiecta. Vide locum. Vide Phil. 2. Quia obediens erat patri, ideò exaltatus est supra omnia, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum.

Mihi.] Vero homini, quem uobis uidetis per omnia simillimũ, in quo scandalizantur omnes, quem Iosephi filiũ uocant, nescientes neq; patrẽ, neq; me. Mihi inquam, qui uobis illam potestatẽ dedi, in cuius nomine uobis etiam dæmonia subijciuntur

Tradita sunt.] Notat hic Chrysost. humanitatem Christi. Iuxta diuinitatẽ enim nihil accepit à patre deus ipse magnũ mysteriũ, carnem nostram regnare in cœlis super omnia. Iusta est Christi potestas. Non enim rapuit eam, sed traditam à patre accepit.

A patre meo.] Firma est etiam Christi potestas. Hæreditaria est enim. Notatur hic primo genitura Christi, ex qua illius est regnum & sacerdotium.

OBSERVAT.

Colligimus ergo ex hoc loco Christum habere potestatem omnimodam & plenissimam: deinde iustam, 1 tertio firmam. Quæ huc faciunt. Primo, ut certi simus firma esse omnia, quæ ab illo uel per illum accepimus. 2 Deinde, ut nihil metuamus ab omnibus ipsius aduersa- 3 rijs. Tertio. Videmus etiam hic, cuius ministri sint qui potestatem in hoc seculo sunguntur. Vide Psal. 2. Quomodo regno Christi debeant inseruire.

Nemo nouit filiũ nisi pater, & patrem nemo nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare.

Q. d. Quod autem istud nõ ab omnibus passim agnoscitur, in causa est, quod filiũ nemo nouit, nisi pater etc.

OBSERVAND.

Quid sit cognoscere patrem & filium. An Iudei non 1 agnouerunt Deum? Videmus hic cognitionem Christi esse mysterium absconditum, & per reuelationem obtingi. Quid ergo mirum, si superbi sapientes Christi iustitiam ignorant? OBSERVAT.

Vnde sit illa cognitio.

Non ex carne & sanguine, Matthæi 16. 1

Non ex operibus creationis. 2

Neq; ex litera scripturarum, & magna scientia. 3

Est itaq; ex reuelatione, &c. 1. Cor. 12. Nemo dicit dominus Iesus, nisi in spiritu.

REVELATIO.

Quomodo reuelatur animus meus proximo? Per uerbum. Vt uerbum est imago animi, ita Christus filius Dei est imago patris.

OBIECTIO.

Si ergo patris est reuelare filium, & filij patrem, & 1 spiritus sancti, ut est Ioh. 14. docere omnia, et in omnem ueritatẽ inducere, quid opus est ergo ministerio uerbi? cum nemo queat aliũ docere ea quæ per reuelationem Christi tantum agnoscuntur?

RESPONDEO.

Verum est quod hic Christus dicit: Nemo docetur nisi diuinitus. Verũ interea nõ sequitur, nullũ esse usum uerbi Dei externi, qui ad hoc faciat, ut homines doceantur. Alioqui cur Christus misisset Apostolos suos, dicens: Docete omnes gentes, & prædicate Euangelium omni creaturæ? Quemadmodum enim & hoc uerũ est, quod nemo pascitur nisi uirtute diuina, & tamen nemo ita insanit, ut usum externi cibi reijciat, ita & hic habet. Sine opere spiritus Christi, certe nemo docetur ueritatem. Habet autem ille suos ministros. 2. Cor. 3. Ministri spiritus. Et 1. Cor. 3. Dei adiutores sumus. Ergo opus ipsum est Dei, & ministeriũ est doctorũ. Vide Acto. 16. de Lydia purpurissa, cuius cor aperiebat dominus, ut attenderet uerbis Pauli. Proinde 1. Cor. 3. recte cõparat Apostolus ministerium uerbi plantationi & rigationi. Quæ similitudo bene notanda & explicanda est. Vide etiam Rom. 10. Fides ex auditu.

Duo audiunt Euangelium, alius credit & amplectitur. Christi est opus, qui spiritu suo incrementum dedit, nõ ministri, qui nihil nisi uerba administrauit. Alius non solum non credit, sed & expuit & execratur, aut certe deridet. Deest opus spiritus. Non est ex deo ille auditor. Et interea tamen uerbum Dei uerum est & rectum, illuminans corda. Simile seminis in terrã iacti. Item igniculi uel in fomitem uel in saxum cadentis.

VIRTVS CHRISTI.

Quid ergo nobis hic prædicatur aliud, quàm uirtus Christi, sine quo nemini potest uera Dei cognitio pertingere

tingere: ita, ut si adduxeris omnes Papas, Concilia, Vniuersitates, sapientes & doctos huius mundi, imò si libet omnes etiam angelos cum omnibus portentis, ut uni auaro persuadeant, diuitias illius esse noxias, Deum esse solum omne bonũ, propter quem omnem turpem quæstum relinquere debeat, nihil magis efficiant, quàm si statuæ uel columnæ saxeæ prædicarent: ita & de alijs. Propterea rectè ante concionem & post oratur pro gratia & uirtute Christi.

OBSERVAT.

3 Cui uoluerit filius reuelare. Videmus hic donum cognitionis diuinæ in manu Christi esse, ut illud det cuicũq; uolet. Atq; hic planè reijcitur omne meritũ. Quæris cur non omnibus, sed quibusdam? cur non illis, sed istis? cur paruulis, & non magnis? In promptu responsio est. Reuelat cui uult. Sic & pater. Cuius uoluero miserebor, quem uoluero indurabo inquit.

Libertas ista diuinæ uoluntatis bene expendenda est. Reuelat Christus patrem suum. Virtus Christi est. Reuelat quibus uult. Libertas uirtutis Christi est. Nemini quicquàm debet. Gratiæ debentur omnia. Proinde reuelat pro suo arbitrio. Reuelat etiam quando uoluerit. Quibusdã maturius, quibusdam serius. Reuelat quantũ uoluerit, quibusdam multum, quibusdam minus. Omnibus tamen quod satis est. Reuelat, quomodo uoluerit. Non simul omnia, sed per successum. Alteri simul multa & magna, alteri modica & paulatim.

Notandum ergo ex ista doni Christi libertate. Primum. Non esse gloriandum illis, quibus reuelatum est regnum Christi. Nihil enim illis debebatur. Gratias agant Christo. Deinde. Ne reijciant reliquos, quibus nondum. Tertio, ut patientes simus erga eos, quibus nondum reuelatum est, scientes tempora & momenta conuersionis esse in manu reuelatoris. qui primum Iudæos: deinde Gentes. primum Apostolos: deinde etiam Paulum, qui nunc Iudæos in cæcitatem coniectos, aliquando illuminabit. Quarto, ut non exigamus parem cognitionem Dei in singulis. Non eadem reliquis, quæ tribus illis, Petro, Iacobo, & Iohanni ostendebat. Est quidè ista reuelatio Christi libera ad illius uoluntatem. Sed uoluntas illa nota est, hoc est, cognitum est, quibus libenter reuelet, quos amet, quos cõplectatur: ex quibus sanè neminem reijcit. Qui sunt autem illi? Supra dixit: Et reuelasti ea paruulis. Ergo paruulis reuelantur ista secreta. Vide Esa. 66. Item Lucæ 4. Et infra. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis. Et Matth. 5. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Nemini negatur hoc secretum nisi superbis. Secretum domini super timentes eum, Psal. 25.

OBSERVAT.

4 Postquàm ita gloriatur Christus hoc loco de dono reuelationis suijpsius & patris, oportet magni quippiam istam cognitionem in se habere. Proinde & illud expendendum est. Cognitio Dei duplex est. Prima est generalis illa, quæ per creaturas Dei colligitur, de qua est Rom. 1. Hæc est omnium & quodammodo naturalis. Ista tamen ualet, ut reddat omnes inexcusabiles, tantum uerò non ualet, ut animum immutet ac ad ueram pietatem regeneret. Altera est singularis & præcipua, qua non solum potentia & bonitas illa Dei uniuersalis, qua repleta est terra, sed & consilium illud de saluandis per Christum mortalibus, à seculo absconditum, cognoscitur. Ea est electorum. De illa loquitur hic Christus, & ideò non dicit: Nemo nouit deũ, sed patrẽ, & filium. De illa est Ioh. 7. Pater sancte, mundus te non cognouit.

Ista habet uitam æternam. Ioh. 17. Ista ut apprehendit consilium Dei ad salutem per fidem, ita & innouat totũ hominem, & urget ad apprehendendam eam bonitatem, quam ostendit. Hinc est illud Ioh. 8. Cognoscetis ueritatem, & ueritas liberabit uos. Item 2. Petri 1. Sic ut eius diuina uirtus omnia nobis largita est, quæ ad uitam ac pietatem pertinent, per agnitionem eius qui uocauit nos, &c. Proinde manifestum signum est eos neq; patrem scire, neq; filium, qui adhuc in tenebris peccatorum ambulant. Habet enim uera Dei cognitio adiunctum pietatis studium, ut ignorantia Dei studium habet impietatis. Hinc 1. Ioh. 2. Qui dicit se Deum nosse, & mandata eius non seruat, ueritas in illo non est. Et 1. Ioh. 4. Qui nouit Deum, audit nos. Qui non diligit, non nouit Deum, quia Deus charitas est.

Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Tollite iugum meum super uos, & discite à me: quoniam mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Iugum enim meum cõmodum est, & onus meum leue.

Ista Christi uerba tria habent. Primũ. Suauissimam illam uocationem ad se laborantium & oneratorum, quibus refocillationem pollicetur. 1 Alterum: quid illi facere debeant, quò istam refocillationem assequantur: nimirum quam pollicetur, qua scilicet animæ requiem inueniant. 2 Tertium. Ratio quæ subiungitur, quare uidelicet ex iugo suo sint requiẽ inuenturi. Ibi. Iugũ enim meũ cõmodũ est, etc. Ista ex ordine declarabimus et expendemus. 3 Sunt enim omnia plena summa cõsolatione.

Venite ad me omnes, &c.] Vt istam uocationem Christi cum fructu & consolatione adflictarum conscientiarum tractemus, obseruanda sunt tria. Primum. 1 Quis sit ille, qui his uerbis quosuis ad se uocat. Alterum 2 Quos ad se uocet. Tertium, 3 Ad quid eos uocet, quid illis facere uelit, imò, quid præstiturum se polliceatur.

QVIS SIT QVI AD SE VOCAT quosuis.

Quoniã multũ refert, ad quẽ uocentur, qui opus habent, ut iuuentur. Christus uerò hic ad se quosuis uocat, operæprecium est expendere, quis sit, & qualis.

Primum. Quia opus est, ut potens sit, qui alijs auxilium pollicetur, necesse est, & Christum hũc, qui auxilium ad se uenientibus promittit eam potentiam habere, qua succurrere ad se uenientibus possit. Atq; huius gratia præmisit: omnia mihi data sunt à patre meo, hoc est, ut et alibi dicit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Ne dubites de ipsius potentia, quæ omnino plena et perfecta est, iusta est & firma, ut supra notaui.

Deinde

Deinde, quia non satis est esse potentem, nisi accedat & animi promptitudo, ad iuuandum quosuis propensa, exprimitur etiam quanta sit potentissimi huius domini bonitas, ad opitulandum parata. Quid dico parata? Magis omnium cupidissima. Non enim dicit: Si quis uenerit ad me, refocillabo eum, sed ultrò ad se cunctabundos uocat, dicens: Venite ad me.

Atq; hic uidere est expressam imaginem cœlestis patris, quod ad illius immensam bonitatem attinet, quam & Prophetæ describunt & commendant, ut uidere est Esaiæ 55. Omnes sitientes uenite ad aquas, &c. Et toties repetitum illud: Conuertimini ad me, & salui eritis. Et Hiere. 2. Lætabor cum benefecero eis. Hinc illæ quærimoniæ. Tota die expandi manus meas. Rom. 10. Et Hieremiæ 2. Me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ. Et 32. Verterunt ad me terga.

Iam si ista duo coniunxeris: nempe, quod omnem habet potestatem: deinde et animũ iuuandi cupidissimum: quæ quæso poterit excusatio esse, si ad Christum currere detrectauerimus? Imò quid poterimus molestius in illum designare, qui ita diligit, ut gaudeat benefacere? ita quosuis ultrò ad se uocat?

QVOS AD SE VOCET.

2 Secundo loco, uidere est, quos ad se uocet. Omnes inquit, qui laboratis & onerati estis. Nimirum, quos alios ad se uocaret, quàm quorum gratia in hunc mundum uenit, imò quorum gratia id potestatis à patre accepit. Lucæ quarto ita legimus, diuinitus per prophetam de Christo prædictum esse. Spiritus domini super me, eò quod unxerit me, ad euangelizandum pauperibus misit me, ut sanem cõtritos corde, ut prædicem captiuis remissionem, & cæcis uisum, ut emittam confractos per remissionem, ut prædicem annum domini acceptum, &c. Ex hoc & præsenti loco, satis uidere est, eam potestatem, quam Christus in hunc mundum missus à patre accepit, non tam sui, quàm adflictorum gratia accepisse, ut paratum adferret laborantibus auxilium. Non enim hoc solum agebat pater, ut filium redderet rerum omnium dominum: quemadmodum solent principes huius seculi, qui nihil aliud quærunt, quàm ut uel ipsi uel filij, rerum potiantur, & in omnibus pro uoto dominentur, sed magis hoc agebat, ut miseris ac pereuntibus succurreret. Propterea scilicet filium misit, propterea omnium potestatem dedit, ut esset, qui rebus adflictis mortalium opem ferre posset.

Ioseph. Dauid. Ita in potestatem subuehebatur Ioseph in Aegypto. Ita & Dauid 1. Sa. 22. Vide historiam, in qua pulcherrimè Christi typum uidere est.

OBSERVAT.

Mariti in uxores. Parentes in liberos. Ministri Christi in peccatores. Habent hic, qui potestatem super reliquos acceperunt, exemplum, quod ob oculos ponant, & imitentur. Ita scilicet expositus omnibus ex æquo debet esse legitimus magistratus, cui data potestas est à deo, data scilicet in gratiã adflictorũ et laborantiũ, nõ ad priuatæ libidinis exequutionẽ, ut liqueat eam potestatem duntaxat in gratiam adflictorum administrari. Vide supra cap. 10.

QVI SINT ADFLICTI, LAborantes & onerati.

Non immerito quæri poterit, qui sint isti laborantes & onerati, quos ad se uocet Christus. Cũ enim nemo sit mortalium, qui non sit ut uanitati, ita & labori & adflictioni obnoxius, ut & Ecclesiastes dicit: Et ecce omnia uanitas, & adflictio spiritus, quod & suo ipsius exemplo declarat: uidetur hic nemo excipiendus mortalium. Est autem labor animi proprie, quando nec quæ desiderantur assequi, nec quæ horrentur fugere potest. Sunt autem pro uarietate desideriorum carnis, uariæ quoq; adflictiones spiritus. Nam ut Augustinus rectè dicit: Omnes curæ & labores eò tendunt, ut re desiderata frui liceat. Vt exempli gratia. Superborum labor est, ut gloria potiantur, quem summopere sectantur. Auarorum, ut pecunias accumulent: liuidulorum, ut male sit proximo: ambitiosorum, ut quæ ambiunt, assequantur & soli poßideant: uoluptariorum ut delitijs uacare liceat. Isti, quia etsi subinde nonnihil uoto potiantur, quia tamen nunquàm desiderata cedunt, ut cupiunt, semper sunt miserrimi.

Istorum refocillatio esset, si potirentur rebus desideratis. Atqui illud Christus non dabit. Neq; enim uel ad officium ipsius hoc pertinet, neq; commodo & bono esset ipsis laborantibus. Quanquàm hoc in se habet ista Christi refocillatio, ut radices huius mali tollat, desiderijs tamen istorum non satisfacit. Quemadmodum enim hydropicis bibendi desiderium nõ bibendo tollitur, sed humorem intercutẽ tollendo: ita & hic habet. Taxanda hic insania uoluptariorum, qui putant se abunde satisfacere desiderijs suis, si illis obsequantur.

Quos ergo intelligemus laborantes & oneratos? Chrysostomus intelligit oneratos legalibus oneribus: deinde et pharisaicis traditionibus, sub quibus tanquàm grauibus oneribus pij tum ad iustitiam luctabantur assequendam, sed frustra. Non enim data erat lex, quæ posset iustificare. Nos uerò in genere intelligimus uniuersos eos, qui peccatorũ pondere, naturæq; corruptæ malicia, quã sentiunt, pressi, ad eijciendã prauitatẽ, & assequendã iustitiã luctantur. Cũ uerò tam illa nequeat apprehendi, q̃ ista eijci, sine gratia spiritus sancti, nihil aliud est talium lucta, quàm labor & adflictio spiritus.

Tales ut tum erant inter Iudæos: deinde & inter Gentes, ita multi fuerunt, & sunt hodie inter Christianos, qui sub oneribus traditionum humanarum frustra sudant & laborant pro pacificanda conscientia, quæ non potest nisi fide in Christum per gratiam Christi pacificari. Hinc in Papatu tanta anxietas confitendi, ieiunandi, sanctos colendi, & nescio quæ alia meditandi. Istos omnes uocat ad se Euangelium Christi, tanquàm ad unicam animorum laborantiũ medicinam, quæ sola potest laboranti spiritui succurrere & mederi.

Vocantur ergo ad Christum illi peccatores, qui sensu peccati premuntur, & pro pacificanda conscientia laborant. Atq; illi soli sunt, qui cum fructu ad Christum ueniunt. Nihil ergo loci apud Christum est. Primum iustitiarijs & hypocritis. Deinde illis peccatoribus, qui nullum peccati sensum experiuntur. Istorum hodie magnus est numerus, qui in peccatis plane stupidi & ἀναλγητοί facti sunt.

Et ego

Et ego refocillabo uos.] Tertium eſt, quid polliceatur adflictis & laborantibus, quos ad ſe uocat. Nimirum illud quod iſtis hominibus tantopere quæritur, & fruſtra quæritur, cũ anxietate animi quæritur, quod omnium eſt iucundiſſimum adflictis, hoc promittit. Animi ſcilicet requiem, conſcientiarum pacificationem.

EXPENDENDA VERBA.

Et ego inquit] Q.d. Quid alibi quæritis, ubi non licet inuenire? Quid fruſtra quæritis? Ego is ſum, qui poſſum uos iuuare ſolus. Huc pertinet & illud: Venite ad me. Ad me inquam properate, qui alibi fruſtra quæritis.

Refocillabo uos] Nota certitudinem auxilij promiſſi. Medicus quàmuis bonus, nihil pollicetur aliud (ne poteſt quidem) ægroto, quàm diligentiam & operã ſuam quoad licet, ſanitatẽ certo nõ pollicetur. Chriſtus uerò hic non dicit: conabor, uidebo, tentabo, experiar, num queam uos refocillare, ſed omnium certiſſimum dicit: Ego refocillabo uos.

OBSERVAT.

1 Videmus itaq; hoc loco, quàm ſit extra Chriſtum, regniq; illius gratiam nihil aliud, niſi labor et adflictio, quicquid homo tentet. Et in uno Chriſto pacificari conſcientias laborantes & adflictas.

Audiant hic, qui hodie ſunt in cauſa religionis perplexi, dubij, anxij, cõſternati, ignari, cui parti adhæreant. Ad Chriſtum accedant, accedant autem pura fide, & refocillabuntur. Turpe eſt homini Chriſtiano dicere: Neſcio quò eam, cui adhæream, cui credam. Quò ibis, niſi ad Chriſtum? cui adhærebis niſi Chriſto? cui credes, niſi Chriſto? Intuere quid nominis habeas. Chriſtianus uocaris, & dubitas, quò eas, cui credas, cui adhæreas? Deinde audiant hic, qui ſanctos inuocant. Quis ſanctorum unquàm dixit: Δεῦτε πρὸς με πάντες κἀγω ἀναπαύσω ὑμᾶς. Imò ſi diceret, quis Chriſtianorum illi crederet? Et cum ad eos curratur, qui nec poſſunt iuuare, neq; id pollicentur etiam. cur quæſo ad eum ſolum non itur, qui non ſolum poteſt, ſed ſolus poteſt, ſed & uult, & ad ſe uocat quotquis: O incredibilem incredulitatem & ſtupiditatem.

Tertio. Audiant & hoc diuites, audiant filij huius ſeculi, qui requiem quærunt in rebus huius mundi, in honoribus, diuitijs, carnis uoluptatibus. Nec Salomon, nec Alexander Magnus, nec Xerxes inuenerũt, quod quæſierunt. Ad unum Chriſtum eundum eſt, qui ſolus poteſt mentes mortalium pacatas reddere.

Tollite iugum meum ſuper uos, & diſcite à me: quoniam mitis ſum, et humilis corde. Et inuenietis requiem animabus ueſtris.

Quoniam dixerat ſe refocillaturos laborantes & adflictos ad ſe uenientes: addit ſecundo loco, quid facere debeant, ad hoc, ut requiem animarum, quam pollicetur, inueniant: nempe, tollere iugum ſuum, & diſcere à ſe. Quod ſi fecerint, pollicetur fore, ut requiem illam animarum inueniant.

Intelligit autem per iugum ſuum nihil aliud, quàm ut ſe diſciplinæ magiſterioq; ſuo ſubdant & cõcredant, amplectentur ſe magiſtrum, dominum ac præceptorem q.d. laboratis ſub iugo legis ac Moyſi, Scribarũ et Phariſæorum, traditionumq; humanarum, ſub quorum magiſterio quæritis animarũ ueſtrarum requiem, hoc eſt, conſcientiarum pacificationem, & nihil inuenitis. Huc ad me, ego refocillabo uos. Tollite meum iugum ſuper uos, & diſcite à me, hoc eſt, ſubdite uos mihi, eſtote mei diſcipuli, doctrinam meam arripite, ſinite ut ego uos imbuam doctrina & ſpiritu meo, & certo inuenietis requiem animarum ueſtrarum.

Quia mitis ſum, & humilis corde.] Hoc ita legunt quidam, ut ſit hoc quod debeant diſcipuli Chriſti diſcere: nempe humilitatem & manſuetudinem, ut per manſuetudinem et humilitatem cordis requiem animarum, quam pollicetur, inueniant. Iam uerũ eſt, iſtæ uirtutes non parum faciunt ad ſedandos animi affectus ac motus. Deinde, ſunt etiam nobis à Chriſto tanquàm omniũ abſolutiſſimo manſuetudinis et humilitatis exemplari diſcendæ. Verum, ſi conſiderauero, quod genus hominum ad ſe uocet: nempe non ſuperbos hypocritas aliorum contemptores, ut illis manſuetudinem & humilitatem à ſe diſcendam proponat: utpote per quas uirtutes ſint inuenturi requiem animarum, quam per ſuperbiam mentis inuenire non poterant, ſed eos, quos uocat laborantes & oneratos, hoc eſt, peccatores, animarum requiem, conſcientiarumq; pacationem ſtudioſe quærentes. Quod hominum genus plerunq; עניים ſunt & humiles, non uidetur hic Chriſtus dicere, quid à ſe diſcere debeant, ad hoc, ut deſideratam animarum requiem inueniant: cum alioqui ſint adflicti, manſueti & humiles corde, nec impediant ſuperbia & ferocia, quò minus requiẽ quam quærunt, inueniant, ut neceſſe ſit ad manſuetudinẽ et humilitatẽ adhortari. Proinde alia eſt iſtorum uerborũ Chriſti ratio & ſententia, quæ magis conueniat iſti generi hominũ, quos ad ſe uocat: nempe iſta.

Quia laborantes iſti & adflicti animis ſunt modeſtis, adflictis, humilibus, ac puſillis, ut facillime abhorreant acceſſum potentum, conſiderato illorum ingenio Addit de ſua manſuetudine & cordis humilitate, quo ad acceſſum & ſubmiſſionem eos animet ac perſuadeat. Quoniam enim præmiſerat, omnia ſibi data eſſe à patre, ne magnitudine potentiæ ſuæ abſterriti, accedere audeant, reijcit à ſe ſuſpicionem animi elati ac ferocis, qualem plerunq; habent, qui rerum potiuntur. q. d. Ne formidate, quod potens ſum, non huc me impellit, ut animo ſim ſuperbo ac feroci. Tametſi etiam mihi omnia ſint tradita à patre, quàmuis ſim dominus omnium, nihilominus me ipſum humiliaui propter uos, in omnibus uobis ſimilis factus ſum, & ipſe adflictus, et humilis corde, qui non ſpernam uos, ſed maxime laboribus ueſtris condoleam, & uos iuuare cupiam, quorum gratia hæc omnia facio. Eia igitur ne fugite, ſed accelerate. Hoc ſenſu uidentur iſta dici.

Et inuenietis requiem animabus ueſtris.] Quæ ſupra, ubi dixit: Et ego refocillabo uos, annotata ſunt, hic quoq; obſeruanda ſunt. Ne uidelicet putemus requiem inueniri humano ſtudio poſſe. Dicit quidem: inuenietis, ſed antea dixit: Ego refocillabo uos, ut intel-

ligas ſua gratia & uirtute fieri, ut inuenias, quod aliàs nunquàm inuentres, niſi ipſe daret, quod quæris.

Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.] Tertio. Rationem reddit adhuc aliam, quæ bifariam exponitur. Aut enim eò pertinet, ut dicat quare ſint requiem inuenturi ex iugo ſuo: nempe propterea quod commodum eſt & leue. Aut ad hoc facit, ut alio argumento perſuadeat eos quos ad ſe uocat, ut nõ detrectent iugum ſuum amplecti, non deterriti uocabulo iugi. Eſſe enim longè commodius iugum, quod ipſe impoſiturus ſit, quàm quo hactenus eſſent preſſi. Sed utut intelligas, hoc manet, iugum Chriſti eſſe commodum, & onus eius leue. Prior ſententia ualeret, ſi laborantium requiem impediret difficultas iugi Moſaici. Iam quoniã tametſi graue ſit iugum Moyſis & traditionum humanarum, tamen non in eo tantum ſitum eſt, quod requies in illo et ſub illo laborantibus non inuentur, ſed & in eo, quod illi ipſi laborantes opus habent diuina uirtute, quam lex non præſtat. Atq; ideò magis uidetur hoc dici uice argumenti, quo perſuadeat laborantes, ut ad ſe ueniant, iugumq; ſuum acceptent: propterea quod commodum ſit & leue, reſpectu eius, ſub quo laborarunt.

OBSERVAT.

1 In eo quod admonet ad tollendum iugum ſuum, hoc eſt, ad hoc, ut colla doctrinæ ſuæ & magiſterio ſubmittamus, ſe pro præceptore, domino & magiſtro ſalutis noſtræ agnoſcamus, amplectamur, audiamus, habent hic, quod obſeruent. Primum, qui de papiſtico iugo quidem liberari ſe paſſi ſunt, interea tamen iugũ Chriſti imponi ſibi non ſuſtinent, ſed pro carnis libertate ac temeritate omnia faciunt. Atqui Chriſtus non dixit tantum: Reijcite iugum legis ac Moyſi, ſed tollite iugum meum ſuper uos, & diſcite à me. Ad eum modum & Iſraëlitæ faciebant. Libertatem à iugo Aegyptiaco amplectebantur, uerum iugum Dei è ceruice excutiebant, atq; ideò terram ac requiem promiſſam non ingrediebantur. De illis dicitur. Hodie ſi uocem eius audieritis, nolite obturare corda ueſtra, &c. Non ergo ſatis eſt tyrannico iugo liberatum eſſe, oportet & iugum Chriſti amplecti. Nota uerbum ἄρατε, tollite, quod cupiditatem quandam ſignificat ſuſcipiendi iugi Chriſti.

Non ſuffert Iugum papiſticum reijci niſi Iugum Chriſti ſeruat.

Deinde etiam illi qui adhuc ſub errore detinentur, quibus argumentum bonæ intentionis ſufficiens uidetur ad excuſandos, aut etiam defendendos quoſuis errores, quamuis apertas impietates. Si exigit Chriſtus ab illis, qui ad ſe ueniunt, ut ſe ſibi concredant, ſe præceptorem agnoſcant, à ſe diſcant, iugum ſuum tollant: certe non conuenit uti proprio magiſterio, propriaq; intentione & ſapientia quiduis inſtituere. Quis præceptorum hoc ferret à diſcipulo quem debeat formare & inſtituere? Quis medicorum ab eo patiente hoc ferret, quem curandum ſuſcepit?

Tertio. In eo quod dicit: Diſcite à me] Emphaſis eſt, qua exprimitur idem quod ſupra, ubi dixit: Venite ad me, & ego refocillabo uos. Nam ad ſe unũ uocat præceptorem & magiſtrum quoſuis, ut ſit ipſe unus dominus & magiſter omnium. Vide Matthæi 23. Quid ergo faciunt illi, qui ſibijpſis magiſtros coaceruant? Admonemur itaq; hoc loco, ut nulli nos magiſtro addicamus niſi uni Chriſto. Miniſtros Chriſti audite & colite, ut diſcipulos Chriſti. Chriſtum colite ut unicũ præceptorem, in cuius ſolius uerba iurandum eſt.

OBSERVAT.

Quia mitis ſum, & hum.] Expendendum & alta mente reponendum eſt conſilium illud Dei, quo filium ſuum uoluit in forma ſummæ manſuetudinis & humilitatis ad nos peccatores curandos mittere. Eſa. 53. Zach. 9. Ebr. 2. 4. Iſto conſilio Dei non utuntur Eccleſiæ prælati, ut loquuntur, qui magis formam ſuperbiæ & ferociæ gerunt, quàm manſuetudinis & humilitatis: maxime, qui uerbis quidem ſe uocat ſeruum ſeruorum dei, reipſa uerò præſtat dominum dominantium, & regem regum. Nec illi Chriſtum imitantur, qui ueſtitu per hypocriſim humilitatem oſtentant, ſed non cordis. 2

OBSERVAT.

Et inuenietis requiem.] Hic primo loco obſeruandum eſt, quomodo iugum Chriſti diſcrepet à iugo dominantium in hoc ſeculo. Primo, qui dominantur in hoc ſeculo, iuga imponunt ſubditis non ad hoc, ut illis paretur requies, ſed ut ſibi ipſis liceat pro libidine uiuere, utut habeant ſubditi. Chriſtus uerò nõ ita. Iugum meum inquit, non adfliget uos, ſed requiem præſtabit. Deinde, qui dominantur curant, ut graui onere premant ſubditos, ne reluctentur, ita ut uix ſuſpirare liceat. Exẽplum Pharaonis, deinde & Roboam 1. Reg. 12. Chriſtus uerò non ita, ſed commodum & leue iugum imponit. Hoc uidelicet non ſolum eius eſt, qui curandi habet mentem & peritiam, ſed & eius qui imbecillitatem conſiderat ægrotantium. Nam ſic ſolent boni et periti medici. Non imponunt grauia, ſed facillimis & commodiſſimis curant. Qui diuerſum agunt, non eos quos curare debent, ſed ſeipſos magis quærunt. 3

Requiem animarum.] Qua ſit illa requies animarum, quæ in hac etiam uita contingit per Chriſtum, expende χριστιανισμὸν poſt mortem fidelium clamant: Requiem æternam, &c. Satius eſſet curare, ut in hac uita pacificarentur mortalium animæ per iugum Chriſti, quas ſuis ſtatutis grauant & uexant.

Item taxandi ſunt illi Chriſtiani, qui de animarum ſuarum requie nihil cogitant. Quid quæſo illi in Chriſto quærunt? certe non uenit ut requiem nobis carnalem largiatur in hac uita.

CAPVT XII.

N illo tempore, ibat Ieſus Sabbatis per ſegetes. Diſcipuli uerò illius eſuriebant, & cœperunt uellere ſpicas, & comedere. Mar. 2. Luc. 6.

Primo omnium, non eſt putandum iſtam diſcipulorum eſuriem ac famem præter Chriſti conſcientiam, imò prouidẽtiã eſſe factã. Poterat diſcipulos ſuos abũde ſatis paſcere, qui etiam quinq; hominum millia modico pane pauit. Verum ita malebat ſuos inſtituere, ut ferendæ fami aſſueſcerent, diſcerentq; modicis eſſe contenti.

tenti. Futurũ enim erat, ut poſt abſceſſum ipſius famem experturi eſſent, qua de re uide Apoſtolum 2. Cor. 11. Et ipſe Lucæ 22. admonet. Iam, inquit in poſterum, qui habet peram tollat eam, &c.

Marci 6. Veniebãt ac abibãt multi, ut nec manducandi ſpatiũ haberent

Deinde uidemus etiam hoc loco, quàm non dederit tempus uentri curando, totus in prædicando, regnum q; ſuum promouendo. Nam abſq; dubio ad manum alioqui fuiſſent, qui ad prandia uocaſſent, & lautè cibaſſent.

Cum uerò omnis Chriſti actio ſit noſtra inſtructio, oportet ut ex hoc loco nobis aliquid ad noſtram utilitatem & inſtructionem decerpamus.

Primum. Admonentur hic, qui ita ſtudent uentri ſaginando, ut nihil planè famis ſentiant, nõ ſolum ipſi toti in ſaginando uentre, ſed & ſuos in delitijs emolles reddentes, et nulli tollerantiæ aptos. Et hoc non ſoli faciunt diuites, ſed & mediocres. Præſtaret ad exemplum Chriſti in tempore inſtitui ad futura. Paulus gloriabatur ſe poſſe abundare, poſſe famem perpeti in omnibus inſtitutum eſſe. Taxandi ſunt etiam hoc loco delicatuli Eccleſiæ miniſtri, qui curandi uentris gratia prædicationem euangelij deſerunt. Chriſtus ſeq; ſuos q; ita inſtituit, ut propter aſſiduitatem promouendi euangelij, quæ curationem corporis cõcornebant, omiſerit, uel certe inferiore loco habuerit. Viciſſim uerò Romanus pontifex ſuos ita inſtituit, ut propter uentris prouiſionem accuratè ſeruandam doctrinam Euangelij negligant.

Diſcipuli, Apoſtoli, Pontificum, Cardinalium & Epiſcoporum præceſſores eſuriem patientes, ſpicas uellunt, & corporum neceſsitati conſulunt, bene contenti. Et Lucæ 22. rogati à Chriſto, num aliquid defuiſſet: reſponderunt nihil. Quid iſti Apoſtolorum ſucceſſores reſponderent hodie?

At Phariſæi cum uidiſſent, dixerunt illi: Ecce diſcipuli tui faciunt, quod non licet facere in Sabbato.

Phariſæi, uelut uehementer iuſti Chriſtum comitabantur inter reliquam turbam, non ut ab illo diſcerent, ſed ut obſeruarent illius dicta & facta, haberent q; quod carperent, tanquàm ſtudioſi diuinæ legis cuſtodes, quibus quaſi peculiariter hoc demandatum eſſet officij, ut ſingulorum uitam & religionem obſeruarent & arguerent. Qui quanto erant erga Chriſtum amaricatiores, hoc maiore ſtudio cuncta illius acta & uerba obſeruabant & traducebant. Horum imaginem referunt, qui nõ alia ratione concionibus eccleſiaſticis interſunt, quàm ut uenentur quod carpant.

Ecce diſcipuli tui faciunt, quod non licet Sabbato.] Magna ſuperſtitione tenebantur erga Sabbati ferias Iudæi, maximè Phariſæi. Exod. 20. Deut. 5. præcepta erat ſanctimonia Sabbati ad eum modum, ut nihil operis in eo fieret, ſiue per patremfamiliãs, ſiue per filium, ſiue filiam, ſiue familiam, ſiue iumenta. Cõtra iſtam Sabbati religionem fieri reputabant ſimpliciter quæ faciebant diſcipuli, imò quæ & Chriſtus curando ægrotos.

Cum ergo putarent ſe omnino occaſionem adeptos eſſe calumniam Chriſto ſtruendi, ut aut ſi ſuos cohiberet & argueret, ſuperſtitionem iſtam Sabbati, qua tenebantur obſirmaret, aut ſi nõ faceret, calumniæ locum daret, tanquàm contemptor Sabbati.

Et quia ueriſimile eſt præceptorum culpa fieri, ſi qua delinquuntur à diſcipulis, ut merito uideantur diſcipulorum delicta præceptoribus uitio danda, ideò ad eum modũ ipſum adoriuntur. Ecce, inquiunt, diſcipuli tui faciunt, quod non licet Sabbato. q. d. Ecce quales diſcipulos habeas, imò quomodo eos inſtruas uide. Quur non prohibes? uerum ita ſolent, qui ipſi nullam habent Sabbati rationem. Quod ſi Sabbati religione teneremis: teneremis autem, ſi diuinam legem aliquo loco haberes, diſcipulos tuos à uiolatione Sabbati cohiberes.

Et uide adhuc iſtorum hominum hypocriſim. Cur non dicunt: Ecce diſcipuli tui inedia torquentur. Cur eos non paſcis? Cur ita deſeris ac negligis? Verum iſtud non ſapuiſſet zelum pro ſanctimonia Sabbati. Agebant autem iſti homines hoc unum, ut haberentur pro zelatoribus gloriæ diuinæ, legaliumq; obſeruationum, cum omnino aliò reſpicerent.

Summa eſt iſtorum hominum malicia. Supra cap. 9. cũ manducaret cum publicanis & peccatoribus Chriſtus, ut illum coram diſcipulis contemnerent, contempti bilemq; et ſuſpectum redderent, ad diſcipulos dicebant: Quare cum publicanis & peccatoribus cibum ſumit præceptor ueſter? Hic cum uidentur diſcipuli contra Sabbati religionem delinquere, Chriſto illud obijciunt: Ecce diſcipuli tui faciunt, quod non licet Sabbato. Ita ubiq; hoc agunt, ut Chriſtus reprehenſibilis habeatur, tanquàm unius Chriſti hoſtes.

Iſtos imitantur hodie, qui cum ſint toti in eo, ut ſpeciem ſanctimoniæ zeliq; Dei oculos aliorum offundant, cum aliud in corde agant, nihil aliud obſeruant in auditoribus euangelij, quàm unde aucupentur traductionem eorum qui euangeliũ docent. Non obſeruant, quid illi doceant, ſed quid iſti uiuant. Id quod & Chryſoſtomus de ſuis & Eccleſiæ aduerſarijs gentilibus Ebr. Ser. 4. quæritur, cum dicit: ὁ γὰρ τοῖς λεγομένοις παρ' ἐμοῦ προσέχειν ἕλληνες ἀλλὰ τοις γινομένοις παρ' ὑμῶν. Cum hoc itaq; ſit iſtorum hominum ingenium miniſtrorũ Chriſti fuerit eo maiore ſtudio uitam ſuam inculpatam reddere. Quod ſi concionator quidquàm deliquiſſe putatur nuſquàm non coram auditoribus ſuis traducitur, ut in illorum mentibus ſuſpectus reddatur.

Ille uerò dixit eis: Non legiſtis quid fecerit Dauid, cum eſuriret ipſe, & ij qui erant cum illo? Quomodo ingreſſus ſit in domum dei, & panes propoſitionis ederit, quos ipſi nõ licebat edere, neq; ijs qui cum illo erant, niſi ſacerdotibus ſolis.

Non legiſtis inquit? Quare non ſimpliciter obiecta famis neceſsitate illos tuetur dicens: Eſuriunt, famẽ patiuntur, famis neceſsitate, quod carpitis, non legis uel Sabbati contemptu faciunt? Eſt enim omnino magna famis prærogatiua, etiam in præcepta diuina. Inhumanis ac ſaturis reſpondebat, qui iſta ratione ſine autoritate alicuius exempli non fuiſſent contenti. Nam ita fieri ſolet, ut qui nunquàm expertus eſt, quæ ſit famis uiolentia

& neceßitas, nequeat eſuriem patientibus condolere, id quod uidemus in diuitibus. Diues ille euangelicus neſciebat eſurienti Lazaro compati, quippe qui quotidie ſplendidè epularetur. Et ea eſt humani cordis durities, ut ne pauper & eſuriens quidem condoleat pauperi & eſurienti, quid ſperandum de ſaturis?

Propterea quámuis honeſta ratione potuiſſet Chriſtus diſcipulos ſuos obiecta fámis prærogatiua defendere à calumnia Phariſæorũ, mauult autoritate ſcripturæ illos tueri. Atq; ideò exemplum inducit, quò oſtendat, quomodo fámis neceßitas à tranſgreßione præcepti dei excuſet. Eſt autem hiſtoria quam obiecit 1. Sam. 21. De panibus propoſitionis uides Leuit. 24.

Et uide quàm apte retundat aduerſarios. Poteſtis ne inquit patriarchum ueſtrum Dauidem accuſare, qui & ipſe fámis neceßitate adactus, fecit quod non licebat? Si non poteſtis, et nemo unquàm factum Dauidis culpauit, quæ eſt iſta iniquitas, quod diſcipulos meos in ſimili cauſa culpatis? Obſerua uerò, quod non ſimpliciter exemplum Dauidis profert, ſed primum rogat: num illud non legerint, id quod ſatis falſe facit, ſi reſpicias perſonas, quibus loquitur. Huc enim facit, ut cogat eos notam incurrere, aut ignorantiæ ſacrarum ſcripturarum, aut animi excæcati & maligni. Non legiſtis inquit? Quaſi dicat: Quid hoc rei eſt? Ignoratis adhuc, quod adeò notum & tritum eſt in ſcripturis, de quibus apud imperitos gloriamini? Et quomodo eſtis aliorum doctores? At forſan legiſtis? Si legiſtis, quî fit, quod cum Dauidem non incuſetis, diſcipulos meos in facto pari condemnatis? unde uobis eſt iſta iniquitas? Cur non æquo iudicio iudicatis? Scilicet liuor excæcat uos ſanctiſſimos aliorum mortalium doctores ac iudices.

Non legiſtis.

Aut non legiſtis in lege, quod Sabbatis ſacerdotes in templo Sabbatum prophanant, & crimine uacant?

Occupatio eſt. Dicere poterant: Quid ad propoſitum facit hoc factum Dauidis? Non diem Sabbati contempſit Dauid, id quod tui faciunt.

Deinde. Aliud eſt dignitatem ac prærogatiuam ſacerdotum in neceßitate infringere, & laico communicare, quæ ad ſolos ſacerdotes pertinent: & aliud infringere Sabbatum, qui dies domino Deo ſanctificatus eſt, ubi non ſacerdotum, ſed Dei honor peſſundatur. Panes propoſitionis conſecrati ſunt ad uſum ſacerdotum, Sabbatum uerò ad gloriam Dei. Iam non ita licet diſpenſare in illis quæ Deum, atq; in illis quæ ſacerdotes, homines tamen, concernunt. Proinde nihil eſt, quod de exemplo Dauidis introducis, ad defendendum delictum tuorum. Huius itaq; cogitationis gratia de Sabbato quoq;, quomodo ſine crimine uioletur, commemorat, idq; ex lege. Quaſi dicat: Quod ad Sabbatum attinet, quomodo non legiſtis in lege, quemadmodum contra literam Sabbati ſacerdotes faciant in templo, dum ſacrificia parant, pecudes mactant, in fruſta cõcîdunt, ligna ſcindunt, ſtruem componunt, et quæ reliqua ſacrificiorum apparatus exigit, faciunt: & tamen nemo ueſtrûm illos, ut Sabbati tranſgreſſores damnat? Ergo Sabbatum nõ ſimpliciter operibus uiolatur, id quod uidemini ſentire, ſed multum refert, quid & quale ſit opus, quod fit in Sabbato. Alioqui quomodo defendetis ſacerdotes, imò quomodo legem ipſam, quæ quod faciunt ſacerdotes in Sabbato docet ac præcipit? Si ſacerdotes in tam operoſis negocijs Sabbatum non uiolant, quomodo putatis diſcipulos meos illud re tam minuta, tam facili, tamq; iuxta neceſſaria uiolaſſe?

Dico autem uobis, quod templo maior eſt hoc in loco.

Alia occupatione etiam hic cogitationibus aduerſariorũ occurrit. Poterant enim regerere. Atqui quod ſacerdotes in templo die Sabbati operantur, ad cultum Dei, qui per ſacrificia adimpletur, pertinet, & templo Dei excuſatur. Facit enim templum Dei, ut ſancta ſint opera ſacerdotum, quæ die Sabbati in illo ad cultum dei faciunt. Verum non ita habet quod tui faciunt. Neq; enim opus ipſorum in templo & ad cultum Dei faciunt, quemadmodum ſacerdotes, atq; ideò non poſſunt iſto ſacerdotum facto excuſari ac defendi diſcipuli tui, ne ſint Sabbati tranſgreſſores.

Iſti cogitationi occurrit, dicens: Dico autem uobis, quod templo maior eſt hoc in loco. Quaſi dicat. Si templum à tranſgreßione Sabbati ſacerdotes defendit, quo modo non magis diſcipulos meos defendet mea præſentia, qua maior ſum templo. Sacerdotes adminiſtrãt templo, diſcipuli mei mihi, qui longè excello templi ſanctitatem. Eraſmus annotat quædã exemplaria hic habere non μείζων, ſed μειζόν, hoc eſt, non maior, ſed maius. Vt intelligas Chriſtum non de ſua perſona loqui ad eos, quibus erat ignotus, ſed aut de eo, quod ſalus hominum, quæ periclitatur fame, maioris apud Deum ſit reputationis, quàm templum illud externum cum ſuis ſacrificijs, aut de eo, quod miniſterium apoſtolicum, per quod Chriſti diſcipuli regni Dei miniſtri erant, longè excellat miniſtros legis ac templi illius ſacerdotes, atq; ideò longè uerius excuſari diſcipulos ſuos à tranſgreßione Sabbati, quàm ſacerdotes in templo operantes.

Maior. Maius.

Itaq; ſi legas maior, uidetur quodammodo intempeſtiuum, & non bene ad perſonas aduerſariorum accommodatum, quod ſe templo conferat. Idem poteſt ſentiri de miniſterio Apoſtolico, unde fit, ut ſimplicius & accommodatius ſit intelligendum de ſalute hominum, quæ cum potior apud Deum ſit quàm templum & ſacrificia, multo melius excuſet factum Apoſtolorum, quàm ſacerdotum.

Quod ſi ſciretis, quid ſit: Miſericordiam uolo, & non ſacrificium, nequaq; condemnaſſetis innocentes.

Nudæ ſuæ ſententiæ ſubijcit locum ex propheta Oſea, qua cũ ſeſe declaret, tum ſententiam ſuam omnium potentiſſimè probet, diſcipulosq; defendat, & Phariſæos, ut condemnatores innocentum reuerberet. Atq; hic puto liqueſcit, quo ſenſu dictum ſit ſuprà. Dico uobis, quod templo maius ſit hic: nempe de eo, quod Deo pluris ſit ſalus mortalium, quàm ſacrificia pecudum cum ſuo templo. Et uide quomodo illos duplici nomine culpet.

culpet. Primo ignorantiæ. Quod si sciretis.] Acerbum hoc erat in auribus eorum, qui sibi clauem scientiæ uendicauerant. Deinde obijcit & magnum peccatum: nimirum, quod innocentes condemnent.

Nam dominus est Sabbati quoq; filius hominis.

Et ista sententia bifariam potest exponi, ut aut de Christo intelligas, qui se hic uocet dominum Sabbati, imò non solum Sabbati, sed cum alijs etiam Sabbati, ut uidelicet applicentur hæc uerba ad ea, quibus dixit: Maiorem templo hic esse. Nimirum dominum ipsum, ut omniũ rerum, ita & Sabbati. Aut intelligas de quouis homine, quam sententiam uidetur textus Marci capite 2. uelle. Nam is dicit: Sabbatum propter hominem & non homo propter Sabbatum factus est. Itaq; dominus est filius hominis, etiam Sabbati, qui sensus uidetur exigi etiam ex præmisso dicto Prophetæ: Misericordiam uolo, & non sacrificium, quo declaratur hominem potiorem esse coram Deo, quàm quoduis sacrificium. Certe utraq; sententia uera est, & ad præsentem causam accommodißima.

QVID IN HOC TEXTV admoneamur.

OBSERVAT.

1 Primo notandum est, quàm opportunè adducat exemplum Dauidis, persequutionem à Saule illatam, & in persequutione famem ferentis cum suis, quo non solum præsenti quæstioni satisfacit, sed & iuxta ob oculos ponit typum, qui in Dauide præcesserit & Saule, id est, uero rege et hypocrita, in quo pulchrè adumbratum fuerat, quod tum gerebatur. Id quod & Apostolis sanè magnæ potuit consolationi esse in hac fami necessitate constitutis, cogitantibus scilicet, nihil esse noui, si cum Christo uero Dauide, & ipsi famem paterentur, si socij Dauidis illam ferre potuerunt cum Dauide Christi typo.

Et tale scripturarum exercitium iucundum iuxta esset & utilißimum, ut in omnibus necessitatibus prompta haberemus exempla, quibus uel ueritatem defenderemus contra hypocritas, uel nos confirmaremus.

OBSERVAT.

2 Obseruandum fuerit etiam hoc loco, quomodo charitati cedat ipsa etiam lex Dei. Charitatis erat, pascere esurientem. Legis erat, solos sacerdotes uesci de panibus istis domino cõsecratis. Iam Dauid non erat de tribu Leui, sed Iehudah, ut iuxta legem illi non licuerit edere de his panibus. Habemus itaq; exemplum in Achimelech sacerdote, prudentis ac fidelis dispensatoris, qui in necessitate constituto Dauide locum dat charitati, legemq; cedere iubet. Talis dispensator legis erat etiam Moses, qui propter peregrinationes & molestias deserti circuncisionem omisit, annos quadraginta, cum tamen à Deo data esset Abrahæ in fœdus sempiternum. Vide hac de re Iehosuæ quinto.

Collige nunc, quid sentiendum sit de legibus & statutis humanis, si lex Dei charitati cedit ac necessitati?

Perpende iam, qua præditi debeant esse prudentia, qui alijs præfecti sunt, quàm debeant perpetuo obseruare, ut quod caput & summa est omniũ legum: nempe, commodum mortalium, cuius gratia conditæ sunt leges, ubiq; promoueatur. Hoc qui ignorant, dum summum ius seruant, summam committunt iniuriam.

Legibus opus est & ordinationum statutis, propter temerarios & imperitos. Sed interea opus est & Mose in magistratu, & Achimelech in Christi ministris, qui omnia moderentur ad normam charitatis.

Auriga suas leges habet, quibus in disponendo, uehendo, & quæ sui sunt officij, utitur. Verum nisi fuerit prudens, ut cogente necessitate, deserto præscripto hoc facere sciat, quod eorum utilitas exigit quos uehit, illo ego uectore non libenter utar. Ita sentiendum est de magistratu quoq;.

OBSERVAT.

Tertio, notandum est & hoc, quod factum Dauidis 3
nõ excusatur per regiam aut propheticam dignitatem. Nam neq; regi, neq; prophetæ licuisset edere de panibus propositionis. Istud obseruatum ad duo prodest. Primum ad hoc, ut sciamus coram Deo maiorem rationem esse necessitatis humanæ, quàm dignitatis, uel regiæ, uel propheticæ, imò & sacerdotalis.

Deinde ad hoc, ut sciamus non esse aliquam dignitatem, cui liceat præcepta Dei transgredi, hoc est, in obseruatione mandatorum Dei nihil priuilegij habere etiam regem præ reliquis mortalibus.

Ita peccauit Saul sacerdotale munus, cum non esset de tribu Leui, usurpando. 1. Sam. 13.

OBSERVAT.

Notandum est & hoc, quod factum Dauidis phari- 4
sæi non defendunt per dispensationem sacerdotis Abimelech, quemadmodũ hodie quidam urgent etiam ea quæ licita sunt, non licere sine dispensatione Romani pontificis, cum tamen omnis contentio sit de solutione mandatorum humanorum non diuinorum.

OBSERVAT.

De eo quod dicit: Misericordiam uolo, & non sa- 5
crificium. Vide suprà capite nono.

At progressus illinc, uenit in Synagogam illorum, & ecce homo erat manum habens aridam, &c. Marci 3. Lucæ 6.

Venit in Synagogam.] Lucas habet: Et in alio Sabbato. Vnde uidemus istam historiam non statim eo Sabbato factam, quo discipuli spicas euulserant.

Illorum.] Eorum uidelicet, qui factum discipulorum nuper condemnauerant, quasi Sabbatum uiolassent. Quid hic prædicabimus in Christo? An bonæ conscientiæ fiduciam, quod nihil est ueritus die Sabbati Synagogam eorũ ingredi, à quibus nuper fuerat, tanquàm Sabbati transgressor cum discipulis suis condemnatus, an immensam bonitatem erga populum, cui beneficia sua nõ subtrahit propter Pharisæorum improbitatem, uel certè studiũ detegendæ & manifestandæ Pharisaicæ cæcitatis & improbitatis? Nam ista optime possunt in hoc Christi facto prædicari. Etenim neq; ueritus est uel in eorundem Synagoga, uidelicet, ubi plane regnabant improbi Pharisæi, comparere palàm, neq; populum

beneficio suo fraudauit propter Pharisæorũ maliciam, neq; destitit per omnem occasionem quouis modo oblatam improbitatem, & cæcitatem Pharisæorum, qua & alios perdebant, arguere & manifestare.

Et ecce homo erat, manum habens aridam.] Lucas dicit fuisse dexteram manum. Hieronymus annotat in Euangelio Nazarenorum hebræo, à se in Græcum uerso, haberi, hunc hominem fuisse cæmentarium, Christumq; his uerbis precatum: Cæmentarius eram, manibusq; uictum quæritans, precor te Iesu, ut mihi restituas sanitatem, ne turpiter mendicem cibos.

Hoc Euangelium a plerisque putatur esse Matthæi authenticum

Plerisq; hodie suauius est mendicare, etiam integras manus habentibus, quàm laborare. Certe olim turpis erat mendicitas, & Deus in populo suo illam nolebat ferri. Deut. 15. Verum iuxta præcepit, ut proximo suo quisq; succurreret. Alioqui crudele esset, non dare egenti quæ necessaria sunt, & interea prohibere, ne mendicet.

Ecce. Quid est quod Euangelista dicit: Et ecce homo erat manum habens aridam? Ostendit opportunam occasionem oblatam esse utrisq;, & Christo & aduersarijs eius. Quasi dicat: Mox atq; in Synagogam esset ingressus, ecce commodum aderat occasio, in qua declararetur & Christi uirtus, & Pharisæorum improba cæcitas.

Et interrogabant illum dicentes: licet ne Sabbatis curare? ut accusarent eum.

Marcus habet: Et obseruabant, an Sabbatis sanaturus esset eum, ut accusarent illum. Et ait homini habenti manum arefactam: Surge in medium. Et dicit illis: Vtrum licet Sabbatis benefacere? animam seruare an occidere? At illi tacebant.

Lucas ita: Obseruabant aũt eũ Scribæ & Pharisæi, an in Sabbato sanaturus esset, ut inuenirent unde accusarent eum. Ipse uerò sciebat cogitationes eorum, & ait homini, qui habebat manum aridam: surge, & sta in medio. Et surgens stetit. Ait igitur ad illos Iesus. Interrogabo uos, utrum licet Sabbatis benefacere an malefacere, animam seruare an perdere?

Videntur itaque Euangelistæ inter se discrepare. Matthæus dicit Christũ interrogatum esse à Pharisæis, reliqui duo contra, Pharisæos interrogatos esse à Christo. Quomodo concordabimus illos? Optime. Oportet semel tenere, nullum Euangelistam omnia præscribere, quæ à Christo sint uel dicta uel gesta, sed quenq; ea quæ scribenti occurrerunt. Proinde probè sunt coaptanda, quæ quiq; scripserunt, ut quod alter tacuit, alter intelligatur posuisse.

Vide Augu. de consensu Euang. lib. ij. cap. xxxv.

Marcus & Lucas non commemorant Christum rogatum esse à Pharisæis. Sed hoc cõmemorat Matthæus. Erit ergo uerum, licet reliqui duo taceant: nimirum, Pharisæos primum quæstionem istam Christo proposuisse ad hunc modum, licet ne Sabbatis curare?

Deinde quod Lucas dicit: Ipse uerò sciebat cogitationes eorum, non ita intelligendũ est, quod tantũ in animis suis quæstionem istam mouerint, & tacitè tantum obseruârint quid esset Christus facturus, & non etiam aperte quæstionem mouerint. Sed quod Christus astutas ipsorũ cogitationes, & prauũ consiliũ cognouerit, hoc est, intellexerit, quo animo, quaq; fraude quæstionẽ istã mouerent. (Nam quæstionem simpliciter proponebant, dicentes: An licet Sabbatis curare? fraudem uerò cælebant.) Nempe, ut & utriq; Euangelistæ commemorant, cogitatio eorum erat, ut inuenirent ansam illum calumniandi. Hoc scilicet sciebat Iesus.

Tertio. Quod Marcus & Lucas ponunt. Et ait homini illi, qui habebat manum aridam: surge & sta in medio. Et surgens stetit. Ait igtiur ad illos Iesus: Interrogabo uos, utrum licet Sabbatis benefacere an malè: non ita capiendum est, quasi iusud sit huius rei gestæ initium. Sed quod Christus post Pharisæorum interrogationem, sciens iam illorum cogitationes, id est, occulta & uafra consilia, iusserit miserum primum prodire in conspectũ omnium: partim ad euidentiã miraculi: partim propter Pharisæorum arguendam maliciam et duriciem: deinde interrogatione ad interrogationem pro suo more responderit. Quasi dicat: Interrogatis me, an liceat Sabbatis curare. Præsto est hic miser in oculis omnium. Vicissim ego uos interrogabo, homines sapientes & religiosos, legis diuinæ interpretes, quid in Sabbatis facere liceat, an benefacere, uel malefacere, uel ut intelligatis quod dico, animam seruare an perdere? Respondete ad ista, & tum ego uobis dicam, an Sabbatis curare liceat.

Notanter itaq; positum est ab utroq; Euangelista, Marco & Luca, quod Christus dicit: Interrogabo uos, utrum liceat Sabbatis benefacere, an male animam seruare an perdere? Quibus uerbis pulchrè & commodissimè interpretatur, quod Pharisæi in sua quæstione uocarunt, θεραπεύειν, id est, curare, ostendens suum curare esse benefacere, & animas hominum seruare. Atq; ita quod in quæstione Pharisæorum obscurum poterat esse auditoribus, uicaria sua quæstione planè reddit clarum & manifestum, ita ut impudentiæ fuisset negare. Quis enim dubitat Sabbatis benefaciendum esse, seruandasq; animas, magis quàm malefaciendum & perdendum? Proinde Marcus subdit, quod tacuerint ad istam interrogationem. Animaduertebant enim, si negassent Sabbatis faciendum bene, seruandasq; esse animas, impudentiæ se crimine notandos. Si uerò consensissent ansam calumniandi amissam esse.

Tum sequitur quod Matthæus noster habet de oue.

At ille dixit eis: Quis erit ex uobis homo, qui habeat ouem unam, & si ea inciderit Sabbatis in foueam, nonne apprehendet illam & eriget? Quanto igitur præstantior oue est homo?

Quanquàm ex interrogatione Christi, satis fuerat manifestata Pharisæorum impudentia, declarataq; ueritas, tamen propter rudiores adhuc apertius ac simplicius idem declarat, idq; exemplo planè accommodo, cui ne uerbo quidem poterant contradicere. Quis erit ex uobis inquit, qui habeat ouem, si ea inciderit, &c.

Primum. Obserua quod non dicit in genere, quis mortalium,

mortalium, aut Iudæorũ, sed quis uestrũm. Quis, inquit, ex uobis, tam rigidis censoribus, iam accuratè sabbati religionem obseruantibus, &c. Quid alij agant non iam infero, sed quid uos agatis, uestras ipsorum actiones, & conscientias appello, dicite: Si cui ex uobis ouis sit, quæ sabbato in foueam cadat, quid faciet?

Deinde. Notanter taxat ipsorũ auaritiam, qua plus rationis habebãt proprij commodi quàm alieni: deinde maioris æstimabant ouiculæ unius salutem, quàm hominis ad imaginem Dei conditi. Vnde non dicit: Quis uestrũm uiderit ouem proximi in foueam iacentem? Neq; Quis uestrũm habet filium uel filiam, die sabbati cadentem in foueam, &c.

Quod subdit: Nónne appræhendet illam & eriget? fiduciam habet inuicti argumenti. Q. d. Negate si poteritis. Iam si uos quæ uestra sunt curatis, idq; non sine labore & opere, ut ouem seruetis, in die sabbati, quomodo me culpabitis, non quod meum sit quæro, sed per charitatem proximis seruio, animas seruans non oues, atq; id sine aliquo laborioso, & operoso negotio, uno uerbo? Si uos non peccatis ouem seruando die sabbati, quanto minus ego delinquo, animas seruans die sabbati? Quanto nanq; præstantior est homo oue?

Licet igitur sabbatis beneficijs afficere.

Conclusio est ex præmissis. Beneficijs afficere, intellige, hominem. Ita uerò arguit:

1 Si licet sabbatis pecudi benefacere, multo magis licet benefacere homini. Quanto enim præstantior est homo oue? 2 Pecudi uerò licet benefacere sabbatis. (Nam quis uestrũm est, qui ouem in foueã delapsam die sabbati 3 non extrahat?) Ergo licet sabbatis benefacere homini.

Tunc dicit homini: Extende manum tuam, & is extendit, & restituta est sanitati sicut altera.

Marcus & Lucas habent, quod ante curationẽ aridæ manus circunspexerit omnes. Nimirum, an quis illorum uerbo quopiam contradicere auderet. Marcus addit, quod cum iracundia, condolescens super cæcitate cordis eorũ circunspexerit. Magna quippe cæcitas est, apertæ ueritati non acquiescere, uerum excæcauerat eos malicia ipsorum.

Quid ergo facit? Nihil moratur istorum improbitatem. Pergit facere quod se decet. Curat miserum siue rumpantur Pharisæi siue minus. Extende inquit manum tuam. Erat enim contracta. Et extendit & restituta est sanitati sicut altera. Videmus hic efficatiam uerbi Christi qua simul uirtus diuina commendatur, bonitas Christi, illustratur, Pharisæorum improbitas manifestatur & culpatur, populus ab illorum seductione ad uitæ fontem uocatur, miser denique curatur.

1 OBSER.

Venit in Synagogam illorum.] Consuetudo Christi fuit docere publice in Synagogis Iudæorũ. Hac de re uide suprà cap. 9. Cõtra eos qui lucem ferre nõ possunt.

2 OBSER.

Quoniã secundo iam in hoc capite sabbati quæstio occurrit, uidendum est, quid in illa nobis sit obseruandũ.

Sabbati apud Iudæos magna erat religio, eò quod hunc diem Deus elegisset de septem, sanctificasset q;, & in eo ab omni opere seruili feriari præcepisset. Exo. 20. Deut. 5. Huius duplex erat ratio. Vna seruiens fidei, altera charitati. Priori ratione ad hoc erat institutum 1 sabbatum, ut sanctificarẽtur Domino, admonerenturq; beneficiorũ & uoluntatis illius, deniq; & eius uitæ, quæ non esset in labore & erumna, sed in requie post huius seculi erumnas, per sex laborum dies figuratas: futura in qua non necesse habebimus, ut creaturarũ usu sustentemur, sed diuinitus in summa lætitia, et requie quiescemus et feriabimur. Huc facit, quod dicit: sabbatum enim est Domini Dei tui. Nã in eo requieuit ab omnibus operibus quæ fecerat. Atq; ideò, ut esset commoditas colendæ & exercendæ fidei, feriandũ erat ab operibus corporalibus, & uacandum diuinis & spiritalibus. Hinc Leuit. 26. Cum dixisset, custodite sabbata mea, adiunxit mox, & pauete ad sanctuarium meum. Ita declaratur sabbati mysterium. Ebr. 4.

Altera ratione seruiebat charitati sabbatum. Nimirum ut parceretur & familiæ & iumentis, ne irremisso 2 labore, pro auaritiæ imperio, cui nunquàm exhausti laboris status est, conficerentur. Huc pertinet quod dicit: ut requiescat bos tuus, & asinus tuus, filius, &c. sicut & tu. Ideò Christus dicit, sabbatum propter hominem institutum est, nõ homo propter sabbatũ. Igitur in summa nihil aliud uoluit hoc sabbati præcepto Deus, quàm pro sua bonitate populi sui, & corporibus & animabus consulere. Est itaq; quemadmodum totius legis, ita et sabbati summa, & plenitudo dilectio Dei & proximi.

ERROR IVDAEORVM.

Rationem uerò & finem sabbati non obseruantes Iudæi, in id superstitionis inciderunt, ut omnem sabbati religionẽ locarint in otium corporale ab operibus externis, nulla interea uel fidei uel charitatis habita ratione, quasi otio delectetur deus, cum nunquàm sit otiosus. Pater meus, inquit, Christus usque modo operatur. Hinc nolebat Deus illorũ sabbata, uide Esa. 1. & 58. Ioan. 5

Imò ne hoc quidem, quod putabant esse sabbati obseruantiam, seruabant, unde corriguntur, Hier. 17. Ezech. 20. Hic itaq; error obseruãdi per otium sabbati, Scribis & Pharisæis materiam dedit calumniandi Christum, tanquàm sabbati minus obseruantem, propterea quod ægrotos curaret sabbatis. Quibus quomodo occurrerit, uidere est, Luc. 6. 13. 14. Ioan. 5. 7. 9.

QVID NOBIS SIT OBSERVANdum de sabbati religione.

Primo. Sabbatum sublatum esse, quatenus fuit umbra Christi, & in elementis mundo situm. Vide Ephe. 2. Ebr. 4. Coloss. 2. 1

Deinde. Vt & Christianis esset tempus certũ exercendæ fidei & disciplinæ Ecclesiasticæ, electus est dies resurrectionis Christi, proximus post sabbatũ, dictusq; dies Dominicus. Huius obseruantia in eo sita est, ut congregatis in unum fidelibus imbuantur mentes, & pascantur uerbo fidei, & charitatis disciplina. 2

ABVSVS DOMINICAE DIEI.

Primus est Iudaicus ille, quo putatur satis esse, si nihil 1 fiat laboris quasi otium sit cultus Dei.

2 Alter, quod id, quod erat faciendum: nimirum cuius gratia eius diei sanctificatio instituta est, à plerisq; planè non curatur. Sunt qui neq; ipsi conuentum Ecclesiasticum inuisunt, neq; suos illum ingredi sinunt.

3 Tertius, quod feriis sanctis dicarũt cultores sanctorũ. Ista scilicet est pollutio sabbati Dei, de Ezech. 20. 23.

4 Quartus. Quod maior pars ab utilibus operibus feriata, non tantum inutilia, sed & turpia & mala facit.

Augus. Hic uerum est illud Augustini in enarratione tituli, Psal. 91. Quanto melius est arare quàm saltare. Huc pertinent omnes qui uanitati student die Dominico, & delitijs suis & concupiscentijs uacant, conuiuando, inebriando, scortando. Hinc est, quod nusquàm plus uanitatis, turpitudinis, & luxus cernitur, quàm eo die, qui debebat Domino sanctus haberi. Et quod omnium turpissimum est, etiam in conuentus Ecclesiasticos, ubi conuenitur, ad exercendam disciplinam fidei, modestiæ, & totius instituendæ uitæ, tanta uanitate & impudentia concurritur, nõ alia immodestia, quàm si ad uanissimas choreas & saltationes, imò nõ nisi ad impudica spectacula conuocaretur Ecclesia. Nihil est discriminis inter habitum saltantium, & Ecclesias ingredientium.

3 OBSER.

In eo quod Christus interrogat: An liceat sabbatis benefacere an male: animam seruare uel perdere, ut in Marco est & Luca. Videmus non solũ malefacere eum, qui reipsa proximum lædit, sed & eum qui non iuuat, cum poterit, non solum perdere eum, qui occidit. Sed & eum, qui non seruat cum poterit. Nam uirtus quæstionis Christi in eo sita est, quod is qui non iuuat cum licet, hoc ipso lædit. Hinc est quod Matth. 25. maledicti dicuntur qui non pauerunt, uestierunt, hospitio susceperunt, &c.

4 OBSER.

Extende manum tuam, & extendit, & restituta est sanitati, &c.] Expendenda uirtus Christi. Habemus & hodie pleroſq; quorum manus dexteræ sunt aridæ, leuæ nimis agiles. Illi si ex animo Ecclesiam in qua Christus est ingrederentur, audirent & ipsi à Christo: extendite manus uestras, &c. Manus dextra arida est, & contracta quæ ad bona opera inutilis est, quæ non succurrit egenti, quæ non largitur pauperi.

Rursus, contractio manus, quid aliud est quàm captiuitas quædã? Talis uidelicet est animus traditionibus humanis obligatus, quales erant Iudæi tum temporis, & nunc qui captiuas habent conscientias, libertate spiritus destitutas. Ista captiuitas manus dextræ, soluitur uerbo & potentia Christi, ita & per Euãgelij prædicationem soluuntur uirtute spiritus corda illaqueata per uinculum traditionum humanarum.

Porrò Pharisæi egressi, cœperũt consiliũ aduersus eũ quomodo illũ perderent.

Ad istud miraculum, quid fecerit populus, nullis aduersus Christum inuidiæ stimulis agitatus, audiemus postea, nunc commemorat Euangelista, quid moliti sint Pharisæi.

Primum, Lucas cap. 6. dicit eos amentia repletos esse. Hoc est, non simpliciter stultos effectos, rectaq; ratione aliquousq; priuatos, sed planè factos esse amentes, imò amentia repletos esse, ad morem eorum, qui furijs agitantur.

Non audebant, nec poterant culpare factum. Fuisset enim impudentiæ summæ. Nam factum istud adeò apertam referebat Dei uirtutem, deinde & quæstionis ueritatem in oculis omnium adeò claram ingerebat, ut non haberent Pharisæi, quod contradicerent.

Quia uerò uidebant hoc pacto crescere gloriã Christi, suam uerò imminui, non poterant quiescere præ nimijs inuidiæ stimulis quibus agitabantur. Proinde conuertũtur ad praua consilia, nimirum occidendi Christi.

Hinc uidemus, quo spiritu agantur hodie qui cum liceret, si uellent aut possent, rei contrauersæ ueritatem aperte & dilucidè inquirere & cognoscere, uel certè suam sententiam liberè probare, idq; sine omni periculo, malunt tamen ad ista praua & malitiosa consilia sese conuertere, quibus aduersarios suos opprimant. Quis prohibebat quò minus sententiam suam Pharisæi in facie populi contra Christum ex scripturis probarent? Quid uetabat respondere ad interrogata? Vincebatur uidelicet aperta ueritate fucatum mendacium, non uincebatur tamen cordium malitia, utut manifesto miraculo. Imò quod debebat facere ad illuminationem mentium illorum, hoc magis faciebat, ad excæcationẽ, quod debebat conceptam simultatem sedare, hoc magis illam incitabat & prouehebat.

Proinde rectè annotat hoc loco Chrysostomus nihil facere miracula ad illuminationem animorum inuidia laborantium, contra eos qui clamant oportere fieri miracula, quemadmodũ factum est à Christo & Apostolis. Sed de hac re audiemus sub finem huius cap. 12.

Deinde & obseruandum est, quàm astutè meditentur interitum Christi. Lucas quidem dicit eos amentia repletos esse. Interea tamen summo astu quod moliuntur agunt, nulla temeritate irruentes. Sed cum consilio quod cupiebant adornantes.

Adhæc, non solum ipsi inter sese consultant, sed Herodianos adiungunt, quo consilio hoc faciant uerisimile aduersarij, uide supra cap. 10. ibi. Tradent autem uos in concilia, &c.

Et quid est tandem, quod dignum sit morte? Cuius gratia de interimendo Christo consilium captant? Quia uidelicet manum aridam & contractam libertati restituit. Quid hodie aliud aduersarios ueritatis turbat, quàm doctrina illa libertatis Euangelicæ, qua manus & conscientiæ captiuæ in libertatem asseruntur?

Sed hic audimus. Pulchre scilicet soluistis conscientias aridas & alligatas. Nimirum liberos reddidistis ad omnia flagitia.

Respondeo. Quòd si sunt, qui libertate Euangelij abutũtur, an ideò culpanda est doctrina libertatis Euangelicæ, quam Apostolus tanto serio tradidit, toties clamans: Empti estis precio magno, nolite fieri serui hominum. Et state in libertate qua Christus uos liberauit? Euangelium conscientias non ideò liberat, ut ad malum sint liberæ, sed ut eò liberius Christo seruiant.

Christus

Christus manũ istam aridam liberam reddidit. Quid si postea furata est? aut homicidium peregit, uel aliud quicquàm mali designauit? An ideò culpandũ erit Christi beneficium? Non puto.

Moses liberauit populũ ex Aegypto, imò Deus per Mosen. Sed obsecro, quid egerunt liberati? Vitulũ adorarunt, cum Moabitis scortati sunt, idololatriam commiserũt, Deum irritarunt, in deserto perierunt. Culpabis ergo Deũ quod populum eduxit ex Aegypto? Absit.

Iesus uerò sciens, secessit illinc.

Marcus dicit illum ad mare secessisse.

Legitur Christus aliquoties secessisse, propter furorem aduersariorum, ut suprà quoq; cap. 4. & alijs nonnullis locis. Tametsi enim posset uel miraculo sese etiam in illorũ medio conseruare, malebat tamen seruare modum dispensationi præsenti congruum. Et secessit non solum ipse, sed & discipulos suos iussit fugere, de ciuitate una in aliam, et cauere lupos, supra cap. 10. Quid hic admonemur, quàm ut furentes improbos caueamus, nemoq; sese ultro in illorum manus ingerat.

Nota

Sequutæ sunt eum turbæ multæ.

Marcus

Marcus ista latius scribit, dicens: Et ingens multitudo à Galilæa sequuta est eum, & ab Iudæa & ab Ierosolymis, & ab Idumea, & trans Iordanem, & qui circa Tyrum habitabant ac Sydonem hominũ multitudo magna. Deinde addit quid eos mouerit cum dicit: Qui cum audissent quæ faciebat, uenerunt ad eum. Noster itaq; uno & altero uerbo summatim dicit, quod Marcus pluribus enumerat.

Hoc uidelicet erat, quod metuebant Pharisæi, quo urebantur & amentes reddebantur. Quemadmodum & alibi dicunt: Si sinemus illum pergere ad istum modum, omnes credent in eum. Non cogitant an ex Deo sit uel non sit, quod fieri uident: sed unũ hoc cogitant, quomodo populum nõ amittant. Non quod illum tantopere æstiment alicuius, sed quod quæstum quærant ex illo.

Et obserua, quomodo Euangelista dicat notanter ὄχλους πολλοὺς sequutos esse, id est, turbas: nimirum rudes ac plebeios, unde et Scribæ cum Pharisæis dicebant:

Ioan. 7

Quis ex principibus & Pharisæis in illũ credit. Turba hæc quæ legem non nouit. Maledicti sunt. Quid aliud hodie audimus? Populum inquiunt, rudem ac indoctum seducunt isti nebulones. Atqui Scribas & Pharisæos, ne Christus quidem sectatores habuit, sed rudes, ac simplicem plebeculam. Verum expendendum est qua ratione non sint sequuti & Scribæ & Pharisæi. An non & ipsi uiderunt, quæ fecerit Christus? Vtiq;. Qua ergo ratione non & ipsi cum turbis Christum sunt sequuti? Iidem si fuissent affectus, eadem quoq; sequela fuisset.

Et sanabat omnes.

Quomodo omnes? An omnes ægroti fuerant, quotquot sequebantur? corpore non puto. Vt quid ergo non dicit: Et sanabat illorum ægrotos? Quid est quod dicit: Et sanabat omnes? Euangelistæ non fuit satis dicere: Et sanabat quos adduxerant ægrotos. Neq; enim tam hoc agit, ut ostendat simpliciter ægrotos aliquos à Christo sanatos esse, quàm ut propensam illam, & nunquàm satis æstimatam Christi bonitatem, & benefaciendi facilitatem quibusuis obuiam, exprimat, & doceat magis qualis sit Christus bonitate, quàm sanandi uirtute. Hac de re uide supra cap. 8.

Et interminatus est illis, ne se facerent manifestum.

Marcus ita habet. Et spiritus immundi cum illum uidissent, procidebant ei, & clamabant, dicentes: Tu es filius Dei. Et uehementer interminabatur eis ne se manifestum facerent. Cum ergo Matthæus uideatur uelle istud ad eos dictum, quos sanauerat, uel certè ad turbas omnes. Marcus uerò dicat dictum ad spiritus immundos clamantes ac dicentes: Tu es filius dei. Nihil aliud relinquitur, quàm quibusuis illud Christum, tam hominibus quàm malis spiritibus interminatum esse: nempe ne se manifestum facerent.

Videndum est autem, quomodo se noluerit manifestum fieri. Nam illud, ne se manifestũ facerent, bifariam, potest intelligi. Aut enim idem est, atque ne se ubi locorum agat, inimicis suis proderet, quasi in latebras quasdam sese abdidisset, aut idem est quod ne manifestum facerent alijs, quis esset: nempe filius Dei, uerus Messiach. Primus sensus non quadrat, quanquàm Laurentio Vallæ placuerit. Quomodo enim latere potuisset, etiã si quàm maxime uoluisset, ad quem tanta undiq; turbarũ multitudo confluebat, è quo tantus diuinæ uirtutis splendor egressus omnem regionem implebat. Es uuere grad geuuesen, als uuen sich die Sonn am himel, so sie am hellesten scheynet, uuolte uerbergen. Proinde alter sensus uerus erit id quod etiã ex uerbis Marci liquet, qui malis spiritibus, clamãtibus: Tu es filius Dei. Istud interminatum Christum esse cõmemorat, ne se uidelicet manifestum facerent, hoc est, ne palam facerent, quod filius sit Dei. Hac de re uide supra cap. 9. Quod aũt & dæmones ante Christũ procidunt: iam tum ostendebat, quomodo in nomine Iesu flectendum sit omne genu, cœlestiũ, terrestrium & infernorum, & quomodo Christi regnantis in cœlo potentia destructura sit regnum Satanæ, cum in humilitatis forma constitutum tantopere metuant spiritus maligni. In eo uerò, quod clamãt & dicunt: Tu es filius Dei, & alibi ut Luc. 4. & Matth. 8. Itẽ quod sciunt ipsum esse Christum, ut Luc. 4. legimus. Videmus quid sit quod Iacobus cap. 2. scribit, cum dicit: Nam & dæmones credunt, & contremiscunt: nempe ad salutẽ non sufficere, cognoscere Christum esse filium Dei, illumq; metuere, & coram illo procidere. Alioqui saluarentur & spiritus isti maligni. Proinde opus est, ut adsit isti cognitioni uera ac uiua fiducia in Christũ. Hanc uidelicet non habebant isti spiritus. Ideò recte dicit sanctus Iacobus. Et contremiscunt. Tanta enim est Dei uirtus & potentia, ut illũ cogantur agnoscere ac metuere pessimi quiq; spiritus & homines. Amare uerò illum, & spem salutis ex bonitate Dei in Christo Iesu animo concipere, istud demum est electorum & saluandorum.

Quãobrem uerò spiritus malos non sit passus loqui, testimonium ipsorum repudiárit, poterit & alia ratio assignari: nempe quã Chrysostomus alicubi tradit dicẽs: τίνος δὲ ἕνεκεν ὁ χριστὸς κωλύει τοὺς δαίμονας φθέγγεσθαι; εἰκότως. τὰ γὰρ σημεῖα προεκφέρει, αὐτοῦ

ἑαυτὸν

ἑαυτὸν κηρύξαντος. Et præterea non tutum est, ueritatis fidem dare subdolis ac peruersis spiritibus, etiam cum uera dicunt. Nam nunquàm sine dolo agunt. Et præstat eos perpetuo fide carere. Neq; opus habet ueritas illorum testimonio.

Vt compleretur quod dictum erat per Esaiam prophetam.

An ideò Christus interminatus est turbis, ne se manifestum facerent, ut dictum prophetæ impleret, cogitans, hoc in prophetis de Messiah futuro scriptum est & prædictum: igitur illud faciam, ut impleatur? Non puto. Sed magis quia hoc facturus erat Christus, itaq; à patre cœlesti dispositũ erat, ideò instinctu spiritus sancti prædictum est. Quid uerò mouit Euangelistã, ut hunc prophetæ locũ induxerit? Magno studio in hoc est, ut ostendat quæ per Christum acta sunt, diuinitus ordinata & prædicta esse, ut cognoscamus & credamus hunc Iesum esse Christum in prophetis promissum, uidentes scripta prophetarum in illo adimpleta. Maximè hoc loco, cum post cõmemoratum secessum Christi, scripsisset Christum turbis interminatum esse, ne se manifestũ facerent, ne putaretur hoc timoris & malæ cõscientiæ fuisse, sed magis diuinæ dispensationis, & tamen abesse ut scãdalum facere debeat, ut magis ansam in se habeat cognoscendi Christi, ostendit illud consilio diuino factum, & longè antea in prophetis prædictum esse.

1 Qui ait: Ecce puer meus quem elegi, in quo sibi bene complacuit anima mea.
2 Ponam spiritum meum super eum.
3 Et iudicium gentibus annunciabit.
4 Non cõtendet, neq; clamabit, neq; audiet quisquàm in plateis uocem eius.
5 Arundinem comminutam non confringet, & linũ fumigans non extinguet, donec eiiciat ad uictoriam iudicium.
6 Et in nomine illius gentes sperabunt.

Locus iste apud prophetam Esaiam capite 42 legitur, etsi paulò alijs uerbis, non tamen alio sensu, nisi quod unus uersiculus omissus est.

Quod aũt ista de Christo tũ futuro dicta sint à prophetа, testantur etiam Iudæi ipsi, ut in Iumbi legimus.

Adducit autem hunc locum Euangelista ad commendandam admirabilem illam Christi mansuetudinem, & modestiam, qua & aduersarijs suis cessit, cum perdere posset, & omnem gloriam & strepitum mundi reiecit, per patientiam expectans donec eijceret ad uictoriam iudicium, ipsa sese ueritate ad lucem clarius atq; clarius exerente, aduersariorumq; malitia maturitatem iustam appræhendente. Sed uideamus singula.

1 Ecce puer meus.] Quidam hic legunt: Ecce filius meus, quemadmodũ & Erasmus uertit, magis Græcos quàm Ebræos sequutus. Nam in Græco quidẽ quod legitur ἰδοὺ ὁ παῖς μου, quod uel seruus meus, uel filius meus exponi potest. In Ebræo est, זה עבדי Ecce seruus meus. Non est autem insolens, quod Christus à prophetа uocatur seruus Dei, cum nõ de diuina illius natura & maiestate, sed de humana dispensatione loquatur, qua non domini, sed serui formam, etiam Paulo teste, assumpturus erat, uenturusq; nõ ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret alijs, quemadmodũ & alibi nuncius magni consilij, & Ebr. 3. Apostolus uocatur. Phil. 2

Quem elegi.] Non ad filiationem illius, sed ad dispensationem salutis nostræ referendum est. Nam ut filius Dei est, non est electus, sed ut est seruus, nuncius, & Apostolus Dei, in hunc mundum ad nostrã redemptionem missus. Neq; insolens est, si pater dicatur filium eligere ad obeundum aliquod peculiare munus. Ideò scilicet prophetæ uocarunt Christum electum Dei. Sic & sacerdotes irridentes dicebant: Seruet seipsum. Siquidem Luc. 23 Christus est electus Dei. Et 1 Pet. 2. Vocatur lapis à Deo electus. In quo sibi bene complacet anima mea. Ebræus breuius sic habet רוחה נפשי ein luſt meiner ſeelen Ita de cœlo quoq; pater loquutus est, Matt. 3. & 17. Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complaceo.

Ponam spiritum meum, &c.] Hoc est, ordinabo eum ad dispensationẽ subeundam, adero illi in omnibus quæ acturus est. Nam ita solet Deus, ut uidere est in Mose, Dauide, Samuele, in prophetis &c. Heliah, Helizeo, &c. Atq; hoc est, quod legimus Esa. 11. 61. Luc. 4. Ista inauguratio spiritus & inunctio facta est cum baptizaretur, iamq; aggressurus esset prædicationem Euangelij Matth. 3. 2

Iudicium gentibus proferet.] Iudicium hic sumitur pro doctrina & cognitione ueritatis, quæ per regnũ Christi, cum repudiata esset à Iudæis, ad gentes peruenit. Prædicitur ergo hoc loco uocatio gentium. Quòd si uoles intelligere de uniuersali illo iudicio, quo iudicaturus est orbem quod & ipsum à patre accepit, oportebit ut per gentes intelligas & Iudæos & reliquas omnes nationes. Mihi uerò prior sententia magis arridet. 3

Non contendet, neq; clamabit, &c.] Hoc de Christi mansuetudine et modestia dictũ est, quam erat in finẽ usq; seruaturus, omnesq; in illa aduersarios superaturus. 4

Arundinem comminutam non confringet, &c.] Ista bifariã exponuntur. Quidam exponunt de eo, quod publicanos & peccatores non contempsit, sed magis seruare studuit. Quo sensu exprimeretur, non solum mansuetudo quædam, sed diligentissimum quoddam studium saluandi, neminem perdendi, iuxta illud Lucæ nono. Venit filius hominis non perdere, sed saluare animas hominum. Et uenit enim filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat. Q. d. Nihil tam erit debile, tam cõfractum, tam abiectum, in quo uel aliqua spes sit salutis acceptandæ, quod non curaturus ac seruaturus sit. Hoc est, Erit amator hominum, erit φιλανθρωπός. Nam ita solent, qui amant. Studiosè quæ amant colligunt & seruant, ad exemplum eorum qui nummos colligunt. 5

Quidam uerò per calamũ cõminutum, & linum fumigans intelligunt aduersarios Christi, Scribas & Pharisæos, ita uocatos per extenuationem, ut arundo quassata sit eorum potentia, & linum fumigans furor, quo innocentem persequebantur, ut ita facile fuerit Christo illos perdere, atque perdere licet calamum comminutum, & extinguere linum fumigans. Et pulchre hoc sensu alluditur ad uicinam istorum perditionẽ, quæ tum imminebat 6

imminebat in qua uidelicet iudicium Christi victoriam tulit, quemadmodũ & subditur. Donec eijciat ad victoriam iudicium, in quo uidelicet calamus cõminutus iam antea cõteretur planè, & linum fumigans extinguetur.

6 *Et in nomine eius gentes, &c. Hic prædicitur apertè uocatio gentium. Cõmode post contritũ calamũ, & extinctum fumigans linum, excidium uidelicet Iudæorum.*

OBSER.

1 *Primo hoc loco sunt quædam quæ fidei nostræ seruiunt, utpote, quæ de dispensatione Christi loquuntur, quod est à Deo patre electus, hoc est, quod non sua sponte ad nos uenit. Item quod illi cõplacet ut sciamus, quàm nos diligat pater, qui dilectum filium miserit, & quomodo nos debeamus illũ audire, Matth. 3. Ipsum inquit audite. Itẽ quod nostra salus, qui ex gentibus sumus, etiam per prophetas prædicta sit. Et quod spes eorũ, qui Christo fidunt, sit iuxta scripturas. Contra Papistas.*

OBSER.

2 *Deinde sunt quædam in hoc loco, quæ imitemur, ut exempla nobis proposita. Primum. Habent hic qui serui sunt, in quo consolentur: nempe quod & filius Dei formam serui induit. Nihil ergo turpitudinis habet esse seruum. Duntaxat sint fideles. Et admonẽdi quoq; sint domini, ut seruos diligant uel illius nomine, qui pro nobis omnibus seruus factus est.*

Item. In eo quod dicitur: Non cõtendet, neq; clamabit, &c. notandum est, quid auditores Euangelij deceat, quomodo debeant euangelicam ueritatem contra aduersarios tueri. Non contentionibus, non clamoribus, non conuitijs, sed mansuetudine. Idq; duabus rationibus.

1 Quia sumus Christiani, hoc est, spiritu Christi præditi, quẽ hic oportet imitari. (Blasphemos castigabit magistratus. Hic nõ agitur de officio magistratus, sed de eo quod quisq; priuatus Christianus facere debeat.) 2 Ne demus occasionẽ agendi furoris, & amplius insaniendi.

AT DICES.

Sed hoc pacto erit ueritas contemptui, & non poterit prouehi.

RESPONDEO.

Permitte ut ad tempus sit contemptui. Exeret sese oportunè, & eijciet ad uictoriam iudicium uincetq; sua ipsius uirtute. Nam omnium est fortissima. Atq; ideò nõ habet opus nostris contentionibus. Solet per humilitatem, & patientiam uincere. Sit ob oculos exemplum Dauidis, prophetarum & Christi.

Item. In eo, quod de arundine, & lino fumante dictũ est, duo sunt obseruanda secundũ duplicem assignatũ sensum. Si de publicanis et peccatoribus admonemur, ut et nos eo studio quæramus saluare perditũ, in quo aliquid spei residuum est. Si de aduersarijs Christi, docemur quo loco nobis sint habendi aduersarij ueritatis. Et quomodo sint patientia uincẽdi, donec iudiciũ eorũ aduenerit.

Tunc adductus est ad eum qui dæmonio agitabatur cæcus ac mutus, & sanauit illum, ita ut cæcus & mutus, & loqueretur & cerneret.

Simile factum legimus supra cap. 9. Vide quid hic quoq; sit notandum. Nihil enim hic amplius habetur, nisi quod ille mutus tantum per dæmonium factus uidetur, iste uerò & mutus & cæcus.

Et obstupuerunt omnes turbæ, & dixerunt: Num hic est filius Dauid? At Pharisæi cum audissent, dicebant: Hic non eijcit dæmones, nisi in principe dæmoniorum Beelzebub.

Et hæc tractata sunt supra cap. 9. Nisi quod turbæ hoc loco cõmemorantur dixisse: Num hic est filius Dauid, cum suprà dixerint: Nunq̃ talis apparuit in Israel. Id quod quasi ratio quædam erat, unde colligebant hunc Iesum esse filium illum Dauidis, hoc est, Meßiah promissum ex semine Dauidis. Colligebant aũt istud nõ absurdè ex miraculis quæ faciebat, quæ & ipsa in prophetis erãt de Christo prædicta, unde & Christus illa Matt. 11. discipulis Ioannis obijcit, & alibi dicit: Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me. Esa. 35

Iesus autem cum sciret cogitationes illorum dixit illis.

Audiemus iam Christi responsionem, qua isti Pharisæorum calumniæ, imò magis blasphemiæ occurrere uoluit. Et antea illum hoc malitioso conuitio petierunt. Sed tulit hactenus, contentus luce miraculorũ. Iam uerò quoniam impulsu Satanæ (qui hoc agebat, ut diuina illa testimonia de Christo: nẽpe opera miraculosa, quæ nemo alius facere potuit unquàm, irrita redderet, imò inuerteret) in eo perseuerabant, atq; subinde repetebant, operæprecium arbitratus est, semel illi modum ponere, uel certè impudentiam eius conuitij detegere.

Quid est autem, quod Euangelista dicit: Sciens cogitationes illorũ.] Atqui non tantũ ista cogitabant Pharisæi, sed apertè dicebant: At Pharisæi, inquit, cum audissent, dicebant: Hic non eijcit dæmonia, &c. Dicebãt, inquit, non cogitabant. Quomodo ergo subiungit: Iesus uerò sciens cogitationes illorum, cum dicendum esset. Iesus uerò audito sermone illorũ respondit? Quid opus est scrutari cogitationes, cum sint in lucem aperto uerbo prolatæ? Aut si ista blasphemia hæsit, tantum in illorum cogitationibus, quare supra dixit: At Pharisæi cum audissent, dicebant: & non magis, cogitabant intra se?

Respondeo. Nihil hic frustra positum est, sed ita res habet, quomodo ab Euangelista cõmemoratur, non solum isto, sed & Luc. cap. 11. Nam & Pharisæi istã blasphemiam apertè expuerũt, non tantũ cogitarunt, & Christus cogitationes eorum cognouit, quas scilicet ipsi non in lucem protulerunt, sed intra se cælarũt, illarumq; gratia respondit. Sunt autem cogitationes Pharisæorũ nihil aliud, quàm consilium prauum & astutum, quo in proferenda ista blasphemia utebãtur, hoc scilicet, quod quærebant, quod efficere uolebant, ut idem sit: sciens cogitationes eorum, atq;, sciens malitiam & astuta illorum consilia. Quibus sanè uerbis Euangelista declarat Pharisæos istud conuitium dolo malitioso fabricasse, & in uulgus contra suam ipsorum conscientiam sparsisse. Est enim aliud falsum dicere imprudenter sine conscientia ueritatis, id quod plerunq; bonis etiam uiris contingit, qui ut credunt ita loquuntur: & aliud

falsum

falsum dicere prudenter & astuta malitia, cum scientia ueritatis, id quod proprie malitiosorum est, de quibus solis dici potest, quod hic Euangelista de Pharisæorum cogitationibus meminit.

Quod ergo dicit: Iesus uerò sciens cogitationes eorum. Significat Christum ad istam responsionem magis callida Pharisæorum malitia motum esse, quàm impudenti isto cõuitio, magisq; spectasse quid malitiose quærerent, quàm quid impudenter blasphemarent.

Interea animaduertamus, quid uirum bonum iuxta & prudentem deceat. Quæ Pharisæi dicebant Christo magis probro erant, quàm quæ cogitabant. Quæ uerò cogitabant, ad hoc erant instituta, ut populum rudem à fide Christi auellerent, atque ideò magis populo quàm Christo damnum erant allatura. Christus uerò ad istam responsionem magis mouetur malitiosis cogitationibus populo nociuis, quàm uerbis impudẽtibus sibi calũniosis. Quare? Quia magis spectabat quid populo esset utile, quàm quid sibi glorioſum, & magis cupiebat auertere astum Pharisæorum populo noxium, quàm impudentiam sibi probrosam. Ad istam formã sese cõparent, qui Christi uolunt haberi, tam discipuli quàm ministri.

Obseruandum est autẽ hoc loco etiam istud. Quam uidelicet mansuete & certis rationibus respõdeat, quod certè animum declarat, isto conuitio ad respondendum non esse motum per iracundiam: quam modestiam & mansuetudinem Chrysostomus putat non minus innocentiam Christi demonstrare, quàm ipsa miracula. Imitemur itaq; & nos istam Christi mansuetudinẽ, si quando aduersariorum conuitijs respondendum fuerit, cuius nos etiam apostolus Petrus admonet, 1 Pet. 3.

Omne regnũ diuisum contra seipsum desolatur, & omnis ciuitas aut domus diuisa contra seipsam non stabit. Et si satanas satanam eiicit cõtra seipsum diuisus est. Quomodo igitur stabit regnũ illius?

Respondet aliquot rationibus. Deinde abijcit, ut uidebimus similitudines quasdam ad declarandam Pharisæorum impudentiam, & huius blasphemiæ absurditatem, tertio, immiscet aliquot minas.

Ex rationibus autẽ prima est ista. Omne regnũ, &c. quàm planè more syllogistico texuit maiorem ponens ipsa experientia omnibus indubitatam. Nempe omne regnum aduersus seipsum intra se diuisum cõsistere non posse. Ex ista maiore sequitur, & Satanæ regnum consistere non posse, si aduersus seipsum sit diuisus. Diuisum autem esse: si uerum sit quod Pharisæi dicunt: nempe Christũ dæmones potestate Beelzebub eijcere. Sed adhuc obscurum est, quomodo Christus hac ratione probet, se non eijcere dæmones potestate principis dæmonum. Nam argumentatio ista eò tendit, ut sequatur: Satanæ regnum non posse, si uerum sit, quod Pharisæi obijciebant. Ad quod poterant illi suggerere. Esto nequeat stare regnum Satanæ. Interea tamen non probas te non eijcere dæmones potestate principis dæmonum. Quemadmodum enim non benè probat se non esse seditiosum, qui alioqui seditiosus est, ex eo quod ex sua seditione sequi colligitur ciuitatis uastatio. (Nam illi mox potest regeri, certè uerũ est quod colligis. Nam id est quod ex tua seditione futurum est.) ita tu non probas te dæmones non eijcere per principem dæmonum, ex eo quod dicis hoc pacto futurum, ut regnum Satanæ intercidat. Intercidet enim planè. Interea tamen tu illius minister es. Qua in re ergo est absurditas calumniæ, ista ratione syllogistica probata? Quidam ita exponunt, ut absurditas quam colligit Christus sit in cõclusione: nempe, quomodo stabit regnum eius. Q. d. Si ego in principe dæmoniorũ eijcio dæmonia, & diuisus est Satan, sequitur regnum eius desolatum iri, id quod absurdum est dicere. Est enim regnum eius ualidum & firmum. Si ualidum & firmum, non est contra se diuisum. Si non diuisum, nõ potest uerum esse quod uos dicitis me dæmones eijcere, potestate principis dæmonum. Ergo calumnia est quod dicitis, & apertè falsum.

Verum ista ratiocinatio non constat. Nam infrà uidebimus Christum fateri, regnum Satanæ per aduentum regni Dei destrui, & iam in desolatione esse.

Quidam uerò, quod certius est, ponunt statum huius rationis in minorem: nempe, contra seipsum diuisus est Satan: si satanas satanam eijcit. Hoc uerò est incredibile. Quemadmodum enim nequeunt boni spiritus cœlestes angeli à sua bonitate in contrariã mutari malitiam, sibiq; ipsis diuersi esse, itaq; nequeunt mali spiritus mutata malitia eò conuerti, ut incipiant bene uelle mortalibus, & à se inuicem discrepare. Proinde licet uerum sit, quod regnũ Satanæ stare nequeat, non tamen ex mutuis dissidijs, sed ex uirtute regni Dei corruit, & planè interibit. Hoc uerum est quidem, quod dæmones opera Satanæ obsessa mortaliũ corpora relinquunt, sed in speciem: sed adhoc, ut animas & ipsorũ & aliorum superstitione, & impietate captiuas detineant, idq; nõ ex seditione mutua, sed magis ex obedientia, qua minores mali spiritus potẽtioribus subduntur, non ad destructionem, sed uerius ad confirmationem regni ipsorũ. At non ita habebat opus Christi, qui dæmones non tam ex corporibus, quàm ex animis eijciebat, & ita eijciebat, ut ficeret ad destructionem regni ipsorum. Proinde incredibile fuit, & impoßibile quod isti de illo calumniabãtur.

Vel certè si omnino placet absurditatẽ istam quam in hac collectione quærimus sitam esse in conclusione: nempe: Quomodo igitur stabit regnum illius. intelligendum erit, non de interitu regni Satanici, qui est per aduentum regni Dei, uel quocunq; modo simpliciter, cum sit in sese firmißimum, sed de eo qui sit per mutuum malorum spirituum dißidium, qui sanè incredibilis est ita, & impoßibilis, ut postea Christus colligat per similitudinem fortis armati adesse regnum Dei: nimirum fortius ex eo liquere, quod cernãt regnum Satanæ corruere. Et hoc ita quoq; pacto stabit firma Christi probatio, qua calumniam aduersariorum refellit.

OBSER.

Admonemur in maiore istius argumenti, quantum sit malum inteſtini dißidij. Nimirũ tantum ut & domos, & urbes, & regna destruat. Huius multa sunt exempla, cum in gentium, tum in sacris historijs. Notum est illud Salustij,

Saluſtij, Concordia res paruæ creſcũt, diſcordia magnæ dilabuntur. Eſa. 3. Cum uellet propheta caſum regni Iudaici prophetare, prædicebat inteſtina fore diſſidia.

Ante omnimodam illam deſtructionem urbis Hieroſolymæ præceſſerunt maxima inteſtina diſſidia. Diuiſa enim erat cõtra ſeipſam tribus exitialibus ſectis, quarum capita erant Symon, Ioannes, & Eleazarus. Vide Ioſephum lib. 6. cap. 1. 3.

Regnũ Romanæ urbis inteſtino diſſidio collapſum eſt, quo & hodie quoq; laborat, ut tandem cadat.

Diſſidio duorum Imperatorũ Conſtantinorũ, uia facta eſt imperio Turcico, & labefactationi imperio Romano. Et regnum Vngariæ uim huius mali expertũ eſt.

Quid noſtri tẽporis uelint inteſtina bella adeò diuturna facilè diuinare eſt. Quin ante caſum mundi prædixit Chriſtus fore, ut gens inſurgat aduerſus gentem, & regnum aduerſus regnum, Matth. 24.

Iſta moueant primores populorum ad concordiam. Nam uis iſta inteſtini diſſidij, quæ facit ad interitum regnorum, urbium, ac domuum, non eſt ſita in tenuibus, ſed in ipſis capitibus. Neq; enim mox eſt contra ſe diuiſum regnũ, ſi aliquot illius ciues tenues inter ſeſe diſcrepauerint: neq; protinus ciuitas aduerſus ſeipſam diuiſa eſt, ſi malè conuenit aliquot plebeijs, & domus non ſtatim corruet, ſi aliquot famuli inter ſe digladiantur. Verum ſi ipſis capitibus non bene conuenerit, hinc metus eſt interitus & periculi: ut in naui, ſi ſeſe mutuo impugnẽt naucleri, & qui reliqui nauis moderamen ſuſtinẽt, præſens timetur interitus. Vnde ueteres ſtudioſe cauerunt, ne quiſquàm ex ciuibus immenſum creſceret, & ne in Senatu toleraretur radix aliqua diſſidij.

OBSER.

2 Secundo, ex eo quòd Chriſtus dicit omnẽ ciuitatem, domum, aut regnum, deſolatum iri, ſi cõtra ſeſe diuidatur, colligunt aduerſarij ueritatis doctrinam hanc ſtare nõ poſſe, propterea quod inter profeſſores eius ſint diſſidia. Quibus reſpondemus, utinam intereat quicquid falſum eſt, ſiue inter ſe diſideant illius profeſſores, ſiue concordent. Quòd ſi doctrina hæc ex Deo non eſt, abſq; dubio interibit, etiam ſi mortales omnes in uniuerſum in illa cõcordes eſſent. Nam & regnũ Satanæ cadet, etiam ſi nulla in re diſideant inter ſe ſpiritus mali. Et regnum Antichriſti ſtare non poteſt, etiam ſi illius aſſertores iuriſiurandi uinculo in unum corpus ſint colligati.

Rurſus, Si ex Deo eſt hæc doctrina, ſi eſt Chriſti & Apoſtolorum non poterit cadere, etiam ſi ſint illius aſſertores, quàm diuerſiſſimi. Vt enim regnum Satanæ, ut perpetuo maneat, non eſt ſitum in unitate, ita regnum Dei, ueritas Dei ut maneat, non eſt in unitate noſtra ſitum, neq; ut corruat in noſtro diſſidio. Proinde non eſt arguendum ab unitate uel diſſidio ubi quærenda eſt ueritatis firmitudo. Nam in regno Satanæ ſpirituum malorum ſumma eſt concordia, & tamen inde non poteſt colligi, illud perpetuo manſurum. Et in regno Chriſti diſident etiam ipſi Apoſtoli, diſcreparunt à ſe inuicem multi ſancti Epiſcopi, & tamen illius ueritas in perpetuum durabit. Nihil eſt igitur quod dicunt: Iſti diſident inter ſe, ergo ueritatem non habent. Item nobis bene conuenit, ergo ſumus Eccleſia Chriſti. Quanquàm quæ ſit unitas illorum, ſi ſectas tam uarias reſpicias, ſole clarius eſt cum nulla ſecta ſibijpſi concordet, & in ſecta ſit ſecta, &c.

Et ſi ego præſidio Beelzebub eiſcio dæmonia, filij ueſtri cuius præſidio eiſciunt?

Alterum argumentum quo euincit falſum eſſe, quod obijciebant Phariſæi. Exponitur autem biſariam. Primò ad hũc modum: Filij ueſtri, hoc eſt, diſcipuli mei eijciunt & ipſi dæmonia. Rogo cuius præſidio eijciunt illi dæmonia? An non meo? Nam in nomine meo præcipiũt ſpiritibus immundis ut exeant & exeunt. Quòd ſi illi in meo nomine dæmonia eijciũt, quid opus eſt, ut ego alieno præſidio illa eijciam? An ego non poſſum meopte nomine, quod diſcipulis tradidi, præſtare? An qui alijs dat poteſtatem in ſuo nomine agendi, ipſe non poterit idem propria poteſtate præſtare? Itaq; uel in filijs ueſtris uidetis me non alieno, ſed proprio præſidio eijcere dæmonia. Quomodo autem Apoſtolis ſuis dederit poteſtatem expellendi dæmonia, ſuprà cap. 10. audiuimus. Et Luc. 10. dicebãt 70 diſcipuli: Domine in nomine tuo etiam dæmonia nobis ſubijciuntur. Et cap. 9. dicunt: Domine uidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, qui nobiſcum non graditur, & prohibuimus illum. Vnde uidemus tum paſſim in nomine Chriſti, non ſolum à diſcipulis Chriſti, ſed & ab alijs quibuſdam expulſos eſſe dæmones.

Deinde ad iſtum modum quidam hunc locum exponunt. Filij ueſtri, mei diſcipuli, dæmonia paſſim eijciũt, & illos non dicitis in Beelzebub eijcere dæmonia, me uerò dicitis: Quare? Quia uidelicet implacabili odio contra me inſanitis. Alioqui ſcitis Satanam non pelli à Satana, atque ideò non rem ipſam, ſed perſonam meam odioſe impugnatis, ita ut quæ in alijs non culpatis, in me tanquàm Satanica calumniemini. Atq; hoc pacto Chriſtus hic non hoc agit, ut declaret ſe non ex Beelzebub eijcere dæmonia, ſed ut oſtendat Phariſæos odio & inuidia contra ſuam perſonam excæcatos, contra ipſorum conſcientiam iſtam calumniam ſpargere.

Atq; iſte morbus, uel potius obſtinata malicia, etiam noſtris temporibus cõmunis eſt, ut ſubinde uel quæ bona ſunt in ſe, & in alijs nõ culpamus, in quibuſdã culpemus, odio perſonarũ: uel etiã quæ mala ſunt quidẽ, ſed in alijs à nobis nõ arguuntur, in illis arguãtur, quos odio proſequimur: nõ odio mali in ſe (nam alioqui quod malũ eſt in quibuſuis carperemus,) ſed odio perſonarum. Atq; hoc ideò fit, quod ſatisfacere uolentes concepto odio, toti in hoc rapimur, ut quem odimus, omnibus etiam alijs odioſum, ſiue merito, ſiue immerito reddamus. Hinc fit, ut omnia illius taxemus, notamus, ſiniſtrè interpretemur, nulla habita ratione, an uerum ſit uel falſum quod impingimus.

Ideò ipſi iudices ueſtri erunt.

Comminationem ſubiungit, ut doceat eos merito damnandos qui ſcienter, & prudenter ueritatem impugnent. Q. d. Ideò quod uidentes diſcipulos meos, ueſtros filios in nomine meo eijcere dæmonia, cum fa-

ctum illorum Beelzebub non adscribatis, meum illi adscribitis, uestri illi filij in causa erunt, ut iudicio iusto olim sitis condemnandi. Hoc est, testes erunt uestræ maliciæ & peruersissimi erga me odij. Vide Matth. 19. Sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.

Quòd si spiritu Dei ego eijcio dæmonia, ergo peruenit ad uos regnum Dei.

Posteaquàm duobus argumentis declarauit se non in Beelzebub eijcere dæmonia, atq; ideò absq; omni dubio in spiritu, id est, uirtute Dei eijcere dæmonia, colligit, id quod res erat, uel hoc signo apertissime conuinci adesse regnum Dei. Quomodo? Propterea uidelicet quod regnum Satanæ debellari non potest nisi uirtute regni Dei. Nisi accedat quod fortius est regnum, infirmari non poterit quod forte est & firmũ. Tale est etiam quod hodie aduersarijs ueritatis obijcere possumus, qui nolint uelint cogũtur fateri multos errores retectos esse per doctrinam Euangelij. Quòd si illa multos errores prodidit, conuicit, eiecit: ergo peruenit ad nos ueritas Dei. Nam quemadmodum tenebræ nõ possunt pelli nisi splendore lucis, ita certè mendacia & errores nõ poterunt prodi, agnosci ac pelli nisi per doctrinam ueritatis. Ad eum modum & regnum Satanæ non potest dissipari, nisi spiritu Dei per aduentum regni Dei. Apertum itaq; signum erat præsentis regni Dei, quod Christus spiritu & uirtute Dei dæmonia eijciebat.

Obseruandum autem est diligenter quod Christus hoc loco omnibus suis argumentis disputat de uera & hostili expulsione dæmonum. Illa certè testimonium adfert præsentis regni Dei. Interea tamen non est ignorandum, nõ mox ueram esse expulsionem isti similem, quacunq; ratione eijciantur dæmonia. Nã & fictæ sunt eiectiones, quæ, ut suprà notaui, non faciunt ad destructionem, sed magis ad instaurationem regni Satanæ.

Itaq;, annotante etiam Chrysostomo malè colligitur sanctos esse quosuis & uirtute Dei præditos, qui dæmonia eijciunt. Cum Matth. 7. Christus dicat: Non noui uos, discedite à me operarij iniqui. Quid ergo sunt hodie exorcizationes illæ dæmonum, in nomine sanctorũ, ad cultum sanctorũ faciẽtes, aliud quàm fictæ eiectiones? Atq; hoc subiecta similitudine declarat, dicens:

Alioquí quomodo potest alíquis íntrare domum potentís, & uasa íllíus dírípere, nísí prius uínxerít potentẽ, & tunc domum íllíus dírípíet?

Q. d. Cum uideatis uasa Satanæ diripi, quomodo non est conspicuum adesse fortiorem, qui fortem illum mundi principem Satanã colligauerit, ac uinxerit alioqui non passurum uasa sua diripi? Ostendit hoc pacto tam abesse ut uerisimile sit, quod Pharisæi calumniabantur, ut magis sit argumentũ uinctum iam esse Satanam, & omnino adesse aliquem qui maiore sit potentia præditus. Geri enim bellum, idq; hostile, suã eiectionem esse non ministrã, sed planè autenticam & principalem, non amicam Satanæ, sed ex diametro aduersariam.

1 Potens iste Satan est, princeps huius mundi, cuius fortitudo in Iob prædicatur esse magna.

Vasa illius sunt spiritus immundi, quos Christus diripuit ac profligauit. Quemadmodum enim uasa Dei dicuntur angeli & homines, ita rectè dicuntur uasa Satanæ spiritus immundi. 3

Vinctus est Satan aduentu regni Dei, non quod nihil agat amplius in mundo, cum Petrus apostolus dicat eum circuire, tanquàm leonem rugientem, & quærentem quem deuoret, sed quod tantam seducendi potestatem, & uires ut antea in posterũ non habuerit, nisi quod tempore Antichristi prædictũ est, illum denuo fore soluendum, Apocal. 20. id quod planè uidit orbis: siquidem expertus est pessimam seductionem, & uires erroris, de quibus 2 Thessa. 2. 4

Quí non est mecũ aduersum me est, & qui non congregat mecum spargit.

Aliud argumentum est ex sensu, & prouerbio communi desumptum, quo declarat ex diuersis studijs, suo & Satanæ conspicuũ esse, se non esse ministrum, sed hostem Satanæ: se non tutari partes Satanæ, sed amoliri: nõ colligere cũ eo, sed spargere ac dissipare quæ illius sunt. Q. d. Ita habet ratio eorum qui dominantur in regnis suis, erga satellites & ministros illorum, ut aduersarij magis habeantur, quàm ministri, qui non simul agunt regni illorum negocium, & hoc ipso quod non colligũt pro sparsoribus habeantur. Et quomodo haberentur pro ministris, si non solum non collegerint ad auctionem regni, sed data opera etiam diuersum egerint, & singulari studio quæ regni uires erant dispersérint? Quòd si studium meum siue docendi siue curandi spectetur, quid diuersum magis deprehendi poterit à studio Satanæ? Ille excæcat mentes mortalium, & à cognitione Dei abducit, iniustitiam promouet, mortales & corpore & anima perdit: surdos, cæcos, mutos, claudos, mutilos & insanos reddit: atque hæc omnia ut latè in hoc mundo regnet. Ego uicissim mentes mortalium lux mundi illumino, ad cognitionem Dei adduco, iustitiam promoueo, mortales & anima & corpore curo: surdos, cæcos, mutos, claudos, mutilos, insanos restituo: atq; hæc omnia ut destructo regno Satanæ obtineat regnum Dei. Ista cum facio, facioq; palam & indefinenter, quomodo uobis cum Satana facio?

OBSER.

Qui non est mecum.] Expendenda est ista sententia Christianis omnibus. Bellũ est inter Satanã & Christum. Christus dominus est cœli ac terræ, cui pater tradidit omnia. Hic rex est in regno Dei. Satan tyrannus est & princeps mũdi huius, caput regni sui. Atq; ita in duas partes diuisus est totus mundus. Pars est Satanæ, pars Christi. Satan exigit à suis, ut regno suo seruiant, & pro aduersario habet eum, qui nullo pacto facit ad conseruandum regnum suum. Vicissim Christus suis dicit: Primum quærite regnũ Dei & iustitiam eius. Et docet eos orare: Adueniat regnũ tuum, atq; ideò eum qui ad promouendum regni Dei nullo desiderio tenetur habet pro aduersario, dicens: Qui non est mecum, &c. Nam hoc pacto, quantum in se est tuetur, & auget regnum Satanæ quod regnum Dei non curat. Simile urbis obsessæ, in

qua

qua quisquis nullam ad conseruandam urbem opem adfert cum posset, rectè pro hoste habetur. Obseruent ista neutrales, qui hodie nulla ratione religionẽ Christi, & ueritatem Euangelicã curant, quorũ magnus est numerus. Interea uerò egregiè Mammonæ seruiunt.

Item uidendum est cuiquàm quomodo sit cum Christo. Nam ociosum non quærit: deinde non agnoscit eum qui alteri domino seruit. Vide Matth. 6.

Item quisquis membra Christi nõ diligit, illis nullam opem adfert: quomodo est cum capite, et quomodo cum Christo colligit? Ergo uerum est hoc sensu, quæ Ioan. 1. cap. 3. de filijs diaboli & Dei colligit, dilectione illos discernens. Et apertißima sententia Christi est, Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum: esuriui & non dedistis mihi manducare, &c. Coniungit eos Satanæ ideò uidelicet quod partes illius cum uiuerent aduersus regnum Dei tutati sunt. Quomodo? Nimirum eò quod membra Christi neglexerunt.

Ex hoc loco uidemus, qui sint, qui nõ sunt cum Christo, quiq; cum illo non congregent, quomodo sint aduersarij Christi. Quid est esse cum Christo, nisi cum illo congregare ad regnum Dei? Ergo Episcopi illi qui hodie ad regnum Dei non congregant, cum Christo non sunt, atq; ideò reuera Christi aduersarij, & sparsores ac dissipatores regni Dei.

Aduersarij ueritatis colligunt ex hoc loco ad hunc modum. Qui nõ est cum Ecclesia, aduersus illam est: & qui non congregat cum Ecclesia, spargit. Hæretici & schismatici Lutherani non sunt cum Ecclesia, ergo sunt illius hostis. Non congregant ad Ecclesiam: ergo spargũt. Certè de hæreticis uera est collectio. Ecclesiã uerò nondum deseruerunt, qui hanc magis saluam cupiunt. (Nisi sit desertor Ecclesiæ qui tyrannidem Rom. Pontificis non agnoscit, qui apertos errores, qui in Ecclesia obtinuerunt, à se reijcit, qui omnia cupit ad puritatem uerbi Dei, & ueritatis Euangelicæ restituta,) neq; spargunt Ecclesiæ membra, qui illa ad caput Christum non ad aliquem mortalium adunata uolunt. Sed miror cur à scopo detorqueatur argumentum: nempe à Christo ad Ecclesiam? Cur non ita arguitur? Qui non est cum Christo contra Christum est, & qui non colligit cum Christo spargit? Verum mox occurreret non omnes eos esse cum Christo, qui Rom. Ecclesiam agnoscunt: nec mox omnes esse contra Christum, qui Rom. Ecclesiæ tyrannidẽ nõ agnoscunt. Sed esto ualeat argumentũ de Christo ad Ecclesiam ductum. Videatur autem quid sit esse cum Ecclesia, quid sit colligere cum Ecclesia, & cõspicuũ erit Ecclesiã hodie neminẽ habere minus amicũ, q̃ eos qui se simulant Ecclesiæ filios, sponsos, & amicos.

Propterea dico uobis, omne peccatum & conuitium remittetur hominibus: at conuitium in spiritũ, non remittetur hominibus. Et quicũq; dixerit uerbum aduersus filiũ hominis, remittetur illi. Qui autem dixerit aduersus spiritũ sanctum non remittetur illi, neq; in præsenti seculo, neq; in futuro.

Iam secundo adijcit minas, easq; satis terribiles. Leguntur autem ista & Mar. 3. & Luc. 12. Propterea inquit dico uobis. Propter quæ? Nimirum, quod ut iam probauit, dæmonia non nisi ex spiritu sancto eijciebat, uirtute diuina: quod adeò erat manifestum, ut & ipsi hostes coacti sint in conscientijs suis illud agnoscere. Quapropter, inquit, quandoquidem apertam spiritus sancti operationẽ blasphematis, assero uos peccatum cõmittere, cuius remissionẽ nullam sitis unquàm habituri. Remissibile est quod in personã meam committitur, uerum quod in spiritum sanctũ conuicium fit, nunq̃ remittetur.

Quoniam uerò de isto loco multa & uaria, maximè à ueteribus scripta sunt, dicam quædam ad ipsius declarationẽ. Est enim res seria, quã Christus hic tractat, & diligenter expendenda. Sunt autem declaranda ista.

Quid sit blasphemia. 1
Quid sit blasphemia in filiũ quæ remittatur hominibus. 2
Quid blasphemia in spiritũ sanctũ, quæ nõ remittatur. 3
Quare blasphemia in spiritum sanctum nõ remittatur. 4

BLASPHEMIA QVID SIT.

Blasphemia Græca uox est, idem ualens atq; maledictum, & conuitium, qua scilicet de aliquo dicuntur, quæ flagitiosa sunt & probrosa, qua fama proximi leditur & nigratur, qua aliquid execramur ac detestamur. Vt exempli gratia. Blasphemia erat, quod Christum uocabant socium publicanorũ, Samaritanum, uinipotatorem, comedonem. Et quod hic dicunt eum eijcere dæmonia præsidio Beelzebub.

Est autem blasphemia non simplex peccatum. Neq; enim quoduis peccatũ blasphemia est, quæuis uerò blasphemia peccatum est. Peccatum est, quicquid delinquitur contra iustitiæ rectitudinem. Blasphemia uerò est, quando non solum contra quod rectum, & æquũ est delinquitur, sed etiam uituperatur illud, contra quod delinquitur. Vt adulterium, peccatum est contra iustitiam matrimonij. Non tamen mox blasphemus est in matrimonium. Dauid adulter, quia licet in matrimoniũ Vriæ deliquerit, non tamen matrimonium execratus est. 1

Quid interſit inter peccatum & blaſphemiam.

Peccatum est quicquid contra doctrinam ueritatis delinquitur. At non mox blasphemus est qui hoc facit, quod faciunt sanè multi, nisi etiã hoc accedat, ut & probris & conuitijs insectetur doctrinam ueritatis, ut hæreticam, erroneam & diabolicam. Qui magistratui nõ obedit, peccat: qui uerò non solũ non obedit, sed & conuitijs illum insectatur, blasphemus est. Filius qui patri non in omnibus obedit peccat, nondũ tamen illũ blasphemat, nisi & conuitijs eum proscindat. Hinc satis liquet blasphemiam, licet & ipsa peccatũ sit, quiddam tamen in se habere, quo simplex peccatũ excellat. Atq; hoc est, quod Christus cum dixisset: Omne peccatũ (tanq̃ minus) subiunxit: etiã conuitium (tanquàm maius) remittetur hominibus. In hoc enim est, ut ostendat Pharisæos istos peccare peccatũ, quod non solum omnia reliqua peccata, sed & conuitia exuperet, atq; ideò illis non sit remittendum, licet reliqua peccata & conuitia omnia remittantur. Ita & illud. Et quicunq; dixerit uerbum aduersus filium hominis, remittetur illi. Ad eum scopum facit, ut ostendat magnitudinem blasphemiæ in spiritum sanctum 2 3 4

ctum ex eo notandam quod sit irremißibilis.

QVID SIT BLASPHEMIA in filium.

Secundo loco, uidendum est, quid sit blasphemia in filium, quæ alia sit à spiritus blasphemia. Nam oportet, ut omnino non sit solum alia, sed & longe illa inferior, quandoquidem remißibilis dicitur: illa uerò irremißibilis. Non est hic argutandi locus, quomodo blasphemetur in filio spiritus sanctus: deinde & pater ipse, quod hi tres unum sunt & inseparabiles. Verum est, qui non honorificat filium, non honorificat patrem, & qui reijcit filium, is & spiritum reijcit suo modo. Verum hic de ea blasphemia dicitur, quæ in filij tantum personam committitur. Est autem blasphemia in filium, quæ in illũ per ignorantiam committitur, ut qua à Phariſæis dicebatur Samaritanus, homo peccator, qui sabbatũ non custodiret, filius Ioseph, Galilæus, seductor. Nam istis non petebatur factum aliquod apertum spiritus sancti, sed Christi humilitas, qua tegebatur filius Dei. Ad eum modum habet ista blasphemia, tanq̃ si (quo simili & Eucerus utitur) quispiam ignotum regis cuiuspiam filium, uestibus laceris ac pannose indutum, uocet erronem ac uagum, uidelicet ignorans esse regium filium. Hic quidem blasphemus est in filium regis, sed ueniam meretur propter ignorantiam. Sic Paulus in Christum & Ecclesiam Dei blasphemus ueniam inuenit propter ignorantiam, uide 1 Timo. 1. Et Christus in cruce: Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Blasphemabãt Christum ut seductorem, ac seditiosum, uerum quia per ignorantiam hoc faciebant, tantum pertinebat ad personam hominis Christi, atq; ideò remißibile erat. Ita & Act. 3. Petrus cum eos qui Christum blasphemauerant & crucifixerant uellet ad pœnitentiam & fidem Christi, ad remißionem peccatorũ percipiendam adhortari, dicebat: Et nunc fratres scio, quod per ignorantiam feciſtis, sicut & principes uestri. Pœniteat uos igitur erroris, &c. Itaq; blasphemia in filiũ hominis remißibilis, est quæ in humilẽ Christi personã, per ignorantiã & errorẽ cõmittitur.

Blasphemia in filium remißibilis.

QVAE SIT BLASPHEMIA IN spiritum sanctum.

Tertio. Quid blasphemiam in spiritũ sanctum Christus uocet, consequenter tractandum ac declarandũ est.

Hieron. Hieronymus intelligere uidetur de eo peccato, quo quidam malè sentiunt de spiritu sancto, ut qui illum minoris faciunt, quàm patrem & filiũ. Nam ita scribit hoc loco. Si blasphemia in spiritum sanctum non remittitur, neq; in isto, neq; in futuro seculo: quare quidã ex nostris ad cõmunionem, & ad priſtinum gradum receperunt Episcopos & presbyteros post blasphemiã in spiritum sanctum? Verum de hoc blasphemiæ genere Christus hic nõ loquitur. Neq; ista blasphemia talis est, quæ nequeat accipere remißionẽ peccatorũ, cum multi hæreticorum ad ueram fidem post illã reuersi sint. Nam omnino potest fieri in ignotũ per errorẽ & ignorantiam, æque ac illa quæ facta est in filium hominis. Proinde necesse est, ut sit alia quæ istam excellat. Auguſtinus alicubi peccatũ in spiritum sanctũ facit esse finalem impœnitentiã, alicubi obstinatam impugnationẽ gratiæ Dei. Et in expositione Auguſt.

principij Epistolæ ad Romanos apertè scribit: Christũ hic non ideò ista dicere, quod Phariſæis istud peccatũ in spiritum sanctũ quasi iam ab ipsis perpetratũ imputare uoluerit, sed tantum admonere, ut sibi caueãt, ne in illud incidant. Quanq̃ uerũ sit, finalem impœnitentiã & gratiæ imputationẽ peccatũ esse irremißibile: uerũ tamen nõ est quod specialiter & nominatim hoc loco Christus de illo loquatur, multo minus uerũ quod dicit ista nõ ita à Christo dici, quod Phariſæi iam tale peccatũ cõmiserint, sed ne tale cõmittant, admonere. Quæ utraq; satis apertè liquent ex cap. 3. Marci, ubi sic legimus. Qui autem conuitiũ dixerit in spiritũ sanctũ, nõ habet remißionem inæternũ, sed obnoxius est æterno iudicio. Dicebãt enim spiritũ immundum habet. Ex his uerbis primo uidemus blasphemiã in spiritũ sanctum eos iam cõmiſisse: deinde eam esse non aliquã cordis impœnitentis qualitatem, sed esse conuitiũ illud quo dixerãt Christũ habere spiritum immundum. Hoc est, quo spiritũ sanctũ per quem, uel in quo Christus eijciebat dæmonia, dicebant esse spiritum Satanæ, cum esset spiritus, id est, uirtus illa Dei, quæ in Luca dicitur digitus Dei. Videmus itaq; clare, blasphemiam in spiritũ sanctũ hic taxari, non quoduis peccatũ in spiritũ sanctũ. (Nam alioqui in spiritũ sanctũ peccant quotquot prædicationi gratiæ dei reſiſtũt, etiã ignoranter, quibus tamen non denegatur pœnitentiæ locus. Vt apertè uidere est Act. 7. Vbi Stephanus perſequutoribus suis hoc objicit: quod sint duri ceruice & incircumcisis cordibus, & quod semper spiritui sancto reſiſtant, & tamen postea cum lapidaretur pro eis orat, dicens: Ne imputes illis hoc peccatum Domine, quia nesciunt quid faciunt) sed conuicium in agnitam ueritatem, quo scilicet manifestam ueritatem contra conscientiam inuidiæ stimulis agitati blasphemabant, quæ blasphemia ideò dicitur in spiritum sanctum, quod illius opera, uel miraculo, uel sermone sapientiæ, aut alia quapiã ratione ueritas mortalium mentibus ita clare ac dilucide innotescit, ut negari nequeat: quæ si fuerit ita illius uirtute manifestata blasphemijs à quopiam contra conscientiã imperita rectè dicitur blasphemari spiritum sanctus.

Habet & ueritas suos blasphematores. Illorum duo sunt genera. Vnum eorum qui conuitijs illam insectantur per errorẽ & ignorantiã. Illi similes sunt filium hominis per errorem propter humilitatis formam et alias quasdam suspiciones blasphemãtibus, qualis erat & Paulus. Istis adhuc aditus est ad reſipiſcentiam & spem ueniæ. Et pro illis orandum est. Non enim peccant peccatum ad mortem. Alterum eorũ qui non per errorem & ignorantiam, ueritatem ignotam, sed cognitam scienter & prudenter contra conscientiam propter inuidiã obstinatamq; maliciam blasphemant, pro quibus nõ est orandum, quia peccant peccatum ad mortem, 1. Ioan. 5. Sunt autem & isti duplicis generis. Eorũ, qui licet ueritatem agnouerint, quam blasphemant, nomen tamen illi nondũ dederunt, ut erant isti phariſæi & scribæ. Tales sunt hodie multi, qui ueritati, quam bene agnitam blasphemant, nondum dederunt nomen. 1 2 3

Eorum qui ueritatem quam blasphemant non solum agnouerũt penes seipsos, sed & illã apud alios, nimirum

ueritatis

ueritatis alumnos profeßi ſunt, ut erant Iulianus, Porphirius, Alexãder Aerarius, & alij multi de quibus ſunt duo loci in Epiſtola ad Ebræos cap. 6. & 10. Iſtis ſimiles ſunt hodie, qui & ipſi aliquando ueritatem Euangelij agnouerunt: deinde & magno ſtudio illam profeßi ſunt & pleriſq; laudarunt, iam uerò uerſis uelis hoſtiliter inſectantur & blaſphemant.

QVARE NON REMITTATVR blaſphemia in Spiritum ſanctum.

Iam poſtquàm cognouimus quæ ſit illa blaſphemia in ſpiritũ ſanctum, ex Domini ſententia irremißibilis: quarto loco uidendũ eſt, qua de cauſa ſit irremißibilis. Illud quia hoc loco ex uerbis Chriſti non poteſt colligi, aliunde petendũ eſt. Quidã putant propterea omnẽ illi blaſphemiæ in æternũ denegari ueniã, quod ſciẽter contra agnitam ueritatẽ fiat, non ignoranter quemadmodũ blaſphemia cõmittitur in filium hominis. Verũ illud durum eſt. Tametſi enim ſeruus ſcienter peccans grauiter uapulabit, uenia tamen reſipiſcenti nõ negatur. Dauid utiq; ſciebat ſe contra uoluntatem Domini adulterando peccare, ueniam tamen adeptus eſt. Nos rationẽ negatæ ueniæ ſumamus ex ſcripturis: nimirũ Ebr. 6. ubi in ſpiritũ ſanctũ peccantibus attribuitur, quod nequeant renouari per pœnitentiã: Ergo ideò ueniã non acquirunt unquàm, quia non pœnitet eos delicti unquàm. Atq; ita quod Auguſtinus dicit eſſe peccatũ in ſpiritum ſanctũ: nempe finalem impœnitentiam & gratiæ pertinacem oppugnationẽ, hoc magis eſt cauſa propter quam blaſphemia in ſpiritum ſanctum nunquàm remittitur. Non enim remittitur delictum, niſi accedat facti pœnitentia.

SED QVARE NEQVEVNT RE= nouari per pœnitentiam?

Quia reprobi ſunt & captiui Satanæ, uaſa iræ, in interitũ parata. Id quod ex eo patet, quod cognitione ueritatis illuminati, non ſunt immutati, cum electi per illam immutentur. Eſt enim iſtud reprobis quaſi proprium, ut neſciant amare cognitã ueritatẽ, ſed illam contra conſcientiã damnẽt. Neq; enim ſui iuris ſunt, ſed toti agũtur à Satana. Exemplum Saulis, 1 Sam. 24. 26. Item Cain. Iſtam inſaniam Bucerus in expoſitione huius loci duobus ſimilibus accõmode ob oculos ponit: una in illis qui odio impotentiore detinentur: altera in accuſatore iniquo, accuſato innocente, & iudice æquo. Epiſtola ad Ebr. cap. 6. adijcit ſimilitudinẽ terræ maledictæ, quæ in eo deprehẽditur eſſe maledicta, quod culta & bene puta cœlitus, non fructum commodum, ſed ſpinas & tribulos gignit, cum terra benedicta his beneficijs acceptis fructum bonum adferat.

QVARE VERITATEM DOCEANTVR, ſi illa nequeunt immutari iſti reprobi.

Iuſto Dei iudicio docentur ueritatẽ, ut ſint inexcuſabiles, propria cõſcientia damnati. Atq; ideò plerunq; fit ut reprobi ueritatẽ lucidius aliquanto cognoſcant, q̃ ipſi electi, ut maiori iudicio damnentur. Aliquando etiã illam profitentur, ſi cõmodum ſit, glorioſum, uel lucroſum: unde uerò denuo relabũtur, ſi uel aduerſa ingruerint, uel aliqua alia ratione à Satana abrepti fuerint. Tum uerò ne uideantur reliquiſſe ueritatẽ, blaſphemijs illam impetũt. Vidimus quid ſit blaſphemia, quid blaſphemia in filium, quid blaſphemia in ſpiritũ ſanctũ, & quamobrem illa non remittatur: deinde, qui fiat, quod reprobi nequeunt immutari per pœnitentiã. Et quare ueritatẽ doceãtur, iam admonendi ſumus duorũ. 1 Vt in agnita ueritate cum timore Domini uerſemur, amorem ueritatis uel recipiamus uel receptũ contineamus, ne iudicio Domini in errores, & obſtinatiõnẽ ad blaſphemandum agnitã ueritatem tradamur. 2 Ne faciles ſimus ad damnandum alios iſtius blaſphemiæ, et ſi quos cognouerimus tales, oremus Dominum ut reliquos ab iſto malo conſeruet.

NEQVE IN HOC SECVLO neq; in futuro.

Ex hoc loco quidam purgatorium ignem ſtatuunt, colligẽtes ex eo quædã peccata hic dimitti, in iſta quædã uerò nõ hic, ſed alibi in futura uita, uidelicet in purgatorio: illos in cœlos quorũ hic, iſtos in purgatorium quorum alibi, reliquos quorũ neq; in iſto, neq; in futuro ſeculo peccata remittuntur in infernũ ituros: iſta colligunt ex hoc loco. Sed mirum eſt cur iſtud non uiderint ueteres. Adducũt Greg. & Bedam qui ita expoſuerint. Sed rogo quomodo iſta non uiderunt qui Greg. & Bedã præceſſerunt, & toties hunc locum expoſuerunt?

Chryſoſtomus exponit, uos aũt tam hic q̃ alibi puniemini. Et ſubiungens poſt pauca dicit: Vniuerſorum enim hominũ alij & hic & ibi ſupplicia dabunt, alij in præſenti ſolummodo uita, alij in futura tantũ. Hic & alibi, ut Sodomitæ, & iſti Phariſæi. In præſenti tantum, ut fornicator Corinthius & reliqui cap. 11. prioris Epiſtolæ. Alibi tantum, ut diues ille in inferno. Ergo Chryſoſtomus nõ remitti blaſphemiã hoc loco idẽ eſt atq; inultam non abire: quomodo & nos Germani dicimus, ich uuil dirs nit ſchenckẽ, ſi quãdo ultionẽ minamur. Nihil ex iſta ſententia colligi poteſt de purgatorio. Quin ipſum uerbũ remittẽdi nõ quadrat purgatorio, quadraret magis ſi uocaretur remiſſorium. Sed quid opus eſt multis. Verba Chriſti non ſunt ita diuexanda, Matth. 3. apertè legitur, quid uoluerit: nẽpe inæternũ nõ remitti.

Notandus eſt etiã hic locus contra Origenianos, qui docuerũt neminẽ inæternũ damnari, ſed tandem omnes ſaluãdos eſſe. Si enim peccatũ in ſpiritũ ſanctũ nõ remittitur, neq; in iſto, neq; in futuro ſeculo: & ſi quidã ſunt, qui peccatũ illud cõmittũt, irrefragabiliter ſequitur nõ omnes ſaluãdos, ſed quoſdã æternaliter damnandos eſſe.

Aut facite arborem bonã, & fructum eius bonum, aut facite arborẽ uitioſam, & fructum illius uitioſum. Nam è fructu arbor agnoſcitur.

Vulgarẽ & indubitatã ſententiã, ex conſuetis mortaliũ prouerbijs ſumptã adducit, qua ſignificatur, ex bono nil niſi bonũ, et ex malo nil niſi malũ prouenire poſſe per ſimilitudinẽ uidelicet arborũ, quæ aut bonæ bonos, aut malæ malos fructus gignunt, imò ita habent, ut nequeant bonæ malos, malæ bonos proferre fructus. Quomodo uerò iſta ſententia & ſimilitudine ad præſentem cauſam utatur, apud Eccleſiæ doctores ueteres ac recentiores, uariatur. Et alioqui uidere eſt, quomodo à Chriſto uariè ſit uſurpata, Matth. 7. Luc. 6. deinde & hoc loco. Chryſoſtomus, Hieronymus, Hilarius intelligũt,

hanc sententiã ad præcedentia facere ad hũc modũ. Vulgare & in confesso est, quãuis arborẽ iudicari & agnosci ex fructibus. Propterea quod nulla mala bonos, nulla bona malos fructus proferat. Iam quæ facio talia sunt, ut ex ipsis facile sit iudicare quis sim. Dicitis me agere uirtute dæmonũ. Atqui dæmones malarum arborum instar sunt. Quòd si opera mea dæmonũ sunt, mala sint oportet. Sed nõ audebitis malũ dicere, quod eijciuntur dæmones, illuminantur cæci, aperiuntur linguæ mutorũ, &c. Si ergo bonũ est quod facio, quomodo illud datis Satanæ? Quomodo dicitis me esse dæmoniacũ? Quare non potius ex fructibus agnoscitis arborẽ? Quis dicet esse spinas, unde proueniunt uuæ? Quis uineã, unde nascuntur tribuli? Ad istũ modũ exponunt ueteres isti. Respiciunt enim ad præcedentia, quibus calumniã refellit Pharisaicam. Recentiores uerò nõnulli exponũt ita, ut non ad præcedẽtia respiciãt, sed magis ad sequẽtia, quibus ostendit Christus nihil esse mirũ, si qui mali sunt, nihil loquantur ueri ac boni, ita ut omnia usq; ad petitionẽ signorũ unum hoc agãt. Mali estis, malũ thesaurũ cordis geritis, ideò nõ potestis bona loqui. Estis malæ arbores, id quod ex fructibus uestris agnoscitur. Ista calũnia & blasphemia in spiritum sanctũ ostendit quales arbores sitis, quid in cordibus uestris foueatis. Proinde nihil me mouet ista calumnia. Scio enim qui sitis. Neq; aliud à uobis expectari poterit. Quid aliud hic uidemus, q̃ potentiã Christi in confutandis blasphemis? Quasi fulmine quodã latè circumquaq; ferienti pestes istas percutit, ita ut non solum suam tueatur innocentiam, sed & illorum prodat malitiam. Quoniam itaq; ista tam ad sequentia, quàm ad præcedẽtia pertinere possunt, nihil uetat, quò minus utroq; sensu dicta capiamus.

Progenies uiperarũ, quomodo poteritis bona loqui, cum sitis mali? Siquidem ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo è bono thesauro cordis expromit bona, & malus homo ex malo thesauro depromit mala.

Posteaq̃ sese defendit, improbitatemq; Pharisæorũ reserauit, iam deinceps non sine acrimonia, & feruore spiritus eos alloquitur, fontemq; malitiæ ipsorum aperit dicens: Progenies uiperarũ, &c. Cuius accusationis summa est, malos non posse bene de rebus bonis loqui.

Progenies uiperarum.] Non solũ eos propriæ malitiæ arguit, sed & opprobrat paternã, obijciẽs, esse eos peßimorũ hominũ progeniem, atq; sua malitia referre auitam malitiã, more bestiarũ uenenetarũ. Patres fuisse uiperas, occidisse prophetas, hoc ingeniũ ipsos iam referre minores. Et nota, quã aptè introducat non simplicem ferociã, sed uenenatã animantis uenenosißimi similitudine usurpata. Erãt enim Iudæi aduersus prophetas Dei nõ solũ feroces, sed & uenenatæ malitiæ, in eo quod doctrinã Dei suspectã reddebant, & falsitatis insimulabant. Istos imitãtur hic ipsorũ posteri, dicẽtes: Ex principe dæmoniorũ eijcit dæmonia. Nihil enim pestilentius est, q̃ doctrinã ueritatis ipsosq; doctores, per siniſtrã interpretationẽ suspectos reddere. Ista appellatione eos & Matth. 23. alloquitur. Vbi fusius prauũ ipsorũ ingeniũ declarat. Et Ioannes, Matth. 3. eos ita alloquutus est. Potẽter aũt illis gloriationẽ eam excutit, qua de posteritate Abrahæ gloriabantur, quemadmodum & Ioan. 8. faciũt, & Ioannes quoq; fecit, Matth. 3.

OBSER.

Quid aũt hic dicent, qui quamuis increpationẽ malorum pro conuitijs habent? Certè boni hominis non est malè loqui, etiã Christo hic teste. Si ergo maliloquium, mox & maledicentia est: huiusmodi uocabulis alloqui improbos, ergo malus est hic Christus. Absit. Quid ergo restat, nisi non statim esse maledicum, qui improbos suis depingit coloribus, & uocabulis malitiæ illorum congruis appellat. Imò feruorem istum decere eos qui gloria Dei, & ueritatis doctrina zelo ducuntur, ut in Ioanne Baptista & Christo uidemus. 1

OBSER.

Deinde uidemus etiã hic quibus merito queat obijci maiorũ improbitas. Nempe non illis, qui malorũ parentum uestigia non sequuntur, sed illis qui paternam malitiam referũt & exprimunt. Isti certe speciali odio digni sunt. Et plerunq; fit, ut malitia auita in maioribus nõ punita puniatur in minoribus ijsdẽ uestigijs incedentibus, ut uidere est Matth. 23. Rursus, qui ex malis parentibus orti, uias maiorum deserũt, & iuste uiuũt, speciali sunt amore digni, nec debent ignominiã portare paternam. 2 Exo. 20

Quomodo potestis bona loqui cum sitis mali?] Q. d. Nihil mirum est, quod mihi maleloquimini. Estis enim mali. Non potestis bene loqui. Et nota qua confidentia utatur interrogando. Quomodo potestis, &c. Non dicit simpliciter, non loquimini bona, quia mali estis, sed non potestis bona loqui. Neq; sic tantum, sed per interrogationem. Quomodo, inquit, potestis bona loqui, cum sitis mali?

Siquidem ex abundantia cordis os loquitur.] Probatio est eius quod dixit: cum sitis mali, per generalem sententiã, quæ omnibus in confesso est. Q. d. Blasphematis uirtutem Dei, sed in causa est quod mali estis. Malos uos esse testãtur uestra maledicta. Prodeũt enim ex cordibus uestris quæ maledictis abundant. Verum enim est quod uulgo dicitur. Ex abuudantia cordis os loquitur.

Bonus homo è bono thesauro, &c.] Declaratio est uulgaris sententiæ, & simul probatio, maledicos esse malos. Q. d. Si boni essetis bona loqueremini. Nam bonus homo è bono thesauro profert bona, ex abundantia boni in corde suo, non male. sed bene loquitur, loquimini uerò mala. Ergo mali estis: Nam malus homo è malo thesauro cordis sui profert mala. Est autem argumentum ab effectu sumptum ad causas alioqui occultas cognoscendas. Vt, ridet, ergo lætus est. Plorat, ergo luget ac dolet. Male imprecatur, ergo irascitur. Sic male loquitur & blasphemat, ergo malus est. Si ergo malus est, non potest bene loqui. Varium est & multiplex malitiæ ingenium, quod ex uarijs illius fructibus deprehenditur. Arguũtur aũt hic Pharisæi nõ uulgaris cuiusdam. sed insignis ac pestilentis malitiæ, qua nõ poterant quod bonum erat commendare, & de bono bene loqui, sed malè. Quemadmodum bonorum ingenium est, de omnibus quantum licet bene loqui, ita malorũ ingenium est, etiam de bonis male loqui. Vide Hieronymum Euangelia. b. v. Imperatorum non est peccatorum iudex.

OBSER.

OBSERVAT.

1 *Discamus primum nos ipsos ex uerbis nostris agnoscere, quales simus.*

OBSERVAT.

2 *Si quando maledicimur patientes simus, scientes eos qui mali sunt non posse bene loqui. Dicamus & nos ad hostes ueritatis doctrinam illius blasphemantes. Progenies antichristi, filij tenebrarum, quomodo potestis bene loqui, cum sitis mali? Quomodo potestis amare ueritatem, cum diligatis mendacium? Quomodo amplectimini lucem, cum tenebras ametis?*

Contra contemptum & securitatem maledicorũ.

Sed dico uobis, quod de quocũq; uerbo ocioso, quod loquuti fuerint homines reddituri sunt rationem in die iudicij.

Iam tertio minas infert, easq; quemadmodum & antea, de diuino iudicio. Cui hic tribuit, quod omnium actorum ac dictorũ rationem reddituri simus, etiam eorum, quæ uidentur ociosa. Non dicit: de aliquo uerbo malitioso, sed de ocioso. Si de ocioso, quid de malitioso & nociuo? Nec dicit: de aliquo ocioso, sed de quocunq; uerbo ocioso.

Siquidem ex uerbis tuis iustificaberis, uel ex uerbis tuis condemnaberis.

Idem est quod suprà dixit. Nam ex abundantia cordis os loquitur. Et bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona, malus mala. q. d. Nam qualis sis prodũt uerba quæ loqueris. Si bene loqueris, indiciũ est, te bono corde esse: Ergo ex uerbis tuis iustificaberis, id est, iustus esse declaraberis (loquitur enim de iudicio diuino humano more.) Si male loqueris, indicium est te malum esse. Itaq; ex uerbis tuis cõdemnaberis, id est, malus esse declaraberis, atq; ideò condemnandus.

QVAE HIC NOTANDA SINT.

Obser. 1. Quod iterum diuini iudicij, imò ipsius diei, quo iudicium illud uniuersale futurum est, meminit, minaturq; futurum, ut in illo rationem actorũ daturi sint, leuitatem nostram constringit, uitæq; reformandæ admonent. Hac de re uide suprà cap. 10.

Obser. 2. De omni uerbo ocioso, quod loquuti fuerint homines. Timorem domini, & uitæ innouationem augeat, quod non solum factorum, sed & dictorũ rationem reddituri sumus. Et quod amplius est, non solũ prauorum, sed & ocioſorum. Expendamus hic, quæ sit uitæ nostræ læuitas. Quid est in omni uita nostra, cuius rationem minus habeamus, quàm uerborũ? Et tamẽ etiam de illis, idq; ociosis, sumus reddituri rationem. Si de ociosis, quid de nociuis? quid de mendacijs? quid de obloquio? quid de maledictis? quid de irrisionibus? quid de periurijs futurum est.

De omni uerbo ocioso.] *Bone Deus, quid sunt nostra prandia? quid sunt nostra gaudia, in quæ plerunq; resoluimur? quæ est uanitas uitæ nostræ? Plurimũ itaq; errant, qui mox obijciunt, non esse malum in se quod faciunt, non esse terrendas conscientias per ea, quæ in seipsis mala non sunt. Dicant ipsi, an uerbũ ociosum in seipso sit malum? Si nõ est malum, quare de illo reddenda est ratio. Non obseruant qui simus, cuius simus, quid deo debeamus, qualis esse debeat uita nostra, quàm non sit satis non facere mala, nisi faciamus & bona. Arbor exciditur, non solum quæ malos, sed & quæ non fert bonos fructus. Vide quæ Paulus moneat Ephe. 5. Colos. 3. 4.*

Dicet hic aliquis. Ergo bene faciunt, qui planè sunt muti, nihil prorsus loquentes. Respondeo. Si bene facit seruus abscondens talentum Domini sui, nec in usuram illud collocans, bene faciunt & isti. Bonus homo non ita finitur à Christo, ut sit qui mala nõ profert è corde suo, sed qui bona. Proinde & illi silentio suo produnt se non esse bonis cordibus. Exigitur enim, ut quisq; pro dono suo prosit reliquis.

Ingenium piorum est, ut magno studio uitam suam instituant, ita ut non solũ magna delicta, sed & modica studiose caueant: non solum magnorum, sed et minimorum bonorũ rationem habeant. Quemadmodum enim qui sanitati student, non solum magnos, sed & modicos quosuis morbos, etiam ipsas morborum utcunq; suspectas causas fugiunt, & quemadmodum auari non solum magnos pecuniarũ cumulos, sed et modicum assem studiose colligunt: illi propterea quod cupiant perfectam conseruare sanitatem, isti, quod cupiant omnino ditescere, ita & pij affecti sunt in causa iustitiæ & bene collocandæ uitæ. Sciunt enim paulatim incidere in maiora eum qui contemnit minora. Nos uerò, cum ne maiora quidem caueamus, quomodo cauebimus minora? Qui non uereatur mentiri, fraudare, obloqui, maledicere, peierare, quando uerebitur ociosa loqui? Proinde studeamus diligentes esse in minoribus, ut eò cautiores simus & in maioribus.

Tunc interrogauerunt eum quidam è Pharisæis, dicentes: Præceptor, uolumus ex te signum uidere.

Græce est, τότε ἀπεκρίθησάν τινες, id est. Tunc responderunt quidam, ut intelligas istam interrogationem & interpellationem de patrandis signis, responsionis uice introductam esse ad ea quæ Christus ad blasphemiam Pharisæorum respondit.

Deinde, ut scias animo factam esse, non simplici, sed malo & astuto. Lucas dicit: Et alij tentantes, signum de cœlo quærebant. Tentandi itaq; gratia, non discendi, Christum interpellant, signum quærentes.

Quod aũt non quoduis signorum genus quæsierint, uidere est in Luca, in eo quod dicit: signũ de cœlo quærebant. q. d. Si quæ facis, non facis ex Satana, sed ex uirtute Dei diuinitus: age ostende nobis de cœlo signum aliquod, siquidem de cœlo uenisti nobis præceptor, unde sciamus certo diuinitus abs te agi quæ agis. Respiciebãt autem ad Mosen, quemadmodum & Ioh. 6. dicebant: Quod ergo tu signum facis, ut uideamus & credamus tibi? Quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de cœlo dedit eis ad edendum. Ad hæc testimonium habebat Moses ex tonitruis, igne, fumo, uocibus & buccina cœlesti, in monte Sina. Tale quid uidentur ab eo petere, quasi si tale quicquàm faceret, qualia fecit Moses, tum demum tuto illi crediturí sint: propterea quod ea quæ faciebat uideantur non tuto amplectenda pro diuinis,

cum terrena sint, & in curandis mortalibus uersentur.

Vocant autem eum præceptorem magna, aut fraudulentia, ut decipiant eò facilius, uel certe non sine nota contemptus. Omnino referunt Scribas & Pharisæos, etiam si Euangelista eos Scribas & Pharisæos fuisse non commemorasset, hoc est, homines astutos, prauos, subdolos, malicioſos, & in summa pessimos hypocritas.

At ille respondens, dixit illis: Generatio praua & adultera signum quærit.

Iterum acriter illos increpat. Vocat autem eos non simpliciter prauos, sed generationem prauam & adulteram. Notans in illis auitam quandam & peculiarem simul et obstinatam prauitatem, quæ isti genti peculiariter inhæserit. Nam plerunq; fit, ut singularem quandam maliciam deprehendas in gente aliqua, quæ non tantum obtineat in alia. Vt Cretensibus obiecit Apostolus, Tit. 1. libidinem & consuetudinem mentiendi: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, uentres pigri. Ita iste populus hoc habuit, ut esset durus ceruice, prauus, pertinax, & ad credendum uerbo Dei reprobus, rarissimè integro corde & bona fide ad Deum. Hanc prauitatem Deut. 32. illis obiecit & Moses. Generatio, inquit praua & peruersa. Et ca. 9. Cum sis populus duræ ceruicis. Et Stephanus Actor. 7. Dura ceruice & incircumcisis cordibus. Semper restitistis spiritui sancto, quemadmodũ patres uestri, ita & uos. Ita hoc loco & Christus illis obijcit consuetam, & quasi hæreditariam prauitatẽ & incredulitatem, cũ dicit: Generatio praua & adultera signum quærit. Ita & infrà cap. 16. ubi legimus simili modo accessisse ad Christum Pharisæos & Sadducæos, tentandiq; gratia rogasse, ut signũ de cœlo ostenderet, inter reliqua dixit: Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur illi, &c.

Et ut intelligas, quam prauitatem in illis notet, expende dictiones, quibus eos increpat. Generatio inquit, praua & adultera. Praua in Græco est πονηρά, qua dictione non uulgaris notatur malicia, sed singularis quædã improbitas et prauitas: ingeniũ uidelicet summè prauum, & quasi natum ad omne genus maliciæ. Sic Satan uocatur πονηρός. Et in Ebræo Deut. 32. non est simpliciter עקש sed עקש id est, prauus & peruersus, item & פתלתל. Tale scilicet ingenium notatur, quod perpetuo sit subdolum, peruersum, nunquàm integrum, syncerum, sed ubiq; & in omnibus malæ fidei, ut summæ molestiæ sit quicquàm cum eo agere. Ita & non simpliciter uocat eam adulteram, mœcham, sed μοιχαλίδα, inclinatam uidelicet ad adulterium, quæ iam assueuerit adulterio. Fieri potest, ut mulier una & altera uice fiat adultera, cum tamen animũ non habeat admodum propensum ad hoc facinus. Quæ uerò hoc scelere ita occupata est, ut singulari quodam ingenio nata uideatur ad adulterium, cuius omnia spirant adulterinum animum oculus, incessus, sermo, gestus, omnes mores, ea non simpliciter mœcha, adultera, sed magis μοιχαλίς, ehebre cherisch uocanda est, eò uidelicet peior simplici adultera, quod nulla sit spes, ab ista improbitate illam aliquando auocari posse. Quàm uerò pertinaciter & obstinatè prauitatem hanc & adulterinum animum erga uerbum & nuncios dei generatio Iudaica declarauerit, uidere est in Mose, in Iehosua, in Iudicibus, in Prophetis, tum etiam in Christo.

Ad hoc ualet quod dicit: Signum quærit.] Hoc est, ea perpetuo est diffidẽtia, ea incredulitate, ut nunquàm sustineat ueritati locum dare, nunquàm sustineat certificari, quouis pacto illam aggrediare. Tot signa uidit, tot portenta, & adhuc signum quærit, quasi non satis uiderit signorũ alioqui creditura, si commodè signis certificaretur. Verũ quemadmodum olim neq; Moysi credebant, licet magnis portentis diuinitus commendato, ita nunc neq; mihi credunt, licet uiderint quæ nemo unquàm ante me fecit. Ea scilicet est huius generationis prauitas: similis telluri arenosæ, quæ nulla imbrium assiduitate fœcundari potest. & illis, qui perpetuo discunt, nunquàm uerò quæ docentur capiunt. aut certe illis, qui quæ nõ libenter audiunt, etiam si millies audiant, nihilo tamen amplius ex illis tenent, quàm si nunquàm audissent. Animũ ista prauitas refert non rectum erga Deum, nullo timore Dei præditum alijs afflictibus occupatum. Quemadmodũ si mulier coniugata animo sit erga uirũ insyncero, erga alios adultero, ea certe nullo pacto poterit flecti per maritum, quouis modo conetur eam ad animi synceritatẽ reuocare, ita habet & hæc prauitas, quã istis obijcit Christus, unde & adulteriũ opprobrat.

Et signum nõ dabitur illi, nisi signum Ionæ prophetæ.

Quale signum non dabitur illi? Quale ipsi quærunt, uidelicet de cœlo, ad exemplum Mosche. Quare non datur? Quia non eo animo quærebant, ut ueritatem cognoscerent, sed ut tentarent Christum. Et tales erant qui nullis signis quàmuis magnis, poterant adduci ad credendum Euangelio, Matth. 16. ita Christum in eadem causa dixisse legimus: Cum cœperit esse uespera, dicitis: serènitas erit, nam rubet cœlum. Et mane: hodie tempestas erit, rubet enim cœlum triste. Hypocritæ, faciem cœli scitis dijudicare, signa uerò temporum non potestis? Natio praua & adultera signũ requirit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Et Marci 8. Et cũ ingemuisset spiritu suo, dicit: Cur generatio hæc signũ quærit? Amen dico uobis, si dabitur generationi huic signũ. Quomodo nõ dabatur illi signũ, cũ tã multa fierent miracula & portenta? Quia illa omnia quæ fiebant, illis nõ erant signorũ loco, per quæ ad ueritatẽ inducerentur, quia uidelicet nolebãt induci. Et ista signorum cœlestium petitio nihil aliud erat quàm hypocritica & subdola contra ueritatis agnoscendæ lucem tergiuersatio. Recte nõ dabatur illis signũ quale petebant, ut in sua cæcitate obstinatiores redderentur.

Nisi signum Ionæ prophetæ.] Ergo signum aliquod dabitur, sed tale quod magis referat scandalum & faciat ad offendiculum & excæcationem obstinatorum, quàm ad illuminationem. Vt autem declaret de quo signo dicat, subdit:

Quemadmodum enim fuit Ionas in uentre cęti tribus diebus ac tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus ac tribus noctibus.

Quid

Quid Ionæ acciderit, uide Ionæ cap. 1. & 2.

Deinde quale signum, & quibus fuerit Ionas, uidere est Lucæ 11. Vbi sic legimus: Nam sicut fuit Ionas signum Niniuitis, ita erit & filius hominis nationi isti. Hic habemus Ionam fuisse signum: nimirum in eo quod tres noctes ac dies in uentre Cæti fuit: deinde signum ea in re fuisse Niniuitis, ex historia discendũ est, quomodo & ad quid fuerit signum Niniuitis: nimirum ad interitum ipsorum, nisi pœnitentiam egissent. Datum erat Niniuitis pœnitentiæ ac resipiscentiæ tempus adhuc spacium 40. dierum, in quibus nisi resipiscerent, affuturus esset ipsorum interitus. Ad eum modum, inquit, & isti generationi filius hominis signum erit, ante internitionem illi futuram, nisi resipiscat. Nam ut tum concedebantur in tempus resipiscentiæ 40. dies, ita post resurrectionem Christi dabantur anni 40. usq; ad destructionem Ierosolymæ, & uastationem totius huius Iudaicæ gentis. Quid his uerbis aliud uoluit, quàm minari interitum certissimum non resipiscentibus. Et huius interitus signum fore, si uiderint eum mori ac sepeliri, &c.

Est autem in isto signo expendendum scandalum crucis Christi. Submersio Ionæ non erat simplex ac nudum factum, sed signum Niniuitis. Quod signum esset, non erat apertum illis, qui eum in mari proijciebant. Illis erat apertum & ob oculos, quod facere uidebatur ad interitum, futura uerò liberatio, tempus tridui, uirtus & iudicium Dei, signum rei quæ gerebatur, neque Niniuitis, neq; submersoribus ipsis Ionæ notum erat. Magis uidebatur ira Dei sæuire in Ionam, quàm in Niniuitas. Ille submergebatur, ut reliqui euaderent. Ad eum modum & Iudæis interitus Christi quidem ob oculos erat. Iudicium uerò & propositum Dei, & quale signum esset Iudæis interituris, nisi resipiscerent, non item. Securi erant, putabant irã Dei esse aduersus hunc hominem, quem mori uidebãt, resurrecturum post tres dies nõ uidebant, neq; animaduertebant futuram breui totius gentis subuersionem.

OBSERVAT.

1 *Signum est iræ Dei aduersus impios, si quando probi ac pij affliguntur.* Hinc Christus dicebat ad mulieres cum educeretur ad mortem: Nolite flere super me, sed super uos, & super filios uestros flete. *Si enim hoc fit in uiridi, quid fiet in arido?*

2 *Atq; ita non solum mors Christi signum fuit Iudæis propediem interituris, sed et persequutio illa quam ferebant membra Christi in Iudæa, ut uidere est 1. Pet 4. Quoniam tempus est, ut incipiat iudicium à domo Dei. Si autem primum à nobis, quis finis erit eorum, qui non credunt Euangelio? Etsi iustus quidem uix saluatur, impius & peccator, ubi parebunt?*

3 *Ad eum modum & adflictio illa Israëlis in Aegypto*

4 *signum erat adfligendæ Aegypti. Captiuitas Israelis in*

5 *Babylone, signum erat destruendæ Babylonis. Adflictio Loth in Sodomis, Sodomitis signum erat futuri interi-*

6 *tus. Quid Germaniam nostram maneat ex innocentum effuso sanguine dies ipse olim declarabit.*

1 Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt eam, quod ipsi resipuerint ad prædicationem Ionę, & ecce plus q̃ Ionas est hoc in loco.

Regina Austri surget in iudicio cum 2
generatione hac, & condemnabit eam, quod uenerit à finibus terræ ad audiendam sapientiam Salomonis. Et ecce plus quàm Salomon est hoc in loco.

Quia meminerat se fore signum interitus isti generationi, quemadmodum Ionas signum fuit olim Niniuitis, impœnitentiæ & obstinationis huius nationis admonitus comminationem subijcit æquissimi & iustissimi iudicij, quo sit olim inexcusabiliter condemnanda.

Vtitur autem collationis argumento, cuius uirtus in eo est, quod cõmuni omnium sensui inditum est, dignum esse pœna eum, qui non emendatur ex eo unde emendantur alij: multo digniorem qui condemnetur eũ, qui cum sit potioribus etiam & pluribus bonis potitus impœnitens esse perstitit. Ita Niniuitas confert cum natione Iudaica: deinde & reginam Austri. De pœnitentia Niniuitarum unde Ionæ tertio. De regina Austri. 1. Reg. 10.

Niniuitæ.	Iudæi.
1 Gẽtes extra œconomiã dei	1 Populus in fœdere Dei
2 Per unum duntaxat Prophetam admoniti.	2 Per tot Proph. Iohan. deinde et Christũ ipsum (tione.
3 Tantũ unius diei prædica=	3 Tanto tẽpore admoniti
4 Sine aliquo signo uiso.	4 Tot signis etiam uisis.
5 Pœnitentiam egerunt.	5 Pœnitentiã nõ egerunt

Regina Austri.	Iudæi.
1 Mulier gentilis.	1 Viri Iudæi.
2 Venit.	2 Eum qui ultrò uenit.
3 A finibus terræ.	3 E cœlis. (cula uiderunt
4 Per fimam tantum mota.	4 Cuius præsentes mira=
5 Audire uerba sapientiæ.	5 Contempserunt.
6 Salomonis.	6 Nimirum Christum,
7 Adferens secũ & munera.	7 Cuius munera cũ ipso.

Iam si iustum est, ut condemnentur, qui tot modis ad pœnitentiam uocati resipiscere noluerunt, cum alij minoribus potiti, resipuerint: certe iustum erit, ut per pœnitentiam Niniuitarum condemnetur impœnitentia Iudæorum.

Niniuitæ neq; legem dei, neq; Prophetas habuerunt, neq; aliquod etiam ex Iona miraculum uiderunt, tantum audierunt, adhuc 40. dies & Niniuæ subuertetur. Non expenderunt quis esset Ionas, sciebant quales essent ipsi. Nullum signum quæsierunt, satis signorum erat, quod malicia creuisset, unde facile moti sunt, ut quæ Ionas minabatur futura crederent. Non expenderunt uetustatem urbis, quæ fuerat mox à diluuio condita. Non dicebant: Hæc ciuitas tot annorũ centurias stetit, est omnium antiquissima, putas iam subuertetur? Non dicebant: Multus est populus in hac ciuitate: Nunquid perdet Deus tantum populum? Sunt etiam, etsi non omnes, tamen aliqui in illa probi et iusti. Nunquid illi interibunt? Nihil horum prætexebant, simpliciter credebant, & pœnitentiam agebant.

Obserua uerò, quare non & alteram collationis partem subiungat: nempe, Ipsa uerò pœnitentiam nõ facit,

Item

Item: Ipſa uerò ſapientiam Dei non audit: nempe, iſta ſatis erat aperta & nota.

QVID HIC ADMONEAMVR.

Admoneat nos æquitas huius iudicij, ut reſipiſcamus & nos. Alioqui Niniuitæ condemnabunt non ſolos Iudæos impœnitentes, ſed & nos, niſi reſipuerimus, cum iam tot annos, tanta aſſiduitate, tanta copia uerbi Dei admoniti ſumus ad pœnitentiam.

Deinde uiderint, qui titulotenus ſunt Chriſti miniſtri, Epiſcopi, & id genus, qui officio Eccleſiaſtico deſunt, & interea cum ſpecie hypocriſeos ſplendeant coram mundo, uocenturq; ſpiritales, peius tamen uiuunt ipſis, quos uocant, laicis, idq; ſine omni pœnitentia, ne & ipſi per laicos cõdemnentur in die iudicij. Vide hac de re 8. quæſt. 1. ca. Vereor. Eſt autem uerbũ Ieronymi. Vereor quomodo regina Auſtri ueniens à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, iudicatura eſt homines temporis ſui. Et uiri Niniuitæ acta pœnitentia ad prædicationem Ionæ cõdemnabunt eos, qui maiorem etiam Iona ſaluatorem contempſerunt. ſic plurimi in populis Epiſcopos iudicabunt, ſubtrahentes ſe ab eccleſiaſtico gradu, et ea quæ Epiſcopo conueniunt non exercentes. Quid quod ea exercent quæ non conueniunt Epiſcopo? Quid dico Epiſcopo? quæ non conueniunt Chriſtiano ſimplici?

Iceminino

Cum autem immundus ſpiritus exierit ab homine, perambulat per arentia loca quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit: reuertar in domum meam, unde exiui. Et cum uenerit reperit eam uacantem, et ſcopis purgatam atq; ornatam. Tunc abit, & adiungit ſibi ſeptem alios ſpiritus ſceleratiores ſe, et ingreſſi inhabitant illic, & fiunt poſtrema hominis illius peiora primis, ſic erit & generationi huic peruerſæ.

Locum hunc uariè exponunt. Hieronymus commemorat quoſdam illum exponere de hæreticis, quorum tamẽ ſententiam improbat. Alij quidam exponunt eam de homine priuato à peccatis per confeſſionem, atq; adeò & malo ſpiritu liberato, uerum poſt confeſſionem nullam operam bonis operibus impendente, ſed magis ocio ſuo locum dante malo ſpiritui adiunctis pluribus uitijs (nam per ſeptẽ malos ſpiritus, intelligunt ſeptem peccata mortalia) quàm antea habuerit, ut ita peius habeat quàm antea. Atq; hac ratione textum iſtum locarunt in quadrageſimam: nempe, Dominicam Oculi: quaſi id temporis purgentur homines à peccatis, ad quæ mox poſt Paſcha redeant. Verum relictis illis, declarabimus, quis ſit ſenſus Chriſti hoc loco.

Verba iſta Chriſti ita ſunt exponenda, ut non uideantur aliena à cauſa quam agit. Non enim temulentus uel arreptitius eſt Chriſtus, ut ad rem non pertinentia temerè profundat. Quod autem & quomodo ad præſentem cauſam faciant, uidere eſt in fine, ubi dicit: Sic erit & generationi iſti peruerſæ. Cui? De qua iam dixerat: Generatio iſta praua et peruerſa ſignum quærit. Ergo ad Iudaicam nationem pertinent, quæ hic à Chriſto dicuntur, & ſimilitudinem habent. Proinde clarum erit ſi legas. Erit autem iſti peruerſæ generationi non ſecus, quàm ſi ſpiritus immundus ab homine egreſſus, perambulansq; arentia loca, nulla inuenta requie dicat: reuertar in domum meam, &c.

Nihil aliud igitur Chriſtus hac ſimilitudine comminatur iſti generationi, futurumq; prædicit, quàm habituram eam peßime, & peius quam unquàm antea propter abiectam gratiam Dei, idq; in præſenti etiam uita, ne forte quæ de futuro iudicio dixit, contemnat. Simile interea quo utitur, non eſt fictum, ſed ita credibile eſt ſæpenumero fieri. Eijciuntur ex hominibus dæmones. Illi eiecti diuina uirtute adacti, in locis deſertis deſtinentur, ne cui noceant, in quibus ægrè permanent: quia toti ad nocendũ humano generi propendent. Hinc ſi permißione diuina datur elabi, inq; priſtinam habitationem reuerti, absq; dubio ſceleratiores et plures redeunt, quàm exierãt, ut peius habeat hic homo quàm unquàm antea. In quo ueluti bene purgata domo & ornata (Nam iſta allegoria notatur animus libidini ſpirituum immundorum accommodus & paratus) cupidißimè habitant & deliciantur in perditione miſeri.

Iſta Chriſtus, licet in ſe uera ſint, non tamen propter ipſa inducit, ſed tanquàm ſimile, in quo declaret quid futurum ſit iſti nationi, quæ & ipſa aliquando à ſpiritus immundi cohabitatione: nempe cum educeretur de Aegypto, aut cum ab idolorum cultura per Prophetas & captiuitatem, ut Chryſoſtomus intelligit, abducta eſt: uel certe iſta Chriſti tempeſtate, in qua paßim eijciebantur mali ſpiritus per gloriam regni Chriſti, liberata eſt. Verum quoniam eam gratiam cõtemnebat, nihil aliud paßura erat, quàm reuerſis malis ſpiritibus & pluribus & peioribus, omnium ſit peßimè habitura. Nimirum futura obſtinatißima, & planè excæcata, & exitio horrendißimo obnoxia, ut Chryſoſtomus exponit.

QVAE IN IPSO SIMILI notanda ſint.

Ingenium Satanæ in eo obſeruandum eſt, quod requiem non inuenit eo loci, ubi nocere nequit: propterea quod natum eſt ad nocendum. Iſta ſedulitas nocendi, ſuaciat nos cautiores, & adigat eò, ut hoc indiuulſius à deo pendeamus. Hoc Satanæ ingenium plerique referunt, qui malicia delectantur, Denen nimmer uuol iſt, ſie thuen dann den leuten ſchaden.

Adiungit ſibi ſeptem alios] Ergo & malis ſpiritibus hoc inditũ eſt, ut ſocietatem ſuorũ amet quiſq;, ægreq; ſoli ſint, id quod & in ſuo genere filijs dei peculiare eſt. Quale eſt ergo hoc hominum genus, qui cum nulla ſuſtinent Eccleſia communicare?

Neqiores ſe.] Cur hoc? Quare ſceleratiores aſſumit, cum ſciat glorioſum in ſuo regno eſſe, ſi queat in malicia principatum obtinere, et reliquos excellere. Scilicet mauult fortiter nocere, & ad nocendum inſtructus accedere, quàm ſibi uel gloriæ ſuæ proſpicere. Atq; ideò, quo regno Satanæ plurimum commodet, et regno dei detrahat non infirmiores, ſed fortiores, & ad nocendum inſtructiores aſſumit.

Secum

Secus hodie fit à plerisq; , qui magis spectant, quo pacto suam gloriam, uel quæstum aucupentur, quàm gloriam Dei & regni Christi profectum. Atq; ideò non facile ferunt iuxta se instructiores, imò uix pares. Malunt coniungi imbecillioribus & minoribus, ne meliorum collatione obscurentur.

IN EXEMPLO IVDAEORVM.

Quæ Iudæis minatur Christus, potißimum illis, qui euangelici uocantur, bene notandum est, ne et ipsis usu-
1 ueniat idem. Quicquid huc facere poterit amputandum est. Sunt autem duo quæ plurimum huc faciunt. Vnum est, si gratiam Euangelij, non ita apprehenderint constanter, ut nulla erga eam nausea occupentur. Alterum, si qui adhuc restant, malos spiritus non eiece-
2 rint. Restant autem adhuc multi, qui nisi eijciantur & ipsi, facile portas aperient eiectis. Est enim malorum spirituum magna cognatio. Operas mutuas magno studio alius alij impendunt. Non autem de eijciendis hominibus loquor, sed de uitijs proscribendis. 1. In magistratu, ne sit ibi personarum acceptio, contemptus religionis, & si quid simile isti muneri insidiatur. 2. In populo, si quæ est auaritia, ebrietas, temeritas, &c. Quemadmodum itaq; & Chrysostomus suo tempore admonuit, ita & hoc nostro admonemus. Oportet non obliuiſci dicti dominici ad paralyticum, quem admonebat, dicens: Iam sanus factus es, noli ergo amplius peccare, ne quid peius tibi eueniat. Ioh. 5.

Cum autem adhuc loqueretur turbis, ecce mater & fratres eius stabant foris, quærentes ei loqui. Dixit autem illi quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes tibi loqui. At ille respondens dixit ei, qui sibi renunciauerat: Quę est mater mea? Aut qui sunt fratres mei? Et protensa manu sua in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quisquis enim fecerit uoluntatem patris mei, qui est in cœlis, ipse meus frater, & soror, & mater est.

Quid præterea isto temporum articulo memorandum acciderit, subiungit Euangelista, dicens: Cũ autem adhuc loqueretur, ecce mater & fratres, &c.

Est autem primo loco uidendum, qui sint illi fratres Christi. Multis locis Euangelistæ mentionem faciunt fratrum Christi, aliquando & sororum, ut infrà ca. 13. Quæ mater illius fuerit, notum est. Quod uerò fratres habuisse scribitur, receptæ opinioni uidetur contradicere, qua credimus matrem domini ad mortem usque mansisse intactam uirginem, nec peperisse quenquàm, præter unum Christum. Qui fuerint, legimus infrà ca-
Vel uide pro logum Theophilacti ante Euang. Ioa. pite 13. Quomodo uerò fuerint, non legimus. Verum certius est, ut credamus eos fuisse consobrinos Christi, fratres more illius gentis dicti, quemadmodum & Abraham & Loth.

Secundo loco quærendũ est, cur steterint foris, quare non recta ingressi sint, imò quare illi non cum reliquis assederint. In promptu causa est. Nõ credebant in eum. Testimonium habetur Ioh. 7. Imò, ut ex ipso textu patet, animo erant in illum sinistro & maligno. Vnde & Chrysostomus hoc loco sic annotat. Et formidinis & inanis gloriæ eum insimulant. Siquidem cum dicunt: Nemo in occulto aliquid facit, & formidinis arguere, et suspicari uidentur, an quæ faciebat Iesus uere faceret. Illa autem particula: Et quærit ipsi palàm esse. Habet inanis gloriæ suspicionem. Et paulò post. Vnde igitur eis tanta incredulitas? Ab inuidia. Consanguinitas enim solet quodam modo inuidiæ haberi. Et mox: Tempus meum nondum aduenit. Hic & aliud quiddam uidetur posse significari. Fortasse eum tradere Iudæis consultabant, & ob hoc respondit: tempus meum nondum aduenit, hoc est, crucis & mortis.

Malum itaq; omnino & sinistrum animum ostendit, quod non cum alijs intrò sedebant, audientes uerbum illius, sed foris stetisse scribuntur. Vnde Chrysostomus hoc loco illud expendit.

Tertio loco considerandum est, quid uoluerint, euocantes Christum foras. Chrysostomus scribit ex inanis gloriæ studio factum esse: nimirum ut cunctis inspicientibus ad ipsorum uoluntatem egressus, argumentum daret uulgo dicendi: Ecce hi sunt fratres illius, ista est mater eius. Ad illorum imperium egreditur, &c.

Verum si expenderimus ea quæ scribit hac de re Marcus cap. 3. manifestum erit, quid uoluerint. Nam is ita scribit: Et cũ audissent, qui ad illum attinebant, exierunt, ut manus inijcerent in eum. Dicebant enim, in furorem uersus est. Et statim ponit ea quæ ad calumniam Pharisæorum Christus respondit, quibus absolutis resumit quæ de matre & fratribus Christi dicere cœperat. Et ueniunt inquiens mater & fratres eius, & foris stantes, &c. Vnde uidemus, quo animo uenerint, cur illum euocauerint: nempe ad hoc, ut uelut furibundum caperent & domum abducerent. Ea scilicet erat illorum erga Christum fides.

OBSERVAT.

Exemplo isto fratrum Christi, uidemus quæ sit naturæ nostræ corruptio & peruersitas. Id quod debebat facere ad hoc, ut præ alijs mortalibus Christo syncera fide & charitatis affectu adhærerent, magis eò facit, ut sint incredulo & sinistro erga illum animo. Quemadmodum enim Nazarei, quorum ciuitas erat Christi patria, inde sumpserunt argumentum contemptus & incredulitatis, unde debebant adminiculum sumere fidei & synceri affectus erga Christum, ita & Christi fratribus usuuenit. Tale quid legimus & de fratribus Ioseph. Gen. 37. & de fratribus Dauidis. 1. Sam. 17.

Ex ista peruersitate fit, ut nonnunquàm alienos habeas amiciores cognatis. Vt cognationes & affinitates quæ putantur ad pacem facturæ, argumenta sint & radices magnarum discordiarum. Admonemur autem hic duorum. Primo. Ne nimium doleamus si contingat nobis à fratribus, cognatis & propinquis, quod contigit Christo. Secundo. Ne deijciamur, si quando in unum iunguntur per cognationis uel affinitatis uincula, qui Christo aduersantur, quasi hinc sint firmi & coniunctiores

coniunctiores aduersus Christum futuri. Ipsa docet nos experientia, tam abesse, ut cognationis uincula ad solidam improborum pacem faciant, ut uix aliud sit, quod certiores radices futuræ discordiæ habeat.

Tantum uidelicet malum est inuidia, ut uires suas apud & inter eos potissimum exerat, qui debebant charitatis iure inuicem esse coniunctissimi. Hinc illud: Non hospes ab hospite tutus. Non socer à genero, fratrum quoq; gratia rara est.

RESPONSIO CHRISTI.

At ille respondens dixit ei, qui sibi renunciauerat: Quæ est mater mea? &c.] Locus iste cautè expendendus est, ne detur occasio immorigeris, uel superstitiosis negligendi & contemnendi parentes, fratres, sorores, cognatos, uxores ac liberos. Christus hoc loco non simpliciter negat matrem suam & fratres, sed importunitati illorũ resistit, nonnihil per illam offensus, ut uerba declarant, ipseq; modus per interrogationem loquendi ostendit. Quæ est mater mea? & qui sunt fratres mei? Erat in officio patris, in negocio Euangelico, et regni dei occupatus, quod maioris erat, quàm ut illud propter matrem & fratres interrumperet. Ad eum modum & Lucæ 2. respondebat nonnihil offensus. Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quod in his quæ patris mei sunt oporteat me esse? Illic tamen surgens sequitur parentes & subditur illis, quia nondum aderat iustum tempus euangelici negocij administrãdi. Hic uerò non ita, nam totus erat in promouendo regno Dei.

OBSERVAT.

Docemur hic, quomodo debeant ministri Dei exuti esse omni carnali affectu, & officiũ uocationemq; suam præferre & parentibus, & fratribus, & sororibus, cognatis & amicis, nec sustinere, ut illorum gratia non solum ab officio auellantur prorsus, sed nec aliquousq; impediantur. Est itaq; exemplum hic datum ministris Dei Euangelistis: deinde & magistratum gerentibus, non cuiuis simpliciter Christiano.

Errarunt hac in re Monachi & Nonnæ, qui propter humanas traditiones negarunt parentes, fratres ac sorores, ita ut & in eam superstitionem nonnulli euaserint, ut ne ad conspectum quidem admiserint parentes, & fratres & sorores, aut amicos & cognatos.

Deinde & Anabaptistarũ plurimi præpostere istud Christi exemplum: deinde & uerba Christi Mat. 10. & Lucæ 14. imitati sunt, relictis non solum parentibus, sed & uxoribus ac liberis, ociosi circunquaq; uagantes. Hac de re uide suprà Matthæi 10.

SEQVITVR.

Et protensa manu in discipulos. (Mar. 3. Et circumspiciens eos, qui in circuitu sedebant) ait: Ecce mater mea & fratres mei. Qui enim fecerit uoluntatem patris mei, qui in cœlis est, hic frater, soror & mater est.

Præfert his uerbis apertè sine omni contradictione spiritalem cognationem carnali, imò docet quæ sit uera & potissima cognatio in regno Dei: nempe eorum, qui filij sunt Dei, qui sunt ex Deo, qui è supernis sunt renati. Hinc commode & in loco meminit patris cœlestis, & obedientiæ illi debitæ, quæ utiq; est germanorum liberorum. Istos agnoscit hic pro cognatis. (Nam matris, fratrum, sororumq; nomina pro cognatione hic posita sunt) duo faciens, unum ostendens se in negocijs & uoluntate patris cœlestis uersari, atq; ideò non agnoscere iam istam matrẽ carnalem & hos fratres: alterũ docens quæ potior sit cognatio in regno Dei, inter filios Dei. 1 2

OBSERVAT.

Videmus itaq; hoc loco, quàm præpostera sit ueneratio illa diuinæ uirginis, sanctæ matris Christi, qua passim instar Deæ colitur hoc nomine, quod Christum carnaliter peperit, cum Christus eam cognationem hic non agnoscat, & spiritalem, quæ est omnium filiorum Dei, longè, imò unicè præferat. Non enim dicit: quæ est potior mater mea, & qui sunt potiores mihi fratres? sed simpliciter, quæ est mater mea, &c. 1

Ita & Luc. 11. cum mulier quædam clamasset: Beatus uenter, qui te portauit, & ubera quæ suxisti, respondit: Quin imò beati, qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt illud: quibus sanè uerbis idem agit, quod isto loco. Dicant nunc quotquot beatam uirginem colunt & adorant, quamobrem id faciant? An non ideò, quod Christum saluatorem mundi peperit? Cur putant illam magnæ apud Christũ esse prærogatiuæ? An non ideò quod iuxta carnem est mater est Christi? Certe ob hoc ipsum Nam id testantur non solum ipsorum conscientiæ, sed et æditi libri. Est qui de beatæ uirginis interceßione ita scribat. Salomon thronũ matri suæ iuxta thronũ suum collocari præcepit. Verus pacificus Salomon Christus honorãs matrem suam, idem facit. Quæso quamobrem exemplum Salomonis inducit, nisi propterea quod putat carnalem cognationem idem posse apud Christum, quod apud Salomonem? Verum Christus apertè testatur hoc loco, se nõ tanti facere illam, quanti spiritalem. Non nego matrem Christi filio charam esse. Hoc nego, quod propter carnalem cognationẽ tantopere extolli putatur, sine consideratione spiritalis, contra aperta Christi uerba. Christus testatur matrem suam esse, fratrem & sororem, quisquis fecerit uoluntatem patris, qui in cœlis est, illamq; cognationem, ut filius Dei, præfert carnali. Sed quæso quis unquàm illam ueneratus est pari suspectione, qua istam carnalem pleriq; hodie & iam dudum adorant? Atqui beata uirgo multo felicius & beatius est mater Christi, et soror Christi, per fidem & obedientiam Dei, quàm ex eo, quod Christum carnaliter peperit. Imò beata non esset, nisi ad istum modum esset mater, & æque soror Christi. Sed audiamus Augustinum de sancta uirginitate capite 3. Scriptum est in quit in Euangelio, quod mater & fratres Christi, hoc est, consanguinei carnis eius, cum illi nunciati fuissent, & foris expectarent, quia non possent eum adire præturba, ille respondit: Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Et extendens manum super discipulos, ait: Hi sunt fratres mei. Et quicunq; fecerit uoluntatem patris mei, ipse mihi frater, & mater, & soror est. Quid aliud nos docens, nisi carnali cognationi genus nostrum spiritale præponere, nec inde beatos esse homines, si uultis et sanctis carnis propinquitate iunguntur, sed si eorum doctrinæ ac moribus obediendo, atq; imitando cohæresc unt? Aug.

hæreſcunt? Beatior ergo Maria percipiendo fidē Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti. Nam & dicenti cuidam: Beatus uenter qui te portauit. Ipſe reſpondit: Imò beati qui audiunt uerbum Dei, & cuſtodiunt illud. Deniq; fratribus eius, id eſt, ſecundum carnem cognatis, qui in eum non crediderunt, quid profuit illa cognatio? Sic & materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet, niſi felicius Chriſtum corde quàm carne geſtaſſet. Hæc Auguſt. Non diſſimilia habet & Chryſoſtomus.

Agnoſcenda igitur beata Virgo quidem pro matre Chriſti, ſed hōc nomine magis honoranda charitatis affectu, quod uerbo Dei credidit, & fide facta eſt mater Chriſti, quàm quod carnaliter illum peperit. Certe non eſt fruſtra, quod tam parce illius recordantur Euangeliſtæ & Apoſtoli: deinde & qui Apoſtolorum tempora ſequuntur quàm proximè. Quam ego cauſam eius rei aſſignabo tutiorem ac certiorem? Dicam ne Apoſtolos illam ignoraſſe? Non potero. Dicam tantæ religionis & deuotionis erga Chriſtum nō fuiſſe, quantæ eſt præſens ſeculum, quod in matre uideri uult, quid ſentiat de filio? Neq; hoc potero. Nam abſq; dubio maiore fide & religione erga Chriſtum fuerunt, quàm omnes poſteri. Cur ergo nihil de illa ſcripſerunt Apoſtoli, cū poſt illos tam multi extiterint, qui ingētia uolumina de illa texuerunt? Certe negari non poteſt, eam rationem colendæ matris Domini nō fuiſſe in Apoſtolis, quæ cœpit poſtea in poſteris: & aut plus æquo coli cœptam poſt Apoſtolorum tempora: aut minus cultā eſſe ab Apoſtolis quàm par erat. Iam eligas quod uelis. Ego tutius dicam Apoſtolos ab iſta ſuperſtitione liberos fuiſſe, et in beata Virgine carnalem Chriſti cognationem non uſq; adeò ſuſpexiſſe, quàm ſi uelim liberare noſtrū ſeculū à ſuperſtitione, inuoluam Apoſtolos in crimen neglectæ ueræ religionis. Superſtitionem uulgi fouerunt, qui in Eccleſia, quæ ſua ſunt, nō quæ Chriſti quæſierunt. Hinc tot Marias erexerunt: hinc tot formis illius imagines Chriſtianorum oculis obiecerunt. Iam geſtantem paruulum in ulnis: iam ubera oſtendentem filio, per quæ moueatur: iam pallio excipientem ſibi deuotos: iam amictam ſole: nunc habentem lunam ſub pedibus: nonnunquàm coronam à patre & filio accipientem: aliquando ſedentem ad dexteram filij, &c. quæ omnia quæſtus gratia adinuenta ſunt, ut res eò abierit tandem, ut inuenti ſint qui ſeſe fratres quoq; fecerūt beatæ Virginis: quaſi plus ſit eſſe fratrem beatæ Virginis, quàm matrem, fratrem, & ſororem Chriſti: quaſi non ſit frater beatæ Virginis quiſquis eſt filius Dei.

OBSERVAT.

2 Qui facit uoluntatem patris mei, qui in cœlis eſt. Quærendū eſt, quid ſit facere uoluntatem patris, qui in cœlis eſt, adeoq; ante omnia cognoſcendum, quæ ſit illa uoluntas patris, unde reddamur fratres, & ſorores & matres Chriſti. Sed quis nouit uoluntatē Domini? Quis enim ſcit quæ Dei ſunt, niſi ſpiritus Dei, quemadmodum nemo nouit quæ ſit uoluntas hominis, niſi ſpiritus qui in homine eſt 1. Cor. 2. Dicat nobis filius ipſe quæ ſit illa uoluntas patris. Audi Ioh. 6. ita dicit: Hæc eſt uoluntas patris mei qui in cœlis eſt, ut qui uidet filiū, & credit in eū, habeat uitam æternam. Et Mat. 3. uox de cœlo: Hic eſt filius meus dilectus, in quo bene mihi complaceo, ipſum audite: Ergo credere in Chriſtum filium Dei, & audire uerbum Chriſti, ut uerbum Dei, eſt facere uoluntatem patris, qui in cœlis eſt: ita, ut qui uerbum Dei audit & facit, & in Chriſtum credit, ſit frater, ſoror & mater Chriſti. Atq; ideò Lucæ 8. pro eo, quod hic & Mar. 3. ſcriptum eſt: qui fecerit uoluntatem patris mei: legimus: Qui uerbum Dei audiunt & faciunt. Et Ioh. 8. dicit eſſe ex Deo, qui uerbum Dei audiunt. Iam ex Deo eſſe, eſt Chriſto cognatum eſſe. Et Ioh. 1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius, qui non ex ſanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, ſed ex Deo nati ſunt. Iam quid aliud fecerunt diſcipuli Chriſti, quos hic extenſa manu deſignat pro fratribus, ſororibus & matre, quàm quod ab ore Chriſti credentes pependerunt, illumq; ſequuti ſunt? Nihil ſanè aliud de illis legimus, unde Marcus dicit: Et circumſpiciens eos, qui in circuitu eius ſedebant. Sedebant in circuitu eius, inquit. Quid facientes? Audientes & credentes: Ergo audientes & credentes uerbo Dei, ſunt fratres & ſorores, & etiam mater, id eſt, cognatiſſimi Chriſto filio Dei. Ecce magna dignitas Chriſtianorum credentiū, & uerbo Dei adhærentium. Vis eſſe frater Chriſti, ſoror Chriſti, imò & mater Chriſti, idq; multo felicius, quàm ſi iuxta carnē eſſes mater Chriſti. crede in Chriſtum, audi uerbum Chriſti, pende adhuc ab ore Chriſti, & conſequeris quod petis. Vides hic diſcipulos Chriſti præferri carnalibus cognatis, nullā aliā ob rem, q̄ quod audiebant, credebāt & ſequebantur. Et ne putes iſtam beatitudinem ad diſcipulos tantum pertinere, non contentus eſt dicere: Ecce mater mea & fratres mei, ſed ſubſequutus, ut redderet rationem, quare eos habeat pro matre, fratribus & ſororibus, dixit: Quiſquis enim fecerit uoluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror & mater eſt. Itaq; ſi tu quoq; hoc facis, tu quoq; Chriſto frater, & ſoror & mater eris. Quin parum eſt eſſe fratrem, ſororem & matrem Chriſti, reſpectu eius, quod uxor es Chriſti, caro de carne Chriſti, & os de oſſibus Chriſti. Audi Apoſtolum: Deſponi enim uos uni uiro, uirginem caſtam exhibere Chriſto. 2. Cor. 11. Et Ephe. 5. Nemo ſuam carnem odio habet, ſed nutrit eā, ſicut Chriſtus Eccleſiam: quia membra ſumus corporis eius, de carne eius & oſſibus eius. Propter hoc relinquet homo patrē & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto & Eccleſia. Ecce maiorem dignitatem, quàm ſit uel matris, uel fratrum uel ſororum Chriſti. Hanc ſtupent & admirantur ipſi angeli. Iſta conſiderāſſe, mirum in modū facit ad pietatem inſtituendam, plus quàm ſi perpetuo admiremur dignitatem illam carnalis cognationis Chriſti, &c.

OBSERVAT.

Videmus etiam hoc loco, quanta in reputatione & ueneratione debeant nobis eſſe Chriſtiani, qui ſtudioſe uerbum Dei audiunt, & ſyncera in Chriſtum fide ſunt & perſeuerant. Si Chriſto ſunt fratrum, matris, & ſo-

rorum loco, imò si sunt ipsa Christi caro & membra, quo loco nobis esse debent? unde tantum est delicti aduersus charitatem fraternam: unde tantum irarum, tantum læsionum, tantum contemptus & neglectus, nisi quod non animaduertimus, quanta sit dignitas apud Christum eorum qui illi credunt? Quid faceres carnali matri Christi, si in terris ageret? imò quid non faceres? Certe illam saltem non facile læderes. Et merito. Iam quare lædis hominem Christianum multò facilius, quàm læderes matrem Christi carnalem, nisi quia ista non credens, quæ Christus hic dicit, nõ putas te lædere matrem, sororem, uel fratrem Christi? Alioqui quomodo læderes illum? Tu uerò, quod plus est, non solum contemnis ac lædis matrem, fratrem, ac sororem Christi, sed Christum ipsum. Ipsius uox erit in nouissimo die: Ego esuriui & non dedistis mihi manducare, &c. Verum quid facio quod hoc carpo, quod plerique beatam Virginem, ut carnalem matrem Christi spiritali cognationi præferunt, cum passim omnes carnales nostros fratres & sorores spiritalibus præferamus, contra spiritum & factum & uerbum Christi?

CAPVT XIII.

IN die uerò illo egressus Iesus è domo, sedit iuxta mare, & congregatæ sunt ad illũ turbę multę, adeò ut ipse nauim ingressus sederet, & uniuersa turba in littore stabat. Ac docebat illis multa per similitudines, dicens: Ecce exijt qui seminat, &c.

Posteaquàm accrescente miraculorum splendore, accreuisset etiam populi concursus, ita ut non liceret ne pane quidem uesci, ut est Mar. 3. egreditur domum Iesus, in qua quæ præmissa sunt disseruit, ad hoc, ut locus esset commodior promouendi regni dei. Libenter enim inseruit seruori populi, tametsi sciret quid esset in homine. Admonemur ergo, ut quouis modo gerendæ rei opportunitas exigit, nos ad promouendum regnum dei accommodemus, seruientes tempori & populo dei, non exigentes, ut nobis omnia inseruiant. Quæ uerò domus illa, & ubi fuerit, unde scribitur hic egressus esse, non commemoratur quidem ab Euangelista, uerum apparet ex fine capitis, fuisse in patria Christi.

2 Deinde, quid egerit Christus, confluentibus ad se turbis, ut Lucas habet, ex singulis ciuitatibus subdit Euan-
Cap. 8. gelista, dicens: Ac dicebat illis multa per similitudines, &c. Et Mar. Docebat eos inquit, multa in doctrina sua.

Quæ multa illa sint, satis docet præsens caput. Varia aderant auditorum ingenia, atq; ideò unam & eandem Euangelij & regni Dei doctrinam multis & uarijs similitudinibus populo tradit, prudenter dispensans diuitias regni Dei. Verum de multifaria ista Christi doctrina suis quæq; locis uidebimus.

3 Ecce exijt qui seminat, &c.] Septem parabolas habet præsens caput, quibus à Christo ingenium, conditio & efficatia Euangelij & regni Dei depinguntur: quarum ista est prima, in cuius tractatione quatuor sunt notanda. 1. Quæ sit summa primæ huius parabolæ. 2. Vnde ad istam materiam tractandam moueatur. 3. Quamobrem in parabolis loquatur. 4. Quis sit sensus huius parabolæ.

SVMMA HVIVS PARAbolæ est ista.

Verbum Euangelij ac regni dei, tametsi in se bonum 1
& salutiferum, non tamen ubiuis uim suam exerere, sed in paucissimis iustam frugem adferre, idq; non suo, sed auditorum uitio, imò neque in electis parem fructum producere, sed in alio plus, in alio minus, atq; ita in auditorio uerbi Dei multum referre, qualis quisq; sit auditor, qualia adferantur corda. Ista uidebimus in expositione parabolæ.

Notandum est hoc loco, quamobrem de prædicatione uerbi Dei, illiusq; conditione & efficatia admoneat, & nõ magis de legalibus cærimonijs, in quibus isto tempore sita erat summa religionis? Iam quis negare poterit, Christum ea potissimum tractare, quæ cum primis ad salutem mortalium faciunt? Commendat autem uitium hoc maximè, quod ipse unum agebat, ad quod erat missus, ad quod & suos erat missurus, Lucæ 4. Ioh. 20. nempe prædicationem uerbi Dei. Ratio huius est apud Apostolum Rom. 1. Euangelium est uirtus Dei ad salutem omni credenti. Ro. 10. Fides ex auditu. Et quàm speciosi pedes, &c. Et 1. Cor. 1. Per stultitiam prædicationis placuit Deo saluos facere credentes. Certè nisi magis ad salutem mortalium faceret prædicatio Euangelij, quàm usus cærimoniarum, satius fuisset populum Ierosolymas duxisse in templum ad offerendum hostias &c. Quem ergo spiritum referunt, qui prædicationem Euangelij uel conculcant, uel postremo loco habent, interim humanas adinuentiones unice urgentes?

VNDE AD ISTAM MATEriam moueatur Christus.

Doctrinam suam Christus certa ratione dispensat. 2
Neq; enim quicquid in buccã, ut aiunt, uenerit ἐκπλῶς effutit, ut quidam solent, raptum spiritus simulantes, sed omnia prudenter, in loco, tempore et ordine transigit. Solet subinde præsenti malo occurrere, subinde & futurum cauere, quod & hic facit. Videbat accurrere ingentem populi multitudinem, sciebat conditionem Euangelij & regni Dei, quæ quia ignorabatur, daturam erat plurimum scandali imperitis, ideoq; pro sua prudentia futuro scandalo medetur.

Solent infirmiores & rerum minus experti, nescio quid spei ex magnis & feruentibus rerum initijs concipere, multaq; & præclara sibi in futurum polliceri, & ea plerunq; quæ uel futura non sunt, uel non ita, ut illi putant, futura sunt. Ita credibile est plerosq; non solum è populo, sed & ipsos quoq; Christi discipulos, ex isto concursu, carnales quasdam de regno Christi cogitationes hausisse, atq; hac ratione sese Christo animosius addixisse, tanquàm ei, qui iam uideretur passim à uulgo recipi, cuius doctrina tanto feruore exciperetur. Itaq; ne ex isto uulgi concursu causa esset futuri scandali, uisum est Christo regni Dei sortem & conditionem proponere,

ponere, idq; multis modis, ut nihil planè relinqueretur, quod carnalibus cogitationibus inseruire posset.

QVARE PER PARABOlas loquatur.

3 Et adeuntes discipuli, dixerunt illi: Quare per parabolas loqueris illis?

Mar. 4. Cum autem cœpisset esse solus, interrogauerunt eum hi, qui circũ illum erant cũ duodecim, &c.

Videbatur discipulis istud docendi genus rarum & insolens, propterea quod hactenus tam crebris parabolis Christum uti non audissent. Putabant autem apertis sermonibus agendũ esse, ut clarius intelligeretur. Nam parabolas istas nec ipsi intellexerant.

Habemus hic exemplum eorum, qui aures habent Obser. *ad audiendum uerbum Dei. Tametsi ex corde & apposita mente audierant discipuli, non tamen omnia intellexerant. Atq; ideò Dominum rogant pro declaratione parabolæ. Ita solent, qui ueritatis percipiendæ studio tenentur. Id erat & hodie faciendum. Sed quàm pauci sunt, qui hoc faciant, quod hic de discipulis scribitur? Quidam parati essent ad percontandum in ipsa auditorum frequentia. Verum præter ingenium Apostolorum, qui quia doceri tantum cupiunt, non uideri etiam seorsum quæ desiderabant explicari rogabant. Sunt qui cum alijs conferant, imò ad alios malicioſe deferant, si qua sibi uidentur notasse, uel malè, uel non consultè dicta, id animi uerò non habent, ut eum rogent, cuius sermonem sinistrè iudicant. Dicet quisquàm: quod si Christum haberemus, quem discipuli habebant, rogaremus illum utiq; & nos. Cur eum rogaremus, qui ut homo potest labi, decipi & fallere alios?*

RESPONDEO.

1 *Cur ergo audis conciones illius? Deinde, cur ad a-*
2 *lios defers, qui & ipsi homines sunt erroribus & ignorantiæ obnoxij.*

3 *An non uel ipse prædicator uerius potest suum ipsius sermonem exponere, quàm alius quisquàm: uel si tu doctior es, illum potes melius isto pacto instruere, & erroris conuincere, quàm si ad alios deferas?*

RESPONSIO CHRISTI.

At ille respondens dixit eis: Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem nõ est datum. Quisquis enim habet, dabitur illi, & reddetur abundantior. Quisquis autem non habet, etiam illud quod habet tolletur ab eo. Propterea per parabolas loquor illis, quia uidentes nõ uident, & audientes non audiunt, nec intelligunt. Et completur in illis prophetia Esaiæ, quæ dicit: Auribus audietis, & non intelligetis, & uidentes uidebitis, & nõ cernetis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos occlusserunt, ne quando uideant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & cõuertantur, & sanem illos. Vestri uerò beati sunt oculi, quia uident: & aures uestræ, quia audiunt. Amen enim dico uobis, quod multi Prophetæ & iusti desiderauerunt uidere quæ uidetis, & nõ uiderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Vos igitur audite parabolam seminantis.

Totam istam Christi responsionem Marcus paucis Mar. 4.
ita complectitur: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, illis autem qui foris sunt, omnia per parabolas fiunt, ut uidentes uideant, & non cernant, & audientes audiant, & non intelligant, ne quando conuertantur & remittantur eis peccata. Ita & Lucas.

Videmus itaq; causam parabolicæ loquutionis esse quorundam, qui aderant obstinationem: Illi autem non erant simplices & idiotæ, sed Scribæ & Pharisæi, Sadducæi & Sacerdotes, qui Christum obseruandi & carpendi tantum gratia sequebantur. Illis merito uelabantur mysteria regni Dei, eò quod nec uidendo uidebant, nec audiendo intelligebant propter excæcationem cordium ipsorum. Quum itaq; Apostoli corde essent simplici, & ueritatis cupido, merito audiunt: uobis datum est nosse, &c. Scribæ uerò & Pharisæi contra, illis non est datum: propterea quod obstinati erant, et hostes ueritatis gratiam Dei, quæ publicè offerebatur omnibus, pessima inuidia prosequebantur, imò persequebantur etiam, & extinctam cupiebant. Istis itaq; merito obscurantur regni Dei mysteria.

Isti rationi annectit ad declarandum, prouerbium uulgare, ex usu humano desumptum, ne quod agebat, uideretur insolens Apostolis. Nam quisquis inquit habet illi datur, & redditur abundantior, qui uerò non habet ab illo etiam modicum quod habet, auferetur. q. d. Videtis quid in mundo fiat, libenter dant ditioribus, pauperibus non ita. Imò ab illis etiam quod habent tollitur, ut planè sint egentes. Quod igitur mundus male facit, hic bene & merito fit, ubi proprio uitio repudiatur oblata gratia regni dei, ut iure auferatur quod habent ingrati, & detur illis, qui cupidi sunt cœlestis gratiæ, ut fiant abundantiores. Isto prouerbio utitur & Lucæ 19. & Matthæi 25.

Deinde, ut ostendat hoc se facere iusto Dei iudicio, Esa. 6.
quemadmodum & olim sit factum, adducit locum Esaiæ de excæcatione Iudæorum, qua tempore Prophetarum excæcati & obstinati, nec Propheticis minis, nec plagis Domini euidentibus permouebantur, ut ab idolis suis, & nimia illa malicia resipiscerent, etiam quum sub Phacer rege Israël anno Azariæ regis Iuda 52. per Teglathphalasser pars aliqua Israëlis: nempe, duæ illæ tribus cũ dimidia, quæ primæ sortem suam trans Iordanem adeptæ fuerant sub Mose, iam abductæ essent in Assyrios. 2. Reg. 15.
Quin Israëlis reliqua pars sub Achas cõtra Iudam bella 2. Par. 28.
gerens, percutit ex Iudah centum uiginti millia hominum, & ducenta millia mulierum et puerorum captiua abducit Samariam, qua tamẽ strage nihilo magis Iudah resipiscit, sed in obstinatione persistens regem Assyriorum in auxilium contra Israëlem aduocat. Israëlis reli-

quiæ hoc belli successu eleuatæ, in malis suis perseue-
2. Reg. 17. rant, donec redeunte Assyrio, et ipse simul omnes in As-
syriam abducuntur. Ista Domini uirga nihil mota Iudah
cum & ipsa in obstinatione perduraret, nec Prophetis
acquiescebat, nec ulla plaga emendari sustinebat, ut est
uidere Esaiæ 1. donec in Babylonem est abducta. Huc
pertinet illa prophetia Esaiæ 6. quam uide in ipso pro-
pheta. Hanc itaq; Christus in obstinatis quoq; sui tem-
poris adimpleri dicit, quibus uerbis ista declarat.

1 Primum, hoc genus hominum inueterata maiorum
suorum obstinatione laborare, ne quid noui illis acci-
disse, quasi antea uiris bonis putetur. Atq; ideò pulchrè
discipulis suis ueterem illam Iudæorũ pertinaciam, qua
perpetuo uerbo Dei & spirituisancto restiterunt, ob
oculos ponit: ne uidelicet mirum sit uidentibus tantam
contra Christi doctrinam, Pharisæorum, Scribarum,
Sacerdotum, Sadducæorum, & reliquorum similium
contradictionem & reluctationem. Sic utitur & Pau-
lus hoc loco Actor. ultimo.

2 Deinde, & prædictam esse quoq; istam excæcatio-
nem per Prophetam. Vide Ioh. 12. Roma. 11.

3 Tertio, traditum esse populum istum in perditio-
nem. Vt enim tempore Prophetarum Iudæorum cæci-
tas & obstinatio signum erat futuræ perditionis, quæ
mox sequebatur, ita & hoc tempore Christi factum est.

Rectè ergo Christus secundum iudicium Dei doctri-
nam regni parabolicôs loquitur, ut obstinatiores red-
dantur, & excæcatiores peruersi isti Iudæi, progenies
obstinatorum. OBIECTIO.

Sed dicet quisquàm: Ergo Christus est autor perdi-
tionis ipsorum? Nequaquàm. Quemadmodum neque
Propheta autor erat perditionis Iudæorum. Verum
quando omnino data opera ueritati & propriæ saluti
resistebant iudicio Dei, iusto, factum est ut magis ac ma-
gis excæcarentur & perirent. Tale erat quod Christus
dicebat ad traditorem: Quod facis, fac citius. Hic certè
non dabat causam traditioni, neq; iubebat Iudam, ut
sese traderet, uerum quoniam omnino totus in eo erat
proposito, nec auerti ullis beneficijs & admonitionibus
poterat, sed magis atq; magis per illa excæcabatur, re-
ctè dicebat: Quod facis fac citius.

OBSERVAT.

1 Videmus hoc loco ingenium impiorum ac repro-
borum, quomodo sit cognoscendum: nempe, in eo, quod
aures ad audiendum non habent, nec cor ad intelligen-
dum mysterium regni Dei. In eo uidelicet produntur.
Alioqui in cærimonijs ac specie sanctitatis externæ, tam
abest, ut deprehendantur, ut etiam reliquis appareant
sanctiores. In audiendo uerò ac suscipiendo uerbo regni
Dei statim apparet qui sint. Hanc notam Pharisæis Chri
stus obijcit Ioh. 8. dicens: Qui ex Deo est, uerba dei au-
dit. Propterea uos non auditis, quia ex Deo non estis.

OBSERVAT.

2 Deinde obseruandum est etiam hoc loco, quid iusto
Dei iudicio illis accidat, quibus cum datur salutis doctri
nam auribus audire, illam nec audire, nec amplecti su-
stinent, sed omni studio & obstinatione repudiant, &
odio persequuntur, idq; uel inuidiæ, uel gloriæ, uel quæ-
stus gratia: nempe, ut magis atq; magis per lucem Euan
gelij excæcentur & obstinatiores euadant. Sic Christus
uenit ad iudicium in hunc mundum, ut qui uident cæci
fiant, & qui cæci sunt uideant. Ita Euangelium est odor 2. Cor. 2.
mortis ad mortem reprobis, uitæ ad uitam electis. Cum
ergo ista usuuenerint & Prophetis, & Christo, & Apo
stolis, quid nobis aliud expectandum fuerit?

OBSERVAT.

Notanda sunt etiam illa uerba. Incrassatum est cor 3
populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos
suos clauserunt, ne quando uideant oculis, et auribus au
diant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem
eos. Pulchrè hic uidere est, quis sit ordo saluandorũ ho-
minum. Ante omnia aperiendum est cor, & permouen-
dum ad auditum uerbi Dei. Hoc si fuerit incrassatum,
non potest fieri, ut aures audiant, & cor ipsum intelli-
gat, & fiat ad salutem conuersio. Propterea dicit: In-
crassatum est cor populi huius, & mox subdit: & auri-
bus grauiter audiunt, &c. Hinc Acto. 16. de purpurissa
legimus: Et aperuit illi dominus cor, ut attenderet uer-
bis Pauli. Est itaq;, si ordo uerborum istorum obseruе-
tur, ad salutem et remissionẽ peccatorũ (ut est Mar. 4.) 1
necessaria conuersio & pœnitentia. Atq; ideò Christus
Apostolos misit ad prædicandam pœnitentiam & re-
missionem peccatorum. Hac de re habes Esa. 1. Ezech.
18. & multis alijs locis. Conuersio uerò & pœnitentia 2
non potest haberi, nisi cor reddatur intelligens, id est,
nisi aperiatur & illuminetur. Ideò dicit hic: Et corde
intelligant & conuertantur. Tertio, intellectus autem 3
cordis, qui est reuelatio ueritatis, non est, nisi per audi-
tum uerbi. Hinc exiguntur aures audiendi, id est, cu-
pidè audiendi. Sic Apostolus Rom. 10. dicit. Fides est ex
auditu. Quarto, iste uerò auditus non est illis, quibus est 4
cor incrassatum. Est autem illud reprobis, qui ex Deo
non sunt. Ideò fit, ut nec audiant, nec intelligant, nec con
uertantur, nec sanentur. Electis uerò datur, ut audiant,
intelligant, conuertantur & sanentur. Ista sunt hoc loco
obseruanda. Cæterum ea quæ ad nos non pertinent, ut
qua ratione quosdam elegerit, quosdam reprobârit, &
quare istos & non alios, & quamobrem electos tantum
illuminet, reprobos magis obduret et excæcet, noli scru
tari, si non uis errare, sed animo simplici in reprobis iu-
stitiam & iram, in electis misericordiam & gratiam
eius agnosce, ut est Rom. 11.

OBSERVAT.

Obseruandum est etiam, cum in illis, qui tempore 4
Prophetarum, tum qui tempore Christi per uerbi Dei
prædicationem magis atq; magis obcæcati sunt, istam
excæcationem reproborum per uerbi prædicationem
factam, signum esse futuræ perditionis iam iam præ fo-
ribus. Sic duo filij Heli non audiebant uocem patris ad-
monentis, quia uolebat illos occidere dominus 1 Sam. 2.
Sic indurati & excæcati Israëlitæ ducti sunt in Assyriã,
Iudah & Beniamin in Babylonem. Sic tempore Christi
in Iudæa per euangelij prædicationem excæcati, uastati
sunt per Romanos. Ideò Iohannes dicebat: Securis ad ra
dicem arboris est posita, agite dignos pœnitentiæ fru-
ctus. Quid hodie aliud expectandum est illis, qui quoti-

die

die ad Euangelij prædicationem redduntur obstinatiores, nisi certissimus interitus.

Vestri uerò beati sunt oculi, quia uident, &c.] Posteaquàm obstinationem & excæcationem impiorum ac reproborum, & quæ sit illius damnatio, declarauit, mox rapitur ad prædicandam beatitudinem eorum, quibus datum est oculos habere uidendi, & aures audiendi, ut simul & rationem daret, quare mysteria regni cœlorum, quæ alios celantur, ipsis suis Apostolis
1 reuelaret. Nam ista duo his uerbis facit: Vnum, quod rationem reddit reuelandorum ipsis mysteriorum regni dei, quæ ab impijs abscondebantur, propterea quod non haberent aures audiendi, nec oculos uidendi: istis uerò electis aperiebantur, quia aures audiendi, & oculos uidendi habebant. Huc pertinet quod supra dixit: uobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum. Et infrà. Vos igitur audite parabo-
2 lam seminantis. Alterum quod magnæ beatitudinis loco extollit aures habere audiendi, & oculos uidendi, atq; adeò peruenire in cognitionem mysteriorum Dei. Non enim simpliciter dicit: uestri uerò oculi uident, & aures audiunt: propterea uos audite parabolam, &c. Sed: uestri uerò beati sunt oculi: quia uident, &c. Ad quod & pertinet quod subdit: Amen enim dico uobis, quod multi Prophetæ & iusti, &c. q.d. Vobis datum est uidere & audire, quæ multis Prophetis & iustis negata sunt, tametsi magno desiderio illa uidere cupiuerint.

OBSERVANDA.

Vestri uerò beati sunt oculi.] Eadem legimus Luc. 10. unde colligimus Christum ista sæpenumero discipulis inculcasse.

1 Disputatur hoc loco à plerisq; quæ sit ista beatitudo discipulorum, quam non habuerint Prophetæ ac reges, tametsi diem Christi in spiritu uiderint & gauisi sint,
2 ut de Abraham legere est Ioh. 8. Deinde quomodo ideò beati dicantur, quod oculis carnalibus ista præsentes uiderunt & crediderunt, quũ tamen ad Thomam Christus dixerit: Quia uidisti me Thoma, credidisti. Beati
3 qui non uiderunt & crediderunt. Tertio, quomodo dicantur oculi Apostolorum beati, cum tamen illis nihil beatitudinis potuerit accidere præ Prophetarum ac regum oculis, eò quod non minus oportuerit eos emori & in puluerem redigi, quàm istorum.

Verum de his coguntur disputare, quibus tantum est ocij, ut relicta Christi mente quæ parerga sunt magno studio excutiant. Nos uerò simpliciter mentem Christi, ut ubiq; ita & hoc loco obseruemus, id quod factu est facile, si expendatur ipsa causa quam tractat. Sermo illi est de mysterijs regni cœlorum, quæ tum temporis ad oculum gerebantur, sed ab impijs non intelligebantur. Illa sunt in se magna, magno studio per Prophetas prædicta, magno desiderio à iustis expectata. Et quia in illorũ cognitione sita est uera beatitudo, uisum est Christo istis sermonibus infelicitatem eorum exprimere, qui gratiam illorum temporum & ingentem lucem diuinæ cognitionis repudiabant, et quotidie magis atq; magis excæcabantur, & iuxta felicitatem electorum ac discipulorum prædicare, quibus datum erat, ut aures haberent audiendi quæ dicebantur, & oculos uidendi, quæ coram gerebantur, quæ tanti erant momenti, ut pro magna felicitate duxissent Prophetæ ac reges, si illa coram cernere & audire meruissent, quæ de longinquo salutauerunt & adorarunt. Hoc sensu hæc uerba ponuntur & Lucæ 10. Et ut felicitatem temporũ illorum, eorumq; quæ tum gerebantur mysteriorum regni cœlorum: deinde & infelicitatem excæcatorum, discipulis probè expendendam ob oculos ponat, commodissimè iustorum, Prophetarum ac regum ueteris testamenti ardens ista, quæ futura credebant & spiritu uidebant, etiam carnaliter coram uidendi desiderium inducit. q.d. Quàm putatis beatos se æstimassent, Abraham, Isaac, Iacob, Moses, Dauid, Ezechias, Iosias, Esaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, &c. si hos dies uidissent, si iam uiuerent, si ista quæ uos uidetis & auditis coram præsentes cernerent & audirent, quando tanto desiderio erga futura fuerint? Ad istum modum reddit gratiam illius temporis ac doni Dei Apostolis quàm commendatissimam, & simul depingit quàm infelices sint, qui cum ob oculos haberent res tantas, illas tamen nec uidere, nec audire, nec intelligere uoluerint.

Ita solemus & nos hodie somnolentiam & ingratitudinem nostri temporis, & simul donorum Dei magnitudinem exprimere cũ dicimus: Solte der oder der diser zeit erlebt haben, uuie uuere ym als herrluch geuuesen, maximè cum de illis loquimur, qui rei cuispiam magno desiderio præditi fuere, quam scilicet futuram sperabant cum uiuerent: utpote si dicamus de illis, quibus summè doluit tyrannis & corruptio Romanæ sedis, qui sperarũt fore aliquãdo, ut doctrina Christi purior ecclesiæ dei restitueretur, quales sanè multi semper fuerunt.

Notandum itaq; hoc loco, quanta sit felicitas, & quàm magni æstimanda, si datur dona Dei & mysteria regni cœlorum cognoscere, & quæ diuinitus ad instaurationem regni Dei geruntur uidere, audire & corde percipere. Verè beatæ sunt aures audiendi, beati oculi uidendi, beata corda intelligendi. Rursus ter miseri & infelices sunt oculi, qui uidentes non uident, aures qnæ audientes non audiunt.

EXPOSITIO PARABOLAE.

Primo. Tenendum est quid per semen intelligendum sit. Id uidere est in Luca cap. 8. Semen, inquit, est uerbum Dei. Et ut intelligamus Christum loqui de Euangelij prædicatione, uocat hoc semen in isto loco mox initio expositionis suæ sermonem regni: nimirum quo traduntur mysteria regni cœlorum. Comparat ergo Christus hac parabola Euangeliũ semini, & illius prædicationẽ sationi: propterea quod idem illi accidat dum prædicatur, quod semini dum seritur. Nam quàmuis in se bonum sit semen, & ad bonam frugem aptum, multum tamen refert in quam tellurem iaciatur. Ad eum modum & uerbum Dei, licet bonum sit, & ad pietatem promouendam accommodum, plurimum tamen refert, quem auditorem sortiatur.

OBSERVAT.

Quum itaq; Christus hac parabola doceat idem ac- 1
cidere uerbo Dei prædicato, quod semini in terram

dicto, liquet quàm non iuxta sensum Domini loquantur, qui uerbum prædicatum humana uoce non audent uocare uerbum Dei & Euangelium regni, nisi quando opera spiritus sancti in corde auditoris perceptum fructificat. Atq; ideò distinctionem inuenerunt uerbi externi & interni. Internum uocantes, quod fructificat traditum per spiritum sanctum in cor auditoris: externum, quod per humanam uocem in aures externas corporis ingeritur. & hoc dicunt non esse uerbum dei, nisi quando per spiritum sanctum intus docetur in corde, & ad iustam frugem producitur.

Nos autem in hac præsenti parabola uidemus uerbum Dei esse etiam, quod in uiã. & quod supra petram, et quod in spinas cadit, ubi iusto fructu priuatur. Quemadmodum enim granum quod in uiam cadens, & supra petram, & in spinas infrugiferum redditur, non sua, sed subiecti culpa, nihilominus bonum est, quàm quod in terram bonam cadens fructum adfert: ita & uerbum Dei, quod prædicatur, & à malis et bonis uariè capitur, non minus est bonum, & uerbum, & Euangeliũ dei, quando à malis male capitur, quàm quando ab electis bene.

Hæc ideò dicimus, ut liquescat, quàm sine ratione sit argumentum illud Anabaptistarum, qui quum incautiores ad suam sectam trahere conantur, & per illos Satan à uerbo Dei auellere molitur: primo omnium nituntur persuadere, apud se esse uerbum Dei, apud alios uerò nequaquàm. Illud probaturi, asserunt aliorum prædicationes prorsus esse sine fructu: deinde subinferunt, ex eo colligi, eos non uerbum Dei, sed humana figmenta prædicare. Quare? Quia uerbum Dei inquiunt, non potest absq; fructu prædicari. Hinc abutuntur dicto Prophetæ Esaiæ 55. Verbum quod egreditur ex ore meo, non reuertetur ad me uacuum.

Primo. Audimus hic uerbo Dei accidere, quod bono semini, de quo suprà. Vnde clarum est, non stare ab auditoris malicia, quò minus uerbum Dei sit uerbum dei. Proinde etiam si planè nullus esset fructus ex Ecclesiasticis concionibus, tamen uerbum Dei prædicatur, nisi falsum sit, & nõ iuxta doctrinã sanam quod prædicatur.

Deinde quod attinet ad locum Esaiæ, expendendus est, quis sit eius loci genuinus sensus. Is autem certè sit oportet, qui alijs locis scripturæ non repugnet. Repugnat autem quem isti homines tradunt. Nam ipsorum sensu nec Prophetæ, nec Christus, nec Apostoli uerbum Dei prædicassent. Idem Esaias clamat Esaiæ 53. Domine quis credet auditui nostro? Non dicit: Domine quis loquetur uerbum tuum. Et Christus Ioh. 15. Si non uenissem & loquutus essem peccatum non haberent, &c. Et Paulus Ro. 10. Ergo fides inquit ex auditu, auditus per uerbum Christi. Sed dico. Numquid non audierunt?

Proinde locus iste Prophetæ ita est exponendus, ut non cogamur dicere, nec Prophetas, nec Christum, nec Apostolos uerbum Dei prædicasse, nisi ubi fructum fecerunt. Est igitur uerus Prophetæ sensus, si exponas de promissionibus Dei, uel si dicas non unum hoc tantum esse opus uerbi Dei, quod habet in bonis, sed & hoc quod habet in malis: nẽpe quod illis aufert omnẽ excusationem. Relinquitur igitur uerbum Dei non esse metiendum iuxta captum auditorum, sed iuxta ueritatem Dei, quod sensum Dei exprimit, siue hoc uel uoce uel manu ministri, uel angelica missione, uel per animalia bruta fiat. Non quod literas & sonitum uocemus uerbum Dei, sed quod illis ueluti signis sensus Dei in aures & oculos auditorum exprimitur. An quæso igniculus non est, qui ex lapide in aquam decussus extinguitur, & solus est qui in fomitem cadens incendiũ generat? Quis ita insanit? An mandatum Cæsaris non est, nisi quum à subditis ita excipitur, ut in effectum abeat?

Non minus errant & isti, qui nolunt concedere, prædicari Euangeliũ Christi, si doceatur expressis & conceptis uerbis, quod Christus & docuit, & Apostolos docere iussit, causantes non liquere sibi, quo spiritu ducantur qui prædicant, an Euangelium Christi in illorũ mentibus uiuat, aut secus. Quasi referat ad ueritatem Euangelij, quo corde sit concionator, cum Apostolus apertis uerbis testetur, Christum prædicari uarijs affectibus, etiam non bonis, Philip. 1.

OBSERVAT.

Est etiam hoc loco obseruandum, quid sint nostri conuentus & sermones in Ecclesia: nimirum id quod agricolæ est satio. An satis habet seminasse? Nequaquam certum habet finem quo respiciat: nempe, ut quod seminat, cum fœnore redeat. Hoc itaq; animo et nobis prædicandum, & auditoribus audiendum est. 1

Quod si per indignationem Dei tales etiam darentur concionatores, qui & ipsi nihil aliud prædicando spectarent, quàm ut opus ipsum utcunq; exequerentur, quo stipendio potirentur, similes profecto haberent labra lactucas, &c.

Secundo loco. Videndum est, quis sit seminator. Hoc habes infrà in parabola de zizanijs. Qui seminat, inquit, bonum semen, est filius hominis. Caput ponitur, sed ministri illius non excluduntur. Quisquis uerbum Dei prædicat, semen hoc seminat. Sic Paulus ministros uerbi uocat plantatores ac rigatores.

OBSERVAT.

Dignitas notanda est hic prædicationis Euangelicæ, in eo quod filius hominis Christus dominus omnium seminatorem agit uerbi Dei, cuius officij pudet Episcopos nostros, &c. 2

Deinde notandum est, nihil mirum esse, si Christi ministris hoc accidit, quod uerbum Dei apud paucos cum fructu collocatur, cum hoc uideamus accidisse Christo ipsi, unde colligimus fructificationem seminis huius, non esse in seminatoris, sed magis telluris, quæ semen excipit, bonitatem, sitam. Quanquàm non parum facit probitas ministri ad hoc, ut cum minore contemptu uerbum prædicetur. Vnde & Apostolus exigit, ut Episcopus sit irreprehensibilis. 3

Tertio loco, habet parabola quàm uaria sit sors prædicati uerbi. Eam possumus bipartiri. Vna est, quod sæpenumero prædicatur absq; fructu. Altera, quod aliquando in quibusdam frugẽ adfert. Quomodo absq; fructu prædicetur in illis qui reprobi sunt, & quibus id rationibus fiat, trimembri distinctione declaratur hac parabola, quam ex ordine uideamus.

Et

Primum membrum.

Et accidit inter seminandũ. Aliud quidem cecidit secus uiam, ueneruntq; uolucres cœli, & comederunt illud.

Interpretatio in Marco.

Isti uerò sunt qui iuxta uiam, quãdo seminatur sermo, & cum audierint, confestim uenit Satanas & aufert sermonẽ, qui seminatus est in cordibus eorũ. Matthæus ita. Cũ quiuis audit sermonem regni & non intelligit, uenit ille malus, & rapit id quod seminatum est in corde ipsius, hic est, qui iuxta uiam seminatus fuit. Luc. cap. 8. ita. Qui iuxta uiam, hi sunt, qui audiunt: deinde uenit diabolus, & tollit sermonem de corde eorum, ne credentes seruentur. Ergo uerbo Dei accidit aliquando, ut incidat in eos, qui quidem audiũt, uerum sine omni mente, atq; adeò & intellectu, & tandem sine fide quoq;, ut uidere est in Luca, quorum corda instar uiæ sunt obtritæ, in quibus nihil timoris Dei, nihil pietatis nihil studij cœlestis. Sedent in concionibus, audiunt quæ dicuntur, sed nullo affectu tanguntur eorũ quæ audiunt, ideoq; neque intellectu. Mox à concionibus in uias suas abeunt, quales uenerant, ita ut nihil eorũ quæ dicta sunt, uel in memoria illis adhæreat. Horum magnus numerus est hodie quoq;. Quemadmodũ semen in superficie uiæ nudum & cuiuis expositum, ita & uerbum Dei in auditu aurium, & ut plurimũ in superficie cordis istorum hominum iacet, qui illud nec ruminant nec recondunt.

QVID ISTIS ACCIDAT.

Luc. 8 *Istis duo accidunt. Aut enim conculcatur semen iactum à prætereuntibus, aut uoratur & aufertur à cœli uolucribus. Hoc est: Aut uulgaribus opinionibus & falsis dogmatis uelut iuxta carnem sapientiũ plantis proculcatur, quod illis plerunq; talis auditor ita corde est protritus & adsuetus, ut semitæ instar callum obduxerit, quò fit ut uerbum auditum nequeat corde percipere, ac in intima mentis pensitandum recondere. Hoc accidit illis, qui ad conciones adferunt corda humanis opinionibus ac superstitionibus occupata & obturata. Aut uanis cogitationibus instinctu Satanæ prorsus è memoria aufertur, quemadmodum semen in uia à uolucribus. Hinc adeò multi sunt hodie, qui post cõcionem prorsus nullam habent memoriã auditi uerbi. Rogentur à concione, id quod Chrysostomus se aliquando facturum in concionibus minatus est, & deprehendentur ita muti, & ignari eorum quæ dicta sunt, ut nihil differant ab eis qui concionibus non interfuerunt.*

1 OBSER.

Videmus itaq; hoc quoq; loco, quid requiratur ad
1 *hoc, ut fructus auditum uerbi sequatur. Primo requiritur, ut cor sit liberum humanis opinionibus ac superstitionibus. Alioqui nihil efficiet uerbi Dei prædicator etiam si sit Christus ipse.*

2 *Deinde requiritur, ut animus sit appositus ad ea quæ dicuntur, nec locus detur cogitationibus uanis, quæ à Satana immittuntur ad hoc, ut intellectum & fidem uerbi impediat.*

3 *Tertio requiritur, ut qui concionem uerbi Dei ingressurus est, ante omnia sciat sibi infensum fore diabolum, uelut furem ac latronem, qui si queat obtinere, ut ab auditu uerbi, & Ecclesiastico conuentu plane auocet & absentet, studiose hoc facit: sin minus, uel hoc saltem agit, ut ita sedeas in concione, ut non magis intelligas quæ dicuntur, quàm si ea prorsus non audias.*

QVID DAMNI SEQVAtur istos.

Lucas dicit: Ne credentes saluentur. Scit ergo Satan ex fide uerbi Dei esse salutem mortalium. Istam impedire cupiens, impedit fidem: fidem ut impediat, impedit intellectum. Atq; hac ratione curat hominem uel uanis superstitionibus uel cogitationibus auocare ab ijs quæ dicuntur intra sese recipiendis.

Alia uerò ceciderũt in loca saxosa, ubi non habebant multum terrę, & protinus exorta sunt, propterea quod nõ haberẽt profunditatẽ terræ: cum autem exortus esset sol, exusta sunt, & quia non habebant radicem exaruerunt. Secundum membrum.

INTERPRETATIO.

At qui in petricosa semen iactũ excœperat, hic est, qui uerbũ audit, ac protinus cum gaudio accipit illud, uerum non habet radicem in semetipso, sed temporarius est. Porrò cum inciderit adflictio aut persequutio propter sermonem continuo offenditur.

Secundo itaq; loco accidit & hoc uerbo Dei, ut incidat in genus quoddã hominum, qui ingenio ualent & ratione, atq; ideò mox quæ dicuntur, capiunt, intelligunt, & donec pax est feruenter de uerbo Dei disputãt: & male exhibent specimen futuræ segetis, ut seminatori magnã spem faciãt cum fœnore redituræ frugis: uerum mox atq; tentatio ingruit offenduntur & retrolabuntur.

Hos uocat Christus temporarios προσκαίρους, *ueteruuendisch, qui ad omnem uentum mouentur. In istis uerũ est prouerbium: Quod cito fit, cito perit. Horum magnus est in Ecclesia numerus, id quod aliquando solis æstus declarabit. Vt itaq; non est summopere gloriandum in illis qui mox Euangelij doctrinã amplectuntur, ita non est desperandum de tardantibus.*

OBSER.

2 *Deinde notandum est, prædicato uerbo accidere persequutionẽ, ut solis æstum sementi. Proinde quisquis non poterit quæq; aduersa propter Christi Euangelium subire, non erit accommodus ad Euangelicam frugem.*

Alia rursus ceciderunt in spinas, & insurrexerunt spinæ & suffocauerunt ea. Tertium membrum.

INTERPRETATIO.

At qui in spinas semen excœperat, hic est, qui uerbum audit, & cura seculi huius, deceptioq; diuitiarum suffocat sermonem, & infrugifer redditur.

Tertium genus auditorum est, qui fructum non adferunt, eorum qui quidem & ipsi audiunt, intelligunt, accipiuntq; uerbum, sed à fructu impediuntur huius seculi curis diuitiarũ deceptione, & ut in Luca est, uoluptatibus

tibus huius uitæ quibus uelut ſpinis quibuſdam Euãgelij ſemen ſuffocatur. Tales ſunt, qui dicebant: Quinq; iuga boum emi, uillam emi, uxorem duxi.

3 OBSER.

In eo quod diuitijs coniungit ſollicitudinem & curam: deinde & uoluptates ſeculi ac uitæ huius, uidemus quid exigãt diuitiæ, & qualem reddant hominis uitam. Curam & ſollicitudinem exigunt in acquirendo: deinde & in conſeruando, qua cor hominis ita occupatur ac diſtinetur, ut nihil minus ſit quàm ſui iuris: deinde abducunt animum ad uitæ iſtius uoluptates, ut genio indulgeat in omnibus, & carnis libidinem omnis generis uoluptatibus alat & augeat. De cura & anxietate eorum, qui diuitias quærunt, eſt locus Pauli 1 Timo. 6. & Matth. 6. De uoluptatibus diuitiarum, eſt Lucæ 6. Væ uobis diuitibus: deinde & in exemplo diuitis Lucæ 16. Sed has curas & uoluptates diuitiarum nihil opus fuerit ex ſcripturis cognoſcere, cum eas ob oculos hodie paſſim expoſitas habeamus.

2 OBSER.

Notandum eſt, quod non ſolum hoc tribuit diuitijs huius ſeculi, quod curas inferunt, & uoluptatibus fomenta præſtant, ſed & ſectatores ſuos decipiunt, dum neſcio quam ſecuritatem & abundantiam pollicentur. Tale eſt quod Apoſtolus eas, 1 Timo. 6. uocat incertas. Stultiſſimus ergo fuerit, qui ſe putet eſſe diuitem, & in diuitijs ac uoluptatibus ſuis ſecurum. Proinde monet Chriſtus ſuos, ut non in hoc ſeculo, ſed in futurum ſibi theſauros colligant.

3 Videmus ergo quomodo ab Euangelij auditore exigatur animus liber ab omnibus curis ac uoluptatibus huius uitæ, ſi fructum ſit laturus. Hic facit admonitio Chriſti Matth. 6. deinde & Pauli 1 Timo. 6. Habentes uictum & amictum, his contenti ſimus.

Quartum membrum.

Alia uerò cecidẽrũt in terram bonam, & dederunt fructum, aliud quidem centuplum, aliud autẽ ſexagecuplum, aliud uerò trigecuplum.

EXPOSITIO.

Cæterum qui in terram bonam excepit ſemen, hic eſt, qui ſermonem audit & intelligit, qui deniq; fructum quoq; reddit ac facit, alius quidem centuplũ, alius uerò
Mar. 4 ſexagecuplum, alius uerò trigecuplum: Marcus habet: Qui audiunt ſermonem & ſuſcipiunt, & fructum ferunt, alius trigecuplum, alius ſexagecuplum, alius cen-
Luc. 8 tuplum. Lucas: Qui in corde honeſto ac bono audientes ſermonẽ retinent, & fructum adferunt per patientiam. Quartum demum auditorum genus eſt, eorum qui fructum Euangelio dignum adferunt.

PRIMVM.

Ex eo, quod quartam ſeminis Euangelici portionem tandem dicit in terram bonam cadere, fructumq; facere. Docemur nihil eſſe aliud expectandum in Euangelij prædicatione, quàm quod ſemini accidit hac in re: nempe quod minima auditorũ portio, ſit doctrinã ueritatis cũ fructu amplexura, maior uerò ἄκαρπος manſura.

SECVNDVM.

Quales deſcribantur Euangelij auditores qui ſint fructum allaturi, quid eis tribuatur. Quòd ſi uerba trium Euangeliſtarum, Matthæi, Marci, Lucæ, expendantur, pulchrè uidemus ingenium eorũ ob oculos depictam. Quædam habent cum reliquis communia, quædam peculiaria ac propria. Quæ communia cum reliquis habent, ſunt: Primum uerbi Dei auditus. Qui 1
in terram bonã, inquit, excepit ſemen, hic eſt, qui ſermonem audit. Ergo habent hoc electi, quod ſermonem Dei audiunt. Habent autẽ illud & reliqui, ſiue qui in uiam, ſiue qui in petroſa, ſiue qui inter ſpinas ſeminãtur. Nam & illis hoc dat Chriſtus, quod uerbum Dei audiant.

Deinde, intelligunt quoq; uerbum. Hoc etiam com- 3
mune habent cum illis qui in petroſa & ſpinas ſeminantur. Nam & ipſi uerbum quod audiunt, intelligunt.

Tertio. Verbum auditum, intellectumq; ſuſcipiunt, hoc eſt, amplectuntur illud placet illis uerbi doctrina. Hoc faciũt & qui ſeminãtur in ſaxoſa & ſpinas. Etenim & ipſis datur hoc, quod uerbum cum gaudio ſuſcipiant. Hæc tria inquam electi, communia habent cum illis, qui uerbum Dei ſine fructu audiunt, quæ quidem licet τοῖς ἀκάρποις infrugifera ſint, iſtis tamen utiliſſima ſunt & talia, ſiue quibus iuxta communem ordinem Dei, nequeant bonos fructus adferre. Quemadmodum enim plantatio licet non cuiuis plantæ ad hoc ualet ut fructum adferat, ei tamen plurimum ualet quæ frugifera eſt, quæ ſi plantata non fuiſſet, fructum non attuliſſet: ita ſanè habent & hæc tria, auditus, intellectus, & ſuſceptio uerbi Dei. Paulus quidem dicit: Qui plantat nihil eſt, ſed qui incrementum dat Deus. Verum interea plantabat, & miniſtrum agebat agriculturæ Dei ſciens, etiam ſi ſine incremento Dei uanus ſit labor totius agriculturæ, ſine illo tamen non proferri fructum Euangelicum.

Sunt itaq; iſta tria ad generandos Euangelij fructus neceſſaria quidem, ſed non ſufficientia. Quod neceſſaria ſint, uidetur hoc loco in electis. Ad q; ideò data eſt & Euangelij prædicatio, & Apoſtolis in orbem terrarum inuulganda commiſſa. Quod uerò ſufficientia non ſint, apparet in illis qui ea habent ſine fructu: propterea quod illis cauſis carent, quæ adimplent horum inſufficientiã, quæ quia adſunt electis, faciunt ut illi uerbum Dei cum fructu audiãt, intelligãt & amplectãtur.

Quæ uerò peculiaria & propria habent electi in hoc negocio, ſunt primum quod uerbum Dei auditum, intellectum, ſuſceptumq;, in corde bono retinent. Nam ita habet Lucas. Qui in corde inquit honeſto ac bono ſermonem retinent. Eſt autem uerbum Dei in corde bono retinere, nihil aliud, quàm hoc quod auditum, intellectũ et ſuſceptũ eſt, id eſt, mentem ac ſenſum uerbi Dei, ita cordi infixum habere, ut mediante gratia Dei abeat quodammodo in ipſam naturam, fixis in corde uitalibus radicibus, ut nulla tentatione queat extirpari. In ſumma, iſta retẽtio uerbi Dei in corde bono, idem eſt quod retẽtio ſeminis in terra bona, qua ſemen cum tellure [illegible]natur, & ipſa uiuificatur & conglutinatur,

ut

ut reddatur ad fructificandum sine ullo impedimento dispositum. Quemadmodum & cibum dicimus in stomacho bono retineri, id est, ad cibandum corpus in stomacho concoqui & digeri.

Est autem ista retentio omnium operosissima, habens irremissas meditationes uerbi Dei, quibus animus credentis exercetur, & ut farina fermento quodam imbuitur, & in sui naturam rapitur, ut rectè dicas, esse mortificationem ueteris, & renouationem noui hominis. Renouationem inquam ad ingenium & naturam uerbi, quæ certè non uno momento temporis perficitur, sed cum initio sit inamœna, & insolens commixtio successu temporis, & operante sancti spiritus gratia tandem conciliatione facta conglutinantur uerbum & cor hominis, ut fiat quasi una massa, et una natura, licet non planè perfectè, donec in hoc seculo uixerimus. Tale quid uidetur esse ista uerbi Dei retentio. Non possum illam planè exprimere, sufficerit utcunq; deliniasse.

Alterum est, quod electi hac in re proprium habent, quod interea dum exercentur imbuunturq; animis per uerbum Dei, & uarijs tentationibus ad Euangelij frugem, quasi Solis ardore coquuntur, ut tandem iusta maturitate adepta fructum adferant, per patientiam constantes perseuerant, patientes omnium eorum quæ diuinitus immittuntur, ad hoc ut probati ac firmi reddantur. Hoc est quod Lucas dicit: Et fructũ adferunt in patientia. Rectè, nõ simpliciter dicit: Et fructũ adferũt, sed addit: in patiẽtia. Quemadmodũ enim fieri nequit, ut semen in agro fructum adferat, & maturitatem apprehendat, nisi constanti patientia & hyemis frigora, niues & imbres, atq; æstatis ardorem ferat & uincat: ita reuera nõ poterit auditor Euangelicus suscepto uerbo Dei fructum facere nisi patientia uincat omnes tentationes. Hinc est, quod Christus dicit: In patientia uestra possidebitis animas uestras. Et Apostolus Rom. 5. dicit probationẽ generari per patientiam: patientiam autem esse ex adflictione.

DE CORDE BONO.

Sed quæret quisquam, unde sit cor istud bonum, in quo semen uerbi Dei retineatur, & ad fructificandum uiuificetur & corroboretur?

RESPONSIO.

Deus est, qui operatur omnia in omnibus pro bona sua uoluntate. Ille aperit mentes Apostolorum, ut scripturas intelligant, & cor purpurissæ, ut attendat ad uerba Apostoli, operatur in suis & uelle & perficere. Est itaq; cor bonum, non hoc quod ex uiribus naturæ sit ad huiusmodi fructus ferendos aptum, sed quod benedictione cœlesti diuinitus per gratiam Dei sanctificatum fœcundatur, & à maledicto eximitur. Atq; huius gratia ante prædicationem Euangelij Ecclesia gratiam Dei supplex implorat, sciens omnia frustra fore, nisi adsit gratia spiritus sancti.

Licet itaq; pauci sint, qui corde bono uerbum Dei susçipientes fructum adferant, & maior pars frustra audiat omnia: prædicandũ tamen est uel propter istos paucos, & administrandum diligenter opus spiritus sancti, utut reliqui frustra audiant.

TERTIVM.

Non immerito quæritur, qui sint Euangelij fructus, de quibus hoc loco Christus loquitur. Est enim & istud operæprecium cognoscere cum propter simpliciores, tum propter aduersarios, qui nescio quas superstitiones loco pietatis adorant.

Quidam ex recentioribus intelligunt ipsos credentes, ex Euangelij prædicatione renatos esse istos uerbi Dei fructus, iuxta illud, Iaan. 15. ut eatis & fructum adferatis. Veteres, quod Christus hic dicit: aliud centuplum, aliud sexagecuplum, aliud trigecuplum, uarie exponunt, & misere torquent, dum conantur ostendere qui sint isti Euangelij fructus.

Quidam ex illis fructum centenum dederunt uirginitati, sexagenum uiduitati, trigenum casto matrimonio, ut Hieronymus. 1

Quidam martyrio 100. uirginibus 60. coniugatis 30. ut Aug. in quæstionibus Euangeliorum cap. 9. 2

Alij 100 marty. 60. uirg. 30. uiduis, cõiugatis nihil. 3

Theophylactus hos fructus adscribit 100 Anachoritis, 60 cœnobitis, 30 coniugatis.

Verum hoc non est Euangelij prædicati fructus assignare, sed status commendare mortalium quos quisq; admiratus est. Qui martyrium præposuerunt, ita illi centuplum adscripserunt: quasi hic agatur de præmijs quæ manent eos qui pietatem amplectuntur. Ita & illi qui uirginitati & uiduitati: deinde & casto matrimonio hos fructus deputarunt. Verum hic non agitur de præmijs accipiendis in futura uita, sed de fructibus in hac uita ex uerbo Dei reddendis. Neq; agitur hic quos fructus pietatis adferant uirgines, uiduæ, coniugati, uel monachi uel cœnobitæ, sed quam uariè fructificet uerbum Dei in credentibus. Potest fieri ut coniunx fideles referat 100, uirgo referat nullũ, qui in seculo uiuit, referat 100, Anachorita nullum.

Augustinus de ciuitate Dei lib. 21. cap. ultimo, refert quorundam adhuc stultiorẽ & magis impiam sententiam, qui hos fructus ita exposuerint, ut dixerint sanctos in futuro iudicio, quemq; pro suis meritis impetraturos ex malis damnandis, alium 100. alium 60. alium 30. quos Deus sit propter diuersa sanctorum suorum merita æterna uita donaturus. Atque hoc illi fecerunt, qui docuerunt neminem æternaliter damnandum esse: sanctos esse ita misericordes, ut non sint passuri tot animarum myriadum damnationem, atque ideò oraturos esse Deum pro perdendis, quibus ille non poterit denegare quod petent. Isti etiam tum sunt irrisi, uide locum ipsum. Quãto satius est esse ex eorum numero qui orent pro alijs, quàm uana hac spe lactari, cum sit timendum ne numerus sanctorũ nõ respondeat tam innumerabili damnandorũ multitudini, ut necesse sit adhuc superfuturos innumerabiles, qui ista uia nõ sint saluãdi, etiã si isti sanctorũ 100. huic 60. illi 30 dentur. Sed relictis istis opinionibus nõ solũ ueri, inanibus sed & inter se diuersis, intelligamus uerbi Dei fructus esse ea quæ ex ipso nascũtur. Ipsa similitudo hoc satis declarat. Qua ratione seminatur in agro semen? ut pro sua natura fructũ adferat. Semen enim tritici quid aliud ferret q̃ grana Augustin

sua

ſuæ naturæ & ſpeciei? Ita prædicatum Euangeliũ quid aliud ex corde bono proferret, quàm quod in ſe habet, quod docet quod tradit? Prædicatur aũt & ſeminatur fides in Chriſtum, reſipiſcentiæ uitæ prioris, cognitio Dei, charitas erga Deum & proximũ, & id genus alia. Quid aliud iſta uerbi Dei prædicatio ferret?

Quemadmodũ & in ipſa ſimilitudine non ſunt iſta ita intelligenda, quod præciſe ad iſtum numerum habeat fructificatio ſeminis, cum abſq; dubio quædam grana minus etiã adferant.

Quod autem Chriſtus de centuplo, ſexagecuplo ac trigecuplo dicit, ſimpliciter capiendum eſt, de eo quod in alio credente Euangelium plus in alio minus adfert fructuum, iuxta menſuram donationis diuinæ. Vbi admonemur non eandem fidei, dilectionis ac pietatis menſuram à quibuſuis credentibus expectandã eſſe, ſed differentem, quæ tamen differentia & inæqualitas credentes Deo non reddit inuiſos. Non minus charus eſt, qui trigecuplũ, eo qui centuplũ habet. Qui duo talenta lucratus erat, audiebat et ipſe illud: Euge ſerue bone, etc. Qui ergo perfecti fructum adferunt centuplum non contemnant infirmiores, qui infirmiores 30. tantum habent, non inuideant perfectioribus.

Aliam parabolam propoſuit eis, dicens: Aſſimilatum eſt regnum cœlorum homini ſeminanti bonum ſemen in agro ſuo, ſed dormientibus hominibus uenit inimicus illius, & ſeminauit zizania inter triticum, abiitq;. Cum autem germinaſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerũt & zizania. Accedentes aũt ſerui patrisfamiliâs, dixerunt illi: Domine, nónne bonum ſemen ſeminâras in agro tuo? Vnde igitur habet zizania? Ille uerò dixit illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autẽ dixerunt illi: Vis igitur abeamus & colligamus ea. At ille dixit: Non. Ne dum colligitis zizania eradicetis ſimul cum illis & triticum. Sinite pariter creſcere utraq; uſq; ad meſſem, & in tempore meſſis dicam meſſoribus. Colligite primum zizania, & colligate ea in faſciculos ad comburendũ ea, triticum uerò congregate in horreum meum.

Ex ſuperioribus ſatis puto liquet Dominum iſtis parabolis præmonere uoluiſſe, ne offenderentur per ea quæ futura erant in regno cœlorum & Euangelij prædicatione, talia, ut facile fuerint & ſint etiamnum hodie offendiculũ datura imperitis, & anſam calumniandi maleuolis. Quemadmodum itaq; ſuperiore parabola præmonuit, non eſſe expectandum, ut omnes Euangelij auditores ſint fructum allaturi, cum maior pars ſit illud fruſtra auditura, & illi etiam qui fructum daturi ſint inæqualem. Ita hac parabola admonet, ne offendamur ſi quãdo etiam in medio eorum qui frugiferi ſunt, in agro regni cœlorum, uiderimus immixtos reprobos, & multa offendicula cum tamen bonum ſemen ſit per Euangelij doctrinam ſeminatum. Iſta admonitio etiam noſtris temporibus probè eſt obſeruanda & expectanda, potiſſimũ quod malorum in Eccleſia mirum in modum auctus ſit numerus, & iam propediem inſtet tempus meſſis, de quo præmoniti ſumus à Domino.

Bipartiemur autem parabolæ huius tractationem. Primum uidemus ea quæ Chriſtus exponit ipſe. Deinde ſecundo loco ea quæ Chriſtus quidem non exponit, talia tamen ſunt, quæ nonnihil ad hanc materiam conducere uideantur, unde & patres multi in illorum tractatione fuerunt.

EXPOSITIO PARABOLAE.

Parabolam iſtam Chriſtus rogatus diſcipulis declarauit, quam declarationem Euangeliſta poſt proximas ſubſequentes duas parabolas demũ ponit ad hũc modũ. Primus.

Tunc dimiſſis turbis uenit in domũ Ieſus. Et acceſſerunt ad illũ diſcipuli eius dicentes: Explica nobis parabolam zizaniorum agri. At ille reſpondẽs dixit illis:

Qui ſeminauit bonum ſemen, eſt filius hominis. 1

Ager autem eſt mundus. 2

Porrò bonum ſemen, ii ſunt filij regni. 3

Zizania uerò ſunt, filij illius mali. 4

Inimicus aũt qui ſeminat ea, eſt diabolus. 5

Meſſis uerò conſummatio ſeculi eſt. 6

Meſſores autem ſunt angeli. 7

Sicut igitur colliguntur zizania, & igni comburuntur, ſic erit in conſummatione ſeculi huius. Mittet filius hominis angelos ſuos, & colligent è regno illius omnia offendicula, & eos qui patrãt iniquitatem, ac mittent illos in caminum ignis, ibi erit ploratus ac ſtridor dentium. Tunc iuſti fulgebunt, ut ſol in regno patris ſui. Qui habet aures ad audiendum audiat.

Qui ſeminat, inquit, bonum ſemen eſt filius hominis. 1 *De hac portiuncula uide quæ in priore parabola notata ſint. Nam in illius tractatione eam uſurpaui.*

Ager autem eſt mundus. 2 *Intelligenda eſt iſta expoſitio, non de totius mundi gentibus & Iudæis Chriſto aperte aduerſantibus, ſed de Eccleſia Chriſti, quatenus diffuſa eſt per mundum hunc præſentem, propterea quod Euangelij prædicatio ſeminata eſt per uniuerſum orbem. Eſt itaq; iſta expoſitio quaſi prophetia prædicandi per uniuerſum mundum Euangelij.*

OBSER.

Hac particula utitur Auguſtinus Epiſtola 171. contra Donatiſtas, qui Eccleſiã Chriſti in anguſtiã Aphricæ quatenus illic eorum ſecta uigebat, coartabant. Et certè omnium potentiſſimè. Si enim ager iſte regni cœlorum eſt mundus, immerito terminantur pomeria regni Chriſti in ſola Aphrica.

Reſpondeant hic Pontificij, quomodo Eccleſia uniuerſalis comprehendatur in illis Eccleſijs tantum, qui Romanæ ſedis tyrannidem agnoſcunt, cum tot ſint Chriſti fideles in mundo qui de illa nihil audierunt unquàm?

Deinde

Deinde, si Ecclesia Christi dispersa est per uniuersum orbẽ, quomodo poterit unus homo esse uniuersalis Episcopus, & Christi uicarius in terris, cum illud nec Apostolorum cuiquàm possibile fuerit? Petro circumcisio, Paulo gentes ut Apostolis concesserunt, non ut Episcopis, neutri tamen tota Ecclesia Christi.

Respondeãt ad hæc & Anabaptistæ, qui simili morbo cum Donatistis laborant. Vide suprà cap. 8. ibi. Venient ab oriente, & ab occidente.

3 Porrò bonum semen, ij sunt filij regni.] Filij regni, sunt electi, in Christum credentes, ad regnum cœlorum pertinentes, qui etiam uocantur filij Dei, ciues sanctorum ac domestici Dei, synceri uidelicet Christiani, & genuinè pij.

Regni simpliciter dicit: Non solum regnum cœlorum uere regnum est, reliqua sunt magis inanes species.

Expendenda est ista dignitas Christianorum, sed ita. Primo, ut omnis gloria detur Christo, qui sator est filiorum regni. Deinde ut in timore Domini, & uera pietate perduremus, ne ad exemplum Iudæorum, qui & ipsi regni dicti sunt filij, Matth. 8. foras in tenebras exteriores eijciamur. Vide Rom. 11.

4 Zizania uerò sunt filij illius mali. Inimicus autem qui seminat ea, est Diabolus.

1 Videmus hic cui adscribantur mali in Ecclesia. Non est autem putandum quod tantum de prædonibus, furibus, latronibus, usurarijs et id genus flagitiosis loquatur. Sed de illis quoq; qui ut nõ sunt syncera in Christum fide, ita in Ecclesia quoq; longè alium spiritũ à pijs ostendunt, utpote, quotquot seipsos quærunt, & regno Dei scandalum generant, siue sint Episcopi, siue Clerici, siue Monachi, quotquot sectarij sunt et hæretici, quemadmodum & patres hunc locum de hæreticis exponunt.

Faciant ista ad hoc, ut pij, quibus in tanta filiorum diaboli multitudine uiuendum est, eo uiuãt maiore pietatis studio, & timore Dei, caueantq; ne fallantur multitudinis argumento, aut hypocritarum ouilla specie, titulis, & inani splendore. Oportet esse intelligentes, ut cautè discernantur à tritico zizania. In agro quidẽ terreno, non est periculum, ne quem fallant zizania. Nam hic facile noscuntur. Illic uerò non ita. Deinde non est metuendum ne ex tritico fiant zizania. Illic uerò timendum est. Proinde quod alibi Christus admonet: nempe suprà cap. 7. dicens: Ex fructibus eorũ cognoscetis eos, hic quoq; usurpandum est.

2 Notandum est, quod diabolum uocat malum. Malus est non natura, sed ex ea quæ accessit ingenij malitia. Gaudet malis, studet malis, in malis uiuit. Ita dicuntur & homines mali. Quisquis ergo malus est, agnoscat autorem suum, & resipiscat.

3 Est & hoc obseruandum, quod diabolum uocat inimicum eius, qui seminat bonum semen, qui est Christus filius Dei. Habemus ergo diabolũ pro inimico, quicunq; sumus filij regni, à Christo seminati, & Christo adhærentes. Quid igitur aliud expectandũ ab eo, quàm quæ sunt inimici? Quid nobis faciendum aliud, quàm quod solent qui probè norunt se habere inimicum infensissimum aliquem: Moueat hoc nos ad maiorẽ cautionem, & adhæsionem ducis nostri Christi.

Est etiam istud à Chrysostomo notatum, quod ex istis diaboli inimicitijs emicat nobis ingens Dei dilectio. Nisi enim Deo grati essemus, certè Satan illius nomine nobis non esset adeò infensus, postquàm illius est inimicus. Hostes solent eos potissimum uexare, quos sciunt charos esse principi, cui peculiariter aduersantur. Gaudent enim in subditis lædere principem. Ita habet et ista aduersum nos Satanæ inimicitia.

Messis consummatio seculi est, & quæ sequuntur.

OBSER.

1 Videmus hic, malos in Ecclesia duraturos esse, usq; ad consummationem seculi. Inanis est itaque cogitatio quorundam, qui nescio quam puritatẽ Ecclesiæ in hac uita sibi pollicentur.

1 Item contra Anabaptistas qui non agnoscunt Ecclesiam Christi, in qua mali sunt.

In consummatione seculi fore iudicium, discretionem, separationem, ac pœnam malorum & recreationem bonorum. Habet itaq; hic locus cõsolationem piorum, qui per offendicula impiorum in Ecclesia præmuntur. Erit enim tempus, quo de regno Dei tollentur omnia quæ offendunt, & quotquot iniquitatem patrant.

2 Deinde habet & admonitionem: nempe ut boni esse perseueremus in agro Domini, scientes nos properare ad messem, talesq; iudicandos quales inueniemur in messe. Non enim frustra bonus inuenietur, qui in messe bonus inuenietur: nec impune malus erit, quisquis ibi malus deprehendetur. Itaq; perpetuo cogitandum est, nos esse in agro Domini, propediem demetendo. Nec præsumendum de prolixitate & diuturnitate huius seculi. Dormientibus & delitiantibus nobis appropiat ipsa messis & consummatio.

AD CONSOLATIONEM.

Facit & hoc plurimum ad consolationem piorum, qui in hoc seculo grauantur, contemnuntur, probris afficiuntur, obscuri sunt regnantibus, & splendentibus etiam in Ecclesia improbis, quod dicit: Tunc iusti fulgebunt, sicut Sol in regno patris sui. De hac filiorũ Dei gloria multa sunt in scripturis. Rom. 8. 1 Corinth. 15. Colos. 3. 1 Ioan. 3. Tunc inquit: Quando? Quando mali conijciuntur in caminum ignis, ubi est ploratus & stridor dentium. Quando improbi qui nunc in splendore sunt in delitijs & potentia æternis pœnis & cruciatibus cum summa ignominia, & mentis angustia tradentur: tunc uidelicet uersa uice, qui nunc lugent, ac miseri sunt & nullius æstimantur, erunt in summa gloria. Qua? Filiorum scilicet Dei, gloria regni Dei. Nam hoc temporis constituit pater cœlestis glorificare filios suos gloria & decore regni. Videmus in hoc seculo, quàm conspicui sint liberi regum ac principum, si quãdo decretum est opes regias ostentare, uel de hostibus triumphum agere. Quid putamus futurum isto tempore reuelandorum filiorum Dei, ubi pœna sumetur de hostibus Dei? Solis splendor ob oculos ponitur: propterea quod maior in hoc seculo non habetur, qua re Christus ostendit gloriam filiorũ Dei in regno patris eorum fore omnium maximam & illustrissimam.

Ponat nunc sibi quisq; ob oculos imaginẽ istam, tam magnæ mutationis futuræ, qua miserrimi erũt, qui nunc habentur felicissimi. Rursus felicissimi qui nũc habentur

miserrimi

miserrimi. Cogitemus de ista gloria filiorum Dei, aspiciamus splendorem Solis exemplar illius, & desinemus admirari gloriam filiorum huius seculi, nauseabimus ad omnia quæ mundus hic miratur. Ad istam gloriam nos præparant passiones, morbi, labores huius uitæ, mors ipsa plurimum uide 2 Corinth. 4. 5.

Item egregium locum in quo quasi depingitur ista mutatio in fine futura, uide Sapien. 5.

3 Videmus etiam hoc loco, quod futurum sit angelorum ministerium in consummatione seculi. Hic datur illis id officij, quod sint futuri messores agri Dominici, & collecturi improbos ac ligatos missuri in caminum ignis. Matth. 24. datur illis etiam hoc, quod sint collecturi electos per uniuersum orbem ad Christum.

Illi qui extremi iudicij imagines in Ecclesijs pinxerunt. Vnam tantum partem angelis dederunt: nempe electos adducendi in regnum cœlorum: alteram dederunt malis spiritibus, quasi indecorum futurũ sit angelis hoc dare quod illis hic adscribit ipse Dominus angelorum. Putarunt nõ conuenire, ut tantæ crudelitatis sint ministri angeli, sed hoc muneris pertinere ad malos spiritus. Verũ quis ipsos dæmones dabit in istum ignis caminum? Non est enim putandum, quod ultro sint in illum ituri, quasi nihil sint in eo pœnarum laturi. Habebunt & ipsi suas pœnas tam abest, ut sint discursuri, & illusuri miseris mortalium animabus. Itaq; dabitur hoc muneris angelis bonis, qui iustitiam Dei exequantur, & fasciculos istos zizaniorũ igni comburendos tradant. Non est igitur indecorum etiam bono uiro in hac quoq; uita ministrũ esse iustitiæ, in puniendis reprobis, id quod plerique non agnoscunt. Si non est præter decorum angelicæ dignitatis reprobos mittere in caminum ignis ad sententiam iudicis Christi, quomodo est præter decorum boni uiri, reos punire ad sententiam eorum qui iudicandi potestatem à Domino acceperunt? Quemadmodum itaq; sententia Christi iustificat hac in re angelos, ita lictorem sententia iudicis.

EPILOGVS HVIVS PRIMÆ partis.

Docet itaq; nos ista Christi expositio quid sentiendum in Ecclesia de bonis & malis: nempe bonos esse seminatos à Christo, esse filios regni, colligendos in fine mundi in regnum cœlorum cum summa gloria. Malos in Ecclesia esse seminatos à diabolo, esse filios diaboli, futuros in Ecclesia usq; ad finem mundi, qui offendant & iniquitatem patrent, in fine mundi fore separationẽ zizaniorum à tritico, pœnam malorum, & recreationem bonorum cum incredibili gloria & splendore. Hæc sunt diligenter obseruanda ad quod nos admonet Christus cum in conclusione dicit: Qui habet aures ad audiendum audiat, quæ uerba excitationem habẽt animorum, & admonitionem diligentem fore aliquando, ut ista notasse profuturum sit.

SECVNDA PARS HVIVS PARAbolæ de zizanijs.

Videamus iam ea, quæ Christus in hac parabola recensuit quidem uerum in expositione non reddidit. Non quod anxie sint persequendæ omnes parabolarum particulæ quemadmodum quidam solent. Nouimus ita parabolas esse tractãdas, ut id tantũ capiatur cuius gratia inductæ sunt, id quod & Chrysostomus intellexit magis quàm præstitit. Nam is hac de re in epistolam ad Rom. Hom. 16. ita scripsit: καὶ ἐνταῦθα πάντα χρὴ παρατηρεῖν, ὅτι τὰ ὑποδείγματα οὐ πάντα καθόλου δεῖ λαμβάνειν, ἀλλὰ τὸ χρήσιμον αὐτῶν ἐκλεξαμένους καὶ εἰς ὅπερ παρείληπται, τὸ λοιπὸν ἐᾶν. Verum quoniam hæc parabola quædam præter expositionem Christi habet, quæ & ipsa nonnihil ad institutum facere uidentur, & ueteres illa plurimum uersarunt: deinde & aduersarij ueritatis ea pro tuendis erroribus suis, tanq; Christi sententias exprimentia usurparunt, & hodie quoq; usurpant, non abs re fore puto, si & de ipsis dixero, quæ negocio ueritatis profuerint. Sunt autem ista.

Símile est regnum cœlorum, &c. 1

Dormiéntibus homínibus uenit íllius 2
ínimícus, & semínauit, & c. & abíit.

Cum autem germinásset herba, & fru 3
ctum fecísset, tũc apparuerũt & zízania.

Accedentes serui díxerunt illí: Domi- 4
ne, nónne bonum semen seminâras in agro tuo, unde ígitur habet zízania. Serui autem díxerũt illí: uis ígitur abeamus & colligamus ea? Non, sed sínite utraq; crescere. Ne dum colligentes zízania eradícetis simul & tríticum.

DE PRIMO.

Simile est regnum cœlorum, &c.] Ex hoc loco, quo ager Dominicus, id est, Ecclesia Christi regnum cœlorum dicitur, inferũt quidã doctrinæ ueritatis malè propitij, Ecclesiam errare nõ posse, multo minus tot annos posse errores in Ecclesia regnare. Iam quæ nunc impugnantur, ab Ecclesia Christi tot annos seruata esse. Relinqui igitur Ecclesiã falsò diffamari, tanquàm quæ tot in rebus tam diu errauerit. Errare autem non posse Ecclesiam, quod illa sit regnum cœlorum, quod non erroris, sed ueritatis regnum est.

Respondeo. In Ecclesia Christi, quatenus illa nititur uerbo Dei in electis hactenus non potest regnare error, quatenus fundamentũ illius est ueritas Christi. Quemadmodum neq; peccatum potest in illa regnare, quæ spiritu Christi iustitiæ consecrata est. Quatenus uerò & zizania habet, & uel in malis, uel per infirmitatem adhuc imperfecta est, hactenus potest esse utriq; & errori & peccato obnoxia. De peccatis non est controuersia. De erroribus esto iudicium apud uerbum Dei. Verum hac in causa sit breuissima omniũ decisio: nempe, ostendant illi, ea quæ impugnantur esse ex uerbo Dei, & consona ueritati & uicerint. Neq; enim obscurum est ab initio mundi usq; ad præsentẽ ætatem semper obtinuisse errores in populo Dei. Vel si lubet detur optio utrũ uelint agnoscere in Ecclesia posse obtinere errores: aut si hoc nolint an concessuri sint Ecclesiam Christi non esse quæ erroribus sit obnoxia (quod ipsi dicunt) ut si conuicti

uicti fuerint de erroribus multis & magnis, concedant Ecclesiã suã non esse Ecclesiã Christi, utrũ uolent facĩat.

DE SECVNDO.

Dormientibus hominibus uenit illius inimicus, & seminauit zizania inter triticum.] Ex hoc loco patres duo annotauerunt. Primum, ingeniũ Satanæ hoc esse, ut zizania sua seminet tum potißimum, quando bono semine seminatum reperit agrum. Sic tempore prophetarum potißimum seminauit pseudoprophetas. Post aduentum Christi, antichristi regnum, post Apostolos, pseudoapostolos, de quibus Apostolus multis in locis plurimum quæritur. Atq; hoc fecit per subintroeũntes fratres. Hoc sanè uerum esse, etiam hoc tempore experti sumus. Vnde responsum uolumus illis, qui calumniam Euangelij doctrinæ ex multitudine zizaniorum struũt, quasi illius culpa tot malorũ offendicula habeat Ecclesia, ut satius putant illam nunquàm introductam esse.

Alterũ quod ex isto loco colligunt ueteres, est quod Satanam sua zizania seminare dormientibus Episcopis Ecclesiæ dicunt. Quanquàm pro parte uerum esse fateor, ex Episcoporum negligentia multa mala & scandala oriri in Ecclesia: non tamen est poßibile, ut per uigilantiam Episcoporum ista zizaniorum satio omnino prohiberi queat. Excusari tamen nequeunt Episcopi, si ad insidias Satanæ dormierint.

Præter hæc duo, mihi occurrit hoc loco ingenium Satanæ, & in eo expendendum, quod zizania sua ita in agrum Domini seminat, ut ignoretur opus illius, & plane occultũ maneat. Per hoc enim quod illud fecit noctu dormientibus hominibus & abire dicitur, ne uidelicet deprehendatur. Significari uidetur æstus ille Satanæ, quo sationem zizaniorum suorum specie hypocrisis ita obnubilat, ut nihil minus appareat, quàm aliquod uestigium Satanæ. Talia sunt, quæ in Ecclesia nascuntur specie sanctimoniæ, & ex bona intentione. Quis illa simplicium dicet esse ex Satana? Et tamen ipsißimam habent Satanæ sationem. Vide 1 Timo. 4.

DE TERTIO.

Cum autem germinasset herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania.] Admonemur hic initio sationis Euangelicæ: deinde & zizaniorum, non statim agnosci impuritatem agri, propterea quod electorum & peruersorũ differentia adhuc in suum usq; tempus donec aliquousq; utriq; succreuerint, inobseruabilis est. Solent enim reprobi initio ad morẽ zizaniorum non parum conformes esse facietenus electis. Paulatim uerò tandem prodũtur cum cœperint exurgere in altũ, & ad suam maturitatẽ inclinare utriq; pij ad pietatem ueram, isti ad errores & malitiam cognatam. Atq; hoc est quod etiam nostro tempore in Ecclesijs Christi usuuenire uidemus, in quibus ager Domini iam diuersißimis coloribus insperſus appareat, ita obtinentibus ubiq; zizanijs ut ægre liceat deprehendere triticũ, id quod aliquando non ita uidebatur, dum paßim Euangelio applaudebatur, maximè cum prædicabatur contra quæstum & impietatem Ecclesiasticorum. Qui ista nõ perpendunt, permouẽtur zizaniorũ aspectu ad calumniandum Euangelij doctrinam præter meritum.

DE QVARTO.

Accedentes serui dixerunt illi: Domine nónne bonum semen seminâras in agro tuo? Vnde igitur habeat zizania? Vis igitur abeamus & colligamus ea? Respondit paterfamilias: Non. Sed sinite utraq; crescere. Nedum colligẽtes zizania, eradicetis simul & triticum.]

Per istos seruos quidam ex ueteribus, ut Augustinus, intellexerunt eos Christianos, qui feruentiore zelo ad purgandam Ecclesiam rapiuntur, putantes zizania in agro Domini non esse toleranda, sed extirpanda, atque ideò feruore quodam tenentur ad occidendum in Ecclesia filios Satanæ. Qualis feruor ac zelus, & hodie reperitur in multis. Quorum quidam eò tandem prolabuntur, ut Ecclesiam propter zizania derelinquant. Lib. quæst. ex Matth.

Augustinus abusum huius loci in libro de fide & operibus cap. 4. ostẽdit, ubi docet illum bifariam in abusum rapi. Quosdam dicit hic peccare, qui propter zizania in Ecclesia manere nolunt, quasi nequeãt esse triticum in agro in quo sunt zizania. Cõtra hoc hominum genus ueteres acriter pugnarunt, qui discessionẽ ab Ecclesia propter malos faciebant, ut erant tempore Augustini Donatistæ, & nostra tempestate Anabaptistæ. Contra hunc morbum hac sanè parabola notandum est, Ecclesiæ sortem in hac uita non esse aliam, quàm ut iuxta triticum in agro Dominico sint zizania, idq; usq; ad messem, id est, consummationem seculi. Et tamen hunc agrum, tot zizanijs refertum, esse agrum Domini, esse Ecclesiam Christi, esse regnum cœlorum, separationem malorum reseruatam esse, usq; ad finem mundi. Triticum in hoc agro non impediri per zizania ne sit triticum, & in messe, ut triticum colligatur in horreum Domini, dum zizania ad comburendum colligentur. Quia uerò impium uidetur recedere ab Ecclesia Christi, fit ut hoc hominũ genus cõtendat non esse Ecclesiã Christi, in qua tot sint offendicula, tot zizania, qua in re dupliciter peccãt. Primũ quod immerito ab Ecclesia Christi decedunt, propter malos bonis inmixtos: deinde quod insuper Ecclesiam Christi negant esse, in qua tot sunt membra Christi, licet plura adsint zizania, contra aperta Christi uerba, nõ solum in Ecclesiam, sed & in Christum ipsum contumelioſi. Legatur Epistola Pauli 1 Corinth. quos errores quæ peccata illi Ecclesiæ obiiciat, quã tamen agnoscit esse Christi Ecclesiã.

Quid istis usuuenit? Hoc scilicet ut in suo nouali, in quod discessionem fecerunt, foueant homines hypocritas, superbos, reprobi iudicij, temerarios, immorigeros, præfractos obstinatos, cõtemptores magistratuum, amarulentos, seditioſos, &c. Incidunt in scyllam uolentes uitare charybdim. Quid autẽ de illis dicendum, qui cum Romana Ecclesia non communicant?

Respondeo. A Romana Ecclesia utiq; discessisse, & quotquot in tot erroribus illi communicant, non est statim Christi Ecclesiam ueram & catholicam deseruisse, si cum omnibus illius membris per uniuersum orbem dispersis in fide, spe, charitate, & ueritate Christi cõmunicemus, unitatem fidei & spiritus cum illis colentes. Amplectimur uniuersam prophetarũ & Apostolorum doctrinam, non aliud credentes, sperantes, docentes, uiuere cupientes, quàm quod à Christo acceptum Apostoli per orbem uniuersum prædicarunt, & credentibus

tradiderunt. Et cum apostolo Paulo anathema dicimus omnem doctrinã quæ nõ eadem est, cum ea quam Christus tradidit orbi inuulgandam. Cum ergo qui ita credunt, sentiunt ac uiuere cupiunt, ut credidit, sensit ac uixit Ecclesia Christi in membris suis ueris, & optimis, cum esset purissima, quomodo quæso ab Ecclesia Christi discessisse dici poterunt?

Discessus ab Ecclesia nõ est simpliciter considerandus, sed uidendum quibus de causis quis Ecclesiã et quatenus relinquat. Relinquitur enim uarijs de causis.

1 Primum, sunt qui ab Ecclesia ideò discedant, uel aliquando discesserint, quod displicuerit fides, & religio Christi, utpote ij, qui uel ad Iudæos uel ad Turcas secedunt. Tales erant olim Iulianus, Porphyrius, &c. quos Ecclesia uocat Apostatas.

2 Deinde sunt qui Ecclesiam relinquant, & olim reliquerint, propter articulos aliquos fidei catholicæ, ut erãt hæretici apud ueteres, Arriani, Macedoniani, Manichæi, Valentiniani, &c. Hoc pacto ab Ecclesia non discedit, quisquis symbolum Apostolorum ex animo, & pura fide cum omni Euangelica & Apostolica doctrina complectitur.

3 Tertio sunt qui per contemptum omnis cuiuscunq; religionis relinquant Ecclesiæ communionem, qui dici possunt athæi, ridentes omnem religionẽ, cum nulla prorsus cõmunicantes nisi forsan cum ea quæ uel uentris uel ueneris, uel mammonæ, uel simul omnium istorum est. Horum magnus semper fuit, & hodie etiam est numerus. Tales non sunt quorum conatus in eo est, ut non solum seruetur, sed purgetur etiã & ad ueteris Ecclesiæ puritatẽ restituatur Christianorũ religio.

4 Quarto. Sunt qui deserant Ecclesiæ communionem propter articulos quosdam & priuatas opiniones, & sententias malè intellectas, in quibus non est sita Ecclesiastica fides religio & unitas. Tales erant olim Romani, qui excommunicabant Ecclesias Græciæ propter tempus celebrãdi Paschatis, quos arguit Irenæus. Tales sunt etiam hodie Anabaptistæ quidam, qui propter suas opiniones de iuramento, de pædobaptismate, de magistratu, de excommunicatione, discessum faciunt.

5 Quinto. Sunt etiam qui propter improbam quorundam uitam, eorum qui in Ecclesia zizania sunt, siue in ministris, siue in populo, agrum Dominicum deserunt, seorsum constituentes Ecclesiam, quæ sit pura à zizanijs. Hoc fecerunt Donatistæ, & hodie faciunt quidã ex Anabaptistis. Contra istos non immerito disputant ex hac parabola patres. Nam etiam hac ratione ab Ecclesia diuertere seditiosum est. Quanquàm si Cypriano credendũ sit Ecclesiæ præpositus malus deseri cum sua cõmunione potest, imò debet, si illi inquam credendum sit. Vide quid scribat lib. 1. Epist. 4. Itẽ uide quid præcipiatur, Dist. 81. cap. Si qui sunt præsbyteri.

6 Sexto. Relinquitur aliquando Ecclesia & populus Dei propter deprauatum ipsum Dei cultum, talem scilicet, in quo nemo pius particeps esse queat. Atq; hæc est causa cur hodie deseratur Romana Ecclesia, quæ non solum plena est zizanijs, sed pessima idololatria, & superstitionibus impijs contra uerbum Dei pugnantibus, & insuper potentissima & crudelissima tyrannide sanguinem Christianorũ iam tot annos fudit, & etiamnum fundit ac sitit, cogens ad suam idololatriam quosuis. Cum itaq; illa non ideò relinquatur, quod fidẽ Christi profitetur, aut propter articulos aliquot necessarios fidei, aut propter non necessarias aliquas ad salutẽ opiniones, nec propter impium religionis cuiusuis cõtemptum, nec propter immixta & tolerabilia zizania malorum, sed propter impiam idololatriã qua est infecta, & propter sanctorum Dei mactationem, & crudelem & sanguinariam tyrannidem. Reliquum est, ut doceatur, an iste discessus sit licitus nec ne. Nos autem possumus docere non solum licitum esse, sed & necessarium hactenus à tali Ecclesia secedere.

Habet enim unitas & communio Ecclesiastica duplicem considerationem. Prima est, Quatenus mixta est bonis ac malis in hoc seculo, & erroribus & impietati obnoxia, siue hoc sit in paucis Ecclesijs, siue in multis. Altera est, quatenus in electis est pura, & integra supra Christum fundata. Quòd si contigerit talis unitas in Ecclesia hac militante, quæ non impediat eam quæ est cum electis prophetis, Apostolis, martyribus, & maximè cũ ipso capite, & sponso Christo, certè tenenda est. Si uerò talis, quam si teneas nequeas esse unitus electis Christi membris, quis non uidet satius esse relicta communione reproba & Ecclesia malignantiũ, unanimem esse cum Ecclesia primitiuorũ quæ uerè est catholica, & Christi sponsa? Quæso, quid cõiunctius & unitius est uxore & uiro? An non illi cum duo sint, in unam carnem uirtute matrimonij iunguntur, idq; à Deo, & ita arcte, ut qui discesserit uiolatæ copulæ reus sit coram Deo? Et tamen non potest negari uxorem aliquando certis de causis à uiro discedere posse sine crimine: utpote si uir sit adulter, si insidietur uitæ ipsius, si ad impia cogat. Et quomodo non idem obseruatur hoc loco? Si de uxore dicatur, hæc uirum suum reliquit, non mox arguitur adulterij, sed causæ discessus quæruntur iuxta quas uel rea adulterij, uel innocens iudicatur. Cur idem non fit & hac in causa? Quòd si Christus ipse talis sponsus esset, qui cogeret ad impia, esset adulter, insidiaretur sanguini uxoris, an non à sponsa iure desereretur? Vtiq;. Et quid dubitamus de ista Ecclesia Romana, cũ talis sit, secedere? Deserat impietatem, restituat uerum Dei cultum, seponat tyrannidem cruentam illam, lauet manus suas à sanguine, amplectatur doctrinam pietatis Euangelicæ, & habebit quosuis pios sibi q̃ coniunctissimos. Sin minus non cum illa communicare, nemo pius potest cum qua, nec Apostolus quisquam, nec Propheta communicaret.

Palàm itaq; fit frustra laborari in eo, quod conantur docere Ecclesiam Romanã esse Ecclesiam Christi, esse sponsam Christi, quasi hoc negetur cum debeat illa ab idololatriæ crimine purgari, docericq; cõmunionem illius esse talem, quam nõ solum posit Christifidelis, sed & debeat retinere, nisi uelit à Christo ipso discedere, Christiq; ueritatem relinquere. Aliud est esse sponsam Christi, & aliud sponsam Christi משמח seruare illibatum, hoc est, eam fidem Christo sponso seruare & præstare, quæ ueram ac genuinam sponsam concernit. Sponsa Dei fuit & populus Israëlis, uerum quia adulterarì

vari cœpit cum alienis Dijs, & ueritatẽ ac fidem ſponſi uiolare, factum eſt, ut nemo pius in populo Dei potuerit illi cum bona conſcientia communicare.

Omnino quiſquis relicto mendacio & idololatriæ crimine ueritati ſeſe et ueræ Chriſti pietati ac fidei conſecrauit, is, ut non poteſt dici deſertor Chriſti, ita nec corporis Chriſti legitimi ac ueri, id eſt, eorũ Chriſtianorum, qui uera fide ac pietate Chriſto capiti adhærẽt. Rurſus, quiſquis relicta ueritate, & genuina Chriſti fide ac pietate adhæret mendacio, ac impietati, & cum idolorum cultoribus communicat, is ut non poteſt dici uerum membrũ Chriſti, ita nec eſſe in ueræ Chriſti Eccleſiæ cõmunione, utut nomine Chriſti cenſeatur. Atq; ita in ſumma, quiſquis triticũ eſt in agro Domini, is uerè eſt & ſalubriter de Eccleſia Chriſti: quiſquis uerò de zizanijs eſt, licet ſit in externa ſocietate Eccleſiæ cõpræhenſus, tamen ut non eſt triticum, ita non eſt uerè de Eccleſia Chriſti, quia non eſt membrum Chriſti.

Auguſt. li. 2. cont. creſconium gram. c. 21

Proinde fruſtra ſibijpſis quidem hodie blandiuntur titulo Eccleſiæ cum in illa non ſint triticũ, ſed zizania, extirpanda olim. Rurſus, immerito culpantur deſertionis Eccleſiaſticæ, quicunq; in agro Dominico malunt cum tritico quàm cum zizanijs communicare, id eſt, ſummo ſtudio cauent ne ex tritico fiant zizania.

Quis nam poteſt uerè deſertionis culpare triticum, quod non uult fieri zizania, quaſi ideò ex agro ipſo diſceſſerit, quod detrectat fieri zizania? Igitur non poſſunt culpari deſertionis Eccleſiaſticæ, niſi qui conuinci poſſunt, uerum & Chriſtianam communionem ſpreuiſſe ac deſeruiſſe. Iſta diſputo propter ſimpliciores ne titulo Eccleſiaſticæ unionis fallantur. Nobis uidendum interea ne ſimpliciter relinquamus Eccleſiam Romanam, ita, ut neq; cum uera Chriſti eccleſia communicemus, cuius omnis communio eſt in unitate fidei & ſanctæ dilectionis. De fide habes locum Auguſt. Epiſt. 86. Item in Epiſt. Ioan. tract. 1. De charitate habes eundem lib. 2. contra Creſconium gram. ubi ſic ſcribit: Charitatem uerò ſanctam, quæ eſt uinculũ perfectionis, nemo poteſt habere non bonus, nemo qui habet poteſt eſſe, uel ſchiſmaticus uel hæreticus. Curandum itaq; ut ſyncera ſimus erga Chriſtum fide, & illius Eccleſiam charitate, atq; ea ſynceritate demonſtremus quo ducamur ſpiritu, quo animo communionem adulterantium relinquamus. Scit ob oculos exemplum Tobiæ, qui quamuis cum decem tribubus Iſraël in cultu idolorum non communicaret populum tum illum Domini, utut impium, ita dilexit, ut in captiuitate conſtitutus ſummã dilectionem impenderit quibuſuis Iſraëlitis, qua de re legimus Tobiæ 1. Ad eum modum uiuamus & nos, & declaremus in uera fide & charitate nos eſſe non oſores, ſed amatores membrorum Chriſti. Non poſſumus cum illis communicare, qui idolis ſeruiunt, & falſum Dei cultum habent, Chriſtianos occidunt, ueritatẽ Dei blaſphemant partim: partim contemnunt uel per ignorantiam reſpuunt, poſſumus tamen orare pro illis, poſſumus illis quoad licet in neceſſitatibus benefacere. Et ante omnia dolere poſſumus de impuritate & impietate eccleſiæ Romanæ & & aliarũ. Non eſt ſatis nõ cõmunicare cum idololatris, opus eſt ut uerè cõmunicemus cum Chriſti membris, ad illaq; nos habeamus, quomodo ingenium membrorum unius corporis Apoſtolus 1 Cor. 12. deſcribit.

Auguſt.

Vide 1 Ioan. 3. ubi ſimilis iunguntur fides & charitas.

DE ALTERO ABVSV iſtius loci.

Alter abuſus huius loci quem Auguſtinus loco prædicto taxat, eorum eſt, qui cum audiunt futura eſſe ſemper in agro Dominico zizania, fieriq; poſſe ut pius in Eccleſia maneat, utut in illa uideat innumera zizania, ſomniant ſecuritatẽ quandam in Eccleſia ſeruandã eſſe, qua Epiſcopo nihil ſit aliud faciendum, quàm ut ſimpliciter doceat quid uerũ, quid falſum, quid ſectandũ, quid uitandum, nec curandum ſit, quid quiſq; in Eccleſia faciat uel non faciat. Iſtam ſecuritatem obtinere cupiunt in Eccleſia qui ut priores præpoſtero feruore, ita ipſi negligentia & præpoſtera patientia ducuntur. Deinde & illi qui omnem diſciplinam Eccleſiaſticam odiunt, propterea quod norunt ſeſe uita eſſe reprehenſibili. Tertio qui neſcio quam libertatem ſpiritus ſomniant, quaſi præiudicetur ſpiritui dei, ſi diſciplina ſeruetur in Eccleſia. Quarto & illi qui magis huc inclinant, ut ſit terrena pax in Eccleſia, ne ſit aliquid pro ueritate tolerandum quod nõ lubeat, quàm ut uera pietas bene promoueat. Hi omnes utuntur hoc argumento contra abolitionem falſæ doctrinæ, & falſi cultus. Quibus hic paucis reſpondendum eſt.

Primo. Oportebat obſeruare hanc parabolæ portiunculam non eſſe expoſitã à Chriſto, atq; ideò nõ continere in ſe aliquid præcepti, quod hac parabola Chriſtus tradiderit ac docuerit, ſed ſimpliciter quæ futura ſit Eccleſiæ conditio in finem uſq; ſeculi. 1

Deinde notandum eſt quid uocet Chriſtus hic zizania: nempe non falſam doctrinam, falſum Dei cultum, & id genus impietatem, ſed filios diaboli, homines malos ſcilicet & falſo Chriſtianos, quos non iubemus extirpari, ut conati ſunt Anabaptiſtarum nonnulli, ſed abominationem in cultu & doctrina Dei prohiberi debere docemus. Alioqui ſi prorſus nullum malum deberet eradicari in Eccleſia Dei, fruſtra eſſet uſus gladij magiſtratui datus. Et Paulus 1 Cor. 5. male iuberet expurgandũ eſſe fermentũ, et Tit. 1. obturãda ora cõtradicentiũ ueritati. 2

Tertio. Expendendum eſt & hoc, quod non ſimpliciter dicit non eſſe eradicanda zizania, ſed addit rationem: nempe, ne ſimul euellatis & triticum. Quo ſcilicet ſatis oſtendit hactenus ferenda eſſe zizania, quatenus nõ obſunt tritico, tolerareq; ſe uelle zizania nõ in malum, ſed in bonum tritici. Amat enim triticum paterfamiliâs. Proinde quicquid facit ad corrumpendũ triticũ & perdendum, hoc ipſo amoliendum eſt, quod nocet tritico: utpote ſi beſtia quædam agrum ingreſſa peſſundaret & proculcaret triticum. Quid hic putas iuberet bonus paterfamiliâs? Hædos tolerat Chriſtus in grege ſuo quos in die iudicij ſeparabit ab ouibus. Matth. 25. Interea tamen boni paſtoris eſt, cauere ne per hædos lædantur agni. Et ſi lupus intrauerit gregẽ, certè prudens paſtor optime ſciet ſe eam fidem debere Domino gregis, ut toto pectore inſidijs lupi ſeſe cum omni ſua armatura opponat, & lupum è medio ouium pellat. 3

Aliam parabolã proposuit eis dicens: Simile est regnum cœlorum grano synapis, quod acceptum homo seminauit in agro suo, quod minimum est omnium seminum. Cæterum ubi excreuerit maximum est inter holera & fit arbor, adeò ut ueniant uolucres cœli, & nidulentur in ramis illius.

Hæc est tertia parabola huius capitis. Dixi supra Christum istis parabolis cœlestis regni futurã conditionem prædicere, ac quasi ad oculũ per similitudines depingere, ad hoc, ut caueat futura suorum offendicula. Quemadmodum itaq; superioribus parabolis eam regni cœlorũ cõditionem descripsit, qua fit, ut uix quarta portio ex auditoribus Euangelij bonum fructum ferat, illumq; impari sœnore: deinde etiam inter bonos perpetuo futuri sint reprobi, ita hic describit quomodo initium regni cœlorum sit omnium humillimum & abiectißimũ, quod ideò comparat grano synapis quod minimum est inter reliqua semina. Verũ, ut simul adsit consolatio, aperit etiã uires illius abiecti regni, quod ex humillimo tandẽ sit euasurũ supremũ & illustrißimũ, idq; exemplo grani synapis, quod natum arboris instar exurgit in altum. Regnum cœlorum à prophetis ita depræ dicatum erat, ut expectatum sit omnium illustrißimum. Iam ea quæ per Christum gerebantur initio humillima uidebantur in oculis mundi, licet in se fuerint angustißima: nempe planè diuina, unde facile fieri potuit, ut uiderentur & Apostolis nõ bene consona splendori regni cœlorũ qualem descripserant, & prædixerant prophetæ. Personæ erant abiectæ & humiles, doctrina & religio dispar splendori Iudaico, nullus aderat opum, potentiæ & regalis gloriæ fulgor. Istam humilitatem, abiectionem, paucitatem fatetur Christus, sed pulchrè per similitudinem grani synapis declarat, quæ lateat in rebus istis humillimis uirtus & efficatia, qua fiat ut tandem euasurũ sit exile illud exordium omnium illustrißimum & amplißimum. Maximum est inter olera. Sic regnum cœlorũ, religio Christianæ fidei, doctrina crucis & Euangelicæ fidei, maior est reliquis, quod sola orbem terrarum uniuersum obtinuit: In omnem terram, inquit, exiuit sonus eorum. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in uniuerso mundo.

Ratio eius est. Per Euangelium salus est, ita ut nisi fide Christi, nemo saluetur. Iam filij Dei dispersi sunt per orbem, quos Christus uenit congregare & saluare per Euangelium regni. Atq; ideò necesse fuit, ut prædicaretur & amplificaretur per uniuersum orbem.

Sed dicet quisquàm: Et Satanas habet suos per uniuersum orbem, Ergo & falsa religio obtinet per uniuersum orbem. Respondeo. Verum est. Sed in regno Satanæ, nõ est una superstitio, sed plures. Regnũ Satanæ non consistit in uno genere superstitionis. In regno Christi secus habet. Hic est unitas pietatis, una fides, una religio, &c. Ergo nunquam fuit aliqua religio in orbe, quæ latior & amplior fuerit. Nulla enim unquam totum orbem occupauit, ut religio Christi.

Aliam parabolam dixit illis: Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit id farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum.

Contra idem offendiculum eandem consolationem adfert & hac parabola, quam superiori. Modicum fermenti, erant Apostoli, quos sapientia diuina è Galilæa sumptos fermentandi uiribus instructos reddidit, & in orbem terræ infermentandum emisit, donec infermentaretur totus. Hac de re uide locũ pulcherrimũ, Ephe. 4. Item Rom. 1. Non erubesco euangelium Dei. Virtus enim Dei est ad salutem omni credenti. Apostoli per se non fuerunt fermentum orbis. Sed quatenus Euangelij ministri à Deo in orbem emißi fuerunt.

QVID HIC OBSERVANDVM IN istis duabus parabolis.

Ingenium diuinæ operationis, & efficatiæ notandum est in ista regni cœlorum conditione. Humilia elegit, ut confundat sublimia, per res humiles & abiectas, infirmas quoq;, uirtutem suam declarat. Hic locus pulchrè tractatur 1 Corinth. 1. Scribæ & Pharisæi Christo opprobrabant ignobilitatem Galilææ, unde prodierat cum suis discipulis, quæ prima Euãgelij ac regni Dei lucem uiderat, ut est Matth. 4. Ita solet deus stultos reddere eos qui in mundo habentur sapientes, & ex locis in mundo claris nihil aliud proferre, quàm inanes titulos, & plerunq; permittere, ut magis obsint pietati quàm prosint.

Deinde obseruandũ est. Si Apostoli propter Euangelij doctrinam fermentum fuerunt orbis, ad hoc mißi, ut qui ex Deo sunt, infermententur: uidendum est an nos per illorum doctrinam simus infermentati. Si infermentati sumus, ergo illis coadiunati sumus, & in unam naturam redacti. Hoc autem experimento uitæ ac ueræ pietatis ostendendum & declarandum est.

Sed uereor plerosq; non pietatis, sed malitiæ fermento infermentatos esse. Est enim triplex fermentum in scripturis. Vnum est Apostolicum, de quo hoc loco. Alterum est Pharisæorum doctrina, de quo Matth. 16. Cauete à Pharisæorum fermento inquit. Tertium est, malitiæ & nequitiæ. De isto 1 Corinth. 5.

Hæc omnia loquutus est Iesus per parabolas ad turbas, & sine parabolis nihil loquutus est illis, ut cõpleretur quod dictum fuerat per prophetam, qui ait: Aperiam in parabolis os meũ, eructabo abscondita à constitutione mundi.

Rursus Euangelista rationẽ reddit cur Christus uoluerit per parabolas loqui turbis, ne uidelicet uideatur insolens. Inducit itaq; locum ex Psal. 78. ubi Asaph propheta initio Psalmi hæc uerba habet, quæ ab Euãgelista ponuntur. Vult Euangelista hoc loco ostendere istud doctrinæ genus esse propheticum, prophetis ita in usu, ut res magnas & arduas hoc pacto populo Dei proposuerint. Tuetur enim autoritatẽ Christi à nota nouitatis & insolentiæ. Quidam illud, ut impleretur quod dictũ fuerat per prophetam, ita intelligunt, quasi Euangelista sentiat

sentiat prophetam in eo loco uaticinium de Christo texuisse, prædixisseq; Christum parabolico ac mystico docendi genere usurum. Ego uerò non uideo qua ratione queat hic locus ita intelligi, uel potius qua ratione propheta hoc de Christo prædixisset. Nam potißima ratio prophetiarum de Christo, est ut reddatur agnoscibilis, & quasi quibusdam notis aduentus, & dispensatio illius describatur, id quod hac in re, quantum ego intelligo, uel nullũ uel certè minutißimũ locũ habere potest. Nam & prophetæ istud docendi genus in usu habuerunt, ut nequiuerit peculiaris nota esse agnoscendi Christi.

Proinde malo cum alijs nonnullis intelligere hunc locum impletum esse in Christo ad eum modum, quo is, qui Matth. 2. est: Ex Aegypto, nempe, uocaui filiũ meũ. Et Matth. 15. Item 13. ex Esaia. Vt idem sit quod Euangelista dicit: ut impleretur quod dictum est, &c. atq; ut quadrârit in eum, ac merito de eo dici potuerit, quod propheta Asaph in psalmo suo dixit: Loquitur autem Asaph de mirabilibus illis facinoribus quæ Deus cum populo suo gesßit cum in Aegypto, tum in deserto: deinde et in terra Canaan, usq; ad tempora Dauidis. Vocat aũt illa abscondita & parabolas, propterea quod reconditam habebant sapientiam, & mystica exempla ad posteros transmittenda. Neq; insolens est res gestas non minus quàm uerba mystica, uocare parabolas: propterea quod non hoc tantum, quod foris patet, sed & aliud quid per eas expendendum traditur. Quemadmodum itaq; Asaph cõmemorando ea quæ Deus cũ populo suo gesßit hoc agit, ut illa non negligenter aut oscitanter, sed studiose expendantur, & ingenium diuinæ simul bonitatis, & omnipotentiæ in illis, ad augendam fiduciam & spem in Deum obseruetur, ita & Christus cum tractaret ingenium, cõditionem, uires & ualorem regni cœlorum, parabolicôs hoc egit, ut ansa esset & occasio diligenter his de rebus sciscitandi. Rectè aũt à propheta, cum canticum de facinoribus & operibus Dei mirabilibus structurus esset, dicit se parabolas & abscondita, ænigmata משלי רחידות dicturum. Nam licet opera ipsa in se non fuerint abscondita, sed manifesta, cum literis tum & oretenus populo Dei notificata, ut et ipse propheta fatetur, dicens: Quæ audiuimus & cognouimus, & patres nostri narrauerunt nobis, hoc tamen in se habent, ut filijs huius seculi, quibus non est notitia diuinæ uolũtatis, nullus ad Deum respectus, nulla operum Dei ratio, planè sint parabolæ & res absconditæ atque mera ænigmata. Proinde opus est diligẽtia et timore domini, & singulari studio et meditatione, ad ambiendam diuinæ uoluntatis cognitionem in factis illius latentis. Expende Psalmum ipsum.

Rursum, simile est regnum cœlorum, thesauro abscondito in agro, quẽ repertum homo abscondidit, & præ gaudio quod habet super eo, abit, & omnia quæcunq; habet uendit, ac mercatur agrum illum. Rursum. Simile est regnum cœlorum homini negociatori quærẽti pulchras margaritas, qui cũ inuenisset unam preciosam margaritã abiens, uendidit omnia quæ possidebat, et mercatus est illã.

Hæ duæ parabolæ unius & eiusdem argumẽti sunt. Quemadmodum autem suprà per parabolas synapis ac fermenti declaratum est, quæ sit regni cœlorum & Euangelij, licet in oculis mundi initio sui cõtempti, uirtus & efficatia: ita his duabus ob oculos ponitur, quæ sint illius diuitiæ, quod precium, quis ualor: deinde quomodo ab illis tantum expectatur, qui precium illius cognouerunt in quorum notitiam illius diuitiæ uenerunt, à reliquis uerò contemnatur.

OBSER.

1 Similitudo ista omnium est iucundißima, in eo, quod regnum cœlorum cõparatur thesauro. Quid quæso appetibilius ac desiderabilius thesauro? Thesaurus copia est facultatum, ad omnem euentum iam parata. Quicquid nondum paratũ est, nondũ tale est, quod ad manum adesse posßit, aut non tale quid est, quod copiam habeat rerum necessariarum, thesaurus dici non potest. Cum itaq; in regno cœlorum sit omnis felicitas, bonorum omnium abundantia, pax, gaudium, uita, &c. rectè thesauro confertur. Ergo diuites sint oportet, quotquot regni cœlorum ciues sunt. Hinc est quod Paulus dicit: Omnia uestra sunt 1 Cor. 3. & 2 Cor. 6. Sicut egẽtes, multos autem locupletantes. Tanquàm nihil habentes & omnia posßidentes. Et Ephe. 1. Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo. Et Ro. 8. Quomodo non etiam omnia nobis cum illo donauit?

2 Obseruandum est autem & hoc, quod non aperto sed abscõdito thesauro comparatur regnum cœlorum, idq; nõ in regia quadam, sed in agro abscondito, ubi non statim quæritur. Ergo non est regnum cœlorum, uel illius precium, cuiuis cognitum & obuium. Atq; hæc est ratio, quod à paucis ambitur. Quis enim amplectetur incognitum thesaurum? Absconditum est autem à prudentibus ac sapientibus huius mundi, uide Matth. 11. Et opus habet reuelatione. Reuelatur aũt paruulis ibidem. Idem uult parabola margaritæ.

Manifestum est & hoc, quod quisquis istum thesaurum agnouerit ac inuenerit, nõ grauatim illum acquirat, sua omnia libenter impendat, ut eum consequatur. Proinde, si quis est, qui propter regnum cœlorum non sustineat terrenam substantiam expendere, is absq; dubio nondum thesaurum hunc cœlestem agnouit. Nam & nos ita comparati sumus, ut libenter quod minus est impendamus, ut acquiramus quod maius est, & thesaurus hic ita habet, ut nesciat acquiri ab illis, à quibus luto terrestri postponitur. Ideò adolescens ille, Matth. 19. qui tristis abibat à Domino, propterea quod iussus esset omnia uendere & dare pauperibus, & Christum sequi, ut haberet thesaurum in cœlo, satis sua mœstitia declarauit, se non agnouisse precium regni cœlorum. Hoc exprimitur & in parabola margaritæ. Quis enim magni emit margaritam, nisi cui notum est illius precium?

3 Et emit agrum illum. Cur non dicit: Et emit thesaurum illum? Non tam enim agrum quàm thesaurum emit. Agrum scilicet emit propter thesaurum. Ager illi charus erat propter thesaurũ. Alioqui tanti nõ fecisset agrum. Imò, si recta reputes, thesaurum non emit, pro

quo nihil dedit. Agrum emit, in quo simul thesaurũ accepit. Nihil dedit agri domino, pro thesauro, sed omnia tantum pro agro. Quòd si agnosceremus cœlestem regni Dei thesaurũ, quid quæso detrectaremus, quantumuis multum expendere ad comparationẽ huius agri, in quo latet absconditus thesaurus? Quòd si ager est uilis & contemptus, oportet uel dicto Apostoli admonitos scire hũc thesaurũ circumferri in uasis fictilibus, 2 Cor. 4. Pro thesauro ipso nihil expendendum est, sed tantum pro agro. Ager est, prædicatio uerbi, ager est inopia pauperum, in qua Christus pascitur. Vide Matth. 25.

In eo quod dicit, quod repertum homo abscondidit, aperte uidemus non omnia in parabolis ad mysticũ sensum & causam quæ agitur trahenda esse. Cur enim thesaurum in alieno agro repertum abscondidit, id est cælauit? In prõptu causa est. Ideò uidelicet ne ab emptione illius impediretur, uel non uendente illum agri Domino uel præueniente aliquo alio aut charius emente. Quòd si hoc ad comparationem regni cœlorum trahere uelles, omnino absurdum esset. Iniquum est, cælato thesauro, emere agrum in quo thesaurus est absconditus, atq; ita fallere agri Dominum, ut putet se rem suam benè curasse, cũ potuisset agrũ cum suo lucro seruare, & thesauro illius frui, si reuelatus ipsi esset. Iam notum est quid quisq; hac in re sibi fieri uelit.

Item. Nota hic, quæ sit peruersitas eorum qui uolunt studiũ diuitiarũ colligendarũ in hoc mũdo excusare per has duas parabolas, cum Christus diuersum agat.

In parabola margaritæ, notandum est ingenium & studium eorũ qui margaritas coëmunt, quo labore, quo studio, quibus periculis eas regiones adeant, in quibus margaritas uenales inueniant, quo sumptu illas emant, quibus curis distrahant. Væ nostræ socordiæ. De comparando cœlesti thesauro. Vide suprà cap. 6.

Rursum. Simile est regnum cœlorum uerriculo iacto in mare, & ex omni genere contrahenti, quod cum impletum fuisset, subduxerunt in littus, & sedentes collegerũt, quæ bona sunt in uasa, quæ uerò mala foras abiecerunt. Sic futurum est in consummatione seculi. Venient angeli: & segregabunt malos de medio iustorũ, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit ploratus & stridor dentium.

Idem agit hac parabola (quæ ordine septima est) quod suprà egit in parabola de zizanijs. Quemadmodum & ipsa parabolæ applicatio, quam subijcit, declarat: nempe, malos fore in medio iustorum in Christi ecclesia & regno cœlorum usq; ad consummationem seculi, ubi demum futura est separatio plena & perfecta.

Est autem ista parabola pulchrè ac studiose ad captum discipulorum accommodata, quibus ea quæ in piscatione fieri solent, probè nota erant. Quemadmodum enim cum eos uocaret, primum ad munus Apostolatus, per collationem ac similitudinem piscationis admonuit, fore, ut quomodo ad iussionem suam magnam piscium copiam conclusissent, ita per prædicationem regni Dei piscaturi sint, & capturi magnam hominum multitudinem, unde & dicebat: Venite post me faciam uos fieri piscatores hominum, ita hoc loco, eadem nota & familiari similitudine docet non omnes fore iustos atq; electos, quos prædicatione Euangelij, quasi quodam reti conclusuri erant, sed semper malos in medio iustorũ futuros usq; ad consummationem seculi.

QVAE PECVLIARIA SINT IN hac parabola.

Quod prædicationem Euangelij confert piscationi, idq; ei, quæ non in priuato aliquo fluuio, sed in mari fiat, in quo omnis generis pisces habẽtur & capiuntur. Hac similitudine iam tum declarabat regni cœlorum prædicationem nõ in unius Iudææ angustijs concludendam, tantum complexuram esse Iudæos, sed spargendam in uniuersum orbem omnis generis nationes, & homines compræhensuram. Vnde & notanter dicit: Ex omni genere piscium congreganti.

Deinde, notandum est, quomodo quóue instrumento omnis generis ex uniuersis nationibus homines ad regnum cœlorum sint in unum congregandi. Vt pisces per rete, ita homines per Euangelij prædicationẽ compræhenduntur. Vt in reti capti seruantur usq; ad piscationis finem, ita homines Euangelij prædicatione capti, per Euangelium quoq; sunt in Ecclesia detinendi, usq; ad tempus separationis. Hoc rete Euangelicum, primarium piscationis instrumentum, iam diu fortiter neglectum, imò corruptum ac laceratum est.

Dicit illis Iesus: Intellexistis hæc omnia? Dicunt illi: Etiam Domine. At ille dixit illis: Propterea, omnis scriba, doctus ad regnum cœlorum, similis est homini patrifamiliâs, qui depromit è thesauro suo, noua & uetera.

Cupiebat discipulos suos esse in causa, & scientia regni Dei instructos. Atq; ideò non contentus tam uarijs parabolis de regno cœlorum disseruisse, interrogat, num hæc omnia intellexerint. Et ut declaret quàm longè sit alia futura ipsorum, quàm legalium Scribarum ratio, qui nisi de operibus & litera legis sit dicendum, nihil habent quod doceant ignaros. Euangelij ministrũ, qui doctus sit ad regnum cœlorum, id est, in causa regni cœlorum, oportere abundè instructum esse, ut non una tantum ratione mentes mortalium doceat, sed uaria & copiosa prout exigat captus auditorum, admonet similem esse homini patrifamiliâs, qui familiæ amicis, hospitibus, non unius generis tantum, sed uarij proferat esculenta, non noua uel uetera tantum, sed noua pariter & uetera.

Quidã illud noua et uetera dant Scribæ docto ad regnum cœlorum, & exponunt intelligendum esse uetus & nouum instrumentum. Verum locus ipse satis declarat pertinere ad patremfamiliâs, qui noua et uetera depromat suis, id est, omnis generis horna & biborna, ut sit nota abundè instructi patrisfamiliâs, cui similis esse debeat Scriba doctus ad regnũ cœlorũ: in hoc, quod & ipse sit affatim instructus ad docendũ, ad moderandum sermonem

sermonem pro captu auditorum, ad consolandum, ad arguendum, &c. Huius exemplum sit Christus ipse in istis parabolis, in quibus sanè nihil attulit ex ueteri testamento uel ullo scripto, sed è pectoris sui penetralibus copiosè deliniauit conditiones regni cœlorum, idq; per similitudines. Quod genus docendi omnino indicium est hominis intelligentis, & copiosè ad docendum instructi.

OBSERVAT.

1 Quæ diligentia audiendi uerbi Christi requiratur, qui exigit à suis intelligentiam eorũ quæ dicuntur. ibid. Intellexistis hæc omnia? Non dicit: Audistis hæc omnia?

2 Videmus etiam hoc loco, quod genus docendi potißimum requiratur ab eo, qui debeat auditores in regno dei abunde instruere. Imperiti putant eum esse doctum in regno cœlorum, qui multos scripturæ locos, ut scriptos repetit, aceruatim inducit: & si quem audierint, qui non multos usurpet, sed rem ipsam clarè & per similitudines dicat, prout putauerit exigere captũ auditorum, eum putant nõ esse doctum, cum hoc ipsum sit hominis docti in regno cœlorum.

3 Notanda est & similitudo, quæ pulchrè declarat, quo loco sit habendus is, qui uerbo regno Dei populum instruit: nempe loco patrisfamiliàs, qui abundè pabulo uitæ pascat domum & familiam Dei. Commendatur
Cap. 24. hac parabola utilitas uerbi Dei. Infrà. Vt det illis cibum in tempore suo.

Et factum est, ut cum finisset Iesus sermones hos, digrederetur illinc. Et cum uenisset in patriam suam, docuit in Synagoga illorũ, ita ut stuperent ac dicerent: Vnde huic sapientia hæc & uirtutes? Nónne hic est ille fabri filius? Nónne mater eius uocatur Mariam, & fratres eius Iacobus, & Ioses, & Simon, & Iudas? Et sorores illius, Nónne omnes apud nos sunt? Vnde igitur huic sunt hæc omnia? Et offendebantur super eo.

Ista leguntur etiam Marci 6. & Lucæ quarto. Pergit Euangelista quæ Christus gesßit, imò quomodo acceptus sit, describere quæ quàm fieri poterit, succinctius aliquanto quàm hactenus, declarabimus.

Et cum uenisset in patriam suam.] Quæ est illa? Ex Luca patet esse Nazareth. Nam in illa non solũ ante conceptum Christum Ioseph & Maria, ut uidere est in Luca cap. 1. sed & post, ut liquet Matth. 2. Luc. 2. habitarunt, atq; ibi enutritus est Christus, ut legimus Lu. 4. In ista ciuitate habitauit Mariæ cognatio, quemadmodum hac lectione commemoratur. Hinc est, quod Nazaræus uocatur, uidelicet propter patriam suam Nazareth, Matthæi 2.

Docuit.] Hac de re, quid sit notandum uide suprà capite nono.

In Synagoga illorum.] Vide capite eodem.

Cùm adesset Sabbatum Marci 6. Lucæ 4.]

Quando hoc fecerit, isti duo Euangelistæ tradunt: nempe in Sabbato. Considerandum hic, quis fuerit usus Sabbati apud Iudæos, quem & Christus diligenter custodiuit, ut uidere est Lucæ 4. ubi legitur, quod secundum consuetudinem suam intrauerit in Synagogam die Sabbati. Quod si tanta diligentia Iudæi lectionem Mosis in Sabbatis suis uisitarunt et exercuerũt, quid quæso nobis hodie faciendum, ubi non Moses, sed Mose longè potior loquitur, neq; de ceremonijs quibusdam & obseruationibus externis disseritur, sed de ipso regno dei, & summis illius mysterijs? Si Christus Sabbati diem isto pacto custodiuit, Synagogamq; intrauit, ut scribatur hoc illi consuetudinis fuisse, cum nihil ipsi opus esset lectio Mosis, quid excusationis habebunt hodie, qui uel nimio fastu, uel contemptu Ecclesiam Dominicis diebus negligunt, in qua nõ legis obseruatiunculæ, sed doctrina uitæ traditur? Quis non uidet hic Christum bonæ consuetudini sua præsentia seruijsse.

Ita ut stuperent ac dicerent: unde huic sapientia hæc & uirtutes?

Relucebant ex Christo hæc duo: Primum incomparabilis quædam in sermone sapientia: Alterum, diuina & admirabilis uirtus in opere, qua quosuis sanabat.

Ista talia erant, ut sufficissent etiam istis Nazaræis, ad fidem & amorem Christi attrahendis, nisi magis considerare uoluissent, quæ ad offendiculum, quàm quæ ad salutem faciebant. Vnde, ut ex uerbis Euangelistæ patet non tam expendunt sapientiam & uirtutem Christi, quàm quod ipsis esset notus, & humili loco natus. Atq; ideò dicunt: Vnde huic sapientia hæc, & uirtutes, &c. Emphasis est in pronomine HVIC. Videntur enim non admiraturos adeò fuisse & offendẽdos, si talia uidissent & audissent, uel ex alienigena & ignoto aliquo, uel qui esset sublimi loco natus. Sunt ergo duo, quibus offenduntur in Christo: Vnum quod esset ipsis notus, et apud ipsos educatus. Alterum, quod uideretur conditione humili & contempta: nempe fabri filius, ipse quoq; faber, ut Marcus scribit. Vnde subijciunt:

Nónne hic est ille fabri filius? Nónne mater eius uocatur Mariam & fratres eius Iacob, &c.] (Hac de re suprà cap. 12. in fine capitis.) Nónne omnes apud nos sunt? Vnde igitur huic sunt hæc omnia? Et offendebantur in eo.

OBSER.

1 Videmus hoc loco exemplum humanæ peruersitatis. Vident ante oculos admirabilem sapientiam & uirtutem Christi in oculos etiam inuitis & incredulis incurrentem, qua debebant ad fidem permoueri. Verum relicta utraq; malunt considerare qualitatem personæ Christi, illiusq; humilitate offendi, quàm sapientiæ & uirtutis splendore illustrari, & sublimitate ad fidem permoueri. Quid ergo prætexunt? Primo, quod esset fabri filius: Ergo si non fuisset uisus fabri filius, credidissent illi, non offensi? Cur ergo non crediderunt Ioanni, sacerdotali genere claro. Nam is erat non fabri, sed sacerdotis filius, quæ natalia apud Iudæos in honore erãt. Deinde, offenduntur ex eo, quod sit ipsis notus, scientibus unde sit natus. Ita & Ioh. 7. dicebant Iudæi Ierosolymitæ. Sed hunc scimus unde sit. Christus uerò cũ uenerit, nemo sciet unde sit. Ergo si hoc offendit, quod ipsis notus erat, crediturine erãt, si fuisset ignotus? Nequaq; Nã ita legimus Io. 9. Nos scimus quia Moysi loquutus est

Deus, hunc autem nescimus unde sit. Vide, isti offendun tur ex eo, quod nesciunt unde sit Christus, quasi crediturisint, si scirent unde sit. Iam Nazarei sciebant unde esset Christus, & offendebãtur hoc nomine in illo. Quæ quæso est ista peruersitas? Talis est illa quæ suprà descripta est capite undecimo.

Quid hic admonemur aliud, quàm tale esse ingenium reproborum, quod nullo pacto queat ad ueritatem flecti, sed semper habeat unde offendatur, quod prætaxat id quod hodie quoq; experimur, & nihil mirum, siquidem ipsi id Christo accidit. Hodie nõ obseruant pleriq; quid sit quod docetur, sed qui sint illi qui docent.

2 Sed quæ est ratio, quod his rebus in Christo offenduntur: nempe humilitate generis & cõditionis: nempe ea, quod putabant incredibile esse & insolens, diuinitus dari tantam sapientiam et uirtutem homini, nec gente, nec conditione conspicuo, sed humili & obscuro. Iudicat enim ratio humana de Deo, non secus, quàm de ingenio mortalium, in hoc mundo sublimium & potentum, qui dona sua non facile profundunt in humiles & abiectos. Ita putat & à deo nihil tale prouenire tenuioribus. Quorsum itaq; tendit eorũ offensio, quàm quod suspicantur Christum ista habere & facere instinctu & operatione Satanæ: uident enim omnino & audiunt ex illo miranda, quæ captum humanum excedebant, unde & stupent. Et quia non credent illa geri diuinitus, offensi generis & conditionis obscuritate, relinquitur eos ista dedisse Satanæ operationibus.

Ad eum omnino modum & Gentes per humilitatem Christi sunt offensæ. Hinc est quod illum ludibrij gratia iam Galilæum, iam fabrum uocarunt, quemadmodũ legimus de Iuliano Cæsare apostata, in historia Tripartita libro 6. Verum diuinitatem huius fabri non uicit no minis ignominia, quam illi impij coacti sunt experiri. Hist. Trip. li. 6 ca. 44

De morte Iuliani impij libro eodem cap. 44. ita legimus. In Antiochia uir quidam adolescentium pædagogus habitabat, eratq; illic famosissimus Sophista, Libanius impius, expectans Iuliani uictoriam, habens præ oculis eius minas. Ergo interrogauit pædagogum, quasi nostram deridendo religionem. Nunc, inquit, fabri filius quid putas agit? At ille (quod post paululum contigit) completus gratia diuina, respondit: O Sophista, creator omnium, quem tu fabri filium nominasti, loculum sepulturæ Iuliano componit. Post paucos enim dies mors illius nunciatur erronei, &c.

3 Quod uerò fabrum eum nominabant, non erat præter causam quidem, tamen non tale quid quod in se esset probro dignum. Præter causam non erat, quia absq; dubio à pueritia usq; ad iuuentutem, & initium dispensationis regni cœlestis, operãm illius artis exercuit cum Ioseph patre putatiuo, ut uocant. Vnde monemur iuuentutem opere manuario exercendam, uitandumq; luxum & ocium. Deinde nõ erat res probro digna, quam exercere potuit filius Dei. At hodie nihil fere contemptius huiusmodi operarijs.

Iesus autem dixit illis: Non est Propheta expers honoris, nisi in patria sua, & domo sua.

Vulgare uitium taxat hac sua responsione Christus, quo fit, ut hoc sit contemptior, qui singulari dono Dei præditus est, quo notior & familiarior habetur. Hinc fit, ut dona Dei contemnantur in notis, ac reijciantur.

Eiusmodi multa sunt exempla. Nusquàm erat despectior Ioseph, q̃ in domo patris sui. 1 Dauid nec in domo, 2 nec in patria sua id honoris habebat, quod merebatur, sed magis tam à fratribus suis, quàm maioribus patriæ suæ odiose reijciebatur. Hoc & Christo hic contigit. Quid ergo mirum si & hodie pleriſq; usueniat?

E regione uidemus hodie multos, qui nullo amoris, ac beneuolentiæ affectu ducãtur erga patriam, id quod omnino pœna est ingratitudinis, ingratæ patriæ.

Duplex itaq; uitium hac in re hodie potissimũ committitur. Vnum est antiquum illud, de quo hic Christus loquitur, cuius exempla sunt innumera in historijs ueterum et nõ pauciora in quotidiano experimento. Alterũ est, quod quemadmodũ amor & honos iuuentutis erga parentes planè interit, ita & erga patriam paucissimi sunt, qui iusto ducantur affectu, cum amor patriæ uel ex natura debebat insitus esse ciuium mentibus, & talis, qui superior esset quouis reliquo erga priuatos amore, siue parentes siue fratres & amicos. Nam ut uerè scribit Valerius Maximus lib. 5. cap. 6. euersa domo interdum Reipublicæ status permanere potest, urbis uerò ruina communem omnium interitum secum trahat necesse est. Et Plato nullam in terris esse maiorem charitatem arbitratus est, quàm quæ cũ patria est unicuiq; nostrum. Hæc parens, hæc nutrix omnium, hæc artibus, opibus, disciplinis instruit, dignitatibus ampliat, omnia ad suorum ciuium commodum & ornamenta refert. Amat hæc & uult ipsa amari, tuetur suos, nec uult negligi. Officium exigit à ciuibus, & quod unicuiq; præstat suo iure repetit. Ex Scholico.

Cum ergo nec patria, quæ parens est ciuium, utatur donis suorum, neq; ea prouehat, sed magis innitatur alienis, neglectrix suorum, & uicissim negligatur à suis: dum quisq; priuato studet, quid aliud expectandum, q̃ certissimus interitus? Quid speraris de domo ea, in qua nec parentes liberis, nec liberi parentibus bene uolunt?

Et non edidit illic uirtutes multas propter incredulitatem illorum.

Marcus habet cap. 6.

Et non poterat ibi uirtutem ullam edere, nisi quod paucos infirmos impositis manibus sanauit. Ac mirabatur, propter incredulitatem illorum.

Quod nõ omnino nullas ibi uirtutes ediderit, in prõptu causa est, ne uideretur studio non bene uelle patriæ suæ. Et ne locus esset excusationi, si omnino nullas ab eo uidissent uirtutes. Quod autem propter incredulitatem ipsorum, non ut alibi multas ibi ediderit, dignũ est, quod expendatur. Hieronymus & Chrysost. dicunt hoc ideò factum, ne maiori condemnationi illos redderet obnoxios. Si uerò Marcum attenderimus, is non simpliciter dicit, non multas ab eo uirtutes in patria editas esse, sed non potuisse ullam insignem uirtutem illic edere, propter

pter ipsorum incredulitatem, quæ tanta fuerit, ut admirationem incusserit Christo.

Quid hic dicemus? Est ne abbreuiata & limitata potentia Christi, ut queat cohiberi mortalium incredulitate, ne sit efficax? Ergo non est omnipotens? Bifariam consideranda est Christi potentia. Primum, ut est absoluta et infinita, quam nemo queat impedire, quam exerere potest ubiuis & erga omnes. De illa hoc loco non loquitur Marcus. Deinde consideranda est, iuxta dispensationẽ susceptam, in qua tum uersabatur. Virtus Christi quidem ad sanandum omnes erat parata. Verum ingratitudine & incredulitate mortalium potuit impediri, non quod impossibile fuisset Christo etiam incredulos sanare, sed quod indignitate incredulorum fiebat ut riuus iste diuinæ uirtutis sese non effunderet.

Atq; hoc non solum in Christo, sed & in prophetis Elia et Elizeo uisum est, quorum exempla Christus ipse Lucæ 4. inducit.

OBSERVAT.

Quid ergo hic admonemur aliud quàm, quod sæpenumero fieri uidemus, dona Dei reddi inefficatia, plerunq; per ingratitudinem & contemptum populi. Bonus est deus, & gratia illius parata omnibus. Verum illis qui esuriunt & sitiunt. Atq; huius gratia fit, ut etiam donum uerbi Dei, feruor spiritus, & si quod aliud est donum in Ecclesia, prorsus obtundatur & reddatur inefficax, uitio & culpa populi.

CAPVT XIIII.

In illo tempore audiuit Herodes tetrarcha famam Iesu.

Caput hoc quartumdecimũ quadrimembre est, quatuor in se historias complectens.

1. De Herodis sæuitia & morte Iohannis Baptistæ, & quid de Christo senserit Herodes.
2. De miraculoso pastu hominum quinq; millium.
3. De sedata maris tempestate & apparitione Christi, super mare ambulantis.
4. Quomodo ad terram Genesareth appulsus, sanauerit oblatos ad se omnes ægrotos.

HISTORIA PRIMA huius capitis.

Audiuit Herodes tetrarcha, &c.] Non is qui infantes Bethlehemiticos trucidauit, sed illius filius, cui non integrũ regnum Iudeæ, sed portio aliqua illius cesserat. De hoc meminit Iosephus libro 18. Antiquitatum Iudaicarum.

Famam Iesu.] Admonet hoc loco Chrysostomus, quod ista fama saluatoris non statim ab exordio miraculorum Herodi, sed diu post: nempe demum post mortem Iohannis innotuerit, id quod regio fastui deputat. propterea quod huiusmodi res isti magnates fastu nimio ebrij minus curent.

OBSERVAT.

Certe hoc loco uidemus, quàm sero Iesus cum sua ueritate principibus innotescat, quanq; minus feliciter. Causa uerò est, non solum regibus fastus, sed & ministrorum improbitas, qui res uirtuti cognatas ad aures regias, aut nunquàm, aut maligne deportant.

Et dixit famulis suis: Hic est Iohannes Baptista.

Eadem habet Marcus capite 6. Lucas uerò uidetur discrepare cap. 9. ita dicens: Et hæsitabat, eò quod diceretur à quibusdam, quod Iohannes surrexisset à mortuis: à quibusdam uerò quod Helias apparuisset: ab alijs autem quod Propheta quispiam ex antiquis surrexisset. Et ait Herodes: Ioannem ego decollaui, quis est autem iste, de quo ego talia audio? Chrysostomus hunc locum ita cõciliat, ut dicat Herodẽ, quæ Lucas habet primum contra aliorum opinionem, ad auditam famam Iesu dixisse. Postea uerò corroborata miraculorum Christi uirtute descendisse in opinionem eorum, qui dicebant Iohannem surrexisse ex mortuis, eaq; dixisse, quæ à Matthæo & Marco conscribuntur, id quod omnino uero simile est.

Qui surrexit à mortuis, atq; ideò uirtutes agunt in illo.

Notandus hic error Palingenesiæ, quem à gentibus acceperunt & Iudæi, ut ille, Ego quondam Homeri.

OBSERVANDA.

Disputant de eo, quis sit ille miraculorum patrator, magis quàm quomodo doctrinam illius amplectantur. Et dum disputant, quiduis illũ faciunt potius, quàm eum qui erat. Ita solemus & nos hodie ad omnia opera Dei cæcutire, nunquàm nõ sinistrè illa interpretantes, quod uidemus in æstimatione signorum ac portentorum, & si qua alia iram Dei nobis referunt. 1

Quod si Herodes omnino illum putat esse Ioannem, aut aliũ ex prophetis uetustis, cur nõ illi sese submittit? 2

Impij scilicet hoc habent, ut neq; ei iudicio quod habent de causa uirtutis ac ueritatis stare queant. Stupere possunt ad res diuinas, amplecti non possunt.

Et quid opus est, ut putetur esse quispiam ex ueteribus? An non potest Deus mittere ueritatis suæ doctores ex nouo & integro, nisi excitet mortuos? Habet in consueto hoc seculum, ut præteritorum temporum uiros pios admiretur, præsentes negligat. Admirtur inquam eos, quos aliquando dum uiuerent magno contemptu & furore persequebatur. Deinde in præsenti non putet nasci sanctos, quos colat. Ideò rapitur ad cultum mortuorũ. Hic error inualuit etiam inter Christianos. 3

Quod attinet ad errorem Palingenesiæ obseruandum est, quàm crassis erroribus inuoluantur, qui uerbi Dei lucem cum uera pietate amittunt. Hæc uidelicet est cæcitas, qua percutiuntur diuinitus impij. 4

Est autem diligenter notandum, quod ait: Et ideò uirtutes agunt in illo. Gentilis est sententia, quam error Gentium de uiris Heroibus sibi concepit: nempe quod post mortem demum reddantur maiori uirtute præditi. Atq; hinc cepit cultus ille diuorum. 5

Nam Herodes cœperat Iohannem, & uinxerat, ac posuerat in carcerem.

Quia Iohannis meminerat per occasionem subtexit historiam,

historiam mortis illius, idq; obiter. Nõ enim proprium opus est Euangelistæ aliorum extra Christum res gestas ac mortes describere.

Causam uerò captiuitatis ac mortis tam sancti uiri, Iosephus libro antiquitatum Iudaicarum 18. capite 10. dicit fuisse metum ac suspicionem futuri tumultus: propterea quod Herodes cernẽs multitudinem populi pendere ab illo, suspicatus sit eũ meditari seditionem. Atq; huius suspicionis causam, Iohannes quidem nullam, utpote uir sanctus, populus uerò non omnino nullam dederat: utpote quasi natura quadam ad rebellandum ac seditiones natus. Euangelista uerò aliam causam assignat, cum dicit:

Propter Herodiadem uxorẽ Philippi fratris sui. Dicebat enim illi Ioannes: Nõ licet tibi habere eam.

Iosephus eodem libro capite 9. scribit, quomodo hic Herodes amore captus uxoris Philippi fratris, cum apud eum esset exceptus hospitio, inter proficiscendum Romam, nuptias incœstas mulieri, si saluus Roma reuerteretur, et abdicationem legitimæ uxoris spoponderit. Quæ in re triplici nomine peccabat. 1. Repudiando uxorem legitimam, & ducendo alteram. 2. Quod uxorem fratris adhuc uiuentis ducebat. 3. Ex qua frater liberos quoq; habebat: unde fit, ut non licuerint istæ nuptiæ, etiam si frater iam fuisset mortuus.

Deut. 23. Leuit. 18.

Iohannes ergo, cum ista cognouisset, magna animi fortitudine regem corripuit, ad exemplum Heliæ, & ut Chrysostomus, in Homilia super Apostoli uerba. Vino modico utere, scripsit, in medio foro & frequentia populi, apertè. Non licet tibi, inquit, habere uxorem fratris tui. Vbi obseruandum, qua castigandi dexteritate ac libertate utatur homo Dei.

An Herodes id tantũ peccati cõmiserit, ut de eo solo correptus sit a Ioanne. Nequaquam, sed & alia pleraque commiserat. Vide Lu. 3

1. Quod tantum tyrannum.
2. Quod in faciem.
3. Quod apertè, in publico.
4. Quod diserte, non dicens: Iniustum est, si quis ducat uxorem fratris. uel: Quisquis fratris uxorem ducit, adhuc uiuentis, peccat, faciens quod non licet. Sed: Non licet tibi habere uxorem fratris tui.

Instinctu itaq; mulieris, Herodes Iohannem in carcerem Macheruntos coniecit. Metuebat uidelicet illa: ne, si Herodes Iohanni obtemperaret, repudiaretur & ipsa, quemadmodum & prior uxor. Quis enim fidem habeat ei marito, qui uxorem antea innocuam propter incœstum amorem repudiârit.

Credibile est itaq;, id quod Iosephus scribit de metu seditionis ingestum esse Herodi per astum & improbitatem mulieris, ut eo metu adigeret principem ad necem sancti uiri, atq; ita utranq; causam fuisse interfecti Iohannis, tam quæ à Iosepho, quàm quæ ab Euangelistis assignatur, &c.

OBSERVAT.

1 In correptione ista Herodis exemplum habemus, qua sit utendum libertate in corripiendis & arguendis publicè delinquentibus: nempe tali, quæ ista duo habeat Primum, ut arguatur & damnetur quod malum est quod non licet, quod est contra Dominum, contra legem & uoluntatem eius, ut in isto exemplo, damnantur incœstæ nuptiæ, ostenditur non licere cuiquàm ducere fratris uiuentis uxorem. Alterum, ut ad pudorem cogatur, qui male facit. Hoc fit, quando malefactum apertè ac disertis uerbis obijcitur ipsi delinquenti. Alioqui, ut est apud Isocratem in oratione ad Philippũ Macedoniæ regem, quod omnibus dicitur, nemini dicitur. Vnde fit, ut generales istæ castigationes uiciorum tam parum promoueant hodie in Ecclesia. Nam nemo pudore afficitur. Propterea quod nemo nominatim corripitur. Certè alius castigandi seruor, & alia libertas fuit apud Prophetas, Christum, & hunc Iohannem. Et Apostolus 1. Tim. 5. præcipit, peccantes argui coram omnibus, ut cæteri quoq; timorem habeant.

Notandum est, quod non dicit: Cedet tibi in malum, quod habes uxorem fratris tui. Sed: non licet tibi. Admonemur, qua ratione sit peccator per correptionẽ uerbi Dei auocandus à malo: nempe, si audiat se committere, quæ non liceant. Non licent autem, quæcunq; contra uoluntatem Dei fiunt. Hoc debebat satis esse homini timenti dominum, & amore honesti, & odio illiciti praedito. Interea tamen aliud est officium magistratus, cuius non est hoc tantum, ut dicat ad subditos: non licet uobis facere quæ mala sunt, sed ut ui quoq; à malo abarceat, & formidine pœnæ prauos cohibeat.

2 Magni inf fideranni Ioannes regi di xit: Nõ licet tibi etc. quã mox regi ni licerat, qui priuatis a subditis m licet. Mar rus confidet tionis fur hodie Rom ni, regibu mnia permi tentes, poli mancant lã dini.

Et cum uellet eum occidere, metuebat multitudinem: pròpterea quod illum ceu Prophetam habebant.

Cum uellet eum occidere.] Quæso quamobrem uult eum occidere? Quod uidelicet corriperetur ab ipso liberius. Herodes tenebatur duplici libidine, regnandi uidelicet, & mulieris non suæ. Herodias metuebat diuortium, malè sibi conscia. Hinc uterq; quærebat necem castigatoris sui. Nam Marcus etiam mulieri hoc propositi dat, &c.

OBSERVAT.

1 Videmus hoc loco, sortem eorum, quibus commissum est munus arguendi peccata mundi, maximè diuitum ac potentum.

2 Deinde in eo quod uitium suum palliant suspicione seditionis, ut iustam causam occidendi Ioannis fingant, uidemus ingenium impietatis, & astum, quo peculiariter utitur aduersus correptores suos & libertatem arguendi delicta. Hoc titulo omnes Prophetæ, Christus ipse quoq; ad mortem rapti sunt, cum in causa nihil aliud esset, quàm odium susceptum propter libertatem correptionis, &c.

3 Et metuebat multitudinem.] Quare non dicit: Et metuebat Deum? Miserrima scilicet & stultissima impiorum conditio. Metuunt non metuendos, & metuendum non metuunt. Quid opus erat metuere multitudinem, quæ ipsa potius tyrannum metuebat, & si non timuisset? alioqui ita est inconstans, ut à nemine prudenti metui debeat.

Cum

Cum aũt celebraretur natalis Herodis.

Marcus scribit, Herodiadem non potuisse, ut cupiebat Iohannem occidere. Deinde subdit: Et cum dies opportunus accidisset, cum Herodes in natalitijs cænam faceret primatibus, ac tribunis, & primoribus Galileæ, &c. Ergo adultera, captans occidendi Iohannem, undecunq; occasionem natalem hunc Herodis pro opportuno die habuit, ad perficiendum conceptum facinus. Quomodo igitur hic dies ad necem iusti opportunus fuit? Quid in se erat habiturus, quod copiam effundendi sanguinis innocui faceret?

Certè. Natales in se nihil habebant, præter gaudia & tripudia, ut in historijs Gentium uidere est. Quid ergo uidit mulier futurum, quod facturum erat ad propositam crudelitatem? Nam alioqui natalis principis dies magis debuerat ad liberationẽ etiam sontis, quàm ad necem insontis facere.

Scilicet ingenium Herodis nouerat mulier astuta. Deinde sciebat morem ac luxum futurum eius diei, ita uidelicet dissolutum & lasciuum, ut sperauerit eũ diem plurimum occasionis perficiendi propositi daturum. Expendit uidelicet, quid posit conuiuiorum luxus, & dissolutio animorũ, quibus medijs erat pro uota usura, atq; ideò dicit Marcus, natalem Herodis opportunum diem fuisse ad necem insontis impetrandam. Sed uideamus historiam ipsam.

Et metuebat multitudinem.] Ex hoc fonte puto manasse eam obseruantiam, cuius Marcus meminit, qua Iohannem Herodes obseruauerit, & audierit libenter: nimirum gratificaturus populo. Erat enim uulpes, Atq; ita illum appellat Christus ipse Lucæ 13. Et hinc est quod in gratiam Iudæorũ Iacobum occidit, & Petrum quoq; occidere conatus est. Act. 12.

Exemplo isto uidemus, quid sit expectandum iustitiæ preconibus, ab hoc hominum genere, qui populum magis metuunt et obseruant, quàm ueritatem dei, quiq; nos hodie uidentur libenter audire, auditisq; nobis aliquid facere, quibus tamen nihil aliud in corde sedet q̃: O si liceret propter populũ, quàm uellemus nebulones istos egregiè tractare? Non caremus huiusmodi uulpibus hodie. MARCVS.

Et cum Herodes in natalitijs cænam faceret primatibus ac tribunis, & primoribus Galileæ.

MATTHAEVS.

Saltabat filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. Vnde cum iureiurando pollicitus est se daturum illi quicquid peteret. At illa prius instructa à matre sua. Da mihi inquit hic in patina caput Ioannis Baptistæ. Et indoluit rex, attamen propter iusiurandum, & eos qui simul accũbebant, iussit ei dari. Et missis carnificibus amputauit caput Ioannis in carcere, & allatũ est caput eius in patina, datũque est puellæ, atq; illa obtulit matri suæ.

Ex consideratione rei gestæ satis apparet, quomodo natalis ille Herodis truculẽtiæ mulieri fuerit ad necem sancto uiro struendã opportunus. Conuiuia regia, dissolutissima hilaritas, iucunda magnatum præsentia tripudium, & saltatio puella lasciuientis, hoc in se habent, ut animum etiam alioqui tristem eneruent ac dissoluant, effundantq; in omne genus stultitiæ, impietatis, & facinorum. His uidelicet medijs et occasionibus usa mulier, impetrauit ex rege temulento, & iam bis stulto, quod antea impetrare nequiuerat, ut Marcus habet. Expendamus iam, quid in hac sit historia obseruandum.

OBSERVANDA.

Cum autem celebraretur natalis Herodis. Primum, uidebimus hoc loco, in eo quod natalis Herodis commodus dies est interficiendi iusti & sancti uiri, prædicatoris uidelicet iustitiæ, quid sit nasci regem ac principem impiũ: nempe nihil aliud, quàm nasci pestem omnis pietatis ac iustitiæ, interitum eorum, qui iustitiæ student. Proinde tales ortus plerunq; sunt notati quibusdam de cœlo portentis, signis uidelicet iræ Dei. Quid enim aliud est regnare impium, quàm bellum indictum esse omni iustitiæ, &c. 1 Natalis Herodis.

Secundo loco, obseruandum est, quid ex conuiuijs temulentis inani dissolutione mentium, & lasciuis choreis consequatur. Putant plerique Ecclesiastas iniuria molestos esse huic seculo, dum huiusmodi luxus, effusa ad ineptias tripudia, & saltationes carpunt, cum in seipso non sit malum conuiuia celebrare, non sit malum hilarem esse, non sit malum saltare, quando illa etiam à ueteribus sint celebrata. Verũ oportebat obseruare, non quid res istæ in se sint, sed quid sit ingenium carnis nostræ, quomodo illa affecta ex istis rebus reddatur: nimirum ita, ut reiecto omni timore Dei, præceps ruat in omnis generis flagitia. Iob magna cura tenebatur, si quando liberos suos sciebat conuiuijs indulgere, ne quid contra Dominum delinquerent. Numerorum 25. dum Israëlitæ accedunt conuiuia Moabitarũ, tandem etiam ad fornicationem & idololatriam, postquàm genio indulserunt abducti sunt. 2 Iob 1.

Ezech. 16. dicitur peccatum Sodomorum fuisse, ocium, abundantiam, & saturitatem panis, &c.

De choreis quid dicam? In se quid illæ sunt aliud, quàm effusionem quandam eius uanitatis, quæ latet in animis. Quæ hic uana committantur, non est opus, ut proferam, cum sint manifesta. Quid domum reportetur nouerunt illi ipsi, qui choreas exercent, etiam, qui spectatores assistunt. Certè hoc loco uidemus, quid ex choreis sit natum.

Nõ solũ hoc habẽt mulieres libidinosæ, sed & uiri lasciui, etiam qui spirituales habentur. Vide quid Platina scribat in Paulo pontifice secũdo, de Vianesio Camerario Pontificis, quomodo cum ipse Platina in tormẽtis penderet, monilia Sangæ attrectans, rogarit, a qua puella donũ amoris accepisset, &c.

OBSERVAT.

Herodias.] In Herodiade, uidemus ingenium & crudelitatem mulieris adulteræ. Hoc habent omnes adulteræ, ut è medio sublatos esse cupiant, quotquot sentiunt libidinis suæ testes, uel aduersarios. Hic, nisi non sit copia, nemini parcitur, neq; marito, neq; liberis, nemini prorsus, ne sanctissimo quidem. Huiusmodi exemplis plena sunt omnia. Proinde debebat adulterandi illa libido, maiore serio castigari hoc pessimo seculo, in quo passim proruitur in omne scelus.

Videmus

4 Videmus etiam exemplum eorum, qui peccatũ peccato alio obtegere ac diluere conantur. Quare nihil faciunt aliud, quàm quod causam publicandi latius facinoris parant. Incœsta illa libido Herodis & Herodiadis in finem mundi usq; nota erat, propter adiectũ occisi iusti ac sancti uiri facinus, cum forsan latuisset cognitionem sequentium temporum. Ita scilicet impij de peccato in peccatũ ruunt, & seipsos in profundũ mergunt, iramq; Dei in se prouocant. Pij uerò rectè peccata diluunt per pœnitentiam ac resipiscentiam.

1 OBSERVAT.

3 Filia Herodiadis.] In hac puella saltatrice, exemplum habemus male institutæ iuuentutis. Virginum non est, in medium uirorum conuiuantium, abiecto pudore prodire, sed magis uereri ac fugere uirorũ conspectum maximè in conuiuijs, ubi libidini frena laxantur. Ista uerò non solum ad conuiuium ingreditur, sed & in conspectu omnium saltat, atq; ita saltat, ut placeat conuiuio temulento. Qualiter saltasse putas impudentem? Certè non admodum uerecundè. Alioqui non ita placuisset regi pariter atq; conuiuis.

2 Deinde uidemus quid referat, quales parentes nactus sis. Mater impia, lasciua, adultera, crudelis, non habet satis sua ipsius temeritate, nisi et puellã sibi similem adfingat & instituat, ut in filia discas, qualis fuerit mater.

Et certè docilem sese præbuit ista puella plus satis, & præter æquum maternæ crudelitati morigeram & obsequentem: quales hodie inuenias plurimas matres et filias, mutuæ libidini inseruientes. Non ita Susanna instituta est, &c.

Habet tamen puella aliquid boni in re non bona, quod nobis sit in re bona imitabile. 1. Quod regiæ pollicitationi credit, atq; ideò petitionem instituit. Audi cœlum, audi terra. Herodes impius iurat & pollicetur, & puella scelesta credit & petit. Deus iurat et pollicetur, & quis est qui corde credat, & cum fiducia petat?

2. Deinde, quod prudenter non petit suapte sponte, sed consulit matrem antequàm petat, quid petere debeat. Istam impiæ puellæ prudentiam in re impia, sectemur nos in re pia. Cõsulamus et nos antequàm petamus, quid petere debeamus. Consulamus autem non carnis, sed spiritus prudentiam & consilium. Rogemus Christũ. Imò non rogatus iam olim docuit, quid petere debeamus.

1 OBSERVAT.

4 Herodes.] Et placuit Herodi. Quid? Puella saltans. Quæ? Filia Herodiadis inquit. Quare non Herodis? Quia erat ex fratre: Ergo placuit Herodi puella testis nuptiarum incœstarum. Quomodo non uenit in mentem fratris, cuius hæc erat filia, & contumeliæ fratri illatæ, ut pœnitentiam egisset? Cur non pudore suffusus est propter conuiuas? Ecce ingenium impiorum. Gloriantur in eo de quo debebant erubescere.

Sed placeat. Qualis autem? Saltans. Cur non orans? Sed quomodo placerent lasciuo regi, quæ castitatem & pietatem referrent? Lasciuo placent, quæ lasciua sunt. Tales & hodie magnates habemus.

2 Pollicitus est se daturum quicquid peteret. Reges decet munificentia. Sed ista peruersa est. Pollicetur & Christus nobis hoc de patre nostro cœlesti. Verum non si saltauerimus, sed si illi fideles fuerimus. Hodie reperias principes, qui nescio quid non profundant in gnatones et parasitos, interea tenaciſsimi erga honesti studiosos. Sed uetus est, quicquid honestati detrahitur, turpitudini reseruari. Imò non solum reperias tenaces erga honestos, & profusiſsimos in turpes ac sceleſtos libidinum administros, sed & raptores ac deprædatores subditorum. Iste Herodes Iohanni nunquàm dixit: Pete à me quicquid uoles & dabo, puellæ lasciuæ dixit.

Marcus habet adiunctum esse à rege isti pollicitationi, etiamsi petat puella dimidium regni, daturum tamen se. Vide hic admirabile iudicium dei in impijs Tyrannis. Quàm hic dissimilis est patri Herodi, qui eius regni gratia tot modis adflixit miseros Iudæos, idq; tot annos: deinde & uxorem Mariamnem, & proprios liberos occidit propter suspicionem inuadendi regni. Quin Christum recens natum huius gratia ad necem quærebat, & tot infantes circa Bethlehem occidit, ut securus esset in regno suo. Et hic filius eius dimidium regni pollicetur daturum se puellæ saltatrici, unius choreæ gratia. Quid hic aliud notandum, quàm iudicium Dei in Tyrannos esse, qui sanguinem fundunt obtinendi regni gratia, ut post se relinquant liberos, qui quod sanguine partum est, & tyrannide aliquandiu obtentum, tam facile in quamuis lasciuiam pro libidine profundant? 3

Et cuius gratia uis illi dari dimidium regni? Quia bene placuit. In quo? In saltando: Ergo digna est administrando regno, quæ bene saltare nouit? An ita bene consules populo regni tui? An saltatrix probè poterit acceptum regnũ gubernare, ac prodesse subditis? Quin credibilius est fore dissipatricem regni, quàm altricem. 4

Quid hodie uidemus aliud, ubi dantur ditiones pessimis nebulonibus, qui tales sunt, ut nemo prudens uel uilissimam casulam illis facile administrandam concrederet? Ad eum modum & Pontifex dispensat beneficia Ecclesiastica, &c.

Cum iureiurando pollicitus est, &c. Attamen propter iusiurandum, & eos qui simul accumbebant, &c. 5

DE IVREIVRANDO.

Huius duplex est obseruatio: Vna, ut ritè fiat: Altera, ut ritè seruetur. Contra utranq; deliquit Herodes, quemadmodum fieri nequit, ut homo impius rebus sacris bene utatur.

Contra primam peccauit, quod sine omni necessitate, in re ludicra, iuramento usus est, ut taceam, quod periculosum iussurandũ fecit. Debebat enim timere, ne puella quid esset petitura, quod cũ deo præstare nequiret. Deinde contra alteram quoq; peccauit, quod non contentus stulte iurasse, impiè quoq; præstat, quod impiè petebatur. Et uide cæcitatem impietatis. Turbatus est inquit. At propter iusiurandum. Et propter conuiuas. Quàm facile poterat respondere: Hoc est contra Dominum. Mihi non licet caput dare hominis sancti & innocui. Hac in re non teneor iuramento. Imò, quàm commodè poterat crudelitatem puellæ & matris corripere. Deniq; quid opus erat uereri conuiuas, nisi daret petenti caput Iohannis?

Duo

Duo itaq; hîc notanda. Primum quàm sit peruersa impiorum religio. Religio est impio non seruare iusiurandum in re impia, ubi poterat, quin debebat etiã non seruare: et ubi debebat seruare, seruandumq; præcipere, ibi non seruabat. Vxorem dimiserat fracta fide coniugali, fratris tulerat, fracta & illic fide coniugali. Et ibi nulla erat iusiurandi religio. Caput hominis sancti petitur, quod tamen nominatim non erat promissum, & religio est non præstare.

Platina scribit de Paulo II. quod captiuos quosdam insontes ideo noluerit dare liberos, ne diceretur insontes in carcere detinuisse, sed putaretur magnum subesse facinus tam longæ ac diuturnæ captiuitatis.

Alterum, uidemus hoc exemplo, quantum sit malum inanis gloriæ. Nolebat uideri iusiurandi impius contemptor, sed religiosus obseruator. Deinde, si causatus fuisset innocentia Iohannis, propter quam non liceret hoc petenti puellæ seruare promissum, in promptu occurrisset conuiuis cogitatio talis: Si innocens est Iohannes, cur habet eum in uinculis? cur non dimittit liberum? Ita scilicet impietas Herodis partim cæcitate, partim peruersa religione: deinde et inanis gloriæ uinculis irretita: quasi bos ad aratã, ita ad facinus effundendi sanguinis innoxij cõtra conscientiam trahitur. Rectè dicit Paulus, Satanam suos captiuos habere, & ducere quò cupiat.

CONVIVAE.

In istis conuiuis depictum est ingenium aulicorum. Inter omnes conuiuas non reperitur unus, qui regem ab infando isto facinore uel uerbulo prohibeat calamitate forsan afini admoniti. Quid non peccabunt libidinosi principes, ubi tales sunt aulici, ubi nihil potest adeò enorme præsumi, quod non habeat aulicos assentatores, applausores, & precones adulatorios?

Et uide in terra quæ sit sors adulatorum, & eorum qui assentari nesciunt, sed liberè quod malum est reprehendunt in isto seculo. Assentatores aulici deliciantur cum rege impio, Iohannes interim captiuus est in carcere, & rapitur ad mortem. Sic Prophetæ olim ueri affligebantur, in speluncis latitabant, falsi pascebantur mensa regia.

DECOLLATIO IOHANNIS.

1 Amputauit caput Iohannis in carcere.] Discamus isto exemplo patientiam in adflictione, si quando à peruersis hominibus contigerit adfligi immerito. Cogitemus quanta fuerit patientia Dei, quod conuiuium hoc impium & sanguinarium non mox uel terræ motu est absorptum, uel igne cœlesti consumptum. Miraris quo pacto queat Deus hodie quorundam temeritatem & crudelitatẽ ferre, cogita quid et quãdiu in ueteri testamẽto tulerit, cum occiderẽtur tot ac tanti Prophetæ.

2 Deinde expendendum & ipsum mortis genus. Leuius fuerat occidi publicè, ut licuisset uel aliquo pacto testari innocentiam, & declarare tyranni impietatem. Verum hæc omnia denegantur uiro tam sancto, occiditur in carcere, sine conscientia publici, nemine præsente, nemine consolante, nemine condolente & plorante, tyrannicq; impietatem & crudelitatẽ detestante.

3 Quod si idẽ mortis genus cuiquàm fuerit inflictum, memor sit sancti huius uiri, & aliorum, qui hoc pacto occultè sunt interfecti. Illis quidem, qui occiduntur propter malefacta, acceptius est clanculum occidi, quàm cum publico dedecore. Secus uerò illis, qui & insontes sunt, & uulgo pro insontibus habentur.

Quod caput allatum est matri Herodiadi, signum est maximi odij, quo scelesta flagrabat erga sanctum uirum, cui non erat satis audire de nece illius, nisi et præsens interfecti caput cernat, & ludibrio afficiat. Ita solent principes impij erga hostes suos potissimos uictores facti. Exemplum est 1. Samu. 31. Pijs uerò hoc pacto nihil gratificatur. Vide 2. Sam. 4. de allato ad Dauidem capite Isboseth filij Saulis. Et 2. Sam. 20. Vbi legitur caput Sibæ seditiosi extra murum in Abela ad Ioab proiectum esse. non legitur quod illud sit ad Dauidem allatum. Sciebant enim absq; dubio regem pium istiusmodi spectaculis non delectari. Ista delectatio est impiorum, qui sanguinem humanum sitiunt, non piorum.

Et accesserunt discipuli eius, & sustulerunt corpus, ac sepelierunt illud.

Quomodo licuerit illis tollere corpus interempti, cum ut Iosephus habet, sic decapitatus in arce Macheronte, merito quis quæsierit. Verum, ut suprà uidere est Mat. 11. accessum habuerunt ad carcerem, cum esset adhuc in uinculis, ex quo potest conijci, quod & hic non sint prohibiti.

Mirum est autem, quod Euangelista tam paucis uerbis sepulturam Iohannis describit, nihil aliud docens, quàm sublatum esse corpus eius à discipulis et sepultum. Non memorat, quo loco, quóue honore, sed simpliciter esse sepultum. Sed quid aliud scriberet, quando hoc erat supremum munus dilectionis, quod discipuli magistro suo impendere potuerunt. Et hoc est, quod ex ordinatione Dei debetur mortuorum corporibus, etiam sanctorum, uidelicet, ut sepeliantur, & terræ, unde sumpta sunt restituantur, iuxta illud: Terra es, et in terram ibis.

Circumstantiarum, loci et rituum sepeliendi, non est tanta ratio, ut scribi oportuerint.

Ad eum modum & nobis Christianis satis esse debebat, si corpora nostra terræ mandentur, ubi ubi illud fiat. Christianus, si fide moritur, dormitionem habet non mortem, resurrecturus in nouissimo die. Vbicunq; dormiat, securè dormit. Quæ de sepultura notanda sint uide in annotationibus meis Psal. 16.

Abierunt & renunciarunt Iesu.

Ex multis locis Euangelicæ historiæ liquet discipulos Iohannis pro magistro suo zelo quodam aduersum Christum laborasse, qui zelus certè durauit, donec in uincula coniectus Iohannes, pristinum splendorem habere desijt. Iam uerò mortuo Iohanne, Christum ultro adeunt, illiq; quid Iohanni acciderit, nunciant, id quod signum est, rese disse zelum illum pristinum.

Sed quid causarum præcesserit, ad emollitionem istius zeli? Duo præcesserunt. 1. Quod ipse Christus & Iohannes perpetuo uno spiritu incesserunt, & neuter alterius gloriam oppresserit, sed magis studiose tutatus est. 2. Quod Iohannes, cum in uinculis esset suos ad Christum undiq; ex miraculis illustrem miserat, ut coram cernerent testimonia illa præsentis Christi, quæ prophetæ iam olim prædixerant.

Hæc duo plurimum profuerunt discipulis Iohannis, ad hoc, ne post mortem etiam maneret ille præposterus

zelus in cordibus ipsorum. O si exemplum hoc sequerentur hodie, qui alicuius nominis habentur, & non adeò cupidè post se discipulos traherent, minus aliquanto haberemus sectarũ & præposteri zeli. Fit aliquando ut post mortem etiam doctorum, discipuli maneant in liuore, quem illis uiuentibus contraxerant. Sed quæ est culpa, nisi quod magistros sectarum autores, inanis gloriæ, uel certè contentionis aui diores habuerunt?

Et cum audisset Iesus, secessit illinc in naui, ad desertum locum seorsim.

Non eadem uidetur secessus istius causa assignari ab Euangelistis, Matthæo & Marco. Matthæus ideò scribit Christum secessisse, quod audiret Iohannem ab Herode decapitatum. Hoc enim uerba illius uolunt, cum dicit: Et cum audisset Iesus, secessit illinc in naui. Quid uerò audierit præcedentia declarant: nempe audierat referentibus discipulis illius Iohannẽ esse interemptum ab Herode. Marcus uerò secessus huius aliam causam
Mar. 9. reddens ita scribit: Et congregantur Apostoli ad Iesum & renunciauerunt ei omnia quæ egissent & quæ docuissent. Et ait illis: Venite uos soli seorsim in desertum locum, & requiescite paululum. Erant enim qui uenirent & abirent multi, ac ne cibum quidem capere uacabat. Et abijt in desertum locum nauigio seorsim. Hæc ille. Videtur itaq; Marcus uelle Christum ideò in locum desertum secessisse, ut liceret discipulis pauxillum requiescere ab ea molestia, quam ex populi frequentia capiebant. Quem ergo sequemur?

Respondeo. Vtrunq;. Non enim absurdum est unius facti plures esse causas, siquidem illæ inter sese non repugnent. Nihil autem contrarij habent hæ duæ causæ, quas possibile est simul concurrisse, Christoq; secessus causam dedisse. Lucas uerò etiam nomen deserti ponit: nempe Bethzaida, id est, domus uenationis: forsan propterea, quod oppidum illud uicinum esset deserto, bestijs feraci, atq; ideò propter uenandi usum, domus sit uenationis dictum.

OBSERVAT.

1 In ea causa quam Matthæus assignat, in qua quidem species quædam apparet animi mortem timentis, uerum aliud nobis præscribitur: nempe, ut furori impiorum ad tempus cedamus, nullamq; occasionem sæuiendi demus. Ergo uitare licet impios, ad cædem paratos, ut postea maiore fructu liceat inseruire pijs. Ita cessit hic Christus Herodi, quod nondum esset moriendi tempus, quemadmodum & suprà cap. 4. cum Iohannem audisset in carcerem coniectum, & cap. 12. cum Pharisæi ad necem insidiarentur, cessisse scribitur. Et ne putemus ista ad nos non pertinere, suprà cap. 10. apertis uerbis iussit, ut sui ex ea ciuitate fugerent, in qua persequutionem contingeret ferre, & ut cauerent ab impijs, &c.

2 Quod ad locum desertum fugit ac secedit, ingens est condemnatio sæuitiæ Herodianæ, quæ tanta erat, ut tutius fuerit habitare cum bestijs in loco deserto, quàm in illius urbibus. Hoc faciebant etiam multi Christianorum tempore primitiuæ Ecclesiæ cum grassaret ubiq; persequutio sub impijs principibus.

Postea cum esset seculum corruptum, etiam inter Christianos, multi detestati pseudochristianorum ficinora, & corruptam uitam, moresq; pessimos cum populi, tum Episcoporum ad deserta loca sese receperunt. Hinc sunt Anachoretæ.

Talis affectus corripiebat etiam prophetam Hieremiam utraq; de causa, cum sæuitiæ eorum qui tyrannidem agebant, tum corrupti populi, ut cupierit derelicto populo abire in desertum. Vide cap. 9. ab initio capitis locum ipsum expende. Quis dubitet hodie quoque multis pijs in animo sedere istud secessus genus? Hier. 1.

IN CAVSA QVAM dat Marcus.

Duo sunt consideranda. Vnum quod facit ad consolationem. Alterum, quod est loco exempli.

Ad consolationem facit considerata hic humanitas 1
Christi, qua suorum imbecillitatem agnoscens, et irremissorum laborum molestiam, spacium & locum dat quiescendi. Ista indulgentia adhuc perseuerat in Christo, qui etiamnum potest compati infirmitatibus nostris Hebr. 5. Hac se solentur qui continuis laboribus in functione munerum suorum fatigantur, siue sint in magistratu, siue in ministerio uerbi. Hac se solentur etiam qui diuturnis & irremißis morbis premuntur. Auriga nouit equis suis indulgere spacium respirandi & quiescendi, et Christus non sciet? Aurifaber considerat quid ferre ualeat argentũ in camino fusorio, & Christus non considerabit quid sui in pasßionibus ferre ualeant?

Alterum est, quo ueluti exemplo admonentur Do- 2
mini, ut seruos & domesticos suos eadem indulgentia tractent. Hinc sunt Sabbata. Vide Exod. 20. ut requiescat seruus tuus, ancilla tua, &c.

Notandum tamen iuxta est, quod ista refocillatio non datur temeritati & uanitati, sed corporeæ relaxationi, & talis, cum qua Christus ipse sit iunctus, quæ non sit præter Christum. Hodie uerò dies Sabbatorum dantur luxui & turpitudini non quieti, itaq; consumitur quietis tempus, ut planè reijciatur Christus.

Et cum audissent turbæ, sequutæ sunt illum itinere pedestri, relictis urbibus.

Quod itinere pedestri, & quod relictis ciuitatibus turbæ Christum sint sequutæ uterq; & hic & Marcus commemorant, quasi non sit satis si turbas Christum sequutas esse scribant, nisi & istas circumstantias adijciant. Volunt ergo populi feruorem erga Christum describere, qui ex eo notatur, quod itineris molestia non sint absterriti ab insequutione Christi, & quod ita cupidè illum sequuti sint, ut relictis urbibus, ubi quæ aduitam sunt necessaria in promptu habebantur, in desertum post Christum ierint, quo in loco erat omnium rerum necessariarum penuria, præter reliquas eius loci molestias. Quid autem animos populi in hunc feruorem impulerit, exprimit Iohannes capite sexto, dicens: Quia uidebant eius signa, quæ faciebat super his qui infirmabantur, &c.

Hoc exemplo uidemus, quanto feruore Christum 1
sequantur, qui corporalium bonorum gratia illum sequuntur.

quuntur. Talem plerìq; feruorẽ initio renascentis Euangelij declararunt, qui propter libertatem illam carnalem doctrinæ Euangelij adhærebant.

2 Hoc tamen in populo bonum est, quod specie illa animi meticulosi, quæ per istum secessum, imperitis dabatur, ab ista profectione non auocantur. Non dicunt: ut quid hunc sequeremur qui fugit, qui meticulosus est, qui mortem timet, id quod fòrsan ideò facit, quod sibi mali cuiusdam conscius est? Nihil huius cogitant, sed simpliciter mouentur uirtute illa miraculorum quam uiderant. Et certè hoc erat signum animi candidi. Improborum est exigere à sanctis, ut ultrò sese ad necem dent. cupiunt enim illos & optant planè interire. Qui synceri sunt, illi satis habent si notauerint iustitiã causæ, & ueritatem Dei. Si qua coniuncta est animi infirmitas, illa non ita offenduntur, ut sanctos Dei traducant, & à causa deficiant.

Et egressus Iesus uidit turbam multam.

Et egressus Iesus. Lucas habet: Et excepit eos.

In occursum egreditur ad eos, qui cupidè & sponte sequuntur, qui ab impijs declinat.

Vidit turbam multam.] Erant enim circiter quinq; millia uirorum, absq; mulieribus & paruulis.

Et tactus est affectu misericordiæ erga illos.

Marcus habet adiectam causam. Quia erant sicut oues, non habentes pastorem. Hac de re uide suprà capite nono in fine capitis, ubi eadem habentur.

Sanauitq; ex illis qui male ualebant.

Non est ociosa misericordia. Sicut uera fides non est ociosa, & uera dilectio. Itaq; rectè cum dixisset: Et tactus est affectu misericordiæ. etc. subiecit: sanauitq; etc.

Vide hac de re suprà 9. ibid. Misericordiam uolo, & non sacrificium.

Non est autem putandum, quod primo curauerit morbidos, nedum quod tantum hoc cum sequenti pastura præstiterit isti populo. Marcus enim tradit Christum doctrina quoq; instruxisse populũ. Et Lucas quoq; dicit: Et loquebatur illis de regno Dei, & eos qui opus habebant curauit.

OBSERVAT.

1 Expendenda est hoc loco diuina uirtus & beneficentia in Christo, qua obseruata, discimus quis sit Christus, & quod eius officium.

Ex Marco & Luca habemus, quod docuerit populum de regno Dei. Doctrina regni Dei salus & medicina est animæ. Ex Matthæo & Luca discimus, curasse illum male habentes. Ex omnibus simul Euangelistis accipimus, quod pauerit omnem hanc multitudinem quinq; panibus.

Ista demum sunt ueri pastoris indicia, quibus etiam ouiculæ opus habent: nempe.

1. Vt ab errore reducantur.
2. Vt ægræ curentur.
3. Vt pascantur.

Contra falsi pastoris institutum est.

Seducere.

Morbidas negligere.

Sanas uorare.

Vide hac de re Ezechielis 34.

Sunt aũt hæc tria planè diuinæ uirtutis. Nam illa est.

1. Quæ docet omnes, Ioh. 6.
2. Quæ sanat omnes, Psal. 36: Homines et iumenta saluas domine. Et 107. Misit uerbum suum & sanauit eos.
3. Quæ pascit omnes. Psal. 104. 145. Deut. 8.

Itaq; diuinæ uirtuti inseruiunt quotquot docent, sanant, & pascunt alios.

Porrò cum appetisset uespera, adierunt eum discipuli ipsius, dicentes: Desertus est locus, & hora iam præterijt, dimitte turbas, ut abeant in uicos, & emant sibi cibaria.

Insignem hanc historiam esse uel ex eo patet, quod ab omnibus simul Euangelistis describitur, maximè, quod Iohannes eam omittere noluit, cum tamen post reliquos scribens: sciret eam iam ab ipsis esse tractatam. Ista ad commendationem historiæ plurimum facere debent, & monere, ut diuinitatem Christi in illa probè notemus. Nam huius gratia, à Iohanne maximè descripta est, cuius peculiare scribendi propositum fuit, ut Christi diuinitatem declararet.

Sed quoniam Ioannis memini, admonendum est, ut nemo offendatur per id quod in Iohanne secus legitur, quàm in reliquis tribus, qui omnes scribunt à discipulis: primum de dimittenda turba Christum admonitũ, atq; ita initium & ingressum, ut ita dicam, ad futurum miraculum esse factum, cum Iohannes, quasi ultrò discipulos à Christo interrogatos esse, de pascenda turba commemoret. Augustinus hunc locum ita conciliat, ut dicat ea quæ reliqui tres habent, præcessisse, quæ uerò Ioannes, subsequuta esse. Mihi uidetur Ioannem non admodum curasse quæ discipuli Christum admonuerunt, sed magis in eo fuisse, ut mentem Christi de tentandis discipulis, & ad cognitionem magnitudinis futuri miraculi præparandis exprimeret.

Dimitte turbas ut abeant.]

OBSERVAT.

Quid opus erat huius admonere Christum? Quis prohibuit ne ultrò abirent? Vt enim hunc populum ad se non uocauerat Christus, sed is ultrò accurrerat, ita licebat & ultrò illo non prohibente abire. Verum is erat utrinq; cum Christo docendi, tum populo audiendi feruor, ut discipulis, posteaquàm cernerent nec locum, nec tempus expendi necessarium uideretur Christum compellare de dimittenda turba. Iam in concionibus Ecclesiasticis ista admonitione non est opus. Vix hora sustinetur, ut finita concione, precibus, & gratiarum actione dimissi auditores abeant in pace, sed ultrò maior pars properantius abit, quàm accesserat.

Date illis uos quod edant.] Hoc quod erat facturus ipse, iubet facere Apostolos, cum tamen illis esset impossibile. Sed ideò hoc dicit: ut agnita rei impossibilitate futurum miraculum postea hoc esset clarius, quo antea ab ipsis penitius fuisset agnitum & expensum suæ

facultatis non esse tantam multitudinem eo cibo quem modicũ habebant, pascere. Sciebat suos adhuc esse fide imbecilli, nondum uirtutem Dei in se satis probè tenere. Ideò studiosè agit, ut futurum miraculum reddatur illis conspicuum, ut in eo diuina uirtute obseruata fiant firmiores ac robustiores in fide, atq; ita ad quæuis regni Dei negocia instructiores. Quàm enim ad cognitionem diuinæ uirtutis in Christo, & solidam fidẽ fuerint crassi adhuc, uidere est infrà cap. 16. ubi hoc miraculum illis refricat. Vide locum ipsum.

Huc pleraq; faciunt, quæ in ista historia legimus.

1. Quod dicit: Date illis uos quod edant.

2. Quod ut Marcus habet, iubet ire & uidere, quot panes habeant, id quod ipse non ignorabat, sed ideò facit, ut penuriam commeatus, qui ad tantam multitudinem sufficeret, ante futurum miraculum probè scirent. Nam illa plurimum erat uirtutem dei illustratura. Huc facit quod apud nostrũ dicũt: Nõ habemus hic, nisi &c.

3. Quod panes iubet sibi adferri, ut à se fractos ipsi Apostoli populo apponerent.

4. Quod iubet populum discumbere ordine centenos & quinquagenos. ad hoc, ut multitudo populi reddatur numerabilis, & scirent apostoli, quantum cuiq; cumulo apposuissent.

5. Quod in cœlum suspicit et gratias agit, admonet & ipsum rem geri diuinitus.

6. Postremò, quod iubet fragmenta residua colligere. Nam hinc uidebant plus superesse, quàm appositũ esset. Sed iam uideamus singula.

Non est illis necesse ut abeant, date illis uos quod edant.

Ista tentandi gratia dicta sunt à Christo, quemadmodum Iohannes expresse ponit.

At illi dicunt ei: Non habemus hic nisi quinq; panes & duos pisces.

Ex Iohanne liquet, qui ex discipulis & quid Christo responderint. Philippus dixisse scribitur, ducentorum denariorum panes nõ fore satis ad tantæ turbæ pastum. Huius meminit sermonis & Marcus. Vnde quidam colligunt Apostolos habuisse ducentos denarios, id est, 20. coronatos. Verisimile est aliquid pecuniæ habuisse. Nam Iudæ concreditus erat loculus. Verum hinc non certo colligitur. Ego magis puto Philippum istud eo animo dixisse, quod uoluerit magnam pecuniæ summam & fortan maiorẽ, quàm ipsis esset, nõ sufficturã dicere. Deinde id quod hic noster ponit, in Iohanne datur Andreæ, qui dixerit: Est puer unus hic, qui habet quinq; panes hordeaceos & duos pisces. An is putat ad Apostolos pertinuerit, uel hos panes uenales eò attulerit, ut in turbarum concursionibus fieri solet, uncertum est.

OBSERVAT.

1 Quicquid sit de denarijs ducentis, & quinq; panibus, habuerint eos Apostoli uel non habuerint, hoc liquet, quod ad pastũ huius turbæ impares fuerint. Qua in re obseruanda est eorum tenuitas, cum tamen iam recens ex apostolatu rediissent, in quo potuissent magnam pecuniæ summam colligere, de quo est suprà cap. 10.

Afferte mihi illos huc.

Hoc sit & nobis dictum. Adferamus & nos ad Christum panes nostros, hoc est, omnia, quibus siue ad nostram, siue ad aliorũ utilitatẽ usuri sumus, tanq̃ ad eum, qui sua uirtute potest illa multiplicare & fœcundare.

Et iussit illos discumbere super gramina.

Parum regaliter conuiuas suos panibus hordeaceis & mensa graminea excipit Christus.

Admonemur, ut delicijs neglectis contenti simus quacunq; ratione tandem necessitati satisfiat. 1

Deinde obseruemus, quàm in uili materia, & humili apparatu Deus res operetur maximas. Plus habet diuinæ maiestatis hordeaceum hoc et herbidum cõuiuium, quàm omnes mensæ regiæ. 2

Hodie unus successor Apostolorum pasceret egregiè multo plura millia, tantum habet opulentiæ, quia gratis non dat, sed cariè merces suas uendit.

Deinde obseruandum est, q̃ fuerint infirmi fide Apostoli, quàm Christi uirtutem nondum exactè tenuerint. Alioqui aliud Christo respondissent. Magis considerant naturæ curs um, quàm Christi uirtutem.

Iussis turbis discumbere.

Lucas dicit illum præcepisse, ut iuberent populum quinquagenos discumbere. Hoc ideò factum, ut miraculi magnitudo postea esset eò conspicatior.

Sublatis in cœlum oculis, benedixit.

Consuetudo Christi, & omnium piorum. Benedixit, id est, gratias egit. Vide in Iohanne.

OBSERVAT.

Dona Dei, utut modica cũ gratiarũ actione usurpanda. 1

Quid sibi uelit, quod oculos in cœlum sustulit. Vide 2 suprà Matthæi sexto.

Benedixit.] Matth. Marc. Luc. habent εὐλόγησεν. Ne uerò putemus secretam aliquam conurationem aut benedictionem suprà panem recitasse, occurrit Ioannes qui loco huius uerbi, quod benedicere significat, habet κὴ εὐχαριςήσας δέδωκε, id est, cum gratias egisset, dedit. Atq; ita & de septem panibus Mat. 15. & Mar. 8. legimus: κὴ εὐχαριςήσας ἔκλασε. Et cum gratias egisset, fregit. De Cæna quoq; idem legimus. primum in Matthæo cap. 26. κὴ εὐχαριςήσας ἔκλασεν, Deinde & in Luca, κὴ εὐχαριςήσας ἔκλασε. Et in Paulo 1. Cor. 11. eodẽ modo. κὴ εὐχαριςήσας ἔκλασε. Marcus habet, εὐλογήσας ἔκλασε. Ex quibus sanè locis omnibus uidemus Euangelistis idem esse benedicere & gratias agere, uel laudare, glorificare.

Ista admonuerim contra superstitionem consecrandi panis, qua utuntur Pontificij, ut uideamus Christũ nulla alia benedictione usum, quàm gratiarum actione, non supra panem prolata, occultè, more coniuratorio, sed ad patrẽ dicta, quæ qualis fuerit, ignoramus, ideò quod ab Euangelistis non est posita. Nam illa uerba, quæ loco consecrationis & benedictionis habent Pontificij: nempe, Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur, neq; benedictionẽ, neq; gratiarum actionem in se habent, sed magis exhibitionem doni cœlestis, corporis uidelicet et sanguinis Christi. Quemadmodum illa quæ subiungit: hoc facite in meam commemorationem,

morationem, institutionem habent, cuius uirtute nos dicimus, panem in cœna Domini esse corpus Christi, non uirtute nostræ prolationis. Atq; hoc est quod Augustinus dicit: Accedat uerbum ad elementum, & fit sacramentum. Ista acceßio uerbi, non est nostra prolatio, sed Christi. Quia ille dixit semel: hoc est corpus meum, & hoc facite in meam rememorationem, ideò tenemus fideliter, hunc panem esse corporis Christi Sacramẽtum.

Verba uerò ipsa ideò proferimus, quia in se habent exhibitionem et institutionem huius sacramenti. Proferimus autem publicè uoce intelligibili, ad Ecclesiam, non super panem, ut audita Christi institutione, fidem alamus, & dono cœlesti pascamur, gratiq; simus.

1 Ex isto pontificiorum de uirtute uerborum, & occultè consecrationis errore, sequitur alius, ut plerunq; error errorem trahit: nempe, quod facto Christi, de quo est Lucæ ultimo, impietatem suã falso defendere conantur, qua Christi Ecclesiæ cõmunionem noui testamenti, in sanguine Christi celebrandam, pernegant, asserentes utranq; speciem sacerdotibus, unam tantum: nempe panis, laicis competere. In huius argumentum adducunt, quod duobus discipulis Christus in Emaus, non uinum, sed panem tantũ benedixisse & dedisse legatur. Quem locum exponunt ideò de Sacramento corporis Christi, quod in eo uerbum benedicendi positum est, ut quod Euangelista dicit: Accepit panem, benedixit, fregit ac dedit, & c. idem sit, atq; consecrando in corpus suũ mutauit. Nam ita uerbum benedicendi exponit interpres istorum sacrorũ Gabriel Biel. Et Eccius in locis suis institutum Romanæ Ecclesiæ defensurus hunc locum adducit. Bella scilicet probatio, cum in isto 5000. hominum pastu idẽ legatur, nec audeant ad eum modum exponere, benedixit, id est, cõsecrando in corpus suũ mutauit, et effecit, ut nulla adesset amplius panis substãtia.

Et hanc rationem communicandi sub una tantum specie, dicunt esse traditionem Apostolicam, eò quod initiũ huius monstrare nemo queat. Qua re quæso quid
1 faciunt aliud quàm quod. Primo iniuriam faciunt institutioni Christi, de qua est 1. Cor. 11. quam & Concilium Constantiense fatetur & agnoscit.

2 Deinde dant Apostolis, quod institutionem Christi infregerint. Paulus uerò reclamat, dicens: se dedisse Ecclesiæ, quod à Domino acceperat.

3 Tertio, iniurij quoq; sunt in Ecclesiam primitiuam, quæ traditionem Apostolorum, uel ignorauerit, uel non æstimauerit seruandam. Nam fatentur in primitiua Ecclesia populum communicasse sub utraq; specie. Si per ignorantiam hoc fecit, quis postea traditionem Apostolicam reuelauit? An non credibilius est primitiuam Ecclesiam traditiones Apostolicas, si qua fuissent, recentes adhuc tenuisse in memoria, quàm posteros obliteratas iam recognouisse? Si uerò per contemptum dicunt Ecclesiam primitiuam traditionem istam neglexisse, uiderint quomodo ab ista se purgent calumnia. In summa hoc liquet, istos Rom. curiæ adulatores malle primitiuã Ecclesiam arguere stultitiæ, ignorantiæ, ut reliqua taceam, quàm concedere Romanam Ecclesiam errasse. Et omnem istam temeritatem & impietatem, iniuriam quoq; in Ecclesiam Christi, quæ sanguine suo testata est, cum fidem tum amorem Christi, quæ spiritu sancto ducta est et directa, defendunt titulo Ecclesiæ, dicentes: Ecclesiam ita constituisse, cum non illa, sed qui in ea dominati sunt, hoc fecerint.

Sed iam non est animus istam causam fuse tractare, nisi quantum attinet ad præsentem errorem quem taxo in uerbo benedicendi

Præterea & hoc ex isto errore manat, quod tradunt 2
Missam mali sacerdotis nõ minus audiendam esse, quàm boni: nimirum propterea quod non minus consecrando & benedicendo mutet panem & uinum in corpus & sanguinẽ Christi. Nam id uirtutis dant uerbis prolatis, ut mox atq; dicta fuerint supra panem, iam non sit amplius panis, sed corpus Christi: & supra uinum, iam non sit uinum, sed sanguis Christi. idq; in primo instanti non esse uerborum Christi (ita loquuntur) quando perfectè finita sint, & c. Contra hunc errorem uide quid Hieronymus dicat in Soph. ca. 3. Sacerdotes, inquit, qui Eucharistiæ seruiunt, & sanguinem Domini populis eius diuidunt: impiè agunt in legẽ Christi, putantes Eucharistiã imprecantis facere uerba non uitã. Itẽ uide Dist. 81. ca. Si qui sunt presbyt. Itẽ Dist. 32. ca. Nullus. Et ca. Præter. Gabriel Biel.

Et cum fregisset.

Panis fractio Christo fuit in consuetudine usq; adeò, ut per illam sit à duobus discipulis in Emaus agnitus. Lucæ ultimo. Primum mos iste frangendi panis apud ueteres planè paternus fuit, qualis adhuc est in nonnullis locis, atq; hoc nomine accommodißimus Christo, per quem cibamur omnes.

Deinde & communicationis in se symbolum habet, ita ut uerbũ frangendi plerunq; idem sit atq; diuidendi. ut Esa. 58. Frange esurienti panem tuum, & c. Nequit enim panis in alimoniam uenire multorum, nisi frangatur. Atq; etiam ista ratione pulchrè respondet mysterio communicandi corporis Domini, panis cœlestis. Vnde & Paulus 1. Cor. 11. ubi Lucas dicit, quod pro uobis tradetur, posuit: quod pro uobis frangitur. Nam corpus Christi non ideò dicitur fractum esse, quod in se scißuram aliquam sustinuerit, sed quod cõmunicabile factum sit multis. Hinc est illud quod canitur. Nulla rei fit scißura, signi tantum fit fractura, qua nec status, nec statura signati minuitur. Hoc mysterium seruatum est in fractione panis, de quo Paulus 1 Cor. 10. Panis inquit, quem frangimus, communicatio corporis est Christi.

Dedit discipulis panes, discipuli uerò turbis.

Pulchrè repræsentatur hoc facto Apostolos futuros esse ministros ac dispensatores beneficiorum Christi. Potuisset populum istum pascere, ut sine panibus illis, ita & sine ministerio Apostolorum, solo uerbo. Verum ita placet diuinæ beneuolentiæ, ut cooperatoribus utatur nobis ad cohonestandam humanam nostram naturam, & ut assuescamus operibus & uirtuti patris nostri cœlestis. Ideò quanquàm sit solius Dei, docere, pascere, sanare, custodire ac tueri iustos: deinde & punire reprobos, nihilominus tamen hæc omnia humano exequitur ministerio.

Atq; hoc est, quod Paulus dicit 1.Cor.3. Dei sumus cooperatores. & 1.Cor.4. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, ac dispensatores mysteriorum Dei. Et Petrus uocat Christianos dispensatores multiformis gratiæ Dei.1.Petri 4.

Sed iuxta obseruandum est, quod isti populo, nullum alium panem apponunt, quàm eum quem à Christo acceperunt, quem Christus dedit atq; apponi iussit. Ita uidelicet ministro Christi sollicite uidendum est, ne sit dispensator humanarum adinuentionum, sed ea tantum proponat Ecclesijs Christi, quæ Christus doceri præcepit. Docentes eos seruare inquit, quæcunq; ego præcepi uobis. Matth.ult. Proinde ministri Christi, & dispensatores mysteriorum Dei dici non possunt, qui in Ecclesia, magis Romana, quàm Christiana dogmata tradunt.

Admoneantur hic parentes, ut ad istum modum & ipsi liberis suis, cum sua egenis impartiunt, utantur: ut adsuescant à pueris beneficentiæ.

Et manducauerũt omnes, & saturati sunt

Ista dicuntur ad commendandam Christi uirtutem & illustrandũ miraculum: uidelicet ne putet quisquam, uel non omnes ex istis panibus comedisse, uel non omnes comedentes saturatos, atq; ideò nihil hic ita magni factum esse, quod celebrandum sit. Ideò dicit: Et manducauerunt omnes, & saturati sunt.

Ista miraculosa satietas populum mouit, ut etiam altero die Christum sectaretur: cui respondet Iohan.6. Amen amen dico uobis, quæritis me, non quia uidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Operamini cibum, qui non perit, sed qui permanet in uitam æternam, quem filius hominis dabit uobis. Hoc loco pulchrè docemur per anagogiam à terreno pane ad cœlestem, quid ex hoc miraculo colligere debeamus: nempe filiũ hominis esse, qui dat cœlestem ac uerum panem, quo satiemur ita, ut nunquàm esuriamus. Verum etiam inter Christianos plurimi sunt, qui mallent Christũ corpora peritura ad tempus, quàm animas immortales in æternum pascentem. De ista uera satietate uide Ioh.6. De hoc pane cœlesti qui Christus est, non satiantur omnes, quia ex eo nõ manducant omnes. Quotquot uerò ex eo comedunt, uerè saturantur & uiuificantur.

Et sustulerunt quod superfuerat de fragmentis, duodecim cophinos plenos.

Iohan.6. legimus Christum hoc iussisse ideò, ne fragmenta perirent. Obseruanda sunt ergo hic duo.

1 Quæ sint diuinæ gloriæ Dei, quibus suos ita pascit, ut nõ solum saturentur, sed & multa supersint, & plura quàm initio appositum sit. Ex istis diuitijs est, quod eorum bona, qui substantiam suam fideliter alijs communicant, ita multiplicantur, ut ex eo ditiores reddantur.

Hoc legis etiam Pro.11. Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Anima quæ benefacit, ipsa impinguabitur, & qui inebriat, ipse quoq; inebriabitur. Impletus est hic locus in Apostolis, qui panes suos, quos iussu Christi populo isti communicárant, ita multiplicatos receperunt, ut sint ditiores redditi quàm fuerant antea. Idem docet & admonet Apostolus 2.Cor.9. Vide locum. O pessimam nostram diffidentiam.

Docemur etiam hic, ut bona illa, quibus pasti sumus, 2
non perdamus in reliquijs more suum, qui mox, ut saturati sunt, reliquias mensæ cum ipsa mensa perdunt ac subuertunt. Videant hic diuites, uideant qui magis ad suum quàm Christianorũ morem & ingeniũ accedunt.

Porrò qui comederant, fuerunt uiri fermè quinquies mille, præter mulieres ac paruulos.

Ad euidentiam miraculi iterum cautè loquitur, non dicens: Porrò, qui aderant, sed, qui comederant. Auxesim habet, quod addit: præter mulieres ac paruulos. Qui numerus certè non minor fuisse credendus est, quàm uirorum, nisi non fuerit eadem tum, quæ nunc est mulierum curiositas.

Quod si reges ac principes terræ ista uirtute præditi essent, ut exercitum tantæ multitudinis quinq; panibus pascerent, bone deus, quid bellicorum tumultuum non tentarent. Verum Christus omnem istam multitudinem, quam tam facile potuissent alere, quæ etiam parata erat se facere regem, à se, ut audiemus, dimisit, etc.

Et statim cõpulit Iesus discipulos suos, ut conscenderent nauim, & præcederent se in ripam ulteriorem, donec dimisisset turbas, ac dimissis turbis, ascendit in montem solus ad orandum.

Tria commemorantur ab Euangelista. Primum 1
quod adegerit discipulos suos, ut naui præcederent se Bethsaidam, ut habet Marcus. Alterum, quod turbas à 2
se dimiserit. Tertium, quod ad orandum montem solus 3
conscenderit.

HORVM RATIO.

Quanquàm nec hic noster Euangelista, nec Marcus rationem istorum assignent, in Iohanne tamen conspicuum est, cur ea Christus fecerit. Nam ibi sic legimus Illi ergo homines cum uidissent, quod Iesus fecerat signum, dicebant: Hic est uerè Propheta ille, qui uenturus est in mundum. Iesus ergo cum cognouisset, quod uenturi essent ac rapturi ipsum, ut facerent ipsum regem, secessit iterum in montem ipse solus.

Populus iste perpetuo carnalis regni formam in uenturo Christo expectabat, quemadmodum hodie quoq; expectat. Cum ergo tot ac tantis miraculis motus, intelligeret uenisse promissum illum משיח id est unctum & Prophetam Domini, moræ impatiens, conabatur ultrò raptum Christum nollet uellet facere regem, hoc est, seipsum potestati Romanorum, cui subditus erat eximere, & in libertatem asserere. Istæ cogitationes Christo nõ erant incognitæ. Sciebat enim quid esset in homine. Ne daretur itaq; species aliqua inuasionis terreni regni et rebellionis contra Rom. potestatem (regnũ enim illius nõ erat de hoc mundo) unde confirmari uideretur calumnia illa quã intentabant Pharisæi, cum accusarent eum apud præsidem, quod seipsum regem fecisset, atq; ita Cæsari contradixisset, pastũ populum,

lum cuius multitudo satis magna ad initia rebellionis uideri poterat, apud se detinere noluit, sed à se dimisit. Ad quod et hoc pertinere puto, quod discipulos quoq; coëgit naui se præcedere, & quod solus hoc uesperi mansit montem q; orationis gratia petijt. Voluit enim omnino istam synodum dissolutam iri, declarare q; se nihil minus quàm regni speciem meditari. Quod autem dicit: coëgit discipulos suos. signũ est quod ægrè auelli se à præceptore passi sint, maximè in solitudine cõstituto, idq; sub noctem, tertio interposito lacu, nonnihil illi periculi timentes. Amabãt enim illum, & alioqui non ignorabant primorum istius populi insidias.

OBSER.

1 In eo, quod ideò populum à se dimisit, quod sciret illum meditari regnum terrenum, ut omnem suspicionem & occasionem talium conatuum amputaret, uidemus quàm distent conatus Rom. Pontificum, ab eo cuius se uicarios mentiuntur.

2 Admonemur & hoc, ut caueamus non solum mala ipsa, sed & occasiones & speciem malorum, ne causas præstemus malè de nobis sentiẽdi. Mundus iste hoc quasi peculiare habet, ut sinistris suspicionibus perpetuo laboret, maximè cõtra ueritatem & illius professores & assectatores. Et potissimũ ea, quæ est rebellionis & seditionis, qua cum contra prophetas, Christum ipsum, Apostolos, tum contra temporis huius euangelicos doctores affectus est. Videamus itaq; sedulo, ad exemplum hoc Christi, ut quantum ueritati adhæserimus, tantum iuxta nos ita geramus, ut nullã speciem suspectæ rebellionis demus. Hoc faciemus, si quod ad terrena attinet, in omnibus fuerimus magistratibus nostris obsequentiores quàm antea, et erga proximos humaniores quàm ij sint, qui Euangelio repugnant.

3 Quod ad orandum se recipit, docemur quo confugere debeamus, si quid sinistri metuerimus.

4 Quod solus. Exemplum est quo natura orationis exprimitur, quæ amat secessus.

SEQVITVR.

Cum autem aduenisset uespera solus erat illic.

Videri potest Euangelista sui oblitus, quod cum antea dixerit uesperam aduenisse, priusquàm turbam paueri Christus, iam iterum dicit: Cum autem aduenisset uespera, quasi antea nondũ aduenerit uespera, aut quasi adeò parũ temporis elapsum sit, interea dum pasti sunt 5000 hominum, & post pastum dimissi. Verum nihil insolentiæ fuerit uesperã uocare non unam diei horam, sed totam eam partem, quæ à tertia hora est ad noctis usq; tenebras, ut rectè dixerit suprà cum appetisset uespera, hoc est, inclinare cœpisset dies, transacta nimirum meridie, & hic rectè dicat: Cum aduenisset uespera, Christum solum illic fuisse: nempe præmissis discipulis nauigio & turba dimissa, incumbentibus iam tenebris noctis. Habet enim uespera initium suum & finem, ut rectè dicatur uesperi factum tam quod in fine, quàm quod initio illius factum fuerit.

Solus erat illic.] Ad quid hoc ponit Euangelista? Annõ ex præcedentibus satis liquet, quod solus illic fuerit, cum scripserit discipulos coactos nauigio abijsse: deinde & turbam dimissam? Et præterea quid ad rem facit, quod solus illic fuit, ut dignum sit notatu?

Mihi uidetur Euangelista non hoc propriè uoluisse scribere, quod dimissis omnibus solus fuerit in deserto loco, sed magis, quod omnibus dimissis discipulis iam aliquandiu in mari, periclitantibus, non adfuerit, sed adhuc in monte, ubi orabat, hæserit, & tamen quæ paterentur discipuli, & quo maris loco fluctuauerint, cognouerint. Tale quid uidetur mihi spectasse Euãgelista.

Cæterũ nauis iam in medio maris erat, & afflictabatur ab undis. Nam uentus erat aduersus.

Hoc iam secundo accidisse discipulis nauigantibus scribitur. Hic, & suprà cap. 8. Nemo dubitet, quin hoc Christus præsciuerit, imò ex ipsius hoc dispositione uenerit. Supra præsens quidem erat, sed dormiebat. Hic studio absens est. Quur autem hoc uoluerit fieri Christus, ex Marco satis conijcitur. Nam is dicit discipulos corde ita fuisse obcæcato, ut miraculum quinq; panum non intellexerint. Hoc est, uirtutem Christi aduinam, quod esset filius Dei, ex insigni illo miraculo non animaduerterint. Liquet itaq; Christum istam tempestatem prouidentia sua disposuisse, quæ cum postea ab ipso sedata esset, argumentũ daret omnium manifestissimum esse se filium Dei. Occasionẽ scilicet parauit declarandi se clarius discipulis suis, ut fide redderẽtur firmiores.

Deinde, typum quendam exhibuit earum aduersitatum, quas erant in mundo passuri, & quid de se sibi polliceri, deberent.

OBSER.

Notandum itaque hoc loco, quid sit Christi discipulis, iussum ipsius facientibus, in isto mundi huius procelloso mari, in quo sæuiunt uenti aduersi expectandum. Quod hic per typum ob oculos ponitur, id apertius ab ipso dictum est: nempe in mundo suos pressuram habituros. 1

Deinde pulchrè expressum est, quod interea Christus suis, dum affliguntur, uel dormire, ut suprà 8. uel abesse putatur, & ipsos negligere, propterea quod non statim auxilio suo præsto est. Sic Dauid quæritur Deũ, dum in adflictione laborat, stare à longe, nõnunquàm et dormire, cum neq; dormiat, neq; procul sit. 2

Notandum est & hoc, quod aduersariam potestatem Satanæ, qua discipuli Christi in hoc mundo iactantur, figurat per uentum aduersum: qui non solum hoc faciat, quod cursum impediat, sed & nauim cum nauigantibus planè subuertere moliatur, ita, ut præterquàm quod in dubio, incerti quò rapiantur, fluctuant, mortem etiam ante se uideant, de uita periclitantes ac desperantes. Ad eum planè modum habet & aduersaria Satanæ potestas, quæ primum contra Euangelij cursum magna sæuitia luctatur, ireq; uetat quò Christus iussit. Iussit autem Euangelium prædicare in uniuerso mundo. Deinde incertum reddit Euangelij profectum, ut illius aliquando ministri dubitare cogantur, 3

quo sint promoturi, an aliquid sint effecturi. Et adhæc in periculum mortis rapit precones Christi. Hunc uentum aduersum sensit & Paulus de quo 2 Corin. 1. Senserunt mox Apostoli Hierosolymis. Sensimus omnes & nostris hisce temporibus, quibus nondum sedatus est.

Quarta autem noctis uigilia abijt ad illos Iesus, ambulans super mare.

Tria hoc loco de Christo cõmemorantur. Primum, quod ad suos in mari periclitantes abierit. Alterũ quando hoc fecerit: nempe in quarta noctis uigilia, hoc est postrema noctis parte. Nam noctem ueteres diuiserant in quatuor uigilias, ita ut ante medium noctis duæ, & post ad ortũ diei duæ essent. Tertium, quomodo ad eos abierit uidelicet ambulando super mare.

DE PRIMO.

Quod ad discipulos in mari laborantes ac periclitantes abit, docet nos, quid à Christo sperandum sit. Hoc scilicet, quod suos in necessitatibus non deserat, sed accurrat. Hoc pollicitus est, Matth. ult. Ecce ego inquit uobiscum sum, usq; ad consummationem seculi. Hoc consolationis pertinet non ad eos qui non à Christo præceptum iter instituunt, sed ad eos, qui illius iussui obtemperant. Notandum, quod non dicit simpliciter ἦλθε, sed ἀπῆλθε.

DE SECVNDO.

Quod quarta demum noctis uigilia illos accedit, admonet ut non desperemus, si non statim accurrerit, sed expectemus per patientiam tempus opportunum. Certa ratione non statim initio tribulatis præsto est, de quo monui aliàs satis.

DE TERTIO.

Quod super mare procellosum illud & sæuiens ac furens ambulat, argumentum iam tum erat, ipsum esse sæuientis maris Dominum, quod tam abest ut illi potuerit perdere suos discipulos, ut etiam iter ad eos, utut infestũ, dare coactũ sit. Habemus itaq; talem ac tantũ Dominũ, qui nobis accurrere sustineat ac posit per ipsos æstuantis maris fluctus quem prohibere nequeãt omnes aduersarij, quominus opem ferat. Reijciat nos potestas Satanæ, impediat cursum, rapiat in mille discrimina uitæ, non poterit tamen neq; uento suo aduersario, neq; excitatis fluctibus prohibere accurrentẽ suis saluatorẽ.

Itaq; his tribus quæ breuiter ab Euangelista posita sunt aptißimè describitur. Primũ Christi bonitas erga suos: deinde ingenium & prudentia. Tertio uirtus saluandi & accurrendi.

Et ubi uidissent eũ discipuli super mare ambulantẽ turbati sunt, dicentes: spectrum est, ac præ metu exclamauerunt.

Quoniã & ultra mortalium facultatẽ, & insolitum erat etiam in Christo, fluctus maris calcare, nihil poterant aliud suspicari discipuli uidentes formam hominis in fluctuũ superficie ad se appropinquantem, quàm esse spectrum aliquod, maximè cum soleant maligni spiritus assumptis creaturarũ corporaliũ formis, siue in solitudine, siue in maris tẽpestatibus noctu errantibus, & laborantibus molesti esse. qua de re apertus locus est apud Augustl. lib. de spiritu & anima cap. 26. 27. 28. Et Psal. 91. fit mentio timoris nocturni, & pestis ambulantis in caligine. Hinc est, quod dicit Euangelista, turbati sunt, dicentes: spectrum est. Ad huiusmodi spectra quasi naturaliter omnes mortales exanimantur & horrent, & stupidi reddũtur, quod & hic Apostolis accidit. Atq; id fit, non solum ad apparitiones & phantasmata malorũ, sed & bonorũ spirituũ, quod uidere est in resurrectionis Christi historia. Quid in causa sit naturaliter non est huius forsan instituti exquirere. Mihi uidentur tres causæ hic concurrere. Vna est diuersitas naturarum, qua spiritales creaturæ, siue bonæ, siue deprauatæ ab humano genere abalienatæ sunt, & ab omni illorum ui sibili cõmertio segregatæ. Hinc fit, ut per insolentiam turbent huiusmodi spectra, quæ minus turbarent, si illis essemus assuetiores. Altera causa est, quod corporeis creaturis sunt agiliores, efficatiores, & potentiores. ut igitur naturaliter quod infirmũ est, sibi à potẽtiori maxime insueto & insolente metuit, ita uidemur omnes cõparati ad eum modũ esse, ut ad apparitionem spirituum turbemur & expauescamus. Tertia causa magis est theologica. Ea est, inimicitia quæ uersatur inter spiritales & corporales creaturas. Spiritales autẽ dico, non solum malas, sed & bonas, nisi quantum per Christum pax est facta inter spiritus cœlestes, & homines credentes. Vbi ista causa locum habet, ut habet in incredulis, ibi locum habent & primæ duæ, ubi uerò sublata est, ibi non tantum poterũt, si tamen aliquid poterunt reliquæ duæ. Ideò toties legimus sanctos uiros fortißimos fuisse, & intrepidè stetisse aduersus malorũ spirituũ spectra, quibuscunq; tandẽ formis terribilibus terribiliter obiectis. Et è regione, qui commercium inierunt cum malis spiritibus, ut diuinatores, sagæ, phytones, necromãtici, & ipsi nihil horrent ad istiusmodi spectra. Videre est itaq; hoc loco, quod discipuli turbantur opinione accurrentis spectri, cum primis in causa fuisse fidei imbecillitatem. Alioqui & si primum nonnihil fuissent ac leuiter moti, inexclamationem tantam non erupissent.

Caussæ mora.

1

2

3

OBSERVANDA.

In eo quod discipulis per insolentiam ambulantis Christi super mare, atque opinionem spectri metus & anxietas augetur: cum alioqui per maris sæuientem tempestatem, tum propter magistri absentiam turbati essent. Admonemur quomodo soleat Deus suos tum potißimum tentare, quando in propinquo est consolatio, quod & hic factum est quidem, sed ita attemperatum, ut ista anxietas cesserit illis ad magnam utilitatem & consolationem. Tanto enim postea iucundior est consolatio, quanto amarior fuerat tentatio. Et præterea ad hoc facit, ut clarior sit et illustrior liberatio, quæ ex tentatione suos eruit diuina clementia.

1

Exemplo sit Ioseph, qui posteaq̃ esset à fratribus in Aegyptũ uenditus, & aliquandiu seruitutis molestiam in terra aliena tulisset. Postremo in carcerem innocens conijcitur, antequàm honoris sublimitatem acciperet.

Ita & Dauid, cum iam multa esset passus, & exilij finis appropinquasset, Saulisq; interitus, & acquisitio regni instaret, summo dolore per latrones Amalechitas, incensa

incensa Sicelech, & abducto populo, duabusq; uxoribus suis afficitur, uide 1 Sam. 30. Signũ itaq; est in propinquo adesse consolationem à Domino, si quando tentatio ad supremũ usq; creuisse deprehenditur.

2 Obseruandum etiam hoc loco, quid possit opinio mali, quàm adfligat animos pusillos etiam ubi nihil est mali. Certè Christus non erat spectrum, atq; ideò per se non dabat timori causam. Vnde ergo turbatio ista cœpit discipulorum animos, nisi ex sola spectri opinione? Itaq; usuuenit plerũq;, ut inani metu uexemur, dum putamus adfore malum, quod non aderit, uel certè nocere non poterit etiamsi uenerit. Ea inest nobis peruersitas, ut quæ uerè mala sunt non timeamus, & ad ea quæ nocere nõ possunt formidemus, id quod nihil aliud facit, quàm inanis ista malorum opinio. Spectra sunt reuera omnia, quibus subindè terremur, siue uerè, siue tantum per opinionem. Accidit hic nobis idem quod auiculis, qui inanibus spectris terrentur & abiguntur, dum putant se nescio quid ueri uidere, quod uerũ nõ est. Orandus ergo Dominus, ut spectra mundi huius, & inania Satanæ terriculamenta, quibus pusillos animos à ueritatis sententia absterret, cognoscere atq; contemnere det: & iuxta ea timere, quæ uerè nobis & perpetuo nocere possunt. Vide suprà cap. 10. ibi: Nolite timere eos qui corpus occidunt.

Idem uides Lucæ xxiiij. ubi putabãt Apostoli se spiritum uidere cũ Christum a mortuis excitatũ uiderent.

Tantum ualet cæca ista opinio ut ex ea re, quæ ad summam erat instituta consolationem, & in qua uirtus diuina declarabatur, summas excitârit angustias. Itaq; fit, ut non solum inaniter metuamus aliquando quæ nocere nõ possunt, sed peruerse etiam horreamus ea, quæ ad salutem faciunt. Sic Herodes & omnis Hierosolyma turbabatur ad annunciatam Christi natiuitatem, quæ non erat per se cuiquàm formidabilis, sed si fuisset agnita summè amabilis. Quid quæso illis aliud erat Christus natus quàm formidabile spectrũ? Hoc scilicet sortis habet & Christi doctrina, dum aliud est, & aliud putatur, dum ad aliud uenit, & ad aliud peruersitate mortalium abripitur. Euangelium Christi perpetuo mundo isti spectrum fuit, & etiamnũ est, dum pro hæresi habetur & damnatur. Sed in culpa sunt nocturnæ tenebræ, uidelicet ignorantiæ Dei, & fluctus affectuum, quibus uoluntantur mortalium pectora, & excæcantur potentia Satanæ, ut Christum non agnoscant.

Sed statim loquutus est illis Iesus, dicens: Bono animo este: Ego sum, ne terreamini.

Non diu sinit suos Christus per errorem inani metu uexari, sed statim uoce & uerbo suo sese illis reuelat, et anxios consolatur, dicens: Ego sum, ne terreamini.

OBSER.

1 Supra annotauimus, hoc esse sperandum & expectandum à Christo, quod suos in angustijs cõstitutos deserere nequeat. Hic uerò uidere est, quo pacto illis succurrat & consolationẽ adferat: nempe, quod antequàm tempestatem sæuientem, & uentum aduersum sedat, in medio adhuc tẽpestatis laborantes. Primũ iubet esse animo securo & confidenti, eximens illis mentis angustias & metũ quo adfligebantur. Vbi tria sunt obseruanda.

1 Christum nõ ignorare metũ & anxietatem suorum, sed illam probè agnoscere. Vide Ebr. 2. & 5.

2 Christum ei parti adflictæ primũ succurrere & mederi, quæ potissimum in adflictione laborat. Ea est mens anxietate & metu pressa. Hac de re uide suprà cap. 9. ibi. Bono animo esto fili.

3 Christum tantæ uirtutis esse, ut sciat ac possit suos reddere securos ac tutos in medijs periculis constitutos, ut non sit illi necesse. Primũ res aduersas tollere, & postea suos quietos reddere & securos. Hoc genus pacificandi & confortandi adflictos non agnoscit mundus. 2

Quod timorẽ illis exempturus dicit: confidite. Argumento est, fiduciam esse, qua mentes adflictorum pacificari poterũt. & rursum, timorẽ nõ habere causam ex rebus aduersis, sed ex diffidentia & animi imbecillitate. Id quod sæpenumero uidere est, dum pari adflictione premuntur, qui impari sunt fiducia. ubi altero præmetu penè emoriente, alter bono est animo. 3

Ego sum.] Quoniam hoc Christus non solum ad hoc, ut opinionem & errorem spectri ex animis discipulorũ eximat, dicit: sed & ad hoc, ut ex angustiatis & meticulosis reddat securos & confidentes, examinanda est ista uox Christi, ut omnium suauissima, & ad summam consolationem faciens.

1 Vox ista est eius, qui in quibusuis necessitatibus succurrere potest: nẽpe uox saluatoris, diuina uirtute præditi. 2 Est eius, qui nõ solum potest, sed & gaudet suis opẽ adferre. 3 Est eius, qui ad hoc accurrebat ut subueniret. 4 Est ad hoc dicta, ut metum eximeret, & confidentes redderet. 4

Notandum est etiam hoc, quod non dicit: Ego sum Iesus à Nazareth uester præceptor, sed simpliciter: Ego sum. Quæ uox est familiarium ad notos, eorum scilicet, qui ita sunt ex quotidiano conuictu, & cõmercio noti & familiares, ut uocetenus agnoscantur, etiam si ex conspectu sint obscuri. Cum ergo loqueretur suis, quibus erat ex uoce notus, usus est ista uoce: Ego sum. Hoc etiã uidere est, Lucæ 24. Aliter ad Saulum quia nondum ad familiarẽ: Ego dicebat, sum Iesus quem tu persequeris. Christianorum itaq; est Christum ex uoce agnoscere, ut satis sit loqui Christum ad hoc, ut consolationem accipiant & confortationem. Sic Ioan. 10. dicit: Oues meæ uocem meam audiunt. Quales ergo Christiani sint, qui non satis habent uoce Christi, imò illam non agnoscunt, agnoscunt uerò alienorum, satis hinc potest agnosci. Illis opus esset, ut personaliter & corporaliter ac uisibiliter præsens, uisibile sui daret experimentum, cum doctrinam Christi, quæ uocem Christi habet usq; adeò non agnoscunt, ut eam pro hæresi, ut discipuli Christum tacentem pro spectro habeãt. Vt ergo tum uox loquentis Christi arguebat ueritatem præsentis Christi, tollebatq; spectri opinionem ac metum: ita hodie quoq; uox loquẽtis Christi tollere debebat suspicionem hæreseos, & adferre doctrinæ ueræ ac Christianæ cognitionem.

SEQVITVR.

Respondens autẽ illi Petrus dixit: Domine, si tu es, iubeto me ad te uenire super aquas.

In

In isto exemplo Petri exprimitur dilectionis ingenium & feruor. Si enim quæras, cur non manserit in naui cum reliquis, sed reliquis manentibus ipse solus hoc petierit, non uidetur in causa fuisse, quod timuerit naui à fluctibus, super quibus ad Christum ire cupiebat. Et alioqui dixisset: iubeto nos ad te uenire. Turpe enim fuisset neglectis cæteris sibi solum consultum uelle. Nec dicendum est quod curiositate miraculi sit ad istam petitionem motus, quæ nõ libenter periculosa tentat. Aliàs dixisset simpliciter: iube me, uel permitte, aut da, ire super aquas, nec addidisset: ad te. Relinquitur ergo, quod ex solo dilectionis feruore, quo præreliquis erga Christum ardebat uehemẽtiore hoc petierit. Idẽ uides Io. 21.

1 *Notandum ergo hic mensuram feruoris erga Christum, esse iuxta mensuram dilectionis. Ergo defectus feruoris est ex defectu dilectionis. Ingenium dilectionis est, esse uelle cum eo quem diligas, & ut eò peruenias etiam ardua ferre posse.*

2 *Videmus etiam hoc exemplo, quàm nõ sit expectandum nec expetendum, ut pari & eodem omnes simus in studio pietatis feruore, quando id in Apostolis non fuerit. Nam alioqui cur solus Petrus talem sese hic ostendit? Vt itaq; Petri feruor ita prædicandus est, ut nõ abijciantur reliqui Apostoli: ita & hodie extollendi quidẽ sunt, & laudandi si qui reliquis sunt feruentiores, uerum ita ut interea qui minori sunt feruoris mensura donati, non planè explodantur, quasi non & ipsi ad Christum pertineant. Stellarum non est eadem claritas. Differt enim stella à stella. Nunquid ideò stella minoris lucis non erit stella, quia differt à stella quæ maiore luce cõspicua est? Quid dico de stellis? Neq; in futuro seculo eadem erit claritas electorum. An igitur non erunt electi, qui in claritate different, id est, minores erunt, à reliquis?*

3 *Quod non sua sponte, sine iussu, & uoluntate Christi, aquis maris sese committit, sed dicit: Domine, si tu es, iube me uenire ad te super aquas. Duorum nos admonet. 1 Quæ fuerit fides Petri ad Christum. Non dicit, ora patrem, ut hoc det, sed iube &c. q.d. Si tu iusseris posibile erit, ut faciam, quod uires meas excedit. Annotat hoc Chrysostomus. 2 Nihil tentandum à nobis esse temerè, quod uires nostras excedat, & periculosum sit, sine uoluntate & iussu Domini. Alioqui non cedet prosperè, etiam si tale sit quod Christus ipse prior fecerit. Non enim eiusdẽ rationis sunt quæ Christus quidem fecit: sed ut nos eadem faceremus non iußit, & quæ cum fecit tum fieri à nobis præcepit. Peruersi studij est, quod quidam neglectis Christi præceptis, peculiaribus factis illius exprimendis officiosi uideri uolunt.*

At ille dixit, ueni.

Cum sciret Christus Petri imbecillitatem in fide, nec ignoraret quid illi super aquas ingressuro futurũ esset, cur dixit ueni, & nõ magis illum à proposito cohibuit, dicens: Non poteris ad me pertingere, sed timebis, diffidesq; & submergeris. Mane itaq; in naui, donec ad te ueniam? Scilicet noluit feruorem Petri extinguere, & uisum est per experientiã fidem illius alere, & fortiorem reddere. Ideò bonum erat, ut experiretur & fidei suæ imbecillitatem, & Domini præsentem uirtutem, discereq; ex hoc de se sentire, nihil extollẽs se sentire, nihil extollens se super alios, quasi eximij quiddam præstitisset. Istam modestiam didicit & in trina negatione, ubi quod hic quasi typo quodam deliniatum est, reuera accidit. Quid enim aliud erat Christum sequi in atrium Pontificis, quàm super ijsdem fluctibus ambulare cum Christo? Et quid aliud erat tentatio ancillæ, quàm uentus aduersarius? Et quid aliud negatio ex timore, quàm hic submersio ex timore?

Et cum descendisset è naui Petrus, ambulabat super aquas, ut iret ad Iesum.

Locus iste diligenter notandus est contra eos qui ueritatem humanæ naturæ in Christo negarũt, utpote Manichæos, & alios eiusdem erroris hæreticos, qui Christo dederunt corpus nõ uerũ, sed imaginarium & phantasticum. Ad quem errorem probandum inter reliqua etiam hoc loco adducto, qui nobis tradit Christum ambulasse super maris fluctus, ita argutati sunt. Non est solidi corporis, sed phãtastici, ambulare super mare. Christus ambulauit super mare. Ergo corpus illius non fuit solidum sed phantasticum. Belli homines in Christo nihil aliud considerarũt, quàm quod conforme sit uiribus humanis, quasi diuinæ uirtuti impoßibile sit solidũ corpus sustentare super maris fluctibus ne mergatur. At quid dicent ad hoc quod & Petrus iussu Christi super mare ambulauit? Quomodo non considerant eum qui Petro dare potuit, ut solido corpore super mare ambularet, multo hoc facilius suo corpori solido dedisse? Expenderent Christi uirtutem si nõ in proprio salutem in Petri facto. Ista ideò admoneo, quod nihil dubitẽ Satanã ueteres hæreses denuo ad turbandã Ecclesiã introducturũ.

Cæterum cum uideret uentũ ualidum, territus est, & cum cœpisset demergi clamauit, dicens: Domine serua me.

Cum uidisset uentum ualidum territus est.] Hoc exemplo uidemus, unde sit timor & diffidentia in rebus aduersis. Petrus plus attendens uenti impetum quàm uoces Christi uirtutem, qua dixerat: ueni, diffidere cœpit ac timere. Qua in re admonemur, ne attendamus quanta sit aduersaria potestas, cursum ad Christum præpedire, & eos qui ad Christũ cupidè tendunt, subuertere cupiens ac tentans, sed magis respiciamus in uirtutẽ eius, qui dixit: Venite ad me. Alioqui terrebimur ac diffidere incipiemus, exemplo isto Petri. 1

Et cum cœpisset demergi.] Apparet hic unde sit, quod tribulationi & aduersariæ potestati nonnunquàm succumbimus: nempe ex eo quod illam timemus ac de Christi uirtute dubitamus, uel certè fidei illius nos non planè committimus. Petrus quàm diu credidit, tam diu ex fidei uirtute aquas maris calcauit. Mox atq; diffidere ac timere cœpit, simul quoq; mergi cœpit. Atq; hoc est, quod Christus dicebat: Modicæ fidei, quare hæsitasti? Ista nõ ideò fiunt, quod fides nostra in se hoc habeat, sed quod fiduciam suorum Deus irritã fieri nõ patitur. 2

Clamauit dicens: Domine, serua me.] Docemur hic quò sit confugiendum illis, qui propter Christum in hoc seculo periclitantur: nempe ad ipsum Christum. 3

Deinde

2 Deinde quàm carere debeamus omni murmure, si quando in tribulationes propter uerbum Christi inciderimus. Petrus non dicit: Domine, quare permittis, ut demergar? Sed Domine, serua me. Nihil opprobrat Christo, sed simpliciter auxilium ipsius implorat.

Tertio, obseruandum est etiam hoc exemplo, quàm possibile sit metum ac fidem in uno & eodem homine reperiri. Metus est, quod ex uento terretur ac demergi incipit, fides est, quod Christum pro auxilio implorat. Nisi enim credidisset illum hoc facere posse, utiq; non dixisset: Serua me.

Et protinus extenta manu Iesus, apprehendit illum & dixit: Exigua fiducia prædite, cur hæsitabas?

1 In hoc facto Christi proponitur nobis imago diuini auxilij, quàm sit illud ad eripiendum inuocantes se beneuolum ac promptũ. Et protinus inquit extenta manu apprehendit illum: Quod hic uisibiliter, aliàs geritur inuisibiliter. Quandocunq; etenim ex adflictionibus & periculis eripimur, quid aliud fit, quàm quod hic legimus? Sic Dauid Psal. 18. dixit: Misit de excelso, & eripuit me, & extraxit me de aquis multis.

2 Modicæ fidei, quare hæsitabas? Notandũ hic, quod nõ dicit ἄπιστε sed ὀλιγόπιστε. Admonemur enim constanti fide opus esse, in his fluctibus, qui nobis ad Christum properantibus interitũ minantur. Magna fide, magnoq; sanè feruore iter hoc periculosum ingressus erat Petrus, uerũ nõ perstitit eodẽ quo cœperat tenore. Bone deus si fides Petri fuit modica, qualis tandẽ est nostra?

3 Cur hæsitabas? Ista opprobratio nõ est ociosè transeunda, cum sit per notam interrogationis ita posita, ut emphasim ipsa prolatione obijciat. Cur hæsitabas inquit? Q. d. Quid causæ habebas cur hæsitares? An non habuisti præsentiam meam? An dubitasti de fide mea? an de potentia? Videmus itaq; hic, quàm male gratificetur Christo, quamq; illi sit inglorius, quàm nullã habeat dubitationis causam quisquis in itinere ad ipsum, magis attendens, res aduersas quàm ipsius fidem & uirtutem, hæsitauerit.

Et cum essent ingressi nauim conquieuit uentus.

1 Non solum hoc habet Christus, quod corda suorum in medijs periculis solari, & eos conseruare potest, sed & ipsam aduersitatem & quæuis externa pericula tollendi potentiam habet. Idem uisum est suprà Matth. 8. Nullus uentus adeò uehemẽs est & pertinax, quem non sedare queat. Ipse unus est qui tam externam, quàm internã pacem potest præstare Ecclesiæ suæ, id quod iam sæpenumero præstitit.

2 Quod autem uentus tum demum conquieuit, quando iam opus tentationis & probationis erga discipulos exequutus esset Christus, documentum est persequutionis ac tribulationum finem ante præfixum terminum à Deo, non esse expectandum. Durantibus ergo rebus aduersis cogitemus opus Domini, quod ad probationem, aut etiam castigationem nostram institutum est nondum esse absolutum.

Porrò qui erant in naui accesserunt, & adorauerunt eum, dicentes: Verè Dei filius es.

Descripta historia Petri, redit Euãgelista ad prosequendum, & de reliquis Christi discipulis historiæ cõtextũ.

Videmus hic unde sit cognitio Christi: nempe ex 1
opere Christi, & unde adoratio Christi, uidelicet ex cognitione Christi. Experti sunt uirtutem & præsens auxiliũ Christi in rebus extremis & periculosissimis, atq; ex eo collegerũt hũc hominẽ nihil esse aliud q̃ filiũ Dei.

Neq; hoc prætereundũ est, quod nihil indignati leguntur Petro qui solus relictis alijs ad Christum properârit. Ista synceritas hodie rara est. 2

Deinde, nihil legimus eos honoris quoq; impendisse Petro huius facti gratia, cum & ipsum uidissent cum Christo ambulare super mare. Vnius Christi uirtutem agnouerunt, magnificarunt & adorarunt, nihil dederunt Petro. Isto exemplo discamus & nos, quicquid fãctũ sit ab Apostolis, nõ Apostolis illud sed Christo dare, illius unius gloriã agnoscere & adorare. Ista obseruatio diligenter notanda est contra cultores Sanctorum.

Postremo & istud annotauerim, Christus cum au- 3
dit, uerè filius Dei es, nihil contradicit, id quod sanè facere debuisset, si filius Dei nõ esset. Quid ergo est quod Iudæi dicunt eum uirum quidem Dei & prophetam fuisse, filium uerò Dei non fuisse? Si filius Dei non fuit, certè neq; uir Dei, neq; propheta fuit: cum non sit uiri Dei ad exhibitum honorem diuinitatis conticescere. Quis dicat eum Cæsarianũ esse probum ac genuinum, Cæsari fidelem, qui honorem Cæsari soli competentem oblatum non repudiauerit, sed agnouerit?

Et cum traiecissent, uenerũt in terram Gennesareth. Et cum agnouissent eum uiri loci illius, emiserũt nuncios in totam undiq; finitimam regionẽ illam, & obtulerunt illi omnes malè habentes, & obsecrabant eum, ut tantum tangerent fimbriam uestimenti ipsius, & quotquot tetigissent, salui facti sunt.

Quædam hic in populo isto, quædam notanda sunt in Christo.

DE POPVLO.

Cum agnouissent eum uiri loci illius.] Videmus 1
hic quid efficiat cognitio Christi. Proinde quicunq; alibi salutem quærunt quàm apud Christũ, satis declarant se Christum nondum uerè agnouisse. Sed unde agnouerunt eum? Absq; dubio ex miraculis quæ ab ipso antea uiderant fieri. Quid uerò facit aliud fides nostra, quàm quod & ipsa nobis hanc cognitionem Christi tradit, nõ secus atq; si oculis ea uidissemus? Cur igitur non & nos ad Christum fidei cognitione trahimur?

Emiserunt nuncios.] Ecce ingenium dilectionis. 2
Non satis habẽt priuata Christi fruitione, nisi illam cõmunem faciant & uicinis omnibus. Quid nos Euangelici? Satis putamus, si ueritate Christi potiamur, de proximis nulla est cura. Memor esto hic Ecclesiarum agrestium quæ peßime negliguntur.

Et

3 Et obtulerũt illi omnes malè habentes.] Quid hic notandum ſit, uide ſuprà cap. 8.

Hactenus tamen exemplum hoc nobis imitabile eſt, quod ægrotos ſuos ad Chriſtum curandi gratia duxerunt, ut idẽ faciamus & nos. Faciamus aũt non ſolũ corporaliter ægrotis, ſed & ſpiritaliter malè habentibus.

4 Vt tantum tangerent fimbriam ueſtimenti eius.] De iſto loco uide ſuprà capite nono in hiſtoria mulieris hæmorrhoiſſæ.

DE CHRISTO.

5 Quid hic ſit in Chriſto notandum declaratum eſt ſuprà capite octauo.

CAPVT XV.

TVnc accedũt ad Ieſum qui ab Hieroſolymis uenerant Scribæ & Phariſæi dicẽtes: Quare diſcipuli tui trãſgrediuntur traditionem ſeniorum? Non enim abluũt manus ſuas cum edunt panem.

1 Non hac tantum hiſtoria uidemus, quàm nunquàm careat liuidulis aduerſarijs Euãgelij prædicatio, ſi quando illa aliquid cœperit habere lucis ac celebritatis. Hoc eſt, quod Euangeliſta etiam tempus annotat, cum dicit: Tunc accedunt. Hoc eſt, quando ubiq; miraculorũ gloria inualeſcebat, reddebaturq; ipſe Chriſtus quotidie magis itaq; magis illuſtrior, tunc qui ſpiritu inuidentiæ ducebantur lucem iſtam Chriſti ferre non ualentes, obſcuraturi illam calumniatores accedunt.

2 Qui ſunt autem liuiduli illi? Scribæ & Phariſæi. Sancti uidelicet & præcipui in populo Iſraëlis, qui omnium debebant ueritatem regni Dei amplecti primi & auidiſſimi.

3 Qui uenerant ab Hieroſolymis ſecta Phariſæorum, ut & Scribarum, erat diuiſa in ſingulas Iudæorum tribus. Qui uerò Hieroſolymis agebant, propter loci, ac templi autoritatem omnibus reliquis erant inſolentiores & arrogantiores. Illi debebant eſſe inter reliquos optimi, ſed erant omnium peßimi. Non habuit infenſiores Chriſtus, Et ipſi prophetæ iſtorum malitiam experti ſunt. Ideò & Chriſtus dicit: Hieruſalem quæ occidis prophetas, &c. Matth. 23. Luc. 13.

Videmus hoc loco, ut nemo eſt ueritati infenſior illis qui quæſtum ex pietate faciunt, ita eos ex ipſorum numero, qui ſuperiorem honoris locum obtinent eſſe omnium peßimos. Et quod apud Iudæos in Hieroſolymitanis Scribis & Phariſæis uiſum eſt, id hodie & iam aliquot ſeculis uidere eſt in Romanis. Romanos præſbyteros huius rei gratia & Hieronymus tales expertus uocauit Scribas & Phariſæos, imò Phariſæorum ſenatum, uide in præfatione libri quem Didymus fecit de ſpiritu ſancto, Tom. 9. fol. 191.

4 Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum.] Ecce qua in re ueritatis doctori Chriſto liuiduli Phariſæi, ſanctuli illi, qui ab Hieroſolymis uenerant, calumniam ſtruant. Quis non expectaſſet aliquod enorme facinus obiectum Chriſto iri? Primo. Nihil de lege Dei, ſed de traditionibus humanis uiolatis quæruntur, Chriſtumq; accuſant, dicentes: Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Cur non dicũt: Quare tu & diſcipuli tui tranſgredimini legem & uerbum Dei? Quare non doces illos uoluntati Dei obedire, omnemq; in illum fiduciam collocare? Scilicet hoc hominum genus non id agebat in populo Dei, ut ſupremus ac potiores haberet diuini nominis maieſtas & gloria, ſed, ut ipſi ſplendidè ac magnificè haberentur, & ipſorum ubiq; obtinet autoritas. Proinde non ita curabant, ut illibatè ſeruarentur præcepta Dei, atq; ut traditiones ſeniorũ nemo tranſgrederetur. Quæ etiam ob eam cauſam uulgo tanto ſtudio ſunt obſeruatæ, ut minus haberetur pro Iudæo qui illas uiolaſſet, quaſi quis præceptũ aliquod Dei tranſgreſſus eſſet. Agebant itaq; Phariſæi hoc loco iſta duo. Primum ut ſuam autoritatem uindicarent. Alterum, ut Chriſto magnã mouerent inuidiam, utpote qui tranſgreßione traditionum ueterum oſtenderet ſe maligne ſentire de religione Iſraëlis, atq; ita magis conuinceretur eſſe Samaritanus quàm Iudæus. Eſt autem παράδοσις traditio, doctrina non ſcripto, ſed quaſi per manus maiorũ tradita. Et ut græca dictio indicat, eſt talis doctrina quæ ſimul iuxta legem Dei ſeruanda ſit, ein neben leer und ſatzung.

Diſcimus ergo hoc loco, ueterẽ eſſe hanc calumniã, qua ueritatis diſcipuli de tranſgreßione traditionũ humanarũ ab hypocritis Scribis & Phariſæis accuſantur.

Deinde obſerua, quod non dicunt: Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem noſtram ſed ſeniorum. Cum tamen propriam cauſam agerent non ſeniorũ? uidelicet uolunt Chriſtum autoritate ſeniorum grauare. Erant enim ſeniores in hoc populo, qui in cauſa religionis primas tenebant. Volebant ergo uideri probi ac genuini ſectatores maiorum: Chriſtum uerò contra haberi, pro hoſte ac degenerante à ueſtigijs patrum, adeoq; & hæretico & fugiendo. Ad eum modũ ſunt & hodie, qui perpetuo obijciant Patres, Eccleſiam, Cõcilia, quaſi religio Chriſtianorum ſita ſit in obſeruantia traditionum humanarum, & quaſi illarum negligentes ſint Eccleſiæ hoſtes, ipſi uerò illius amici.

Non enim lauant manus ſuas cum edunt panem.] 5 Hæc ſcilicet eſt tranſgreßio, quam culpandam putant ſancti hypocritæ Hieroſolymitani. Eximia ſcilicet traditio, quæ deceat curam tantorum uirorum. Huius generis multas habuerunt Iudæi ex traditione ſeniorum, de quibus uide Mar. 7. Sed ita habet ingenium hypocritarum ſpeciem pietatis ſimularunt, pietatem ipſam neglexerũt. Volebant uideri mundiciæ & puritatis amatores, & mundanæ immundiciæ oſores. Id ſimularunt in tot lotionibus ueſtium, calicum, manuũ, &c. Ideò Chriſtus Matth. 23. Væ uobis, inquit, Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia purgatis exteriorem partem poculi ac patinæ, &c. Huiuſmodi puritatis ſpeciem etiam hodie ſimulant multi. Quòd ſi quiſquàm non lotis prius manibus Miſſam celebraret, putaret ſe peccare mortaliter. Illoto uerò corde ſacra peragere tolerabile eſt iſtis ſanctis. Scilicet amant cum Iudæis puritatem, ſed corporis

non

non animi. Lauabant Iudæi ueſtes, iſti totas niueas induunt. Amant lucem, ſed quæ oculos carnis illuminet nõ mentis. Tenebroſa ſacra nolunt, ſed tenebricoſa corda amant. Scilicet eadem eſt utrobiq; hypocriſis.

6 Quid autẽ in cauſa fuit, quod diſcipuli Chriſti conſuetudinem & traditionem tam uetuſtam & ſolennem tranſgrediuntur, quam potuerunt ſine peccato ſeruare? Chryſoſtomus aßignat hanc rationem, quod uidelicet ita ſoleãt ijs, qui ſerijs ac neceſſarijs toti intenti ſunt, ſuperflua & inutilia ſpernere, quæ magis ſpeciem aliquam pietatis quàm ipſam pietatem præferunt. Oportet omnino diſcipulos Chriſti iſtam humanarum traditionum tranſgreßionem, in quibus erant educati, ex doctrina Chriſti hauſiſſe, & maximè in ea inualuiſſe cum propter exemplum Chriſti, uide Lucæ 11. tum propterea quod ita comedentes à Chriſto non prohiberentur. Idem uſuuenit multis & inter Chriſtianos qui poſteaquàm ſolidæ ſe pietati tradiderunt, quæ tota in eo uerſatur, ut in uera fide erga Deũ & dilectione erga Deũ & proximos creſcamus, cœperunt non ita obſtricti eſſe traditionibus humanis, ſed illas liberè negligere, pro rerum & circumſtantiarum opportunitate. Nequeunt enim huiuſmodi traditiones inutiles ab illis ſtudioſe ſeruari, qui toti ſeſe pietati tradiderunt.

At ille reſpondens dixit eis: Quare & uos tranſgredimini præceptum Dei propter traditionem ueſtram?

Rectè planè. Non reddit cauſam quare diſcipulis permiſerit ſeniorũ tranſgredi traditiones, quam tamen poſtea ad populum dicturus eſt. Non enim conuenit, ut qui magnis ſceleribus obnoxij ſunt, examinent eos, qui nulla in re accuſati poſſunt, quàm quod traditiones humanas negligunt. Imò conuenientius eſt, ut retundantur & ſcelerum ſuorum admoniti confundantur. Ideò Chriſtus hoc loco fortißimè illos retũdit, imò ipſos rationem exigit, dicẽs: Quare & uos tranſgredimini præceptum Dei propter ueſtram traditionem?

1 His uerbis. Primo diſcernit inter mandata Dei, & traditiones humanas, docens eos demum reuera peccare, qui præcepta Dei tranſgrediuntur: traditiones uerò humanas non eo loco habendas, ut per illas ligari deberent mortalium conſcientiæ.

2 Deinde, oſtendit hoc genus hominum in eo culpabiles eſſe, quod traditiones humanas maiore cura obſeruant, quàm præcepta Dei. Quæ res apertißimum habet indicium, quod non Dei ſed ſuam ipſorum gloriam quæſierint. Quid aliud eſt quod etiam exurunt eum, qui feria ſexta carnem comederit: Si quis uerò adulterium commiſerit, hunc ridiculè abſoluunt, & ſcelus hoc quaſi nullius peccati loco habent?

3 Tertio. Non ſolum ideò culpat quod præcepta Dei tranſgrediantur multo facilius, quàm traditionem aliquam ſeniorum, ſed quod traditionibus ſuis præcepta Dei irrita faciant, quare quid tandem poteſt iniquius cõmitti ab ijs, qui ſeſe pro miniſtris Dei uenditant? Nomine Dei contra Deum abutuntur, & cum uelint uideri miniſtri Dei, & promotores gloriæ Dei inueniuntur eſſe aduerſarij dei, & hoc ipſo quo ſimulãt promotionẽ gloriæ Dei, gloriam & obedientiã Dei irritam reddũt.

Nam Deus præcepit, dicens: Honora patrem ac matrem. Et qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur.

Quia dixit eos traditione ſua tranſgredi præceptũ Dei, ſubiungit accuſationi probationem. Inducit autem exemplum omnium clariſſimũ de quo nemo Iudæorum, imò ne gentium quidem dubitare poteſt, quid ſit præceptum Dei, ſumitq; illud ex tabulis Moyſi, quas Iudæi in ſummo honore habebant, quæ & tabulæ fœderis dicebantur, ad declarandum quod tranſgreſſores eorũ præceptorum quæ in his tabulis erant inſculpta, ſint tranſgreſſores fœderis Dei.

Incuſat ergo Chriſtus hoc hominũ genus de non minorum aliquorum temporariorum ac ceremonialium præceptorũ Dei, id quod tolerabilius fuiſſet, ſed de primariorum & æternorum tranſgreßione. Illud: Honora patrem ac matrem, præceptum eſt. Exo. 20. Quod addit: Qui maledixerit patri uel matri, morte moriatur, legitur Leuit. 20.

Vos autem dicitis: Quicunq; dixerit patri aut matri, quodcunq; donũ meum, in tuum commodum uerſum eſt, & non honorabit patrem ſuũ, aut matrẽ ſuam, & irritum feciſtis præceptum Dei propter traditionem ueſtram.

Quia tantæ impietatis nemo Scribarum aut Phariſæorum haberi ſuſtinebat, ut apertè diceret, ne honoret quiſquàm parentes, aut ſatius eſt ſeruare traditionẽ noſtram, quàm præceptum Dei de honorandis parẽtibus, neceſſe erat declarare, quomodo præceptum Dei de honorandis parentibus Scribæ & Phariſæi ſua traditione irritum reddiderint. Dicit itaq;: Deus quidem ita præcepit honorare parentes, id eſt, parẽtes beneficijs iuuare, idq; ita ſerio, ut ſi quis iniurius, etiã uerbo tantum, ſit parenti, morte debeat puniri. Vos autem dicitis: Hoc eſt, uos docetis populum, quod ſatius ſit inferre munera templo, quibus iuuari debebant parentes, quàm honorare parentes. Imò etiam ita honorari parentes, ſi filij dent Deo, quod debebant dare parentibus. Ideoq; docetis, ut filius dicat patri aut matri. Donum quod in templum obtuli, Deo datum eſt, & ideò non ſolum mihi, ſed et tibi proderit. Et hoc pacto, efficitis, ut liberi dent templo, quod dare debebant parentibus, adeoq; dum ueſtram traditionem ſeruant, præceptum Dei negligant.

Sed quæritur hic, quomodo iſta traditio cauſa fuerit, non honorandorum parentũ, cum in templum dare tale quid ſit, quod poßit ſimul fieri cum honore parentum. Animaduertendum igitur eſt, quod non ſimpliciter eos culpat, quod donaria tẽpli exegerint à populo: ſed quod docuerunt ea quæ templo dabantur, eſſe Deo data, & templo dare ideò longè eſſe melius, quàm parentibus ſuccurrere, quod qui templo dederint, dederint hoc ipſo ſimul & parentibus, ſed nõ è contra. Cum ergo alioqui ita habet ſuperſtitio mortalium, ut putent longè melius eſſe Deo dare, quàm hominibus facilè eò

euasit ista traditio, ut iam passim darentur omnia templo & sacrario, rarissimi essent qui uere succurrerent parentibus, atq; ita præceptum Dei irritum fieret.

OBSER.

1 Videmus hoc loco, quid sit irritum facere mandatum Dei. Traditionum humanarum doctores putant se belle excusatos hodie, cum dicunt se quoq; prædicasse Euangelium, fidem in Deum & Christum eius, decem præcepta, & si quæ sunt eiusmodi, atq; adeò ipsis nihil posse minus obijci, quàm irritationem uerbi Dei, fidei, Euangelij, atq; præceptorum Dei. Nunquam enim à se esse negatum, quod credendum sit Deo, Euangelio Dei, uerboq; Dei, & quod præcepta Dei sint seruanda.

Verum isti Scribæ & Pharisæi & ipsi nunquàm docuerunt, nõ esse honorandos parentes. Imò singulis sabbatis etiam hoc præceptum inter cætera uulgo proposuerunt. Et tamen hic audiunt à Christo, quod sua traditione irritum fecerint præceptum hoc Dei. Quomodo? Hoc scilicet, quod sua traditione causam dederunt irritando præcepto Dei, dum prætextu melioris hominis ab illius obseruantia auocarũt. Ergo quisquis sua doctrina & traditione quouis pacto ab obseruantia præceptorum dei, fidei, Euangelij, & ueræ pietatis auocat, transgressor est horũ, & autor etiam alijs ad transgrediendũ. Hoc autem multis in locis factum est inter Christianos nõ minus quàm apud Iudæos, ut exempli gratia.

Primũ præceptum.

Præceptũ Dei est: Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos corã me. Hoc præceptũ exigit, ut Dominũ Deum adoremus unũ, inuocemus & colamus unum. Hoc est, ut in nullam omnino creaturã spem nostram ponamus, nullam inuocemus, nullam colamus nisi Deum solum. Traditio inualuit, posse & debere etiam inuocari sanctos, & coli quoq; eos esse, qui nos in necessitatibus adiuuare queant, & qui merito à nobis colantur. Ista traditio effecit, ut rarissimus inuentus sit, qui primum præceptũ seruauerit, dum omnes omnia à sanctis petierint, & quisq; sibi ex sanctis quẽ patroni uice colat, delegerit. An hoc non est irritum facere præceptum Dei propter traditionem humanam?

2 Item. Præceptum Dei est: Non facias tibi aliquam imaginem, neq; adores eam, &c. Traditio docet in Ecclesiam ponendas esse imagines, ad honorẽ sanctorũ, & ad promotionẽ deuotionis. Hinc factum est, ut obtinuerit cultus imaginum in Ecclesia plusquàm ethnicus, atq; ita irritum factum sit præceptum Dei.

3 Item, quod ad honorẽ parentũ attinet, non una tantum uia, præceptũ Dei traditionibus humanis eneruatum est, utpote. Per obseruantiã traditionũ monasticarũ. Hic docuerũt proculcatis parentibus ad monasteria currendum esse. Hic tradiderunt non licere monachis & nonnis adesse parentibus etiã ægrotis & mo-
2 nentibus. Item tradiderunt, posse liberos parentibus post mortẽ benefacere per redemptionẽ Missarũ & Vigiliarum &c. Hoc eò ualuit, ut uiuorum esset minor ra-
3 tio. Item tradiderunt matrimonium à iunioribus insçijs parentibus, atq; etiam contradicentibus, contractum esse ratum. Qua traditione eneruarunt ius parentum in liberos.

Præceptum Dei est, diligendum esse proximũ, sicut nos ipsos. Ista dilectio exigit beneficium. Isti docuerunt condere templa, aras, imagines, perpetuos census dicare certis cultibus. Hoc facere ad cultũ Dei. Ista traditione irritum reddiderũt præceptũ Dei de diligendo proximo. Huc etiã facit, quod docuerunt sanctis mortuis seruire, cum deberemus seruire uiuis, uide Matth. 25.

Prædicatio Euangelij habet, Christum esse propi-
5 tiationem pro peccatis nostris. Hanc fecerunt irritã sua traditione, qua docuerũt, Christũ tantum pro originali peccato satisfecisse, non etiã pro actualibus nostris, nisi illis quæ essent ante baptismum commissa. Sed huiusmodi sunt innumera. Vt redeamus ad Pharisæorũ traditionem: quærendũ est secundo loco, quid eos mouerit ad huiusmodi traditionẽ. Hic duo sunt cõsideranda. Vnũ est species pietatis externa, qua prætexabatur cultus Dei talis, qui etiã parentibus prosit, longè melius quàm si simpliciter illis ope lata succurreretur. Ista specie illexerunt & deceperunt populum. Alterũ est, quod latebat in corde: nempe quod faciebat ad quæstum talis traditio. Et hoc erat, unde ipsi Scribæ & Pharisæi mouebantur. Quòd si exigas rationẽ traditionum singularũ in Papatu, ista duo ferè ubiq; inuenies.

Tametsi Christus hoc loco non agit ex professo, de honorandis parentibus, nisi quantũ opus erat ad declarandam Pharisæorũ hypocrisim & autoritatem traditionũ humanarũ deijciendam, tamen quia exempli gratia, hoc præceptum de honorandis parentibus adduxit, obiter de hoc quoq; nonnihil dicendũ est. Non aũt excutiemus illius omnia membra, sed tantũ hoc, quod præceptum Dei hic esse dicitur, quo sanè Christus ostendere uoluit, honorẽ parentũ ita exigi ab omnibus, ut merito reijci debeat, quicquid ab illo auocauerit. Considerandum itaq; hoc loco est, quid sibi uelit hoc præceptũ Dei de honorandis parentibus, cum & lex naturæ omnibus etiam brutis hoc indiderit, ut honore parentes suos afficiãt liberi, unde & Valerius Max. lib. 5. cap. 4. diligere parentes dicit primã esse naturæ legẽ. Et Apostolus cap. 5. ad Ephe. dicit esse iustũ, & Coloss. 3. placitum coram Domino, & habere promissionẽ longioris uitæ, ut & uidere est Exo. 20. Cum itaq; & iustũ sit ex cõmuni sensu & lege naturæ, ut liberi honore afficiant parentes suos, merito cogitandũ est, quid opus fuerit ea de re præceptũ dare mortalibus. Quid ergo aliud hic obseruandum est, q̃ ita corrupto ingenio nos esse, ut necesse fuerit præcipere rem omniũ iudicio ita iustam, ut nemo sit mortalium, qui cõtradicere queat, quam & animantia bruta sibi ex naturali quodam instinctu indita habent & obseruant. Corruptionẽ naturæ nostræ nouit Deus tantã esse, ut & parentic̃ us simus iniurij futuri, nisi autoritate sua nos cohibeat. Huc etiam facit, quod pœnam mortis statuit ei qui maledixerit uel patri uel matri, quod non fecisset, nisi cognouisset istam nobis ineſſe peruersitatem, ut ne parentes quidem à maledicentia nostra securi sint. De legislatore quodam scribitur, quod rogatus cur nullam pœnam constituerit ei, qui uel patrem uel matrẽ occiderit. Respondit se non putasse tantum impietatis & crudelitatis in mortalium esse

esse pectoribus, ut audeat quisquam occidere eum per quem initiũ uitæ huius accepisset. Deus uerò, cui omnia sunt manifesta, istam humani ingenij impietatem sciens, pœnam constituit parricidio.

De ista corruptione nostræ naturæ, uide suprà cap. 9. ibi: Domine filia mea modo defuncta est.

Hypocritæ, rectè de uobis prædixit Esaias, dicẽs: Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labijs me honorat, cæterum cor eorũ procul est à me. Sed frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum.

Commodissimum post præmissa obijcit hypocrisim, uelut declarandi gratia, cur ita urgeant Pharisæi suas traditiones, & donaria templi tanquàm Deo data populo cõmendent, ac factum discipulorũ ita carpant. Videlicet, quod isto pacto sese pro uiris religiosis ac Dei cultoribus uenditent, cum cordibus sint à Deo quàm alienissimi. Ideò dicit: Hypocritæ. Q. d. Putatis me clam esse qui sitis, quid quæratis? Habemini pro iustis & amicis Dei, propterea quod in ore uestro multa est mentio cultus Dei. Ego uerò scio qui sitis. Hypocritæ estis.

Sed quæso, an nõ calumniator est Christus, quod uiros tam sanctos tamq; magni nominis uocat hypocritas? An nõ resipit ista reprehensio animi cõmotionem? Hac de re uide suprà cap. 7. ibi. Hypocrita, eijce primũ trabẽ, &c. Item cap. 6. ibi: Nolite fieri sicut hypocritæ.

Rectè de uobis prædixit Esaias.] *Testimonio prophetæ utitur Christus ad declarandũ, hypocrisim istorum hominum esse non recentem, sed iam inueteratam: deinde non primũ iam à se carpi, sed reprehensam esse etiam à prophetis, & talem qui iam olim Domino summopere displicuerit. Est autem locus ex cap. 29. Esaiæ desumptus. Sed quæritur hic, quomodo Christus dicat Esaiam de ijs Pharisæis prædixisse: cum liqueat illum sui temporis hypocritas taxasse.*

Respondeo. Illud de uobis, non est ita legendũ, quasi præcise de istis Pharisæis tantũ sit uaticinatus, qui Christo negocium faciebant, sed intelligendũ est de uniuerso hypocritarũ genere, ex quibus & isti erant. Deinde & illud προφήτευσε non est idem quod uaticinatus est, sed hoc loco, iam olim loquutus est, iam olim uos arguit.

Est autem istud notandum, propter eos, qui nolunt isto prophetæ loco præsentiũ temporũ hypocrisim taxari, causantes malè applicari istis tẽporibus, quæ Christus ipse dicat prædicta esse de sui temporis hypocritis. quasi nõ quadret ista prophetæ reprehensio ad arguendos quorumuis temporum hypocritas, cum & Christus ita sit hoc loco usus. Non enim dixit, Pharisæi, rectè de uobis prædixit Esaias, sed: Hypocritæ, rectè de uobis prædixit Esaias. Vt intelligendũ sit locum prophetæ nõ ad quosdã separatim pertinere, sed in genere ad omnes hypocritas. Rectè itaq; isto loco taxantur, quotquot hypocritæ sunt. Quòd si nolunt ad se locum hunc pertinere, uideant primum ne sint hypocritæ.

Ita respondendũ est etiã de uaticinio Pauli 1 Tim. 4. quod ad solos pertinere uolũt Tacianos hæreticos, quasi mox atq; certũ est Tacianos taxari, iam sint à uaticinio isto liberi & insontes, quotquot idem faciunt quod Paulus prædixit futurũ. Non enim poterunt negare, clericis prohibitũ esse matrimonium, & certis temporibus uetitos quosdam cibos, quos Deus creauit ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus.

Populus iste labijs me honorat & appropinquat ad me ore suo.] *Ingenium hypocritarũ taxatur ista quærimonia Dei, ut simul intelligas, quod sit ingeniũ hypocriseos, & quàm Deo displiceat, quamq; sit abominandum: nempe, quod cũ sint corde quàm longissimè à Deo, id est, uacent omnium fide, timore & dilectione Dei, & sint toti in eo, ut uel gloriam suam, uel quæstum promoueant, uideri uolunt tamen summopere Deum colere, atq; ideò omnia instituũt ad externã speciẽ, & ore nihil aliud sonant quàm Deum & cultum Dei.*

Quod aũt oris & labiorũ meminit, quibus Deum colant, innuit nõ de mediocribus hypocritis quæri Deũ, sed de præcipuis, qui perpetuo de Deo uel loquũtur uel canunt: quasi ex abundantia cordis os loquatur, cũ cordibus alienissimi sint à Deo. Quid hic sentiendum de nostris monachis & sacrificulis, qui propè nihil aliud faciunt, quàm quod uel orãt uel psallunt? idq; uentris gratia? Quid aliud, quàm & ipsos ore & labijs Deo appropinquare, Deũ colere, sed corde ab illo procul abesse?

Frustra colunt me, &c.] *His uerbis aufertur omnis fiducia, quam positã habebant, in obseruantia humanarum traditionũ. Nam credebant se Deum colere, si illas obseruassent, & qui eas docebant, prætexebant cultum Dei. Deus contra pernegat se hoc pacto coli, & omnem hunc cultum respuit.*

OBSER.

Quid hic dicemus de uniuerso cultu Dei ex meris traditionibus humanis consuto? Quòd si rationem exigantur, quid aliud prætendunt, quàm hæc omnia ad honorem Dei esse instituta? Si abrogantur humanæ istæ traditiones, clamãt abrogari cultũ Dei. Atqui Deus negat se hoc pacto coli, & hunc cultum non agnoscit.

De traditionibus humanis hoc loco dicendum est, quid de illis sentiendum sit. Quoniã illæ nõ sunt eiusdem generis sed uarij, ideò non potest in uniuersum de illis certa quadam sententia statui. Sunt autem duplicis generis. Quædam malæ ac reijciendæ. Quædam uerò bonæ ac retinendæ, sed suo modo.

MALAE.

Malæ sunt bifariam æstimãdæ. Quædam in se malæ, ideò quod directè uerbo Dei repugnant, ut sunt adoratio & cultus imaginũ, inuocatio sanctorũ, & in Missa, quod dicunt se offerre Christum pro peccatis uiuorũ & mortuorum, & quod quisq; seorsum celebrat, & quod lingua Ecclesiæ incognita, & quod communionem sanguinis Christi Ecclesiæ ademerunt, & quod matrimonium prohibent, & si quæ sunt alia huiusmodi. Quædam etsi non malæ in se, ideò quod directè contra uerbũ Dei non faciunt, ideò tamen malæ sunt & reijciendæ: quod partim sunt inutiles, partim pro cultu Dei prostant, ut taceam conscientiarum captiuitatem. Harum sunt innumera, quarũ etiã quædam superstitiosæ sunt in

baptismate, in Missa, in aqua coniurata & sale.

BONAE.

Quædam sunt utiles & bonæ, ut quæ faciunt ad disciplinam in Ecclesia seruanda, & ad ædificationem, ad quam dirigenda sunt omnia, quæ faciunt ad ordinem & honestatem, quæ ad cõmoditatem eorũ quæ necessaria sunt: ut sunt, quod unus in Ecclesia loquitur, cæteri audiunt, quod certo die, certa hora, quod cæna mane & Dominicis diebus, quod Dominicus dies seruatur, quod ante & post conciones psallitur & oratur, quod in baptismate admonitionem, orationem & symbolum præmittimus, quod testes adesse uolumus, & si qua sunt huiusmodi: quæ quoniam sunt utiles iam non possunt meræ traditiones humanæ dici. Hic tamen cauendum est, ne in illas collocemus meritum, fiduciam, aut cultum Dei, neue illas adæquemus præceptis Dei, cõscientiásue illis captiuemus, quasi nullo pacto possint uel omitti uel mutari, pro ratione & commoditate Ecclesiæ.

DE MAGISTRATV.

Notandum est autem, quod statuta ciuilia etiã propter conscientiam sunt seruanda, de quibus 1 Petr. 2. Roman. 13. in quibus hoc tantum spectandum est, ne quid contra Deum. Nam Deo oportet obedire magis quàm hominibus.

SEQVITVR.

Et aduocatis ad se turbis dixit eis: Audite & intellígite. Non quod ingreditur in os, impurat hominem, sed quod egreditur ex ore hoc impurũ reddit hominẽ.

Grauis quidem erat accusatio Christi aduersus Pharisæos hypocritas, uerum ita manifestam habebat ueritatem, ut non potuerint contradicere.

Cum itaq; illi tacerent, uel forsan inter se tantum mussitarent, & ut maleuoli solent quædam murmurarent, ad obiecta uerò nihil responderent, cognitis illorum animis & malitiosis consilijs, ad turbas sese conuertit, illisq; istam controuersiam explanat, tanquàm simplicioribus, & ad ueritatis doctrinam appositioribus.

OBSER.

Videmus itaq;, ad quos se doctor Euangelicus conuertere debeat, quibus doctrinam Euangelij impertiat, & quos debeat relinquere, tanquam peruersos, & ueritatis hostes. Pharisæos nihil aliud quàm ansam calumniandi quærentes auersatur Christus, auersatur inquam Pharisæos qui suas traditiones pluris faciunt, quàm uerbum Dei. Cum illis itaq; Christi ministro nihil erit commertij. Populũ ad se uocat rudem, simplicem ac ductilem, huius simplicitatem, licet rudem, amplectitur Christus, illam instituit & fingit. Hanc ergo amplectetur & Christi minister. Et quis est qui non detestetur ex animo hoc hominum genus, qui nõ nisi ad hoc audiunt, ad hoc spectant, ad hoc adsunt, ut carpant & calumnientur? Simplicitas utut rudis, digna fauore est, ergo astutia uafricies digna est quæ ex animo odiatur.

Admonemur ergo hoc loco, ad doctrinã Euangelij exigi animos simplices, candidos, ductiles, ueri studiosos magis quàm quæstus ac fastus, & timore Dei præditos.

Audite & intelligite.] Audiamus & nos hoc loco, & intelligamus à Christo exigi ueritatis cognoscendæ studium. Tametsi enim amet simplices ac rudes, ut diximus, ignorantiam tamen crassam illam, & negligentiam intelligendæ ueritatis non amat, atque ideò docet rudes, ut intelligentes reddantur. Christo non est satis, ut audiatur ueritas, sed ut et intelligatur, exigit. Neminem uult seducere, ideò cupit promotam ueritatis cognitionẽ. Viderint Ecclesiastici quid sit, quod linguam incognitam in Ecclesiam induxerunt, & quod inuulgationem sacræ scripturæ usq; adeò odiunt, ut & ferro & flamma illã persequantur, & impedire moliantur. Christus hic satis ostendit populum ideò seductum esse à Pharisæis, quod rerum esset ignarus, & nullo teneretur intelligendi studio.

Non quod ingreditur in os.] Ad istam doctrinam populum ad se uocauit: Ergo digna est, quam & nos audiamus & intelligamus. Tradit enim intellectum de impuritate hominis, quæ illa sit, ut rectè, non pharisaicè uitari possit, ne per errorem dum putauerimus nos fugere immundiciam, esseq; mundos, ueram immundiciam incurramus. Quis uerò sit sensus huius loci audiemus infra ex ipso Christo.

Tunc accedentes discípuli eius dixerunt illi: Nosti Pharisæos audito sermone illo offensos esse?

Chrysostomo placet discipulos ipsos quoq; offensos esse, desideraſseq; ideò sermonis huius declarationem, non tamen fuisse ausos illam tum præsente turba petere, sed expectasse opportunitatem secreti, quo sanè quæ Marcus habet spectare uidentur. Quicquid hic uerisit, hoc liquet, discipulos nõ intellexisse sermonem Christi, unde Petrus domi seorsum illum rogat pro declaratione. Quod autem illo sint offensi, ut Pharisæi, hoc non potest probari. Aliud est non intelligere sermonem, & tamen credere inesse illi ueritatem, quod est simplicium ac rudium: & aliud non solum non intelligere, sed offendi, tanquàm audito mendacio, & planè auersari, quod est obcæcatorum.

Sed quare offensi sunt Pharisæi? Aut ideò, quod putarunt Christum loqui contra præceptam diuinitus ciborum discretionẽ, uel quod intellexerunt ista dici contra traditionem seniorũ, de lauandis manibus ante sumendum cibum. De quo malo sentire offensos esse Pharisæos, quàm de primo. Nam hoc genus hominũ semper pluris facit mandata hominum q̃ Dei. Crediderim ideò illis ante omnia cum primis occurrisse cõtemptum traditionũ seniorũ, ex isto Christi sermone quo stultitiæ uidebãtur argui seniores, qui tã uana tradidissent. Si quid discipulis durũ uisum est in hoc uerbo Christi, absq; dubio ideò uisum est, quod uidebatur cõtradicere nõ nihil legi Dei, quæ cibos aliquos immundos uocat, ac prohibet. Nam ita habent pij, ut quoniã præ omnibus obseruantia præceptorũ Dei tenentur, præ omnibus etiã durũ uideatur quicquid uel parũ illis repugnare uidetur.

OBSER.

Notandum hoc loco, quæ sit sors doctrinæ ueritatis.

Et

ea uidelicet, ut facile offendat Phariſæos, & diſcipulis quoque ſuis ſubinde ſit obſcura, & nonnihil dura. Quid nos expectabimus illius interpretes, ſi iſta Chriſto ipſi contigerunt?

At ille reſpondens ait: Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœleſtis eradicabitur. Omittite illos, duces ſunt cæcorũ ipſi cæci. Porrò, ſi cæcus cæco dux fuerit, ambo in foueam cadent.

Quanquàm res mala & ſummopere cauenda eſt ſcandalum, id quod & ipſe Chriſtus infra cap. 18. monet, admonet tamen hic doctrinã ueritatis propter malos & excæcatos nõ eſſe tacendam, neq; habendam rationem eorum qui malunt eſſe hoſtes ueritatis, quàm diſcipuli, utut offendantur, maximè ſi tales ſint quorum inſtitutum non ſit ex Deo, ut tum erat Phariſæorũ cum alioqui ſint eradicandi, ut taceam, ſi ſint non ſolum ipſi cæci, ſed & cæcorum duces. Profitebantur ſe eſſe populi duces, ſed non erant diuinitus conſtituti, ſeipſos intruſerant, aliunde adſcenderant, &c.

Proinde iubet eos omittere, hoc eſt, nihil habere cum illis commertij, nullam eorum habere rationem, quod attinet ad iſtam cauſam ueritatis. Et ſubijcit rationem à damno. Periculũ eſt illis, qui cum cæci ſint duces cæcos ſequuntur, ne ſimul cum ipſis in foueam cadant ac pereant.

OBSER.

1 Omnis plantatio.] Quidam hunc locum allegoricũ exponunt de traditionibus humanis, quod illæ ſint eradicandæ, propterea quod nõ ſunt ex Deo, quod quidem in ſe ipſo uerum eſt, à Chriſto tamen hic non agitur qui magis ipſos Scribas & Phariſæos uocat plantationem nõ ex Deo, iam iam euellendam. Plantatio Dei ſunt filij Dei. Illi permanebunt in æternum. Impij ſunt plantatio diaboli, quam in agrum nequam ille nocturnis tenebris ſeptus dormientibus hominibus ſeminauit, ut eſt. Matth. 13. Quòd ſi uoces ceremonias et ſtatuta legalia, plantationem dei, mox quærendum eſt, quare illa ceſſauerint, cum fuerint ex Deo. Si enim Chriſtus hic loquitur de traditionibus Phariſæorum, quod ſint abrogandæ, propterea quod ex Deo non ſunt: uidebitur ergo dare ſtatutis legalibus, quod illæ fuerint perpetuo manſuræ, quod non eſt factum. Proinde ego malo hic Chriſtum intelligere de ueris plantis Dei, & de plantis Satanæ, uidelicet, de filijs Dei & filijs diaboli.

Notanda eſt iſta ſententia Chriſti, utut illam accipiamus, ſiue de traditionibus humanis, ſiue de Phariſæorum ſecta, unde ſit ſtabilitas uera eorum quæ in hoc mundo aguntur. Videlicet, ſi quid ſit ex deo. Is ſolus eſt, unde robur eſt perſiſtendi, reliqua omnia ſunt caduca & pereuntia, quæ ex Deo nõ ſunt. Hinc ſibi ſumpſit Gamaliel in Actis, quod in Concilio ſacerdotum reſpondit de dimittendis Apoſtolis. Si hoc inſtitutum, inquit, ex Deo eſt, non poteritis diſſoluere, ſin minus, non poterit durare. Iſta conſolatio magna eſt filijs Dei, quod nihil eorum, quæ ex deo nõ ſunt, durare poterit, & nihil eorum perire, quæ ex Deo ſunt, quæ diuinitus geruntur. Hinc eſt, quod uerbum Domini in æternum manet, licet innumeris modis impugnatum à Satana.

Omittite illos.] Quid damni det in Eccleſia, quod 2
cæci duces cæcorum conſtituuntur & feruntur, dies hodierna declarat. Huc accedit illa tyrannis, qua miſeræ Eccleſiæ coguntur ferre ac ſequi duces cæcos nolint uelint, cum liberum non habeant, eos omittere, & ad eos ſeſe cõferre, qui ſint uidentes, & lucẽ uerbi dei adferũt. Iſta miſeria nunquam ſatis deplorata eſt in Eccleſia.

SEQVITVR.

Reſpondẽs autem Petrus dixit ei: Diſſere nobis parabolam iſtam. Ieſus autem dixit. Adhuc & uos intelligentia caretis? Nondum intelligitis quod quicquid ingreditur in os, in aluũ abit, & in ſeceſſum eijcitur? At ea quæ proficiſcuntur ex ore ex ipſo corde egrediuntur, & illa impurum reddunt hominem. Nam ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, ſtupra, furta, falſa teſtimonia, conuitia. Hæc ſunt quæ impurum reddunt hominem. Cæterum illotis manibus capere cibum, non inquinat hominem.

EXPOSITIO.

Reſpondens aũt Petrus.] Conſuetum eſt Petro, ut pro ſuo feruore ſi qua cum Domino agenda ſunt, reliquorũ uelut os, primus loquatur & interroget. Id facit & hoc loco, quod uel ex uerbis Chriſti patet, quibus nõ dicit: Adhuc & tu intelligentia cares, ſed, adhuc & uos intelligentia caretis.

Notanda eſt itaq; & hoc loco ignorantia diſcipulorũ Chriſti de qua ſupra.

Deinde in Petro, ſumendum eſt exemplũ animi ueritatis auidi, & ignorantiam non diſſimulantis, ad hoc, ut ueritatem addiſcat.

Adhuc & uos intelligentia caretis?] Ex his uerbis admonemur, magis eſſe culpabilem eorũ ignorantiam quibus copia eſt audiendæ ueritatis, qui doctrinam ueritatis aliquandiu audierunt, quàm eorum, quibus hoc nondum eſt datum. Non enim ſimpliciter dicit: An intelligentia caretis? Sed, Adhuc. q. d. poſt toties & tamdiu iam auditam ueritatis doctrinam, & uos. q. d. cũ ijs, qui illam non ita audierunt, tantumq; occaſionis cognoſcendæ ueritatis non acceperunt.

Nondum intelligitis, quod quicquid ingreditur in os.] Iſta eſt expoſitio Dominicæ ſentẽtiæ, qua ſtultitiam phariſaicæ doctrinæ & traditionis de lauandis ante cibum manibus arguit, & ad quam audiendam & cognoſcendam populum ad ſe uocauit, dicens: Non quod ingreditur in os impurat hominẽ, ſed quod egreditur ex ore, hoc impurat hominem. Lucem huius & facilitatem intelligendi, declarat per id quod dicit: Nondum intelligitis, quod quicquid ingreditur in os in aluum abit, & in ſeceſſum eijcitur? At ea quæ proficiſcuntur ex ore, ex ipſo corde egrediuntur, & illa impurant hominem.

Sunt in hac Chriſti ſententia duæ partes. Prima eſt negatiua, altera affirmatiua. Negatiua eſt, qua dicit:

Non quod ingreditur in os coinquinat hominem, quæ est uice maioris. ut minor sit, cibus illotis manibus contactus, uel sordes manuum illotarum ingrediuntur in os. deinde sequatur conclusio: ergo illotis manibus escam sumere non inquinat hominem, quam & ipse subijcit.

Maior egebat propter rudes Apostolos declaratione, ideò illam declarat dicens: Quicquid ingreditur in os, in aluũ abit, & in secessum ejicitur. Quũ ergo qualecunq; sit quod in os ingreditur, in hominis cor non intrat, sed in aluum & per secessum egeratur. Non potest tale esse, ut impurum reddat hominem coram Deo, qui non uentris sed cordis est scrutator & æstimator.

In Marco clarius exprimitur rationis huius status, ubi ita legitur: Omne ab extra ingrediens hominẽ, non potest eum inquinare, quia non intrat in eius cor, sed in uentrem, & in secessum exit. Audis rationem, quia inquit nõ intrat in cor. Ergo hominis immunditia uel munditia in qualitate cordis sita est non uentris.

Altera pars affirmatiua, est qua dicit: sed quod egreditur ex ore hoc impurũ reddit hominem. Ista est propositio. Hanc declarat, cum dicit: At ea quæ proficiscuntur ex ore, ex ipso corde egrediuntur, & illa impurum reddunt hominem. Nam ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, &c.

ANNOT.

Primo, intelligenda est ista Christi sententia, de homine nondum regenerato, ut omnino malus est, & corruptus, corde immũdo: non de regenerato cuius cor per fidem purificatum est. Non enim omnia mox mala sunt quæ ex corde hominis qualiscunq; proficiscuntur, cum Christus ipse suprà dicat, cap. 12. Bonus homo è bono thesauro cordis expromit bona, et malus homo ex malo thesauro depromit mala.

Deinde, quærendum, quomodo dicat ex ore egredi malas cogitationes, cædes, adulteria, furta. De falso testimonio & conuitijs manifestum est, quod ex ore procedant, uel ex corde per os, de reliquis non ita.

Nihil hic curiosè torquendum, sed illud ex ore simpliciter accipiendum est, pro, ex homine, quouis modo id fiat. Ideò in Marco legimus ad hunc modum: Quod ab homine exit illud inquinat hominem. Ab interioribus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, &c. Omnia hæc mala ab internis procedunt, & inquinant hominem. Hic non fit oris mentio.

Tertio, quærendum est, si aliud intelligit per adulteria, cædes & quæ sequuntur, & aliud per malas cogitationes, quemadmodum aliud per adulteria, & aliud per cædes, quomodo dicat malas cogitationes egredi ex homine, cum locum tantum habeant in corde donec cogitationes fuerint. Obseruandum igitur malas cogitationes hic positas esse generis loco, ut species illius sint quæ subiunguntur uitia. Dicit enim Christus malas cogitationes egredi ex homine, & reddere illum impurũ. Quid uerò uocet malas cogitationes, declarat per subiecta uitia adulterij, stupri, furti. quæ donec in corde fuerint malæ sunt cogitationes quod nominis in ipso etiam opere retinere possint.

Quarto. Adhuc quærendum est, quomodo dicat ea reddere hominem impurum, quæ exeunt ex ipso homine. Nam iuxta rationis nostræ iudicium credibilius esset ea reddere hominem impurũ, quæ ingrediuntur hominem, quàm quæ egrediuntur ex homine. Aut enim sunt munda aut immunda, quæ ex homine exeunt. Si munda, hominem nõ reddunt immundum egrediendo, quæ cum intro essent illum nõ impurarunt. Si immunda, quomodo polluunt egrediendo, si non pollutũ reddiderunt inhabitando? Respondeo. Christus non dicit hæc uitia ideò inquinare hominem, quod egrediuntur ex ipso, uel tum tantum quando egrediuntur, cum talia sint, quæ impurum reddant hominẽ, etiam si foras nõ egrediantur. (Nisi enim hoc esset quomodo Christus Phariseis immunditiam cordis obiecisset?) sed docet uitia malarum cogitationũ, talia esse, quæ inquinẽt hominem, quæ ideò uocat exeuntia ex corde, quod nequeant contineri, sed impetu quodam, si occasio sit, in lucem erumpere gestiant, iuxta illud: Ex abundantia cordis os loquitur.

OBSER.

In prima parte, quæ negatiua est, ubi Christus dicit: Omne quod ingreditur in os, non coinquinat hominem. Videmus quo spiritu ducantur, qui carnis, ouorũ, butyri, lactisq; usum Christianis certis temporibus abstulerunt. Qui Pontificium hoc interdictum defendunt, Christi sententiam hanc ita eludunt, ut dicãt Christum loqui non de cibis, nisi quantũ illotis manibus sumuntur. Alioqui, inquiunt, nõ peccassent, si qui idolothytum, & suffocatum tempore Apostolorũ comedissent, aut si quis uenenum comederet scienter.

Deinde dicunt Ecclesiam aliquot cibos quibusdam temporibus prohibuisse, nõ ut immundos, cum sciat omnia à Deo creata esse mũda, sed ut lasciuiæ carnis præcæteris plus seruientes, ad hoc, ut imponatur carnis libidini frenum quo coërceatur. Atq; ideò peccare eum, qui istud Ecclesiæ præceptũ infregerit. Ad primũ respondemus. Tametsi Christus ad hanc sententiã proferendã calumnia Phariſæorũ de eo quod illotis manibus manducassent discipuli, permotus sit, sententia tamen Christi uniuersalis est, & de quouis cibi genere intelligenda, qua dicit: Quicquid ingreditur in os, nõ inquinat hominẽ. Qua sanè particulare illud de manib. illotis, ut fieri solet, fortiter probat, quo et ipsa declaratio et probatio huius sententiæ spectat cum dicit: Quicquid ingreditur in os, in aluum abit, & in secessum ejicitur, quæ ratio ut est uniuersalis, ita non in manuũ sordibus tantum, sed & in omnibus etiã cibis locũ habet quibũq; per os in aluum ingrediuntur. Proinde nihil est quod hic dicunt.

Ad secundum dicimus, quod ne hoc quidem satis est, quod fatentur carnis esum in se non esse immundum, nec ideò uetitũ quod putetur immundus. Sciebant hoc absq; dubio & Phariſæi. Nempe nullos cibos per se esse immundos, attamen hoc præcepti genus diligenter seruabant, & putabant peccare eum, qui illud fuisset transgressus. Respondeant, quare prohibeant edi, quod non est immundum? In hoc scilicet sita est argumentatio Christi, qua traditionem Iudæorum suggillat, quod populo religionem inculcassent eius rei, quæ nihil ad cordis uel mundiciam uel immundiciam faciat, cum docet

immun-

immundiciam hominis non esse in rebus, quæ cor ingrediꝰ nequeunt, sed in uentrem ingrediuntur. Si hac in re errarunt Pharisæi, quomodo tuebuntur se, qui eadem docent. Sed inquiunt, ista religionis opinio uulgi est, non eruditorum, qui esum carniū certis temporibus uetitū, mortificandæ carnis gratia seruant: propterea quod is ad libidinem carnis faciat magis quàm reliqui cibi. Respondemus. Si hoc quæsitum est, ne carni sit fomentum libidinis in quotidiano usu, quare non uino interdixerunt, cuius usus magis ad libidinem facit, quàm carnis esus? ut taceam reliqua, quæ ieiuniorum diebus delectamenta carnis usurpant. Deinde rogamus, quare generaliter Christianis omnibus, cū tanta sit diuersitas mortalium, & nō sit omnibus eadem mortificandæ ad hunc modum carnis necessitas? Tertio. Quis dedit illis istam potestatem in Ecclesia? Tribuunt istam traditionem Ecclesiæ. Dicant: quando, & ubi, & quomodo Ecclesia hoc præceperit. Scimus quod Ecclesiæ dant, quæ præceperunt Ecclesiarū tyranni, sed constanter repugnamus. Quarto doceant nos, quæ sit ratio, quod peccantem cōtra expressa præcepta Dei facile tolerant, transgredientem hanc traditionem humanam occidunt. Ista nobis sufficiant, quantum ad hanc causam & istum locum attinet. Interea nobis cogitandum est, non esse satis, quod liberati sumus ista superstitione & tyrannide uetitorum ciborum, quod scimus nos nullo carnium esu maculari, nisi simul caucamus eam immundiciam, quæ uera est, quæ est ex corde, quam Christus hic Pharisæis ideò obijcit, quod sciebat eos seueros esse in custodia traditionum humanarum, & earum rerum, quæ nec mundum nec immundum reddunt hominem. in ijs uerò, quæ uerè reddunt immundum, omnium securissimos. Quid nobis poterit esse mundum, cum simus nos immundi? Apostolus dicit Tit. 1. Coinquinatis nihil est mundum, mundis omnia sunt munda.

2 Expendendum est, quæ sit immundicia in adulterio & scortatione. De reliquis forsan nemo est qui dubitet. Adulterium uerò, & maximè scortatio putantur à carnalibus nihil habere peccati, cum sit opus uiri cum muliere, & naturale quiddam, æque atq; in matrimonio.

Christus hic computat hæc duo inter res immundas id quod Christiano satis esse debebat. Est autem illorum immundicia, quod extra & contra ordinem & præceptum dei congressus fit uiri cum muliere, id quod diuinæ uoluntati repugnat. Proinde parum Christiani sunt, qui putant nihil esse peccati in adulterio & scortatione. Deinde quærendum, quare Pontificij matrimonium pro re immunda reiecerint, cum Christus hic illius non recordetur? Papa Siritius abijciens matrimonium sacerdotum, utitur Apostoli loco, quo dicit: Immundis omnia esse immūda. Volens ita probare sacerdotem, qui uxore utitur, esse immundum, atq; ideò ministerio sacerdotali uti non posse. Vide quæ Satanæ astutia & malicia. Quod sanctum est, facit rem esse immundam, & efficit, ut uitetur ab hoc hominū genere. Quod immundum & contra deum est, & immundos facit, hoc suadet nihil habere peccati, & efficit, ut non uitetur. Ideò scilicet sacerdotes hodie spreto matrimonio, ut immundo, toti sunt in scortatione, qua se non putant pollui. Ista est pœna contempti ordinis Dei.

Et digressus illinc Iesus, secessit in partes Tyri & Sydonis.

Historia ista planè dives est, & magna diligentia ponderanda. Videbimus ex ordine singula, & pro gratia diuinitus concessa ostendemus, quasi exempli uice, quomodo sint Euangelicæ historiæ excutiendæ, & thesauri instar scrutandæ.

Primum. Expendendum est in eo, quod Euangelista 1
dicit: Et digressus illinc Iesus, secessit in partes Tyri & Sydonis. 1. Vnde Christus decesserit, & quamobrem. Deinde quò & ad quos, & quàm illic acceptus.

Vnde discesserit, & quamobrem, ex præcedentibus satis patet. lege quæ hunc locum præcedant. Quò secesserit, hic textus declarat, cum dicit: Secessit in partes Tyri & Sydonis. Hoc est, in regionem Gentium.

Notandum ergo est hoc loco, quæ fuerit sors Christi isto tempore. Iudæi, ad quos Christus præcipuè missus uenerat, ita se habebant erga euangelicam ueritatem, ut coactus sit ab illis discedere. Et ne putemus hoc factū à plebe Iudæorum, atq; ita deputetur illorum ignorantiæ, commemoratum est ab Euangelista, uenisse à Hierosolymis Scribas, qui Christo restiterint. Non solum uenisse Scribas, sed & Pharisæos, id est, doctos planè & sanctos. Neq; simpliciter Scribas & Pharisæos, sed Hierosolymitanos, id est, omniū potissimos ac selectissimos.

Quid ergo præsumendū est de doctis, & in speciem sanctis, nisi hoc consuetum: nempe, quod cæteris obnixius Christo resistant? Postea uidimus qua in re Christum conati sint reprehendere, et qua in re Christus eos offenderit. Nimirum in materia traditionū humanarū.

Hinc colligimus eos potissimū euangelicæ ueritati & libertati resistere, qui traditionibus humanis cum primis assuefacti sunt.

In eo, quod non solum secedit, sed ad regionem gentium secedit, & à muliere Cananæa suscipitur & adoratur, exemplum offertur, qui sint, qui Christum potissimum amplectantur: nimirum illi, qui à sanctis Iudæis planè reijciebantur ut canes. Opponitur hic mulier uiris doctis ac sanctis. Græca Iudæis, & in ea declaratur, quàm habeat maiorem locum Christus apud abiectos peccatores, & infirmissima mortalium uascula, quàm apud primores mortalium.

Et obserua, qua ratione Euangelista commemoret, Cananæa.
eam fuisse mulierem Cananæam. Cananæi, illæ Gentes fuerunt, quæ sunt à Iudæis ex ea terra eijci præceptæ, ne per illas peruerterentur. Sed ecce hic populus ea gratia non est usus, & electus populus uenienti Christo, & à Iudæis secedenti obuiam occurrit & excipit.

Ad eum planè modum hodie, qui aliquando habebantur pro laicis, qui ad colloquium & cohabitationem non permittebantur, repudiatum à sanctulis illis Euangelium accipiunt, & fidei exemplo præstituuntur.

Quid quæso hic causæ subfuisse, & etiamnum subesse putabimus, quàm pessimam illam iustitiæ persuasionem? De qua Paulus Rom. 10. Videmus etiam hoc loco, quantum sit uirus traditionum humanarum.

Animos hominum occupant & opplent, ut nequeat esse locus doctrinæ Dei, atq; nauseam quandam miris modis doctrinæ Christi repugnantem incutiunt, id quod non solũ ista historia, sed & uerba Christi suprà cap. 9. satis declarant, ubi dicit: Non mittunt uinum nouũ, &c. Et qui uetus biberunt, non statim bibunt nouum.

RATIO EST.

1. Quod traditiones humanæ carni agnatæ sunt, tanquàm quæ ex carne sint.

2. Quod carni mitiores sunt, quàm sit ipsa ueritas. Hinc illud: Vetus mitius est. licet enim uideantur habere quandam austeritatem, tamen ueterem Adamum non crucifigunt.

3. Accedit ipsa inueteratio, qua animus quasi callo quodam obducitur.

4. Præterea in causa est falsæ iustitiæ persuasio. Videntur enim magnam iustitiæ speciem prætexere, cum nihil sint nisi idolum cordium humanorum.

2 Secundo loco expendenda est mulieris huius fides. Nã testimonio Christi prædicata est & magni æstimata. Oportet ut nos non cõtemnamus, quæ Christus extollit. Sunt aũt in fide mulieris membra quædã expendenda.

1 QVAE SIT MVLIERIS FIDES.

Illud in eo patet, quod dicit: Miserere mei Domine, fili Dauid. His uerbis Christo tribuit, eum esse promissum Meßiah, id est, saluatorem mundi, unctum Domini. Non potuit maiorem confeßionem de Christo facere & planiorem. Admonet eum dispensationis suæ, dum dicit: Fili Dauid.

2 VNDE SIT ILLIVS FIDES.

Marcus habet, quod audierit de Christo. Ergo ex auditu fidem conceperat. Rom. 10. Vide locum. Quomodo illi credent, qui non audiunt?

3 OPVS ET NATVRA FIDEI.

Eum inuocat & illius misericordiam implorat in quẽ credit. Non clamat post apostolos, sed ad Christum.

4 PROBATIO ET TENTATIO FIDEI, qua fortitudo illius elicitur.

1. Christus nihil respondet. Illa uerò non cessat.

2. Illicitum etiam esse dicit, & quasi planè negat, sed ista hoc propius accedit.

3. Propriam uilitatem obijcit. Illa fatetur, & uel inde argumentum colligit corroborandæ suæ spei.

5 EFFICATIA FIDEI.

Impetrat quod petit. Vade, tibi fiat sicut uis. Sic multis locis: Fiat tibi secundum fidem tuam.

Nota. Sicut uis. Ea est Christi bonitas, ut nihil queat negare credentibus.

Tertio loco, expendenda est & uirtus Christi diuina. Et sanata est filia eius. 1. Non præsens. 2. Verbo duntaxat. Iste rex est omnium potentißimus, cuius uerbum Fiat. efficatiam habet, quam nemo poterit impedire.

4 Quarto. Habemus etiam hoc loco exemplum ueræ charitatis. Huius ingenium est, ut eius quem diligit calamitatem sibi faciat propriam, deq; illa non aliter cogitet, doleat, afficiatur, quàm si propria esset. Istud uidemus in hac muliere, laborat filia à dæmonio uexata. Hinc maternum mulieris pectus non aliter mœrore conficitur, atq; ingentibus animi doloribus, quàm si ipsa in se ipsa hoc mali pateretur. Et forsan etiam uehementius, quàm ipsa laborans filia.

1. Clamabat ad illum. Clamor est doloris & anguστiæ signum. 2. Miserere mei. Non dicit: Miserere filiæ meæ. Sed mei. q.d. Ego sum, quæ isto malo laboro, premor & crucior. 3. Adiuua me. Non dicit: adiuua filiam meam. Sed me. Ita uidelicet habet ingenium charitatis. Vide 1. Cor. 13. 2. Cor. 11. Item 1. Cor. 12.

Moniales et monachi putant, se austeritate uitæ cõ- Nõ.
mendari apud Deum. Sed non obseruant scopum & finem eius austeritatis, quæ genuina sit, & Deo placens.

Duplex est uitæ austeritas. Vna est extra ordinatio- 1
nem dei, & normam charitatis, eorum qui sibi ipsis religionis uiam elegerunt, qua nemini, sed sibi solis tantum uiuunt. Ista Deo non placere. Neq; enim ex deo est, quicquid charitatem non sapit. Imò si uerum fit dicendum, Deo displicet, quia talis uita non præstat proximo quod debet. Satan est, qui hoc ingenium habeat, ut gaudeat de afflictione ministrorum suorum, qua sibi seruiatur, ut Sacerdotes, Baal, &c. Deus uerò nequaquàm.

Altera est ea uitæ austeritas, qua seruitur proximis. 1
In illa uiuebat hæc mulier, quia materna erat erga filiam dilectione. In summa. In illa uiuunt, quotquot in iis uiuunt statibus, quos ordinatio diuina exigit. Magistratus, uerbi ministri, parentes, filij, filiæ, serui & ancillæ. Ista Deo placet, quia habet insigne illud diuinum, nempe charitatem. Confer statum matrimonij, mulieris scilicet, uirum & liberos habentis, paupertatem quoq; ferentis, isti austeritati de qua gloriantur Moniales.

HVMILITAS.

Quinto. Est & exemplum ueræ humilitatis in ista 5
muliere. Veram humilitatem non dico, quæ sit in externis uestibus & gestibus, sed quæ sit in ipsis animi affectibus. Ea est agnitio propriæ uilitatis, repugnans superbiæ mentis cordis. Christus dicit: Non est bonum sumere panem filiorum &c. & mittere canibus. Quid ad ista mulier uerè humilis.

Primum. Non reprobat, Iudæos esse filios, cum tamen potuisset illorum incredulitatem obijcere & summam ingratitudinem.

Deinde. Non reluctatur, quod canis uocatur, sed agnoscit. Imò confirmat etiam. Illud enim: Etiam Domine, confirmantis est. Potuisset fidem suam opponere Iudæorum incredulitati.

Aliud est ingenium Iudæorum, arrogans & superbum. Vide Ioh. 8. Discimus ergo hic ueram humilitatem hæc duo habere. Primũ non contemnere alios, utut peiores. Alterum agnoscere uilitatem suam, etiam si sit magna fides, charitas, atq; adeò magna dignitas coram Deo. Hæc non habebat Pharisæus, atq; ideò præfertur illi publicanus.

Sexto. Habemus etiam hoc loco de interceßione A- 6
postolorum quædam notanda. Illi qui toti in hoc sunt, ut interceßionem sanctorum probent, citant hunc locum.
1. Non legitur ad Apostolos, sed ad Christum clamasse.
2. Apostoli adhuc erant uiuentes. Nos uerò non negamus uiuos orare pro uiuis.

9. Nec

3. Nec sunt exauditi, sed oportuit ipsam accedere, & exaudiri. Vide hic Chrysostomum.

Tale est & illud, quod de Adonia. Item de beata Virgine Iohan. 2. adducunt. Discamus itaq; hoc mulieris exemplo. Primum per nos ipsos ad Deum patrem, & Christum Iesum filium eius orare. Sic habet oratio nostra: Pater noster, &c.

2. Perseuerare in fide, ut à petendo non desistamus. Exemplum uiduæ & mali iudicis, Lucæ 18.

3. Non impedire nostram uilitatem, quin magis ex illa ipsa argumentum sumatur confidenter & perseueranter petendi. Quid enim uilius catulo? Et tamen is, quatenus Domini sui est, etsi non de pane filiorum, attamen de micis uescitur, quæ cadunt de mensa Domini sui.

N. Magna mulieris huius fides, in eo potissimum, quod de bonitate Christi tam eximia sensit, ut cõtulerit illam diuiti mensæ. Ita ut hoc quod ipsa petebat, æstimauerit aliorum respectu, quæ in se Christi bonitas & potentia habebat, micis de diuite mensa cadentibus. Vigilantissimè expendit diuitias regni Christi, in quo quæ terrena illa necessaria sunt, aliorum respectu uerè nihil aliud sunt, quàm micæ quædam.

Septimo. Expendendum est etiam quod Christus dicit: Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël. De his uerbis uide suprà cap. 10.

1. Quomodo dicat se non missum, nisi ad Iudæos, cũ non solum Iudæos, sed & Gentes saluare uenerit.

2. Quomodo non statim sequendi sint, quibus multum
Rom. 11. prærogatiuæ diuinitus datum est, ita ut nihil sit, quod quidam hodie dicunt: Maneamus apud ecclesiam, quam Christus ita dilexit, ut seipsum pro illa tradiderit, atq; ideò illam non potuit usq; adeò deserere. Probetur Ecclesiam à Christo suo non discessisse. Aliud est diligi, & non deseri à Christo: & aliud diligere, & non deserere Christum.

3. Quæ sit illa perditio ouium Israëlitarum, quas uocat oues perditas domus Israël.

O mulier, magna est fides tua.

Verba ista Christi diligenter sunt consideranda, maximè, cum tanto affectu prolata: O mulier, &c.

Primo notandum, quod mulieris fidem prædicat. Quæso, quare non humilitatem? Quare non patientiam repulsæ? Aut alias uirtutes prædicauit, æque ac fidem? An illæ uirtutes non sunt egregiæ? Vtiq;. Sed fides est omniũ illarũ radix. Hanc Christus ubiq; cõmendat.

Deinde quid prædicat in ista mulieris fide? Magnitudinem. Magna inquit est fides tua. Qua in re magna?

Expendamus ea quæ in fide mulieris huius præcipua sunt. Primum. Credidit hunc Iesum esse filium Dauid. Fili Dauid inquit, miserere mei. An hoc prædicatur à Christo? Non. Nam & diabolus hoc credidit, imò amplius aliquid: nempe, esse illum filium quoq; dei. Verum contremiscit, ut Iacobus inquit. Proinde oportet aliud quid accesserit, quod hic à Christo commendatur. Ista fides non potest admittere maius uel minus aliquid. Qui Deũ credit esse in hac fide nihil recipit, unde uel maior sit uel minor. Qui enim plus credere potest, antea certè minus credidit. Si minus, iam non credidit, sed opinatus est. Ita habet & ista fides mulieris, quæ credidit Christum esse filium Dauid. Qui credit Cæsarem esse regem Hispaniæ, nõ potest illud plus credere uel minus. Deinde 2
ista fides nihil per se impetrat.

Quid ergo commendatur in hac muliere? Fiducia scilicet in Christum, de impetranda filiæ sanitate. Ista accessit fidei, qua credidit Christum hunc esse filium Dauidis. Ista admisit magnitudinem. Hæc potest alicui plus alicui minus inesse. Huius fiduciæ magnitudinem declarauit mulier per προσεδρίαν illam & infatigabilem precandi perseuerantiam, quam certè non habuisset, nisi magna prædita fiducia fuisset. Hanc scilicet Christus hic extollit. Ista omnes tentationes deuicit, quod primum tacebat Christus: deinde discipulis denegabat: tertio canibus comparabat. De ista fide sunt ista Marci 11. Matth. 21. Et in Ioanne. Hæc est uictoria, quæ uincit mundum, fides uestra.

De hac est illud modicæ fidei quare dubitasti.

Nono. Obseruanda sunt etiam illa uerba: Fiat tibi sicut uis. 1. Fiat. Potentia Christi. 2. Sicut uis. Quare non dicat: Sana sit filia tua. Oportebat ita exprimi bonitatem Christi erga credentes, qua fit, ut fides credentium nihil nõ apud eum possit. Sicut uis, inquit. q. d. Non solum quod petis, sed planè, ut uis ita tibi fiat. Nam ita solemus respondere illis, quibus omnino bene uolumus, si quid petierint. Gang hin, machs nur uuie du uuilt. Dein uuill mein uuill. Ita solent amantes, qui nihil possunt negare amatis. Sed de hoc loco uide suprà cap. 8.

Et progressus illinc Iesus, uenit iuxta mare Galileæ, & conscenso monte sedebat illic. Et accesserunt ad eũ turbæ multæ, ducentes secũ claudos, cæcos, mutos, mutilos, & alios multos, & abiecerunt eos ad pedes Iesu, & sanauit eos, adeò, ut turbæ mirati sint, cum uiderent mutos loqui, mutilos esse sanos, claudos ambulare, cæcos uidere, & glorificabant Deum Israël.

Talem generalem malè habentium curationem Euangelista iam antea aliquoties descripsit, ut suprà cap. 4. 8. 9. 14. in quibus locis pleraq; de Christi uirtute & bonitate annotata sunt. Iam quæ hic obseruanda sint breuiter uideamus.

Et progressus illinc.] In Marco cap. 7. uidere 1
est unde sit progressus Christus: nempe ex finibus Tyri ac Sidonis, deinde, quare: uidelicet propterea, quod iam ibi quoq; palam esset factus, cum uellet ibi latere. Ergo illinc regressus, non ingreditur urbes, sed per medios fines decapoleos ad mare Galileæ, ibiq; secreti, ac quietis gratia montem conscendit. Sed quare secretum & latibulum petijt? Certè non timoris gratia. Cur ergo? Ne scilicet irritaret animos Pharisæorum contra se alioqui exacerbatos, cum nondum esset tempus suæ declarationis. Hac de re uide suprà cap. 9.

Et accesserunt ad eum turbæ multæ. Ecce adhuc la- 2
tere nõ potest. Quomodo enim latere posset solis splendor? uirtus Christi non poterat esse occulta. Qui studio uanæ gloriæ ducuntur, plerunq; non assequuntur, quod

persequi

perſequi uidentur. Chriſtus quod fugit, ferre etiam cogitur. Irrumpamus et nos iam ad Chriſtum cum noſtris ægrotis, ſedentem non in monte Galilææ, ſed ad dexteram patris, nec latere uolentem, ſed ubiq; regnantem, multo opportuniores acceſſores futuri, quàm iſtæ turbæ, de quibus hic ſcribitur.

3 Et abiecerunt eos ante pedes Ieſu.] Pulcherrimum ſpectaculum. Sicut ouiculæ ante pedes paſtoris ægrotæ ac morbidæ abijciuntur.

Egregia ſimul populi huius fides conſideranda, non ſolum in eo, quod tanto labore cum ægrotis ſuis, mutis, cæcis, mutilis, claudis, & alijs ad Chriſtum in montem aſcendunt. Sed illos ſimpliciter ad pedes Ieſu proijciunt: nec leguntur quicq̃ dixiſſe, quaſi putauerint ſatis eſſe, ſi adducti fuerint in cõſpectum illius humiles ac ipſo geſtu magis quàm uerbis ſupplices.

4 Et ſanauit eos.] Ecce facilitatem & humanitatem Chriſti. Tametſi uellet latere, non tamen moleſtus fuit turbis ad ſe importunè accurrentibus, ſed ſtatim ægrotos illorum curauit. Nos longè alio ſumus ingenio proh dolor, nihil minus erga adflictos, q̃ Chriſti manſuetudinem & clementiam referentes.

Sed quare non adeò difficilis erga iſtos fuit, atq; erga Cananæam, cũ tamen illa fuerit longè maiore fide prædita? Qui maiore ſunt fide, amplius etiã exercendi ſunt, ut fiant alijs exemplum præclaræ fidei: Ergo, qui minore fide ſunt, ut imbecilliores citius ſubinde à deo curantur. Proinde non ſunt putandi Deo ingrati, qui diutius adfliguntur, & non ſtatim curantur.

5 Et turbæ admiratæ ſunt.] Admirationis cauſa eſt inſolentia facti cuiuſpiam, quod uires excedit humanas. Surdis auditum, cæcis uiſum, claudis greſſum, mutis ſermonem reſtituere, inſolens eſt et ultra uires mortalium: Ergo cum hic uiderent turbæ admirabantur. Et huius etiam gratia iſta miracula in Chriſti diſpenſationem diuinitus ſunt præordinata ac deſtinata, ut mortalium animos ad ſtuporem & fidem permoueret. Sed quæſo, quid eſt quod hodie quoq; non admiramur uiſus, greſſus, auditus, ſermonem eorum, qui non ſolum ſurdi antea cæci, muti, claudi erant, ſed planè non erant? Hæc uilia ſunt, quia quotidiana.

Vide Eſa. 35. Item Acto. 10.

6 Et glorificabant Deum Iſraël.] Quia agnoſcebant uirtutem dei, uiſitantis plebem ſuam. Phariſæi adſcribebant iſta non Dei, ſed Satanæ uirtuti. Vide quàm perdatur ſapientia ſapientum, & uincatur à ſtulta plebecula: Ergo ad gloriam dei facit, uidere, audire, loqui, ambulare ac ſanũ eſſe. Sunt enim ſigna uitæ, quam deus ſolus dare poteſt. Suggillantur ideò in Pſalmis ſimulachra, quod aures habentes non audiant: oculos, non uideant: pedes, non ambulant, &c. Quemadmodum itaq; permiſſione diuina Satan gloriam Dei in imagine illius obſcurat, dũ homines reddit cæcos, mutos, claudos, ſurdos & infirmos: ita Chriſtus aſſertor gloriæ Dei, ex mutis facit loquentes, ex ſurdis audientes, ex cæcis uidentes ex ægrotis ſanos.

Glorificemus ergo & nos deum, non ſolum propter iſta corporalia, ſed et propter ſpiritalem ſanitatem, uiſum, auditum, loquelam, quando datur beneficio Dei, ut ex ægrotis ſpiritu ſani: ex ſurdis corde, audientes: ex cæcis corde, uidentes: ex mutis ad laudem Dei loquentes & canentes fiant.

Ieſus autem uocatis ad ſe diſcipulis ſuis dixit: Miſeret me turbæ.

Superiore capite propè eadem habuimus, niſi quod numerus & panum & populi non idem utrinq; eſt, id quod parum diſcriminis facit. Proinde hoc loco breuiter tranſeundum eſt.

Videmus hic φιλανθρωπίαν Chriſti, ubi neceſſitatem populi ſibi adhærentis agnoſcit, illiusq; per miſericordiam rationem habet. O ſi nos Chriſto adhæreremus & ipſi, abſq; dubio eundem miſericordiæ & bonitatis affectum in Chriſto experiremur & ipſi. Nihil legimus quod populus de neceſſitate famis Chriſto ſit conquæſtus. Ipſa res loquebatur. Homines erant. Neceſſitas humana Chriſto non erat ignota.

Miſeret me turbæ.] Ecce habemus regem, qui ſuorum miſeria tangitur, Ebr. 5. Aliud uidetur in principibus & magiſtratibus huius mundi. Mat. 11. Venite &c. 1

Quia iam triduo perſeuerant apud me, nec habent quod manducent. 2

Vide & corporalis neceſſitas populi ſui à Chriſto expenditur, cauſamq; illi dat miſericordiæ. Quæ erat illa? Audi. Non habent, quod manducent. Quamdiu? Iam triduo. Audiant hoc, qui rerum penuria premuntur, diſcantq; quid à Chriſto ſperare ac petere debeant.

Et nota. Quis uocauerat eos? Cuius gratia & bono perſeuerauerant apud Chriſtũ? Certe uocati non erant, Deinde Chriſto nihil inde utilitatis acceſſerat. Et tamen rationem habet neceſſitatis ipſorum.

Et nolo eos ieiunos dimittere. 3

Efficatia miſericordiæ eſt, quæ non poteſt non ſuccurrere adflictis. Non dicit: Si dimiſero eos ieiunos. Sed nolo inquit, ieiunos eos dimittere. O aureum uerbum.

Ne deficiant in uia. 4

Ecce quomodo bonitas dilectionis & miſericordiæ adiunctam habeat prudentiam & cautionẽ ad futurum non ſolum præſentia curans, ſed & futuræ miſeriæ rationem habens. O noſtram inhumanitatem. Præſentium non miſeremur, futura quando curabimus? Multi ſunt, qui putant in extremis tantum neceſſitatibus ſuccurrendum eſſe pauperibus. Itẽ quis fuit ille ſpiritus, qui Chriſtianum populum longinquis & extorribus peregrinationibus ad ſanctum Iacobum, Romam, &c. Deinde & ieiunio 40. dierum aggrauauit? An & ille cogitauit, Ne deficiant in uia, ne noceat pauperibus hoc ieiuniũ?

Et uocatis ad ſe diſcipulis. 5

Cur ad diſcipulos iſta dicit. 1. Propterea ut eos ad futurum miraculum præparet. 2. Vt & ipſi eidem affectui aſſueſcant. Hoc & ſummo ſtudio fecerunt. Act. 6. Item Paulo mandarunt, ut pauperum memor eſſet.

Expendenda eſt & populi huius fides, in qua uidemus ingenium fidei, quæ hoc habet, ut parum iuxta ſeculum prudens ſit. Sine cõmeatu tanto itineri ſeſe commiſerunt: deinde triduo perſeuerarunt: tertio, nec ſic ceſſerũt, niſi dimiſſi. Verũ ſuccurrit prudentia Chriſti 6

Sit

Sit iſtud magno ſolatio adhærentibus Chriſto, ſit etiam exempli uice, ut et ipſi tali erga ſe inuicem ſint affectu.

Et dicunt ei diſcipuli eius: unde nobis in ſolitudine panes, &c.

Sapientia rationis humanæ diuinam uirtutem non expendit, ſed tantum creaturarum curſum & uires. Ita Moſes quoq; Num. 11. Vnde mihi carnes, ut dem tantæ multitudini? Item. Sexcenta millia peditum huius populi ſunt, & tu dicis: Dabo eis eſum carnium menſe integro? Nunquid ouium & boum multitudo cedetur, ut poſſint ſufficere ad cibum, uel omnes piſces maris in unum congregabuntur, ut eos ſatient.

Et uide quæ ſit iſta ſtupiditas Apoſtolorum. Iam antea uiderant Chriſtum maiorem multitudinem paucioribus panis paſcentem, nec dum ſapiunt.

Quot panes habetis hic? Dicunt ei ſeptem, & paucos piſciculos. Et iuſſit turbas diſcumbere, &c.

De his & quæ ſequuntur uſq; in finem, uide capite præcedenti.

DISPOSITIO HVIVS HIſtoriæ.

Omnia huc tendunt, ut Chriſtum agnoſcamus, in quo uno eſt omnis noſtra ſalus, tanquàm unico ſaluatore.

In illo ſunt duo primaria agnoſcenda: uidelicet diuina bonitas: deinde & diuina uirtus. Hæc duo habentur &
1 *hoc loco. Quod ad bonitatem Chriſti attinet, proponitur nobis in ipſius uerbis ad diſcipulos: Miſeret me turbæ, &c.* Quod ad uirtutẽ eius attinet, uidere eſt in ipſa
2 *hiſtoria, qua declaratur, quomodo tantã multitudinem tam modico cibo pauerit.*

CAPVT XVI.

ET aggreſſi Phariſæi cũ Sadducæis tentantes rogabãt eũ, ut ſignũ è cælo oſtẽderet ſibi.

Quid.

Euangeliſtæ magno ſtudio non ſolum doctrinam miraculaq; Chriſti, ſed & aduerſariorum incurſus ac tentationes proponunt, id quod & hic noſter hoc loco facit, Qua in re cum eius admonemur, quod ueritas nunquàm caret aduerſarijs, tum quod aduerſariorum inſultus plurimum ad confirmandam ueritatem faciunt. Ipſum exordium diſpenſationis Chriſti, móx à baptiſmo tentatorem habuit caput impiorum Satanam. Ab illo tempore acceſſerunt diſcipuli Satanæ, Scribæ & Phariſæi cum Sadducæis & Herodianis. Hic noſter intra Satanæ primam tentationem & paſſionem Chriſti recenſet quindecim incurſus ac tentationes Scribarum et Phariſæorum, quo in numero præſens iſta nona eſt tentatio.

1 *Seculo noſtro apud imperitos uidetur inſolens, quod dicimus ueritatem habere aduerſarios, cum nihil ſit minus inſolens. Veritas peregrina eſt in terris, ut Tertullianus inquit, atq; inter extraneos facile inimicos inuenit. Si in Chriſto inuenit inimicos, ubi illuſtriſſima coniuncta erant diuinæ uirtutis argumenta, quid dubitandum de alijs ueritatis miniſtris? Ergo non eſt certum ſignum falſæ doctrinæ, ſi multi ſint contradictores. Nam Euangelio Chriſti paſſim contradictum eſt. Actorũ ult. Et Chriſtus in ſignum poſitus eſt, cui contradicatur. Lucæ 2. Iuxta tamen & hoc uerum eſt, non eſſe ſignum quoq; ſanæ doctrinæ, ſi adſit contradictio. Nam & falſis doctoribus à ueris contradicitur. Proinde optima cautio fuerit, ut nemo putet Euangelij doctrinam ideò eſſe falſam, quod plurimam patitur contradictionem: nec doctrinam aduerſariorum putet ideò ſanam eſſe uel falſam, quod à pijs illi repugnatur. Examinanda eſt omnis doctrina ad canonem ſacræ ſcripturæ.*

Deinde imperiti putant ſignum eſſe, non diu duraturæ ſanæ doctrinæ, quod paſſim impugnatur. At obſer- 2
uandum eſt in Chriſto capite nulla ex re factam eſſe illuſtriorem, quàm ex crebris contradictionibus. Vires athletæ non probantur ocio, ſed aſſiduis certaminibus conſpicuæ redduntur. Ita habet & ueritas. Nunquàm cedet impunè cui quàm, qui ueritatem laceſſit. Nam illa ſemper uincit, utut aliquandiu diuerſum uideatur. Nos germani dicimus: Die uuarheit beſtat, die lugẽ zergat.

Phariſei & Sadducæi.] *Sæpe admonui obſeruandum eſſe, qui nã fuerint infenſiſſimi Chriſto hoſtes. Per-* Qui.
petuo audimus Scribas & Phariſæos. Illis adiuncti ſunt hic et infrà cap. 22. Sadducæi, id eſt, iuſtitiarij צדיקים *hoc eſt, ſancti. Certè magnopere ad ſcandalum facit, ſi doctrinæ cuidam reluctentur, qui in populo ſunt doctiores ac ſanctiores. At Chriſto iſtud uſuuenit. Quid nos aliud ſperabimus.*

Tentantes.] *Cur non aperto marte? Quare non manifeſtè repræhendunt, ſi quid ſiniſtri agebatur? Sed* Quomodo.
ita habet ueritas, ut ægrè aperto marte impugnetur. Hypocriſi opus eſt ac tentatione. Exquirendum eſt, ſi quid elici poterit, quod carpatur in ſpeciem. Sed qua in re illum tentant?

Vt ſignum de cœlo oſtenderet.] *Hac de re uide ſuprà ca. 12. ibi. Præceptor uolumus ex te ſignũ uidere.*

At ille reſpondens dixit eis: Cum cœperit eſſe ueſpera, dicitis: ſerenitas erit, nam rubet cælum. Et mane, hodie tempeſtas erat, nam rubet cœlum triſte. Hypocritæ, faciem cœli ſcitis dijudicare, ſigna uerò temporum non poteſtis?

Opprobrat illis deſtinatam cæcitatem, qua tenebantur propter maliciam cordium ipſorum, qua ſigna temporum illorum agnoſcere nolebant. Illam coniuincit ex eo, quod nõ cauebãt induſtria colligendi ex ſignis qualitatem temporũ, quod declarat ad hunc modum: Cum ueſpera cœperit eſſe, &c. Quaſi dicat: Si in rebus iſtis terrenis ac minutis, tam eſtis ſignorum obſeruantes, & ad iudicandum diuinandumq; de tempeſtatum qualitate induſtrij, quare non & iſtorum temporũ ſigna agnoſcitis? Tenetis legem & Prophetas. At illi præmonſtrarunt iſtorum temporum ſigna, quæ coram oculis uidetis, ex quibus poteratis diſcere, quid rerum iam geratur in regno Dei. Verum uos nulla cura tenemini cognoſcendi regni Dei, & quod iam rogatis, ſignum cœleſte uobis dari, hypocriſis eſt malicioſa.

Ad

Ad eum modum & Lucæ 12. illis obijcit, dicens: Cum uidetis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: nimbus erit, & ita fiet: & cum Austrum flantem dicitis, quia æstas erit, & fit. Hypocritæ, faciem cœli ac terræ nostis probare, hoc autem tempus, quomodo non probatis? Sed quæ erant signa temporum illorum, quæ Pharisæi, Sadducæi, & Scribæ agnoscere uolebant? Miracula illa Christi, quæ quotidie uidebant. Illa prædicta erant in Prophetis, ut Esa. 35. apertis uerbis. Item quod sceptro regio spoliata erat tribus Iehudah. Nam Gene. 49. prædictum erat de Iuda ad hunc modum: Non auferetur sceptrum de Iudah, nec dux de fœmore eius, donec ueniat qui mittendus est. Erat autem tum ablatum à Iudæis regnum. Nam erant subiecti dominio Romanorum. Item uidebant diſsidia propter religionem in populo, ita ut domus una scinderetur in quinq; partes, pugnante patre aduersus filium, filio aduersus patrem: matre contra filiam, filia contra matrem: socru aduersus nurum, nuru aduersus socrum, existentibusq; inimicis hominis illius domesticis. Hoc scilicet prædictum erat in Michæa cap. 7. Ideò & Lucæ 12. Christus illud præmisit opprobrationi quam suprà posui.

Ista signa erant ante oculos omnium, uerum à Scribis & Pharisæis non habebantur pro talibus signis. Quare? Quia non habebant ipsorum rationem. Quare & hoc? Quia regni Dei cura non tenebantur. Vnde & istud? Quia non Dei, sed propriæ gloriæ dediti erant, atq; ideò & Christo infensissimi. Quoniã igitur signum de cœlo quærebant, quasi tenerentur cura agnoscendi regni Dei, cum longè diuersum agerent, rectè uocat eos hypocritas, id est, aliud agentes & aliud simulantes, homines permansos ac subdolos.

OBSERVANDA.

Videmus hic quomodo sit de tegenda nostrorũ quoq; temporum hypocritarum peruersitas et hypocrisis, qui & ipsi signa petunt. Quasi signis careat hoc tempus, et quasi aliqua ueritatis agnoscendæ cura teneantur: cum nihil quærant aliud, quàm quod isti tum tempore Christi quærebant. Potest & illis dici: Habetis notitiam signorum cœlestium, nouilunij, plenilunij, eclipsium, solstitij, & si qua sunt huiusmodi, quomodo non & signa istorum temporum agnoscitis?

Sed quæ sunt horum temporum signa? Principio. Magna ista immutatio rerum, debebat admonere geri rem diuinitus non contemnendam. Nam quod Christus Lucæ 12. dixit, idem & nostro tempore uisitur. Deinde et apostolus Petrus prædixit istam negociationem nundinalem in Ecclesia futuram. 2. Pet. 2. Paulus 1. Tim. 4. prædixit futurum, ut quidam attendentes spiritibus errorum loquuturi sint mendacium, trahituriq; doctrinas dæmoniorum, &c. & adiecit ueluti signa, prohibitionem matrimonij, & ciborum, quos Deus creauit ad sumendum fidelibus. Et 2. Thessa. 2. de portentis ac signis Antichristi prædixit. Et 2. Timo. 4. prædixit futurum, ut à ueritate auersi audituri sint fabulas.

Hæc omnia nec agnoscunt hodie, nec obseruare dignantur. Quare? Quia non tenentur cura agnoscendæ ueritatis, &c.

DE SIGNIS PRAECVRRENtibus iudicij diem.

Et nos hic plurimum stupemus. Omnino magna ira Dei præ foribus est, siue illa sit extremi diei, siue singularis alicuius flagelli. Huius multa signa præcurrentia uidemus. Sed quotus quisq; est qui obseruet? Loquor autem non solum de uniuersalis diei signis, quæ Christus prædixit Matth. 24. sed de illis quoq; quæ minantur singulare aliquod flagellum Dei. Illa quæ sunt? Dicam ne peccata nostra? Sed semper peccatores fuimus. Quæ ergo alia? Videlicet quòd supra modum decrescit timor Dei, & augetur incredibilis contemptus Dei, temeritas & licẽtia delinquendi, de qua passim quærimur omnes. Et quod pessimum est, morbus non solum auctus est, sed ita, ut medicinam respuat, uerbum Dei scilicet, quo debebat curari seculi corruptio. Et ipse magistratus cuius erat punire sontes, & efficere, ut iustis ac innocentibus esset honor, & male agentibus supplicij timor, prorsus deest officio. Aperte regnat personarum acceptio, sine omni pudore, unde fit, ut nec boni satis defendantur, nec mali pro meritis puniantur, quæ res non solum efficit, ut crescat uulgo peccandi temeritas, sed cogit iram Dei ad uindictam. Cum ergo ista uideamus, quid aliud cogitandum est, quàm instare flagellum Dei? Nisi putamus Deum sui non esse similem, nec odire improbitatem. Vniuersa scriptura iusitiam diuini iudicij nobis proponit peccantibus sine pœnitentia, et solis pœnitentibus pollicetur gratiam Dei. Obseruanda sunt ergo & istorum tempora signa, ad hoc, ut uitam emendemus, iramq; Dei placemus. Non possumus efficere, ut passim emendentur omnes, emendet seipsum quisq;. Erit enim etiam in ira Dei iustorũ ratio. Vide Malachiæ tertium cap. & in exemplo Iob & Noah.

Faciem cœli iudicare potestis.] Ergo malum est, faciem cœli iudicare? Nequaquàm. Non hoc agit Christus. Est enim utile, & faciens ad gloriam Dei in operibus illius. Verum hinc non probatur superstitiosa signorum cœlestium obseruatio, ex quibus nonnulli temporum bella & annonæ charitatem prædicere uolunt. Opera Dei sunt duplicis rationis. Primum, quædam sunt certi cursus ac status, ut sol, luna, dies, nox, æstas, hyems, ignis, aqua. Horum ratio potest obseruari, ad usum uitæ humanæ. Deinde quædam sunt incerti cursus: ut, pax, copia annonæ, sanitas mortalium, &c. quæ pendent à secreta & libera prouidentia Dei, non ab astris. Itaq; ex hoc loco non possunt defendi prognostici illi libelli, qui passim uenduntur, quorum magnus est abusus, maximè apud usurarios, ut principes taceam, qui plerunq; prognosticantium consilijs utuntur.

Natio praua & adultera.

De hoc sermone uide suprà capite duodecimo, ubi eadem habentur.

Prauitas ista, quæ Ebræis uerbo עקש significatur, omnino tale quid est, quod exprimi nequeat clarè, ut in se est עקש per se significat incuruum, distortum, gibbosum, non eodem tenore, tractuq;, sed planè nunc illo, nunc alio auersum ac reuersum. Atq; hinc per metaphoram trahitur ad humani cordis prauitatem. Esaiæ 42.

ubi

ubi pollicetur Dominus populo suo omnia se complanaturum, id est, prospera & secunda redditurum, inter alia dicit רמעקשים למישור id est, et incurua ac distorta in planiciem. Et Micheæ 3. ubi obijcitur iudicibus, quod res iustas et æquas, quæ facile possent transigi mutauerint in iniquas ac difficiles, legitur רשקעיר בל הישרת id est. Quicquid rectum ac planum est peruerterunt, id est, distortum ac incuruum reddiderunt. Ergo prauitas ista impiorum est subdola, astuta, incurua, ac miris modis peruersa quædam iniquitas & malicia. Grad uuie ein uuiderspennigs holtz, das ietz hicher, ietz dort hin sich uuendet, und alluuegen dem bobel entgegen sich setzet.

Ista prauitas, ut dixi, nunquàm satis agnoscitur. Est enim non simplex quædam iniquitas, sed multiplex & uaria, deinde subdola & occulta. Iuxta illud: Prauum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Facilius agnoscitur, prædicatur, ac laudatur iusti candor, synceritas ac probitas: quia ibi simplicitas quædam est, & omnia aperta & manifesta, nihil obscuri, nihil tecti. Hinc fit, quod res sit omnium difficillima corripere istam prauitatem humani cordis. Exemplo sit hodie incredibilis illa usurandi τὴν πλεονεξίαν astutia, obscuritas & uarietas, quam nemo satis deprehendere poterit, de qua gloriantur etiam homines planè peruersi. Verum scriptũ est: Dominus cognoscit prauitatem humani cordis. Hier. 17.

Et relictis illis abijt.

Migrationes Christi non sunt temerè ab Euangelistis descriptæ. Nõ enim sunt fine ratione factæ. Nonnunquàm secesſit aliò propter eos ad quos ibat inuisendos, ut alicubi. Oportet me & alijs ciuitatibus euangelizare. Aliquando receſsit propter incredulitatem & maliciam eorum, à quibus receſsit. Tale est quod hic quoq; legimus. Non enim simpliciter dicit Euangelista: Et abijt, sed relictis illis abijt, ut ostendat Christum malicia Pharisæorum & Sadducæorũ offensum abijsse, ad hoc, ut illos in cæcitate sua relinqueret, doceretq; suos, doctrinam regni dei nihil efficere apud hoc hominum genus, atq; ideò illis quoq; non esse proponendam. Huiusmodi migrationes Christi sunt ideò notandæ, ut discamus, ad quos ueritas doctrinæ Euangelicæ pertineat, ad quos non pertineat.

Christo non est curæ, quid isti relicti post abitum suum sint gloriaturi, quàm illum sint falso interpretaturi. Nam absq; dubio plurimum gloriati sunt de industria sua, qua effecerint, ut finibus ipsorum relictis abierit hic homo, abieritq; ex metu, & mala conscientia impulsus. Sed ista nõ magni æstimat Christus. Relinquit cæcos istos, et facit, ut obstinatiores reddantur. Ista ideò commemoro, ut non offendamur, si quando uiderimus idem fieri à Christi aliquo ministro, qui & ipse relictis hypocritis abeat aliò, unde ipsi hypocritæ plurimum glorientur, & huiusmodi migrationem peruerse in uituperium abeuntis interpretentur.

Et cum uenissent discipuli eius in ulteriorem ripam per obliuionem non sumpserant panes. Iesus autem dixit illis: Videte, & cauete à fermento Pharisæorum ac Sadducæorum. At illi reputabant intra sese dicentes: Panes non sumpsimus. Quod ubi cognouit Iesus, dixit illis: quid cogitatis intra uos ipsos, ô parum fidentes, quod panes non sumpseritis? Nondum intelligitis, neq; memoria tenetis, quinq; illos panes, cum homines essent quinquies mille, & quot cophinos sustuleritis? Neq; septem illos panes, cum homines essent quater mille, & quot sportas acceperitis? Quomodo non intelligitis me non de pane dixisse uobis illud, ut caueretis à fermento Pharisæorũ ac Sadducæorũ? Tunc intellexerunt quod non iussisset cauere à fermento panis, sed à doctrina Pharisæorum & Sadducæorum.

Ista Christi admonitio duas partes habet. Prima est, quid Christus discipulos suos admonuerit. Altera quid discipuli intellexerint.

DE EO QVID CHRISTVS *suos hic admonuerit.*

Videte & cauete à fermento Pharisæorum ac Sadducæorum.] Habent quidem hæc uerba admonitionem Christi, hactenus apertam, quod iubeat cauere aliquid periculosum, iubeatq; diligenter ac circumspectè cauere. Deinde in quo hominum genere illud cauere iubeat: nempe in Pharisæis ac Sadducæis. Quid uerò illud sit quod iubet cauere, propriè non exprimunt ipsa uerba, exprimunt autem metaphoricôs. Verum ipse Euangelista, quod in uerbis obscurum est, ostendit ex increpatione, qua discipulos increpauit Christus, cõspicuum esse factum: uidelicet, quod doctrina Pharisæorum & Sadducæorum cauenda sit. Tunc intellexerunt, inquit, quod non iussisset cauere à fermento panis, sed à doctrina Pharisæorum & Sadducæorum. Hic quædam sunt expendenda, ad hoc, ut ista Christi admonitio, etiam nobis serio imprimatur, tanquàm non necessaria: utpote.

Quomodo ad doctrinam Pharisæorum Euangelista Christi uerba referat, cum Lucæ 12. legatur Christus ipse fermentum Pharisæorum interpretatus esse hypocrisim. Nam ibi cauete, inquit, à fermento Pharisæorũ, quod est hypocrisis. Et infrà cap. 23. admonet Christus suos, ut quæ Scribæ & Pharisæi docent, seruent ac faciant, tam abest, ut iubeat caueri doctrinam ipsorum. Nam ita legitur eo loco. Tunc Iesus loquutus est ad turbas & ad discipulos suos, dicens: Super cathedrã Moysi sedent Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunq; dixerint uobis, seruate et facite, secundum opera uerò ipsorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt. Si iubet facere & seruare quæ dicunt Scribæ & Pharisæi, quomodo istam Christi admonitionem de doctrina ipsorum intellexerunt Apostoli? Si fermentum Pharisæorum cauendum est hypocrisis, quomodo ad doctrinam refertur? Quis enim Pharisæorum unquàm docuit esse hypocritam, dicens: uide ut sis hypocrita?

Ad locum infrà cap. 23. respondendum, quod Chri-

ſtus ibi expreſſe loquatur de doctrina legis ac Moyſi, ubi dicit: Super cathedram Moyſi ſedent Scribæ & Phariſæi. Iam doctrina legis ac Prophetarum doctrina eſt Dei, non Phariſæorum ac Sadducæorum. Hic uerò loquitur de tali doctrina, quæ ſit non dei, ſed Scribarum Phariſæorum ac Sadducæorum.

Ad illud Lucæ 12. reſpondeo. Etiamſi nemo Phariſæorum, uel Sadducæorum ex profeſſo hypocriſim docuit, quia tamen ea quæ docuerunt ad hypocriſim dirigebantur, illiq; ſeruiebant, rectè doctrina illorũ in Luca uocatur hypocriſis, quemadmodum & ipſi à Chriſto Phariſæi ac Sadducæi hypocritæ uocabantur. Quis monachorum hodie uel unquàm docuit, ut ſtudeatur hypocriſi? An non ipſi quoq; fatentur hypocriſim eſſe rem deteſtabilem? Et tamen non mentitus fueris, ſi doctrinam ac traditiones ipſorũ uocaueris hypocriſim. Proinde duo iſti loci intellectui diſcipulorũ non repugnant, ut certum ſit Chriſtum admonuiſſe ſuos, quo cauerent doctrinam Phariſæorum ac Sadducæorum.

Sed quæſierit hic aliquis, quare Chriſtus ipſe neque hic, neq; in Marco, neq; in Luca, ſiue admonendo, ſiue exponendo fermentum Phariſæorum doctrinam uocauerit. Hactenus quidem ſeſe declarauit, ut licuerit intelligere, qua de re loquatur, ipſe uerò apertis uerbis proloquutus non eſt. Non abs re hoc factum putauerim. Noluit hypocriſim ac peſtilentem doctrinam Phariſæorum dignari appellatione doctrinæ, ſed magis eam uocare fermentum & hypocriſim, id quod erat, quàm id quod nõ erat. Licet ipſi putauerint, ſe quàm maximos eſſe doctores, & quæ tradebat, ſaluberrimam eſſe doctrinam. Ita & Apoſtolus quæ falſi doctores, pſeudapoſtoli tradebant, non dignatus eſt uocare doctrinam, ſed magis κενοφωνίας, λογομαχίας, & ſολεσχίας, et id genus alia. Ad eundem modum diſcamus & nos res inanes ac pernicioſas ſuis quibus dignæ ſunt proprijs uocabulis notare, nõ quibus iuxta ſeculũ falſo ornantur honeſtare.

2 Videndum quæ fuerit illa doctrina Phariſæorum ac Sadducæorum. Prolixum eſt, per ſpecies recenſere & particulatim, quæ fuerit iſta Phariſæorum ac Sadducæorum doctrina. Proinde diuidimus illam in duo. primum, quatenus legem Dei falſo expoſuerunt, docentes iuſtitiam operum legalium & externorum. Hac de re uidere eſt Matthæi cap. 5. Alterum eſt, quatenus traditionibus ſuis legi Dei plurima adiecerunt, populoq; ſeruanda propoſuerunt. Hac de re ſuprà audiuimus cap. 15. Vtraq; pars ſeruiuit hypocriſi.

3 Tertio loco, quærendum quare doctrinam Phariſæorum ac Sadducæorum uitari iuſſerit.

Hoc loco quidem per metaphoram fermenti innuit ideò uitandam, quod ſit contagioſa, quod inficiat inſtar fermenti ad uicina proſerpens. Lucæ uerò 12. ipſa peſtis quam uidelicet adferat, declaratur, cum ibi legitur: Cauete à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis.

Hypocriſis quid ſit, notum eſt, & iam aliquoties dictum. Quàm uerò peſtilens ſit, nunq; ſatis eſt agnitum.

Habet ergo doctrina Phariſæorum duo, propter quæ uitanda eſt. 1. Quod hypocriſim ſapit. Hoc eſt, quod externa ad ſpeciem pietatis format, internis in omni impietate relictis, atq; adeò & ueræ pietati perpetuo repugnat. Ineffabile eſt hypocritarum ingenium, incredibilis peruerſitas. Hypocriſi ueritas ac ſyncera Euangelicæ pietatis infenſiorem hoſtem non habet. Tria hominum genera ſunt, in quibus hoc apparet. Phariſæi, Monachi, Anabaptiſtæ. De nobis notis loquor. Nam habet & quælibet per uniuerſum orbem ſuperſtitio ac natio ſuos ubiq; hypocritas peculiares, habuitq; perpetuo. 2. Quod uim habet inficiandi, unde & fermento comparatur. Et propter iſtam uim, uidetur Chriſtus ſuos hic monere uoluiſſe. Videbat enim plurimos per illam ſeduci. Et nos quoq; experti ſumus, quid hypocriſis poſſit: et hodie quoq; uim illius experiremur, niſi illam amiſiſſent aduerſarij ueritatis. Non dubitarim populum eius regionis ita Phariſæorũ hypocriſi infectum fuiſſe, ut conſpecto illo inciderit in iſtam ſeriam cogitationem, de uirtute & efficatia hypocriticæ doctrinæ: quàm illa ſit peſtilens & quàm cauenda. Iſta uiſa ſunt in priore loci huius parte expendenda.

DE FERMENTO HERODIS.

Sed quid eſt, quod Mar. 8. adjcitur, & de fermento Herodis? Quod erat fermentum Herodis, cum ille non docuerit? Herodes erat uulpes. Lucæ 13. Simulabat ſe amicum eſſe religionis, Phariſæorum, Scribarum & Phariſæorum, ac Sadducæorum. Atq; ideò & ſuos frequenter Phariſæis iungebat contra Chriſtum. Atq; hinc plurimum ſtabiliebatur iſta Phariſæorum ac Sadducæorum doctrina & hypocriſis, contraq; ueritatis doctrinam reddebatur, propter autoritatem regni commendatior, et ad ſeducendum inſtructior. Pilato fermentum hoc malum non adſcribitur, ſed Herodi. Pilatus enim ex profeſſo erat gentilis & idololatra. Herodes uerò pietatem ueræ religionis ſimulabat, cũ eſſet homo impius, & hypocriſeos Phariſaicæ tutor & aſſertor. Itaq; cauendum & hodie à fermento non Turcæ, aut talis alicuius regis, qui ſit ex profeſſo hoſtis Chriſtiani nominis: ſed eorum qui ſub nomine Chriſti hypocritas agunt, hypocriſimq; hominum impiorũ contra ueritatem euangelicæ pietatis defendunt.

ALTERA PARS HVIVS LOCI.

Quid diſcipuli intellexerint.

Videamus iam quomodo diſcipuli Chriſti admonitionem iſtam de cauenda Phariſæorum ac Sadducæorum doctrina intellexerint. 1

Quomodo ſtupiditatem ipſorum Chriſtus duriuſculè ac craſſe increpauerit. 2

At illi reputabant intra ſeſe, dicentes: Panes non ſumpſimus.] Ecce ſtupiditatem diſcipulorum. Sed eam Chriſtus ipſe declarabit. Quin uideamus, quibus de cauſis in id opinionis inciderint, ut putauerint Chriſtum loqui de panibus. Duæ cauſæ erant apparentes, tertia occultior. Apparentum cauſarum una erat, quod panes ſecum non ſumpſerant, per obliuionem. Altera, quod ſciebant Chriſtũ infenſum eſſe Phariſæis ac Sadducæis, ideoq; putabant prohiberi, ne de Phariſæorum panibus ueſcerentur, id quod timendum uidebatur, ne neceſſe fieret, propterea quod nullos panes ſecum ſumpſiſſent. 1

Tertia cauſa, quam non cogitabant, erat, quod obliti

liti erant uirtutis Christi, quam in tantæ multitudinis admirabili pastu iam secundo declarauerat, cuius ipsi quoq; administri fuerant. Si enim huius fuissent memores, non habuissent causam huius erroris, sed longè facilius uerba Christi intellexissent.

2 Quid cogitatis intra uos ipsos parum fidentes, quod panes non sumpseritis? Nondum intelligitis, neq; memoria, &c.] Ista habent reprehensionem incogitantiæ, stupiditatisq; discipulorum, quæ quàm sit acris ac uehemens, ipsa pronunciatio satis declarat, opprobrationem habens interrogatoriam, & admodum urgentem. Quid, inquit, cogitatis intra uos? Item: Parum fidentes. Nondum intelligitis? Neq; memoria tenetis? Quomodo non intelligitis me non dixisse de panibus?
Mar. 8. Et in Marco aliquanto uehementius increpat. Vide locum. Vt autem istam increpationem intelligamus, quædam obseruanda uidentur.

1 Quid cogitatis intra uos? In Græco est. τί διαλογίζεσθε, quod non est simpliciter, sed nonihil anxiè cogitare, & quasi disceptare. Videmus ergo hoc loco humani ingenij corruptionẽ ac deprauationem. Putabant se negligentiæ argui: propterea quod panes secum ad commeatum sumere obliti fuerant, & mox recidunt in curam superfluam, redduntq; se maiori culpæ obnoxios Quod panes nõ sumpserant, non erat fiduciæ erga Christum, sed obliuionis ac negligentiæ, quæ non est laudabilis, sed culpabilis. Quod postea anxij cogitant se propter eam negligentiam reprehendi, inanis erat curæ: utpote apud illos, qui Christum Dei uirtutem coram habebant. Ista duo uitia uulgaria sunt planè. Sed minus culpabilis est obliuiosa negligentia, quàm superflua & anxia cura. Atq; ideò Christus posterius hoc uitium acriter taxat.

2 ὀλιγόπιστοι.) Quod parum fidentes uocat, innuit hinc esse malum quod arguebat, superfluam, scilicet curam de cibo. Ergo qui fide, uel prorsus nulla, uel imbecilli sunt, deprehenduntur iam negligentes, iam inaniter solliciti & anxij.

3 Nondum intelligitis.] Modicæ fidei, ueluti causam adijcit tarditatem intellectus, earum, scilicet rerum quas coram geri uiderant, in pastu aliquot millium, uirorum ac mulierum. Ergo ad acquirendam fiduciam in diuinam uirtutem & bonitatem exigitur animus non dormitans & ignauus, sed talis qui in operibus Dei intelligat uirtutem & bonitatem dei. Quid mirum si hodie parum est fiduciæ erga Deum, cum passim omnes tam profunda oscitantia teneamur, ut paucissimi sint, qui operum Dei rationem habeant?

4 Neq; memoria tenetis illos quinq; panes?] Ecce aliam causam, obliuionem, scilicet mirabilium Dei. Ista plurimum nocet fidei, facitq;, ut etiam is, qui aliquam accepit rerum diuinarum cognitionem, non secus sibi ipsi excidat & delinquat, quàm si nihil illarum planè cognouisset. Atq; ideò populo Dei Moses toties inculcabat illud: Vide ne obliuiscaris operum & mirabilium Dei. Et in Psalmis, ubi commemoratur, quomodo à Deo recesserint Israëlitæ, adiungitur: Et obliti sunt mirabilium Dei. Et Christus in Cæna, cum uellet suos retinere in fiducia erga se, & uera dilectione, memoriam instituit, communionem scilicet corporis ac sanguinis sui, in fractione panis, & communicatione calicis.

Quanta sit hodie obliuio beneficiorum Dei, omnes experimur. Egressis ex concionibus, à communione corporis ac sanguinis domini, à lectione sacrarum scripturarum, mox excidunt audita et intellecta. Cum ergo ad fidem Christi exigatur intellectus eorum, quæ à Christo aguntur, & intellectorum tenax memoria, nos uerò uel utroq;, uel certè posteriore careamus, quomodo essemus magnæ erga Deum fiduciæ?

Simul tamen in ista discipulorum tarditate intelligendi: deinde & obliuione operum Christi, quam Christus acriter quidem reprehendit, sed suos propterea non abijcit. admonemur, ut & ipsi, si tales fuerimus, feramus quidem acrem correptionem, imò corripiamus nos ipsos, uerum non desperemus, neq; putemus nos à Christo prorsus sperni: deinde & aliorum tarditatem & obliuionẽ discamus quidem corripere, sed non planè condemnare tardos adhuc & obliuiosos. Christi sunt, qui fidei aliquid, utut modicum, habent. In discipulis Christi quæso quid hic egregij uides, siue quod ad operum Christi intellectum, siue ad memoriam & æstimationem, siue ad iustam fiduciam attinet? Ex uerbis Christi hoc discimus, qui Marci 8. illis opprobrat, quod nec cor intelligendi, nec oculos uidendi, nec aures audiendi dum habeant: unum habent, quod Christum sequuntur, quod ab illo pendent, ut ouiculæ à pastore, quod illi accensentur, utpote discipuli. 5

Cum uenisset autem Iesus in partes Cæsareæ eius, quæ cognominatur Philippi.

Duæ sunt terræ Palestinæ Cæsareæ. Maritima una, quam maior Herodes inter Doram & Ioppen extruxit, inq; gratiam Augusti Cæsaris Cæsaream appellauit. Altera est ad radices Libani & fontes Iordanis, antea dicta Paneas, quam Philippus Herodis maioris filius amplatam in honorem Tiberij Cæsaris Cæsaream nominauit. Ea est, cuius hic meminit Euangelista, quæ ad differentiam prioris, Philippi dicitur. Hanc postea rex Agrippa gratificaturus Neroni, Neroniam uocauit. Hisce de rebus consule Iosephum.

OBSERVAT.

Quod ad istam ciuitatem attinet, quæ pluribus nominibus temporum progressu nominata est: primum Paneas, deinde Cæsarea Philippi: postea Neronia dicta. Admonemur, quanta sit regnorum mundi mobilitas & mutatio, quæ uel ipsis ciuitatum uariatis nominibus memoriæ commendata est. Mutatio nominum omnino indicium habet mutatæ potestatis. Et quod in urbibus factum est, & fit hodie quoq;, idem quotidie uidemus fieri in splendidis ædibus ac possessionibus, quæ cum heris suis simul & cognomina sua mutant. Studeamus ergo ciues fieri regni Dei supernæ scilicet Ierusalem, cuius status perennis, nec herum, nec ciues, nec nomen transmutat.

1 Nomina ista, Sebaste, Tyberius, Cæsarea, Neronia satis admonebant tempus adesse promissi Siloh, eo quod sceptrũ esset ablatum de Iudah.

In partes Cæsareæ Philippi.] Marcus capite 8. habet: in uicos Cæsareæ. Notanda hic est temperantia Christi. Meditullium terræ Iudeæ, quasi offensus Iudæis 2

propter maliciam seniorum, Scribarum, Phariſæorum, ac Sadducæorum, fugere uidetur, dum ad terminos illius, in quibus iſta Cæſarea ſita eſt, abſcedit. Et tamen non planè ad Gentes ſeſe recipit. Quanquàm enim ad confinia iam Tyri, iam Sydonis, iam Samariæ, & hic Cæſareæ accedit, ciuitates tamen ipſorum non ingreditur. Licet enim & quidam ex Iudæis in illis habitarent: habitabant tamen ſimul & Gentes, ut in iſta Cæſarea, teſte Ioſepho, Syri quoq; habitarunt. Quod ergo terram Iudææ propè egreditur, ſignum erat auferendum ab illis regnum Dei, tanquàm indignis. Quod uerò non egreditur planè, nec ciuitates Samaritanorum, aut aliarum gentium ingreditur, ad cauendam offenſionem factum eſt, propter eos, qui illam quærebant, qua de re uide ſuprà capite decimo.

Interrogauit diſcipulos ſuos, dicens: Quem me dicunt homines eſſe, filium illum hominis?

Marcus habet, quod in itinere conſtitutus iſtud interrogauerit. Lucas uerò ſcribit: Et factum eſt, cum ſolus eſſet orans, erant cum illo & diſcipuli eius, interrogauitq; illos, dicens: Quem me dicunt eſſe turbæ? Matthæus: Cum uenisſet in partes Cæſareæ Philippi. Nemo putet eſſe diſcrepantiam. Nam illud Marci, in itinere, exponendum eſt ex Luca, qui dicit factum eſſe, cum alicubi, uidelicet in itinere ſolus oraret, nemoq; adeſſet præter diſcipulos. Et quod Matthæus dicit: cum uenisſet in partes Cæſareæ. Declarandum eſt per Marcum, qui dicit in itinere factum eſſe, cum iret in partes Cæſareæ Philippi. Exponendus ergo Matthæus ex Marco, Marcus ex Luca, ut nihil ſit diſſonantiæ.

Quem me dicunt homines eſſe, filium hominis?] Iudicio carnis uidentur iſta uel arrogantiam uel curioſitatem quandam ſapere, animi qui immodicè de ſeipſo ſentiat, ſentiendumq; ab alijs putet, quiq; magnopere curet, quæ fama de ſe ſpargatur. Verum abſit, ut in Chriſto tale quid reperiatur, qui cum in forma Dei eſſet, ad formam uſq; ſerui ſeſe noſtri, non ſui gratia demiſit, atq; ideò Ioh. 8. dicit: Ego non quæro gloriam meam. Et 5. Teſtimonium ab hominibus non accipio.

Quanquàm non mox inanis gloriæ indicium habet, ſi quiſquam cupiat ſcire, quid de ſe ſentiant mortales. Nam boni uiri eſt, omnibus in bono uelle placere, quod & Apoſtolus facit, quo animo quiſq; Chriſtianus quidem præditus eſſe debet, maximè uerò, qui præſunt alijs. Nam illorum officium eſt prodeſſe mortalibus, id quod non poterunt, niſi in bono poſſint placere, quibus præſunt. Itaq; non abſurdum fuerit, quod & Origenes admonet, ſi Epiſcopus, uel etiam qui in magiſtratu eſt, iſta interrogatione utatur, ſciſciteturq;, dicens: Quem me dicunt eſſe homines? Sed ubi reperias eum candorem ac ſimplicitatem, ut expectanda ſit citra adulationem aperta ueritatis reſponſio, quemadmodum hic in diſcipulis uidemus? Illi ſimpliciter & candidè quod audierant, Chriſto reſpondent. Omnia corrupta ſunt aſſentationibus. Proinde qui ſapientes aliquando fuerunt principes, aulicos ſuos nihil tale rogantes, rogabant ſimpliciores, à quibus non agnoſcebantur, ſoli ſolos, & nonnunq; ita ueſtiti, ut agnoſci nequirent, acceptamq; ex ore non fucato ueritatem magnifico aliquo munere cohoneſtabant. Sed hodie ita uiuunt qui alijs præſunt, ut uel iudicium mortalium de ſe contemnant, unum duntaxat quærentes, ut metuantur: uel ſi ſcire cupiant, non facile reperiatur, qui audeat id quod res eſt illis aperire

SED REDEAMVS AD Chriſtum.

Chriſtus hoc agebat, ut in ſui cognitione confirmaret diſcipulos, in qua una eſt uera ſalus & uita æterna, Ioh. 17. Sciebat uarium de ſe uulgi iudicium: deinde ſciebat ſuorum ſimplicitatem, qua fieri poterat, ut facile uulgi erroribus à ueritatis cognitione impedirentur. Atq; hac ratione, ut eos corroboraret, non ſolum quærit quid ipſi, ſed primum quid populus de ſe ſentiat.

Annotat Hieronymus quod illud: Quem me dicunt homines, per ἀπροσωπολημψίαν ac deiectionem humanæ ſapientiæ dictum ſit, quæ prorſus cæcutit in cognitione Chriſti, cum ſibi belle placeat, nihilq; non ſcire uideri uelit, cum in rebus diuinis meris opinionibus ſeipſam fallat.

Ita puto & illud: Filium hominis, non ſine emphaſi dictum. Ideò ſcilicet quod iudicium hominum de iſto homine Ieſu ultra metam humanitatis non aſcenderet. Nihil enim altius de ipſo ſentiebant, quàm eſſe hominem, magnum quidem, attamen nihil niſi hominem. Humanitatis ſuæ humilitatem libenter ipſe fatetur Chriſtus, quoties ſe uocat filium hominis. Nam & illa erat ad gloriam dei inſtituta. Verum interea non eſt approbandum, ſi quiſquam nolit altius de Chriſto ſentire. Iſta humilis filij hominis forma, erat Iudæis impedimento, ne gloriam Chriſti agnoſcerent. Ideò notanter hic illius meminit. Nihil eſt autem filius hominis aliud, quàm homo, more ſcripturæ בן אדם, Vt in Pſal. Filij hominis, id eſt, homines. Ne quiſquàm hic commentum illud approbet, quod Chriſtus ideò ſeſe filium hominis et non hominum uocârit, quod ſit unius tantum hominis, id eſt Mariæ filius. Nam in Græco nõ eſt τῆς articulus, ſed τοῦ ut & Eraſmus annotat. 4

OBSERVAT.

Sed in iſta appellatione filij hominis, admonemur, ne ſuperbè ſentiamus de nobis ipſis, ſi ſplendidis ſimus natalibus orti, cum Chriſtus non erubeat ſe uocari filium hominis, quod ſanè omnibus mortalibus commune eſt. Potuiſſet uſurpare proſapiam regiam, ſeſeq; uocare filium Dauidis, ſed placuit uocare filium hominis.

SEQVITVR.

Illi uerò dicebant: Alij quidem Iohannem Baptiſtã, alij uerò Heliam, alij uerò Hieremiam, aut unum de numero Prophetarum.

Palingeneſiam creditam eſſe Iudæis non ſolum ex iſto, ſed & alijs nonnullis locis liquet, cuius & ſuprà capite 14. mentio facta eſt. Quod autem Chriſtum ſuſpicati ſunt unum eſſe ex mortuis Prophetis, uidetur inſolentia miraculorum cauſam illis dediſſe. Putarunt enim eos, qui ita uitæ huic ex mortuis reſtituti eſſent, longè maiore uirtute diuinitus præditos eſſe, quàm antea dum uiuerent. Quia uerò tot ac tanta miracula à Chriſto

perpetrari

perpetrari uidebant, quot & quanta nullus unquàm ante illum facere uisus esset, colligebant eum non esse recentem aliquem huius uitæ, sed esse de numero defunctorum Prophetarum.

Alij quidem Iohannem.] Hoc credebant Herodiani, de quibus suprà cap. 14.

Alij uerò Heliam.] Isti occasionem huius opinionis sumebant ex Malachiæ prophetia, de aduentu Heliæ, quem personaliter appariturum credebant, quemadmodum & eodem errore nonnulli in Papatu tenentur, quod Enoch & Helias sint personaliter secundum Christi aduentũ præcessuri. Verũ suprà ca. 11. Christus docet eã de Helia prophetiã in Ioanne adimpletã esse.

Alij uerò Hieremiam.] Isti ad hanc opinionem inducebantur ex eo, quod ad Hieremiam dictum erat diuinitus capite 1. Ecce dedi uerba mea in ore tuo, ecce constitui te hodie super Gentes & super regna, ut euellas & destruas, disperdas ac dissipes, ædifices & plantes. Item: Ego dedi te hodie in ciuitatem munitam, et in columnam ferream, & in murum æreum, super omnem terram regibus Iudah, principibus eius & sacerdotibus eius, & omni populo terræ, &c. Ista putabant impleri in Christo. Hi omnes licet errauerint, humaniter tamen errarunt, & excusabilius quàm qui Christum Samaritanum & hominem satanicum uocârunt.

Dicit illis: Vos aũt quem me esse dicitis?

Certiorem ac pleniorem ueritatis cognitionem à suis requirit Christus. Populus fluctuat uarijs erroribus qui uerò Christi sunt discipuli, eorum est constantem ac certam tenere de Christo ueritatem. Secernit hic suos Christus à uulgo, cũ separata interrogatione, dicit: Vos autem, quem me esse dicitis? Q. d. Vos autem, qui iam tantas res audistis ac uidistis ex me, quos in cognitione ueritatis iam aliquandiu discipulos habeo, qui perpetui estis operum meorum inspectatores, quid de me sentitis? quem me putatis? quo loco uobis sum? quantum profecistis in cognitione mei?

Atq; huc quoq; facere uidetur, quod non, ut suprà dicit: Quem dicitis esse filium hominis, sed me. Loquebatur illis, qui plura de ipso, quàm de hominis filio sentire meritò debebant, quibus nullo offendiculo esset hominis, quam gerebat forma & humilitas.

OBSERVANDA.

Dicitis.] Christo non est satis, ut corde bene de se sentiamus, sed exigit & oris confessionem. Non dicit: Quem me esse creditis, sed: Quem me esse dicitis, hoc est, aperto ore fatemini. Non quod satis non sit fides in Christum, sed quod uera fides confessionem parit. Iuxta illud: Credidi, propter quod et loquutus sum. Cum ergo Apostolos esset ueluti testes suos missurus in mundum, quibus non esset satis bene sentire de se, sed quod bene sentirent, docendum quoq; esset: rectè exigit confessionem oris, alioqui esse non ignorabat quid de se sentirent. Admonemur ergo hoc loco, quomodo ueræ fidei adiungenda sit, & cum fiducia, nominis Christi confessio. Sed hac de re suprà cap. 10.

Notandum est & hoc, quare non rogârit de doctrina sua quid sentirent, quid ex illa perceperint, sed quid de se sentirent ac profiterentur. Non est præter rationem, quod hoc magis quàm illud rogat. Requiritur enim cum primis à discipulo, ut rectè de præceptore sentiat, quod nisi fuerit, non bene procedet institutio. Ita et hoc loco rectè à discipulis suis Christus hoc cum primis scisscitatur, quid de se sentiant, ex quo ueluti iacto fundamento & reliqua structura erigatur. Cum lex daretur populo: primum illud inculcabatur credendum, quod qui præcipiebat facienda esset Deus ipsorum: deinde præcepta subijciebantur. Ebr. 11. legimus, accedentem ad Deum, oportere credere quod Deus sit, & remunerator omnibus quærentibus se. In regno etiam huius mundi hoc primum quæritur à ciuibus regni, ut regem agnoscãt, de illo rege cõgrua sentiant. Rectè itaq; Christus rex noster cœlestis, primũ hoc à suis exigit, ut dignè de se sentiant & loquantur. Atq; hoc est in omnibus humani generis ordinibus, in quocunq; humani conuictus statu. primũ, ut de capitibus bene sentiant subiecta membra: uxor de marito: liberi de parentibus: serui de Dominis: subditi de magistratibus. hoc est, ut quiq; subditi agnoscant superiores suos. Si hoc ubiq; necessarium est cum primis, quanto magis in Ecclesia Christi, necessarium est cum primis, ut Christus agnoscatur pro eo, qui sit à patre ad salutem nostram missus, Dominus, ac saluator? Nihil prorsus addubito, maximam contentionis eius, qua iam laborat Ecclesia partem sublatam fore, si omnes Christiani Christum debito dignarẽtur honore, eumq; esse & crederent & confiterentur, quem pater esse uoluit, nobisq; commendauit. Nam hinc omnis credendi & obediendi submißio uerbo illius adiceretur.

SEQVITVR.

Respondens autem Simon Petrus, dixit: Tu es Christus ille, filius dei uiuentis.

Petrus hic non suo tantum, sed & aliorum nomine confessus esse Christum creditur, unde & à patribus os Apostolorum dictus est. Siue suo tantum, uel etiam aliorum nomine in istam confessionem tam claram, tamq; perfectam & absolutam, tanta promptitudine, sine omni addubitatione proruperit, hoc uidemus, quod reliquis fuerit feruentior, id quod & multis alijs locis declarauit. Ioh. 6. cum ad duodecim Christus, postquàm aliqui discipulorum offensi desciuissent, dixisset: Num & uos uultis abire? in hæc uerba prorupit, sed ut apparet non suo tantum, sed et aliorum nomine. Domine, inquit, ad quem ibimus? Verba uitæ æternæ habes. Et nos credimus & cognouimus, quod tu es Christus, filius Dei uiui. De isto feruore Petri erga Christum non est, quod multa disputemus, sed orandum potius, ut eodem & nos per spiritum Christi donemur. Vbi enim is obtinet, ibi omniũ facillimè elicitur uera Christi confessio, simulq; obtinet sedulum pietatis studium.

Tu es Christus ille, filius Dei uiuentis.] Hæc est Christianæ fidei confessio, de qua uidebimus hoc loco tria. Primum est, quæ sit. Alterum, unde sit. Tertium, quid adferat. De duobus posterioribus uidebimus in uerbis Christi.

QVAE SIT CHRISTIANA fides de Christo.

Duo complectitur ista confessio Petri. Primum est, quod dicit: Tu es Christus ille. Alterum quod subijcit: filius dei uiuentis. Hæc duo unum hoc uolunt: Iesum hunc esse quem Prophetæ promissum mundo saluatorẽ prædixerũt, deq; cuius regno tam præclara uaticinati sunt, quem patres omnes & Prophetæ tanto desiderio expectárunt. Ad hunc scopum referenda sunt duo ista membra confessionis Petrinæ.

1. Tu es Christus.] Christus græca dictio, Ebr. משיח Latinè unctus dicitur. Vngebãtur reges, ungebantur et sacerdotes, unde unctio symbolum habet & regni & sacerdotij. Qui in regnum terrenum, terrenumq; et corporale sacerdotium inaugurabantur, oleo inungebantur terrestri. Christus uerò rex & sacerdos noster, in regnum spirituale spiritusancto est unctus. Lu. 4. Esa. 61.

De regno Christi & sacerdotio alias sæpius dictum est. Vtriũq; non in Christo tantum, sed & in nobis quoq; considerandum est, qui & ipsi facti sumus reges & sacerdotes, 1. Pet. 2. Christum confiteri est sacerdotem & mediatorem inter Deum & hominem confiteri, est dominum omnium, & caput filiorum dei confiteri. Quod si aduersarij Euangelij, uel istam Christi confessionem, communemq; dignitatis & uocationis nostræ appellationem, qua Christiani uocamur expenderent, magnam lucem inuenirent agnoscendæ ueritatis, & ueræ Christianæ fidei.

2. Filius Dei.] Hoc adiectum est specificandi gratia, ad differentiam eorum, qui & ipsi Christi, id est, uncti uocabantur apud Iudæos ut reges & sacerdotes. Sic Dauid uocabat Saulem Christum domini. 1. Sam. 24. 26. Ea specificatio & Psal. 2. posita est.

SED QVOMODO CHRISTVS creditur filius Dei?

In Christo Iesu duæ sunt naturæ. Vna est diuina tantum: altera humana & diuina. De diuina tantum locus est Ioh. 1. In principio erat uerbum, &c. Istam sublimitatem nondum attigit Petrus. Altera est humana & diuina. Ea est hominis Christi. Hanc dico humanam, propter ueritatem assumpti hominis, ex carne uirginis, de quo est illud: Verbum caro factum est. Addo eam diuinam quoq; esse, quod non ex uiri semine, sed ex spiritu sancto concepta est. Hoc uidelicet priuilegij habet caro Christi. Et huius gratia dicitur Christus filius dei, etiam secundũ hominem, ut rectè credamus filium Dei, natum esse ex Maria uirgine, passum, mortuum pro nobis, cœlos ascendisse, sedereq; ad dexteram patris. Et hoc est, quod Lucæ 1. ad beatam Virginem dicebat: Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoq; & quod nascetur sanctum uocabitur, filius dei. Ecce causam, quare Christus uocetur filius dei, idq; ex ore angelico: Ideò Christus filius Dei est primogenitus, unigenitus, proprius. Ebr. 1. Ioh. 3. Rom. 8. Reliqui omnes sunt adoptiui. Huius genituræ gratia Christus dominus est omniũ, filius & hæres Dei. Huc respexit Christus. Mat. 22. Vbi Pharisæos interrogauit, dicens: Quid uobis uidetur de Christo? Cuius filius est? Dicunt ei illi: Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in spiritu uocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponã inimicos tuos scabellum pedum tuorũ? Si ergo Dauid uocat eum Dominũ, quomodo filius eius est? Hic Christus nõ negat se esse filium Dauidis, quem tamẽ idem hic noster Euangelista initio libri sui uocat filium Dauidis, & angelus ad Mariam Luc. 1. Dauidem uocat patrem Christi, dicens: Et dabit illi dominus Deus sedem Dauidis patris sui, &c. Sed ad istam primogenituræ dignitatem respicit, qua ex spiritu sancto conceptus filius est Dei, Dominus & hæres omnium, adeoq; & Dauidis Dominus. Hanc dignitatem Christi Iudæi non agnoscunt, sed simpliciter à carnali generatione Dauidis pendent. Proinde cõfessio fidei nostræ optimè posita est, qua dicimus: Et in Iesum Christum, filium eius unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de spiritu sancto, &c.

3. Viuentis.] Nemo putet istud epitheton, siue patrem inspiciamus, siue filium, præter causam esse adiectum. Eodem modo Christum confessus & Ioh. 6. idem quoq; epitheti adiecit. Videamus igitur quæ sit ratio, quod Deum hic uocat uiuentem.

Hieronymo adscripti cõmentarij dici à Petro deum, Christi patrem, uiuentem Deũ, uolunt ad discretionem ac differentiam falsorum Deorum, Iouis. Mercurij, Apollinis, &c. quod illi sint mortui. Hoc sanè uerum est, quod Deus uerus rectè ac solus dici potest uiuus Deus, reliqui uerò mortui, quod & scriptura nonnunquàm in contentione contra cultum falsorum Deorum usurpat, an uerò Petrus huc respexerit hoc loco, incertum est. 1

Videtur etiam dici Deus uiuens, pro uero & ipsissimo, ut Christus sit filius dei uiuentis, id est, ipsissimi, naturalis uidelicet, non adoptatus, expressam patris imaginem præ se ferens. Sic Iosue dicebat ad filios Israël: Hodie scietis, quod in medio uestri sit Deus uiuens, qui expellet ante faciem uestram, Chananæum, Ebusæum, etc. Vbi Deus uiuens dicitur in populo suo futurus, propter rerum gerendarum magnitudinem. Q. d. Gott uuirdt selbs under euch sein. Ita in contrario de Satana dicitur: Es hats der lebendig teufel thon, quando aliquid summè prauum ac peruersum factum dicere uolumus, quod humanam maliciam superet. 2

Origenes & pleriq; alij, Deũ uiuentem dici uolunt, ideò quod solus in seipso uitam habens, omnia uiuificat, quemadmodum & Hiere. 2. dicitur fons aquæ uiuæ, & Act. 17. quod in illo uiuamus, moueamur ac simus. Hoc sensu omniũ accommodissimè Christus dicitur filius dei uiuentis: propterea quod et ipse uita est, uitã habens in semetipso, uiuificandiq; uirtutem, tanq propriam ueræ diuinitatis notam. Non enim est aliud certius indicium, & quasi character ueri filij Dei, quàm ista uis uitæ in Christo, qua se declarat genuinum esse uiuentis Dei filium. Qui in mundo sapientes sunt ac potentes, multa posse uidentur, multa etiam tentant. Verũ ut ipsi uitam in seipsis non habent, ita illam etiam operibus suis dare nequeunt. Proinde opera hominum omnia sunt planè mortua, dei uerò omnia uiua, id est, uiuificata. Nã alioqui solus deus uiuus est, uitã à nemine habẽs aliunde, sed in semetipso, unde uiuificatus dici nequit, & quia uita eius aliũde nõ pendet, ideò etiã mortalis esse nõ potest. 3

Quoniam

Quoniã ergo hæc eadẽ uitæ uiuificãdiq; uis in Christo est, quæ est in patre Deo uiuo, rectè dicitur filius Dei uiuentis. Atq; huc arbitror ea pertinere quæ Christus alicubi de seipso testatus est, ut Ioan. 5. Sicut pater uitam habet in semetipso, sic dedit & filio habere uitam in semetipso. Ecce Deũ patrẽ uiuentem, id est, uitam habentem in semetipso: deinde & filiũ Dei simili modo uiuentem, id est, uitã habentem in semetipso, ut q̃ proprijssimè patrem referat. Et Ioan. 6. Sicut misit me uiuens pater, & ego uiuo propter patrẽ: ita & qui ederit me, uiuet ipse quoq; propter me. Itẽ: Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi, si quis ederit ex hoc pane uiuet inæternum. Hinc est quod se uitã uocat, Ioan. 11. 14. & 15. hac ratione comparat se uiti, & suos palmitibus, ideò quod extra se non est uita, quemadmodum palmiti extra uitem, nec uiuere, nec fructificare datum est.

EPILOGVS.

Ergo continet in se iuxta istã Petri confessionẽ fides Christianorum de Deo patre & filio eius Christo, ista.

1 Primo quod Deus sit, contra impietatem eam qua stultus in corde suo dicit: Non est Deus.

2 Quod Deus sit uiuus, quem cõfitemur, id est, uerus, & uiuus, qui uitam habeat in semetipso, à quo omnia uiuificentur, in quo solo omnes illius creaturæ consistant. Hoc pertinet ad prouidentiam Dei.

3 Iesum filium Mariæ esse Christum Dei, in prophetis promissum. Hoc negant Iudæi.

4 Esse illum filium Dei, proprium & unicũ, uerum & naturalem. Hoc multi hæreticorum negarunt.

5 Notam, qua deprehendatur Christus esse genuinus ac naturalis Dei filius, esse uim illam uiuificandi, ex qua deprehenditur filius esse Dei uiuentis.

6 Ex uerbis Christi, quibus seipsum uocat filium hominis, fundatur uera illius humanitas, ut cõfitemur Christum uerum filium Dei, & uerũ hominis filiũ, quod mysteriũ quasi fundamentũ est Christianæ religionis, quod et diabolus summo labore conatus est euertere, et sancti patres summa dexteritate illibatũ custodire satagerũt.

RESPONSIO CHRISTI.

Et respondens Iesus, dixit illi: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est.

Hæc uerba ex pectore Christi non sine magno congratulationis affectu effusa sunt, quemadmodũ & quæ sequuntur, ex quibus uidemus quanta sit erga suos dilectione præditus, quàm exultet de nostra felicitate. Ita & suprà 11. dicit: Confiteor tibi pater domine cœli ac terræ, (id est) prædico & laudo te) quod absconderis hæc à sapientibus & prudentibus ac reuelaris ea paruulis.

SVNT AVTEM HOC LOCO obseruanda.

PRIMVM.

Quod istam confessionem ac fidem Petri qua dixit: Tu es Christus filius Dei uiuentis. Christus nõ repudiat, sed confirmat. Primum ex eo, quod beatum prædicat confessorem Petrum. Si enim ista uera non essent, utiq; Petrus ea confitendo beatus dici nequiret. Quis enim falsa credendo ac confitendo beatus esse poterit, cum mendacium magis damnet q̃ beatum reddat? Beatus aũt confessionis huius gratia à Christo dicitur: Ergo confirmatur à Christo fides & confessio Petri: deinde & ex eo confirmatur quod dicit: Sed pater meus qui in cœlis est, reuelauit tibi. Si pater reuelauit Petro istam fidem de Christo filio suo, ergo uera est. Nequit enim mendacium esse, quod à Deo ueraci reuelatur. Spiritũm mendacium est, quæ uana sunt ac falsa reuelare. Confirmatur ergo per ipsum Christum fides & confessio Petri, tanquam uera ac certa.

Accedant nunc Iudæi, accedant Turcæ, accedant quotquot Christiũ negant esse filium dei. Iudæi ac Turcæ dicunt: Christum fuisse uirum Dei, insignem prophetam Dei, Christiũ & filium Dei esse negant. Audiant hic ipsum Christum, confirmantẽ discipuli sui cõfessionem, qua dixerat: Tu es Christus filius Dei uiuẽtis. Sed dicũt, suspectũ est, & infirmũ testimoniũ discipuli de præceptore: deinde suspecta est ista de seipso Christi cõfirmatio. Quis credet ei, qui assentatoris sui de seipso laudem confirmat? Respondemus: Facitis ergo & discipulũ, & præceptorẽ Christum, utrunq; mendacem: discipulum assentatorem, Christum φιλόσοφον ac uanũ. Quomodo igitur conceditis illum esse uirum Dei, & insignem prophetam, & non magis blasphemum, cum Scribis & Pharisæis, qui blasphemiæ loco habebãt, quod se filium Dei faciebat? Sed blasphemũ facere non potestis reclamantibus tot manifestis indicijs diuinæ in ipso gratiæ & operationis. Si non potestis illũ facere mendacẽ & blasphemum, reliquũ est, ut agnoscatis eum esse Christum, & filium Dei uiuentis, agnitumq; adoretis & colatis, ut saluatorẽ. Hoc argumentũ probè notandum est illis, quibus aliquando nõnihil intercedit negotij cum Iudæis & Turcis, ut sunt mercatores, &c.

SECVNDVM.

Secundo loco, quod attinet ad fidem nostrã, uidemus hic, quis sit fructus fidei huius, qua cõfitemur Christum filium Dei uiuentis. Beatus es, inquit, Simon Bariona. Quare beatus? Quia caro & sanguis nõ reuelauit tibi. quid? uidelicet hanc fidem de me, sed pater meus qui in cœlis est. Ergo beatos facit ista fides Christi. Nihil enim hic aliud potest Petro dari, cui adscriberetur hoc quod beatus dicitur, nisi quod ista de Christo credidit, & confessus est. Atq; hoc ipsum est, quod Christus toties dicit: Qui credit in me, habet uitã æternã. Nam ea est uoluntas patris, ut qui credit in filium habeat uitã æternam, Ioan. 6. Christus enim uita est, cuius participes reddũtur, quotquot in ipsum credũt, quemadmodũ & Ioan. 5. cum dixisset: Amen amen dico uobis, qui sermonẽ meũ audit, & credit ei, qui misit me, habet uitam æternã, & in condemnationem nõ ueniet, sed transijt à morte in uitam. Subiecit quasi rationem: Sicut enim pater habet uitam in semetipso, sic dedit & filio habere uitam in semetipso. Et Ioan. 6. Sicut misit me uiuens pater, & ego uiuo propter patrem: ita & qui ederit me, uiuet ipse quoq; propter me. Item: Ego sum panis uitæ, etc. Edere Christum eo loco nihil est aliud, quàm credere in Christum, quod ipse contextus euincit.

Huc pertinent omnes illi loci qui fidei ſalutem, & uitam adſcribunt, ut Roma. 1. Non me pudet Euangelij uirtus enim Dei eſt ad ſalutem omni credenti. Et 1 Corinth. 1. placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes.

In hoc articulo confirmandæ ſunt conſcientiæ, ut aſſueſcant credere tot teſtimonijs uerbi Dei. Nam difficile creditur, ſalutem & uitam æternam fide apprehendi, ſine bonorum operum meritis, unde eſt, quod maxima pars etiam Chriſtianorum illi cõtradicunt, maximè ij, qui quæſtum in Eccleſia Chriſti ſectati ſunt.

TERTIVM.

Tertio loco, notandum eſt & hoc, unde acquiratur iſta fides. Quoniam caro, inquit, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt. Per carnem & ſanguinem intellige uniuerſas humani ingenij uires, omnem humanam ſapientiam & induſtriam, quæ omnia uocant carnẽ & ſanguinem, per tapinoſim. Homo enim cum ſit caro & ſanguis, id eſt, res omnium infirmiſſima, & nullius momenti ſibijpſi, tamen multam pollicetur ſapientiam & induſtriam. Quidam ẽxponunt de parentibus Petri, quidam de cognitione Iſraëlitarũ, ſed nihil eſt periculi, utut accipias, duntaxat ſequentem particulam ita intelligas, ut credas neminem hanc fidem aliunde habere, uel acquirere poſſe, quàm per reuelationem patris tantum, ut ita omnia humana excludantur. Vide ſuprà cap. 11.

NOTANDA HIC.

1 Si fides in Chriſtum nulla poteſt humana ſapientia acquiri, ſed opus eſt reuelatione patris ſpeciali, qua ille filium ſuum reuelet pectoribus humanis: ille aũt cognitionem filij ſui abſcondit à ſapientibus & prudentibus, & reuelat eam paruulis. Petro piſcatori reuelauit, quã abſcondidit à ſummis Pontificibus, ſacerdotibus, Scribis, Phariſæis, principibus populi, ipſo Herode rege. Quid faciũt illi, qui ueram Chriſti cognitionẽ ac fidem quærũt apud ſapientes ac primores huius mundi? Quid illi, qui offenduntur ex eo, quod Euãgelij doctrina à tam magnis ac potentibus hæreſeos condemnatur?

2 Videmus etiam hic, quo teneantur ueritatis agnoſcẽdæ ſtudio, quàm ſtulti ſint, qui cum fidei demus uitam ac ſalutem æternam, mox regerãt: ergo uos omnes ſaluatis, quotquot credunt Chriſtum eſſe filium Dei? Et quis eſt, qui hoc inter Chriſtianos neget? qui hoc nõ confiteatur? cum tamen conſtet non omnes ſaluari qui hoc credunt? Belli homines putant hanc fidem rem eſſe tam leuis momenti, ut paſsim ſit omnium cõmunis, cum hic audiant eã nemini eſſe, niſi ex reuelatione patris. Multi quidem ſunt qui hanc fidem nõ negent ore, qui eam confiteantur, ſed unde acceptam? Videlicet, ut & Origenes fatetur, non ex reuelatione patris quæ nõ eſt omniũ, ſed tantum electorum, ſed ex carne ac ſanguine, hoc eſt, ex inſtitutione parentũ à quibus eam, tanquam dogma quoddam acceperunt, & quia illam humanitus acceperunt, & non diuinitus, ideò nec uerè acceperunt, nec uerè habent, nec beati ſunt, & reuera credere dici nequeunt. Et quod ſequitur: portæ inferi aduerſus eam nõ prævalebunt, ad ipſos non pertinet. De iſtis nos, aut de ipſorum fide, non loquimur, dum docemus fide iuſtificari hominem beatumq; ac ſaluum reddi, ſed de illis, qui ut electi ſunt, ita & hanc fidei reuelationem diuinitus accipiunt uiuidam ac efficacem.

ADMONITIO.

Proinde nemo ſeipſum ſeducat, ſed fidei ſui periculum faciat, unde illam acceperit. Origenes ita ſcribit: Tunc autem caro & ſanguis non reuelauit nobis Ieſum Chriſtum filium Dei, ſed pater qui in cœlis eſt, quando cõuerſatio noſtra in cœlis eſt, & dignam ſe oſtendit reuelatione patris cœleſtis, tunc uere reuelatio Dei abſtulit quidem à nobis omne uelamentũ cordis, dedit autem nobis ſpiritũ ſapientiæ & reuelationis. Si autem ſecundum carnem & ſanguinẽ conuerſemur, aliàs aũt confiteamur Ieſum Chriſtum eſſe filium Dei uiui, ut puta dogma huiuſmodi ſuſcipientes à parentibus traditũ nobis, tunc nõ pater reuelauit nobis, ſed caro & ſanguis. Propterea nec ſtabiles ſumus in fide ipſius ſicut Petrus, nec ſimilem ei beatitudinem conſequemur. Hæc ille.

CAVTIO.

Sed cauendum hic, ne propter iſtam reuelationem patris uſum prædicandi Euangelij reijciamus. Habuit quidem Petrus reuelationẽ patris de Chriſto filio ipſius, interea tamen nec miracula Chriſti, nec uerbum illius reijciebat, tanquam nullius momenti. Reuelat pater filium ſuum per ſpiritum ſuum, qui ideò dicitur ſpiritus reuelationis. Sed is utitur miniſterio uerbi, unde Apoſtoli dicuntur miniſtri ſpiritus, & Gala. 1. Paulus dicit: Aſt ubi Deo uiſum eſt, ut reuelaret filium ſuum per me. Ecce deus reuelat filium ſuum, idq; per Paulum. Exemplum ſit Lydda purpuriſſa. Act. 16. Et tamen Paulus nihil eſt, niſi incrementum det Deus.

At ego uiciſſim dico tibi quod tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferorum non ualebunt aduerſus illam. Et dabo tibi claues regni cœlorũ. Et quicquid alligaueris in terra, erit alligatũ in cœlis: & quicquid ſolueris in terra erit ſolutũ in cœlis.

Quoniam confeſſione ſua Petrus debitum Chriſto dedit honorem, cõfeſſus illum eſſe Chriſtum filium Dei uiuentis, iam illi Chriſtus poſt confirmatam hanc confeſſionẽ uiciſſim cõfitetur, quid de ipſo ſentiat, quo loco ipſum habeat, propter eam confeſſionem, dicens: Et ego uiciſſim dico tibi, &c. Ergo qui Chriſtum cõfitetur eſſe Chriſtum, & filium dei uiuẽtis, is à Chriſto quoq; uicariõ cõfeſſione agnoſcetur ac prædicabitur. Qui me confitebitur, inquit, confitebor & ego eum, &c.

Quod tu es Petrus.] Confeſsio Chriſti de Petro, duo habet. Primum quod attinet ad ipſam fidem ac confeſsionem Petri de Chriſto. Alterum quod pertinet ad dignitatem, Petro propter fidei & confeſsionis ſolidita-
tem conceſſam.

Ad primũ pertinet, quod dicit: Tu es Petrus. Quid hoc eſt? uide Ioan. 1. Petrus dictus eſt non proprio nomine, ſed hoc nominis à Chriſto accepit, ut uocaretur כיפא Chaldaicè, Græcè Petrus, Latinè ſaxum, propter fidei

fidei constantiam & soliditatem. Laudat ergo & commendat Christus hoc agnomine Simonem à firmitudine fidei, qua cæteris Iudæis in cognoscendo Christo nutantibus & errantibus, ipse firmus in ueritate stetit, quam ex diuina reuelatione cognouerat.

Docemur ergo ista Simonis agnominatione, nõ quis Simon Bariona iuxta carnis uel substantiam sit uel sapientiam, sed quid sit secundũ fidem Christi, quam Deo reuelante accepit, & quid omnes uerè in Christum credentes sint: quod nempe propter fidei certitudinem ac soliditatem sint Petri, id est, robusta saxa. Commendatur ergo fidei constantia & robur hoc Simonis agnomine, ut discamus eos nihil habere minus quàm ueram Christi fidem, qui instar harundinis uento agitatæ uarijs opinionibus iactantur.

Ad alterum pertinet, quod dicit: Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non ualebunt aduersus eam &c. & quæ sequuntur. Hæc uarijs modis exposita sunt, quibusdã supra Petrũ ipsum, quibusdam non supra Petrum, sed supra fidem & confessionem Petri: nõnullis supra Christũ, quem petræ nomine intelligũt, Ecclesiam Christi ædificatam uolentibus, de quibus opinionibus dicemus infra. Videbimus primum, quæ de Ecclesia Christi sint obseruanda. Sunt enim quædã obseruatu digna maximè hac tempestate, in qua haud mediocris contentio est de Ecclesia.

Ecclesiam.] Principio, in eo, quod non dicit simpliciter, ædificabo meos, sed Ecclesiam meam. Satis docemur Christum exigere à suis, ut sint Ecclesia. Est aũt Ecclesia græca dictio, euocatio uel collectio populi, ein gmeyn, quam nos Germani cõmuniter uocamus Kirch, κυρίκην, id est, dominicam, eò quod Domini sit Ecclesia. Igitur Ecclesiam constituunt, qui in Christum credunt, ut non sint dispersi inter se, & alter ab altero abalienati, sed sint populus, communio, corpus quoddam, ac domus, domus autem Dei. Proinde non est satis homini Christiano, gloriari de magna cognitione Dei, de præclaris fidei ac spiritussancti donis, etiam si miracula adsint, nisi ad communicationem Ecclesiasticam sit appositus. Corinthij multa insignia dona spiritussancti acceperant, quia uerò non ad corporis Ecclesiastici ædificationem illis utebantur, ab Apostolo corripiebantur. Christianorum tessera est charitas, non singularitas fastidiosa & superba. Charitas unit & conciliat, singularitas scindit ac diuidit, mater nõ Christianorum sed hæreticorum. Declarant ergo hoc loco, qui conuentus Ecclesiasticos contemnunt ac fugiunt, quàm non sint Christiani quicquid se scire simulent. Principium et radix omnis hæresis est odisse & contemnere communionem Ecclesiæ. Reperias hodie, qui cõplures annos cum nulla communicârint Ecclesia, quorum quidam sunt carnales, nulli pietatis studio dediti: quidã sunt contentiosi, & μικρόλογοι, quibus nulla placet Ecclesia: semper habentes quod causentur in reliquis, in seipsis nihil. Apertissimum signum est, quod singularitatis & non charitatis studio teneantur. Tanto olim desiderio Christiani conuolabãt, ut id etiam cum periculo uitæ fecerint: & quia per diem non licebat, noctu cõueniebant, tantus illis inerat feruor charitatis, qui hodie rarissimus est. Nõ sunt agnoscendi in Republica pro bonis ciuibus, qui non tenentur amore reipublicæ, qui ad conciues, ciuiumq; cõuentus & negotia animo non sunt beneuolo, amico, cupido & propenso, qui in omnibus seipsos quærunt, nulla conciuium habita ratione, & quomodo pro Christiano habendus est, qui animum ad Ecclesiasticos conuentus appositum non habet? Quomodo poterit esse membrum in corpore Christi, qui nullo modo reliquis membris afficitur?

OBIECTIO.

Sed hic culpantur, qui Pontificios errores deserentes Ecclesias papisticas fugiunt: Ergo & illi inter hæreticos sunt computandi?

Respondeo: ἀπὸ τῆς γνώμης τὰ πράγματα κρίνεται. Non simpliciter spectandum est quid, sed simul qua de causa fiat. Quemadmodum non mox Ecclesiasticus est, qui corpore conuentus Ecclesiasticos uisitat, sed refert, quo id affectu faciat: ita non mox hæreticus est, qui aliquos Ecclesiæ conuentus fugit, sed uidendum est, qua id ratione faciat. Tobias fugiebat Ecclesias decem tribuum, uerum hæreticus non erat. Quare? Quia non fugiebat ut osor uel contemptor populi Dei, sed ut osor falsi cultus, & amator legis ac uerbi Dei. Ecclesiasticum facit non corporeus congressus, sed dilectio fraterna, animus studio charitatis imbutus: Ergo spectanda est causa, quæ fideles ab hæreticis separat. Si poterit quisquam conuinci, quod animo ad Ecclesiam non propenso, Ecclesias Christi fugiat, culpabilis erit, & hæreticus. Vbi charitas est ad Ecclesiastica membra, ibi hæresis esse non potest, teste August. lib. 2. contra Cresconiũ gram. cap. 13. Sed uideant hic qui titulo Ecclesiæ hodie gloriãtur, cum sint reuera hostes Ecclesiæ. Amat & lupus ouilia, at non ut ouis, nõ ut pastor, sed ut lupus.

Meam.] Secundo loco obseruandum est & hoc, quod non dicit Ecclesiã tuam, sed meã. Ergo Petri nõ est Ecclesia, sed Christi. Et Petrus nõ est dominus Ecclesiæ, sed Christus. Oues Christus ubiq; suas esse dicit: Et Apostoli Christianos uocant gregem domini, non suũ, se ministros esse, nõ Dominos agnoscunt. Hinc Petrus admonuit Episcopos, ne dominarentur gregi dominico, sed ut forma essent gregi. Ingemiscit hodie Ecclesia sub imperio & dominio Episcoporũ omnium grauissimo, ut cogitari nõ possit an aliqua ampliore potestate, imò tyrannide uti in illam possent, fecerunt se ipsos sponsos Ecclesiarum, quod ex Papisticis decretis probari potest. In summa eò euasit Episcoporũ dominium, ut nõ Christus, sed ipsi regnent in Ecclesia: non Christi uerbum, sed somnia cordis humani obtineant in Ecclesia. Est ergo Ecclesia Christi, non alicuius hominis. Est illi à patre data, à quo, ut filius omnia accepit cum plena omnium potestate. Deinde ultra ius primogenituræ, redemit etiam illã magno precio, uidelicet sanguine suo. 1 Corinth. 7. Empti estis precio magno, nolite fieri serui hominum. Et 2 Cor. 5. Pro omnibus mortuus est Christus, ut qui uiuunt, iam non sibi uiuãt, sed ei qui pro ipsis est mortuus, Rom. 14. Nemo nostrum sibi uiuit, & nemo sibi moritur. Siue enim uiuimus, Domino uiuimus: siue morimur

Domino

Domino morimur. Siue ergo uiuimus, siue morimur, domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, ut & uiuorum & mortuorum dominetur. Peccant igitur in Ecclesia, qui dominatum quærunt in gregem Domini, & rursus qui se potestati Christi & obedientiæ subducentes, alieno subdunt dominio. Hinc Paulus cum argueret Corinthios, quod alij uolebant esse huius, alij alterius obijciebat mortem Christi, & baptismum in Christum, dicens: An Paulus pro uobis crucifixus est? An in nomine Pauli baptizati estis? Itaq; baptismus noster declarat cuius simus. Itē ipsum Christianorum nomen quo ex baptismate censemur, satis habet argumenti nos esse Christi, non Pontificis Romani, nec alicuius sanctorum.

Item Ecclesiæ nomen Kirch κυρίκη, id est, dominica admonet cuius sit Ecclesia.

3 Aedificabo.] Tertio loco, uidemus Christianos non solum esse debere Ecclesiam: deinde nō alterius esse quàm Christi, sed & ædificatione opus habere.

Aedificatio quæ.

Quæ est autem illa ædificatio? Declarat hoc Apostolus Ephe. 4. Vide locum. Posuit quosdam in Ecclesia, &c. Hic uidemus ædificationem esse in fidei & charitatis incremento sitam. Architectus est Christus ipse, dicens: Aedificabo Ecclesiam meam. Nam ipse est, qui per spiritum suum pectora mortalium, & fide & charitate donat, et addito incremento ædificat. Hinc dictus est caput corporis Ecclesiæ suæ, ex quo totum corpus per nexus & commissuras subministratum, & constructum crescit in augumentum Dei. Colos. 2.

Aedificator quis.

Item Ephe. quinto, expōit Ecclesiam ut sit mundi.

Et ad hanc ædificationem utitur, ministerio eorum quos ad hoc elegit, de quibus uide Ephe. 4. Huc faciunt Ecclesiastici conuentus, in quibus urget doctrina Apostolica, communicatio, fractio panis, & precatio, adiuncto sacrificio laudis. Hanc Christi ædificationem si quis contempserit, uiderit in quod sit euasurus augmentum. Nō frustra est, quod Apostolus Ebr. 10. admonet, ne aggregationes Ecclesiasticas deseramus, taxans quosdam qui Ecclesiam iam tum deserebant.

Ministri.

urget

Cum ergo Christus sit ædificator Ecclesiæ suæ, pollicitusq; sit, quod uelit eam ædificare, rogemus eum, ut det commodos ministros, doctrinam & reliqua ædificandi instrumenta seruet, integra, addat incrementi gratiam, ut crescamus in fide & charitate.

Et ad hanc ædificationem præter ministros Ecclesiæ, incumbit etiam cuilibet Ecclesiæ membro, pro sua portione aliquā adferre operam. Hinc Paulus 1 Thess. 5. exigit, ut Christiani sese mutuo ædificent, & Ephe. 4. docet, quomodo per mutuam subministrationē, quodq; corporis Christi membrum alterum, alteri uires incrementi suppeditet.

1 Patres familiâs inter domesticos quid aliud sunt, quàm cooperatores Christi, dum liberos & concrelitam familiam in pietate instituunt.

2 Qui in magistratu sunt idem præstāt, dum quæ mala sunt, corrigunt, & quæ bona promouent.

3 Scholarum præfecti & ludimagistri habent, & ipsi non mediocrem functionem in ista ædificatione.

4 Vicinus uicinum admonendo, corrigendo, consolando, docendo. Simile membrorum in corpore. Item lapidum in structura domus. Hic licet omnes uno nitantur fundamento, alius tamen alium sustinet, & adiumento est. Est autem ista ædificatio communis tam necessaria, ut nisi quisq; suas partes diligenter præstiterit, nihil possint efficere publici Ecclesiarum ministri.

Super petram, & portæ inferorum nō ualebunt aduersus illam.] Quarto. Intelligimus hic Christū Ecclesiam suam ædificasse prudenter, non super arenam, sed supra solidum & immotum fundamentū. Nituntur ergo Christiani solida petra, tam firmiter super illam ædificati, ut nulla ui subuerti queant. Quod enim petra hic fundamenti loco posita sit, nemo est qui dubitet. Nam quia ædificia, quibus pro fundamentis petræ sunt, non facile euertuntur, ideò metaphora hac usus est Christus. Per portas inferorum, intelligit potestatem Satanæ, & omnia illius consilia. Nam in portis ueteres consilia & iudicia exercebant: unde portæ usurpantur pro potentia, & prudentia eorum qui rerū potiuntur. Adducit autem inferorum portas, ut intelligamus multo minus uires humanas quicquàm posse contra solidum Ecclesiæ fundamentum. 4

Aduersus eam.] Annotat & Origenes, & ita in Græco est, ut ambiguum sit, an ad Ecclesiam referas, uel ad petram. Mihi uerò uidetur certius ut ad petram, id est, Ecclesiæ fundamentum referamus. Non quod dubitem de Ecclesiæ soliditate, sed quod ea sit ex petra super quam ædificata est, quæ tam est robusta, ut immota aduersus omnes insultus persistens, etiam Ecclesiam immo tam reddat. Verum sic opus est, ut Ecclesiam intelligas de ijs, qui uere sunt Ecclesiæ membra, quos Christus ipse ædificauit supra iactum fundamentum. Nam ea Ecclesia quæ mixta est bonis & malis, multos patitur quotidie ruinas.

Hanc.] Sed uidendum est, quæ sit illa petra, super quam Christus Ecclesiā suam ædificauit. Non enim simpliciter dicit: Et super petram ædificabo Ecclesiam meam, sed cum determinatione: Super hanc petram, inquit, ædificabo &c. Quæ est ergo illa? ueteres hanc petram Ecclesiæ Christi fundamentum, non assignant eandem, sed inter se uariant.

Quidam assignant ipsum Petrum, ut Cyprianus, Hieronymus, Ambrosius, &c. 1

Quidam uerò non supra Petrū, sed supra Christum, qui petra est & fundamentum Ecclesiæ, intelligunt ædificatā Ecclesiam. Apostolus enim dicit: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Hanc sententiam sequitur Beda, & pleriq; ex recentioribus. 2

Alij intelligunt de fide & confessione Petri, qua dixit: Tu es Christus filius Dei uiui. Chrysostomus sibipsi non constat. Nam in expositione huius loci, dicit Ecclesiam supra Petrum apostolum ædificatam. At in sermone de Pentecoste negat supra Petrū hominē ædificatam Christi Ecclesiā, sed supra fidem, quam ille confessus est. 3

Augustinus plus aliquanto uacillauit. Nam & Petrū assignauit, & fidem Petri & Christum. Vide super Epistolam Ioan. Tract. 10. Et Retract. lib. 1. cap. 21. Origenes aliud adfert. Ille tribuit hoc, quod Petro hic de ædificatione Ecclesiæ, & potestate clauium à Christo dictum

ctum est, non solum omnibus Apostolis, sed etiam omnibus uerè Christianis.

Et in tanta ueterum uariatione, qui magis Romani Pontificis, quàm Christi primatũ, magis suum quæstum quàm Ecclesiæ profectum, & Christi ueritatẽ spectant, unam sententiam quæ Petro adscribat Ecclesiæ fundamentum, appræhendunt & eò usurpant, ut probent Romani Pontificis primatum super omnem Christi Ecclesiam: eo quod Romani Pontifices sint successores Petri, quibus antea probandum erat Christum tale uoluisse Ecclesiæ suæ fundamentũ ponere, quod esset lapsurum, ut necesse habeat alterius succẽsione, quod et ipsum tamen non sit mansurũ, sed & succedentis uicẽ exigat, ec. Epistola ad Ebræos ostendens mutabilitatem & infirmitatem sacerdotij Aaronici. arguit ex eo, quod summi sacerdotes mortales cum essent, uerum & æternum sacerdotiũ administrare nequiuerint, quod ad unum Christum, qui in sempiternum maneat, pertineat. Idem arguimus & nos in hac materia. Si constans debet esse iactum Ecclesiæ fundamentum, certè non poterunt ij Ecclesiæ fundamentũ dici, qui morte decedentes aliud & aliud substituendi necessitatem faciunt, sed oportet, ut tale sit, quod perpetuo maneat idem & inconcussum.

2 Deinde, probandũ illis est errasse eos, qui uel Christum, uel fidem in Christum assignant non Petrum.

3 Probare debent, quare non super alios quoq; Apostolos, sed super solũ Petrũ fundata sit Ecclesia Christi, cum id contendat Origenes.

4 Quid ad Romanos Pontifices quod supra Petrum ædificata dicitur Ecclesia? Sunt illius successores inquiunt. Quare? Quia fuit Romæ episcopus annos 25. Negari potest Petrum uenisse Romã, uel certè ex Apostolo factum esse Episcopum. Sed fuerit episcopus Romanus, quid ad propositum, cum etiam Antiochiæ fuerit aliquot annos, ut dicitur. An mutata illa sede concessit Romã, ubi & crucifixus est? Ergo passio Petri tantũ ualet, ut contulerit primatum ei loco, ubi crucifixus est? Quid quod Christus Ierosolymis crucifixus est? An non potior est crux Christi quàm Petri? Quare non est ex morte Christi Ierosolymitana Ecclesia exaltata in matrem Ecclesiarum: & est ex morte Petri id dignitatis assequuta Romana?

Sed esto sit supra Petrũ.

At quid opus multis? Petrus fuit Apostolus circumcisionis, teste Paulo, ut is Apostolus gentium. Peccatum est id dare Petro, quod relicta Apostolatus functione Episcopale munus usurpauerit. Proinde omni ueritate caret, quod Romani adulatores ex hoc loco pro defendendo primatu Pontificis colligunt cũ nec posit totam Ecclesiam regere, nec unquam uniuersæ præfuerit.

Quoniam Christus hic se facit ædificatorem Ecclesiæ suæ, licet ipse sit illius & fundamentum, & lapis angularis, totum ædificiũ sustinens: puto petrã cuius meminit rectè eam intelligi, ex qua Simon Petrus effectus, hoc est, homo carnalis ac imbecillis in saxeam solidatem mutatus est. Quæ illa? Veritas scilicet quã de Christo confessus est, qua dixit: Tu es Christus filius Dei uiuentis. Ista ueritas est in quam ædificata Christi Ecclesia, qua illa ita nititur, ut portæ inferorum nequeãt eam conuellere. Hanc Satan miris modis semper impugnauit, cum externo Marte per tyrannos, tum domestico per hæreticos. Et hoc sensu notandum est.

Petra.

Qui sint in Ecclesia Christi, qui nõ. Qui supra hanc petram, id est, omnium firmissimã ueritatem, quam Petrus confessus est, ædificati sunt à Christo, ij utiq; sunt de Ecclesia. Censendi enim sunt Christiani ex hac ueritate, & non ex traditionibus humanis. 1

Quod ad Ecclesiæ soliditatem attinet, uidemus hic in quo sita sit illa. In Petra scilicet: Ergo quatenus in hac ueritate permanet Ecclesia, hactenus uinci nequit. Reliqua cadent, quemadmodũ & multa humanitus inuenta in Ecclesia iam olim interciderũt, ita ut sint iam prorsus incognita. Ista tamen ueritas adhuc perstat. 2

SEQVITVR.

Et dabo tibi claues regni cœlorum, & quodcunq; solueris super terram, solutum erit & in cœlis: & quicquid ligaueris super terram, ligatum erit in cœlis.]

Ista planè ad Petrum dicta sunt. Dabo tibi, &c. Sed non ad solum, adeoq; ad causam primatus non faciunt. Quod non ad solum, manifestum est infra cap. 18. ubi discipulis Christi omnibus, imò omnibus Christianis ista potestas datur. Et Ioan. 20. omnibus Apostolis eam committit. Proinde nihil uiriũ habet, quod Romani ex hoc loco pro firmando Pontificis sui primatu ad se rapiunt. Est ergo rapina & sacrilegium, quod Romani Episcopi clauium insignia, quæ omniũ sunt Christi ministrorum, ad se transtulerũt. Et hinc sibi potestatem omnem in reges ac principes, in Episcopos, & omne corpus Ecclesiæ, ligandi ac soluendi sumpserunt, eamq; potestatem quam Christus dedit ministris suis irritã fecerunt: ita ut ab alijs ligatos absoluerint, solutos ligauerint, id quod & Græci episcopi sæpenumero contra Rom. conquæsti sunt. At relictis illis uideamus quid hic geratur.

Primũ dicit: Dabo tibi claues regni cœlorum.] Per claues intellige potestatem intromittendi, uel excludendi ministerialem. Hanc specificat, per absolutionem & ligationem. Deinde addit efficatiam huius potestatis, dicens: ligatum erit & in cœlis, & solutũ erit & in cœlis.

Sunt autem hic consideranda de hac ligandi ac soluendi potestate tria. Primum de iure illius. Secundum de usu. Tertiũ de efficatia. Magna sanè potestas, claues habere regni cœlorum, in qua si peccatur periculosissimè peccatur: cui si quis contradicat, cum summa pernitie contradicat, quæ & periculose ignoratur. Rursus magna est & ineffabilis gratia, quod ista potestas data est hominibus, Matth. 9. Quia uerò hæc materia fusior occurret infra cap. 18. differã illam in eum usq; locũ, ne hic sim prolixior. Hoc tantum notandũ puto hic quod non dicit: Dabuntur tibi claues, &c. sed, Dabo tibi. quibus sibi Christus omnem hanc potestatem regni cœlorum, ut domino uindicat, ita ut eam posit committere cuicũq; placuerit. Id aliquoties inculcat, ut supra 11. & infra ultimo, & supra 9. in curatione paralytici probauit se istam habere potestatẽ. Hoc diligẽter tenendũ est, ut cõstet ius huius potestatis in Ecclesia. Nã hic multum refert, non solum quis quid acceperit, sed & à quo acceperit, cuius potestatis sit, qui dedit.

Tunc

Tunc edixit discipulis suis, nè cui dicerent quod ipse sit Iesus Christus.

Cur hoc facit? An non uerum erat, quod Petrus erat iam primum confessus? Vtiq;. Deinde an non erat cognitio ueritatis huius ad salutem necessaria? Planè. Qua ergo ratione prohibet, ne quod credebant & ex reuelatione patris habebant, taleq; erat quod ad salutẽ mortalium necessarium erat, manifestum faciant?

Respondeo. Absq; dubio bonum non erat tum istam ueritatem publicari, alioqui non prohibuisset.

OBSER.

Notandum ergo hoc & alijs similibus locis, nõ semper dicendum esse, quod uerum est. Habet enim ueri cognitio suos gradus & sua tempora, extra quæ non est proferendum quod cum fructu proferri nõ potest. Hinc est quod sapiens dicit: Tempus tacendi, tempus loquendi. Quod enim hic Christus prudenter fecit, potest nobis esse exempli uice, ut non putemus omnia mox dicenda, & inuulganda quæ scimus uera esse, etiamsi sint in se salubria, nisi adsit & tempus & occasio, qua queant cum fructu proferri.

Sed quæ fuit causa specialis ob quam edixit discipulis, ne cui dicerent se esse Christũ? Hoc patet ex sequentibus quæ ad hunc modum subijciuntur.

Ex eo tempore cœpit Iesus indicare discipulis suis, quod oporteret ipsum abire Ierosolymam, ac multa pati à senioribus, & principibus Sacerdotũ, ac Scribis, & occidi, & tertio die resuscitari.

Quod hæc ueluti uice rationis ad præmissam Christi inhibitionem subijciantur, ex Luca uidere est, in quo cap. 9. sic legimus. At ille increpãs eos, præcepit, ne cui dicerent hoc, dicens: quia oportet filium hominis multa pati & reprobari à senioribus & principibus sacerdotum, &c. Ergo ideò noluit publicari, tum temporis, se esse Christum, quod crucifigendus esset Ierosolymis ac reprobandus. Sed quomodo futura passio impediuit istã prædicationem? Hic uariæ assignantur rationes. Hoc certum est, quod præstabat incognitũ esse ante crucem, 1 Corin. 2 *quod ipse esset Christus. Si enim cognouissent, nunquàm Dominũ gloriæ crucifixissent inquit Apostolus. Et præterea conuenientius erat, ut prius implererentur scripturæ prophetarũ, ut nõ sine cruce prædicaretur Christus. Cum ergo præcedere deberet humilitas & obscuritas crucis claritudini cognitionis Christi, nec prodesset, ut ante deictam mortem & erectum trophæũ contra principem huius mundi, prædicaretur Christus, maluit expectare destinatũ tempus, in quo res ipsa, magna luce gereretur, Apostolisq; prædicantibus testimonium daret, quàm ut frustra publicaretur tempore humilitatis, quã interea sustinuit, donec tẽpus adueniret gloriæ.*

OBSER.

1 *Ad hoc exemplum, sustineamus & nos tamdiu in obscuro esse, donec aduenerit tempus nostræ reuelationis.* Col. 3 *Sumus filij Dei, sed iam non apparet nostra dignitas,* 1 Ioan. 3 *quæ cum Christo in reuelatione filiorum Dei apparebit. Satis iam sit quod sumus filij Dei. Manifestationem eius dignitatis non concupiscamus ante tempus ordinatum à patre, sed feramus formam humilitatis in hoc seculo, in qua exerceamur ac probemur per uarias adflictiones iuxta consilium Dei omnia sapientissimè instituentis.*

Quod oporteret.] *Quare? uide Lucæ ultimo.* 2 *Quoniam sic scriptum est, oportebat pati Christũ, &c. Nõ erat alia redemptionis nostræ uia, quàm crucis, etc.*

Obseruandum est, quod Christum oportuit pati non 3 *in aliquo obscuro Iudææ loco, sed Hierosolymis, loco omnium celeberrimo, non occulta aliqua morte occidi, sed omnium manifestissima, idq; non per obscuram aliquam plebeculam, sed per celeberrimos eius gentis seniores, principes ac Scribas.*

Duplex est ratio. Vna, quod per crucem redimendi eramus illaq; prædicanda erat in uniuerso orbe. 1 *Non erat ergo occultanda. Nasci quidem uoluit in obscuro loco Bethlehem. Pati uerò non ita, quia plus erat situm in cruce, q̃ in natiuitate, ut redimeremur. Paulus nihil uoluit scire, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum.*

Altera est. Iam tum declarari oportuit, quæ futura 2 *esset Christi sors in hoc mundo, non solum pro sua persona, sed & in membris ipsius. Videlicet ea, quod aduersarios habiturus esset sanctos, potẽtes, & doctos. Et hoc ad gloriam ueritatis ita ordinatum est, ut eo sit speciosior uictoria. Annotat hoc loco Hieronymus id etiã suo* Hiero. *tempore factum esse, ut Christus crucifigeretur à senioribus & principibus sacerdotũ, cum dicit: Et tunc Iesus multa patitur ab his, qui rursum sibi crucifigunt filium Dei, & cum seniores putentur in Ecclesia, & principes sacerdotum simplicem sequentes literam, occidunt filium Dei, qui totus sentitur in spiritu. Hæc ille: Quid quæritur hic bonus uir aliud, quàm quod Episcopi in Ecclesia iam tum suo tempore sacerdotiũ quoddam legale, ad literæ corticem institutũ somniabant, suppresso uero Christi sacerdotio in pectoribus credentium?*

Et cum abduxisset eum Petrus, cœpit illum increpare, dicens: Propitius tibi sis Domine. Nequaquàm erit tibi hoc. At ille conuersus dixit Petro: Abi post me Satana. Scandalũ es mihi. Quia non sapis ea quæ sunt Dei, sed quæ sunt hominũ.

Magno quidem amore Christi præ reliquis Apostolis tenebatur Petrus, sed admodũ adhuc carnali & præter scientiã. Igitur maiore quoq; utitur erga Christum φιλοστοργίᾳ, *quod multis in locis uidere est. Ita & hic, cum putaret hoc quod audiebat, Christo ut filio dei fore dedecorosum, posseq; uitari, credebatq; Christum impotenti quodam zelo ardere ac ferri aduersus improbitatem seniorum, sacerdotum ac Scribarum Hierosolymitanorum, unde futurum sciret ut per illos adfligeretur & occideretur, non intelligens mysterium redemptionis, necessitatem crucis, patris uoluntatem, aduentus Christi rationem, ad hunc modum Christum abductum seorsum increpat, & cœpto auocare conatur. Propitius inquit sis tibi Domine. Lieber schon dein selb. Q. d. Et si digni sunt isti nebulones, ut male tractentur,*

tibi

ubi tamen decorum non erit, ut ab illis occidaris. Parce saltem tibi. Certè non facies, hoc non permittemus, ut eas Hierosolymam. Ita uidebatur sibi Petrus & amicè & liberè, animoq; bono agere cum Christo. Sed audi quid responsi accipiat.

Abi inquit Christus post me Satana. Scandalum es mihi, &c.] Et hoc dicit Christus ad reliquos discipulos conuersus, ut est in Marco cap. 8. Sciebat enim & illos eius esse animi. Proinde ad exemplum aliorum Petrum durius increpat. Sed quare uocat illum Satanam? Satan est aduersarius, qui aliquem impedit in prosequendo proposito. Hoc agebat Petrus licet imprudenter. Ideoq; dicebat: Scandalo es mihi. Rationem addit. Quia non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominũ, hoc est, nõ respicis uoluntatem Dei, sed magis carnali modo ad res humanas inclinatus es.

OBSER.

1 Mirum uidetur, quomodo Petrus uocetur Satan, & dicatur scandalo esse Christo, sapereq; non quæ Dei, sed quæ hominum, cum iam testimonio Christi beatus sit dictus, & reuelationem ueritatis à patre accepisse. Respondendum est. Hactenus reuelationẽ habuit, ut agnosceret hũc Iesum esse Christum, crucis uerò mysterium nondum agnoscere datum erat. Et ibi peccabat, quod putabat Christo indecorum esse, quod ad summum illius decus faciebat, ab eoq; conabatur illum auellere. Et hactenus dictus est Satan à Christo & scandalũ, &c. Ergo fieri potest, ut etiã hi qui credunt hunc Iesum esse Christum, & filium Dei, fiant Christo Satan & scandalum: tum uidelicet, quando in Christo sapiunt non quæ Dei, sed quæ sunt hominũ, uideãt hic qui gloriãtur de Petro.

2 Notandum est, quod sapere humanitus in rebus Dei, sit esse aduersariũ Deo & Christo. Hinc sapientia mundi dicitur inimica Deo. Sapere uerò humanitus bifariam se habet. Vno modo ad exemplum Petri. Hic peccant Romanenses cum suo uicariatu & primatu, totaq; uera religionis superstitione.

Alio modo fit carnalibus affectibus obsequendo, & quod pessimũ est, quæstum in Ecclesia quærendo. Bone Deus, si Petrus fuit Satan & scandalum Christo quid hodie sunt quidam?

3 Notent etiam hic, qui perpetuo bonam intentionem prædicant, perq; illam omnia conantur defendere. An Petrus non habuit bonam intentionem?

Propitius sis tibi Domine.] Blanda planè uox, & indicium referens animi beneuoli & amici, ut mirum sit, quod illius gratia Petrus tam acriter increpatur à Christo. Proinde nonnihil expendenda est, ne in uniuersum putemus eam esse Satanicam, sed ut sciamus quando sit uox scandali, humanum sapiens non diuinũ, quid, & quando non sit.

QVANDO HAEC VOX SATANICA SIT.

Satanica est hæc uox, quando ab obedientia diuinæ uoluntatis auocat, undecunq; ueniat. Venit autem aliquando externè ab amicis carnalibus, aliquando internè ab ipsa carne nostra. Carnalium amicorum duo sunt
1 genera. Vnum eorum qui amando seipsos quærunt. Vbi illi dicũt propitius sis tibi, nihil aliud dicunt, quàm propitius sis mihi. Et hoc dicunt, si cubi emolumentum aliquod sperant ex ualetudine tua, uita ac felicitate tua. Hic nihil curant, ut habeas apud Deum, dummodo illis temporaliter prodesse possis. Quòd si plus emolumenti sperauerint ex morte tua, & si non uoce, corde tamen dicunt: parcas bonis tuis, non parcas tibi, sed sis tibi ipsi durus & immitis, nihil ede, nihil bibe, nullam tui rationem habe. Si danda est eleemosyna: mox suggerunt, teipsum negligis, omnia profundis, nullam tui rationem in futurum habes, si ex morbo decumbis. Quid inquiunt? uitam tuam committis medicis, qui te perdunt? De istorum amicorum numero non est hic Petrus.

Alterum amicorum carnalium genus est, qui uerè 2
quidem amant, & seipsos amando non quærunt, sed simpliciter illis quos carnaliter diligũt, beneuolunt, uerum præter scientiam & iudicium, ut solent carnaliter erga liberos affecti parentes. Hi quos diligunt, cupiunt uiuere diu, beneq; uiuere & cum honore summaq; prosperitate, nulla alia ratione, quàm quod eos ament. An uerò hoc illis prosit, non cogitant, nec intelligunt. Nam diuinæ uoluntatis rationem non habent. Iste amor in seipso quidem non est malus, nec extinguendus, sed tantum in eo corrigendus, quod iudicio carens, dum putat se bene uelle et facere amicis. quos diligit, male uult & facit. & dum cupit promouere, impedit, dũ uult seruare, perdit.

Hoc amore tenebatur Petrus erga Christũ. Seipsum quidem non quærebat (meo iudicio. Volo enim de uiro Apostolico candidius sentire,) sed ut putabat Christi gloriam affectabat. Verum in hoc errabat, quod diuinæ uoluntatis ignarus, ea optabat Christo, quæ ad illius gloriam non fecissent, & quæ faciebant, impedire conabatur. Philip. secundo.

Hæc amicitia non parum etiam hodie negocij facit sanctis fecitq; in prima Ecclesia, maximè dum ferendum est aliquid pro ueritate.

Homo hominis plerunq; Deus, plerunque Satan est

Et hanc uocem audire coguntur pij non solum extrinsecus ab amicis, siue fictis, siue ueris, sed & ab ipsa propria illorum carne. Tale quid expertus est etiam Hieremias cap. 20. ubi dixit: Et factum est mihi uerbum Domini in opprobrium, & in derisum tota die, &c. Et dixi, non recordabor eius amplius, &c.

QVANDO NON SIT.

Quando uerò extra diuinã uoluntatem uideris fratrem sibijpsi præposterè durum, ut solent superstitiosi, de quibus est Coloss. 2. & auari, qui seipsos præ nimia tenacitate propè enecant, & pauperes, quibus noctes atq; dies laborandum est. Hic non erit peccatum, si quis in temporalibus, extra periculum diuinæ offensæ, bene uoluerit amicis, iusseritq; ut sibi parcant. Imò natura dilectionis hoc exiget, & nonnunquàm fomenta ad hoc suppeditabit.

Videmus ergo hoc loco si Petrus dictus est Satan quid illis dicendum sit, qui seipsos quærentes dicunt: Parce tibi amice?

NOTA.

Sed merito quæsierit aliquis. Quare dixerit eum esse sibi scandalum, cum tamen scandalum perpetine-

quiuerit? Quis enim potuit impedire Christum à proposito? Cur ergo Petrum tam acriter increpat? Exemplum nobis datum est, ut nihil minus feramus, quàm eam amicitiam, utut blandam, quæ nos ab obedientia diuinæ uoluntatis auocat, iubetq; ut nobis ipsis parcentes non quæ Dei, sed quæ hominum sunt, sapiamus. Nam alioqui caro nostra eo inclinat, ut neglecta uolun tate Dei nobis ipsis parcamus. Si enim Christus hanc Petri amicitiam, cui non adeò periculosa erat, retudit tam acriter, quid nobis non faciendum, qui facile seducimur? Multo minus periculi habet, si inimicitia mortalium sit ferenda, quàm ista amicitia.

Tunc Iesus dixit discipulis suis: Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, ac sequatur me.

Ardua sententia, quæ licet dicta sit per occasionem à Petro datam, non tamen soli Petro, sed Christianis omnibus dicta est, unde Marci 8. ita legimus. Et conuocata turba cum discipulis suis dixit, &c. Et Lucæ 9. Dixit autem ad omnes, &c.

Sciebat Christus hũc defectũ Petri latere in omnibus reliquis, cuius erat radix, quod nondũ seipsos abnegassent, atq; adeò ad crucem essent inepti, magis somniantes regnũ aliquod terrenum in hac uita, quàm cœleste: ignorantes in filijs Dei debere priores esse passiones, & posteriores glorias, mortemq; adhuc carnaliter horrentes, & hanc utam appetentes, id quod ex uerbis Petri certissimè colligi potest. Cum enim dicit: Absit tibi hoc. Satis ostendit se horrere talia, si sibijpsi accidere deberent. Est enim hoc amoris proprii, ut à quibus nos horremus, quæq; nobis obtingere nollemus, ut ea & amicis accidere nolimus. Ita Petrus quoniam diligebat Dominum, nõ potuit ferre ut passionibus & morti subijceretur, sed magis optauit, ut uiueret & cum magna gloria regnaret. Quare? Quia ipse mortem horrebat, gloriamq; mundi huius, & hanc uitam adhuc magnificiebat. Nesciebat enim uoluntatem Dei, & ad ueram gloriam quæ esset uera uia. Aliàs dixisset: Domine, si ea est patris uoluntas, cuius te filium agnosco, ut per passiones & crucem pertingas ad regni tui gloriam, quæso id animo promptissimo facias, certus quod Deo patri nihil tui periturũ sit, uel certè dixisset: Quæso Domine adiuues & nos, ut tuo exemplo abnegantes nos ipsos, crucem quam pater imponet, cum gaudio ferentes uestigia tua sequamur. Quia uerò ista ignorabat, nondumq; semetipsum abnegauerat, conatur & Domino dissuadere crucis ignominiam. Iam quia bellum erat cum Satana mũdi huius principe, cum mũdo, cum carne, gerendum non solũ ipsi duci nostro, sed & omnibus qui illius sunt, & pater ita disposuit, ut per multas tribulationes iter esset ad futurã gloriam. Voluit his uerbis Christus admonitos omnes eos, qui sui esse cupiunt, & hanc sub suo uexillo militiam militare, ut scirent sequenda sibi esse præeuntis ducis uestigia, ideoq; ista omnibus dixit: Si quis uult uenire post me, &c.

In Luca cap. 14. ita legimus. Qui non portat crucem suã & sequitur me, non potest meus esse discipulus, & reliqua quæ ibi legũtur, suprà cap. 10. dicit: Non est me dignus. Quibus uerbis planè uidemus hæc ad omnes Christianos pertinere, ita ut pro Christiano non sit habendus à Christo, nec Christi esse possit, qui seipsum non abnegando crucemq; suam ferendo Christum sequitur. Sed expendamus ipsa Christi uerba.

Si quis uult post me uenire.] Hoc nihil est aliud, quàm si quis uult uerè discipulus meus esse. Discipulorum enim est, ut sequantur præceptores suos. Sciat ergo Christianus Christiq; discipulus omnis, esse se Christi sectatorem non alterius cuiuslibet hominis. Quem enim sequentur ouiculæ nisi pastorem? Sequebantur quidem corpore Christum, uerum nondum recto & bene instituto proposito. Proinde admonet eos quid exigat à sectatoribus suis.

SI QVIS VVLT.

Sed quid est, quod dicit: Si quis uult, cum loquatur ad eos qui iam sequebantur? Quare non dicit: Volo ut post me ueniatis, uosq; ipsos abnegetis? An ideò, quod susq; deq; ferat an sequamur, sẽ uel non sequamur? Cur ergo tanto illos serio uocauerat, dicẽs: Venite post me. Et suprà 11. Venite ad me omnes, &c. Quare iam dicit: Si quis uult? Ea est ratio. Non uocat hic, sed sequentes sẽ, quid faciendũ sit instruit. Vbi uerò uocat, ibi ardenter allicit, ut ipsum sequamur, satis declarans, quàm cupiat nostram salutem.

Ad hunc modum & nobis faciendum. Alliciamus & uocemus ad Christi ueritatem omnes, idq; magno serio, non dicentes: Si quis uult, ueniat, sed, uenite omnes. Vbi uerò Euangelicos uiderimus non recto pede ingredi ad Euangelicam ueritatem, tum dicamus: Si quis uult Christum sequi. Si quis uult esse Euangelicus abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur Christum, crucifigat carnem suam cum concupiscentijs, diligat proximum ex animo, conuersationem suam habeat non super terrã hanc, terrena sectando, sed in cœlestibus, ubi Christus est, & quæ alia Christiano necessaria sunt. Et cum hoc fecerimus, nemo putet nos susq; deq; facere, an Christi ueritatem amplectantur, ac sectentur mortales, uel non sectentur. Sed magis, licet uelimus omnes illam sequi, hoc uelle, ut uerè sequantur qui sequi uidentur. Quemadmodum & Christus hic, nõ ista dicit, ut sectatores suos absterreat, uel quod non afficiatur admodum si quis se sequatur, sed quod cupiat, ut se uerè sequamur, ut cum ipso ad ueram gloriam pertingamus.

Ita uocemus etiam omnes ad cænam Domini, id est, cõmunionem corporis & sanguinis Christi, uocemusq; magno desiderio, & si uideamus accedere quenquam non rite, dicamus: Qui uult ad cænam Domini accedere, hoc & hoc faciat, &c.

Quid ergo faciendum ei, qui post Christum ire, id est, discipulus Christi & Christianus esse cupit?

Abneget semetipsum.] Primum hoc est. Hoc ut intelligamus, quatuor cõsideranda et expendenda sunt.

Quid sit abnegare aliquid. Abnegare, non est carere, ac destitui re aliqua, per occasionem, uel penuriam, neq; est cohibere se ad tẽpus à re quapiam, sed est, etiam si copia sit, & liceat, prorsus abijcere & non agnoscere aliquid

aliquid, ita ut nullum planè cõmertium habeamus, nec habere cupiamus cum eo quod abnegamus: ut exempli gratia. Si pater abneget filium, quem posset quidem si uellet habere, illiq; benefacere, attamen ita prorsus reijcit, ut pro suo non agnoscat, nec illius perditione moueatur, atque ita nihil commertij cum eo habeat, ac si prorsus esset alienus. Hoc scilicet est abnegare aliquid. Videlicet constanter & planè non agnoscere, nõ solum foris, sed & intus in animo.

2 Videndum est, quid iubeamur abnegare. Neq; enim omnia talia sunt, quæ uelit Christus à nobis abnegari. Iubemur autem absq; dubio abnegare hoc quod pietatis proposito, & professioni Christianæ contrarium, & impedimento est.

Non proponit abneganda, quæ nos alioqui fugimus, utpote inimicos nostros, & si qua alia sunt carni contraria. Deinde nec ea iubemur abnegare, quæ naturæ nostræ sunt necessaria, utpote uxorem, liberos, & reliqua ad usum humanæ uitæ pertinentia. Nam hæc omnia possunt esse bono usu, imò inimicos iubemur diligere, & domesticos curare. Proinde nisi fuerint impedimento pietati abneganda non sunt. Nihil horum abnegare præcipimur, sed omnino tale quod impediat à professione fidei Christianæ.

Id quod Lucæ 14. est. Si quis uenit ad me, nec odit patrem ac matrẽ, & uxorẽ, & filios, & fratres, & sorores, præterea & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et: Sic omnis ex uobis qui non renunciat omnibus quæ possidet, nõ potest meus esse discipulus. Nõ ita est intelligendum, quod qui uxorem suam diligit ac liberos, & qui rem habet domesticam, nequeat esse discipulus Christi, cum Apostolus iubeat diligere uxores, & curare domesticos: sed ut discamus uxores ac liberos nõ præferre Christo. Ita supra cap. 10. Christus ipse dicit: Qui amat patrem ac matrem, uxorem & liberos supra me, non est me dignus. Suprà Christum diligit patrem ac matrem, liberos & reliqua sua, qui ut & se & sua seruet, Christum negat.

Proinde nõ eo modo iubemur parentes, uxores, liberos, & rem domesticam abnegare quo nos ipsos. Nos ipsos habere, hoc est, nostra uoluntate nostrisq; affectibus uti non licet, uxores habere ac liberos, & terrenam substantiam, licet. Quare? Quia mali nos sumus, & affectibus corruptis: deinde planè in uoluntatem Dei consecrati. Vxores uerò, parentes & liberi, dona sunt Dei, quæ possunt esse bono usu nisi accedat unde nobis in causa pietatis reddantur impedimento. Hic sunt planè abnegandi, aliás non.

Quid igitur illud est? Abneget, inquit, semetipsum. Semetipsum. Durum uerbum. Diceret saltem, abneget ebrietatem, abneget lasciuiam, abneget superbiam, abneget auaritiam, abneget iracundiã, & quæ talia sunt, quæ certè & ipsa mala sunt. Maius quiddam est, quod dicit: abneget semetipsum. Reperias multos, qui nec ebrietatem sectentur, nec superbiam, qui nec lasciuiæ dediti sint, nec auaritiæ, et tamen seipsos nondum abnegauerint. Petrus apostolus reliquerat omnia, et absq; dubio nec auaritiæ, nec lasciuiæ, nec superbiæ, nec ebrietati seruiebat, & tamen seipsum nondum abnegauerat.

Ita & D. Basilius ad Gregorium theologum Epistola prima quæritur se urbana quidem reliquisse negotia, & ad solitudinem concessisse, attamen seipsum nondum relinquere potuisse. Basilius

Quid est autem abnegare semetipsum? Nihil aliud, quàm proprio & iuditio & arbitrio resignato, in alterius sese tradere uoluntatem & potestatem. Est exuere omnes affectus proprios, & iam non sibijpsi, sed ei uiuere cuius sese addixerit uoluntati. Exemplũ sumamus à seruis, à liberis, ab uxoribus, quorũ nemo est, qui suæ posit satisfacere conditioni, nisi abneget semetipsum. Abnegare semetipsum quid sit.

Stultissimi sunt ergo illi, qui mox ut unum atq; alterum uitium abnegarunt, putant se iam planè abnegatos sibijpsis & omnino mortificatos, cum nemo illis sit minus mortificatus. Nouum scilicet monachorum genus [illegible] referunt, &c.

Quærendũ & hoc, quare necesse sit ut nos ipsos abnegemus. Ratio est in prõptu, quia uidelicet טעשם Christianismi est, obedientia diuinæ uoluntatis. Illa non potest præstari, nisi uoluntatem nostram abnegauerimus. Christus de seipso dicit: Nõ ueni facere uoluntatem meam, sed uoluntatem eius qui misit me patris. Et: Pater non mea, sed tua uoluntas fiat. 3 Ioan. 5 Luc. 22

Deinde ista obedientia Dei exigit fidẽ in Christum. At fides in Christum omnino nõ potest consistere, stante nostro arbitrio. Exigit dilectionem Dei & proximi. Deum non poterit ex toto corde diligere, qui adhuc seipsum diligit. Nec proximum diliget, qui sese adhuc diligit. Proinde præceptum illud: Diliges proximũ tuum sicut teipsum. Non ita intelligendum est, quod simul debeam & meipsum & proximum æqua lance diligere. Nam hoc fieri nequit, sed quod debeam proximum in Christo diligere, sicut meipsum in Adam extra Christũ diligo. His itaque rationibus necessarium est, quod hic Christus exigit à suis, ut seipsos abnegent, quia necessarium est, ut diuinæ nos consecremus uoluntati, si uelimus esse Christiani.

Cum ergo professio Christianismi hoc exigat, quærendum quomodo instituenda sit ista abnegatio. 4

Cum primis quidem opus est gratia & cooperatione spiritus sancti. Nam sine illius numine nihil boni poterit esse in homine. Hic orandum ad Deũ patrem cum Christo domino nostro: Nõ nostra, sed tua uoluntas fiat. 1

Deinde, nunquam obliuiscendũ professionis nostræ, cui nihil ita aduersatur, atq; animo esse nõ mortificato. Ista cogitatio plurimum proderit huic instituto. Seruus nisi hoc cogitet, nunquam satisfaciet uocationi suæ. Ita & liberi & coniuges, ac reliqui subditi. 2

Adijciendum est & exercitium ac studium abnegandi semetipsius. Et hoc exerceri debet cum primis in externis, & maximè à puero antequam humani ingenij malum corroboretur. In externis ideò dico, quod prauitas ingenij nostri si usu teratur magis augescit firmiorq; ac uegetior, et uiuatior redditur. Otio nanq; torpescit, & negligẽtia extinguitur. Detrahendæ ergo illi uires, ut negligendo consopiri possit. Ad hoc genus exercitij multa sunt, quæ nobis etiã in humanæ uitæ conuer- 3

sationem ac rationem succurrũt. Vtpote si pueri probè educentur: deinde & status coniugum. Nam uterq; seipsum abnegare debet. Adhæc & conditio seruorum ac ministrorum. Præterea subiectio magistratui debita. Item reliqua omnia officia uitæ ac necessitatis humanæ, quid aliud nos docent, quàm abnegandos esse nos ipsos? Sunt enim qui seipsos abnegare non sustinent, non solum non ad Christianismum, sed ne ad societatem quidem, & conuictum humani generis accommodi.

Sed proh dolor ea est ingenij nostri corruptio, conuictusq; humani deprauatio, ut rarissimi sint, qui seipsos aliquousq; abnegent. Et hinc est quod non solum Christianismi status, sed & ratio humanæ societatis pessimè habet. Nõ audeo nos agnoscere pro ciuibus huius seculi, quomodo audebo agnoscere pro Christianis?

Tollat crucem suam.] Alterum hoc est, quod discipulo Christi faciendum proponitur, in quo tria uidenda sunt. Quid per crucem intelligatur. Crucis dictio
Crucem. 1 hic metaphoricè sumitur pro quauis adflictione, maximè extrema. Nam ad imitationem suæ crucis, quam extremam laturus erat omnemq; adflictionum tolerantiam absoluturus, hac crucis dictione utitur Christus. Ostendens non solum leues quasdam adflictiones, sed & planè extremas discipulis suis ferendas esse. Et ideò subdit: Qui enim uoluerit animam suam seruare, &c. Vtitur ergo commodè tali dictione, quæ non leuem tantum ac uulgarem adflictionem & molestiam, sed extremam habeat: non quod de illa tantum loquatur, sed ut in illa omnes etiam reliquas includat.

Laudandus est ergo usus Christianorum, quo per crucis uocabulum quamcunq; adflictionem exprimunt. Nam pulchram & consolatissimam Christianis mentibus habet metaphorã, & imitationem ex cruce Christi, qua miseri redempti sumus.

Suam.] Notandũ est, quod non simpliciter dicit: tollat crucem, sed addit: suam. Quo admonemur homini Christiano non esse tollendã quamuis crucem, sed suam. Quæ illa est? Crux Christianorum duplex est.

1 Vna est omnibus communis de qua ad Gal. 5. Qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum concupiscentijs. Ecce crux concupiscentiarum. Sed illa eadem est, cum abnegatione nostri ipsorum de qua supra.

2 Altera est, quæ cuiq; à Domino specialiter imponitur, propter pietatis studiũ ferenda, nõ quam sibi quisq; ipse eligit. Varij sunt morbi, quibus necesse est illum cõpetentem cuiuis imponere medelam, qui omnia uerus & unus medicus solus exactè nouit. Proinde sibijpsi cruces eligunt quas uolunt. Primum non possunt dici suas ferre cruces: deinde tales tollunt, quibus morbo quo laborant non solum haud medetur, sed plus etiam roboris additur, ut uidemus in Anabaptistis, uxores ac liberos deserentibus: deinde & in monachis papisticis.

Tollat.] Tertio loco & hoc obseruandum est, quod non dicit: ferat uel portet, sed tollat. Differunt ferre crucem, & tollere crucem. Ferre crucem est simpliciter, etiamsi animo molesto, tolerare aliquid aduersi. Hoc multorum est, qui aliter non possunt, quamuis aliter uellent, cuperẽt excutere adflictionem, sed quia nequeunt, utcunq; ferunt. Tollere crucẽ, est animo prompto & auido, non solum accipere, sed rapere etiam, & complecti crucem à Domino impositam. Qui grauatim aliquid admittunt, ita accipiunt, ut intelligas animum reluctantem. Qui uerò cupidè aliquid appræhendunt illi quod accipiunt, ita corripiunt, ut agnoscas animum auidum ac promptum: Ergo exigitur non solum, ut feramus quæuis aduersa pro Christo, sed & cum gaudio & alacri mente feramus. Sic Matth. 5. admonet Christus dicens: Gaudete in illa die, & Act. 5. Ibant gaudentes à conspectu concilij. &c. Et Coloss. 1. Qui nunc gaudeo in passionibus pro uobis. Et 1 Thessa. 1. Vos imitatores nostri & Domini facti estis, excipientes uerbum cum tribulatione multa, cum gaudio spiritussancti. Et Ebr. 10. Rapinam bonorum uestrorum suscepistis cum gaudio. Et 1 Petr. 4. Communicantes Christi passionibus gaudere. Et Iacob. 1. Omne gaudium existimate fratres, cum in uarias tentationes incideritis.

IN LVCA ADDITVR Quotidie.

Quartum additur in Luc. cap. 9. ubi sic legitur. Et tollat crucem suam quotidie. Ergo opus est, ut constantes simus sub cruce, etiamsi sit quotidiana. Et hoc est, quod Christus alibi dicit: Qui perseuerauerit usq; in finem, hic saluus erit. Arduum quidem est, quotidie premi sub cruce, uerum si consideres uitæ sequentis æternitatem, & istius breuitatem & fugacitatem, leue erit, quod in se graue putatur.

OBSER.

In eo quod, non dicit Christus: tollat paupertatem, tollat ignominiam, tollat famem, &c. Sed crucem, inducens adflictionis extremæ uocabulũ, admonemur quantum exigat Christiana professio fidei robur, & non solum bonorum huius mundi, sed & propriæ uitæ abnegationem. Crucem ferre post Christum, est mundo planè mortuum esse, & soli Christo uiuere. Sic Paulus Gal. ultimo, dicit se mundo crucifixum esse, & mundum uicissim sibi. Iam cogitet quisq; quomodo Christianus sit, qui ita uiuit, ut rectius dicatur Christo crucifixus esse, & mundo uiuere? Quis credat nos in tantis delitijs uiuentes, & uniuersam mundi uanitatem sectantes, crucem tulisse, illamq; post Christum ferre? Quæ sit Pontificiorum impostura: deinde & hypocrisis & superstitio, qua utuntur cum signo crucis, omnibus notum est. Sed quotus quisq; est, qui crucẽ suam ferat post Christũ?

Et sequatur me.] Tertium hoc est, quod competit homini Christiano. Christum uidelicet ut sequatur. 3
Christus seipsum exinaniuit, crucem suam tulit, & sequutus est uoluntatem patris.

In cruce Christi duo sunt obseruanda. Vnum quod 1
per illam redempti sumus. Et hæc est primaria crucis Christi consideratio. In hac gloria cum nemine communicat Christus.

Alterum, quomodo nobis sit exemplum ad imitan- 2
dum. Et hæc duo coniungenda sunt. Proinde crucẽ Christi non rectè inspiciunt, qui uel primum tantum, uel alterum tantum usurpant. Gloriabatur Paulus in cruce Christi. Nihil uolebat scire nisi Christum Iesum & hunc crucifixum.

crucifixum. Et merito. Sed simul crucem suam ferens Christum sequebatur. Ad alterum itaq; pertinet, quod hic dicit: Et sequatur me.

OBSER.

Notemus quod non dicit: Et sit obediens patri, uel sequatur uoluntatem patris: uel sequatur uerba mea, uocem meã: uel sequatur prophetas, & prioris seculi pios homines, qui pro uoluntate dei aduersa multa tulerunt, sed dicit: Et sequatur me. Ergo tale est, quod à nobis exigit discipulis suis Christus Iesus filius Dei uiuentis, quod ipse quoq; prior facere dignatus est. Non exigit à nobis, quod ipse non fecerit. Hæc est nota optimi ducis, ac fidißimi præceptoris. Illa eo ualet, ut plus moueat exemplo quàm præcepto. Qui alium docet quod ipse nec fecit, nec facere cupit, suspectus est doctor, ut haud multũ utilis. Qui uerò nõ solũ docet, sed & ipse præstat quod docet. Qui non solum uiam indicat ad uitam, sed & ipse illam primus ingreditur, is tandem plures permouet exẽplo quàm uerbis. Quid enim habet discipulus quod causetur, ubi uiderit præceptorem ipsum præstare quæ docetur? Summo ergo pudore confundentur, qui præeuntem Christum sequi detrectauerint.

Et hoc est, quamobrem Paulus seipsum ita gerere studuit, ut esset irreprehensibilis atq; id exegit, à Christi ministris, quod & Petrus fecit.

SED HAC IN RE DELINQVITVR à Christianis bifariam.

Primum. Si cubi gratia Domini talis contigit, qui non solum uerbo, sed ipso quoq; uitæ exemplo formam gregis præfert, ut posßit dicere cum Paulo: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi, ibi cum deberent Christiani ijsdem cum illo ingredi uestigijs, satis putãt si admirentur ac prædicent doctoris integritatem ac probitatem, quasi ad ipsos non pertineat, ut sequantur præeuntem doctorẽ. Et hæc pestis hodie quoq; obtinet etiã inter eos, quos Euangelicos uocant. Illi putant sibi licere, quod doctori non liceat. Et quæ in doctore laudant, ad se non pertinere. Verum quidem est, peius esse ac turpius si quid delinquitur ab eo, qui alijs præire debet in uia pietatis. Interea tamen satis nõ est, ut doctor præcedat, nisi sequantur illum & discipuli.

Alterum est. Quod ubi contigerit doctorem habere docentem quidem, sed nõ facientem, ibi mox quærelis omnia replentur, ibi quasi impune delinquitur, ibi uita doctoris prætexitur: quasi illa futura sit deliquentibus sufficiens coram Deo excusatio, cum non sit. Christus enim ipse dicit, Matth. 23. Quæ dicunt facite, quæ faciunt facere nolite, &c. Et si omnino nolit quisquam uerba docentis sine factis attendere, non poterit tamen uel sic excusari, cum habeat Christum principem pastorem, quem iubetur sequi, qui non solũ docuit, sed & ipse quæ docuit, fecit, cuius hic uox est: Et sequatur me.

OBSER.

Secundo loco quærendum est, quid nobis in cruce Christi quod sequamur, præscribatur. Non enim omnia in illa talia sunt, quæ nobis sint imitanda.

Primum, spectanda est in cruce Christi, inq; illius exinanitione obedientia diuinæ uoluntatis, de qua est Philip. 2. Factus est obediens patri usque ad mortem, mortem autem crucis.

Deinde propositum est nobis in cruce Christi, ut caueamus, ne propter crimina aliqua, ut malefactores, sed ut innocenter uiuentes patiamur ad exemplum Christi, Vide 1 Petr. 2.

Tertio, ut propter iustitiam adflicti, nemini maledicamus, nec uindicare nos ipsos quæramus. Ibidem.

Quarto, ut dilectionem Christi quam in cruce declarauit, sequamur. De hac est Ephe. 5 mox initio capitis, & 1 Ioan. 3. Christus animã suam pro nobis posuit, & nos debemus animas pro fratribus ponere.

Sunt ergo hæc quatuor in cruce Christi, quæ nobis imitanda præscribuntur ab Apostolis Christi crucem probè contuentibus. Primum obedientia fidei: deinde uitæ innocentia, imò beneficentia: tertio mansuetudo & patientia: quarto uera erga proximos charitas.

Reliqua, utpote quod sine peccatis fuit prorsus, quod morte sua nos redemit, ad nostram imitationem pertinere non possunt.

Cogitandum est & hoc omnibus adflictis, quantam habeat consolationem in aduersis rebus præcedentis Christi spectare ac sequi uestigia. Iter Christi est ad æternam gloriã per multas tribulationes, non per mundi delitias. Soletur ergo nos de certitudine salutis in hac uita tribulationum, ipse dux noster Christus, qui hoc itinere tanquam caput electorũ, cum omnibus suis membris ad æternam gloriam nos præcessit. Bene est uiatori, magnoq; itineris, utut molesti, solatio fruitur, si certa deprehenderit uestigia eorum qui hoc ante se itinere usi ad eum locum peruenere, quò ipse tendit. Si cupimus ad cœlestia ex hoc miserrimo seculo pertingere, non poterimus aliquo potiori solatio frui in hoc itinere, quàm præeuntis Christi: certi quod errare nequeamus. Ipse Ioan. 8. dixit: Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ, &c. Videant filij huius seculi, qui sub professione Christi magis principem mũdi diabolum quàm Christum sequuntur, toti in luxu ac delitijs agentes ad quem finem sint peruenturi.

Matth. quinto, monstrat Christus discipulis suis uestigia prophetarum. At quanto maiorem cõsolationem habet sequi uestigia Christi.

Qui enim uoluerit animam suam seruare, perdet eam. Rursus, qui perdiderit animam suam mea causa inueniet eam.

Subijcit argumenta, quibus persuadeat ad salutem nostram necessarium esse, ut abnegatis nobis ipsis crucem suam quisq; tollat seq; sequatur. Ad salutem enim nostram pertinet animarum nostrarum conseruatio, quemadmodum ad summã nostram pertinet & omnimodam pernitiem, animarũ nostrarum perditio. Quis enim poterit saluus esse, si animam suam perdiderit? Rursus quis poterit nõ saluus esse, si animam suam perpetuò conseruauerit? Quid ergo dicit? Qui enim uoluerit, inquit, animam suam seruare, perdet eam. Rursus: Qui perdiderit animam suam mea causa, inueniet eam. Sciebat adhuc discipulis peruersum inesse uitæ huius amorem, quo fieri solet, ut fugiatur crux à Deo imposita, atq; diuinæ resistatur uoluntati ad æternã condemnationem, & anima dum seruatur, perdatur.

Est autem ista sententia planè παράδοξος, iudicio rationis. Illa non potest agnoscere, quomodo uita perdatur dum seruatur: et quomodo seruetur dum perditur. Proinde necesse est, ut accedat fides & cognitio iudiciorum Dei, transferaturq; hæc causa ex præsenti seculo in futurum, in quo ut infra audiemus, restauratio erit omnium, & recognitio per finale & extremũ Dei iudicium, habebiturq; ratio eorum qui in hoc seculo diuinæ uoluntati studuerunt, proq; illa uitã impenderunt.

Simile. Finge regem aliquẽ potentem bella gerere cum aduersarijs planè periculosa & lætalia, ita ut militibus illius sit impendenda pro regni uendicatione ipsa etiam uita: deinde finge regem hunc hoc posse & facturum etiam, ut victoria potitus, & regnum uniuersum adeptus, gratiam rependat militibus suis, occisisq; uitam amissam reddat, & honore cumulet regni, illos uerò, qui amore perituræ uitæ bellum detrectarunt contra hostes, uita spoliet & occidat, tanquàm degeneres & inobedientes. Quòd si hic rex militibus suis in ipso belli procinctu dicat: Qui uult miles meus esse, abneget semetipsum, tollat arma sua, & sequatur me. Qui enim uult uitã suam seruare, perdet eam. Nam hanc ei tollam adeptus uictoriam: & qui perdiderit eam propter me, inueniet eam. Nam illi uitam amissam cum gloria restituam. Hunc regis sermonem nemo nõ intelligit, si regis potentiam & futurum iudicium agnoscat. Ita planè habet hic quod Christus dicit, &c.

OBSER.

1 Videmus hic quæ sit recta ratio conseruandæ uitæ nostræ: quæ sit uera scientia seruandi, quod charum habemus, & quando uerè amittamus uitam, quando non. Quæ sanè scientia non minus necessaria est, etiam in hoc seculo rebusq; terrenis, quàm aliquid quod non habeas acquirere posse. Vnde illud est: Non minor est uirtus quàm quærere parta tueri. Vera sapientia hoc habet, ut quod seruatum cupis ad tempus perdas, eiq; committas, qui possit integrum restituere. Agricola hoc facit, ubi semen bonæ telluri concredit. Hic certè etiam si uideatur semen perdere, tamẽ reuera seruat, imò postea cum fœnore recipit. Hanc fidem terræ habet agricola, & nos de Deo dubitamus?

Proinde omnium sunt stultissimi qui bona sua, & uitam ita seruare uolunt, ut Deo denegent, etsi impendere quid ad gloriam Dei debeant, prorsus detrectent. Quare? Ne amittant quod diligunt. Illi ignorant uerã scientiam seruandorum bonorum ac uitæ. Ideò in æternum amittent, quod præposterè seruant. Sie thunt grad uuie die unuerstandne Kind. Vide suprà cap. 10. Et hoc non solum quod ad uitam cõseruandam uel perdendam, aut reliqua bona attinet usuuenire uidemus, sed etiã in conseruandis ciuitatibus & regnis. Sacerdotes & Pharisæi, Scribæ & seniores Ierosolymitani consultabant de conseruando loco & gente ipsorum, & ut putabãt consultabant prudenter. Quomodo? Putabant salutem ciuitatis ac gentis pendêre à benevolentia Romanorum, & perditionem ab illorũ indignatione. Si dimittimus eum sic, aiebant, uenient Romani, & tollent nostrum locum & gentem. Bene ergo seruarunt urbem & gentem, id quod exitus probauit. Si uoluissent urbem ac gentẽ reuera seruare, nõ erat spernenda uisitatio regni Christi. Sed quia præposterè amarũt regnum mũdi magis q̃ regnũ dei, factũ est, ut quod præposterè amarũt, præposterè quoq; seruare conati sint, atq; hoc ipso perdiderint. Hoc usuueniet hodie multis principibus & episcopis.

Qui uolet seruare.] Notanter non dicit: Qui seruat, sed qui uolet. Nemo enim mortalium est, qui uitam 2
suam seruare queat, quam nolit uelit ipsa breui auferet naturæ necessitas. Quæ est ergo insania uelle seruare, quod nequeas seruare: & ita uelle seruare, ut tandem in æternum amittas? Hoc non solum de uita, sed & de reliquis bonis omnibus intelligendum est.

Mea causa.] Non simpliciter uerũ est, quod qui 3
uitam amittit, sit illam recepturus, sed qui Christi gratia. Vide suprà cap. 10. Et quid sit Christi gratia aliquid pati uel facere, uide suprà cap. 10.

Quid prodest homini, si totum mundum lucratus fuerit, animæ uerò suæ iacturam fecerit? Aut quid dabit homo, cuius permutatione redimat animã suam?

Quoniam de recta ratione conseruandæ uitæ argumentum sumpsit persuadendi. commodè traducit eam cæcitatem mortalium, qua neglecto uitæ æternæ studio, quod omnium debebat esse summum ac primarium, ijs rebus opera locatur ac studetur, quæ longè sunt minoris momenti, atq; ita studetur, ut illarum gratia æterna uita cõtemnatur. Hanc cæcitatem stultitiæ arguit duabus rationibus.

Prima est, quod nullus usus esse potest omnium re- 1
rum, quibus mundus studet, post hanc uitam amissam. Nam hoc argumẽto tanquàm omniũ notissimo ad suum propositum utitur, ut in re manifesta declarat, id quod mundus minus agnoscere sustinet. Quis enim ignorat nullum usum haberi posse rerum præsentium homini mortuo? ut reuera stultissimus fuerit, qui pro terreno aliquo lucro uelit uitam suam impendere. Nam illud, animæ uerò suæ iacturam fecerit. Item: Quid dabit homo, cuius permutatione redimat animam suam? Ita intelligendum esse puto, ut concernat præsentem uitam. Est enim mos scripturæ animam capere pro uita. Atq; ita suprà exponendum ducũt omnes, ubi dixit: Qui uoluerit animam suam seruare, perdet eam. Et in Luca cap. 9. quod hic legitur, animæ uerò suæ iacturam fecerit, habetur: seipsum autem perdiderit, aut iacturam suijpsius fecerit.

Altera ratio est, quod cum uita, uel amissa est, uel 2
amittenda illis rebus, quibus mundus lucrandis incumbit, redimi nõ potest. Huc pertinet quod dicit: Aut quid dabit homo cuius permutatione redimat animam suam? Est & hoc omnium notissimum, quod nemo mortalium, etiamsi uniuersum mundum uelit impendere, uitã suam poterit redimere. Et tamen sunt qui hoc nunquàm expendant. Vide hac de re Psal. 49.

Sed quomodo ista faciũt ad propositũ Christi? Certũ enim est, quod Christus hic non agat de præsenti uita, quam nemo seruare potest, sed de uera et æterna, de qua dixit:

dixit: perdet eam, & inueniet eam. Ita uidelicet: Nemo est, qui non agnoscat rem esse stultissimam, propter res huius uitæ perituras iacturam facere uitæ. Primũ ideò, quod homini mortuo nullus est usus totius etiam mundi: deinde quod nemo queat uitam omniũ etiã mundo pro permutatione dato redimere, quanto magis, omniũ insanissimum est propter res temporarias æternam uitam perdere? Amissa temporaria hac uita, nullus est omniũ bonorum usus. Et quis esse poterit æterna uita amissa? Nullis bonis præsens uita redimi potest, quibus redimetur æterna uitã? Et tamen cum sint, qui propter bona huius uitæ, uitæ faciant iacturam, Plurimi sunt qui propter æterna, seu uitam, seu reliqua bona seruanda, dubitent præsentem uitam cũ reliquis caducis bonis impendere: malentes æternã uitam quàm præsentem: æterna bona quàm præsentia & temporaria amittere. Quid illis proderit, etiamsi mundũ lucrentur, cum animæ suæ iacturam faciant? Aut quam permutationẽ dabunt pro anima sua? Proinde, qui meus uoluerit esse discipulus, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me. Hac uia seruabit animam suam.

NOTANDA.

1 Quid prodest homini.] Taxat Christus eam stultitiam, qua homo negligit ea, quæ sibi possent esse utilia: Ergo tam abest, ut Christianum non sit hoc sectari quod utile est, ut qui hoc non faciunt, stultitiæ arguantur. Damnatur ergo hoc, quod mundus non agnoscit uiam, & rationem sibi ipsi consulendi, licet nihil aliud uideatur sectari, quàm propriam commoditatem & utilitatem: idq; tum potissimum quando seipsum reuera perdit, & & nihil uult perdere uideri.

2 Si totum mundum lucretur.] Omnia terrena simul complectitur, ut eorum stultitiam suggillet, qui modici lucri gratia, uitam suã periculo exponunt, siue præsentem, siue æternam. Quis unquàm mortalium totum mundum lucratus est? Magna quidem inest homini dominandi & lucrandi ambitio, id quod historiæ testãtur: & tamen nemini datum est, ut totius mundi dominatum acquisierit. Et tamen si daretur, quid prodesset homini mortali. De Alexandro Magno, et reliquis mundi potentibus magna & præclara leguntur. Sed quid illis profuerunt etiam quàm latissimè prorogatæ ditiones? Mortui sunt. Nec mortem euadere potuerunt, nec post mortem tanto studio quæsitis uti.

Et pulchrè hic à Christo taxatur insatiabilis illa lucrandi cupido, quæ semper ad ulteriora, ad ea quæ nondum habentur, extenditur, unde quàm plurimis hodie omnis uita impenditur lucrandi studio. Kein grœsser narren seind auff erden.

3 Aut quid dabit homo.] Notanda hic summa Dei æquitas & constantia, in eo, quod nec personas respicit, nec munera accipit. Pauperis apud illũ et diuitis eadem est ratio. In hoc seculo non potest dici: Quid dabit homo pro anima sua? Nam & Pontifex accipit munera pro redemptione animarũ, quod concernit uitam æternam: & iudices ac potentes seculi accipiunt à diuitibus pro temporaria redimenda uita: unde prouerbium natũ est. Es ist ein guts pfand das sein herren leset. Verum apud Deum fixum est. Quid dabit homo pro anima sua? Fixum est autem tam quod ad æternam, quàm ad præsentem uitam pertinet.

Futurum est enim, ut filius hominis ueniat in gloria patris sui, cum angelis suis, et tunc reddat unicuiq; iuxta facta ipsius.

Hæc habent rationem eorum, quæ dixit, nempe: Qui uoluerit animam suam seruare, perdet eam, Et qui perdiderit eã propter me, inueniet eam. Quando? Quando uidelicet filius hominis iudicaturus redibit, & unicuiq; redditurus secundũ quod gesserit. Tunc illis reddet uitam & gloriam, qui hic ipsius gratia mortẽ ac confusionem passi sunt: illis uerò mortem & confusionem æternam, qui in hac uita, seipsos magis quàm regnum dei quæsierunt ac dilexerunt.

Et obserua, quod non simpliciter dicit: Futurum est enim, ut ueniam ad reddendum unicuiq; secundum facta sua. Quod tamen ad præsentem causam, quæ declaranda erat, satisfuisset, sed dicit: Futurum est enim, ut filius hominis ueniat in gloria patris sui, cum angelis suis, & tunc reddat, & c.

Cum hæc diceret, erat adhuc in forma humilitatis, atq; ideò et, ut filius hominis, contemptus. Vnde & quæ dicebat, parum ueri similiter dici uidebantur. Ideò admonet futuri temporis, in quo sit cũ maiestate sua & patris & angelorũ, ut Lucas habet, rediturus ad iudicandum orbẽ, qui iam iã erat iudicandus & reprobandus.

ET TVNC REDDET.

Hic locus in scripturis celebris est, idq; nõ frustra: nam ex eo pendent omnia. Nisi enim hoc esset, inania essent omnia. Proinde diligenter est animis nostris infigendus. Rom. 2.

Et tunc reddet.] Ergo erit retaliatio. Qui peccat, non euadet pœnas. Qui iustus est, recipiet pro sua iustitia. Omnino uita hæc nostra non est in obliuione coram Deo. Sementis quædam est, quam sequetur meßis. 1

Tunc.] Quod si hic non recipis, cogita, non huius esse temporis recipere paria, cum id sit reseruatum futuro iudicio. Admoneat nos hoc patientiæ, ut expectemus illud tempus, quod pater redditioni destinauit. 2

Vnicuiq;.] Hæc est æquitas iusti iudicij. Non erat hic personarum acceptio. Non euadent potentes, non obliuioni erunt pauperes. Quod si boni quicquàm feceris, noli cogitare: putas tui ratio habebitur? Aliorum forsan, sed tui non ita. Vnicuiq; reddetur. 3

Secundum facta ipsius.] Hoc non est anxiè diuexandum. Christus hic loquitur de suis, quorum quidam magis seculum, quàm ipsius gloriam quæsituri erant, et quærunt etiamnum: quidam uerò erant sese abnegaturi crucem portaturi, propter ipsum, etc. Vtriq; parti redditur secundum quod gesserit. Vide in Marco & Luca quid addatur. Vtitur hoc dicto & Paulus Rom. 2. Sed uide in annotationibus super eam Epistolam, quo sensu sit intelligendus Apostolus. 4

Quod si uelis hunc locum anxiè diuexare, posset ex eo concludi, quod nemo mortalium sit saluus futurus. Verum coniungendi sunt & alij loci, qui credentibus promittunt uitam æternam, ut Ioh. 5. Rom. 8. Credentes

saluantur. Non quod nihil deliquerint, sed quod remissionem peccatorum in sanguine Christi adepti sunt.

Qui negauit hic Christum, negabitur uicißim illic à Christo. Qui confessus est, agnoscetur illic uicißim à Christo. Qui diligit hic Christum, & quæ Christi sunt, diligetur uicißim à Christo. Qui non diligit, repudiabitur illic à Christo.

Qui Christum hic in suis pauit, uestiuit, consolatus est, &c. misericordia Christi uicißim potietur in futuro. Qui secus recipiet eandem immisericordiam, qua hic erga Christianos malus Christianus est usus. Reliqua, quæ quotidie etiam ab electis delinquuntur, in iudiciũ nõ uenient. Remittuntur enim per gratiã Christi.

IPSIVS.

5 *Ipsius.*] *Nemo recipiet pro alienis factis. Vnusquisq; pro suis. Vide Rom. 14. quid ibi Apostolus doceat ex eo, quod unusquisq; onus suum portabit: nempe, ut alter alterum non iudicet.*

Amen dico uobis: sunt quidã hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec uiderint filium hominis uenientem in regno suo.

Hæc uerba Christi omnino necesse est ad præmissam adhortationem aliquo pacto facere. Meminit autem maiestatis suæ futuræ, cum qua uenturus est ad iudicandum, reddendumq; unicuiq; secundũ ipsius facta. Atq; hinc est, quod quidam ista exposuerunt de extremo iudicio, intelligentes Iohannem Euangelistam notari à Christo, quod ille non fuerit moriturus usque ad diem iudicij. Verum Ioh. ult. Euangelista ipse ostendit hanc opinionem immortalitatis de se non esse ueram. Vide locum ipsum.

Vide Augu. super Ioan.

Quidam uerò, cum quibus & Chrysostomus facit, non intelligunt de extremo iudicio, et tamen alij aliter.

Mihi uidetur intelligendum esse de maiestate regni Christi, & ingenti uirtute, qua se per orbem à resurrectione circumquaq; exoriturum erat per Euangelij prædicationem, & portenta innumera, signaq; sermonem sequentia & confirmantia: deniq; per extirpationem errorum regni Satanæ, & conuersionem Gentium ad fidem Christi. Vt Christum uidere uenientem in regno suo, nihil aliud sit, quàm quod & Marcus & Lucas habent, uidere regnum dei, id est, gloriam et profectum regni Dei. Marcus habet notanter: Donec uiderint regnum Dei uenisse cum uirtute.

Non dicit: Donec uenerit regnum dei: uel donec uenerit filius hominis, sed donec uiderint uenisse regnum Dei. Venerat iam antea regnum Dei, unde & prædicare iusserat suprà 10. appropinquasse regnum cœlorum, & dicere ad reluctantes: Peruenit ad uos regnum Dei, & cap. 12. ipse dicebat ad Pharisæos: Si ego in spiritu eijcio dæmonia, peruenit in uos regnum Dei. Sed quia tanta claritate nondum illustratum erat, quanta futurum erat, ut post ascensionem in toto orbe illustraretur, recte dicit: Donec uiderint uenisse iam regnum dei. Et huc facit, quod Marcus præterito tempore usus est, dicens: Donec uiderint, quod uenerit regnum Dei. Est itaq; emphasis huius loci non in uerbo ueniendi, sed uidendi. Prædicitur enim à Christo nõ uenturum demum regnum Dei & filium hominis, cum iam adesset & filius hominis, & regnum Dei, sed tantam fore regni Dei & filij hominis claritatem, gloriam ac maiestatem, idq; breui, in uniuerso orbe, ut liquidum sit futurum ijs, qui tum in uita superstites futuri essent uenisse regnum dei.

Quemadmodum si ante annos aliquot spiritu quisquàm prophetico præditus dixisset: Sunt quidam hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec uiderint regnum Antichristi uenisse, de quo Paulus tanta prædixit. Is certè, non fuisset intelligendus de aduentu Antichristi aut regni illius, cum iam illud tum fuerit in mundo, sed de illius reuelatione. Ita Christus hic de tanta reuelatione gloriæ regni dei prædicit hic, ut superstites uisuri sint, certo uenisse regnum dei cum uirtute.

Quod autem dicit: Sunt quidam hic stantes, qui non gustabunt mortem. Non est intelligendum de Ioanne Euangelista tantum, cum & Petrus, & absq; dubio reliqui quidam Apostoli hoc uiderint. Non uiderunt autem omnes, quia Iacobus ab Herode occisus est, antequàm ista gloria regni Christi sese latè exeruisset, id quod forsan & nonnullis alijs contigit, ut Stephano, &c.

Sed quare Christus hoc dicit? Vult eos consolari 1 *tempore humilitatis & crucis, ex eo, quod breui futura erat declaratio uirtutis Dei. Sic & nos erigimur per spiritum sanctum, quoties audimus: Dominus propè est, & non tardat.*

Sunt quidam.] *Ergo non omnibus datur in hac* 2 *uita tam diu consistere, donec illucescat uirtus gloriæ Dei. Habet enim illa suos progressus, definitaq; certi temporis momenta. Sic Ioan. Huß non est datum, quod nobis est datum, et fortè nobis non dabitur uidere, quod uidebunt posteri nostri.* 1 5

Donec uiderint uenisse regnum Dei.] *Hoc fit,* 3 *quando uidemus deuictum regnum Satanæ. Donec ille in pace est, nondum apparet uirtus regni Dei.*

CAPVT XVII.

ET post dies sex, assumit Iesus Petrum ac Iacobum, et Ioannem fratrem eius, & subducit illos in montem excelsum seorsum, transformatusq; est 1 coram illis, & splenduit facies eius sicut sol. Vestimenta autem illius facta sunt candida sicut lumen. Et ecce cõspecti sunt 2 illis Moses & Helias cum illo colloquentes. Respondẽs autem Petrus dixit Iesu: Domine, bonum est nos hic esse, Si uis, faciamus hic tria tabernacula: tibi unum, & Mosi unum, & Heliæ unum. Adhuc 3 eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit illos. Et ecce uox è nube quæ diceret: 4 Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est, ipsum audite.

Et cum hæc audissent discipuli, prociderunt in faciem suam, & territi sunt uehementer

hementer. Et accedens Iesus, tetigit illos, dixitq; Surgite, & ne timeatis. Vbi uerò sustulissent oculos suos, neminem uidebant, nisi Iesum solum.

Tria legimus in hac historia ad gloriam Christi facientia, quæ absq; dubio neq; Christi, neq; Mosis aut Heliæ, sed discipulorum gratia facta sunt: utpote, quod transformatus est Christus, quod apparuerunt Moses et Helias, & quod è nube candida uox patris de filio audita est. Transformationi à Matthæo & Marco adiungitur, quod sit transformatus coram illis, hoc est, tribus istis discipulis, id quod indicat, quorum gratia sit facta ista transformatio. Quid enim opus fuisset commemorare quod coram illis sit transformatus, nisi illorum hoc gratia factum esse uoluissent ostendere Euangelistæ? Ita & apparitioni Mosis & Heliæ adiectum est, quod conspecti sint uel apparuerint illis, loquentes cum Christo. Sic & uox è nube de Christo ad ipsos facta est, et in nube Deus ipsorum gratia apparuit. Vnde in Luca legimus cap. 9. Facta est nubes, & obumbrauit eos. Timuerunt autem intrantibus illis in nubem. Et facta est uox, &c. Quanquàm uel ex hoc satis liquet, quod dictũ est: Ipsum audite. Hanc uocem pertinere non ad Mosen et Heliam sed ad discipulos.

Cum ergo constet ista facta esse propter discipulos, expendendum iam est, quamobrem talia oculis & auribus ipsorum obiecta sint. Dicam quod mihi uidetur. Apostoli nondum intelligebant rationem mortis Christi, illam ita diuinitus esse destinatam, ut transitus esset ad gloriam regni, præterquàm quod futura erat ad nostri redemptionem. Crucis mysterium ignorabant. Deinde & rationem & conditionem regni Christi ignorabant, perpetuò somniantes terrenum quoddam, ac mundanum regnum. Ita fuisse affectos discipulos Christi, cum ex præcedenti capite, tum ex nonnullis alijs locis liquet. Visum est igitur Christo huiusmodi illos spectaculo instruere, & intelligentes reddere, cum per transformationem sui, tum per apparitionem Mosis & Heliæ, illorumq; colloquiũ de ipsius excessu, hoc est, morte, cuius Lucas meminit: deniq; & per uocem paternam, &c. Videamus iam ipsum contextum per ordinem.

Post dies sex.] *Ita habet & Marcus. Lucas uerò dicit: Factum est autem post hæc uerba fere diebus octo. Sex & octo. An discrepant Euangelistæ? Nequaquàm. Matthæus & Marcus ponunt dies intermedios. Lucas etiam extremos utrosq; connumerat. Et nos Germani septimanam octiduum uocamus: item aliquando sextiduum. Es seind sex tag in der uuochen. Ista simpliciorum gratia annotare uolui, qui Euangelistas legunt.*

Assumit Iesus Petrum, Iacobum, & Iohannem.] *Quare non omnes? Etsi non omnes, quare istos potissimum? Vide hac de re suprà capite nono, ubi eosdem ad suscitationem filiæ Archisynagogi induxit.*

Et subduxit illos in montem excelsum seorsum.] *Lucas habet: Et ascendit in montem, ut oraret. Legitur aliquoties Christus orandi gratia secessum petiuisse. Hic uerò, quanquàm Lucas dicat, orandi gratia in montem ascendisse Christum, uidetur tamen magis ex ipsa re gesta, ideo montem hunc conscendisse, ut specimen aliquod obijceret discipulis futuræ gloriæ, ad quam erat transiturus, uiamq; nobis morte sua paraturus, quàm ut oraret. Nihil aũt prohibet utrunq; spectasse Christum.*

OBSERV.

DE ORATIONE CHRISTI.

Non malè dicunt qui omnem Christi actionem, nostram dicunt esse instructionem. Non quod superstitiosè debeamus imitando facere quæcunq; Christus fecit, sed quod in omnibus sit aliquid, cuius admonendi sumus, licet plerunq; aliquid adiunctum sit, quod nobis ad imitandum non sit propositũ. Ita hoc loco est aliquid, quod imitari debemus, est quod omitti potest. Imitari debemus, quod orationi se Christus dedit, omitti potest, quod orandi gratia in montem ascendit. Neq; enim necesse est in montem conscendere, ut oremus, cũ Christus ipse suprà sexto dixerit: Tu quando oras, intra cubiculum tuum, &c. Proinde ista Christi actio, quatenus orauit, erit nostra instructio, nõ quatenus in montem ascendit. Videamus ergo quorũ nos admoneat ista Christi oratio

Vt exempli gratia in ieunio illius quadrigenario uide.

Primo, quid necesse fuerit Christo, ut orationi sese daret, cum esset ipse omnium Dominus, suaq; ipsius potestate, quam æquam habet cum patre, omnia posset? Qui ipse quod uult efficere potest, ut quid orat etiam. 1

Primum sciendum, Christum cum hic in carne esset, formamq; serui gestaret, non semper diuinitatis uoluisse, nec debuisse de se præstare specimen & argumenta, sed simul et potissimum ueræ humanitatis ostendere indicia, seseq; nostræ conditioni per omnia, dempto peccato, accommodare: & non solum nos morte sua redimere, sed & exemplis ueræ pietatis instruere. Orauit itaq; ad Deum patrem, ut uerus homo, secundum quem erat patre minor, & humilitatis formam, in quam se nostri gratia demiserat, ut decebat, seruauit, nobisq; in illa præiuit. 1

Sine modo. Sic decet nos omnem adimplere iustitiã.

Deinde, quoniam oratio non solum hoc habet, ut quæ desideramus, per fidem à Deo postulemus, sed & opus est ueræ dilectionis erga Deum. Nequit enim animus Deum unicè diligens, non in omnibus quæ accidunt colloquium miscere cum Deo. Ita enim habet ingenium amoris. Exemplo sit Daniel cap. 6. Vide suprà capite 6. de oratione. Iam quis maiore erga Deum patrem dilectione præditus unquàm fuit Christo filio Dei unico? Quod si essemus dilectione erga patrem, uera & ut filios decet, reuera feruentiores essemus in oratione. Sed quando eo promouebimus, cum ne tot quidem calamitates ad orandum nos permoueant? 2

Secundo loco expendendum etiam est, pro quibus orauerit. Pro se certè non orauit. Ferebatur desiderio promouendæ gloriæ Dei, pariter & humanæ salutis. Huius gratia elegerat Apostolos. Illis cupiebat notam esse rationem crucis & gloriæ regni Dei. Quis ergo dubitabit, id orasse, quorum gratia discipulos istos in montem subduxerat, de quibus suprà memini?

Docemur ergo hoc Christi exemplo, ut et nos eodem simus animo erga gloriã regni Christi, et erga eos, quibus illa nondum innotuit. Ita orabat Paulus, ut patet in

ipsius

ipsius Epistolis. Ita et Christus nos orare docuit: Sanctificetur nomen tuum: adueniat regnum tuum, &c.

Transformatusq; est coram illis, & splenduit facies eius sicut sol. Vestimenta autem illius facta sunt candida sicut lumen.] Amplitudinem & maiestatem huius historiæ neminem puto mortalium concipere animo, nedum lingua exprimere posse. Videtur Christus hoc uno spectaculo discipulis regni sui, non solum gloriam, sed & mysteria ob oculos exponere uoluisse. Vnde & apostolus Petrus, qui ex his tribus discipulis unus fuit, cum uellet Christianæ doctrinæ soliditatem ac certitudinem proponere uisionem istam, et auditum diuinæ uocis adduxit. 2. Petri 1. Nos simpliciter pro nostra mensura annotabimus, quæ ad ædificationẽ facere putauerimus.

Quod ante discipulos suos Christus transformatus est, indicium fuit eum statum, in quo tum erat, esse dispensatorium & nõ æternum, sed mutabilem. Non quod corporis illius substantia transmutationi fuerit obnoxia: utpote ex humanæ carnis ueritate in ueritatem ac substantiam spiritus, absit, sed quod manente uero homine transformatio conditionis, humanæq; fragilitatis & humilitatis futura esset.

Et splenduit facies eius.] Quod autem transformatus est ex humilitatis forma in formam illam cœlestem ac diuinam, per gloriam lucis ac splendoris in facie ac uestibus expressam. Admonebat regnum Christi cœleste esse ac plane diuinum, transformandumq; Christum in formã & gloriam cœlestem ac diuinam, adeoq; in illo nihil terrenum, nihil humile expectandum, sed omnia esse cœlestia ac diuina. Gloriam regni cœlorum ac maiestatem eius uitæ, quæ in cœlestibus est, toties legimus in angelorum apparitionibus representatam per claritatem ac splendorem lucis, quæ plane symbolum habet futuræ uitæ, illiusq; maiestatis ac gloriæ, quam habent, quotquot eius participes sunt. Regno Satanæ dantur tenebræ, et condemnationi impiorum quoq; exteriores à Christo assignantur tenebræ, propter horrorem quem patientur. Ita regno dei adscribitur immensa lux & ineffabilis splendor, propter gloriam ac iucunditatem, quam habebunt electi. Iusti inquit Christus, fulgebunt sicut sol in regno patris mei. Suprà capite 13.

Cum ergo Christus discipulis suis gloriam ac maiestatem regni sui in splendore ac claritate lucis spectandam proponere uoluerit, operæpreciũ puto illam paucis declarare: propterea quod et nos oporteat illius esse participes. Est enim regnum Christi in nobis. Necesse est ergo, ut & maiestas ac gloria illius in nobis illucescat. Ista enim Christi transformatio typus est eius, quæ non solum ipsi, sed & omnibus ipsius membris & electis Dei futura erat.

Est autem regni Christi claritas bifariam considerãda. Primum, ut habeat in hac præsenti uita. Deinde ut in futura. Vtrobiq; gloria regni Christi in electis est, in membris eius est, in splendore ac luce est.

1 Lux regni Christi ac splendor gloriæ eius in hac uita est in animis credentium illuminatis per cognitionem Christi. Hic facta est transformatio, qua ex tenebris ignorantiæ ac regni Satanæ in lucem cognitionis diuinæ per spiritum ac uirtutem Dei transformati sumus. Vt enim duplices sunt tenebræ regni Satanæ, ita & hic duplex lux est regni Christi. Et ut in regno Satanæ primæ tenebræ sunt excæcatarũ mentiũ, ita hic in regno Christi prima lux est & claritas, illuminatio mentiũ. Hac de re uide Eph. 4. de tenebris uidelicet regni Satanæ: item Colos. 1. Qui eripuit nos de potestate tenebrarũ, &c. Et de luce regni Christi uide Ephe. 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino, &c. Et pulcherrimus locus ille 2. Cor. 3. 4. hanc regni Christi claritatem fuse tractat. Item 1. Petri 2. Sic Christus lux mundi dicitur.

Claritas uerò regni Christi, quam habebimus in futura uita, est gloria illa immortalitatis & transformatio corporum nostrorum, quam accipiemus in resurrectione iustorum. De hac gloria & uirtute regni Christi uide Apostolum Phil. 3. Qui transformabit inquit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori glorioso suo, &c. Et 1. Cor. 15. pluribus agit Apostolus de ista claritate corporum nostrorum. Vt itaq; impij in regno Satanæ iam excæcati per tenebras mentis, in futuro iudicio tradentur in tenebras exteriores, ita electi assumentur in gloriam illam lucis & claritatis cœlestis. 2

Admoneat ergo primæ lucis in regno Christi gloria, ut consideremus ex uita nostra, quousq; illuxerit cordibus nostris lux regni Christi. Christus enim lux est. quod si adhuc in tenebris ambulamus, certè ut luce illius, ita & gloria & communicatione illius caremus.

Futura illa claritas corporum nostrorum confirmet nos in patientia et spe, in rebus tristibus. Vide 2. Cor. 4. & 5, Et 1. Cor. 15. sic concludit: Itaq; fratres mei stabiles estote, &c. Omnino transformationis huius conditio sapientissime est à Deo instituta, ut ex ignobilitate, humilitate, miseria, corruptione, mortalitate, obscuritate ad cœlestem nobilitatem, sublimitatem, gloriam, felicitatem, incorruptionem, immortalitatem & splendorem, ex temporarijs ad æterna, ex terrenis ad cœlestia, ex imperfectis ad perfectissima, ex humanis ad diuina transformemur. Quis unquàm ista satis expendit? Proinde non solum patienter ferenda est imago terreni hominis, & forma humilitatis, passionumq; miseria, sed & summopere laudanda Dei in nos beneuolentia, quæ res nostras ita prudenter instituit, ut priores passiones sint mutabilis ac breuis huius uitæ: & posteriores gloriæ, in quas transformandi sumus, sint futuræ et sempiternæ.

In Luca legimus ad hunc modum: Et facta est dum oraret, species uultus eius alia, &c. Notandum ergo est quod ista transformatio Christi inter orandum cõtigit. Nam inde admonemur quæ sit orationis uirtus. Ea uidelicet, quod nos in communicationem & consortium Dei quodammodo transformat. Hinc illæ ecstases & mentis raptus, de quibus legimus, inter orandum plerunq; contingunt sanctis. Quo enim aliàs hominis mens terrenis rebus, & à se quoq; ipsa inter orandum abstracta raperetur, quàm in consortium eius quem adorat? Sic Petro contigit Actor. 10. Et Dan. 9. oranti Danieli apparet angelus instruens illum de rebus futuris. 1 Luc. 3

Ita & Cornelio oranti facta est uisio angeli, &c. Actor. 10. Et Paulo cum oraret, fit uisio Ananiæ imponentis

mentis manum, &c. Actor. 9. Colligimus ergo hinc eos quàm alieniſsimos eſſe à conſortio dei & cœleſtium ſpirituum, qui ad orandum nullo ducuntur feruore. Et ut à conſortio dei alieni ſunt, ita certè & in uita quoq; declarant, quàm nullo teneantur pietatis ſtudio et affectu.

Et ecce conſpecti ſunt illis Moſes & Helias, cum illo colloquentes.] Et hoc abſq; dubio ad declarationem regni Chriſti faciebat. Sed quæri poteſt, cur non magis angeli apparuerint illis cum Chriſto colloquentes? An non hoc fuiſſet potioris gloriæ, quàm quod homines, etiamſi ſancti, tamen homines, cum illo colloquuntur? Magis faciebat ad declarandam regni Chriſti ueritatem, apparitio & colloquium Moſis & Heliæ, quàm angelorum. Nam in Moſe lex, in Helia prophetæ repræſentantur, innuebaturq; tum Chriſtum eſſe finem legis ac prophetarum, & quæ Chriſto euentura erant, eſſe prædicta iam antea per legem & prophetas. Eſt itaq; colloquium Moſis et Heliæ cum Chriſto conſenſus legis & prophetarum cum Chriſto. Vide Luc. 24. Viſio iſta conformis eſt ſcripturæ, ideò amplexanda: unde Apoſtolus dicit: Si angelus de cœlo, &c. Vide Galat. 1. Et Aug. hunc Pauli locum uſurpans, dicit: præterquàm quod in ſcriptis legalibus, aut prophetarum accepimus. lib. 3. contra literas Petil. cap. 6. Aug.

Lucas addit etiam, qua de re cum Chriſto colloquuti ſint Moſes & Helias: uidelicet, de exceſſu illius, quem completurus erat Hieroſolymis. Hoc eſt, de cruce ac reſurrectione illius. Iſtud colloquium eò pertinebat, ut intelligeretur ita diuinitus inſtitutum, ut Hieroſolymis pateretur, occideretur, ac reſurgeret Chriſtus, idq; à lege & prophetis prædictum. Offendebantur enim diſcipuli, cum iſta audiebant à Chriſto. Proinde neceſſarium erat, ut probè inſtruerentur, unde et Chriſtus Lucæ ult. poſt reſurrectionem illis legem ac prophetas exponit, docens ita oportuiſſe pati Chriſtum, &c: Lucas.

NOTANDA OBITER EX LVCA,

Exceſſum illius.] Mortem Chriſti uocat exceſſum, uel egreſſum, aut exitum: uidelicet ex hoc mundo. Sic Ioh. 13. uocatur tranſitus ex hoc mundo ad patrem. Hoc uidelicet et nobis eſt mors. Egreſſus ex mundo, et tranſitus ad patrem. Optabilis ergo eſt, non horribilis.

Quem erat completurus.] Quid ſibi uult uerbum complendi? uidelicet ad prophetias & ueritatem Dei pertinet, ut quod Deus promiſit, deſtinauit, prædixitq; per prophetas de iſto exceſſu filij adimpleretur. Vtitur ergo Euangeliſta uerbo complendi in loco.

Et alioqui pulchrè dicitur adimpleri exitus noſter ex hoc mundo per mortem. Nam etiamſi animo mundum relinquamus, & ex mundo egrediamur, iſte tamen exitus non eſt abſolutus, niſi prorſus emoriamur. Vbi per mortem hunc mundum egreſſi fuerimus, nihil amplius in mundo habebimus, nec mundus in nobis.

Reſpondens autem Petrus dixit Ieſu: Domine bonum eſt, &c.] Lucas etiam iſta plenius. Petrus autem, inquit, & qui cum illo erant, grauati erant ſomno. Experrecti autem uiderunt maieſtatem eius, & duos uiros qui ſtabant cum illo. Lucas.

Et factum eſt cum diſcederent ab illo, ait Petrus ad Ieſum: Præceptor, bonum eſt nos hic eſſe, faciamus tria tabernacula: unum tibi, & unum Moſi, & unum Heliæ, neſciens quid diceret. Marcus addit: Erant enim expauefacti. Iſta non fruſtra ſunt ab Euangeliſtis annotata. Videmus enim in iſto apoſtolo, quàm ineptus ſit animalis homo in rebus diuinis. Quid enim apoſtoli in tam excellenti gloria Chriſti faciunt, quod alicuius ſit momenti? Stupefiunt, & agnoſcunt Moſen & Heliam cũ Chriſto colloquentes. Quid præterea, quod non uanum ſit, uel certè ignauum? An non ignauum planè erat, orante Chriſto, dormire, imò ut Græcus habet, altum dormire? An non uanum erat, quod cupiebat Petrus illic manere, & habitare Chriſtum, et quod tabernacula ſomniabat: deinde ſeparata, Chriſto, Moſi & Heliæ cuiq; unum? Marcus.

Grauati erant ſomno.] Ecce hi tres erant inter Apoſtolos præcipui. Dormiunt orante Chriſto, id quod & in horto, ubi capiendus erat Chriſtus, fecerunt. Hæc eſt ipſorum infirmitas, & tamen à Chriſto non abijciuntur, ſed paulatim finguntur & tolerantur, donec perfectiores euadant. Diſcamus hoc exemplo tolerare infirmos, & non ſtatim abijcere, ſi quos in regno Dei uiderimus parum dexteros. 1

Experrecti autem uiderunt maieſtatem Chriſti, & duos uiros cum illo.] Hic eſt typus reſurrectionis. Nam ita & nos à ſomno corporis experrecti omnium primo uidebimus maieſtatem Chriſti, cumq; illo non iam Moſen & Heliam, ſed uniuerſam uirtutem cœlorum, quo ſpectaculo quid poteſt expectari iucundius? 2

Domine, bonum eſt nos hic eſſe.] Chryſoſtomus dicit Petrum hic idem dicere, licet alijs uerbis, quod ſuprà conatus Chriſtum à crucis ignominia auocare. Q. d. Hic melius eſt eſſe, quàm ire Hieroſolymam, ad Scribas & Phariſæos ac Sacerdotes, melius eſt hic eſſe in gloria cum Moſe & Helia, quam Hieroſolymis cum ignominia occidi. Conſentit & Origenes. Et certè credibile eſt adhuc eſſe horrorẽ iſtum crucis Chriſti in animo Petri, atq; ex illo hæc uerba manare. 3

Quid ergo hic aliud uidemus, quàm quod in nobis omnibus experimur? Nempe ingenium carnis eſſe, ut crucem fugiat, & priores cupiat glorias, uiam uerò ad gloriam horreat, uel certè non agnoſcat. Errat itaq; Petrus. Non erat bonum ibi eſſe, ſed bonum erat ire Hieroſolymas, et ibi pro ſalute humani generis occidi, patriq; obedientem fieri uſq; ad mortem, mortem inquam, crucis. Atq; ita ad gloriam tranſire cœleſtis regni, non ſolum Chriſtum, ſed ſimul omnes ab illo redemptos. Hæc quia Petrus nondum intelligebat, fugiebat, & quod nec nobis, nec ſibi profuiſſet, ne ad gloriam Chriſti feciſſet, affectabat.

Faciamus hic tria taberna.] Ecce ingenium præpoſteræ deuotionis. Videt maieſtatem Chriſti, & eorum qui cum illo loquebantur Moſis & Heliæ, & tamen uult illis lignea tabernacula figere. Forte ne frigore ac imbribus torpeant, uel ne à beſtijs lædantur. Quid poterit ſtultius excogitari? Sed quid aliud faciunt, qui Chriſto glorificato, inq; cœleſtibus regnanti etiamnum tabernacula ponunt manufacta, cum eius ſit conditionis iam, ut non intret in manufacta. Ebr. 9. 4

At quid omnino putabat bonum esse in hoc monte agere, ideò consequenter cupiebat in illo consistere & habitare, & ad habitandum tabernacula facere. Ita & nos comparati sumus. Sicubi dicimus: Bonum est nos hic esse. Ibi mox sedem figere cupimus, & ædificare non tabernacula, sed amplissimas ædes. Proinde quibus hic mundus placet, illi ut animo dicunt, bonum est hic esse, ita & mundo sese oblectant, sedemq; in mundo figunt, de transmigratione futura parum solliciti. Qui uerò dicunt: Nõ est bonum nos hic esse, sed expectamus meliorem habitationem in cœlis. Illi non terrenis, sed cœlestibus tabernaculis inhiant.

Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit illos. Et ecce uox è nube quæ diceret: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitũ est, ipsum audite.

3 Hoc tertium est ostentum, quo erant instruendi & confirmandi discipuli. Habet autem duo, quibus animos discipulorum de gratia & uoluntate dei in Christo certos faciat, et in fide ac cognitione Christi confirmet. Vnum est, lucida nubes, qua discipuli obumbrantur. Alterum est uox è nube, dicens: Hic est filius meus, &c. Sed uideamus singula.

Adhuc eo loquente.] In Luca legimus: Petrum quæ præmissa sunt tum loquutum, cum uideret Mosen & Heliam discedere, quasi cuperet illos in monte cum Christo manere. Hoc uotũ Petri corrigitur statim uoce hac paterna, cum adhuc loqueretur. Q. d. Quid cupis Mosen & Heliam retinere, quasi non sit satis hic filius meus? Habuerunt illi quisq; suam dispensationem, suum cursum ac ministerium, suamq; rationem mihi seruiendi. Iam adest illis potior, in quo uno salus est omnium. Hic scilicet filius meus, in quo mihi bene complacitum est, hunc audite. Gerit itaq; Petrus exemplũ hic eorum, qui non contenti doctrina Christi, ueritatem quærunt ex reuelationibus mortuorum, & iuxta Christum alios sectantur magistros: Benedictum, Franciscum, Dominicum, Bernhardum, &c.

Ecce nubes lucida.] Ista nubes typum habebat diuinæ præsentiæ & gratiæ, oculis discipulorum obiectum. Nam ita consueuit Deus præsentiam suam ostendere in populo suo, sub Mose, Aarone, &c. in tabernaculo potissimum: item et in egressu Israëlis ex Aegypto. Et hinc est quod Dauid Deo adscribit, quod nubem ponat currum suum. Et Christus in nube cœlos ascendit: & rursus in nube ueniet, & nos rapiemur in nubibus obuiam Christo in aëra.

Fuit autem hæc nubes lucida, iucunda scilicet & amœna: utpote signũ placati non irati Dei. Irato Deo dat Dauid tenebrosam nubẽ, ut uidere est in tempestatibus.

Hæc nubes obumbrauit discipulos. Hoc factum est, ad mitigandũ nimium illum transfigurati Christi splendorem, quomodo discipuli ferre non ualebant: & præterea ad declarandam beneficentiam dei, quod ipse illos compleretur, tueriq; uellet. Nam ista obumbratio Dei symbolum habet diuinæ protectionis & acceptationis, ut uidere est Psal. 90. et aliis locis. Et beatæ Virgini dicebat angelus: Virtus altissimi obumbrabit tibi, id quod nihil erat aliud, quàm complexabitur te, acceptabit te, tuebitur te, operabitur in te. Luc. 1. Innuebat ergo iam tum ista obumbratio patris, qua tres discipuli obumbrabantur, quod eos, qui Christo adhærent, pater uelit charos habere, cõplecti ac tueri, inq; suum acceptare consortium, ut est in 2. epistola Petri cap. 1. Et 1. Ioh. 1. Ista obumbratio Christianis melior est ac certior protectio, quàm palliũ illud beatæ Virginis, quo se cultores illius tutos fore putant.

Et ecce uox è nube quæ diceret.] Ne mutum sit spectaculum hoc nubis, adijcitur uerbum Dei. Ita & suprà cap. 3. non contentus pater cœlum aperuisse, inq; columbæ specie spiritum sanctum demisisse suprà Christum, & uerbum suum adiecit, quo quid ista significarent, exponeret. Non enim uult, ut nostro iudicio de huiusmodi ostentis sapiamus ac loquamur, sed ut ex ipsius uerbo simus omniũ certissimi. Proinde attendendum nobis est, quid adiectum uerbum Dei nobis proponat, non quid ratio nostra dictet. Et hoc etiam in Sacramentis ecclesiæ baptismate et cæna domini faciendũ est.

1. Hic est filius meus dilectus.
2. In quo mihi bene complacitum est.
3. Ipsum audite.

Hoc est illud oraculum diuinum, cœlitus ad nos mortales uoce paterna delatum, idq; non semel tantum, sed iam secundo (Nam suprà cap. 3. idem habemus) in quo breuiter ac dilucide docemur, quid de Christo sentire debeamus. Habet autem tria, quibus Christo suus à patre datur honor, quemadmodum admonet apostolus Petrus in secunda epistola cap. 1. ubi historiæ huius meminit. Primum est, quod sit filius Dei dilectus. Hac de re suprà cap. præcedenti diximus in confessione Petri. Alterum, quod sit mediator inter Deum & homines, per quem placatus sit pater, in quo bene uelit pater mortalibus. Ita intelligendum est quod dicit: in quo mihi bene complacitum est. Non enim hoc tantum dicit, quod filius ipsi sit charus, cum hoc dixerit iam, uocans illum filium charissimum: nec hoc tantum, quod filius ipsi perplaceat. non enim opus erat hoc dicere, posteaquàm charissimum uocauerat. Quomodo enim charissimus non placeret? Sed hoc magis dicit, primum quod factus sit iam beneuolus, uidelicet erga homines placatus, id quod & angeli cecinerunt in Luca: Et hominibus bona uoluntas. Est enim eadem dictio utrobiq; in Græco. Deinde quod huius beneuolentiæ proximus sit filius hic dilectus, idq; duplici nomine: primum quod per ipsum sit placatus: deinde, quod beneuolentiã hanc suam mundo per filium uicissim uelit offerre, ut ita sit utriusq; partis plenus ac perfectus mediator.

Tertium est, quod sit ab ipso constitutus præceptor, doctor ac magister omnium, quem omnes audire debeant unum. Hoc est quod dicit: Ipsum audite. Emphasis est in pronomine demonstratiuo. Q. d. Nolo ut à quoquàm pendeatis, siue is Moses sit, siue Helias. Hunc uolo ut audiatis. Hic est unus omnium præceptor ac magister. Si quis me uolet audire, hunc audiat: si quis mihi uolet obedire, isti obediat. Ergo breui isti oraculo Christus paterna uoce declaratus est filius dei dilectus, adeòque & dominus omnium, mediator omnium, doctor ac magister

magister omnium unicus. Nam quæ hic Christo dantur, talia sunt, quæ ut præcipua uni ipsi conueniant. Quod unus omnium sit dominus ac mediator, uidere est 1. Timoth. 2. Quod unicus sit omnium magister, testatur Christus ipse infrà capite 23. dicens: Magister uester unus est Christus.

OBSERVAT.

Doctrinæ nostræ & admonitionis gratia, quærendum est hic, quid necesse fuerit Apostolos istos audire hanc uocem dei ex nube, cum iam antea crederent hunc Iesum esse filium Dei, patriq; charum? Qui in potius fuisset prolata Hierosolymis in auribus sacerdotum, & Scribarum ac Pharisæorum, qui id non credebant? Non temerè hoc quærimus. Dicam quod mihi uidetur.

Arbitror duas esse causas, ob quas necesse fuerit discipulos cœlitus audire hanc uocem. Vna est, ut in hac fide Christi, quam iam ex reuelatione patris habebant, & confessi erant, confirmarentur etiam uoce paterna, ad aures ipsas delata. Erant enim futuri præcipui testes Christi: deinde erant præcipui inter apostolos, quorum erat post resurrectionem Christi, ut ad Petrum à Christo dictum est, cõfirmare reliquos fratres, atq; ideò opus habebant, ut in hac fide Christi redderentur firmiores. Ita enim comparati sumus, ut licet intus per reuelationem cœlestis gratiæ doceamur, quæ sit ueritas Christi, nihilominus plurimum adferat roboris, si etiam auribus nostris accesserit uox uerbi dei, idem adferens, quod intus traditum est per reuelationem spiritus sancti. Oportebat apostolos in hac fide Christi esse quàm certissimos. Atq; hoc est quod apostolus Petrus 2. Petri 1. scribit, hunc locũ exponens. Vide ipsa uerba Apostoli, quæ satis clara sunt. Et in ista confirmatione non hoc solum erat inculcandum, quod hic Iesus sit filius Dei, sed & quod sit dilectus patri filius, & talis, in quo pacatus sit pater erga genus humanum. Futurum enim erat fortissimum crucis scandalum, de quo est Esa. 53. Et de quo Christus ipse dixit: Beatus qui non fuerit scandalizatus in me. Altera est causa, quod Apostoli licet crederent Christum hunc esse filium dei, illi non tamen per omnia perfectè obediebant, id quod in hac crucis & mortis ipsius causa uisum est. Ideò cœlitus admonentur uoce paterna, ut quemadmodum credunt eum esse filium Dei, ita illum quoq; in omnibus audiant, nec uelint contra ipsius uerba quicquàm ex humanæ rationis iudicio sapere, sed sese illi per omnia submittere. Nemo credat istam uocem patris frustra in aures discipulorum istorum delatam esse cœlitus, idq; iam secundo. Eos qui perfectè faciunt quod iustum est, nihil fuerit opus admonere. Qui admonentur, ob id admonentur, ut uel faciant, quod non faciunt: uel quod faciunt perfectius ac plenius faciant. Si ergo apostoli erant huius admonendi, quid aliud hodie admonẽdi sumus omnes, quàm ut Christum filium Dei, tanquàm unicum nostrum præceptorem in omnibus audiamus, maximè qui in causa religionis quosuis audiunt, antequàm Christum audiant: & Christum non audiunt, nisi quantum eorum quos sectantur autoritate ad hoc permouentur? Dicant omnes Pontificij, de quo theologo, Patre, monacho, Pontifice, unquàm cœlitus audita sit hæc uox dei: hunc audite, ut iam secundo de Christo audita est? Quæ est ista Christianorum temeritas, ut hunc titulum auferant Christo, & his tribuant, quos oportebat esse auditores Christi, nõ præceptores Christianorum? Oues meæ inquit Christus, uocem meam audient, & me sequentur, &c. Fatemur omnes Christum esse filium Dei, esse Dominum nostrum, & saluatorem, esse sponsum Ecclesiæ: uerum ubi audiendus est Christus solus, ibi nõ omnes hanc gloriã Christo dant, ut audiatur solus, proq; unico præceptore habeatur. Obijciunt illud: Qui uos audit, me audit. Quod ad Apostolos, Euangelij regni Dei ministros & præcones dictum est. Ostendant primum se esse ministros Christi: deinde adferant Euangelium Christi, & tum sciant hoc in se quadrare, quod dictum est: Qui uos audit, me audit. Sinant nos audire uocem Christi, & tum demum in eis rectè Christum audiemus. Ioh. 10.

Expendendum est & hoc diligenter, quod dicit: In quo mihi bene complacitũ est, ut agnoscamus Christum unicum nostrũ mediatorem, discamusq; hoc uni deberi Christo, quod pleriq; quærunt apud sanctos. Pater placatus est in filio. In filio reconciliauit sibi ipsi mundum: Ergo qui in Christo sunt, qui Christo credunt, iam habent pacatum patrem. & simul apud patrem Christum filiũ eius mediatorẽ ac reconciliatorem, ut non habeant opus alijs intercessoribus, qui illis placent iratũ Deum. 3

Et cum hæc audissent discipuli, prociderunt in faciem suam, & territi sunt uehementer.] Terribilis est carni uox Dei. Quomodo enim non terribile est homini mortali ac terreno uocem audire è cœlis immortalis & omnipotentis dei, immensa maiestate refertam? Et hoc est, quod Israëlitæ dicebant ad Mosen: Si audierimus ultra uocem domini Dei nostri, moriemur. Quis est omnis caro, ut audiat uocem dei uiuentis, qui de medio ignis loquitur, sicut nos audiuimus, & possit uiuere. Tu magis accede, & audi cuncta, quæ dixerit Dominus Deus noster tibi, loquerisq; ad nos, & nos audientes faciemus ea. Quod cum audisset Dominus ait ad me: Audiui uocem uerborũ populi huius, quæ loquuti sunt tibi. Bene omnia sunt loquuti, &c. Hac ratione condescendit nobis diuina maiestas, ut loquatur nobiscum per ministerium hominum mortalium. Sic legimus Ebr. 1. Multiariam multisq; modis loquutus est olim Deus patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis loquutus est nobis in filio. Et ipse filius posteaquàm ad cœlos ascendit, loquutus est mundo per apostolos, & hodie illi loquitur per ministros suos. Sed quid hic fit? Ea est mortalium peruersitas, ut quod infirmitatis & utilitatis nostræ gratia diuinitus institutum est, ut uerbum dei humana uoce prolatum audiamus, rapiatur in argumentum contemptus, ut tantam autoritatem non habeat uerbum Dei, quantam haberet, si iam Christus ipse nobis loqueretur. Et absq; dubio discipulis ipsa Christi uerba tũ tanti non fuerunt, quanti erat hæc uox patris è nube audita. Imminuebat nonnihil autoritatem uerborum Christi, carnis et humilitatis forma. Ideò opus erat, ut hanc uocem patris audirent, qua admonerentur, ut si deum audire uellent, audirent Christum filium dei. Ista peruer- Deut. 5.

sitas hodie latè regnat. Paucissimi sunt qui cum Thessa-
2. Thess. 2. lonicensibus Euangelium Christi audiant, non ut uerbum hominum, sed ut uerbum auditus Dei, quibus & ipsis necesse esset audire ad hunc modum uocem cœlestem, qua admonerentur, ut audirent eos, quorum ministerio uerbum Dei mortalibus proponitur.

Et accedens Iesus tetigit illos, dixitq; Surgite, ne timeatis.] Hoc facto exprimitur nobis mitissimũ Christi officium, quo perterritos solatur, omnemq; illis metum eximit, prostratos apprehendit & erigit. Ne timeatis, inquit. Quare? Quia uox hæc erat non irati, sed placati ac beneuoli Dei. Q.d. Ne timeatis. Quod audistis, non est dictum ab irato Deo, sed ab omnium beneuolentissimo. Proinde surgite. Nihil hic est periculi. Ita Christus agit interpretem animi paterni, solaturq; mentes mortalium perterritas. Exemplũ hoc probè notandum est. Ipse Christus duxerat discipulos istos in hunc montem, adeoq; in hunc terrorem ex uoce patris conceptum. Duxerat, quia illis necessarium fuerat. Proinde iterum eos consolatur. Hoc facit & hodie cum suis. Ducit in uarios terrores, quia id opus habet nostra negligentia. Et tamen perterritos iterũ spiritu & uerbo suo consolatur, prostratosq; erigit, bonoq; animo esse iubet.

Hoc et Marcus et Lucas ponunt.

Vbi uerò sustulissent oculos suos, neminem uidebant nisi Iesum solum.] Post hanc uisionem, post auditam uocem patris, post ingentem pauorem, unus relinquitur illis Christus. Vt discerent hunc sibi unum relinqui Dominum ac Doctorem, quem audiant. Iam non auditur amplius uox patris, quæ ideò semel loquuta est, ut audiretur semper filius, & nihil aliud loquuta est, quàm hoc ipsum, ut audiretur filius, haberetuŕq; pro unico Domino saluatore ac præceptore. Iam non comparent Moses & Helias, quæ ob id comparuerant, ut confirmaretur autoritas Christi. Ad hunc modum, quicquid nobis in hac uita uideatur, audiatur, contingat, si Christiani sumus, semper remanebit Christus in pectoribus nostris unicus uitæ doctor ac consolator

Et cum descenderent de monte, præcepit illis Iesus, dicens: Ne cui dixeritis uisionem, donec filius hominis à morte resurgat.

Hac de re quid sit sentiendum diximus suprà cap. 16. & nonnullis alijs locis. Non uult publicari Christus ante tempus gloriæ suæ deputatum, uisionem hanc gloriæ cœlestis. Fuisset enim frustraneũ, absq; ullo fructu, & præterea reliquis incredibile. Erat ergo expectandum tempus resurrectionis, in quo declarandus erat per spiritum sanctificationis filius Dei: ita, ut quod iam in monte seorsum gestum est, ex rebus illustrioribus ac potioribus fidem inueniet ac fructum.

Et interrogauerunt eum discipuli sui, dicentes: Cur igitur Scribæ dicunt, quod Eliam oporteat uenire primum.

Malachiæ ultimo sic legimus: Ecce ego mittam uobis Eliam prophetam, antequàm ueniat dies domini magnus & terribilis. Et conuertet corda patrum ad filios, & corda filiorum ad patres, ne forte ueniam & percutiam terram anathemate. Hunc locum sciebant Scribæ, & ex illo colligebant, prophetam Eliam in sua ipsius persona ante aduentum Messiah uenturum. Quoniam uerò hoc nondum factum uidebant, sumebant inde argumentum, nondum adesse tempus Christi uenturi, atq; ob eam causam hunc Iesum non esse Christum. Id conabantur persuadere populo, quod absq; dubio innotuerat Apostolis. Cum ergo tres isti Apostoli uidissent Mosen & Eliam cum Iesu in monte, huius admoniti, rogârunt Christum de isto Scribarum sermone.

OBSER.

Videmus hic, quàm subinde ueri similiter posit simplicioribus negocium fieri ab ijs Scribis, qui ueritati aduersantur, & scripturas norunt, & non intelligunt. Omnino ueri simile erat quod Scribæ dicebant. Nam ita habebat prophetia de Elia. Admoneat hoc, ut in scripturis cauti simus, deq; illarum intellectu rogemus dominum, ne ad seductionem seruiant, quæ datæ sunt ad uitæ doctrinam. 1

Quod discipuli sermonem istum Scribarum deferunt ad Christum, exemplum est prudentiæ, & animi ueritatem quærentis. Hoc ueritatis studio teneri deberent etiam hodie, qui simpliciores sunt: ut si quid contrà ueritatem ab aduersarijs audierint, ad doctores suos deferant, &c. 2

Iesus autem respondens, dixit illis: Helias quidem ueniet prius, ac restituet omnia. Cæterum dico uobis Heliam iam uenisse. Et non agnouerunt eum, sed fecerunt in eo, quæcunq; uoluerunt. Sic et filius hominis passurus est ab illis. tunc intellexerunt discipuli, quod de Iohanne Baptista dixisset ipsis.

Summa horum est, quod Christus uaticinium Malachiæ approbat quidem. Sed iuxta docet Eliam iam uenisse. Verum non esse agnitum, sed malè acceptum & occisum, ut & filio hominis tum futurũ erat. fuisse uerò Iohannem, quem signauerit propheta Malachias.

Erat ita q; error Scribarum & Iudæorum, quod putabant illum ipsum Heliam Thesbitem, qui in cœlum raptus est, corporaliter ac personaliter aduentum Christi præcessurum, cum hoc debuerit compleri, & iam esse completum per Iohannem uenientem in spiritu Eliæ. Atq; ita & angelus Luc. 1. declarat ad Zachariam patrem Iohannis, dicens: Et ipse præcedet ante illum cum spiritu & uirtute Eliæ, ut conuertat corda patrum ad filios, & inobedientes ad prudentiam iustorum, ut paret Domino plebem perfectam. Istum errorem Scribarum corrigit Christus, dicens: Cæterũ dico uobis, Elias iam uenit. Et suprà 11. Et si uultis scire, ipse est Elias, qui uenturus erat. Qui habet aures audiendi audiat.

QVAESTIO.

Sed quæritur, cur in uaticinio Malachiæ hoc non sit positum, sed simpliciter: Ecce ego mittam uobis Eliam prophetam. Non dicit: Mittam uobis aliquem in spiritu & uirtute Eliæ. Quis poterit aliter intelligere, quàm de eo ipso Elia, qui aliquando in cœlum raptus est?

Respondeo.

Respondeo. Non sequitur ideò debuisse Eliam ipsum corporaliter præcedere aduentum Christi, quod scriptum est: Mittam uobis Eliam prophetam. Quemadmodum non sequitur, Dauidem regem ipsum debuisse excitari in pastorem ac principem populo Dei, cũ expresse sit in uaticinijs de regno Christi ita positum, ut Hier. 30 Non dominabuntur amplius ei alieni, sed seruient Domino Deo suo, & Dauid regi suo, quem suscitabo eis. Et Ezech. 34. Suscitabo super ea pastorem unum qui pascet ea, seruum meum Dauid, ipse pascet ea, & ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, & seruus meus Dauid princeps in medio eorum. Et capite 37. Et erunt mihi populus, & ego ero eis Deus, & seruus meus Dauid rex super eos, & pastor unus erit omnium eorum. Et mox: Et Dauid seruus meus princeps eorum erit in perpetuum, &c. Hæc sunt de Christo & in Christo impleta: & nemo Iudæorum unquàm de Dauide ipso, qui olim mortuus est, intellexit, sed intelligunt de Christo ista uaticinia esse posita, licet toties expresse ponatur illud: Et Dauid seruus meus, &c. Quid ergo uetat hic per Eliam intelligere alium aliquem, ut Ioannem, qui debuerit uenire cũ spiritu et uirtute Eliæ?

ALIA QVAESTIO.

Sed rursus quæri poterit, cur Iohannes ipse Ioh. 1. negauerit se esse Eliam prophetam, cum interrogaretur Elias es tu? Respondendum simpliciter: Sciebat quomodo quærerent. Quærebant de ipso Elia, qui olim uixerat. Hunc negabat esse se. Interea tamen adiecit hoc quod pertinebat ad officium eius, qui uenisset cum spiritu & uirtute Eliæ, parare domino plebem perfectam, iuxta uaticiniũ Esaiæ, et declarabat Christũ iam adesse.

DE SENTENTIA PATRVM.

Ista sunt simplicia, & uerbis Christi conuenientia. Patres uerò, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, et qui ab istis pendent, concedunt quidem ista ita habere, quod attinet ad primum aduentum Christi. Cæterum secundum aduentum Christi contendunt Eliam iuxta hoc uaticinium corporaliter præcessurum, uenturumq; ante extremũ illud iudicium. Et huius argumenta inde sumunt. Primum, quod Christus hic dicit: Elias quidem ueniet, & restituet omnia, in futuro scilicet, et non: uenit ac restituit omnia. Putantq; restitutionem istam fore conuersionem Israëlis ad Christum, de qua Apostolus agit Rom. 11. Deinde, quod in Malachiæ uaticinio subijcitur. Nec ueniens percutiam terram anathemate, & quod dies domini illic uocatur non solum magnus, sed & terribilis. Ista putant non conuenire secundo Christi aduentui. Et in hac sententia etiam recentiores aliquot esse deprehenduntur.

Quid ad ista dicemus? Primum, si hoc uerum est, uel uaticinium Malachiæ non loquitur de primo Christi aduentu, ut facile fuerit Christo hoc dicere discipulis suis: uel loquitur de utroq;, & pollicetur duplicem Eliam, quod aliquanto uidetur esse exquisitius, quàm quod simplicitati prophetiæ conueniat. Deinde, quod Christus dicit: Elias quidem ueniet ac restituet omnia. Nõ est necesse, ut intelligatur, aliter quàm illud Matth. 11. Ipse est Elias, qui uenturus erat. Sic habet & sermo Ioannis: Tu es qui uenturus es, an alium expectamus. Vocat eum uenturum, cum iam uenisset. De restitutione, tutius est sentire id quod angelus ipse dixit ad Zachariam: nempe illam esse plebis instructionem, &c.

Illa, de die Domini terribili, & anathemate, satis pertinent ad prædicationem Ioannis, qui dicebat: securim ad radicem arboris esse positam. Imò si rectè inspicias, conuincunt non posse intelligi de extremo iudicio, in quo terra percutietur, etiam si Iudæi conuertantur ad deum: imò conuertentur certo, ut non habeat locum illud: ne fortè percutiam terram anathemate, si non conuertantur, in extremo iudicio. Sed utut sit. Certum est, Eliam præcessisse primum Christi aduentum in Ioanne Baptista. Secundum aduentum, commendabimus Domino, tantum cauebimus, ne morte Iudæorum securi simus de secundo Christi aduentu, qui futurus est instar furis, dum minimè putabitur: quasi adhuc non sit præ foribus Christus, nisi uiderimus Eliam uenisse.

OBSERVATA.

Et non agnouerunt eum, sed fecerunt in eo quæcunq; uoluerant: Ergo Iudæi sunt excusati, propter ignorantiam, quasi aliàs fuissent aduentum Christi agnituri & amplexuri? Nequaquàm. Nam tanta uiderant in Christo, à Prophetis prædicta, unde facile poterant cognoscere præsentiam Christi: & tanta audierant à Ioanne, ut potuerint agnoscere præcursorem. Verũ nulla cura tenebantur aduentus Christi, propterea quoq; digni nõ erant, qui ista cognoscerent. Admonemur hoc exemplo, ut cauti simus, ne et nobis hoc usuueniat. Mittuntur & nobis, qui nos admoneant pœnitentiæ, sed quia nullo regni Dei studio tenemur, fit ut tanquàm in ignotos sæuiamus. Esto Iudæi non cognouerint Iohannem esse Eliam, debebant ne ideò in prædicatorem pœnitentiæ ad hunc modum sæuire? Signa præcurrunt aduentum Christi, iuxta quod ipse prædixit, sed quotus quisq; est, qui illorum habeat rationem? Vt ergo Iudæi merito perierunt, ita sanè & nos. Iudæi non agnouerunt eum. Primo, quia non quid ageretur, cõsiderarunt. Sed quis esset qui missus erat, quia non eum quem Deus miserat, sed quem ipsi sibi finxerant, expectarunt. Iudicabant de ueritate huius prophetiæ, non iuxta mentem Domini, sed suam ipsorum. Deinde, ut dixi, non admodum curarunt ista. 1

Et fecerunt in eo quæcunq; uoluerunt.] Exprimitur ista loquutione malignum impiorum ingenium. Non dicit: Quæcũq; debuerunt, quæcunq; deus fieri statuerat, sed: quæcunq; uoluerunt. Idem facient et filio hominis. Et tamen ut filio hominis, ita & Iohanni nihil fecerunt extra uoluntatem Dei. Verum ipsi non spectarunt uoluntatem Dei, sed obsequuti sunt suæ ipsorũ malitiæ. Hac Deus usus est, ad exequutionem operis sui. 2

Permittit ergo Dominus, ut impij faciant sanctis, quæcunq; uolunt, quod attinet ad corpora ipsorum, & utitur illorum ministerio, ad gloriam suorum. Quod si & nobis hodie tale quid usuuenerit, non ideò putemus nos à Deo esse desertos.

SEQVITVR.

Et cum uenissent ad turbam, accessit ad eum homo quidam, flectẽs genua illi,

dicensq; Domine, miserere filij mei, quoniã lunaticus est, et malè adfligetur. Nam sæpe cadit in ignem, & sæpe in aquam, et obtuli eum discipulis tuis, nec potuerunt eum sanare.

Historia ista habetur Luc. 9. quoq;, & Marci 9. ubi etiam à Marco fusius exponitur. Habet autem in se pleraq; signa, quæ diligenter expendantur, quæ notabimus breuiter, singula suis locis.

Et cum uenissent ad turbam.] *Hoc in Marco ita legitur: Et cum uemisset ad discipulos suos (uidelicet, quos cum in montem cum tribus illis, Petro, Iacobo, Iohanne conscenderet, reliquerat in agro) uidit turbam multam circum illos, & Scribas disputantes cum eis. Et protinus uniuersa turba, cum uidisset eum, obstupuit, & accurrentes salutauerunt eum.*

QVAE SINT HIC NOTANDA.

Post gloriam ac maiestatem splendoris, quẽ in monte cum Helia & Mose transformatus habuit, iterũ ad infirma populi descendit, dispensationemq; boni pastoris exequitur: id quod longe melius ducit, quàm si ad uotum Petri in monte cum Mose & Helia mansisset, semotus ab omnium mortalium miseria.

Admonentur ergo hoc exemplo Christi, ij qui in Ecclesia Christi uelut in excelsum quendã montem ducti, transformationis gloria, cum prius essent obscuri: nunc uerò dignitatum splendore conspicui potiti sunt, ut non sibi ipsis tantum consulentes, in monte maneant, sed ad gregem Domini curandum iterum sese demittant: malentes cum labore & molestia seruire infirmis Christi ouiculis, quàm cum uitæ suauitate & præsentis seculi gloria, in graduum ac dignitatum sublimitate constituti secularia sectari dominia, uel certè ocioso sese dare torpori. Hæc notanda sunt nostris Episcopis. Deinde & omnibus alijs in sublimitate constitutis. Illorum animi, si uolunt uerè seruire deo, non sunt detinendi in arrogantia adeptæ sublimitatis, sed cogitare quo pacto sese demittant ad subiectorum miseriam curandam.

2 *Et Scribas disputantes cum eis.*] *Quærendum hic, quid sibi uelit ista disputatio Scribarum cum discipulis*
1 *Christi. Deinde, qua de re disputârint. Primo. Ingenium & astum Satanæ notandũ esse puto hoc loco, in eo quod absente Christo Scribæ, doctum hominũ genus, cum rudibus & analphabetis Christi discipulis disputationem præsente turba, & ipsa rudi & indocta instituunt. Habet hoc Satan perpetuò, ut infirma potißimum tentet & adoriatur. Ad hoc impellit & satellites suos. Putabant se hac ratione posse gloriam Christi, doctrinæq; illius obscurare, si respondere nequirent discipuli in promptu ad omnia, uel aliquid infirmitatis ipsorum coram populo conspicuum fieret. Ita solent & hodie aduersarij ueritatis, Papistæ & Anabaptistæ.*

2 *Deinde & hoc quærendum, qua de re disputauerint. Quanquàm istud non sit expressum, & possibile sit de uarijs esse disputatum: ex uerbis tamen Marci liquet, quod disputationis, uel aliqua portio fuerit de uirtute pellendi dæmones, adeoq; de uirtute Christi, quam ipse discipulis dederat, suo nomine exercendam. Nam Marcus ita habet: Et interrogauit Scribas: quid disputatis inter uos? Et respondens unus è turba, dixit: Præceptor adduxi filium meum ad te, &c. Hinc uidere est disputationẽ certè fuisse de eo, quod discipuli nequiuerant ejicere dæmonium, inuocato Christi nomine, quod iam antea aliquoties fecerant. Quid putamus hic dixisse Scribas? Certè omnia argumenta illorum absq; dubio contra nominis Christi gloriam directa fuere: utpote, quod is non diuina, sed diabolica uirtute & arte magica spiritus immundos ejiceret, & infirmos curaret: proinde*
3 *iam fieri, ut nequirent curare lunaticum istum. Ita quippe solere Satanam, ut non passim, non semper, non constanter opera sua uti sinat mystas suos, uirtutem uerò Dei esse constantem & solidam, nec superari posse magnitudine mali. Ad hæc, nec prohiberi aliqua alia maio* Sic Mat. Pharisæus
re potentia, prohiberi uerò uirtutem Satanæ subinde per uirtutem Dei, id quod iam coram cernerent. Hæc & huiusmodi absq; dubio disputarunt, cum imperfectis & infirmis Christi discipulis, nõ habentibus quid regererent. Verum in sequentibus uidebimus, quid in causa fuerit, quod discipuli dæmonium ejicere nõ potuerunt.

Accessit ad eum homo quidam.] *Istud in Marco ita legitur: Et interrogauit Scribas, quid disputatis inter uos? Et respondens unus è turba, dixit: Præceptor, adduxi filium meum ad te, habentem spiritum mutum, & quandocunq; eum corripuerit, lacerat eum, atq; ille spumat, ac stridet dentibus suis, & arescit. Et dixi discipulis tuis, ut ejicerent, & non potuerunt.*

Historia ista quatuor habet partes, in quas illam diuidemus.

Prima est, de petitione patris filij lunatici. 1
Altera est de responsione Christi. 2
Tertia habet electionem spiritus immundi. 3
Quarta complectitur quæstionem discipulorum 4
Christi, & quid ad illam Christus responderit.

PRIMA PARS.

Domine miserere filij mei.] *Hic homo, in quo paterni affectus exemplum uidemus, curari petens filium, quem, ut Lucas meminit, habebat unicum, utut aliàs nõ admodum sanus fide, hic certè non male instituit petitionem. Primum rectè agit supplicem, procidens in* 1
genua ante Iesum. Hæc est forma animi humiliantis se coram eo, cuius opem implorat. Nihil enim execrabilius superbo precatore. Hanc imitemur & nos inter precandum, non solum erga Deũ, sed & erga homines.

Deinde quod orat pro filio pater, proq; tam miserè 2
affecto, idq; unico, omnino erat æquum, & dignum fauore, cum apud Deum tum homines. Quis enim non commiserabitur patrem pro unico filio, tam adflicto, auxilium implorantem? Absq; dubio gratißimus est hic paternus affectus deo, quem & ipse mortalibus indidit, & de quo ipse quoq; in scripturis gloriatur. Vim huius affectus in parentibus erga liberos parum expendunt, qui parentũ querelas, quibus calamitatem fumis, quam in liberis magis sentiunt quàm in seipsis, subinde diuitibus proponunt, surdis auribus transeunt.

Tertio, & misericordiam commodè implorat, di- 3
cens:

cens: Domine miserere filij mei. Et in Marco: Subueni nobis, misertus nostri. Nulla hic mentio meritorum.

4 Quarto, quoniam misericordiam implorat, subiungit etiam calamitatem adflicti filij, dicens: Quoniam lunaticus est, et misere adfligitur. Nã sæpe cadit in ignem, & sæpe in aquam. In Marco est: adduxi filium meum ad te, habentem spiritum mutum, & quandocunq; corripuerit eum, lacerat eum, atq; ille spumat, ac stridet dentibus, et arescit. Et Christus in præcipiendo spiritui, dicit: Spiritus mute ac surde. Ergo puer iste primum obsidebatur à spiritu immundo: deinde is eũ reddebat surdum ac mutum. Tertio adfligebat etiam lacerando et interram proijciẽdo. Quarto, faciebat hoc periculose, ut perderet. Ideoq; frequenter illum, uel in ignem, uel in aquam abijciebat. Quinto, & ista faciebat tempore interlunij, unde & pater filium dicit esse lunaticum. Hæc certè satis calamitosa sunt, ut merito debeant quemuis permouere ad misericordiam.

NOTANDA IN HAC PARTE.

1 Lunaticus est.] Quid physici hic dicant, nostrum non est excutere. Illi causam morbi huius referunt ad operationes lunæ, in eos qui in interlunio nascuntur. Nos audimus hic non solum in uerbis patris, sed & Christi, hunc morbum, quem quidam uocant comitialem, dari spiritui malo. Non quod is per se quicquàm posit, sed quod ita permittat deus, propter peccata nostra. Quod autem ista uexatio spiritus potissimum tempore interlunij contingit, astum refert Satanæ, adnotante Origene & Chrysostomo, qui hoc agit, ut creaturas Dei reddat odiosas, quasi sint mali effectrices, & tales unde lædantur homines. Interea tamen non negârim, multam causari imbecillitatem in corporibus inferioribus per defectus lunæ. Nam certum est, ut & Plinius annotat lib. 2. cap. 99. per accessum lunæ repleri conchâlia in mari, et nonnulla alia: per decessum uerò, inaniri. Interea tamen non mox isti morbi, qualis hic est operante luna, fiunt, sed magis astu Satanæ tempora ista, in quibus mortalium corpora alioqui imbecilliora sunt obseruantis, & ad suum negocium peruerse usurpantis.

2 Nam frequenter illum in ignem abiecit, & in aquas, quò perderet eum.] Duo sunt hic notanda. Vnum, quale sit ingenium Satanæ. Homicida est, & propensus ad perdendum: ut contra Christus uita, & missus ad seruandum. Videmus hic, quo spiritu ducantur, qui per ignem et aquam tot innocentes perdiderunt, qui perpetuò clamant ad ignem. Satanæ sunt filij, cuius opera faciunt. Sic Christus Ioh. 8. arguit contra Iudæos, dicens: Vos facitis opera patris uestri. Vos ex patre diabolo estis, & desiderijs patris uestri uultis obsequi. Ille homicida erat ab initio, &c. Nunc uos quæritis me interficere hominem, qui ueritatem uobis loquutus sum, quam audiui à Deo. Hoc spiritu ducuntur qui bella uolunt.

Alterum, est imbecillitas Satanæ, & cura ac prouidentia Dei, in eo quod puer iste seruatus est, toties in ignem & aquam per spiritum malum, quo perderetur abiectus. Quis illum seruauit? Deus. Cur spiritus eum non perdidit, ut cupiebat? Deo nolente non poterat. Hic locus magnam habet consolationem.

ALTERA PARS DE RESponsione Christi.

Iesus autem respondens, dixit: O natio incredula & distorta, quousq; tandẽ ero uobiscum? usquequò patiar uos?

Ista aperte testantur Christum magnũ sensisse cordis dolorem, ex eo conceptum, quod hanc nationem uidebat perpetua quadam incredulitate gratiæ Dei reluctari. Iam ipse uenerat ut medicus & saluator, ducebaturq; affectu saluandi erga illos plane paterno, & nihil requirebat prius, quàm ut crederent. Quid ergo potuit illi tristius contingere, quàm quod tantam incredulitatem in hoc populo deprehendebat? cumq; tanta pertinacia coniunctam? Et hoc est, quod dicit: Quousq; tandem ero uobiscum? usq; quò patiar uos?

Et certè hæc uerba iam tum præsagiebant futurum, ut ab hac gente auferetur regnum Dei, propter istam incredulitatem, quod & postea factum est. Vnde discimus quid tandem sit, quod Christũ abigit à populo suo. Nostri aduersarij perpetuo urgent illud: Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi: nec expendunt quomodo et quibus sit dictum. Certè cum incredulis & peruersis non manet. Et satis habemus exemplorum non solum in Iudæis, sed & in Christianis, Græcorum uidelicet, Syrorum, Aegyptiorum, Arabum, Asianorum, &c. Ecclesijs. Obser. 1.

Deinde & hoc notandum, si Christo id accidit, quid mirum sit, si idem affectus contingat, et ipsius ministris, ut cupiant deserere populum incredulum & ueritati immorigerum? Accidit & antea idem Prophetis. Vide Hier. 9. Quis dabit me in solitudinem, & deseram populum meum, &c. & recedam ab eis, quia omnes sunt adulteri, &c. 2

Sed & hoc quærendum, de quibus hic loquatur Christus. An de discipulis uel scribis, uel turba, siue de isto homine duntaxat. Mihi uidetur, quia uniuersaliter loquitur, dicens: O natio incredula, nec de discipulis, nec de turba, nec de Scribis, nec de isto homine illum duntaxat loqui, sed magis taxare totius gentis Iudaicæ incredulitatem, illamq; auitam, inueteratam, & quasi isti genti peculiarem. Interea tamen apparet illum ad taxandam hanc incredulitatem totius gentis permotum esse, per hoc quod ibi in præsentiarum cum lunatico erat actum. Quid hoc erat? Discipuli, qui debebant maxima esse fide præditi, qui & antea toties spiritus immundos per nominis Christi uirtutem eiecerant, eamq; potestatem à Christo expresse acceperant, per incredulitatem torpebant, ita ut cogerentur cedere potentiæ, imò pertinaciæ spiritus immundi, atq; ita nomen Christi omniũ qui aderant, & potissimum Scribarum, ludibrio exponere. Quid iam sperandum de reliquis? Scribæ, cum uiderent quidem imbecillitatem discipulorum Christi, uiderent uerò iuxta & calamitatem hominis istius cum filio lunatico, debebant uel ad misericordiam et precationem permoueri. Sed ecce magis conuertuntur ad calumniandum nomen Christi, & disputandum cũ discipulis Christi. Hoc erat genus hominum plane peruersum & in- 3

humanum. Turba adstabat auscultando per curiositatem, ut solet uulgus, oblita omnium eorum, quæ antea uiderat & audierat de Christo. Pater filij lunatici, cum ipse quoq; non parum sua incredulitate obstaret liberationi filij, coram Christo imbecillitatem accusat discipulorũ. Hinc scilicet permotus Christus in hæc uerba prorupit: O natio incredula & distorta.

4 Et distorta.] Quod hoc incredulæ nationi adscribit, ostendit incredulitatem corda mortaliũ ita reddere distorta & peruersa, ut reproba sint ad omnia bona. Et hoc ita deprehenditur non solum erga Deum, sed & erga mortales in rebus humanis. Quid enim facies cum illis, qui tibi nulla in re fidem habent? Illi enim ita sunt distorti, ut neq; sibi permittant benefieri, quando ergo benefacient alijs?

EX MARCO.

Adducite illum ad me. Et adduxerunt illum ad eum. At uiso illo, continuo spiritus discerpebat eum, & prolapsus in terra uoluebatur spumans. Et interrogauit patrem illius: Quantum temporis est, quod hoc accidit ei? At ille dixit: A puero. Et frequenter illum et in ignem abiecit, & in aquas, quò perderet eum. Age si quid potes, subueni nobis misertus nostri. Iesus autem dixit ei: Illud si potes credere, omnia possibilia credenti. Et confestim exclamans pater pueri cum lachrymis, dixit: Credo Domine, succurre incredulitati meæ.

1 Adducite illum ad me.] Tametsi uideret magnam incredulitatem cum in parente pueri, tum in discipulis: & præterea magnam peruersitatem etiam in Scribis, eamq; cum exclamatione dolorosa reprehenderet, ab ingenio suo tamen non cedit. 1. Quia id exigebat nominis ipsius ratio, cui calumniã struere cœperãt scribæ. 2. Quia pater pueri, utut incredulus misericordiam ipsius implorauerat. Hoc exemplum itaq; imitemur & nos in succurrendo adflictis, etiam si indigni sint, & à nobis reprehendantur. Quod si reprehensibiles sunt, reprehendamus eos, sed ita ut necessitati ipsorum per misericordiam succurramus.

2 At uiso illo continuo spiritus discerpebat eum.] Quid est quod amplius etiam sæuit malignus spiritus, aspectui Christi præsentatus? uideri potest ideò fecisse, quod non libenter cederet. Verum hoc quidem est, sed iuxta nihil addubitandum, quin, ut solet omnia magno istud astu fecerit. Ad hoc uidelicet, ut & fidem parentis impediret, & Christo apud populum inuidiam moueret, qui id prohiberi non posset: uel si posset, pateretur coram se torqueri puerum.

Ad eum modum instigabat Satan Pharaonem, ut ante exitum & liberationem Israëlis, magis atq; magis opprimeret populum, ut ad desperationem adigeret populum, & Mosi Aaroniq; Dei ministris ingentem inuidiam excitaret.

Idem hodie uidemus. Vbi prædicatur Euangelium, ita ut obtinente ueritate uerbi Dei, metuendum sit Satanæ, ne è regno suo pellatur, ibi magis incipit sæuire in illis, quos obsidet. Illos adigit ad persequendum ac discerpendum innoxios, istos inflammat maiore ui concupiscentiarum, ut peccatis seruiant obnixius quàm antea: unde fit, ut audiamus quotidie, omnia esse peiora quàm fuerint hactenus. Ecclesiam Christi peius habere quàm antea. Belli homines ignorant cum uirtutem Dei, tum astum Satanæ. Satan hoc agit suos impensius, ut Euangelium Christi hac diffamia grauet, & miseros in errore diutius detineat.

Verũ hoc sese fortius exeret gloria Euangelij Christi, quemadmodum & in præsenti exemplo Christi factum uidemus. Quanto magis cupiebat obesse gloriæ nominis Christi, tanto illi profuit amplius. Nam id quod latebat populum in puero, hoc ita patefiebat: nempe, quàm magnum fuerit obsessi pueri malum, ut eò præclarior redderetur uirtus Christi. Vide suprà capite 8. de porcis in mare præcipitatis.

Huc etiam faciebat, quod parentem pueri rogabat Christus. Quantum temporis esset, quod hoc illi accidisset, & pater respondit puero, &c.

Commendatur hic uirtus Christi, omne genus mali, utut inueterati uincens. Tenacissimè hæret morbus peccati, cui assueueris à puero. Verum si ad Christum ueneris, bona spes sit. Nam hic suo imperio etiam uetustissimum peccati imperium & dominium subuertere potest.

Age si quid potest, subueni nobis, &c. Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.] Fides parentis erat infirma, quod patet ex eo, quod dicit: Si quid potes, subueni nobis, quod longè aberat ab eo, quod leprosus suprà cap. 8. dicebat: Domine, si uis, potes me mundare. Dubitantis itaq; uox erat: Si quid potes, &c. 3

Dubium autem causabatur huic uiro, cum quod puer à teneris hoc malo laborauerat, tum quod discipuli hic nihil poterant. Tertio, quod etiam præsente Christo spiritus puerum uehementius discerpebat. Verum si fidem habuisset, hæc omnia superasset.

Isti diffidentiæ parentis Christus primum medetur, dicens: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Istud responsum Christi expendendum est. Pater pueri dicebat: Si quid potes, succurre nobis. Christus uerò respondit ita. Vt intelligas curationem pueri sitam fuisse in parentis qualitate. Quasi dicat: Dubitas quid ego possim præstare, cogitandum erat, quid tu posses obtinere, quid tibi possibile sit, quid non. Ego quidem paratus sum, ut præstem quod petis: tu uerò paratus non es, ut capias quod ego præstare possum. Tantundem poteris capere, quantum credideris. Si diffideris, nihil impetrabis, si credideris, omnia impetrare poteris.

Quid ergo? Non poterat Christus curare puerum, nisi accessisset fides? Igitur uirtus Christi, non est omnipotens? Hac de re uide suprà in fine capitis 13. ibi. Et non edidit ibi Christus multas uirtutes, propter incredulitatem ipsorum, Item cap. 9.

Marci 10. dicit Christus: Omnia possibilia sunt apud Deum.

Deum. Est enim omnipotens. Et ista omnipotentia usq; adeò diuinitatis nota est, ut hinc potissima nobis Christianis sumpta sint argumenta, Christum esse Deũ, quod diuina præditus est uirtute, hoc est, omnipotẽti. Iam hic dicit: Omnia possibilia sunt credenti. Cum credens non sit Deus, quid est quod dicit: Omnia possibilia sunt credenti? Quid est credere, nisi ab alterius ueritate & potentia concepta fiducia pendere? Quomodo ergo possibilia credenti sunt omnia, cũ credẽs nihil faciat, nihilq; possit, sed ex alterius uirtute & potentia pendeat? Mira loquutio & planè paradoxi uim habens.

4 Notandum ergo possibile esse quicquàm alicui, bifariam intelligendũ esse. Aut enim significat aliquid præstare, efficere, dareq; posse. Et hoc sensu dicitur Deo, nihil esse impossibile. Sic intelligendum est illud: Omnia possibilia sunt apud Deum. Aut significationem habet passiuam, ut intelligas possibilitatem acquirendi, & capacitatem alicuius: ut ceræ possibilis est sigilli impressio, non ita, ut ipsa impressionẽ sigilli faciat, sed ut illam accipiat, id quod & saxo, & aquæ est impossibile. Ad hunc modum intelligendum est, quod hic dicit: Omnia possibilia sunt credenti. Hoc est, nihil est, quod credens, à Deo non possit impetrare.

Locus hic summopere notandus est. Tametsi enim per se sint Deo omnia possibilia, nobis tamen impetratu nihil est possibile, si desit fides. Et hinc est quod Iacobus dicit: Postulet autẽ in fide nihil hæsitans. Non quod Deus non possit dare inuitis, incredulis, non petentibus etiam, cum solem suum det non solum bonis, sed & malis. sed quod precantibus, ut precantibus, impossibile sit aliquid impetrare precando, nisi adsit fides, id est, si adsit diffidentia. Sic dicebat duobus cæcis Matth. 9. Creditis me hoc facere posse? Et: Secundum fidem uestram fiat uobis. Et cap. 8. Fiat tibi sicut credidisti. Et cap. 9. Fides tua te saluam fecit. Iam certè uirtus Christi saluam illam fecerat, actiuè scilicet, fides uerò passiuè.

Vniuersalis autem illa, omnia, nõ est torquenda extra propositum. Neq; enim simpliciter omnia credenti sunt possibilia. Sed ea omnia, quæ credibilia sunt, sunt credenti etiam possibilia. Credibilia uerò sunt, quæcũq; uel ad gloriam Dei, uel ad humanam salutem faciunt. Quæ contra gloriam & uoluntatem Dei sunt, in fidem ueram non cadunt, sed magis in falsam opinionem, atq; ideò in ista sententia Christi non comprehenduntur.

Et confestim exclamans pater pueri cum lachrymis dixit: Credo Domine, succurre incredulitati meæ.] Hoc exemplo uidemus angustiam animi pugnam inter fidem & diffidentiam sustinentis ac sentientis. Angustiam animi indicant, clamor & lachrymæ. Pugnam inter fidem & diffidentiam exprimũt uerba ipsa, cum dicit: Credo Domine, succurre incredulitati meæ. Quod dicit: Credo Domine. Declarat aliquam illi fuisse fidem, alioqui puerum ad Christum nõ adduxisset, si prorsus nulla fide præditus fuisset. Quod uerò dicit: Succurre incredulitati meæ. Indicat laborare & infirmum esse hanc fidem suam, ut fieri solet in tentationibus. Vocat aũt hic incredulitatem nihil aliud, quàm fidei suæ infirmitatẽ, quam petit corroborari. Nequeunt enim fides & omnimoda incredulitas locum habere in eodem homine, eodem scilicet momẽto. Nam quicquid uni datur, alteri adimitur. Sunt enim inter se pugnantes, ita ut si qua prorsus obtinuerit, alteri locus esse nequeat. Et præterea non quadrat petere, ut succurratur incredulitati, sed magis ut illa planè opprimatur & eijciatur. Virtutem & operationem Christi in hoc homine consideremus.

Reuocauit eum ad suipsius cognitionem, ut didicerit iam non discipulis Christi, sed ipsi culpam adscribere, ob quam non potuerat curari filius, agnoscereq; & planè fateri cum clamore & lachrymis, hoc est, cum summa cordis anxietate, suam incredulitatem. Hic est fructus correptionis apud bonos. 2

Qui anxius erat pro curando filio, & eijciendo spiritu malo ex filio, eò deductus est uirtute Christi, ut coactus sit pro seipso curando uirtutem Christi implorare ac dicere: Succurre incredulitati meæ. Dicit enim incredulitatem suam noxiorem esse filio, quàm ipsa fuerit immundi spiritus sæuitia. 3

Et nota simul rem stupendã, fatetur incredulitatem suam. Qua in re? In eo quod concernebat eiectionem spiritus immundi. Et tamen interea dat Christo uirtutem curandorũ animorum dum opem ipsius implorat, qua ab incredulitate liberetur, quæ certè maioris est uirtutis, quàm sit eiectio spirituum immundorum. Nam illam dedit discipulis suis: succurrere uerò laboranti, fidei, non dedit. Nam ea prorsus est diuinæ operationis, uide quam fidem bonus homo demonstret in ipsa incredulitatis confessione.

Postremo loco notandum est & hoc, quod exercitium hoc fidei factum est, non in rebus prosperis, sed aduersis, adflictis & anxijs. Ad istam philosophiam iste homo nunquàm uenisset, nisi animi paterni anxietatẽ sensisset propter misere adflictum filium. Huius gratia in istam pugnam fidei & diffidentiæ, in hanc confessionem incredulitatis, & implorationẽ Christi peruenit. Idem & nobis expectandum est. 4

TERTIA PARS, DE EIECTIONE spiritus immundi.

Et increpauit illud Iesus, & exijt ab eo dæmonium, & sanatus est puer à tempore illo.

MARCVS.

Cum uidisset autem Iesus, quod turba simul accurreret, increpauit spiritum immundum, dicens illi: Spiritus surde ac mute, ego tibi impero, exi ab eo, & ne post hac ingrediaris in illum. Et cum clamasset spiritus multũq; discerpsisset eum, exiuit. Et factus est tanq; mortuus, adeò ut multi dicerent, mortuus est. At Iesus correpta manu illius erexit eum & ille surrexit. Matthæus breuiter cõmemorat, quid Christus cum dæmonio, tum quid dæmoniũ è contra egerit: tertio quid puero eiecto dæmonio acciderit, uidelicet, quod Christus dæmonium increpauerit, dæmoniũ cesserit, puer ex eo tempore sanatus sit. Non potuit Euangelista rem hanc breuius complecti. Marcus uerò ita illã descripsit, ut nõ solũ quid hic factum, sed & quomodo factũ sit, adnotauerit. Ideò quod

Matthæus dicit dæmonium esse à Christo increpatum. Marcus ostendit quomodo sit à Christo increpatũ, quibus scilicet uerbis & quando. Et quod Matthæus dicit dæmonium esse egressum. Marcus rursum docet, quomodo sit egressum. Neq; enim simpliciter absq; ulla tergiuersatione egressum est. Tertio, quod Matthæus puerum scribit ex eo tempore post eiectum dæmonium sanatũ esse. Marcus declarat qualiter habuerit puer eiecto dæmonio, & quomodo morti ita fuerit uicinus, ut pleriq; illum mortuũ esse dixerint, adeoq; opus habuerit, ut singulari ope Christi erigeretur.

OBSER.

1 Et increpauit spiritũ.] Increpatio hæc indignationem quandam Christi erga spiritum immundum præ se fert. Et merito. Quomodo enim non irasceretur spiritui perditionis, humani generi inimico, is qui ad saluandos mortales uenerat? Quanto nanq; maior est charitas Christi erga genus humanum, tanto maius illi est odium erga eos spiritus, qui humani generis saluti aduersantur: Ergo & ista increpatio signum est τῆς φιλανθρωπίας Christi.

In Marco, ubi legitur dixisse Christus: Spiritus surde ac mute. Quæ scilicet uerba increpationem eam exprimũt, cuius Matthæus meminit, uidemus exprobrari spiritui malo maliciam eam, qua puero ademerat & auditum & sermonẽ. Puer erat mutus ac surdus, at non puero, sed spiritui immundo indignatur Christus, illiq; adscribitur hanc maliciam, quod opera Dei uiciauerit.

Admonemur ergo, ut & nos exemplo Christi, si surdos ac mutos uiderimus, surdos erga uerbum Dei, mutos erga gloriam dei & erga proximos indignemur, nõ miseris hominibus, sed magis spiritibus malis: quorum malicia organa illa diuinitus concessa à suo impediuntur officio. Hominem Deus non surdum aut mutum condidit, sed audientẽ et loquentẽ. Satanæ uerò studiũ est, ex uidentibus facere cæcos, ex loquẽtibus mutos, ex audientibus surdos. Illi indignemur, hominũ uerò misereamur.

EX MARCO.

2 Ego præcipio tibi.] Cum emphasi dictum est, & magna autoritate, ut agnoscas mandatum non serui alicuius, sed ipsius Domini. Idem enim est ac si dicat. Spiritus mute ac surde, qui discipulorũ meorum iussum contempsisti, audi meum imperium, ego tibi impero, cuius imperium contemnere non poteris, ut exeas. Potestati meæ cedes, q..i discipulis meis cedere noluisti. Ergo admonemur hoc loco non solum, potentiam Christi esse diuinam, Christum esse omnium dominum, sed & hoc consolationis hic datur Christi ministris, quod si quis illorũ ministeriũ non agnoscunt, sed cõtemnunt, id quod fieri uidemus: propterea quod nonnihil infirmitatis in hac carne sustinent, cõtemptores istos spiritus aliquãdo audituros uocem domini, cuius imperio cedere cogantur. Quòd si uiles uidentur discipuli, certè dominus ipse ubi dicit: Ego tibi impero, uilis uideri non poterit.

3 Et ne posthac amplius ingrediaris in illum.] De hoc pater pueri non cogitauerat. Christus uerò, cui non est satis, ut ad tempus curet male habentem, & qui plus dare solet quàm petatur: cum sciret ingenium spiritus immundi, quàm libenter ad id quod perdere cœperat, regrediatur, ut fine suo potiatur, qui est, humana perditio, hoc adiecit & præcepit spiritui malo, ut egressus nunquàm ad puerum reuertatur.

Admonemur ergo ex isto præcepto Christi, qua cura & sollicitudine esse debeamus, liberati uel ab errorum uel impietatis spiritibus, ne locũ demus perpetuo, & ut in alio loco est, cũ maiore perditione redire conantibus. Quòd si medicus quisquàm hoc potestatis haberet, ut non solum à præsentibus morbis curaret ægrotos, sed ita curaret, ut & nunquàm rediret pristinus morbus, quantum quæso coleretur? At medicus ac seruator noster Christus hoc habet, licet nõ ubiq; id præcipiat malis spiritibus quod isti præcepit. Vult autem nos esse sollicitos ac uigilantes, & à se suaq; uirtute et fide pendere. Ioan. 5. dicebat ad eum quem curauerat apud probaticam piscinam: Ecce iam sanus factus es, noli amplius peccare, ne deterius quicquàm tibi contingat. Hoc nobis omnibus dictum esto.

Et factus est tanquàm mortuus, adeò ut multi dicerent, mortuus est: At Iesus correpta manu illius erexit eum, & ille surrexit.] Ita solent peßima quæq; mala, maximè inueterata. Vbi sunt in uigore, pro sua malicia puniunt ac miserè adfligũt eos quos poßident, ut uideantur intolerabilia. Vbi uerò ui aliqua aduersa pelluntur, quando sponte non cedunt, ita cedunt, ut uideatur præsentißimũ adferre exitium uis illa, per quam pelluntur. Si quid mali est in stomacho, quotidiana toleranda est molestia, metuendumq; malum indies magis atq; magis auctum tandem fore lætiferũ. Curritur ad medicam operam, sumuntur potiones medicæ, quibus pellatur intestinum malum, libereturq; corpus et à quotidiana molestia, & à metu futuri exitij. Quid fit? Sumpta ui illa medica, pulsoq; malo, totum corpus ita debilitatur & abiectum prosternitur, ut periculum quod futurum olim metuebatur, iam præsens, per imprudentiã accersitum irritato malo magis quàm curato uideatur. Vt medicus aliquandiu malam gratiam recipiat ab ignaris harum rerum, donec liquidum fiat, curatum esse ægrotũ. Hoc ingenium refert nobis hic spiritus iste malus. 4

Ita habet aliquando etiam ea curatio, qua mortales per uirtutẽ & gratiam Christi ab impietate & superstitione falsi cultus, traditionum humanarum captiuitate, errorumq; laqueis curantur ac liberãtur. Quæ mala hoc habẽt, ut conscientias miserè uexent & torqueant, dum ignorata uera pace, perpetuo anxiæ sunt de ira & iudicio Dei, cum hæmorrhoissa plurima tentantes quidem, sed omnia deprauatiora reddẽtes. Vbi accedit uirtus Christi, ut per Euangelij prædicationem conscientijs ita miseris, & captiuis succurratur: primo omniũ pelluntur spiritus isti surdi ac muti, conscientiam uexantes, hoc est, pelluntur errores & inueteratæ superstitionis, & impietatis opiniones. Hoc quidem primum est. Quid uerò postea? Aliquando iacetur instar mortuorum, in oculis mortalium, dum nõ solum nouus nondum accesit pietatis feruor, renouatæ mentis aperta nondũ uidentur indicia. Sed & is feruor qui in superstitone erat, extinctus iam est, & ea opera quæ uidebãtur pietatis habere

speciem,

speciem cessarunt, ut adstantes nihil aliud dicant, quàm malum esse nõ curatum, sed peius redditum. Quasi uirtus Christi non uiuificet, sed occidat mortales, non curet male habentes, sed miseriores ac deploratos reddat.

Et hoc est, quod hodie quoq; experimur, in illis qui per Euangelium Christi ab erroribus, & grandi superstitione sunt liberati, ut desierint iam eam uiuere uitam, quam antea per ignorantiã uixerunt, & tamen nouam illam Euangelicam nondum rite appræhenderunt. Cogitabant absq; dubio qui uidebant puerum instar mortui iacere. An nõ satius erat pristinam tulisse miseriam, quàm prorsus enecatum esse?

Verum adest Christus, adfert manum & erigit iacentem, conspicuumq; facit, non perditum, sed curatum esse puerum. Hanc Christi uirtutem, istam manum erectricẽ requiramus, et nos hodie, ut uideat mundus, conscientias mortalium per Euangelij doctrinam nõ perdi, sed ad ueram pietatem innouari.

QVARTA PARS, DE QVAESTIONE discipulorum.

Tunc accedentes discipuli ad Iesum seorsum, dixerunt: Quare nos non potuimus eijcere illud?

Ad istam quæstionem arbitratur Chrysostomus motos esse discipulos quadã suspitione ac sollicitudine anxia de amissa potestate, quam suprà spiritus immundos, suprà 10 acceperãt à Christo, ne fortè aliquid cõmiserint, ob quod ea potestate priuari meruerint, qua hactenus fuerant cum gaudio & magna gratulatione usi.

Declarat autem ista quæstio non paruam discipulorum stupiditatẽ. Audierant sententiam Christi, qua parenti lunatici pueri dixerat: Omnia possibilia esse credenti. Ex qua debebant agnoscere etiam suam incredulitatem, in causa fuisse, quo minus dæmonium hoc eijcere potuerint. Verum putabant eam sententiam tantum concernere pueri parentem, ad se uerò nihil pertinere. Atq; ideò seorsum rogant, quam ob rem ipsi non potuerint spiritum hunc immundum eijcere.

Iesus autem dixit illis: Propter incredulitatem uestrã. Amen quippe dico uobis, si habeatis fidem sicut granum sinapis, dicetis mõti huic: demigra hinc illuc, & demigrabit, neq; quicquam uobis impossibile erit. Sed hoc genus non egreditur, nisi per deprecationem & ieiunium.

Ecce iam audiunt idem quod antea audierant, nisi quod iam nominatim audiunt ob eandẽ causam ab ipsis eijci non potuisse dæmonium. Propter incredulitatem, inquit, uestram. Non dicit, propter incredulitatem parentis pueri lunatici. Tametsi nanq; & illius incredulitas impedimento fuerat, quò minus uoti compos apud discipulos euaserit: maluit tamen Christus causam hanc discipulorum hic incredulitati adscribere, quo defectus & imperfectionem suam agnoscerent. Si suprà pueri lunatici parenti, cum diceret, & illi non potuerũt curare puerũ meũ, eo ducit, ut se in culpa esse agnouerit. Eodẽ iam ducit discipulos, ut & ipsorũ emẽdet incredulitatẽ.

Amen quippe dico uobis, si habueritis, &c.] Posteaquàm simpliciter causam assignauit ob quã nequiuerint discipuli dæmonium eijcere, uidelicet propter ipsorum incredulitatem: iterum ad prædicandam fidei uirtutem rapitur, quemadmodũ & suprà ad parentem pueri lunatici fecerat.

Declarat autem uirtutem fidei primum per similitudinem grani sinapis, dicens: Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, &c. Huius naturam & uirtutem suprà cap. 13. expressit, quod cum sit respectu reliquorum seminum, minutum, crescat tamen in eam magnitudinem, ut sub se capiat uolucrum nidos. Hanc uult esse & fidei naturam, ut cum uideatur esse uilis & nullius momenti, respectu opinionis illius, qua est in oculis mundi, ut pro re ridicula reputatur, eius tamen sit uirtutis, ut omnia superet, montes etiam transferre possit. Sententia Origc.

Deinde, in eo quod dicit: Si dixeritis monti huic, demigra hinc illuc, & demigrabat. Ita & Paulus 1 Corin. 13. montis amotionem pro maximo adduxit miraculo. Est enim reuera maximum, non solum loco mouere integrum montem, quod nullius regis præstare poterit facultas, sed & in certũ quendam locum transferre posse. Isto exemplo uoluit ostendere nihil esse impossibile credenti. Id quod & nominatim subiungit, dicens: Neque quicquàm uobis erit impossibile. Sed dicet quispiam: Atqui nusquàm legimus Apostolos montes transtulisse. Huc facit quod dicit, mono huic. Erat autem is de quo iam descenderat, in quo fuerat iam recens, clarificatus, quoniam hic Euangelista uocauit mutio cap. huius excelsum.

Respondeo: Non dicit, transferetis. Sed si opus sit, hoc poteritis, si fidem habueritis. Quod Apostoli autem nusquàm leguntur hoc fecisse, nusquàm etiam legitur illis hac re opus fuisse.

QVAESTIO.

Si ad expulsionem spirituum immundorum opus est fide, ut hic uidemus, merito quæritur quomodo malorũ spirituum exorcistæ, in nomine sanctorũ dæmonia eijciant, cum nec fidem habeant talem, quæ Apostolorum fidem superet, nec illa ab ipsis requiratur. Habent enim coniurationes suas, quas ubi ad præscriptum murmurauerint, putãtur probè suo functi esse officio. Neq; quisquam est, qui putet illis necessariam esse ad eiectionem spirituum immundorũ propriam fidem, sed putatur totum negotium uirtute ac meritis perfici sanctorum, in quorum nomine spiritus immundi adiurãtur. Et ita fieri uidemus, ut per istos exorcistas, hoc pacto dæmonia eijciantur. Quæritur ergo hic quomodo Apostoli non potuerint, siue propria fide, eaq; firma ac solida (quis enim dicet illos prorsus omnium fide destitutos fuisse?) dæmonium istud eijcere in nomine & uirtute Christi, cum isti exorcistæ sine propria fide spiritus malos in nomine sanctorum eijciant. Quomodo potest fieri in nomine sanctorum sine fide, quod non potest fieri in nomine Christi sine fide?

RESPONDEO.

Ea eiectio spirituum malorũ, quæ fit ex nomine & uirtute Christi uera est, & ueris agitur, ita ut Satanas cedere cogatur, nolit uelit, idq; cũ suo damno & gloria Christi, quæ sola eiectio spirituũ malorũ uera est, adeoq; fide opus habet, & ut audiemus precatione & ieiunio.

Illic non ita. Nam etiamsi uel uerè uel falso cedant spiritus

spiritus mali per istam cõmemorationem, ita tamen cedunt, ut cum ipsorum fiat cõmodo & detrimento gloriæ Christi, atq; ideò haud illibenter cedunt in speciem, id quod & apud statuas Deorũ falsorũ fecerũt. Cum detrimento gloriæ Christi cedũt, quia omnis actio quæ superstitiose geritur, superstitionẽ parit, fouet & confirmat, & cultum sanctorũ non solum in illis qui uidentur liberari, sed & in magna mortalium multitudine promouet. Ad ista non est opus exorcistarũ fide, nec precatione, nec ieiunio. Satis est si superstitiose coniuratio probè fuerit absoluta.

Origenes. Et ideò Origenes hoc loco sic scripsit. Si aliquando oportuerit nos circa curationem tale quid patientium permanere, non adiuremus, neq; interrogemus, neq; talia loquamur, quasi audienti spiritui immundo, sed permanentes in orationibus & ieiunijs impetremus patienti salutem à Deo, & abigamus ieiunijs & orationibus nostris spiritus malignos. Hæc ille.

Quis non uidet in his uerbis Origenis, & tum temporis exorcismorum usum quidem fuisse, sed isti sancto uiro displicuisse? Vidit spiritus immundos fide, precatione & ieiunio esse eijciendos, nõ exorcismis. Hoc est, uidit eiectionẽ spirituum immundorũ pendere à uirtute Dei, adeoq; fideli & sedula precatione ambiendam, & non imperiose præcipiendã esse tantum. Quid dixisset si accessisset superstitio illa, et idololatria cultus sanctorum, qui tum nondum cœperat? Ergo aperta est ratio, cur Apostoli non potuerint sine fide in nomine Christi, quod exorcistæ isti superstitiosi possunt in nomine sanctorum sine fide precatione & ieiunio. Apostoli eijciebant spiritus immundos uerè, eijciebant inuitos, eijciebant cum detrimento regni Satanæ: atq; ideò opus erat illis, ut hoc facerent ex uirtute Dei. Iam ex uirtute Dei aliquid facere, fidem exigit diuinæ uirtutis. Secus habet impostura, & superstitio exorcistarũ, ut dixi.

QVAESTIO.

2 Si habueritis fidem.] Ergo quicunq; fidem habent, sicut granũ sinapis, montes possunt transferre, & nihil nõ præstare. Nos credimus, ergo omnia possumus, etiam si opus sit montes transferre, nedum spiritus malos eijcere. Sed quis nostrũ est, qui talia possit? Ergo nemo nostrûm credit? Sed rursus quis dixerit in tanta multitudine neminẽ esse qui uerè credat? Iam omnino uerũ oportet sit quod Christus dicit: & simul arduum est dicere, neminem esse hodie qui credat, cum nemo sit qui ista præstare possit, quæ fidei hic dãtur à Christo. Quid hic dicemus?

Respondeo: Cum primis de uerbis Christi nihil est addubitandũ, quin sint omnium uerissima. Considerandum tamen est, de quo fidei genere Christus hic loquatur. Non est enim idem genus tantum fidei, sed uarium, & non eiusdem rationis & uirtutis. Sunt aũt genera fidei tria in scripturis assignata, quæ inter se plurimum differũt, licet unumquodq; uocabulo fidei exprimatur.

Tria fidei genera.

1 Primum est eius fidei, qua res quædã esse creduntur, tales, quales in scripturis proponuntur, ut in scripturis audimus esse Deũ, eumq; omnipotentẽ, omniũ creatorẽ à quo pendeant omnia. Et ita de reliquis etiã gestis, quorum scriptura meminit. Hæc fides uocatur historica.

Alterum genus est eius fidei, qua creditur promissionibus Dei, & appræhenditur misericordia, & gratia Dei in Christo Iesu. Et hæc dicitur fides iustificans. 2

Tertium est, eius qua creditur firmiter Deo nihil esse impossibile, & animus quodam afflatu spiritus ad res mirandas perficiendas impellitur. Et ista uocatur fides miraculorum. 3

Prima fides, est generalissima etiam impiorum, ita ut & Satan eam habeat, iuxta illud Iacobi: Tu credis unum esse Deum. Benefacis: Et dæmones credunt & contremiscũt. Ista fides est persuasio quædã rationis nostræ, ex humanis cõiecturis, rationibus, & documentis sumpta et acquisita: uerũ eius operatio nulla est, nisi ad hoc ut contremiscant, ac metuant omnipotentiam Dei, qui hanc tantum habent fidẽ. Talis est enim, qualem nos hodie habemus de potentia Turcorum, quam etiamsi non uiderimus, ex aliorum tamen relatione, & rebus gestis illam talem esse credimus, & credendo horremus. Iacob. 2.

Altera fides non est impiorũ, sed tantum piorum & electorũ, Tit. 1. Per quam incorporamur Christo, et saluamur. De ista hic non loquitur Christus. Neq; enim omnes illam habentes, mox miracula faciunt. Huius operatio est per charitatem efficax. Obiectum eius est bonitas Dei, & promissionum ueritas. Hæc etiam corda innouat & purificat, Act. 15.

Tertia est, non omniũ Christianorũ, sed quorundam tantum, idq; non omnis temporis, sed habet suũ tempus, quemadmodũ & suam rationẽ. Ista est singulare donum spiritus sancti, ut uidere est 1 Cor. 12. alij datur fides in eodem spiritu. Quod certè non potest de fide iustificante dici, quæ non quibusdam tantum, sed omnibus datur electis. Hæc fides neminem saluat, corda non immutat, non habet necessariò adiunctã charitatẽ, atq; ideò talis est, quæ etiam impijs datur. De hac loquitur hic Christus, cũ dicit: Si fidẽ habueritis sicut granũ sinapis, &c. Id quod & Chrysostomus annotat, & materia ipsa de qua Christo est sermo testatur, & ipsa quoq; necessitas euincit. Itaq; & uerum est quod Christus hic dicit: & simul uerum est, nos posse credentes esse, etiamsi non sciamus res mirandas, & multo meliore modo, quàm si montes per fidem miraculorũ transferremus. Sed ea est peruersa nostra curiositas, ut mallemus eam fidem quæ miracula faceret, quàm quæ nos iustificaret ac saluaret. Meliora charismata sunt persequenda. Vide 1 Cor. 13. Matth. 7. 1 Cor. 13.

QVAESTIO.

Sed hoc genus nõ egreditur, nisi per deprecationem & ieiunium.] Chrysostomus intelligit uniuersaliter de omnibus spiritibus malis. Hic quæritur tertio, si fides ista miraculorũ tanta potest, quid opus sit precatione & ieiunio. Dixit: Et nihil uobis erit impossibile. Et addit: Sed hoc genus non egreditur, &c. Ergo siue de omnibus in genere, siue de peioribus quibusdã spiritibus loquitur, qui nõ eijciãtur nisi precatione et ieiunio, fides ista non poterit omnia, & non constat sermo Christi.

Respondeo: Precatio & ieiuniũ eo sensu, quo hic ponuntur, (loquitur enim Christus de ueris non de fictis) non sunt tale quid, quod uel aduersetur fidei, uel illi non admodum

admodũ conueniat, ſed magis tale, quod optime illi competat, imò quod ad efficatiam fidei promouendam faciat. Ita ut fides per ieiunium & precationem, efficatiam ſuam exerat. Tam autem abeſt ut ſeparatim aliquid poßint ieiunium et precatio, ut niſi fides adſit, imò niſi ex fide adminiſtrentur, prorſus ſint res inanes. Ergo quicquid illis datur, magis fidei dandũ eſt. Vt quicquid inſtrumentis datur, magis dandum eſt arti opificis. Ita habet hoc loco & ieiunium & precatio. Fides pendet à conſenſu & uirtute Dei, ideò opus habet precatione ſeria, maximè in rebus arduis. Ad ſeriam uerò precationem pertinet ieiunium. Ergo pro fidei menſura, erit & precatio & ieiunium.

Et hoc etiam in reliquis rebus obſeruandum eſt, ut fidei coniungatur precatio, precationi ieiunium.

Cum autem uerſarentur in Galilæa, dixit illis Ieſus: Futurum eſt, ut filius hominis tradatur in manus hominum, & occident eum ac tertio die reſurget. Et mœrore affecti ſunt uehementer.

Cum autem uerſarentur.] Marcus capite nono, commemorat apertius, quando iſta uerba ſint iterum à Chriſto ad diſcipulos dicta, cum ſcribit: Et illinc digreſſi iter fecerũt per Galilæam. Vbi uidemus iſta mox poſt præcedentia ad diſcipulos dicta, idq; in Galilæa, non in qua tum moram uerteret, ſed quam pertranſibat, uidelicet uerſus Hieroſolymam, ut uidere eſt Luc. 9.

Dixit illis Ieſus: futurum eſt, ut filius hominis, &c.] Hoc diſcipulis iam tertio inculcat. Cur huius iam recordetur iterum, ab iſto Euangeliſta quidem nulla redditur ratio: aßignantur autem quædam à Marco & Luca, ex quibus facile uidere eſt, quid Chriſtum ad horum rememorationem mouerit.

Mar. 9 Marcus ita ſcribit: Nec uolebat ut quiſquàm ſciret. Docebat enim diſcipulos ſuos, & dicebat illis: Filius hominis tradetur in manus hominum. Ex his uerbis apparet Chriſtũ mortis ac reſurrectionis ſuæ mentionem ob eam hic quoq; cauſam feciſſe, quod ſilentium alicuius rei præceperit diſcipulis, quemadmodum & ſuprà cap. 16. & hoc quoq; præſenti. Nam dicit Euangeliſta. Nec uolebat, ut quiſquàm ſciret. Quare? Docebat enim diſcipulos, &c. Quod dicit: Nec uolebat ut quiſquàm ſciret. Satis innuit Chriſtũ diſcipulis alicuius rei ſilentium mandaſſe. Quod uerò ſubiungit: Docebat enim diſcipulos ſuos, & dicebat illis: Filius hominis tradetur in manus hominum, &c. Oſtendit hoc ueluti rationem eſſe adiectam præcedentibus. Quid autem Chriſtus ſciri noluerit, non ponit Marcus. Verum ex circunſtantijs facile eſt conijcere, noluiſſe ſciri, uel profectionem ſuam, uel factum miraculum in liberatione pueri lunatici.

Quid ex hac ſit ratione notandum, dictum eſt ſuprà cap. 16. ubi idem habetur, uel certè iſti non abſimile.

Lucas uerò cap. 9. hac de re ſic ſcribit: Stupebant autem omnes ſuper magnificentia Dei. Omnibus autem admirantibus ſuper omnibus quæ faciebat, dixit ad diſcipulos ſuos: Ponite uos in auribus ueſtris ſermones iſtos. Filius enim hominis futurum eſt, ut tradatur in manus hominum. Hic uidetur Chriſtus ſermonis iſtius cauſam accepiſſe, ex fama illa & admiratione populi, ſuper admirabilibus ipſius operibus. Quod quidem ita poſitum eſt, ut bifariã exponatur. Primum enim ita à nonnullis hic locus exponitur, ut intelligamus Chriſtum diſcipulos ab ea gloria rumoreq; miraculorũ ad cogitandam futuram crucem, de qua ſuprà illos admonuerat, auocare uoluiſſe. Q. d. Sinite uos alios admirari maieſtatem miraculorum. Vobis iam aliud erit cogitandum. Iſtam gloriam miraculorum breui excipiet ignominia crucis, ad quam parãdi ſunt animi ueſtri. Filius enim hominis futurum eſt, ut tradatur in manus hominum, &c.

Et iſti ſententiæ uidentur aſtipulari quæ ſequuntur, de diſputatione diſcipulorum, qua in itinere inter ſe diſputarunt, quis maior ſit futurus in regno Dei. Videbant enim ingentem Dei uirtutem, & omnia portendebant, præclaram rerum immutationem, & mundi innouationem. Somniabant autem de regno Chriſti non niſi carnalia, & mundo iſti congruentia. Ergo ſecundum hunc ſenſum uoluit Chriſtus illos auocare ab iſtis mundanis cogitationibus, ad futuram paßionem, & reſurrectionem, hoc eſt, ad ſpiritalem regni Dei adminiſtrationem. Altero ſenſu ſic exponitur. Ponite uos in cordibus ueſtris iſtos ſermones. Intellige de magnificentia Dei, cuius ſtupore tenebãtur omnes, quem omnes ubiq; prædicabant, ut illud quod ſequitur. Filius enim hominis, &c. Sit adiecta ratio, quare Apoſtolos uoluerit memori mente, ea quæ fiebant cum magna omnium admiratione, retinere, uidelicet, quod breui futurum erat, ut traderetur in manus hominum, & occideretur, & tertia die reſurgeret, quæ magno offendiculo datura erant occaſionem. Ergo ne per futuram quaſi tempeſtatem ſubuerterentur, uoluit eos eſſe non oſcitantes & obliuioſos auditores & ſpectatores eorum, quæ tum magna cum omnium admiratione gerebãtur. Hoc eſt quod dicit: Ponite uos iſtos ſermones in aures ueſtras: Hoc eſt, diligenter ipſos retinere, & memori menti commendare. Futurum enim eſt, ut magno ſit uobis uſui futuri. In aurem aliquid ponere, eſt idem quod nos Germani dicimus: Er hats in ſein orlin gefaßt.

Opera illa declarabant præſentiam regni Dei, & Chriſto teſtimonium dabant, quod eſſet filius Dei. Futura crux erat hanc fidem impugnatura cum ingenti tentatione, unde & dicebat Chriſtus: Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me. Sciebat ſuorum infirmitatem, & futuræ tentationis uim, atq; ideò uoluit animos illorum quaſi præmunire per obſeruantiam eorum quæ tum fiebant. Et hic ſenſus uidetur uero ſimilior. Non enim dicit: Ponite uos iſtos ſermones in aures ueſtras, quos ego uobis dico: nempe, quod futurũ eſt, ut filius hominis tradatur, &c. Sed futurum eſt enim, ut filius hominis, &c. Vnde clarum eſt illud: Futurũ eſt enim, eſſe rationis uice ſubiectũ, ob quam debuerint diſcipuli ſermones illos, de admirandis Chriſti factis, memoriæ commendare.

OBSER.

In priore ſenſu hæc eſt doctrina, ut quoties animi noſtri ad neſcio quã mundanã proſperitatẽ ac pacẽ mundi propẽdere uidẽtur, admoneamur et nos eorũ ſermonũ, qui

qui nobis primum Christi crucem & resurrectionem, hoc est, regnum Christi spiritale non terrenum: deinde & afflictiones nos in seculo manentes commemorant. Vt sunt in mundo pressuram habebitis, in me autem pacem. Et: Non est discipulus super magistrum suũ. Et: Si quis me sequatur, abneget semetipsum, tollat crucẽ suã & sequatur me. Et: Qui uolunt pie uiuere in Christo Iesu persequutionẽ patientur. Et: Priores passiones & posteriores esse glorias. Et: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. Et si qua alia sunt huiusmodi, quæ nos admoneant præsentis uitæ miseriarum & gloriæ post hanc uitam futuræ.

2 In altero sensu, admonemur, ut quæ regni Christi ueritatem nobis apertè, siue in audiendo, siue in legendo, aut secreta cordis reuelatione, insinuãt, & gloriã Christi declarant, memori mente recordamus, ut per illa, si futura sit aliqua propter uerbum persequutio, præmuniamur, ne tentationibus adobruti, negemus ueritatem. Tales auditores exigit hic Christus, non oscitantes & obliuiosos, sed bene memores & tenaces semel agnitæ ueritatis. Ita & in rebus prosperis, cogitemus de futuris tristibus, & ex prosperis sumamus argumenta diuinæ et paternæ prouidentiæ, quibus in tristibus contra desperationem, uel certè impias quasuis cogitationes præmuniamur. Dispensatio nanq; rerũ diuinitus ita instituitur, ut non eodẽ statu sint res nostræ perpetuo. Iam apertè innumeris beneficijs prouidentiã suam erga genus humanum declarat Deus, iam illam ita abscondit, ut putetur nullam habere rationem rerum mortalium. Igitur in prosperis admonendi sumus, ut aperta prouidentiæ Dei documenta memoriæ mandemus, ad hoc, ut in tentatione animos nostros in fide prouidentiæ Dei, & spei patientia per recordationem præteritorũ operum Dei alamus, ac corroboremus. Perinde ac si sub initium æstatis, dum omnia reuirescunt, uirtutemq; ac prouidentiam Dei omnium oculis exponũt, admoneas quenquam ac dicas: Ista cordi tuo commendato, quæ iam uides, nec elabi illa ex mente tua sinito. Futurũ enim est, ut redeat hyems in qua omnia uideãtur mundi minari interitum. Proinde isto spectaculo, quo uides nudum atque aridum mundum, per uirtutem Dei quasi ex mortuis resuscitari, ac fertilem fieri præmuni contra futuram hyemem cor tuum, &c.

SEQVITVR.

Et mœrore affecti sunt uehementer.] Quare quæso? Non intelligebant inquiunt Lucas & Marcus, hoc uerbũ: Si non intelligebant, quam obrem ergo illius gratia mœrore affecti sunt? Ob hoc ipsum mœrore affecti sunt, quod non intelligebãt hoc uerbum. Si nanq; intellexissent, non usq; adeò doluissent. Nam ut Iohan. 16. Christus dicit, Expediebat illis abire Christũ ad patrẽ. Et Ioan. 14. audiunt à Christo: Si diligeretis me, gauderetis utiq; quia uado ad patrem, &c. Ex mortis commoratione dolebãt, resurrectionis prædictæ gloriã non cogitabant, crucis mysterium ignorabant. Referũt ergo nobis exemplum discipuli eorum, qui ubi debebãt bono esse animo, tristi sunt, propter rerũ quæ accidunt ignorantiam. Vtpote. Qui ubi tristia ingruunt, quæ per diuinam & paternam prouidentiam ad nostram utilitatẽ attemperãtur, mœrore afficiuntur, cum bono animo esse deberent. Iuxta illud. Iacob. 1. Omne gaudium æstimate fratres, &c.

Item: Qui cum ad communionem Cœnæ dominicæ eundũ est, tristes sunt & animo abiecto, cum hæc mensa conuiuium habeat lætissimum ac saluberrimum. Vnde hoc illis accidit, nisi ex ignorantia eorum quæ aguntur? Sed quæsierit forsan hic quisquàm. An istã discipulorum ignorãtiam ac stupiditatẽ Christus ignorauerit. Quod si illã sciebat, ut sciebat, cur de rebus incognitis & obscuris iam toties eos admonuerit?

Christus nihil frustra facit. Nisi aliquò usq; utile esset audire de rebus salutiferis ac necessarijs, etiam eos, qui nihil illorum intelligũt, quæ audiunt, certè ipse suos hac de re non ita admonuisset, cum sciret ab ipsis nihil horum intelligi. Verum sciebat profore olim ista audisse crebrius. Et ideò dicebat etiam spiritus sanctus. Suggeret uobis quæ ego dixi uobis. Et hoc nobis quoq; notandum est. Audimus sæpenumero, uel quæ non intelligimus, uel quæ parum æstimamus. Verum tempore tentationis ea est Deo suorum cura, ut per spiritum sanctum admoneat tentatos, eorum quæ aliquãdo audierunt, & faciat nota quæ erant incognita, suauia ac præclara, quæ nullius uidebantur momenti.

Cum autem uenisset in oppidum Capernaum, accesserunt qui didrachma solent accipere, ad Petrum, dixerũtq;: Præceptor uester, num soluit didrachma. Dicit: Etiam.

Quomodo Iudæis per Cyrenium sit indictus census à Cæsare, uidere est in Iosepho lib. Antiquit. 18. cap. 1. & Luc. 2. Et de hoc censu ferè omnes præsentem locum intelligunt. Mihi uerò, pace aliorum, quæ hic leguntur, uidentur non esse intelligenda de eo censu, qui per Cyrenium exactus est à Iudæis, sed de generali illo & consueto tributo, qui quotannis exigebatur certus ac nominatus, non plus de uno quàm altero, sed de unoquoque τὸ δι' ἑκάστου, ut hic uidemus. De censu uerò per Cyrenium legimus, quod admensuratus sit uniuscuiusq; facultati, ut Iosephus apertè scribit, dicens: Venit etiã Cyrenius in Iudæam uniuersorum depreciaturus substantiam, &c. At hoc parum forsan refert, siue de censu Cyrenico, siue de generali & consueto tributo intelligamus. Quin magis hoc primũ uideamus, quamobrem ministri census rogârint Petrum de Christo, num soluat & ipse didrachma. Erant ministri publici, ad hoc ordinati, ut didrachma ab hominibus acciperent. Cum iam Petrus respondeat: Etiam. Certũ est, quod didrachma Christus soluere consueuerit. Si consueuit quomodo ipsi hoc ignorabant? Respondendum est, quod aut fuerint in hac functione recentes, aut in causa fuerit, quod Christus in eam ciuitatem recens uenerat, & præterea non adeò diu in ea manebat. Possibile est etiã id ideò esse factum, quod quoniam magni ac præcipui uiri liberalitate Romanorum eo censu forsan liberabantur, putârint ipsi & hunc uirum de quo tanta ubiq; prædicabantur, à Romanis

manis ea donatum esse immunitate, atq; ut hoc cognoscerent, Petrum rogasse: Præceptor uester, soluit ne didrachma? Quod autem ea immunitate ac libertate donatus non fuerit Christus, ex eo patet quod Petrus respondet. Etiam: Ergo Christus didrachma soluere consueuit more reliquorum, nec eo honore habitus est apud Romanos, quo fortasis habebantur & Scribæ & Pharisæi, & si qui alij alicuius nominis fuerunt. Quid ergo fuerit insolentiæ si ministri illius etiam hodie communi grauãtur exactione, nec eo afficiuntur honore, quo uani homines subinde apud magistratum potiuntur?

Hieronymus inter cætera putat fieri potuisse, ut isti exactores census malo dolo discipulum de præceptore rogauerint, num soluat didrachma, an ex ipso potuerint expiscari, quod Pharisæi & Scribæ infrà 22 conantur: nempe an Cæsari se opponat quò deferre liceant.

Et cum ingressus fuisset domum, præuenit illum Iesus, dicens: Quid tibi uidetur Simon? Reges terræ, à quibus accipiunt tributa aut censum? A filijs suis, an ab alienis? Dicit illi Petrus: Ab alienis. Ait illi Iesus: Ergo liberi sunt filij. Verum ne simus illis offendiculo, profectus ad mare mitte hamum, & eum piscem qui prodierit primus, tolle, & aperto ore illius, inuenies staterem, acceptum eum da illis, pro me & te.

Cum ingressus fuisset domum.] Domũ hanc quidam putant fuisse Christi. Sed obstat uerbum Christi. Vulpes foueas habent & uolucres cœli nidos: Filius aũt hominis non habet ubi caput suum reclinet. Credibilius ergo est fuisse domũ Petri. Nam hunc habuisse cum Andrea fratre domum in hac ciuitate Capernaum, conspicuum est, Matth. 8. Marc. 1. Luc. 4.

Habet ergo Petrus adhuc domum. Sed quomodo dicit: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te? Hac de re uide suprà cap. 4.

QVAE HOC LOCO NOtanda sunt.

1 *Reges terræ à quibus accipiunt tributa?*] Christus ergo cum suis prærogatiuam habet filiorum Dei, cuius debeat etiã in hoc seculo haberi ratio. Nam quod dicit: Ergo liberi sunt filij. Indicat se cum suis debere immunes esse ab ista tributorũ exactione. Alioqui nec interrogatio, nec responsio, nec conclusio ad propositum facient. Sed uidetur hæc ratio non constare si exigatur ad canonem syllogisticum. Apparet enim in speciem paralogismum esse cõmissum ex ignorantia Elenchi. Nam uidetur non consistere in eodem regno, sed aliud ponere in maiore, & aliud in minore. Aliud enim est regnum, in quo Christus est filius regis, & aliud in quo exigebatur tributum. Vt si Gallorum regis filius exigatur tributum in Hispania: is autem uelit ad hunc modum probare se liberum, & immunem haberi debere à tributo, dicatq; ad hunc modum: Tributum exigitur non à filijs regis, sed ab alienis. Ego autẽ sum filius regis: Ergo sum liber. Et maior uera est, & minor, & tamen non ritè sequitur conclusio: propterea quod aliud atq; aliud regnum inducitur, contra rationem elenchi. Nam in suo regno liber est regis filius, non in alieno.

Aut respondendum est quod Christus fuerit filius regis, quia filius Dauidis atq; ita eius regni, in quo tum dominabantur Romani, & tributum exigebatur hæres ac Dominus: Ergo merito liber & immunis. Si hoc sensu loquutus est Christus, stabit firma conclusio.

Aut dicendum, quod ut filius Dei supremi regis, (quomodo Ierusalem ciuitas dicta est magni regis) cuius sunt omnia regna, diuino iure fuerit liber & immunis ab ista tributorum exactione, ita ut non sit aliud Cæsaris & aliud Dei regnum, sed idem regnum, quod tum administrabat Cæsar, uerè sit regnum Dei, iuxta illud: Tuum est regnũ, tua est potẽtia & gloria in secula &c. Et Cæsar tributum exegerit, nõ ut Dominus αὐτοκράτωρ, sed ut minister Dei. Roman. 13. Et hoc sensu firmum est quod colligit Christus. Et hic posterior sensus magis placet: propterea quod ut apparet ubi dicit: Sed ne scandalizemus eos. Non solum de se, sed & de suis, ut & ipsis regis summi filijs disputat, qui non erant de stirpe Dauidis: Ergo Christiani, tanquam filij dei sunt liberi, & immunes ab omni seruitute, tanquam hæredes dei & domini terræ. Sic dictum est: Quoniam ipsi hæreditabunt terram. Et Paulus 1 Corinth. 3. Omnia uestra sunt, siue præsentia, siue futura, &c. Ista dignitas agnoscenda est, quia plurimum habet consolationis, & spei Christianæ fulcimentum. Christiani rerum potiuntur, ut filij: impij ut alieni, quos certum est in omni rerũ usu peccare, & olim perdendos esse.

2 In eo quod licet sit liber cum suis, nihilominus censum soluit, non solum hic, sed & antea ut ex uerbis Petri uidere est. Docemur istam dignitatem nostram ac prærogatiuam filiorum Dei nõ eo usurpandum esse, ut nolimus obedientes esse principibus terræ ac magistratibus, sed magis, ut exemplum Christi sequuti: cui tributum, tributum: cui uectigal, demus uectigal. Et hoc satis clarè docemur. Rom. 13. & 1 Petri 2. Vt enim Christus in hunc mundum non uenit, uti sibi ministretur, & ut libertate sua utatur, sed ut ipse ministraret, & formam serui gereret, ita & Christiani non debent hoc quærere, ut sint hic Domini rerum, sed ut libenter omnibus seruiant, & serui formam gerant, usque ad reuelationem filiorum Dei.

3 Expendenda est & ratio quam ponit Christus, dicens: Verum ne scandalizemus eos. Quid in re? Ne scilicet suspicionẽ illis demus seditionis ac rebellionis, quasi autores esse uelimus turbandi regni, & ad seditionem permouẽdi populi. Nam Iudæi alioqui molestissimè eam tributorũ ferebant seruitutem, & plurimi etiam apertè Romanis contradixerant, ut uidere est in Iosepho. Et præterea futurum erat, ut huius accusaretur apud Pilatum. Itaq; ne esset aliqua uerisimilis species animi seditiosi, noluit uti suo iure, sed magis cum alijs etiam ferre seruitutem, & hoc pacto suis dare exemplum idem faciendi, ob quam rem & cum Petro ista disputat. Hæc ratio Christianis bene notanda est, maximè Euangelicis nostris, ut & ipsi quouis modo caueant, ne cuiquam

sint offendiculo, & malint de suo iure remittere, quàm siniſtri animi aliquam mouere ſuſpicionem.

4 Profectus ad mare.] Non immerito hæſitat hic Hieronymus, quid primo loco admiretur. Nos uerò pauca breuiter annotabimus.

1 Primum ſtupenda eſt hic Chriſti ac Petri paupertas, quibus ex omni miraculorum ac doctrinæ beneficentia tantum pecuniæ non eſt, ut didrachma ſoluant, cum hodie illorum ſucceſſores ac uicarij, regum opes ſuperent etiam. Hieronymus quærit, quomodo nullam habuerint pecuniam, cum Iudam habuerint quæſtorem. Reſpondet autem non licuiſſe eam pecuniam conuertere in proprios uſus, quæ erat deſtinata pauperibus. Bone Deus, in uſus Chriſti neceſſarios non licuit uſurpare pecuniam pauperibus deſtinatam, & hodie licet Apoſtolorum ſucceſſoribus patrimoniũ crucifixi, & pauperum illius in omnia libidinum genera profundere nedum in priuatos neceſſarios uſus.

Quid ſi Iudas quæſtor, cum fuerit fur, omnem pecuniam ſuffuratus ſit?

2 Quæſierim, cur non mutuo ab aliquo tantum pecuniæ ſumpſerit, ab illis maximè quibus uirtute ſua beneficerat, utpote à Centurione, cuius puerum ſanauerat. Quid opus erat miraculo, in re tantula?

Reſpondeo. Declarare uoluit in hac re cœleſtem ſuam ac diuinam prouidentiam, ut ſuos admoneret, ſi ſe ſequerentur nunquam defore quæ neceſſaria ſint. Quòd ſi homines futuri ſint ingrati ipſorum beneficẽtiæ prouidentiam tamen cœleſtem non defuturam, quin potius animantia irrationalia opem aliatura. Ita corui cibum adferebant Heliæ, 1 Reg. 17. Huius gratia, uſus eſt opera Petri, ut liquida eſſet iſta uirtus diuinæ prouidentiæ.

3 Expendendum eſt etiam argumentum diuinitatis Chriſti, cũ in eo quod ſecreta maris & occulta piſcium nouit, cum nullum ſit animal, quod minus habeat commertij cum mortalibus, aut habere etiã poſſit, cum nec manſuefieri, nec inſtrui poſſit: tũ quod uirtute ſua eum piſcẽ primũ cõpulit ad hamũ Petri. Quid ille non nouit, qui ſecreta profundi maris nouit. Quid non poteſt cuius imperio piſces indomiti obedire ac ſeruire coguntur.

DE PONTIFICIIS.

Abutuntur hoc loco Pontificij bifariam. Primum, immunitatẽ Eccleſiaſticã, ut uocãt, hoc eſt, ſacerdotum libertatẽ ex eo tueri uolunt, quod Chriſtus dixit: Ergo liberi ſunt filij. Iſta eſt ingratitudo huius populi. Quod reges pro ſua clementia certas ob cauſas ad promouendam Chriſtianæ religionis pietatẽ dederũt, hoc ipſi uendicare conantur ex iure diuino. Atqui quod hic Chriſtus diſputauit, aut tale eſt, quod tantum ad ipſius perſonam, aut tale quod ad omnes ſimul Chriſtianos, ut filios Dei pertineat: ut ſi ſequendum ſit hic quod Chriſtus dixit: ſequendum ſit non ſolum ſacerdotibus, ſed ſimul omnibus Chriſtianis. Sed abſit. Aliud docet factum Chriſti, & ſcripta Apoſtolica. Rom. 13. 1 Pet. 2.

Vide Chryſoſt.

Alterum eſt de primatu Pontificis, quẽ docent. Hunc uolentes aſſerere, deputant hoc quod Chriſtus dixit: Da illis pro me & te, primatui Petri. Ecce inquiunt, Petrus in reddendo tributo cõiungitur Chriſto, & non reliqui diſcipuli: Ergo Petrus iam tum declarabatur primus inter Apoſtolos futurus. Belli homines non obſeruãt, quod Petrus eius ciuitatis erat ciuis, & tributum eo loco dare cogebatur. Nõ ubiq; ſine diſcrimine à quouis exigebatur tributum, ſed quiſq; apud ſuos exigebatur.

Mira profecto cæcitas. An ad primatum facit, quod Petrus Chriſto in ſoluendo tributo coniungitur? An tributum dare eſt eſſe primatum? Quis nõ uidet hoc exemplum magis eſſe contra primatum Petri? Quòd ſi Chriſtus non dando tributum uſus ſua libertate ac prærogatiua, coniunxiſſet ſibi Petrum, non reliquos, magis ſeciſſet ad declarandum futurum illius primatum. Iam cum gerit formam ſerui, inq; illa ſibi coniungit Petrum, non quod reliquos cõtempſerit, ſed quod Petrus ad hoc quod agebat eſſet accommodus, & eius loci ciuis, & iam hoſpes ipſius. Quomodo nõ ſunt inſaniſſimi qui inde colligunt primatum Petri? Sed facit hoc Chryſoſtomus, faciunt & alij. Scio, ſed hic apparet quàm temerè. Et iſti boni uiri ignorarunt fraudem & nequitiam futurã Romanorum Pontificum. At eſto, ſit declaratus hic primatus Petri. Quid hoc ad Romanos Pontifices? Si hic Petrus gerit perſonam Romani Pontificis, uel Romanus Pontifex gerit perſonam Petri, excluſis reliquis Chriſtianis. Quid aliud ſequitur, quàm ut libertate donatis Chriſtianis omnibus ſoli Romani Põtifices tributa perſoluant Cæſari? Iam ſoli uolunt eſſe immunes, idq; autoritate Petri, cũ nullius diſcipulorũ legatur dediſſe tributũ. Petrus uerò legatur. Quæ poteſt eſſe maior cæcitas?

CAPVT XVIII.

IN illo tempore acceſſerũt diſcipuli ad Ieſum dicentes: Quis maior eſt in regno cœlorum? Mar. 9. Luc. 9.

Iſta facta ſunt Capernaum, mox atq; Ieſus ingreſſus eſſet ædes Petri poſteaquàm didrachma dediſſet.

Acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum.] Videntur hoc loco Euangeliſtæ nonnihil diuerſi, non in ipſa cauſa, ſed in circunſtantijs. Noſter hic apertè dicit diſcipulos acceſſiſſe ad Ieſum et interrogaſſe, quis maior ſit in regno cœlorum. Marcus uerò ſcribit diſcipulos eſſe à Chriſto interrogatos primum. Lucas cõmemorat Chriſtum cognouiſſe diſputationem cordium ipſorum. Ad hæc Marcus dicit diſcipulos in itinere diſputaſſe de hac cauſa antequam ueniſſent Capernaum. Imò addit rogatos diſcipulos, ſiluiſſe. Hæc uidentur à ſeipſis inuicem diſſentire. Maximè quod Matthæus uidetur aſſerere Chriſtum interrogatum etiam eſſe à diſcipulis, quis maior ſit. Marcus uerò non ſolum diſcipulos interrogatos eſſe à Chriſto, ſed & interrogatos ſiluiſſe, quaſi tam abfuerit, ut ipſi ultro quæſtionẽ iſtam ad Chriſtum detulerint, ut rogati etiam, non auſi ſint fateri præ pudore.

Chryſoſtomus uidetur ſic effugere uoluiſſe, ut dixerit hanc cauſam nõ ſemel tantum agitatam à diſcipulis: quaſi putauerit, non eandem rem geſtam hic ab Euangeliſtis ſcribi. Verũ ipſe cõtextus ſatis declarat, eandem rem

rem tractatã semel eodem loco ac tempore hic ab Euangelistis commemorari. Augustinus in libris de consensu Euangelistarum non tangit hanc diuersitatem, ne uerbo quidem. Ego quid dicam nõ inuenio, nisi quod arbitror uerisimile esse primum à Christo, cui nota erat disceptatio, quam uersauerant in itinere, non omnes sed aliquot discipulos interrogatos, siluisse. Postea uerò conuocatos duodecim atq; interrogatos & ipsos, respondisse ac dixisse, hoc quæstionis fuisse: Quis maior sit in regno cœlorum. Atq; hoc esse quod Matthæus dicit, discipulos accessisse ad Christum. intellige duodecim illos uocatos à Christo, ac dixisse: uidelicet interrogatos respondisse, quis maior sit in regno cœlorũ, id scilicet fuisse ipsorum in itinere disputationem. Quòd si hæc ratio conciliandi hoc loco Euangelistas non placet, adducatur melior & placebit. Quanquàm in minutis istis, ut nec Euangelistæ fuerunt, ita & nos nõ admodũ decet curiosos esse, dummodo quæ potiora sunt quàm certissimè constent.

Quis maior est in regno cœlorum.] In Marco simpliciter legitur disputasse illos: Quis sit maior, ubi non liquet, qua in re maior. Noster uerò addit: In regno cœlorum: Ergo disputarunt, Quis in regno cœlorum sit maior. Adhuc autem non satis expressum est, quomodo hac de re disputauerint. An simpliciter quis ex omnibus mortalibus maior sit in regno cœlorum: uel, quis inter ipsos sit maior. Hoc Lucas declarat, dicens: Quis ipsorũ maior sit: Ergo hoc disputarunt. Quis inter se, uidelicet Apostolos, futurus sit primas ac potior in regno cœlorum. Illud: In regno cœlorum, à Chrysostomo intelligitur & exponitur de futuro seculo: & taxat suorum desidiam, quod neq; dum istum Apostolorum defectum assequuti sint, non quæ futuri sint regni cœlorũ, sed quæ præsentis seculi, quærentes ac sectantes. Apostolos uerò licet non ritè, tamen præsentium oblitos, de futuris disputasse. Verum totus contextus non solum hic, sed & infrà 20. & Lucæ 22. satis declarat in responsione Christi, Apostolos non de cœlesti futuro regno, sed de tali quod in hac uita breui futurum putabant, ad formam regnorum huius mundi, disputasse. Qua in re nõ solum plurimum errabãt, sed & plurimum peccabant. Error erat, quod regnum terrenum somniabãt: quo errore & Iudæi, & quidam etiam ex Christianis detinentur: sed regnũ Christi nõ est de hoc mundo. Malus affectus erat, quod in regno Christi de primatu disputabant. De isto affectu quædam notanda sunt.

Notanda

1 Primum, incertum est, quomodo de primatu disputauerint. Est enim hic affectus duplicis generis. Vnum eorum est, qui cupiũt regnare ac dominari, inq; gloria esse in hac uita. Alterum eorum, qui ipsi quidem hoc nõ affectant, ita tamen animati sunt, ut inuideant alijs istam gloriam. Vtrunq; genus sanè prauum est, & Deo odibile. Iam qualis fuerit ista discipulorum de magistratu disputatio, nõ admodum liquet, an simul omnes ambierint primatũ istum, uel an aliqui tantum ex ipsis, quibus tamen cæteri eam gloriam inuiderint. Sanè de utroq; genere apertè legimus infrà cap. 20. ubi filij Zebedæorum siue omni dissimulatione primatum ambiunt. Cæteri uerò ob eam rem illis succensent, uide locum. Verũ non admodum refert, utri generi affectus huius obnoxij fuerint, cum eadem sit radix utriusq;, mentis uidelicet superbia. Nam illi qui non apertè ambiunt primatum, nõ impediuntur affectu cordis, sed desperatione quadam, quam inde patiuntur, quod se uident non eo loco esse uel haberi, ut credibile sit ad altiora posse subuehi. Ideò nõ ambiunt, quod apprehendi posse desperant. Interea tamen latet adhuc in corde uenenum illud, è quo nascitur ista inuidentia: Ergo conspicuum est Apostolos adhuc esse carnales, non solum iudicio de regno Christi, sed & affectu. Hic affectus quàm sit detestabilis Deo non solum patet in exemplo Satanæ, qui ob illum deiectus est è cœlo, sed & ex uerbo Christi, dicentis: Qui se exaltat humiliabitur, &c.

Quærendum est, unde Apostoli ad istam disputationem permoti sint. Non dicam de tentatione Satanæ, 2
de qua legimus Lucæ 22. Petre, Satanas quæsiuit cribrare uos, &c. sed expendam eas causas, quæ externè uidentur discipulis oblatæ. Chrysostomus imprudenter Chrysost.
assignat eam causam, quod Petrus æquatus fuerit Christo in dando tributo: quasi ex eo discipuli permoti, cœperint Christum conuenire, deq; primatu rogare. Cum ex Marco clarum sit illos iam antequam Capernaũ uenisset Christus, hanc quæstionem in itinere mouisse, ubi certè Petrus de dando tributo nondum fuerat appellatus. Quin magis hinc uidentur moti, quod audierãt antea utpote suprà cap. 16. Petro dictum: Tibi dabo claues regni cœlorum. Item uiderunt Iacobum, Ioannem & Petrum se relictis assumptos ad suscitationem filiæ Archisynagogæ, Matth. 9. Et seorsum in montem capite præcedenti. Vt ergo suspicax est iste affectus prauus, cœperunt forsan ex eo colligere istos fore primates in regno cœlorum. Verum quid refert unde sint moti, cum hæc duo sint certa. Primum eam esse humani ingenij ex primorum parentum transgressione corruptionem, ut cupiamus esse Dij quidã in terris. Quæ ambitio in illis potissimum sese exerit, quibus præ alijs datur esse uel posse aliquid, ut sunt ciues ditiores ac docti. Deinde Satanam nullis mortalibus hac peste ita insidiari atq; Christi ministris. Hinc est quod non semel atq; iterum, sed tertio tentationem istam passi sunt Apostoli. Hic, infrà 20 & Lucæ 22. Adeò scilicet infensus est Satan isti ordini. Et quid aliud egit cum Episcopis post tempora Apostolorum? Quando illi non disceptarunt de primatu? In Conciliis quantum temporis insumptũ est in ordinandis primis sessionibus? Legantur historiæ Pontificum, decretales Epistolæ, Conciliorum gesta. Et quid hodie aliud quæritur, quàm ut Romano Pontifici ista ambitio dominandi restituatur in integrum? Ita perpetua est ista Satanæ tentatio, quæ certè non parũ nocuit Ecclesiæ Christi. Sed uideamus iam quomodo isti morbo medicus Christus mox initio mederi uoluerit.

Et accersitum ad se puellum Iesus, statuit in medio illorum, & dixit: Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut pueli, non ingredieminí in regnum cœlorum.

EX MARCO.

Et cum consedisset, accersiuit duodecim, & dicit illis: Si quis uult primus esse, is erit omniũ postremus, & omnium minister. Atq; arreptũ puellum statuit in medio illorũ, & cum cœpisset illum in ulnas suas dixit illis: Quisquis unum, &c.

Quanto serio istum affectum discipulorum supprimere uoluerit Christus, obseruandũ est non solum in uerbis, sed & in factis Christi, unde & discimus, quàm illum nolit ferre in suis.

1 Primum, sedet, tanquam autoritate sua usurus, & serij quicquam traditurus. Ita suprà Matth. 5. summè necessarium sermonẽ habiturus: primum consedit, &c.

2 Deinde, conuocat ad se duodecim. Quid hoc? Absq; dubio sciebat qui essent, qui primatum ambiebant, uel certè, ut infrà audiemus, ambituri erant. Cur omnes aduocat? Quia uidelicet sciebat omnibus necessariam esse istam admonitionem. Ita & infrà 20. generaliter ad omnes loquitur, licet duo tantum primatum ambirent, Iacobus uidelicet & Ioannes filij Zebedæorum. Et tolerabilius est illis, qui præ cæteris hoc morbo laborabant, ut non separatim, sed communi admonitione emendentur. Obser. Et hæc est ratio quod in Ecclesia obtinuit, ut ij qui deliquerũt, qui præ cæteris male uiuunt, communi correptione & admonitione quæ ad omnes fiat, ad resipiscentiam uocentur. Primum, ut illi eo citius admonitionem admittant, & ad se redeant. Deinde, ut & ij, qui in præsentiarũ illis uitijs, quæ carpuntur, obnoxij non sunt cautiores reddantur. Nam uerũ est, quod Augustinus dixit: Aut sumus aut fuimus, uel possumus esse quod hic est.

Augustini dictum

3 Tertio. Quod non uerbis duntaxat admonitionem instituit. Sed facto simul tali, quod & rem ipsam ob oculos exponeret, & è memoria nunquam excideret: utpote, quod puellum arreptum, tanquam uiuum exemplar, statuit in medio illorum, tanquam doctorem Apostolorum: & si non uerbis, tamen re ipsa loquentem, & hunc prauum affectum corrigentem. Huc facit, quod puerum primum in ulnas accepit: ut ostenderet charissimam sibi esse modesti animi simplicitatem & humilitatem. Quid aliud quæso exosculatus est in puello? At de primatu disputare, ab ea modestia, humilitate & simplicitate longè diuersum est. Hi ergo Christo chari sunt & accepti, qui puellum istum quàm proximè referunt ingenio.

4 Quarto, Et hoc plurimum ponderis habet, quod admonitioni præmittit grauissimã asseuerationem & obtestationem, dicens: Amen dico uobis: Quanquàm enim omnia Christi uerba, ut uera & certa haberi debẽt, conspicuũ tamen est, quod ea singulari quodam serio prolata sunt, quæ istam habent asseuerationem & attestationem adiunctam, atq; ob eam rem singulari quoq; diligentia audienda. Quid aliud facit Christus hac asseueratione, quàm quod fidem nobis quasi extorquere uult, & admonere nisi credamus, certo perituros?

5 Nisi conuersi fueritis.] Ecce minæ. Nisi. Ita facit necessarium hoc unum, quod exigit, & ad quod hortatur, ut sine illo, non sit cuiquam aditus ad regnum cœlorum.

6 Conuersi fueritis.] Quæ illa conuersio? Aberrabant. Ea uia, qua de primatu disputantes ingrediebantur, non ducebat ad regnum cœlorum, sed ad regnum Satanæ. Q. d. Nisi aliter fueritis, quàm nunc estis, &c.

Et efficiamini sicut paruuli.] Ecce quæ illa sit conuersio. Non dicit, sicut puer iste, sed sicut paruuli. Ne putarent isti puero singulare quid ab alijs pueris inesse, quod imitandũ sit. Nam in omnibus pueris naturaliter inest per ætatem, ad quod Christus suos reuocat. 7

Quid ergo pueris inest, quod hic à Christo commendatur tanto serio? Num exigit ut ad puerorũ ætatem, staturam, & rerum ignorantiam ac stultitiam redeamus? absit: Sed quid? inquit Apostolus: Nolite pueri effici sensibus, sed malicia paruuli estote. Sensibus autem perfecti estote. Et 1 Pet. 2. Deponentes igitur omnem maliciam, & omnẽ dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modo geniti infantes, &c. Ergo in eo oportet aßimilari puellis, ut quemadmodum illi, ita & nos, absq; omni fastu, malicia, dolo, simulatione & inuidentia, modesti, simplices, humiles, & apertissimus. 1 Cor. 14

Verum oportet imitari puellos anniculos, & forte bimulos, ea est hodie puerorum in malo maturitas præcox nimium.

Non intrabitis in regnum cœlorum.] Non dicit: Non eritis maiores in regno cœlorum. Quod tolerabilius fuerat: Sed non intrabitis in regnum cœlorum. Hoc est, si tales, ut cœpistis, esse perrexeritis, & ad similitudinem puellorum redire nolueritis, tam abest, ut maiores sitis futuri in regno cœlorũ, ut ne ullam quidem portionem, imò ne aditum quidem sitis habituri ad regnum cœlorum. Ardua planè sententia, omnibus magnatibus, potentibus, sapientibus, & in honore constitutis in hoc mundo! Si omnino ad similitudinem puellorum redeundum est, & conuertendum omnibus: quantum quæso itineris relegendum est illis, qui tanto spacio in sapientia, potentia ac gloria mundi huius progressi sunt? Si in regno cœlorum non sunt, qui puellis dißimiles sunt moribus & ingenio, quomodo in Ecclesia sunt, & quid ab illis sperabimus, & quomodo spiritum sanctum habent, qui in Concilijs & extra Concilia tantum ambitionis & fastus ostendunt? 8 1 2

Quisquis igitur demiserit semetipsum, sicut est puer iste, hic est ille maximus in regno cœlorum.

Declarat hic apertius per modum conclusionis, & absolutæ sententiæ quid dixerit, ubi respondit: Amen dico uobis: nisi cõuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non ingrediemini in regnum cœlorum. Videlicet, quod cõuerti et effici paruuli, sit demittere semetipsum ad humilitatem & modestiam paruulorum. Et simul respondet ad disputationem discipulorum, quis sit maximus in regno cœlorum. Sunt autem ad declarationem huius sententiæ & ad ædificationem quædam notanda.

Pontificius quidam in suo decalogo, præcepto ultimo scribit, pueros in eo commendari à Christo, ubi dicit: Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non ingrediemini in regnum cœlorum. Quod iam post baptismum sint innocentes & sine macula, id est, sine peccato.

peccato. At Christus, ubi seipsum exponit, non dicit: Quisquis igitur sine peccato est, ut est puer iste, &c. sed: Quisquis seipsum demiserit, ut est puer iste. Vt ostendat se nō hoc cōmendare in pueris, quod sint sine peccato, sed quod sint humiles ac sine fastu. Humilitas uerò potest & apud eum esse, qui peccato obnoxius est, id quod apparet in publicano, de quo Christus: qui se humiliat exaltabitur, nō qui sine peccato est, exaltabitur. Proinde, ut de publicano non facile dici posset: Qui sine peccato est exaltabitur. Dictum aūt uere est illud: Qui seipsum humiliat, exaltabitur. Ita & hic, nunq̄ dixisset Christus: Nisi sine peccato fueritis, non intrabitis, &c. Dixit autem: Nisi efficiamini sicut paruuli, non ingrediemini in regnum cœlorum. Sequitur non idem esse effici ut paruulus, atq; sine peccato esse.

Quod autem attinet ad paruulos, certum est, quod in peccatis omnes concipiantur & nascantur: Filij iræ, Psal.51 Ephe.2. peccatumq; habeāt in se, quod originale uocamus, corruptionem illam ac deprauationem naturæ. Quod uerò per baptismum dicit, tolli peccatum illud originis: uerū est, ita tamen, ut concupiscentia illa prana, nō ideò extinguatur, sed opus sit ut crucifigatur per omnem uitam. Ita tollitur peccatum per gratiam Christi, ut non cōdemnet amplius iuxta illud: Nihil condemnationis est illis qui sunt in Christo Iesu. Vt autē nullum Rom.8 sit peccatum in carne nostra non sequitur. Ideò Apostolus iubet deponere circunstans nos peccatum. Et Ioannes Hebr.12 dicit: Si dixerimus nos esse sine peccato, mendaces sumus, &c. Si dicas, is locus de adultis est, qui actualiter peccant. Respondeo, at & illi remissionem peccatorum habent, per Christum æque ac pueri in baptismo, & tamen uetamur, ne dicamus nos esse sine peccato.

QVISQVIS.

Simpliciter dicit: quisquis semetipsum demiserit, nō quisquis uestrūm. Atq; ita ostendit illis magnum fieri in regno cœlorū, tale quid esse, quod nō ad Apostolos tantum pertineat, sed quod per gratiam dei, cuiuis contingere possit credenti. At illi disputauerant non de eo quis credentium Christo, maximus sit futurus in regno cœlorum: Sed quis inter ipsos sit futurus in regno cœlorum maximus. Quasi primatus in regno cœlorū ad ipsos solos pertineat, tanquàm Apostolos & regni Christi primitias. Discimus ergo in regno cœlorum nullam esse uocationis qualisq̄nq; tantam dignitatem, ad quam solam pertineat ista prærogatiua, qua coram Deo magnus sit quisquam, sed illam expositam esse in genere quibusuis Christianis, ita ut & pueri illius sint capaces, imò adultis, etiam Apostolis, capaciores. Quisquis inquit semetipsum demiserit, sicut est puer iste, hic est maximus in regno cœlorum.

DEMISERIT SEMETIPSVM.

In Græco est, ταπεινώσῃ ἑαυτὸν, humiliauerit semetipsum. Humilitas ista non est rerum externarum, sed affectus quidam animi, sese inter quosuis abijcientis, nec sublimia sed humilia & abiecta sapientis, idq; non tum tantum, cum magnarū rerum nulla est copia, sed etiam ubi locus esset captandæ gloriæ, & occasio rerum sublimium. Non ergo dicit: Quemcunq; humiliauerit Deus, sed: Quisquis semetipsum humiliauerit. Aliud est enim nolis uelis à Deo humiliari. Et aliud si temetipsum humiliaueris qualis qualis in mundo esse possis. Humiles sunt multi si respicias externa, quos Deus inuitos etiam humiliat, qui tamen si daretur occasio & copia, ad sublimia euehi mallent. De illis non loquitur hic Christus, sed de illis qui spiritu sunt pauperes & humili, quacunq; conditione foris existant. Ita alibi dicit Christus: Qui se humiliat exaltabitur: & qui se exaltat, humiliabitur. Temporaria sorte uel humilem esse uel sublimem, nihil ad hanc causam facit, sed animi pensatur affectus.

Humilitatis huius exemplum uidere est in Christo, Ioan.13. in lotione pedum, quam rectè contentioni Apostolorum de primatu, subiecit curādæ illius gratia. Item & Philip.2. ubi ad istam ueram animi humilitatem nos reuocat, per exemplum Christi Apostolus. Idem uidere est & infra cap.20. & Lucæ 22.

Locum hic non habet ficta illa humilitas eorum qui cum sese supra omnes exaltauerint, uerbis fingunt se minores, minimos, seruosq; seruorum Dei, cum uelint haberi pro dominis totius terræ, fastuq; utantur plus quàm regio. Ista humilitas non tollit officia, siue magistratuum, siue Ecclesiastica. Talis est quam habere potest etiam rex quisq; potentissimus, ut non sit necesse relicta regni administratione monachatum arripere. Episcopus, doctor, pastor, in officio quod quisq; diuinitus administrandū accepit, permanere potest, imò debet etiam, & tamen semetipsum demittere infra omnes. Christus est dominus & magister: & tamen licet sit magister & dominus, omnium est iuxta humillimus. Qui dominus est habens sub se seruos, non cogitur mutare conditionem, animum mutare iubetur. Ita & de patribus familiās, maritis, ita & de singulis magistratibus sentiendū. Nam sublimitas ista non est ex affectu superbiæ, sed ex Deo, qui ita ordinauit, ut sint inter mortales reges, magistratus, domini, serui, patres familiās, mariti, uxores, liberi, & ut quisq; suo potiatur honore. Item ut sint Episcopi, presbyteri, diaconi, pastores, doctores, præpositi, & ut illis suus sit honor. Hoc tamen ab illis exigitur isto loco, ut non quærant esse sublimes, sed ut sint omniū serui, seq; ipsos infra omnes, non externa tantum seruitute, sed & ipso animi affectu, abijciant.

Quærendum tamen uidetur, quum omnino ista demissio exigat, ut relicto sublimi aliquo fastigio, ad ima fiat descensus, quod sit illud culmen, unde descendere oporteat: deinde & qui illi sint, ad quos ista sentētia pertinere possit. Videtur enim pertinere non posse ad eos, qui alioqui sunt humiles & abiecti.

Respondeo. Ista demissio ad omnes mortales pertinet, etiam eos, qui infimæ sunt sortis. Licet enim illi externe sint abiecti, intus tamen fastum ex humani ingenij corruptione alunt. Superbia mētis quæ ex Adam omnibus inest mortalibus, fastigium illud est Deo execrabile, è quo descendendum est per affectum cordis humiliati & abiecti.

Sicut puer iste.] In exemplo pueri, discendum est

qualis sit ista humilitas. Pueri habent hanc modestiam, & tamen ignorant se illam habere. Ita comparatus est animus uerè humilis. Non intelligit se preciosissimo isto bono præditum esse, unde de eo quoq; nihil potest gloriari. Est enim ista uirtus talis, ut esse nequeat apud eum qui sibijpsi placet, etiam de ipsa humilitate. Verè humiles, humiles esse cupiunt, prædicari non cupiunt. Proinde illud in cantico beati Virginis: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Non est exponendum de ista humilitatis uirtute, sed de humili conditione ac sorte. Non est enim dandum hoc Virgini sanctissimæ, quod gloriata sit se esse humilitatis uirtute præditã, perq; illam dignam factam quæ mater fieret Saluatoris.

Notandum simul est & hoc, humilitatem istam per quam licet fieri in regno cœlorũ maximum, talem esse, quæ nõ opus habeat prudentia et eruditione aliqua singulari, cum illa prædi ti sint pueri, & per illam hic puer maior fuerit ipsis etiam Apostolis.

4 Hic est ille maximus in regno cœlorum.] Declarandum est & hoc. Nam magnum esse in regno cœlorum bifariam intelligi potest. Aut enim idem est atque officio magnum esse ac sublimem, aut magnam esse reputatione coram Deo. Iam Apostoli disputauerant de primatu in administrando regno Dei, quis inter ipsos sit maximus uirtute & potentia futurus. Quod ergo Christus respondet eum qui semetipsum demiserit, quisquis tandem sit, fore maximũ in regno cœlorum: uidendum est, an ad primam uel alteram sententiam pertineat. Si ad primam, sequetur eum esse maximũ potestate inter Apostolos, & omnes Christi ministros, qui fuerit omniũ humillimus. Verum non constituit Christus hoc modo aliquem inter Apostolos, qui reliquos potestate excelleret, primatumq; haberet: sed omnes, teste Cypriano & Hieronymo, eiusdem fecit esse potestatis & honoris. Et sanè magnã in Ecclesia Christi peperisset confusionem, si ita constitutum esset, ut quo quisq; est humilior, hoc plus potestatis habeat in ministerio. Quis enim certus esset de uera humilitate ministri? Quin hoc pacto, ut & factum est, plus fidei haberetur hypocritis, quàm ueris Dei ministris.

Relinquitur igitur Christũ respondere non ad quæstionem discipulorum, ut & in eo quod dixit: Quisquis seipsum humiliauerit. Sed magis auocare ab affectatione primatus huius, ad eam reputationẽ quæ coram Deo parata est mentibus contritis & humilibus, quæ est & potior (nam prior dignitas, etiam si data esset, neminem saluaret) & potest contingere non Apostolis tantum, sed & cuiuis Christiano, etiam pueris.

OBSER.

1 In regno cœlorum.] In mundo non ita. Nam hic contemnuntur et peripsema sunt, qui seipsos demittunt. Qui uerò seipsos exaltant, ij demum magni habentur. Proinde si quis uolet in mundo magnus esse, aliam necesse est uiam ingrediatur, quàm quæ hic à Christo monstratur. Et hoc norunt illi, qui dicunt: Vuer sich selb hinuuirft, den uuirft yederman hin.

Hoc ingenio mundus est, ut non nisi splendida & sublimia suspiciat, hoc est, non solida & uera, sed inania & fucata.

Sed quærendum hic, quamobrem ista humilitas Deo ad hunc modum placeat, ut quo quisq; est humilior, hoc illi sit maior ac potior. Hoc ingenij habet Deus, ut execretur quamuis elati animi superbiam, & uicissim humilitatem contritæ mentis cõplectatur. Huius innumera sunt testimonia. Angelus cœlo in abyssum inferni propter superbiam deiectus est. In propheta Esaia cap. ult. dicit Deus: Vbi requiescã, nisi in eo, qui corde est contrito & humili, &c. Et Petrus. Deus superbis resistit, humilibus uerò dat gratiam. Et in Pharisæo & publicano luculentum est huius testimoniũ. Hoc animo Deum esse præditum satis fuerit certo scire. Quare uerò talis sit, nihil opus est scrutari. Nos ergo hoc loco admonemur, hoc esse ingenium Dei, ut humilibus delectetur, & quæ in mũdo alta sunt, abominetur iuxta illud Christi: Quod altum est coram hominibus, abominatio est coram deo. Luca 16 Sit hoc consolationi abiectis & contemptis, maximè qui eo sunt statu, ut alijs inseruire cogãtur. Acceptior enim est coram deo, qui alijs seruit, si id faciat ex animo, quàm cui seruitur, si id cupidè quærat.

Et qui receperit unum puellum talem in nomine meo, me recipit.

Adhuc in eo est, ut commendet humilitatem, illamq; in pueris nobis proponat. Commendat autem eam in eo, quod usq; adeò sibi placeant humiles ac demissi, ut sibi ipsi agnoscat factum, quicquid in illos committitur.

Quid hic notandum sit, uide suprà cap. 10. in fine, ubi similis locus habetur.

Qui autem offenderit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collum eius, ac demergatur in profundum maris.

1 Ista est antitheſis ei subiecta quod præmisit, & ad eundem scopum pertinens, uidelicet, ut ostendat rationem, quare qui minimi sunt, maximi sint in regno cœlorum: nempe ideò quod sibi & patri potissimum placeãt acceptiq; sint. Nam in eo uersatur, ut suos absterreat ab affectu illo superbiæ & ambitionis, quo laborabant de primatu disputantes, & ad affectum modestiæ & humilitatis reuocet. Huc tendunt omnia.

3 Ideò non dicit: Qui offenderit uos qui in me creditis, expedit ei, &c. Sed qui offenderit pusillos istos, ut & supra non dixit: Qui receperit uos in nomine meo, me recipit: sed qui receperit puellum talem, &c. Non enim ad argumentum præsens faciebat. Nam alioqui nimium præsumebant de eo quod Apostolatus dignitatem habebant, & peculiares erant Christi discipuli. Hac ratione sermonem ita moderatur, non quod is qui Apostolum Christi accepturus erat in nomine Christi, non fuerit ipsum Christum recepturus. (Hoc enim suprà capite decimo asseruit quia locus erat: agebat quippe de futuris persequutionibus, ubi opus erat consolatione.)

Sed

Sed quod iſta commemorandi nulla hic eſſet opportunitas, imò magis importunitas, & nullus fructus, quin magis periculum.

3 Emphaſim habet, quod non ſimpliciter dicit: Qui receperit pueros tales in nomine meo, nec, qui aũt offenderit puſillos iſtos, &c. Sed, qui receperit unum talem, et, qui offenderit unum ex puſillis iſtis. Indicat enim humiles & puſillos ſuos ita ſibi charos eſſe, ut in uno quolibet illorũ uel honore ſummo, uel ignominia maxima queat affici. Et iſtud uult ſubiecta parabola de centum ouibus. Talis ſcilicet eſt affectus ueri paſtoris, item parentum erga liberos. In ſumma omnium eorum, qui propenſiſſimi ſunt in res aliquas, ut in parabola eſt mulieris, quæ decem drachmas habens, unam perdiderat, &c. In hoc ſeculo non ita ſunt affecti principes, qui etiamſi aliquot millia pereant, non admodum dolent, dummodo liceat eſſe principibus. De uno forſan magnatum offenſo, alia illis eſt ratio, quàm ſi quiſquam, imò quàm plurimi ex infima plebe pereant. Se non ita eſſe affectum docet diſcipulos ſuos hoc loco Chriſtus. Quæſo quæ poterit nobis in Chriſto maior eſſe conſolatio? Sed uideamus ex ordine ſingula.

1 Qui offenderit.] Secundum ſeriem antitheſis, dicendum erat: Qui autem non receperit, ſed contemſerit unum ex puſillis iſtis. Et certè hoc uult in eo quod dicit: Qui autem offenderit, id quod infrà declarat, ubi dicit uidere: ne contemnatis unum ex puſillis iſtis. Verbo tamen offendendi non utitur præter rationem. Nam contemptus iſte paruulorum & ſuſpectio magnorum, paruulos offendit ac perdit, dum ſuſpicionem illis generat, quod ad Chriſtum non pertineant. Tale offendiculũ erat, quod infrà capite ſequenti habebimus, ubi diſcipuli prohibebant paruulos adduci ad Chriſtum. Iam ad Chriſtum non pertinere, eſt idem atq; perire. Ideò infrà in applicatione parabolæ dicet: Sic non eſt uoluntas patris ueſtri, ut pereat unus ex puſillis iſtis. Itaq; offendere hoc loco nihil eſt aliud, quàm cõtemnere, negligere, atq; ita occaſionem dare perditionis, & à ſalute quæ eſt in regno Chriſti impedire.

Iſta expoſitio conuenit argumento præſenti, & facit contra morbum illum diſcipulorum, quo in primatus ambitione laborabant.

Notandum eſt & hoc, in eo quod dicit: Qui offenderit, cum debebat dicere: qui non receperit. Eos hoc ipſo offendere, id eſt, impedimentum dare ſalutis, & occaſionem perditionis qui non recipiunt in nomine Chriſti, ſed contemnunt & negligunt. Iuxta illud: Qui non congregat mecum, diſperdit.

2 Vnum ex puſillis iſtis.] Plurimum hic peccant, ſi de ætate pueris intelligitur. Anabaptiſtæ qui pueros in nomine Chriſti non recipientes, quantum in ipſis eſt, ſiniſtræ ſuſpiciones occaſionẽ dederunt: quaſi illis nulla ſit portio in Chriſto.

Deinde & parentes, qui pueros negligunt, & ita educant, quaſi ad Chriſtum non pertineant, ut taceam corruptionem domeſticam, qua omnis generis uitijs imbuuntur & corrumpuntur, atq; ita perduntur.

Quid de illis dicendum, qui liberos ſuos tyrannide quadam omnium impiiſſima à cognitione Chriſti cohibent & impediunt, et ad impiam ſuperſtitionem Pontificiorum adigunt. Iſta uis erat per magiſtratum cohibenda.

Qui in me credunt.] Hic laborant aliqui, quo- 3
modo dicat credere in ſe puellos, cum tamen per ætatem credere nequeant, ea fide ſcilicet, quæ ut ab Apoſtolo Hebr. 11. deſcribitur: Subſtantia eſt rerum ſperandarum & argumentum non apparentium, & Rom. 10. dicitur eſſe ex auditu uerbi.

Auguſtinus epiſtola 23. de baptiſmo paruulorum ad Bonifacium rogatus, quomodo inter baptizandum dicantur infantes credere, cum affectum fidei nondum habere poſſint. Reſpondit hoc ideò dici, quod fideles habeantur propter fidei ſacramentum, uidelicet baptiſmum. Atqui iſta reſponſio non ſequitur, ſed præcedit baptiſmum, & ita præcedit, ut ad illam poſtea baptizetur infans. Debebat hoc ſenſu reſponderi in futuro credet, non in præſenti credit. Credet uidelicet, ubi fidei ſacramento accepto fidelis erit propter fidei ſacramentum.

Alij exponunt hic, qui in me credunt, id eſt, qui à 2
me pendent. Pendere autem à Deo idem eſſe atq; ſecuros eſſe bonitate eius qui ipſos condidit, nullam prorſus ſui curam agentes, licet de Deo patre & Chriſto filio eius nihil ſciant, ut qui prædicati uerbi nondum per ætatem capaces ſint. At hic ſenſus talis eſt, qui competere poſſit omnibus in uniuerſum infantibus, imò etiam beſtijs. Nam de coruis in Pſalmo legitur, quod inuocent Deum: & de paſſerculis in Euangelio, quod ſecuri ſint de uictu. Eò quod diuinitus alantur, nec ſerentes, nec metentes, nec colligentes in horrea.

Hæc uerò Chriſti uerba aliud, quid uolunt. De talibus pueris loquitur, qui peculiariter ad ſe pertineant, qui in ipſius nomen queant uel ſuſcipi uel contemni. Proinde nec hic ſenſus quadrare uidetur. Dicam igitur quid ego ſentiam.

Verbum credendi dupliciter capi poteſt. Primum Credere quid.
actiuè pro ex auditu uerbi habere fidem in Chriſtum. Et hæc ſententia conuenit adultis, & etiam aliquouſq; pueris illis, qui in fide Chriſti nonnihil imbuti ſunt, quales illi erant, qui Matthæi cap. 21. in templo canebant, הושיענא, Benedictus qui uenit in nomine Domini, de quibus Chriſtus reſpondit illud Dauidis: Ex ore infantium ac lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos. Iam iſta acclamatio puerilis an non egregiam refrebat de Chriſto fidem? Quod ſi hic puellus poterit talibus connumerari, nulla erit quæſtio. Et certè infantem non fuiſſe, ſed talem, qui in fide Chriſti aliquid potuerit inſtitui, argumento eſſe poterit, quod Euangeliſta commemorat aduocatum eſſe, & conſtitutum à Chriſto in medium Apoſtolorum. Aduocatum uenire, & in medio diſcipulorum ſtare poſſe, certè non eſt eius pueri qui omnino ſit infans. Et quia res iſta geſta eſt in ædibus Petri Capernaum, in quibus Chriſtus aliquoties, imò ſæpenumero comparuit, &

miraculoſe etiam ſocrum Petri excitauit, credibile eſt hunc puerum in fide Chriſti inſtitutum fuiſſe nonnihil, quantum per ætatem licuerit.

Et hoc de puellis iſtis quoq; dici poteſt, quibus Ioannes ſcribit, ca. 2. dicens: Scribo uobis παιδία, quoniam cognouiſtis patrem. Erant enim liberi Chriſtianorum, atq; ideò imbuti in fide Chriſti, & certè tales, quibus ſcribi potuit.

Secundo modo credere, quod idem eſt atq; in fide eſſe, capi poteſt συνεκδοχικῶς pro connumeratum eſſe populo credentium, pertinere ad credentes, etiam ſi fidei affectus & intellectus nondum adſit. Quemadmodum & Chriſtianum eſſe, in fide Chriſti eſſe, biſariam dicitur. Aut enim eſt actualiter in fide Chriſti eſſe, aut hoc præſenti mundo ad fideles pertinere. Sicut in contrario, Mahometanum eſſe, in fide Mahometi eſſe. Non ſolum dicuntur adulti, ſed et infantes eorum, qui tales ſunt, etiam ſi per ætatem nondum intelligant, in qua fide ſint, nec ſciant quis fuerit Mahometes, &c. Ita incredulum eſſe, non tantum eſt actu incredulitatis præditum eſſe, ſed & incredulis talibus coniunctum eſſe. Hoc ſenſu & lupulum recens natum prædatorem uocamus, non actu, ſed propter naturam parentum à quibus eſt natus, & quod in eam ipſe quoq; educabitur, ſi permiſſum fuerit. Sic Cæſarianũ eſſe, tale quid eſt quod non ſolum de adultis, ſed & de infantibus dici poteſt, etiam ignorantibus quis ſit Cæſar. Quæſo, non poterit Cæſar dicere: ſi quis offenderit unum ex puſillis iſtis, qui mihi fide & iureiurando obſtricti ſunt, magno ſerio puniam? Vtiq;, etiam ſi illi neſciant quicquam uel de Cæſare, uel de illius dominio.

Ita & hic puellus, & omnes Chriſtianorum infantes ad Chriſtum pertinentes, deq; numero fidelium exiſtentes, rectè dicuntur eſſe in fide Chriſti, fideles & credentes, licet nondum ſint imbuti in fide. Et Chriſtus ipſe agnoſcit eos pro ſuis iuxta fœderis rationem, in quo ſunt non ſolum adulti credentes, ſed & illorum liberi. Nam dictum eſt: Ero Deus tuus & Deus ſeminis tui.

Iſta eò pertinent, ut liberos noſtros maiore religione in fide Chriſti, tanquam ad Chriſtum pertinentes, & ſub nomine Chriſti conſtitutos imbuamus, poſteaquam ita à Chriſto agnoſcuntur, ut maximi ſint in regno cœlorum, & in illis uel ſuſcipi uelit uel contemni.

Quid autem ſi illud τῶν πιστευόντων εἰς ἐμὲ referatur non ad pueros, ſed ad puerorum parentes in Chriſtum credentes?

4 Expedit ei, ut mola.] Ratione antitheſis dicendum erat: me offendit. Verum quia iſta ſententia parabatur aduerſus impios homines, ideò nonnihil erat exaggerenda minis. Exprimit autem magnitudinem peccati, per id quod dicit: expedire tali, ut molæ aſinariæ alligatus, proijciatur in profundum maris. Quod ſupplicij genus, annotante Hieronymo, pro conſuetudine eius prouinciæ paratum erat grauioribus ſceleribus.

Sed quid? An mox mergendi ſunt, qui pueros offendunt, uel ſimpliciores, ad Chriſtum pertinentes? Forſan ita locum hunc intelligunt noſtri Epiſcopi, merſores miſerorum, eorum ſcilicet, qui deo putant magis obediendum, quàm hominibus. Et certè expedit, inquit Chriſtus & ei expedit, qui talis eſt, ut mergatur. Faciendum igitur, quoniam expedit.

Verum noſtri magis dicunt illud Caiphæ, συμφέρῃ ὑμῖν, quàm συμφέρῃ αὐτῷ.

Quomodo autem expedit miſero, ut mergatur? Vide Marcum, qui habet ad hunc modũ, melius illi eſſet &c. intellige, quàm ferre eas pœnas quæ manent illum in futuro. Hic diſputatur à nonnullis, an qui hic puniuntur, liberi ſunt à futuro ſupplicio. Quæ diſputatio, quoniam uidetur intricata, & curioſa, relinquetur ocioſis & curioſis hominibus.

Væ mundo ab offendiculis. Neceſſe eſt enim, ut ueniant offendicula. Verumtamen uæ homini, per quem offendiculum uenit. Quod ſi manus tua, uel pes tuus, offendiculo eſt tibi, abſcide eum, & proijce abs te. Bonum eſt tibi ad uitam ingredi claudum aut mutilum, potius q̃ duas manus, uel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum. Et ſi oculus tuus offendit te, erue eum, & proijce abs te. Bonum eſt tibi, ut luſcus intres in uitam potius, quàm ut duos oculos habens mittaris in gehennam ignis.

Iſta digreßiunculam habent planè patheticam. Quoniam enim incidit in materiam offendiculorum, admonitus eſt mentis cogitatione omnium futurorũ præſcia, quàm innumera ſit futura ſcandalorum offenſio, quantoq; ſupplicio, & quàm graui condemnatione uel huius gratia dignus ſit mundus. Loquitur autem non de quibuſuis offendiculis, quæ in mundo pijs quauis ætate ac tempore data ſunt ac dantur ubi q̃. Sed de illis ſpecialim quæ concernunt regnum Dei, ac tempus noui teſtamenti, myſterium ſcilicet illud à ſeculo abſconditum & fidem in ſe. Et hoc ſenſu pulchrè iſta ſubiunguntur ei, quod dixit: Qui offenderit unum ex puſillis iſtis qui in me credunt. Et ſubijciuntur illa: Neceſſe eſt ut ueniant ſcandala. Quibus uerbis ſatis indicat ſe loqui de futuris ſcandalis. Alioqui dicendum erat: Væ mundo à ſcandalis. Neceſſe eſt enim ut ſint ſcandala. Quæ ſint autem illa ſcandala mundi tum futura, ac neceſſariò futura 1. Corinth. 1. ſatis apertè declaratur. Sermo crucis, per quem uoluit Deus ſaluos facere credentes, ſcandalum eſt Iudæis, ſtultitia Græcis, hoc eſt, mundi ſapientibus. Huius generis ſcandali innumera eſt multitudo, propter innumeras res, è quibus mundus argumenta contemnendi Chriſti ſumpſit, quarum primaria eſt ipſa crux & humanitatis infirmitas. Poteſt autem uideri illud, ab offendiculis ita poſitum: quaſi intelligendum ſit paßiuè, de illis offendiculis, quibus mundus impediatur à ueritate Dei. Et certè, quod non dicit: διὰ τὰ σκάνδαλα, propter ſcandala, ſed ἀπὸ τοῦ σκανδάλου, à ſcandalis, meo iudicio, innuit de illis offenſionibus

nibus dictum hoc esse, quibus mundus ipse offenditur, quò minus ad ueritatem accedat. Verum nihil refert, etiamsi actiuè intelligamus. Nam ut mundus offenditur mille modis in regni Christi humilitate, ita et ipse offendit plurimos, hoc est, impedit à fide & cognitione Christi, id quod maximè accidit infirmis ac simplicioribus. Tale genus scandali est, quod suprà habuimus capite 13. ubi legimus. Porrò cum inciderit afflictio aut persequutio propter sermonem, continuo offenditur, &c. Hoc scandalo offendit mundus infirmos. De utroq; scandali genere uide suprà capite 5.

OBSER.

Quid hic admonemur? Nempe nihil esse periculosius pietatis studio, quàm si uelit in causa fidei ac religionis mundum sequi, plenum tot ac tantis offendiculis. Mundus autem est potior pars mortalium, non solum inter Iudæos, sed & Christianos. Ea scilicet, quæ sapientiæ humanæ iudicio ducitur, complectens doctos, sapientes, potentes, &c.

Necesse est enim, ut ueniant scandala.] Hæc est ratio, quare mundo dicat: uæ ab offendiculis. Quia, inquit, necesse est, ut ueniant offendicula. Sed quæritur hic, quare necesse sit, ut ueniant offendicula. Necessitatis duplex est ratio. Vna est ex immutabilitate iudicij Dei, partim super impios, partim propter bonos. Super impios, ut erat offendiculum, quod dabatur Pharaoni à Magis, & regi Achab à falsis Prophetis, in quibus erat spiritus mendax. Propter bonos, ut est illud de quo Apostolus 1. Cor. 11. Oportet enim hæreses esse, ut qui probati sunt manifesti fiant. Altera est, ex conditione causæ ueritatis, & corruptione mundi. Ea enim est ueritatis in mundo conditio, ea humilitas, & uicißim ita corruptum est iudicium mundi in sua sapientia, ut impoßibile sit, non uenire offendicula, dum mundus quæ Dei sunt, non agnoscit, imò ne potest quidem agnoscere, eò quod
1. Cor. 2. stultitia illi sint. Et in hoc sensu uidetur dictum Lucæ 17 ubi legitur, ἀνένδεκτόν ἐστι τὸ μὴ ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα, hoc est, fieri nequit, non capit, impoßibile est, ut non ueniant offendicula. Nam ita dici solet de rebus ita corruptis, ut restitui nequeant. Ita & de ingenio mortalium deploratio, ut si dicas: ἀνένδεκτόν ἐστι, ut mundus corrigatur ac reformetur. Innumera hic sunt offendicula, quibus mundus & offendit & offenditur.

OBSER.

Quid ergo faciendum? uidelicet hoc quod Apostoli fecisse leguntur Lucæ 17. Dicendum: Domine adauge nobis fidem. Nam ea est, quæ mundum uincit, ut est in Iohanne. Hæc est uictoria uestra quæ uincit mundum, fides uestra. Sine illa impoßibile est non impediri à uia ueritatis. Illa nanq; sola est, quæ, quia nititur uerbo & promißionibus Dei, quæ fallere nequeunt, omnes tentationes, & uniuersa mundi offensacula superare potest. Et hæc est illius maxima gloria, quod nec mundo, nec mundi sapientiæ, gloriæ, potentiæ, credulitati, etiam hypocrisi ac simulatæ pietati, longæ consuetudini, unanimi consensui, imò ne portis quidem inferorum cedit. Ideò Petrus dicit: Cui resistite fortes in fide.

Veruntamen uæ homini illi per quem.] Quare uæ, si necesse est ut ueniant scandala? Malis non est impunè, quod nolint uelint instrumenta sunt Satanæ, à quo captiui detinentur ad ipsius uoluntatem. 2. Tim. 2. Lupus etiam si nequeat ad ingenium se & mores ouiũ mutare, sed cogitur naturæ ui ad rapinam, nihilominus occiditur ut raptor. Ita planè non excusantur impij, qui à Christo impediunt uel unum ex paruulis, ut taceam de illis, qui tot millia credentium offendunt, dum ueritatem in mendacio detinent. Væ ergo illis, etiamsi hoc fiat ex necessitate iudicij Dei, in quod tamen ipsi non respiciunt offendendo, etiam si fiat in bonum bonis, quod tamen ipsi non quærunt. Sic Iudæ uæ, etiamsi pater non pepercerit proprio filio, sed pro nobis omnibus illum tradiderit. Ita Christus dicebat: Filius hominis quidem uadet sicut de illo scriptum est, ueruntamen uæ homini per quem tradetur.

Ergo excusari non poterunt quicunq; maleficiunt, nisi resipiscentiæ beneficio desistant.

Rursus, sequitur beatos esse per quos aliqui ad ueritatem iuuantur & promouentur.

Quod si manus tua uel pes,] Quoniam non solum illi uæ qui offendit, sed & ei qui offenditur. (Nam non solum cæcus ductor in foueam cadit, sed & is cæcus qui à cæco ducitur.) ideò subiungit hortationem ad suos, ut cauti sint, ne offendantur, quod alioqui perituri sint in æternũ. Quomodo autem exponendum sit, quod de oculo eruendo, & manibus ac pedibus abscindendis, si offendant, dicit: suprà declaratum est capite 5. ubi ad uerbum eadem habentur.

Videte ne contemnatis unum ex pusillis istis. Dico enim uobis, quod angeli eorum in cœlis semper uident faciem patris mei qui in cœlis est. Venit enim filius hominis seruare quod perierat. Quid uobis uidetur? Si fuerint alicui homini centum oues, & errauerit una ex eis, nónne relictis nonagintanouem in montibus, uadit & quærit eam quæ errauerat? Et si contigerit ut inueniat eam, amen dico uobis, gaudet super ea magis, quàm super nonagintanouem illis quæ non errauerunt. Sic non est uoluntas coram patre uestro, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis. 1 2 3 4

Redit ad commendationem humilium ac pusillorum, cõtra tentationes illas superbiæ, quibus negocium faciebat Apostolis à Satana. Diuiduntur autem ista in duas partes. Prima habet quid præcipiat. Altera, quam rationem aßignet.

QVID PRAECIPIAT.

Videte, ne contemnatis unum ex pusillis istis.] 1

Prohibet contemptum pusillorum. Qui sunt illi pusilli? Quidam exponunt de pusillis non ætate, sed æstimatione. Quidam uerò de pusillis ætate. Nihil prohibet de utrisque intelligere, licet ex eo, quod non simpliciter dicit: Vnum ex pusillis, sed addit: istis. Poßit uideri dictum de ætate pusillis, qualis erat puellus quem Chryſoſt.

aduoca-

aduocatum statuerat in medium discipulorum. Quia tamen reuocat suos ad qualitatem talium ætate pusillorum, quod non potest intelligi de ætatis humilitate, sed necesse est ut referatur ad animi humilitatẽ & modestiam: ideò exponendum est quod hic dicit, de utrisq; tam æstimatione quàm ætate pusillis. Nihil enim coram Deo discriminis adfert ætas, sed magis animorum qualitas. Infans erat Esau, cum adhuc in utero matris constitutus odibilis esset Deo. Iacob uerò non solum infans, sed & senex Deo dilectus erat.

a Vide ne contemnatis.] Ne contemnatis. Cum sermonem habeat de scandalo, cur non dicit: ne offendatis, ne lædatis, ne perdatis unum ex pusillis istis? Quid est quod dicit: Ne contemnatis? Ipsum fontem obturat omnis offensionis & læsionis, qua pusilli læduntur & offenduntur. Is est contemptus, καταφρόνησις. μὴ καταφρονήσητε, inquit. Est autem καταφρονεῖν, humiliter & abiectè sentire de aliquo, minus & infrà quàm de seipso. Qui hoc facit, certè facillime eò deueniet, ut & offendat ac lædat, quem contemnit. Quoniam uerò pusilli in hoc seculo plerunq; contemptui sunt obnoxij magis, quàm qui magni uidentur, ideò suos præmonere uoluit, ne pusillum aliquem contemnerent, propterea quod pusillus est.

Intendit autem admonitionem in eo quod non simpliciter dicit: Ne contemnatis unum ex pusillis istis, sed uidete ne contemnatis, &c. Nam eo uerbo sollicitudinem ac uigilantiam incutit. Et non immerito. Nouit enim quàm sit difficile, etiam sanctis non contemnere pusillos, qui omnium æstimatione ac reputatione in hoc seculo carent. Samuel erat propheta Domini magnus, et tamen hac in re erat admonendus diuinitus in unctione Dauidis, de qua legimus 1. Samu. 16. Nam respicere uolebat uultũ et altitudinem staturæ Heliab fratris Dauidis, quem Dominus non elegerat. Et cum Dauid ingrederetur, opus habuit admoneri per spiritũ Domini, eò quod esset postremus inter fratres.

Videte.

Vnum. Huc etiam facit, quod non dicit: Videte ne contemnatis pusillos istos, sed, ne contemnatis unum ex pusillis istis. Nam ita uoluit exprimere, ut infrà audiemus, quàm chari sint deo, quàm illorum habeat exactam rationem, quàm sint prouidentiæ ipsius uniuersi commendati. Sed hac de re & suprà admonuimus, ubi dixit: Qui receperit unum, & qui offenderit unum.

QVAM RATIONEM ASSIGNET.

2 Quanquàm suprà satis argumentorum posuerit, utpote, quod ingressus regni cœlorum non nisi pusillis patet, quod pusilli maximi sunt in regno cœlorum, quod qui pusillũ aliquem suo nomine recipit se recipit. Quod melius esset, ut in mare proiceretur, qui unum ex pusillis offendit. Adhuc tamen adiungit, imò potius declarat principalem rationem, quæ omnibus pijs omnium debet uideri maxima. Illa est, Quod pusilli Deo patri ita sunt chari, ut nolit ne unũ quidem ex illis perire. Huius duo argumẽta ponit, quibus deinde & similitudinẽ omnium iucundissimã declarandi & illustrandi gratia adiungit.

Dico enim uobis, quod angeli.] Primum hoc argumentum est, sumptum à prouidentia custodiæ angelicæ, qua pusillos undiq; uoluit esse munitos. De hac habemus Psal. 34. Angelus Domini in circuitu timentium eum. Et Psal. 91. Angelis suis Deus mandauit de te, ut custodiãt te in omnibus uijs suis. Quod de eo dictum est, qui sub alis diuinæ custodiæ & protectionis habitat. Et Ebr. 1. dicuntur spiritus administratorij, in ministerium missi propter electos. Hoc declarant sacræ historiæ.

Angeli eorum.] Colligunt hinc quidam, singulis electis suos deputatos esse angelos, ut Hieronymus: in cuius Commentarijs, si tamen illius sunt, ita legitur: Magna dignitas animarum, ut unaquæq; habeat ab ortu nativitatis ad custodiam sui deputatum angelum. Verum de hoc nihil est affirmandum, an unus multis sit deputatus, uel quisq; electorũ præcipuum habeat. Et scriptura quam Hieronymus hic adducit ex Apocalypsi de angelis Ecclesiarum, ad propositum non facit. Proinde quod quidam Christianorum colunt angelos suos, duplici errore ducuntur. Vno, quod incertum est, quod putant unicuiq; suum esse peculiarem angelum: altero, quod etiamsi hoc esset, neq; sic tamen colendi sunt angeli, sed angelorum Dominus.

Semper uident faciem patris.] Cum angeli sint ministri electorum, & in illorum ministerium mittantur de cœlis, ut historiæ testantur, unde & angeli dicuntur, id est nũcij. Quomodo hic Christus dicit, quod perpetuò uideant faciem patris, qui in cœlis est: quasi nunquàm ad terras mittantur?

Non hoc agit Christus, sed loquitur simpliciter ad morem seculi huius, ubi consistere in conspectu regis faciemq; illius perpetuo uidere posse, signum est domesticæ et intimæ familiaritatis. Quemadmodum ergo signum est summæ principis clementiæ erga subditos aliquos, si eos illis deputet custodes et præfectos, quos perpetuò secum habeat intimos & coniunctissimos: & ut illi haud impunè læduntur, qui suos præfectos habent ex ijs, qui principi sunt quàm proximi, ad quẽ ob id omnia possint referri, quod illis liber est aditus: ita summam uult hoc loco Christus exprimere beneuolentiam Dei patris erga pusillos suos, quod de spiritibus suis cœlestibus, illis deputauit certos custodes, ut nequeant impunè lædi & offendi.

1. Reg. 16. Beatus uir qui habet cum. in semp.

Sic Esa. Euangelium cœlestium uirtus.

Venit enim filius hominis.] Hoc est alterum argumentum prouidentiæ ac beneuolentiæ Dei erga pusillos suos: sumptum à ratione aduentus Christi in hunc mundũ. q. d. Huius gratia pater me misit in hũc mundũ, ut quod abiectum est ac perditum colligam ac seruem. Non ueni, ut magnos ac nominatos sapientes, doctos, potentes, iustos ac sanctos colligam, sed abiectos & errantes, quorum in hoc seculo nulla est ratio. Proinde uidete ne uos contemnatis aliquem ex illis pusillis, abiectis & errantibus, quorum seruandorum gratia in hunc mundum à patre missus ueni, ad quorum collectionem, et salutem uos mihi ministros elegi. Poterat dicere: Videte uocationem uestram, quales uos elegerim, homines nullius reputationis: cum potuissem doctos, sapientes, potentes, & magni nominis uiros eligere, si minores & pusillos contemnerem.

Quod perierat.] Quare non dicit, quod pusillum est?

est? Nam id magis quadrasset argumento. Plus aliquid dicit. Q.d. Non solum pusillos non debetis contemnere, sed nec eos qui uidentur periisse. Nam eorum ipsorum gratia in mundum ueni, ut seruentur. Proinde si quem uideritis errantem ac pereuntem, cogitandum uobis etiam atq; etiam est, illum esse ex his, quos debeatis colligere ut seruentur, nec contemnendus uobis erit si sit pusillus, et abiectus, si sit solus, si solus pereat, sed summo studio salutem illius quærere debetis.

Quid uobis uidetur? Si fuerint.] *Hæc est similitudo, quam illustrandi gratia adijcit, per argumentum à maiori. Q.d. Estote uos ipsi iudices: Si homo non potest negligere unam ouiculam errantem, sed relictis nonaginta, unam quærit, donec inueniat: quomodo relinqueret & negligeret in perditione pater uester cœlestis unum ex his qui pereunt, utut pusillum? An non melior est homo oue? Hac de re copiosius disputat. Lu. 15.*

OBSER.

1 *Sunt itaq; nobis hoc loco duo obseruanda. Vnum quod maximæ est consolationis. Videlicet ita animatum esse erga suos Deum patrem nostrum, ut neminem sustineat perire, ne unum quidem, etiam minimum. Huc pulchrè facit similitudo ouis perditæ, qua & Prophetæ utuntur. Alia est ratio luporum, ursorum, leonum, uulpium, suum, & id genus bestiarum, ad quas ista consolatio nõ pertinet, quæ est ouium. Vt ouicula Christi sis, non est opus, ut sis doctus, potens, diues, magnæ æstimationis. Nec impedit hic si fueris abiectus, rudis, errans, & ipsissimum nihil, duntaxat nõ sis pertinax in errore, nec gratiæ dei relucteris. Nam hoc est ouiculæ ingeniũ, ut, licet sit erraticum animal & planè stultum, uocem tamen pastoris audiat, & illum sequatur.*

2 *Alterum habet doctrinam & admonitionem, ut & ipsi uideamus, ne quenquam ex minimis Christi contemnamus, etiam errantẽ & nostro iudicio pereuntem.*

Porrò si peccauerit in te frater tuus, uade & argue eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Sin uerò te non audierit, adhibe tecum adhuc unum aut duos, ut in ore duorum aut trium testium consistat omne uerbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi uelut ethnicus & publicanus. Amen dico uobis: quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata in cœlo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta in cœlo.

Videntur ista per occupationem adiecta præcedentibus, quibus admonuit Christus, ne quenquam contemnamus, ideò quod non sit uoluntas patris, ut uel unus pereat de pusillis suis. Poterat hic quisquàm rogare, quid de eo faciendum, qui per iniuriam charitatem fraternam lædat. An nec ille quidem contemnendus sit. An sit fratris loco habendus, & illis coniungendus, de quibus hactenus disseruit. Nam ita sumus comparati, ut peccantes in nos aut prorsus abijciemus, quasi iam amplius fratres non sint, & planè perditi, aut quouis modo ulciscamur, ita ut utroq; modo plurimum hic delinquamus omnes. Cum itaq; ea simus imbecillitate, imò ingenio corrupto, ut omnium facillimè peccemus in fratres, idq; creberrimè: necessaria omnino est præsens Christi instructio, ad hoc, ut fratrum salutem non impediamus, sed magis promoueamus. Sensus autem loci huius, usq; ad id quod dicit: Amen dico uobis, quæcunq; alligaueritis, &c. supra cap. 7. declaratus est.

OBSER.

Vade & argue illum.] *Quid ergo facimus, negligentes fratres, ac dicentes, uiderunt ipsi? Vide ca. 7.* 1

Notandum est autem uerbum arguendi, quod exigit delicti explicationem ac declarationem. Non dicit: Vade & uitupera illum, sed argue.

Si audierit te, lucratus es fratrem tuum.] *Audire hic est idem atq; correptionem admittere, & cum pœnitentia delictum agnoscere, fateri, et reconciliationem petere. Nam hoc exigitur ab eo qui læsit, suprà cap. 5. Et Lucæ 17. sic legimus: Si peccauerit in te frater tuus, argue illum. Et si pœnituerit, remitte illi. Vbi ista sunt notanda. 1. Perire eum, qui non uult reconciliari ei quem læsit. 2. Reconciliationem hanc exigere pœnitentiam facti, & ueniæ petitionem. 3. Eum, qui fratrem arguit delicti, non debere quærere satisfactionem, sed petenti ueniam remittere omnia.* 2

Quod si Ecclesiam non audierit, &c.] *Hunc locum citant ad stabiliendam autoritatem traditionum humanarum, Pontificum & Conciliorum. Atq; ita nomine Ecclesiæ patrocinatum uolunt quibusuis erroribus, utut proclamatis. Sed quid opus istis? Doceant nos ueritatem, iustitiam, & pietatem eorum, quæ impugnantur, & nihil reluctabimur. Ecclesia Christi nullis patrocinatur erroribus, ut manifesta flagitia taceam, & inexcusabilem impietatem.* 3

Sit tibi uelut ethnicus & publicanus.] *Sed esto, contemnatur Ecclesia? Quid statuendum est? Habendi scilicet sunt pro ethnicis & publicanis, id est, pro hominibus prophanis, & à republica Christianorum alienis, qui hoc faciunt. Cur isto non sunt contenti uiri illi sanguinarij? Cur religionis gratia, ut fingunt sanguinem Christianorum tam temerè fundunt? Valet illud: Si Ecclesiam nõ audierit. Cur non et illud: Sit tibi uelut ethnicus & publicanus? Verum non hoc quærunt, cuius hic Christus admonet, sed magis suam gloriam & tyrannidis conseruationem.* 4

Amen dico uobis, quæcunq; alligaueritis, &c.] *Rationem reddit eorum quæ dixit: utpote, Lucratus es fratrem tuum: deinde. Sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Ea est, quod ratum in cœlis apud patrem est, quod hac uia inter Christianos geritur. Lucratus es fratrem tuum. Quare? Quia ubi illi remiseris peccatum, remissum illi quoq; est in cœlis. Seruatur autem, cui delictum in cœlis est remissum. Iuxta illud: Beatus uir cui nõ imputat dominus peccatũ. Sit tibi sicut ethnicus, etc. Quare? Quia qui pertinacia sua meretur à uobis uestroq; consortio repudiari, is & in cœlis repudiatur, & condemnationi obnoxius habetur.*

Idem

1 Idem hic datur Christianis omnibus & Ecclesiæ, quod supra Petro: Ergo ex hoc loco conuincitur error eorum, qui Petro soli ligandi atq; soluendi potestatem datam esse contendunt.

2 Quæcunq; alligaueritis, &c.] Absolutè dicta uidentur, sine ulla exceptione. Verum si maneas in ipsa causa de qua tractatur, aliàs non ubiq;, nec in omnibus ista sententia uera erit. Si enim per errorem absolueretur homo impius & impœnitens, absolutus in cœlo non esset. Rursus, si ligaretur iustus, innocẽs, uel de peccato pœnitens, & gratiam Dei suspirans, ligatus in cœlo non esset. Quando autem uera est? Quando absoluitur peccator, qui audita admonitione fraterna per pœnitentiam facti, ac culpæ deprecationem, cum eo reconciliatur, quem læserat, tum uera erit absolutio: siue id fiat in secreto inter solum ac solum: siue coram duobus aut tribus testibus: siue apud Ecclesiam.

Rursus, quando ligatur, hoc est, tanquàm ethnicus & publicanus abijcitur à Christianorũ consortio, talis peccator, qui admonitus aliquoties, resipere noluit, ita pertinax factus, ut & Ecclesiæ correptionẽ contemnat, tum uera erit, & in cœlis alligatio. Ergo isti alligationi obnoxij erunt non simpliciter, qui deliquerunt, sed qui in peccatis suis pertinaciter contra omnem admonitionem perseuerant. Eximuntur itaq; primum ij, qui innocentes sunt, quibus falso quod malum est adscribitur: utpote si Tobias quisquam iudicaretur à decem tribubus, quod relictis uitulis aureis, Deum ad præscriptum legis colit Ierosolymis. Et quales erant, qui propter fidem Christi eijciebantur è Synagoga, hoc est, Ecclesia Iudæorum. Exigitur nanq; ad istam alligationem, ut adsit peccatum, ubi illud non est, ibi non ualet etiam ecclesiæ sententia. Deinde eximuntur etiam ij, qui libenter satisfacerent ei quem læserunt, si adesset facultas, ut est in debitis. Quid ergo faciunt qui quosuis debitores, ad instantiam creditorum excommunicant?

3 Expendenda est hoc loco, immensa gratia Dei, in eo quod potestatem nobis fecit remittendi peccata fratrũ, & absoluendi illos etiã in cœlis. Quis satis poterit istam dignitatem Christianorum expendere, quod in cœlis ratum esse dicit Christus, quicquid uel ad salutem, uel ad condemnationem peccatorum à nobis hic in terris conclusum fuerit? Deinde & hoc prædicat beneuolentiam diuinam, procliuiorem ad saluandos mortales, quàm ad perdendos. Ad quam & nos hic admonemur, quod audientem ac pœnitentem peccatorem, mox in secreto ac priuato congressu absolui & seruari uult: reluctantem uerò non statim condemnari & ligari, sed ampliorem diligentiam ad lucrandum illum impendi, ita ut non condemnetur, nisi antea aliquoties admonitus, etiam ecclesiam contempserit: Ergo priuatus potest absoluere peccatorem pœnitentem ac resipiscentẽ, impœnitentem alligare non potest. Nam alioqui proniores sumus ad condemnandum, quàm ad seruandum. Mauult autem Deus seruare homines, quàm perdere.

Rursum dico uobis, quod si duo ex uobis consenserint super terram de omni re quamcũq; petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis est. Vbi enim sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Ista per confirmationem & asseuerationem, imò & auxesim quandam adijciuntur prioribus. Asseueratio in eo est, quod dicit: Rursum dico uobis, si duo ex uobis. Videntur autem hæc pertinere ad eam particulam confirmandam, qua dixit: Vade & argue eum inter te & ipsum solum: & si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Nam hic magis stupemus, quàm in eo, quod Ecclesiæ contemptorem tanquàm pertinacem condemnandum in cœlis quoq; dixit. Proinde confirmandi & asseuerandi gratia dicit: Rursum dico uobis, si duo ex uobis consenserint, &c. Tanti uidelicet est apud Deum uel duorum consensus, in re ad salutem fratris pertinente. Auxesim uerò habet, quod dicit: de omni re quamcunq; petierint. Q. d. Non solum in eo casu de quo iam loquutus sum, sed in re quacunq;.

OBSER.

Commendatur hic nobis charitas & concordia credentium, quanti illa sit apud patrem in cælis. Sine illa inefficax est nostra petitio. Vide suprà Matth. 5.

Vbi enim sunt duo, &c.] Ratio est, & simul declaratio prioris. Declaratio in eo, quod non simpliciter dicit: ubi duo uel tres sunt cõgregati, sed addit: in nomine meo. Ne putemus illud, de omni re quamcũq; petierint. Prorsus uniuersaliter absque ullo discrimine accipiendum esse. Nequeunt ergo hic gloriari de uirtute & robore Conciliorum Papistæ, quæ non congregantur in nomine Christi, sed magis ad confirmandam sacerdotum gloriam, impietatem & tyrannidem. 1

Ratio est, quod dicit: Ibi sum in medio eorum. Nam ipse est mediator noster, per quem impetramus omnia. Ea sumus pusillanimitate credendi, ut ægrè credamus nos impetrari à patre, quæ petimus pauci. Verum cogitandum est, Christum unum pluris esse patri, uniuersis omnium mortalium myriadibus. Non ergo glorientur 2 aduersarij de multitudine: deinde & autoritate potentum & magnatum, nec deijciat nos quod pauci simus, si in medio nostrũm Christus est. Expende etiam hic 3 quanti debeant nobis esse conuentus Ecclesiastici.

Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & remittam ei? Num usq; septies?

Ex admonitione de uitando scandalo, eò deductus est sermo Christi, ut instrueret suos, quomodo tractandus sit frater delinquens. Ita uidelicet, ut pœnitens ac resipiscens, ueniamq; petens, donetur peccati remissione & reconciliatione: impœnitens uerò & pertinax, qui nec priuatam, nec conuictam per testes admonitionem, nec Ecclesiam audit, habeatur sicut ethnicus et publicanus. Itaq; quoniam de impœnitente iam certum erat, quid esset faciendum, nonnihil adhuc uidebatur obscuritatis superesse de eo, quoties pœnitenti ac resipiscenti sit remittendum. Nam de eo nihil numerati ac definiti statuerat Christus. Rogat itaq; Petrus, cæteris diligentior, quoties debeat in se peccanti fratri remittere. Metus enim

enim erat, ne aut sæpius remittendo, causam daret negligentiæ & temeritati delinquendi: aut si parcius remitteret, non satisfaceret charitati & saluti fraternæ. Putat autem abunde satis esse, si usq; septies remittat, & magis inclinat in eam sententiam, rarius esse remittendum, quàm sæpius. Sumus enim ferè omnes ita comparati, ut ægrè remittamus in nos delinquentibus. Quid autem Christus?

Dicit illi Iesus: Non dico tibi usq; septies, sed usq; septuagies septies.

Numerum certum pro incerto, finitum pro infinito ponit, significans remittendum esse quoties resipuerit frater. Est enim Christo longè alius scopus hac in re
1 quàm nobis. Nos nihil ex animo facimus, quod faciat ad salutem fratris: sed hoc solum quærimus, si tamen quærimus, ut uideamur aliquid fecisse, ne simus ipsi in culpa. Ideò cum Petro uellemus certum quendam numerum præscriptum, ultra quem liberum esset remittere,
2 uel non remittere. Deinde putamus etiam indignũ esse
3 toties peccantem, cui sæpius remittatur. Tertio præteximus nimiam ignoscentiã fore periculosam, causamq; daturam fratri, ut hoc facilius delictum repetat, quò paratiorem ac promptiorẽ uiderit se inuenire remissam.
1 Christus uerò causam hanc longè aliter considerat. Primum expendit nostram omnium fragilitatem, quàm simus ad delinquendum proni omnes, quæ pronitas delinquendi maior est, quàm quæ possit certo numero includi. Atq; ideò absq; ullo certo numero exigit ab eo in quem delinquitur perpetuam ad remittendum promptitudinem. Nec est, ut molestum uideatur cuiquam, cum nemo nostrũm sit, qui non & ipse hac beneuolentia fraterna, & infinita remittendi promptitudine & alacri-
2 tate opus habeat. Deinde ipse non habet rationem dignitatis eius qui læsit ac pœnitet, sed salutis & illius qui læsus est, & eius qui læsit. Scit enim salutem nostram sine concordia constanti consistere nõ posse. Illa autem esse non potest inter mortales sine perpetua peccatorum remissione. Inter angelos forte potest, inter mortales uerò
3 minime. Tertio, longè melius in eo sentit, quod ad concordiam seruandam, & salutem delinquentis promouendam exigit, ut perpetuo remittamus, quàm nos, qui putamus hinc orituram delinquendi temeritatẽ & summam negligentiam. Potest enim magis ex eo sequi, ut cui toties remittitur tandem ad se redeat ac cogitet rem esse iniquissimam, toties delinquere erga fratrem tanta præditum erga se beneuolentia, ut nunquàm grauetur remittere noxam. Et esto non sequatur hoc, sed diuersum, id scilicet quod præteximus, neq; sic tamen sequitur non esse perpetuo remittendum ueniam petenti. Nam inde tam abest, ut perpetuò remittens culpandus sit: quasi causam det delinquẽdi, ut magis sit laudandus. Nisi uelimus culpandam esse bonitatem dei, quod super malos & ingratos pluit, quod toties ignoscit, quod in uindicando tanta utitur tarditate. Quid enim ad eum qui bonus est, si bonitate ipsius quisquam abutatur?

QVAESTIO.

Lucæ 17. sic legimus: Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, & si pœnituerit, remitte illi. Etsi septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, remittes illi. Quæritur hic, quomodo conueniat Euangelistis? Lucas septenarium numerum dicit à Christo positum. Matthæus scribit dixisse Christum: Non septies, sed septuagies septies.

Respondeo. Lucas non simpliciter ponit numerum septenarium, sed addit: in die. Petrus uerò in Matthæo non rogat quoties in die debeat remittere, sed absolutè, quoties in se peccanti debeat remittere. Proinde nihil hic est contrarij. Deinde & septenarius ille numerus in Lucæ que pro infinito numero est accipiendus, atq; ille in Matthæo. Quemadmodum & illa: Septies in die laudem dixi tibi. Item: Iustus septies in die cadit, & septies resurgit, hoc est, sæpenumero cadit, &c.

OBSER.

In Luca tamen obseruandum est, quod exigitur ab eo, cui debeat remitti, conuersio & resipiscentia. Nam dicit: Si conuersus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me. Sed hac de re uide suprà cap. 6.

Ideò assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui uoluit conferre rationẽ.

Tota hæc parabola quid uelit in eo uidetur, quod subiungit in fine capitis: Sic & pater meus cœlestis faciet uobis, si non remiseritis quisq; fratri ex cordibus uestris delicta illorum. Quoniam enim durum uidetur, & iniustum etiam, ut semper remittamus delinquenti & ueniam oranti. Ostendit tam non esse iniquum, nec durum uideri debere, ut nisi hoc idem nobis usueniat à patre, saluari nequeamus. Et metum incutit, in eo quod dicit: non remittendum nobis esse à patre, nisi nos remittamus fratribus.

OBSER.

Primum est, quod ea mensura nobis mensurabitur à 1
deo, qua nos fratri mensuramus: ita ut si nos non remittimus, & ipse nobis non remittat.

In eo quod meminit mille talentorum & centum 2
denariorum, admonemur nos multo plura debere Deo quàm nobis fratres. Enormius enim & sæpius in Deum peccamus, quàm in nos frater quisquam. Cum ergo oremus à deo quotidie ueniam, quàm iniquum est, nolle minora fratri quotidie ueniam oranti remittere?

Etiam ea delicta, quæ iam condonata sunt per gra- 3
tiam dei, non fore remissa, si nos nolimus remittere fratri. Est enim iniustum gaudere de remissis sibi talentis mille, qui nolit centum denarios fratri remittere.

Ineunnda itaq; & nobis ratio debitorum nostrorum, si quando ægrè uoluerimus remittere fratri, idq; antequam ueniamus ad tribunal Christi. Hoc si fecerimus, facile remittemus fratribus omnia.

Remittendum quoq; esse ex corde. Nisi ex corde 4
inquit. Et merito. Nam aliàs uera reconciliatio constare non potest. Et nos ita petimus nobis à Deo remitti.

Habet autem magnam consolationem, quod nobis 5
remittit Deus, si nos remiserimus fratribus. Imò quod toties remittit, idq; ex corde, quoties resipuerimus & ueniam ab ipso orauerimus. Nõ est enim putandũ, quod à nobis exigatur diuinitus, quod Deus ipse non faciat.

Sed imbecillis conscientia hic cogitat: Quomodo 6

remittet mihi Deus ex corde, cum ego adhuc nonnihil rancoris erga fratrem seruem in corde, quem etiamsi detester, eijcere tamen nequeo? Hac de re uide suprà capite sexto.

CAPVT XIX.

ET factum est, cum consummasset Iesus sermones hos, demigrauit à Galilæa, & uenit in fines Iudeæ trans Iordanem, & sequutæ sunt eum turbæ multæ, & sanauit eos ibi.

Ex Luca capite nono, uidere est istam Domini profectionem fuisse postremam, qua Ierosolymam petijt, propterea quod dies assumptionis eius complerentur, tempusq; instaret passionis. Et suprà cap. 16. & 17. de ista profectione loquutus est suis Christus. Quanta autem animi constantia Ierosolymam petierit, Lucas indicat, dicens: Et obfirmabat faciem suam, ut iret Ierosolymam. Vbi docemur, quanta fiducia debeamus aggredi ea, quæ scimus nobis esse diuinitus, utut tristia, iniuncta. Animo hic opus est forti & constanti. Non est hæsitandum, nec respiciendum, sed constanter pergendum facie obfirmata. Talis facies dabatur Ezechieli, quæ esset instar adamantis ac silicis, Ezech. 3.

Doctrina.

Et sanauit eos ibi.] Eos scilicet qui ægroti erant, qui sequebantur propter acquirendam sanitatem. Notanter autem dicit: ibi. Nolebat turbas istas se sequi in Iudæam, ne daret occasionem calumnijs Pharisæorum & Scribarum. Sciebat alioqui, quod accusandus esset seditionis apud Pilatũ, motæ à Galilæa usq; in Iudæam. Calumniam hanc nõ effugiebat, causam tamen illi dare nolebat. Admonemur ergo, ut quoniam maleuolorum calumnias effugere nequimus, hoc tamen spectemus, ne aliquam illis occasionem demus.

Ibi.

Doctrina.

Et accesserunt ad eum Pharisæi, tentantes eum, ac dicentes ei: Licet ne homini diuortium facere cum uxore sua qualibet ex causa?

Vt gloria fortis ac strenui athletæ exigit certaminum probationes, ita ipsa ueritas Christus, ut magis atq; magis eluceseeret illius gloria, opus habuit tentationibus. Hac de re suprà cap. 16. initio capitis. Ita hic Pharisæi, quoniam doctrinam & facta Christi apertè ac uerè reprehendere nequibant, ad fraudem tentationum confugiunt, an aliquid ex responsis ipsius liceat aucupari, quod calumnientur.

TENTATIO QVAE FVERIT.

Liceat ne homini dimittere uxorem suam quauis de causa. Verba non præseferunt tentationem, sed simplicem, imò, ut uidebatur, necessariam quæstionem. Quoniam autem quærebant non discendi, sed tentandi gratia, ideò Euangelista præmisit, quod tentantes hoc quæsierint. Erat autem ista captio in hac quæstione. Moses permiserat libellum repudij Iudæis, ex huius permissu passim repudiabantur uxores, id quod publicæ honestati repugnabat, & absq; dubio multis displicebat. Et Christus ipse suprà capite 5. Et Lucæ 16. docuerat esse adulterum eum, qui dimissa priore alteram duceret: similiter & eum qui dimissam duceret. Putabant igitur responsurum Christum uel pro Mose uel contra Mosen. Pro Mose, si diceret: licet. Atq; hoc dicturum contra suam ipsius doctrinam, ut inconstantiæ notari posset, & contra publicam honestatem, ita ut offensurus hoc pacto esset bonorum uirorum iudicia. Contra Mosen, si diceret: non licet. Et hoc pacto accusari posse, ut inimicus & contrarius Mosi: deinde & incursurum odium uulgi, quod refertum erat talibus matrimoniorum diuortijs. Erant enim innumeri, qui talia matrimonia habebant, quos omnes arguere adulterij, uidebatur illis durum fore, & magnam Christo reconciliaturum populi inuidiam. Sed uideamus, quomodo Christus respondeat, hoc est, quomodo sapientia Dei laqueos tentatorum Pharisæorum euadat.

Qui respondens ait eis: An non legistis, quod is qui fecit ab initio, masculum & fœminam fecit eos? Et dixit: Propterea deseret homo patrem ac matrem, & adglutinabitur uxori suæ. Et erunt duo in carnem unam. Itaq; iam non sunt duo sed una caro. Quod ergo Deus copulauit, homo ne separet.

Responsio Christi docet, non licere quauis de causa repudiare uxorem. Sed hoc non simpliciter dicit. Inducit prius ordinem matrimonij diuinitus institutum, idq; non suis ipsius uerbis, sed allegata scriptura. Et quia quæstio mouebatur à Pharisæis, qui de scripturæ scientia gloriabantur, dicit: An non legistis? Q. d. Quid me interrogatis hypocritæ? Scripturam habetis, quam & legitis, atq; ideò ignorantiæ gratia excusari haud potestis. Verum malicia uestra uos excæcauit, alioquin ex scriptura satis instrueremini.

OBSER.

Hoc pacto respondendum quoq; est aduersarijs nostris, de scripturæ scientia gloriantibus, dicendumq;: An non legistis? Nam & illi non possunt prætexere scripturæ ignorantiam quam legunt quidem, sed non hoc animo, ut ueritatem cognoscant.

Quod is qui fecit, &c.] Quæ argumenta insint isti loco, uide suprà cap. 5.

Dicunt illi: Cur ergo Moses iussit dare libellum repudij, ac dimittere eam?

Ex uerbis Christi probè intellexerunt sententiam Christi. Nempe non licere dimittere uxorem quauis de causa. Et hic obijciunt autoritatem Mosis, rogantq; rationem, quare Moses iusserit dare libellum repudij, si non liceat dimittere uxorem? Q. d. An Moses iussit quod illicitum est? Tu dicis esse illicitum. Moses uerò fieri iussit: Ergo Moses deliquit, nosq; seduxit? Ergo uis tibi plus habendum esse fidei quàm Mosi? Moses uerò hanc legem à Deo accepit: Ergo tu Deo resistis?

Ait illis: Moses propter duriciam cordis uestri permisit uobis repudiare uxores uestras. Cæterum ab initio non fuit

sic.

sic. Dico autem uobis, quod quicunq; repudiauerit uxorem suam, nisi ob stuprũ, & aliam duxerit, is cõmittit adulterium. Et qui repudiatam duxerit, adulterium committit.

Non negat Moſen de libello repudij dando præceptum dediſſe: uxores uerò dimittere, hoc negat præcepiſſe, permiſiſſe autem concedit. Verũ addit rationem, ob quam permiſerit hoc, quod in ſe eſt illicitum. Ponit autè eam, quam Moſes ipſe Iſraëli opprobrauit: nempe cordis duriciam. Deut. 9. 31. Illam autem commodè hic obijcit Phariſæis, qui omnium erant obſtinatiſſimi, ut declaret iſtam illorum cordis duriciam eſſe auitam iam & inueteratam. Itaq; Moſen excuſat, accuſat uerò duriciam Iſraëlis, quæ fuerit libelli huius cauſa, talis quæ neceſſariam quidem fecerit repudij permiſſionem, licitam uerò non fecerit.

1 *Moſes propter duriciam.*] *Vide ſuprà capite 5.*

2 *Ab initio autem non fuit ſic.*] *Vide cap. 5.*

3 *Ego autem dico uobis.*] *Vide cap. 5. Iſta Chriſti ſententia colligitur ex inſtitutione matrimonij, quam ex ſcripturis præmiſit.*

4 *Niſi ob ſtuprum.*] *De diuortio quatenus liceat, uide capite 5.*

Dicunt ei diſcipuli eius: Si ad iſtum modum habet cauſa hominis cum uxore, non expedit contrahere matrimonium. Qui dixit illis: Non omnes capaces ſunt huius dicti, ſed ĩ quibus datum eſt. Sunt 1 enim eunuchi, qui de matris utero ſic na 2 ti ſunt. Et ſunt eunuchi, qui facti ſunt eu- 3 nuchi ab hominibus. Et ſunt eunuchi, qui ſeipſos caſtrârunt propter regnum cœlorum. Qui poteſt capere capiat.

Ratio humana in Apoſtolis colligit duram eſſe matrimonij conditionem. Si ad iſtum modum habeat cauſa hominis cum uxore, ut nõ liceat dimittere uxorem, niſi fornicationis cauſa, ſed neceſſe ſit illam retinere qualemcunq;, uel certè adulterium incurrere, uel illi cauſam dare. Vſi hactenus erant Iudæi magna licentia repudiandarum uxorum, qua adempta, ut illicita, cogitabant Apoſtoli ſatius eſſe, nullam prorſus uxorem ducere. Proinde illud: οὐ συμφέρει. non expedit. non eſt referendum ad ſalutem æternam, ſed magis ad commoditatem uitæ præſentis. Loquuntur enim hic Apoſtoli, ut carnales, non ut ſpiritales. Alioqui dandum eſſet deo, quod rem inſtituerit homini & illicitam & noxiam. Iam ille dixit: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus illi adiutorium, &c.

Non omnes capiunt hoc dictum.] *Chriſtus opponit neceſſitatem matrimonij, quæ talis ſit, ut pauci ab illa excipiantur. Eſſe enim hoc dictum tale, quod non ab omnibus capi queat, niſi ab illis tantum, quibus hoc diuinitus detur. Vide cap. 5.*

Non omnes capiunt hoc uerbum.] *Hoc eſt. Hac moleſtia nubendi non poſſunt omnes eſſe liberi, niſi quibus datum eſt: Ergo non eſt humanij arbitrij, iſta commoditas, ſed diuini muneris.*

Sunt, qui de matris utero.] *Iam recenſet quibus hoc datum ſit. Eſt autem eorum duplex genus. Primum eorũ, qui naturæ defectu laborant, & ad matrimonium ſunt inepti. Horum duplex eſt impotentia. Vna naturalis ex natiuitate: altera accidentalis extrinſecus ab hominibus illata. Certè qui tales ſunt, à coniugij moleſtijs liberi ſunt. Alterum genus eorum eſt, qui ſeipſos caſtrârunt propter regnum cœlorum, hoc eſt, qui cum nec natura, nec ui ſint caſtrati aut ſpadones, ſponte tamen abſtinent à coniugio, propter regnum cœlorum. intellige dono continentiæ diuinitus accepto. Nam dictum eſt: Non capiunt hoc, niſi quibus datum eſt.*

Illud autem propter regnum cœlorum cautè eſt exponendũ. Quidam intelligunt idem eſſe, atq; ut regnum cœlorum, promereantur cœlibes. Verum quid hic agetur cum coniugatis, ſi neceſſe eſt abſtinere à coniugio propter regnum cœlorum? Et hic non erat dicendum: Qui poteſt capere capiat: ſed uidete omnes ut hoc dictũ capiatis, atq; à matrimonio abſtineatis. Alioqui non ingrediemini in regnum cœlorum. Proinde propter regnum cœlorum ſeipſum caſtrare, hoc eſt, matrimonio abſtinere, eſt idem atq; liberiorem ſe & commodiorem ſeruare miniſterio cœlorum, qualis erat Apoſtolus, uxorem nõ circumducens, ut hoc liberius poſſet prædicare Euangelium regni. Huc pertinent & illi, qui propter inſtantem neceſsitatem perſequutionis abſtinent à matrimonio, de quibus eſt 1. Cor. 7.

Locum ergo hic non habent uota monachorum, qui regnum Dei & iuſtitiam eius non quærunt, ſed neſcio quid mercedis ſectantur, ob hoc tantum, quod cœlibatum ſeruent, quaſi ille per ſe ſit dignus regno cœlorum. Cũ in ſeipſo ſit multo minor quàm matrimonij fertilitas.

Nec illi locum habent hic, qui matrimonium abnegarunt, propter opimas præbendas, ut uocant, & bona eccleſiaſtica, quod ad matrimoniũ attinet caſtrati, quod ad fornicationum uariam libidinem, omniũ ſpurciſſimi.

Qui poteſt capere capiat.] *Finalis hæc eſt Chriſti ſententia, nemini præcipiens cœlibatum, ſed omnibus pro gratia diuinitus data liberum permittens. Contra hanc libertatem pugnat tyrannis Romani pontificis, ſacerdotibus adimens ius contrahendi matrimonium.*

Deinde pugnat illi etiam uoti natura. Nam ex uoto infertur continendi neceſsitas, unde hoc uouendi inſtitutum merito reprobandum eſt.

1. Quia ſine dono Dei carni eſt impoſsibile quod uouentur. 2. Deinde, quia nulla diuina eſt uouentibus adoleſcentibus eius doni certitudo. Vnde Apoſtolus nolebat ſuſcipi in Eccleſiæ ſubſidium uiduas nondum annos 60. natas. 1. Timo. 5. 3. Quia cum cœlibatus conſilium ſit & non præceptum, uoto fit, ut iam non ſit conſiliũ amplius, ſed habeat naturam præcepti, quod Deus nõ præcepit. Quæ ſanè peruerſitas inexcuſabilis eſt: nempe ex conſilio Dei facere præceptum, quaſi non potuerit Chriſtus præcipere, ſi conſultum putaſſet. Atq; hac ratione Apoſtolus tam cautè loquitur de propoſito continentiæ nolens Chriſtianis inijcere laqueum. 1. Cor. 7.

Tunc oblati sunt ei paruuli, ut manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autem increpabant eos. Iesus uerò ait eis: Sinite pueros, & ne prohibeatis eos ad me uenire. Talium est enim regnum cœlorum. Et cũ imposuisset eis manus abijt illinc.

1 *Ista historia diuidenda est in tres partes. Prima habet factum eorum qui paruulos suos Christo obtulerunt.*

2 *Altera habet factum discipulorum qui pueros prohibuerũt Christo adferri, et parentes illorũ increpárũt.*

3 *Tertia habet responsum & factum Christi, qui & discipulos increpauit, puerosq; ad se uenire iussit, & illos complexus impositis manibus benedixit.*

1 PRIMA PARS, DE PARENTIBUS PARUULORUM.

1 *In parentibus istis duo sunt obseruanda. Vnum est, quo affectu naturaliter sint parentes præditi erga liberos. Eo nempe, ut cupiant illis non solum in præsentiarum, sed et in futuro, ac semper bene consultum esse. Et hic affectus illis diuinitus est inditus, ad utilitatem & necessariam educationem liberorum. Nam ita solet Deus consulere imbecillibus, qui sibi ipsis nec cõsilio nec ope prodesse possunt. Pueris uerò uicissim hoc non est inditum naturaliter, ut æqua dilectione parentibus respondeant. Nam parentes non ita opus habent adiutorio liberorum, atq; liberi parentum. Proinde quemadmodum in plantis fieri uidemus, ut humor qui ex radicibus est, in propagines quidem ac fructus sursum tendat, unde habeant necessariam alimoniam incrementi: uicissim uerò ad radices nullus ex propaginibus redeat: ita etiã sit parentibus à liberis, ut affectus dilectionis à liberis ad parentes non ita redeat, quomodo à parentibus ad liberos naturaliter dirigitur. Quanquam, ut est ingenium mortalium corruptum, ita & iste paternus amor erga liberos corruptus est, de quo uide in annotationibus meis Psalmo 17.*

Quod attinet ad istos parentes, non legimus, quod obtulerint ægrotos paruulos, quos sanitati restitueret Christus, sed simpliciter, quod paruulos obtulerint Christo, obsecrauerintq;, ut impositis manibus pro illis ad deum oraret: Ergo gratiam dei liberis suis quæsierunt. Verum ad quem finem specialiter, hoc non liquet. An hoc quæsierint ut redderentur pij & Deo accepti, uel ut gratia Domini commodè haberent in hac uita, diu uiuerent ac prosperè. Quicquid tamen sit apparet illos fuisse pios, quod crediderunt salutem paruulorum suorum pendêre à gratia Dei, quam in Christo & per Christum ambiuerunt. Nos hodie putamus liberis bene prouisum esse, si multam habuerint diuitiarum copiam, sicq; fuerint imbuti prudentia seculi. Ad hanc illos instituimus, & talia à pueris inculcamus, quæ Deo placere non possunt. Hoc non faceremus, si crederemus cum istis de quibus nunc agimus, salutem omnem liberorum nostrorum esse in gratia Dei sitam.

2 *Alterũ est in istis parentibus, qua fuerint erga Christum fide, imperfecta sanè. Quod enim nõ orant, ut gratiam suam liberis impertiat: sed, ut manibus impositis pro illis oret: indicium est illos de Christo nihil altius sensisse, quàm de sancto quodam uiro Dei ac Propheta, cuius preces apud Deum plurimum ualerent, si illas pro liberis suis ad Deũ destinare dignetur. Vel certè si Christum illum esse credebant, uirtutem illius ignorabant.*

Ista fides licet fuerit imperfecta, principium tamen habebat ad ueram ac perfectam fidem de Christo, quod est bene sentire de Christo. Nisi enim hoc fuerit, non potest fieri, ut acquiratur uera ac plena fides. Facile promouet in fide Christi, qui etsi nõ perfectè credat in Christum, de illo tamẽ bene sentit. Quæ erat ratio quod Pharisæi ac Scribæ ad fidem Christi adduci nequiuerint, nisi quia malè de illo sentiebant?

Et hæc tamen imperfecta fides non carebat suis uiribus. Quamuis enim Christo repugnarent insensissimè, qui principatu potiebantur inter Iudæos: isti tamẽ absq; ullo metu liberos suos ad Christum detulerunt, illiq; hoc pacto testimonium sanctitatis attribuerunt, quem sacerdotes, Scribæ ac Pharisæi cum primoribus populi, ut hominem peccatorem, seditiosum, seductorem, blasphemum, & nullo modo ferendum persequebantur.

ALTERA PARS DE DISCIPULIS CHRISTI. 2

Discipuli autem increpabant eos.] Ex Marco. *Qui adducebant, uidelicet parentes paruulorum.*

Quærendum hic, quæ sit ista discipulorum Christi inhumanitas, quod non solum prohibent liberos adferri ad Christum, sed & increpant etiam parentes.

Quod si paruuli isti ægroti fuissent, puto illos haud quaquam prohibuissent. Neq; enim prohibuerunt insanos ratione prorsus carentes. Verum quoniam illic occasio erat manifesta declarandæ uirtutis Christi, ubi curabat insanos, hic uerò non ita, quoniam nullum dari poterat in sanis argumentum diuinæ uirtutis: deinde erant rationis usu nondum præditi, ut licuisset uel per doctrinam aliquid in illis effici, non uidebant, quamobrem isti paruuli deberẽt Christo adferri. Dispensationem ipsius putabant esse sublimiorem, quàm cui posset uel debeat esse negocium cum infantibus. Atq; hac ratione abigebant parentes istorum liberorum, imò illos etiam increpabant, eo quod putabant ipsos rem committere indignam, & parum magnificè de Christo sentire, cuius operam deberent ad sublimiora, non ad ista humilia petere. Duo uidebant in Christo: Doctrinam scilicet, & miraculorum patrationem. Doctrina concernebat adultos, miracula ægrotos ei malè habentes. Itaq; ridiculum ac stultum putabant, Christoq; inglorium, quod isti infantes ad ipsum adferebant, quos nec curare posset cum sani essent, nec docere, cum essent infantes, doctrinæ haud quaquam capaces. Et alioqui arbitrabantur conditionem infantium humiliorem esse, quàm quæ conueniret maiestati Christi.

TERTIA PARS DE RESPONSO & facto Christi. 3

Iesus uerò ait eis: Sinite pueros, & ne prohibeatis eos ad me uenire. Talium est enim regnum cœlorum. Et cum imposuisset eis manus, abijt illinc.] Marcus habet: *Et cum uidisset Iesus, indignatus est. Quærendum*

dum quamobrem sit indignatus discipulis. Primum ob id, quod rem faciebant indignam, abigentes eos quos ipse habebat sibi quàm commendatissimos. Hoc uerba ipsa exprimunt: Sinite pueros, & ne prohibeatis eos ad me uenire. Deinde quod tanta inhumanitate parentes adoriebantur increpando, qua re fidem illorum erga Christum plurimum deijciebant. Tertio, quod ista faciebant post diligentem illam admonitionem, quam suprà habuimus capite 18. in qua audierant paruulos deo patri ac sibi esse charissimos, illos esse in regno cœlorum potiores: imò quasi quædam exemplaria ad quæ essent conformandi, quotquot regnũ cœlorum essent ingressuri, & quod in paruulis uelit suscipi, illos nolit offendi, ne unum quidem, angelos illorum perpetuo in cœlis esse coram patre cœlesti. Hæc omnia audierant iam recens, & hic tam imprudenter contra illa delinquunt. Horum gratia merito indignatus illis est Christus.

Videmus hic Christum longè alio animo esse contra paruulos & paruulorum parentes, quàm Apostolos. Licet fides istorum hominum esset imperfecta, non uult tamen illos offendi ac prohiberi, utut humile quid petere uiderentur. Quemadmodum & Marci nono, nolebat prohiberi eum qui cum dæmonia in ipsius nomine ejiceret. Apostolos tamen non sequebatur. Et rationem reddebat, dicens: Nullus enim est, qui fecerit uirtutem per nomen meum, possit cito malè loqui de me. Qui enim non est aduersum uos, pro uobis est. Ita et parentes istorum liberorum: quoniam petebant benedictionem Christi pro pueris suis, certè non poterant malè uel sentire uel loqui de Christo, atq; hactenus faciebant non contra sed pro Apostolis. Admonemur ergo hoc loco, ne abijciamus aut repellamus à Christo imperfectos, etiam si nondum plena sint fide præditi, sed magis curemus illos prouehere.

QVOD ATTINET AD paruulos.

Hic tria notanda sunt. Primum est. Paruulos credentium pertinere ad Christum, etiam si fide careant, et adhuc sint βρέφη, infantes quales istos fuisse patet ex Luca. Hoc uolunt illa, quod ait: Sinite paruulos ad me uenire, & in Luca: Aduocans autem illos. Imò non solum paruulos pertinere ad Christum, sed et charos illos esse Christo, declarat factum ipsius in Marco, ubi legimus, quod complexus sit illos ulnis suis. Quin & benedictionis Christi illos esse participes, licet nihil intelligant illius. Hoc declarat, quod impositis manibus illos benedixit. Qualem autem putabimus fuisse istam Christi benedictionem? Carnalem ne & ad præsens seculum pertinentem? uidelicet, ut precatus sit, uel concesserit illis uitam longæuam, prosperam, multam facultatem, gloriam & honorem huius mundi, &c. & si qua sunt similia? At hoc genus benedictionis Christo non competit, qui uenit nos spiritalibus non secularibus bonis donare: Ergo oportet istam Christi benedictionem conformem fuisse non huius mundi, sed cœlorũ regno. Quemadmodum et rationem reddit, cur uoluerit eos ad se adferri, cum dixit: Quoniam talium est regnum cœlorum. Non dicit: Quoniam talium est prosperitas ac felicitas huius seculi.

Alterum est. Quare illos uoluerit ad se adferri, & quamobrem in ulnas acceperit, ac benedixerit, hoc est, gratiam suam illis impertiuerit. Quoniam inquit talium est regnum cœlorum. Hoc est. Tales pertinent ad regnum cœlorum. Regnum cœlorum intellige de æterna illa electorum felicitate, quæ est per Christum, quæ hic quidem in cordibus electorum pro portione fidei & dono spiritus sancti sentitur, in futuro uerò seculo plenè percipitur.

Quod autem non dicit: quoniam illorum est regnum cœlorum. In causa est, quod non solum uult ostendere paruulos illos qui adducebantur tum pertinere ad regnum cœlorum, sed ita pertinere, ut quisquis illis non fuerit similis ad regnum cœlorum non pertineat. Atq; hoc est quod in Marco & Luca addit: Amen dico uobis, quod quicunq; regnum Dei non acceperit sicut paruulus, non ingredietur in illud. Quemadmodum & capite superiore admonuit. Multo plus est ergo quod dicit talium, quàm si dixisset illorum, tam abest, ut minus dixerit ad commendationem paruulorum.

DVO SVNT HIC NOTANDA.

Primum, quàm sit admirabile regnum cœlorum, quod tale est, ut non nisi paruulos capiat. Quin relicto illo expendamus hoc, quod paruulos capit. Ratio humana non sustinet agnoscere gratiam Dei hac in re, sed putat ubiq; opus esse usu rationis, & scientiæ, alioqui nihil commertij posse homini infanti esse cum Deo. Videmus autem hic potiores habere in regno Dei infantes, tam abest, ut non sint illius participes.

Alterum est, quamobrem sit illorum regnum cœlorum. Duo habebant isti infantes, quorum nomine ad regnum cœlorum pertinebant. Vnum quod commune illis erat cum cæteris infantibus, simplicitatem nempe & innocentiam. Alterum, quod non est omnibus infantibus commune, uidelicet, quod erant credentium Christo liberi, adeoq; in fœdere dei. Iam licet innocentia & simplicitas per se non sufficiant ad regnum cœlorum, nisi adsit gratia fœderis Dei, qua dictum est: Ego ero Deus tuus & Deus seminis tui (nisi uelimus omnibus in uniuersum incredulorum & Christo repugnantium infantibus, qui & ipsi simplices sunt & innocentes regnum adscribere cœlorum) ista tamen simplicitas & innocentia paruulorum tale quid est, ad quod nisi reformentur qui Christo credunt, adeoq; in externa illa sunt fœderis communione, regnum cœlorum ingredi haud poterũt. Propterea dictum est ad discipulos, Christo iam credentes: nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Est ergo in paruulis Christo credentiũ exemplar nobis expressum, ad quod conformemur, si uelimus esse participes regni cœlorum. Primum in hoc, quod oportet esse in fœdere Dei. In fœdere Dei sunt adulti si credant Christo, infantes, si sint credentium liberi. Deinde in eo, quod exprimenda est simplicitas & innocentia uitæ, reiecto dolo, fraude, malicia, arrogantia, odio, &c. 1. Pet. 2.

Tertium, quod de paruulis hoc loco notandum est, cum in uerbis tum in facto Christi, hoc est: uidelicet, quod non sint prohibendi, qui infantes suos Christo offerunt, propterea quod illorum est regnũ cœlorum: Ergo quorum cunq; regnum cœlorum est, illi non sunt prohibendi, quominus Christo offerantur, benedictioneq; & gratia illius fruantur. De illis loquor, de quibus aliquid datur indicij, quod pertineant ad regnum cœlorum: utpote, in adultis si fidem Christi profiteantur, indicium erit nobis, quod sint de regno cœlorum, & pertineant ad fœdus Dei, in paruulis, si sint liberi credentium Christo. Esse autem apparet, si offerantur ad benedictionem Christi. Quod si quis liberos suos ad benedictionem, uel potius maledictionem Mahometi deferat, an non indicium erit, quod fidem habeat in Mahometem? Quid ergo hic aliud faciunt Anabaptistæ, prohibentes paruulos, ne ad baptismum Christi suscipiantur, quàm quod discipuli fecerunt, quibus indignatus hic est Dominus? Aut doceant nos, an quod nos baptisamus, sit ea benedictione potius habendũ, quàm Christus paruulis istis impertiuit: uel an putent infantes nostros non pertinere ad regnum cœlorum, & quamobrem putent, quid isti infantes habuerint, cuius gratia pertinuerint ad regnum cœlorum, benedictionisq; Christi participes esse potuerint, quo nostri careant. Quod si negare non possunt, credentium liberos esse in fœdere Dei, pertinere ad regnum cœlorum, & confiteri coguntur, Christum nolle prohiberi quominus ad se adducantur infantes isti, quorum est regnum cœlorum: esseq; infantes Christo & patri omnium charissimos, imò exemplar tale, ad quod debeamus adulti reformari, si uelimus ingredi in regnũ cœlorũ: quam nam rationẽ poterũt assignare, ob quam signũ regni cœlorũ & gratiæ Christi, signũ illud fœderis debeat aut possit merito negari infantibus credẽtiũ?

Et ecce unus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam, ut habeam uitam æternam?

Adolescens iste, quem Lucas uocat principem, longè alio animo ad Christum uenit de uita æterna rogaturus, quàm legisperitus ille, de quo est Lucæ decimo. Nam ille tentandi gratia dicebat: Magister, quid faciam, ut uitam æternam possideam. Hic uerò, ut ex circumstantijs patet, non tentandi sed discendi gratia quæstionem hanc Christo proposuit. In quo licet deprehensus sit magnus defectus, pleraq; tamen sunt bona & obseruatu digna.

1 Primum est, quod de uita æterna quærit, in quo apparet hominem fuisse non prorsus mundanum ac deploratum, quales sunt, qui non solũ de uita æterna non quærunt, sed ne futuram quidem credunt. Et si aliquando aliquousq; inducuntur, ut opinentur futuram uitam æternam, uoluptatibus tamen huius seculi ita detinentur, ut malint, si possibile esset, in hac uita perpetuò manere, quàm istam cum futura commutare. Reuera paucorum est ista quæstio. Lucæ decimo quidem de altero quodam idem quærente legimus. Verum ille non rogabat ex animo. Multi sequuti sunt Christum corporeæ sanitatis gratia. Vnus hic inuentus est, qui de uita rogârit æterna, idq; adolescens, cuius ætatis ingenium rarissimè de futuris sollicitum est: deinde & diues, præterea in honore quoq; cõstitutus, nam princeps erat. Itaq; non impij animi indiciũ refert hæc quæstio in isto adolescente.

Deinde, quæstionis huius gratia non accedit sacerdotes, Scribas, & Pharisæos, sed Christum. Forsan offensus erat Scribarum, Sacerdotum et Pharisæorum uitijs, unde collegerat illos nulla teneri æternæ uitæ ratione: intelligebat uerò doctrinam Christi huc potissimum spectare, ut uita acquireretur æterna: et præterea uidebat talem esse Christi conuersationẽ, quæ profiteretur cœlestis & æternæ uitæ fidem & disciplinam. 2

Tertio, in hac quæstione commodè se gerit & gestu & uerbis. Gestu, procidens in genua ante Christum, ut Marcus habet, declarans cum animi modestiam, tum reuerentiam tali præceptori debitam, & præterea significabat quo serio quæstionem hanc moueret uerbis, immiscens encomium dignum tali doctore, & Christo omnium competentissimum, ubi dixit: Præceptor bone. Prædicauit autem hoc encomio in Christo singularem animi erga quosuis beneuolentiam, quæ quidem nisi adfuerit doctoribus, boni doctores nunquàm esse poterũt. 3

Illud: Quid faciam boni? Iudaicũ est. Nam illi perpetuò putant per opera bona acquirendam esse uitam æternam. Non dicit: Quomodo credam? Quid sperabo? Sed: Quid faciam boni? Hoc ingenio sunt quotquot ueram uitæ uiam non agnoscunt.

Qui dixit ei: Cur me uocas bonum? Nullus est bonus, nisi unus: nempe deus, quod si uis ad uitã ingredi, serua mãdata.

Tria quærenda sunt hoc loco. Primum. Quare Christus bonitatis encomium à se reijciat, cũ sit ut filius Dei, ita & bonus. Adolescens hic boni appellationem Christo adscribebat, non ut filio Dei, sed ut singulari cuidam homini iusto et bono, idq; communi consuetudine, iuxta quam homines præcipuos, talibus cohonestamus titulis, qui propriè non nisi Deo competunt, dum uocamus eos sapientes, illustres, inuictos, sanctos, imò sanctissimos, bonos, clementes, pios, &c. Docemur ergo hoc loco, ne agnoscamus tales titulos, sed Deo demus gloriam, sapientiæ, iustitiæ, bonitatis, clementiæ, &c. 1

Alterum est. Quare nemo sit bonus, nisi unus Deus. In promptu causa est. Quia corrupta est uniuersa caro. Et cogitatio cordis humani ad malum prona est, à iuuentute. Et Psal. 14. Omnes declinauerunt, pariter inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, ne unus quidem. 2

OBSERVANDA HOC LOCO.

Si omnes homines mali sunt, cur alius alium contemnit? unde tanta est mortalibus superbia? 1

Si omnes homines mali sunt, quid mirum si malus à malo lædatur? Quis putat insolens esse, si canis canem mordeat? Quid homo boni ab homine sperabit? 2

Si Deus solus bonus est, quæ est ista mortalium peruersitas, quod nemini minus fidunt, quàm Deo, cui soli erat habenda fides? 3

Si Deus est bonus, & ita, ut solus sit bonus, unde tot sunt miseriæ & calamitates in uita mortalium, cum bonus

bonus ille Deus nihil non potens omni nos posit liberare miseria? Rogemus potius unde sit, quod cum mali simus uniuersi, non prorsus extinguimur, iuxta illud: Misericordiæ Domini quod non sumus consumpti.

3 Postremo notandum est & hoc. Si Deus bonus est solus, & nos omnes mali quicquid bonitatis in homine reperitur, id oportet esse ex deo, tanquam fonte omnis boni. Proinde quicquid boni requires ex homine, primum ora deum, ut ipse det homini, quod nemo mortalium ex se habet. Deinde si quid boni acceperis ab homine, cogita id te à Deo accepisse. Tertio. Cogita si hoc ex homine malo quid boni non ex Deo sperandum est, qui solus est bonus?

3 Tertium, quod hoc loco quærendum est, ex eo quod dicit: Si uis uitam ingredi serua mandata, hoc est: Quare nõ dicat: Si uis uitã ingredi crede in eum, quem misit pater, quemadmodum alibi dicit: Qui credit in me, habet uitam æternam. Et Ioan. 6. Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.

Respondet & hic Christus non simpliciter, sed ad qualitatẽ personæ, à quo interrogatur. Agnoscebat defectum animi illius, & ideò responsum suum temperat ad rationem morbi, quo adolescens iste laborabat. Putabat ille se apprimè seruasse præcepta Dei, in quibus erat à iuuentute institutus, quæ tamen ut in fine appareret, non seruauerat. Hac ratione remittit eum Christus ad obseruantiam præceptorum Dei, non quod possibile esset illi uitam hoc pacto acquirere, sed ut admoneretur proprij defectus, & gratiam Dei suspiraret.

Dicit illi: quæ?

Nam erant præcepta Dei uarij generis. Cupit itaq; exactè doceri, quæ ex illis talia sint, ut uitam queant sui obseruantibus adferre sempiternam.

Iesus autem dixit: Non facies homicidium. Non committes adulterium. Non facies furtum. Non falsum dices testimonium. Honora patrem ac matrem. Et: Diliges proximum tuum, ut teipsum.

1 Primum hic notandum est, quod non proponit ceremonialia, utpote de circumcisione, de oblationibus, de purificationibus, de ferijs, &c. Sed de præceptis Decalogi uitæ innouationem concernentia.

2 Deinde, quærendum, quare neglectis primæ tabulæ præceptis, adferat ea quæ secundæ sunt tabulæ. Vulgaria proponit, non quod principaliora illa primæ tabulæ ad hanc causam non pertineant: sed quod ista secundæ tabulæ præcepta Iudæis habebãtur pro uulgaribus: quorum nemo propè obseruantiam sibi non pollicebatur, cum tamen nemo illorum esset, qui ea seruaret, quemadmodum alibi dixit: Et nemo ex uobis seruat legem. Et Rom. 1. Tu prædicas non furandum & furaris, &c. Vult ergo adolescentẽ hunc obiectu uulgarium istorum præceptorum ad imperfectionis suæ cognitionem inducere, & præmaturam illius præsumptionem infringere. Nam ut audiemus, præsumebat plurimum de horum præceptorũ Dei obseruantia, & securus erat quasi in nullo illorum argui posset.

Dicit illi adolescẽs: Hæc omnia seruaui à iuuentute mea. Quid adhuc mihi deest?

Tantundem dicit: Nihil aliud mihi proponis quàm ista uulgaria, quorũ obseruantiam mihi ab ipsa iuuentute & ineunte ætate uindicare possum? Nam nihil horũ unquàm transgressus sum. Ita solemus dicere de rebus nobis cognitißimis & tritißimis. Ich hab das langest an den schuhen zerrissen. Ista inerat adolescenti securitas de magnis istis præceptis. Putabat se illa omnia diligenter seruasse, propterea quod externo opere inculpatè esset in illis uersatus. Qua in re uerò defecerit, uidebimus in responsione Christi.

Omnia hæc seruaui à iuuentute mea.] Non prorsus mentitur adolescens. Nam sub hæc ipsius uerba legimus Marci 10. Christum intuitum esse adolescentẽ ac dilexisse. Quis autem diliget prorsus mentientem? Notandum itaq; nobis qualecunq; studium pietatis, utut imperfectũ à Christo haud contemni, sed approbari. Plausibile erat tantum pietatis studium deprehendi in adolescente eoq; diuite ac principe, idq; ab ineunte ætate seruatum. Hactenus scilicet promouere potest diligens teneræ ætatis institutio. Ita erat instituta Susanna, ut à teneris didicerit timere Dominum. Ideoq; non poterat induci à senibus, ne metu quidem mortis, ut adulterando peccaret in Dominum. Sic Tren. 3. Bonum est uiro, si portauerit iugum Domini ab adolescentia sua. Et Dauid: In quo corriget adolescentior uiam suam? In custodiendo sermones tuos. Quod noua testa capit, ait Poëta, inueterata sapit.

Quid adhuc mihi deest?] Cupiebat perfectus esse in studio iustitiæ, quod ex responso Christi quoq; uidere est. Si uis perfectus esse, &c. Et hoc laude dignum erat in adolescẽte. Sentiebat enim eum qui cupiat hæres esse uitæ æternæ aspirare debere ad pietatis et ueræ iustitiæ perfectionem, nec contentum esse, si multum in eo studio processerit, sed semper spectare ad consummationem. Et merito. Quis enim uiator contentus est, si plurimum de itinere suscepto absoluerit, nisi totum absoluerit, & finẽ, quo ire uolebat apprehenderit? Qui reuera uitam æternã quærũt, ita sunt affecti, ut licet multum processerint in studio pietatis, perpetuo tamen solliciti sint de eo, quod adhuc restat. Sic Paulus Philip. 3. oblitus posteriorum ad anteriora se extendebat: quia quod sectabatur, nondum apprehenderat. Illi uerò, qui tantum ostentationi seruiunt, & de mundo placere uolunt, ubi in speciem aliquid profecisse uidẽtur, belle sibi placent, nec ad ulteriora extenduntur. Nos uerò imitati adolescentem hunc non quiescamus, donec ad finem propositum perueniamus. Faciamus quod solent qui in fodinis auri uel argenti laborant. Illi non abstinent ubi multum effoderunt, nisi abstulerint, quicquid adesse uidetur. Tamdiu laborant & auferunt, donec totum abstulerint. Vel ut ægroti solent, quibus non est satis ut sani uideantur, nisi reuera sint, nec quiescunt, donec perfectæ sanitati restituantur.

Simile.

Simile.

Aliud.

Ait illi Iesus: Si uis perfectus esse,

uade, & uende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & ueni, sequere me.

Pro eo quod noster habet, si uis perfectus esse, Marcus & Lucas posuerunt. Adhuc unum tibi deest. Perfectum enim est, in quo nihil desiderari potest. Nihil autem in eo desiderari potest, quod omnibus suis partibus absolutum est. Vt studium iustitiæ, & obseruantia mandatorum Dei duas partes habet. Vna est, non facere quod malum est. Altera, facere quod bonum est. Adolescens hic in obseruantia mandatorum Dei hactenus promouisse uidetur, ut primã partem absoluerit, quod attinebat ad alterã defecisse, deprehenditur. Et hoc est, quod Christus dicit: Adhuc unũ tibi deest. Dilectio proximi, nõ erat in illo perfecta. Neq; enim satis est non malefacere proximo, nisi & benefacias. Quòd si studiũ hoc beneficentiæ pro ingenio dilectionis exercuisset, tantum opum non habuisset. Est enim egenorum cura, in qua se exercet proximi dilectio, opum consumptiua. Vt hunc itaq; affectum agnosceret, subiungit Christus: uade & uende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ueni, sequere me.

Si uis perfectus &c.] Ex eo quod non dicit: Debes perfectus esse, si uis ad uitam ingredi, sed: Si uis perfectus esse, colligunt quidam perfectionem Christianis nec præceptã esse, nec necessariam ad uitam æternam, sed esse cuiusuis permissam arbitrio, an de eximijs & perfectis esse uelit, sed hac de re suprà 5. dictum est.

Adhuc unum tibi deest. Discendum hic est, quomodo sit agendũ cum illis qui in studio pietatis sunt adhuc imperfecti, ut sumus omnes, donec in hac uita sumus. Adolescenti isti absq; dubio adhuc magna deerat perfectæ pietatis portio. Non tamen dicit ad illum Christus: Desunt adhuc innumera, nihil adhuc promouisti, frustra sunt & uana quæ consequutus es, sed quasi collaudans illius studium, & cõcedens & agnoscens illum plurimum profecisse, extenuat quod supererat, ut animum anhelantem ad ulteriora prouehat, dicens: Adhuc unum tibi deest. Quod certè nõ est absterrẽtis, sed magis prouocãtis ad perfectionem. Ad hunc modum & nos facimus, licet sciamus adhuc multa deesse perfectioni fratris. Pro inhumanis habentur, qui rogati à uiatore, quantũ adhuc supersit itineris ad eum locum quo properat, respondent superesse quàm plurimum. Proinde qui ciuiliores sunt, plerunq; adhunc modum respondẽt. Pauculum adhuc superest, potes adhuc hodie illó peruenire, si mediocriter contenderis.

Qui ægrotis seruiunt, dum illis cibum administrãt, ubi adhuc pluſculum superest, dicere solet: Iam propè habes omnia, adhuc una tantum superest sorbitiuncula. Quin etiam ubi non totum, sed pauculum duntaxat idq; ægre, sumpsit ægrotus, magnificere solent, ac dicere multum esse sumptum. Ita & nobis omnino faciendum est cum illis, qui pietati studeant. Si quid profecerũt, utut parum sit, laudandum & magnificiendum est. Si quid superest, utut multum sit extenuandum est, ne deijciantur animi imbecilles, sed magis concepta perfectionis, ueluti sanitatis spe, ad ulteriora prouocentur.

Vade, uende quæ habes, & da pauperibus.] Quid hoc est? An mox perfectus est, qui bona sua uendit & pauperibus dat, cum inuenti sint inter philosophos, qui diuitias abiecerint in mare, ut Crates ille Thebanus fecisse legitur? Puto facile illas dedisset pauperibus, quum in mare abijceret. An ideò perfecti fuere? Haudquaquàm. Morbum huius adolescentis sciebat Christus, quem habebat occultum, etiam sibijpsi incognitum. Is erat, quod corde pendebat à diuitijs quas habebat grandes. Vt hunc agnosceret, ita respondere uoluit. Non quod in eo sita sit perfectio, aut perfectus euadere nequeat, nisi uendantur omnia denturq; pauperibus, cum & Abraham legatur fuisse coram Deo תמים id est, integer & perfectus, nec tamen omnia sua uendidisse. Atq; ideò subdidit: & ueni sequere me, sublata cruce, ut est in Marco, quibus admonemur perfectionem nõ esse in eo, si uendãtur omnia, denturq; pauperibus: sed opus esse sequela Christi, & crucis disciplina, ut dimisso agello frangatur & mortificetur quoq; carnis peruersum ingenium.

Itaq; intelligendum est præceptum hoc Christi, de uendendis bonis: temporarium esse & personale, non generale & necessarium omnibus. Hoc uerò generale est, quòd suprà dixit: debere abnegare seipsos, tollere crucem suam, seq; sequi, si qui uelint ipsius esse discipuli. Qui hoc faciũt, licet substantiam huius mundi possideãt, cum Abrahamo, parati tamen sunt illas pro uoluntate Domini amittere, quandocunq; opus fuerit, & non solum substãtiam terrenã, sed & ipsam uitam. Sic Lucæ 14. dicit: Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

Da pauperibus.] Notanter hoc est adiectũ. Nam non est satis corde non pendere à rebus terrenis, quod etiam philosophi docuerunt, & pro uiribus præstiterunt, uel certè egregiè simularunt, sed opus est, ut diligantur proximi, secundum mandatum Domini. Ergo hanc dilectionem exigit, in eo quod dicit: & da pauperibus. Vt intelligamus in regno Christi nihil esse per se si quis non amet diuitias, quod multos hodie alioqui facere uidemus, qui tamen non sunt appositis animis ad diuitias, ut nec eas quas à parentibus acceperunt, cupidè complectantur ac seruent, sed prodigalissime dilapident. Quidã tales sunt, ut si magno studio coneris reddere diuites, laterem sis laturus, aut aquam cisternæ infusurus, nisi diligat proximum, & sciat proximo non solum opes per dilectionem, sed & uitam ipsam, si opus sit impendere. Proinde non dicit: abijce opes tuas, sed uende & da pauperibus, hoc est quàm poteris commodissime illas cum utilitate pauperum distrahe. Hoc enim uidetur uelle, quod non simpliciter dicit: da opes quas habes pauperibus, sed: Vade & uende quæ habes, & da pauperibus. Iubet nanq; non solum promptam quam habebat pecuniam dare pauperibus, sed & uniuersam hereditatem, domos, agros, hortos, &c. uendere, id est commutare pecunia, quam commodè posit distribuere pauperibus.

Et

Et habebis thesaurum in cœlo.] Ne putaret sibi deperdita esse bona si pauperibus illa daret, adiunxit præcepti huius utilitatem. Nam ita solent, qui quæ salubria sunt suadent ac præcipiũt præceptis suis adiungere, quid commodi adferant, ut spe fructus permoti, quibus suadent, obtemperent. Vt si medicus præcipiat de cibi cuiusdam abstinentia, subiungatq; quid inde utilitatis sit laturus ægrotus, si obsequatur, quod & faciet, si uere sanitatẽ assequi desiderauerit: ita & Christus hoc loco roganti de uita æterna, & ad perfectionem aspiranti, & quid facere debeat præcipit, & utilitatẽ præcepti sui proponit, talem, quæ debebat quàm cupidissimè appeti ab eo qui uitam sectabatur æternam, dum dicit: Et habebis thesaurum in cœlo.

Quod autem non simpliciter dicit, & restituentur tibi in cœlo, uel habebis uitam æternam, uel cœlestia bona, sed thesaurum in cœlo. Per imitationem loquitur ob id, quod hic adolescens non simpliciter bona sua, sed thesauri loco posidebat, hoc est, corde illis adhærebat. Q.d. Putas te habere thesaurum quia dives es, & illum cupidè complecteris, non facilè deserturus. Quòd si me audis, curabis potius ut thesaurum habeas in cœlo, di-
Luc.12 ues cœlestium opum magis quàm terrenarũ. Sic suprà cap. 6. admonuit, ut thesauros colligerent in cœlo.

Videmus hic quo loco sint pauperes apud Deũ. Videmus quis uerius det quis accipiat, ubi eleemosyna pauperi datur. Vtrius sit lucrum, an pauperis accipientis, uel diuitis dantis. Sed hac de re, quomodo ad perpetuam usurã bona terrena sint collocanda, & in cœlestia commutanda, eoq; transferenda, ubi uitam nos æternam habituros speramus, uide suprà cap. 6.

Sed quid illis opus thesauro in cœlo, qui cœlum nec appetũt, nec eo se uenturos sperant? Colligant ergo thesauros non in cœlum, sed in gehennam, cum diuite epulone pauperum contemptore, quo & uenturi sunt, ut satis habeant pœnarum, &c.

Et ueni, sequere me.] Imitat eum in ordinem ac dignitatem discipulorum suorum. Est enim speciale, ac personale, ut & hoc, quod iussit omnia uendere. Nam hoc sensu hic accipio illud: ueni sequere me, quo & in uocatione Apostolorum, ut suprà cap. 4. & 9. Et Luc. 9. ubi non simpliciter ad fidem in se, sed & ad Apostolatum & ministerium prædicandi Euangelij uocauit, dicens: Sequere me, & uenite post me, quod Luc. 9. clarum est, ubi cum dixisset ad quendam: Sequere me, illeq; regessisset. Vadam prius sepelire patrem meum, respondit: Sine mortuos sepelire mortuos suos: Tu autem ueni & annuncia regnum Dei.

Cum audisset autem adolescens eum sermonem, abijt tristis, Erat enim habens possessiones multas.

Hic apparet, qua in re defecerit hic adolescens. Supra dixit: Omnia hæc seruaui à iuuentute mea. Putabat se omnia illa præcepta Dei, utpote uulgaria, probè seruasse. Quàm uerò errauerit, ex eo iam clarum redditur, quod tristis abit propter uerbum Christi, quo iussus est uendere omnia bona sua, & dare pauperibus, ac nudus nudum sequi præceptorẽ. Nam si à iuuentute proximum dilexisset sicum seipsum, tantas utiq; diuitias nõ habuisset, & si habuisset alicunde, utpote à parentibus acceptas, non seruasset, sed eo impendisset, quo cordis rapuisset affectus. Rapuisset autem ad proximũ, quem dilexisset. Nam ea est dilectionis uis, ut omnia reddat cõmunia, ferreq; nequeat proximi calamitatem. At is affectus est opũ cõsumptiuus. Iam quid Christus aliud illum facere uolebat, quàm ut diuitias suas impenderet in pauperes? Quòd si dixisset: Vade proijce diuitias tuas in mare, uel uade da illas ijs, qui & ipsi sunt diuites, & qui illas inutiliter absumãt. Aut tu ipse consume eas prodigaliter infinito instituto luxu, adiunctisq; tibi lurconũ, & helluonũ cateruis, certè meritò tristis abijsset. Nam id repugnasset dilectionis affectui, quæ magis in hoc est, ut subueniatur pauperibus, quàm ut turpiter prodigantur, si quæ sunt facultates. Conspicuum est ergo, quod dilectionem proximi non præstiterit. Cum hoc sciret Christus, ad eum modum illi respondere uoluit, ut quod latebat, manifestum fieret.

Erat enim habens possessiones multas.

Hæc est ratio, cur tristis abierit. Diligebat enim non proximum, sed opes suas, quibus cor apposuerat. Nam id ex eo colligitur, quod ad sermonem Christi mœrore affectus abijt. Quis enim mœret si amittat, quod non diligit. Qui amissa uxore non apparet admodum tristis, arguitur quod eam uel non dilexerit, uel certè perparum dilexerit. Ita scilicet agnatum nobis est, ut quæ diligimus ægre amittamus. Nec ullo alio indicio cordis nostri affectus deprehendi potest, an diligamus nostra uel non diligamus, quàm hoc uno, si deprehendamur tristes in illorũ amissione, aut difficiles in cõmunicatione.

Sed quid est, quod non dicit Euangelista: Amabat enim opes suas, sed: Erat enim habens possessiones multas? Notanter hoc posuit Euangelista: nam emphaticòs exprimere uoluit nõ solum adolescentis huius, sed in genere omnium eorum morbum, qui corde à terrenis bonis pendent. Imò ut uerius dicam, morbi huius ingenium hoc pacto significauit. Est enim ingenium illius, ut quo plures habẽtur possessiones, eo ipse reddatur maior ac robustior. Sic ille ait: Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Rectè ergo Euangelista, cum uellet rationẽ reddere, cur hic adolescens tristis abierit, iussus uendere bona sua, ac dare pauperibus, hoc posuit, quod habuerit multas possessiones, ut significaret illum magnopere opes suas dilexisse. Quis autẽ exprimet quàm sit miserabilis hic morbus, quo fit, ut quo plus possideas, hoc minus habeas: & quo minus habeas, hoc sis pauperior. Id quod hydropicis usuuenire solet, qui quanto plus bibunt, tanto plus sitiunt, dum quod bibendo insumunt ad nihil aliud illis prodest, quàm ut sitim adaugeat? Et hoc est, quod Chrysostomus exclamans. Nunq; Chrysost.
inquit magna uoce clamare cessabo, accessione pecuniarũ cupiditatẽ habendi magis atq; magis adeò inflammari, ut rerũ copia crescente egestas quoq; crescat.

Gerit igitur hic adolescens imaginem omniũ eorũ, qui cuperent quidem obtinere uitam æternam, illiusq; gratia parati essent multa facere, multa omittere, in hoc deficientes quod interea amatores sunt opũ terrenarum,

narum, expertes omnis dilectionis erga proximum. Tantum studij potuit hic adolescens impendere præceptis Dei, ut illius gratia dilectus sit à Christo, opes uerò uendere ac pauperibus dare non potuit. Tales se multos uidisse diuites dicit Basilius: qui et ieiunauerint, & precibus operam dederint, & de peccatis suis ingemuerint: Cæterũ ne obulum quidem pauperibus dederint, πᾶσαν τλὼ ἀδ᾽ ἀπανου θυλάξειαν φιλοχρήμωοι, hoc est, quamcunq; religionem ostendentes quæ sumptu careret. Talium hodie, etiã inter eos qui Euangelij synceritatem amplexos se simulant, multus est numerus, qui nihil non facerent uitæ æternæ gratia, hoc uno dempto, quod iubentur opes suas cõmunicare pauperibus, & omnibus renunciare quæ possident. Aliquid forsan darent, quo quasi reliqua redimerent, id quod & hic adolescens absq; dubio feciſſet, si id à Christo iussus fuisset, uerum ut non diligant opes suas, nec spem in illas ponant, hoc est quod non possunt præstare.

Simul tamen & hoc notandum est in isto adolescente, quod licet opes suas plurimũ dilexerit, quod ex uerbo Christi concepta mœstitia declarauit, non tamen iussui Christi obloquitur. Non enim abit λοιδορούμενος conuitijs ac probris Christum petens, sed λυπούμενος mœstus ac tristis. Quod certè indicium dabat animi uitam æternam non leuiter, sed serio aliquousq; quærentis. Alioqui cogitasset, quid mihi cum ea uita quæ futura dicitur? Curabo ut in hac quæ præsens est, commodè agam. Deinde declarabat se iussum Christi non prorsus contemnere, nec pro absurdo ac non necessariò ducere. Nam si hoc feciſſet, mœstus utiq; non abiisset. Quin potius dixisset: Hoc nõ erit necessarium. Nam nusquàm mihi in lege Domini præciputur, ut opes meas uendam, demq; pauperibus, quibus ipse opus habeo. Præceptum quidem est, ut diligam proximum, sicut meipsum. Hoc faciam. Sed ita, ut primum meipsum diligam. Nihil horum regerit, sed agnita præcepti Christi ratione ac necessitate, tristis abijt. Hinc desiderio uitæ æternæ, illinc amore opum misere afflictus, nec uitam æternam negligere, nec opes suas uendere, & alijs dare ualens.

Quanto quæso senior fuit hic adolescẽs nostris quibusdã diuitibus, qui scommatis etiã uerba Christi proscindunt, ubi talia facere iubentur, quæ opum cumulo nonnihil detrahunt: utpote suprà, ubi Christus præcipit, ut omni petenti tribuamus, ut tunicam auferre uolenti, dimittamus & palliũ, ut thesauros in terra nõ congregemus, sed in cœlis, & illud: Væ uobis diuitibus, qui habetis hic consolationẽ uestrã. Et illud: Fili recordare quod acceperis bona in uita tua, ideò nunc cruciaris.

Iesus autem dixit discipulis suis: Amen dico uobis: Diues difficile intrabit in regnũ cœlorum. Et iterum dico uobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem in regnũ Dei ingredi.

Tria sunt hoc loco notanda. Primum est. Quid dicat Christus. Posteaquàm uidit adolescentem hunc abire tristem, sumpta occasione, per illius exemplum, admonuit quanta sit diuitiarum pestis, ijs qui cupiant ingredi in regnum cœlorum. Diues inquit, difficile intrabit in regnũ cœlorum. Et ne uideretur hoc obiter dicere, præmittit assseuerationem, dicens: Amen dico uobis: Et in Marco, cum admiratione. Quàm inquit difficile inquit, hi qui pecunias habent, regnum Dei intrabunt. Tertio dicit illum Marcus circumspexisse, ac tum ista dixisse: deinde ingeminasse quoq;. Quarto, non contentus assseuerasse, quod difficulter regnum cœlorum diuites sint ingressuri, adiungit quod amplius est, esse impossibile quoq;. Si enim impossibile est, ut camelus per foramen acus transeat, quomodo non impossibile est, ut diues regnum cœlorum ingrediatur: quod hic dicit illo multo esse difficilius? Ideò & infrà dicit: Apud homines hoc impossibile est. Dat ergo Christus spectandum discipulis in isto adolescente, impossibile esse, ut diues ingrediatur in regnum cœlorum.

Durus est hic sermo. Planè. Sed uerus est, quia non noster, sed Christi est. Nemo nobiscum hac de re cõtendat, in qua non nobiscum, sed cum Christo contenditur. Quòd si uidetur hoc ἀφόρητον, expostula cum Christo, & iube ut recantet sententiã suam, uel ut uiam regni cœlorũ aliquãto reddat latiorẽ ac spaciosiorem.

Alterũ est. Quare hoc discipulis suis, idq; cum tanta assseueratione, admiratione, & ingeminatione dicat: Quod enim illorum gratia hoc dixerit, non solum ex eo colligitur, quod Euangelista dicit: Iesus autem dixit discipulis suis: sed & ex eo, quod circumspiciendo, uidelicet ut illos redderet attentos, tanquàm magni quid audituros, hoc dixit, & præterea ex eo quoq; quod, ut in Marco est, dixit: Filij, quàm difficile est eos, qui fiduciam habent in pecunijs, regnum Dei ingredi. Est enim hæc uox planè paterna, qua patres erga liberos, dum quæ illis sunt summopere cauenda admonent, uti solent. Habent ergo ista paternã admonitionem ad discipulos, ut huius adolescentis exemplo absterriti, fugiant istam pestem si uelint ingredi in regnum cœlorum: deinde, ne offendantur, si quando uiderint Euangelium regni ab illis qui diuites sunt in hoc mundo aspernari, scientes impossibile esse diuitem ingredi in regnum Dei.

Sit ergo nec nobis mirum, quod hodie uidemus magnates & opulentos spernere doctrinã regni Dei. Imò magis hoc mirum sit, si uiderimus diuitem aliquem recta properare ad Euangelium Christi: cuius animus nõ à diuitijs, sed à bonitate ac prouidentia pendens, bonus sit ac misericors erga pauperes, ac paratus omnia propter Euangelium Christi amittere.

Tertium est. Quare impossibile sit diuitem ingredi in regnum cœlorum. Aut qui sint illi diuites, qui nequeant ingredi in regnum cœlorum. Certum est enim, quod diuitiæ in seipsis nõ impediant à regno cœlorum. Nam Zachæus diues fuit. Et Paulus non dicit: Nulli sunt uocati diuites, sed, non multi sunt uocati diuites. Et Ioseph ab Arimathia, qui Christum sepelisse scribitur, illiusq; fuisse discipulus, Matth. 27. dicitur fuisse diues. Diues fuit & Abraham, & Loth, & Isaac, & Iacob, & Dauid, et Iob, qui puto, si tempore Christi uixissent, ab Euãgelij consortio nequaquàm excluſi fuissent, cum & in ueteri testamento regni Dei participes fuerint.

Notandum

Notandum ergo, qualis sit hic dives adolescens, cuius exemplo Christus permotus est ad hanc sententiam. Non est enim credendum, quod de alio diuitum genere loquatur, quàm de tali, ad quod pertinebat iste adolescens. Pertinebat autem ad eos, qui opes suas habent pro thesauris suis, & fiducia ab illis pendent: Ergo de talibus loquitur Christus. Patet autem hoc ex eo quod Marcus scribit: Filij quàm difficile est eos, qui fiduciam habent in pecunijs regnum Dei ingredi? Hic uocat fiduciam habentes in pecunijs, quos antea uocauerat habentes pecunias. Et hic in Matthæo diuites, ut ostendat se loqui de illis qui cor apponũt diuitijs. Alioqui inter pauperem & eum diuitẽ, qui posidet tanquàm nõ habens, quod ad regni dei ingressum attinet, nihil est differẽtiæ.

Culpantur igitur à Christo non diuitiæ, sed corda illa diuitum, quæ spem ponunt in diuitijs. Vnde & Apostolus 1 Timo. 6. non dicit: Qui diuites sunt, incidunt in tentationem, &c. sed qui diuites uolunt fieri, & radix malorum est φιλαργυρία, nõ dicit ἀργύριον. Amor pecuniarum, nõ pecuniæ. Et diuitibus huius seculi præcipe inquit, non sublime sapere, neq; sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo uiuo. Taxans non diuitias, sed uitia illa humani pectoris, à diuitijs pendentis, deq; illis præsumentis ac superbientis. In quo loco, instruit diuites, quomodo posint appræhendere uitam æternam.

Quur ergo dicit hic, quod impossibile sit diuitem ingredi in regnum cœlorum, cum non diuitiæ, sed fiducia diuitiarum, impediant à regno cœlorum. Ratio est, quod ita corrupti sumus, ut nisi diuinitus seruemur, impossibile sit humanis uiribus nõ pendẽre ab opum multitudine, deq; illis nihil præsumere. Vnde illud: Quis tanget picem, & non inquinabitur ab ea? Vnde & infra dicet. Quod impossibile est apud homines, possibile est apud Deum. Non est igitur disputandũ de opibus terrenis in seipsis, quod sunt bonæ Dei creaturæ, quod sunt ad res multas ualde utiles & commodæ. Sed expendendũ est magis unicuiq; nostrûm, quis ipse sit quo morbo teneatur, & an possit opibus pro uoluntate domini uti, uel an cogatur illarum subesse dominio. Qui febribus tenentur periculose de uini bonitate disputant, neglecta morbi proprij cõsideratione. Nam etiamsi sanis sit utile, ipsis tamen est noxium.

Quæ est itaq; insania Christianorum quod cum tot modis uerbo Domini admoneantur, quanta sint terrenarum opum pericula, nihilo secius perpetuo studio opibus inhiant, ac paupertatem, non solum à tot uiris Dei, ueteris ac noui testamenti, sed & ab ipso seruatore nostro consecratam, cane peius & angue odiunt ac fugiũt. Cum illa tamen nihilo minus habeat quæ necessaria sunt, quàm qui sunt omnium opulentissimi, siue cœlestia respicias, siue terrena, quorum tamen gratia rarissimus est, qui Deo gratias agat? Corpus, animã, usum rationis, usum membrorũ, sensus corporis necessarios, uisum, auditum, gustum, olfactum, tactum, terram, cœlum, solem, aërem, ignem, aquam, dies, noctes, lucem, tenebras, Deum patrem, Christum Iesum seruatorem, gratiam spiritus sancti, omnia bona cœlestia uitam æternam, æque pauper habet atq; dives, etiamsi tot nummos non numerat. Imò si rem hanc rectè reputemus pauper in multis diuitem superat. Quod ad cœlestia regni cœlorum bona attinet, expeditior est ad illa pauper, quàm dives gibbosus, cum sit animo liberiore ac minus captiuo. Quod terrena concernit, corpore quoq; ex labore ac uictu illo modico, quo natura contenta est, sanior est ac robustior. Deinde cum maiore uoluptate comedit panem, bibit aquam, quia ex fame ac siti comedit ac bibit, optimis condimentis, quàm dives ille fastidiosus, nec famem, nec sitim expectans. Cum maiore quoq; uoluptate dormit, quia fessus ex labore dormit, & liber ab omni illa diuitiarum uel congregandarum uel conseruandarũ cura. Et hac quoq; ratione minus habet morborum. Præterea ad ferendas res aduersas multo est aptior, quibus à iuuẽtute assueuit, cum diuites omnium sint omnium delicatissimi. Moriendum est? Vter hic tolerabilius moritur? De diuite dictũ est. O mors quàm amara est memoria tua, homini prospere agenti in substantijs suis, &c. Diceret saltem, quàm es amara? Sed cum dicit, memoria tua. Innuit non solum mortẽ ipsam grauissimam esse diuitibus, sed molestissimũ quoq; esse uel illius meminisse. Et iterum de egenis. O mors quàm bonum est iudicium tuum homini egeno? &c. 1 2 3 4 5 6 7 Eccle. 41

Qui in non hoc solum habet paupertas (exclusa mendicitate) sed & usus illius adeò necessarius est, ut plus faciat ad conuictum humanum sustinendum quàm diuitiæ. Nam si omnes ex æquo diuites essemus, quis agrum manu sua coleret, sereret, meteret, trituraret frumenta, &c. quis pecudes & iumenta educaret, custodiret, curaret? Quis alteri faceret uestes? Quis calceos consueret, quis moleret? quis pannos texeret? Quis cerdonem ageret? Quis domi ac foris cuiquam seruiret? Qui mercator est, unde colligit opes suas, nisi ex labore pauperum? Vnde habentur aurum, argentum, & reliqua metalla, nisi ex labore pauperum? Vnde uiuunt ociosi illi ac grandes equi, nisi ex labore eorum qui agrum labore suo colunt? Hoc itaq; certum est, si optio detur mortalibus, propriam necessitatem, imò & commoditatem intelligentibus, utra uelint carere, opulentiá ne uel paupertate. Si sapiant citius carituros opulentia, quàm paupertate: non solum ad hoc, ut uiuant, sed & ut commodè uiuant. Quæ est itaq; ista insania, quod terrenarum opum gratia nobis ipsis uiam regni cœlorum præcludimus?

Auditis autem his discipuli, expauerunt ualde, dicentes: Quis ergo potest saluus fieri?

Impossibilitatem eius, quod dives ingredi possit in regnum Dei, Apostoli probè intellexerunt ex similitudine cameli, quam dominus dixit facilius posse foramen acus pertransire, quàm diuitem in regnum cœlorum: atq; ideò uehementer inter se obstupescunt & consternantur, dicentes: Quis ergo saluari poterit? Q. d. Si res ista sic habet, si sine ingressu regni dei nemo saluari poterit, illud autem nemo ingredietur nisi abiectis opibus suis, quid aliud relinquitur, quàm impossibile esse, ut quisquàm saluetur? Quæ ergo est spes, imò quæ potest esse spes salutis mortalibus.

Quæritur

Quæritur hoc loco, quomodo Apostoli ex uerbis Christi, neminem saluari posse collegerint, cum ille de diuitibus, tantum ac nominatim sit loquutus? Nam non dixit: Difficilius est aliquem intrare in regnũ Dei, quàm camelum transire per foramen acus: sed diuitẽ, inquit, in regnum Dei intrare, difficilius est. Cur ergo illi expauefacti subdunt: Quis poterit ergo saluari?

Chrysostomus uerba discipulorum quoq; non generaliter de omnibus mortalibus, sed tantum de diuitibus intelligit. Dicit aũt eos expauefactos, non quod ipsi diuites essent, cũ fuerint pauperes, sed quod iam tum affectum paternum erga genus mortalium induerint, miserumq; duxerint, si tanta per totum orbem diuitũ multitudo, debeat in uniuersum perire.

Verum licet de diuitibus loquutus sit Christus, nihil tamen impedit discipulorum uerba intelligere generaliter de omnibus mortalibus. Facile nanq; uiderunt, hoc quod diuites impediturum esset à regno Dei, tale esse cui omnes mortales, utut pauperes, obnoxij sint. Nam idem morbus est animi, nõ posse relinquere opes iam in promptu præsentes, & desiderare quas non habeas. Vtrinq; enim cor est à creaturis pendens, & cœlestia nec intelligens, nec affectans, quod sanè est ineptum esse ad regnum Dei.

Expauerunt ualde.] Colligimus ex isto pauore & stupore discipulorum, quod antea spe bona fuerint de salute mortalium. Alioqui nisi quod Christus dixit, insolens illis uideretur, unde expauissent? Si antea quoq; dixerunt in cordibus suis. Quis poterit saluari? quomodo id iam cum stupore dicunt? Ergo manifestũ est, quod antea meliorem de salute mortalium spem sibi concepe rint, propter aduentũ regni cœlorum, & Christi præsentiam. Quid igitur in causa est, quod iam ad uerba Christi expauescunt, & salutis spem amittunt? An immutatus est Christus, iam aliud prædicans quàm antea? Nequaquàm. Quin magis ipsi ueritatem ac rationem doctrinæ Christi ac regni Dei antea non probè intellexerant. Putârant fortè salutem mortalibus ita exhiberi, ut nihil immutatis affectibus carnis, sola gratia regni Dei per Euangelium prædicati, remissis peccatis, saluari liceret, eosq; duntaxat condemnatum iri, qui Euangelio apertè contradicerẽt. Ideò iam ubi audiunt ad ingressum regni Dei animum talem exigi, qui paratus sit etiam ingentes opes remittere propter regnum cœlorum, in desperationem salutis relabuntur.

Idem absq; dubio hodie multis contingit, & in Ecclesia perpetuo contigit & continget, ut ad prædicationem gratiæ multis fiat spes salutis, hoc nomine, quod regnum cœlorum promittitur Christo credenti, in quo est omnis uita, et plena peccatorũ remissio. Rursus mors intentatur incredulis & Euãgelio repugnãtibus. Quoniam uerò illi uim ac rationem regni Dei ac ueræ salutis non plene intellexerunt, fit, ut consternantur ac propè desperent, ubi quæ necessariò exiguntur à credente in Christum, serio inculcantur. Vt autem clarum fiat quod dico: Pone regem esse aliquem, cui debeatur totus orbis, qui ad se uocet omnes, promittens delictorũ condonationem, & in regno suo omnis generis prosperitatem, illis, qui suæ se fidei committant. Rursus minetur omnimodũ exitium repugnantibus & hanc gratiam contemnentibus. Hactenus spem faciat multis acquirendæ prosperitatis in regno ipsius promissæ, quasi nihil exigatur amplius, quàm agnoscere hunc regem, & illi sese præstita fide addicere. Vbi uerò adijciatur etiam regni ius, & uis illa præstitæ fidei: nempe quod necesse sit ciuem regni huius futurum ea dilectione ac fide fore erga regem ac reliquos conciues, ut illius nomine paratus sit amittere non solum patrem, matrem, uxorem, liberos, fratres, sorores, omnem facultatem ac possessam substantiam, sed & ipsam quoq; uitam, & in summa omnia uni regi ac regno ipsius postponere, à solo toto pectore pendẽre: tum eos, qui antea cupidè fuerant regni promissionẽ amplexi, animo concidere, deq; illius acquisitione desperare. Ad hunc modum planè uidetur hic accidisse Christi discipulis, et multis Christianis hodie accidere. Primam tantum partem huius causæ amplectuntur, reliquam negligunt. Non quod prima posit uerè appræhẽdi, neglecta altera: sed quod de altera nihil solliciti sint, adeoq; nec primã intelligentes uana spe seipsos decipiant. Et hac ratione fieri uidemus, ut multi ab Euangelij doctrina retrocedant, qui principio prædicationem illius mordicus uidebantur complecti, in quibus & illud, quod est in fine capitis huius, impleri uidemus: nempe quod ex primis fiant nouissimi.

Intuitus autem illos Iesus, dixit illis: Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem, omnia possibilia sunt.

Ex Marco liquet discipulos ista: Quis ergo poterit saluari, intra sese dixisse: Christus uerò, cui nihil erat absconditum, stuporem & consternationem ipsorũ notauit, illiq; his uerbis mederi uoluit. Et hoc puto esse, quod Euangelista dicit: Intuitus autem illos Iesus. Credibile est autem, quod quidam annotant, Christum hoc intuitu turbationem mentis illorum sedare uoluisse, ac spem meliorẽ indere. Certè quicquid sit, omnino notam hãbet affectus cuiusdam. Arbitror autem aspectũ hunc idẽ uoluisse, quod uerbis statim exprimitur. Nam quod dicit: apud homines quidem impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt. In summa nihil aliud uult, quàm animos illorum ab ista perturbatione liberare, spemq; facere, fieri posse ut etiam diuites saluentur. Concedit autem illis aliquam rationem stuporis, uerũ mox corrigit. Concessio est, quod dicit: Apud homines quidem impossibile est. Q. d. certè, quod ad humanas uires attinet, uerum est quod colligitis: nempe neminem posse saluari. Proinde hactenus non frustra perturbamini. Correctio uerò est, quod addit: Apud Deum uerò omnia possibilia sunt. Quod idem est ac si dicat. Verum non debetis ideò animum de diuitum uel quorumcunq; mortalium salute despondere, quod apud homines impossibilia sunt, quæ exiguntur ad regni Dei ingressum. Quod enim homo nõ potest, Deus potest. Tum sanè desperandum esse, si nec Deo possibile esse quod exigitur.

QVID HOC LOCO SIT obseruandum.

Insignis

Insignis est hic locus, proinde diligẽter expẽdendus. Videtur aũt expendi posse bifariam. Primo quod hanc causam attinet, de qua Christus hic loquitur: nempe de salute mortalium. Deinde in genere quoq; de uniuersis, in quibus conscientiæ nostræ argumento omnipotentiæ Dei in causa fidei erigi ac confirmari desiderant. Nam generalis est sententia, quod dicit: Apud Deum uerò, omnia sunt posibilia. Speciale fuisset, si dixisset: Apud Deum uerò hoc non est impoßibile.

DE POSSIBILITATE SALVtis nostræ.

Considerandа sunt hic duo summè necessaria, quæ & ita cõiuncta sunt, ut à se inuicem non debeant diuelli.

PRIMVM.

Apud homines hoc impoßibile est. Ergo impoßibile est quenquàm humanis ac proprijs uiribus saluari posse. Nam nõ dicit, apud hunc adolescentẽ, hoc est, impoßibile, nec, apud diuites, hoc est impoßibile, sed apud homines. Atq; ideò & Deo soli hoc adscribit, ut illi sit poßibile saluare hominem, & dare, quod illi est impoßibile. Istud cognouisse, plurimum facit ad hoc, ut nõ solum humiles simus, nulla in re quicquàm præsumentes: deinde & aliorum imbecillitati eo facilius cõdoleamus, cõmunisq; nostræ miseriæ misereamur, sed & ad hoc, ut agnoscamus quid sit Deum esse, & hoc constantius in omnibus à Deo pendeamus. Sunt autem hic duo probè notanda, quæ ad hanc causam intelligendam faciũt. Vnum est: Quare sit hominibus impoßibile, ut saluentur, (intellige actiuè non paßiuè. Nam si paßiuè quoq; uerum esset, quod dicit: Hoc impoßibile est apud homines, non subsisteret quod subiungit: Apud Deum uerò omnia sunt poßibilia. Quomodo nam saluaret deus hominẽ, qui saluari nõ posset. Viribus suis seipsum saluare nõ potest, at potestate Dei saluari potest) quid illũ remoretur. In eo quod dicũt: Quis ergo potest saluari, innuitur omnes homines esse perditos. Aliud enim est saluum esse, & aliud saluari. Qui saluatur, saluus nõ erat, sed perditus. Qui liberatur, non erat liber, sed captiuus. Qui sanatur, erat ægrotus. Nemo saluus saluatur, ut & nemo sanus sanatur. Cum ergo simus perditi, quærendum est, quæ sit illa perditio, ut sciamus quoq; quæ sit nostra salus: an illa sit uiribus nostris acquisitu poßibilis. Perditio nostra est, corruptio nostra, quæ in eo est, quod Deũ nec agnoscimus, nec amamus, nec uoluntati illius morigeri sumus, praui, infideles, & ad malum proni à iuuentute, in peccatis concepti & nati, serui peccati & Satanæ potestati subiecti, adeoq; coram Deo immundi, abominabiles, maledicti, mortui. Hæc est nostra perditio, qua fit ut nullo pacto poßit nobis esse societas cum Deo, in quo uno est uera uita & felicitas.

Ex ista perditione, nemo mortalium se potest suis uiribus eximere. Quis enim potest efficere, ut alius sit q̃ qualis est conceptus & natus? Et uoluntas & operatio hominis est ex corde hominis. At illud est prauũ & corruptum, unde ergo sumet initium salutis ac liberationis suæ? Malus homo de malo cordis sui thesauro profert mala. Arbor mala non potest fructus bonos facere. Non colligunt de spinis uuas. Hinc illud: Non est qui faciat bonum, non est ne unus quidem. Omnes corrupti sunt. Et animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt. Stultitia sunt illi, non potest intelligere. Et affectus carnis, inimicitia est aduersus Deum. Nam legi Dei non subditur, siquidem ne potest quidem. Qui uerò in carne sunt Deo placere non possunt. Iam quis potest facere, ne sit caro? ne secundum carnem afficiatur, ut poßit placere Deo, & saluari? Quis potest exuere istam cæcitatem animi corrupti? Quis seipsum ab hac immundicie, quæ oculis Dei displicet, repurgabit? Quis potest, inquit Iob, mundum facere, quod de immundo conceptum est semine? Nónne tu qui solus es? Cum igitur malum perditionis nostræ situm sit in ipso iudicio, affectibus, corde, natura ex peccato corrupta, adeoq; ipsa nostra uita, necessarium est, ut prorsus regeneremur, ut illuminemur, ut à mortuis excitemur, alio spiritu donemur. Ideò dicit Christus Ioan. 3. Nisi quis regeneratus fuerit è supernis, non potest uidere regnum Dei. Ecce opus est regeneratione. Non dicit autem: Nisi quis seipsum regenerauerit, sed nisi fuerit regeneratus è supernis. Huc accedit captiuitas regni Satanæ, cuius tyrannidẽ nemo suis uiribus euadere potest, ut necesse sit fortiorem aliquem uenire, qui tyrannum superet, opprimat, spolia illius diripiat. Est autem saluari è regno Satanæ, regno tenebrarum liberari ac transferri in regnum Dei ac lucis æternæ. Quis hoc sibijpsi præstiterit? Ecce his de causis fit, ut impossibile sit apud homines, saluari. Rom. 3 1 Cor. 2

Et istam impoßibilitatẽ nunquàm agnoscunt, quotquot traditionibus humanis dediti, uitam ac salutẽ quærunt. Nam illi quia uident se posse præstare, quæ humanitus tradita sunt, & putant ex illorum obseruantia constare Christianis salutem, ideò prorsus securi sunt. Et putant poßibile esse homini, ut salutem suam ipse sibi procuret, ieiunando, orando, Missas audiendo, confitendo, Sanctos colendo, &c. Qua re quid potest homini pernitiosius contingere? Nam hoc pacto non solũ seipsos non agnoscunt, sed nec Deum ipsum, ut saluatorem agnoscere possunt, cum sint sibijpsi dij ac saluatores. Quamobrem adiungendum est & alterũ: nempe qua in re sita sit impoßibilitatis huius nostræ experientia uera ac certa. Est aũt illa sita in cognitione diuinæ uoluntatis. Nam in illa nõ solum hoc perdocemur, quales esse debeamus, ut salui simus, & quàm simus corrupti ac praui, sed & quàm nequeamus nos ipsos conformare diuinæ uoluntati. Et hoc est, quod Paulus dicit: Nam legi Dei nõ subditur, siquidem ne potest quidem. Et hanc experientiam ex lege Dei cœpit Apostolus Rom. 7. Vnde & clamabat: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Exigit autem ista cognitio non solum ut simpliciter sciatur ex lege Dei, quid Deo placeat, quid displiceat, sed simul ut impendatur studium implendi uoluntatẽ dei, ut conemur præstare ipso opere, quod Deus à nobis exigit, unde liquido cognoscamus, quàm simus corrupti & imbecilles, imò captiui in malo. Sumatur experimentum, in dilectione proximi, ut taceam dilectionem Dei. Itaq; qui non Dei, sed hominum mandatis student, nunquàm poterunt istam Christi sententiam ac suam impoßibilitatem uerè agnoscere.

ALTERVM.

Apud Deum autem omnia sunt possibilia. Hoc est remedium contra desperationem. Nam ideò hoc adiectum est à Christo, ut faciat nobis salutis spem. Vtitur autem argumento omnipotentiæ Dei ac docet, considerata primum nostra impossibilitate, ad Deum confugere, nec ideò desperare, quod nobis est impossibile, ut saluemur, sed magis ob id bona spe esse, quod deo possibile est, cui omnia sunt possibilia.

Sed cogitas: Quid hoc consolationis est, quod Deo possibile est, ut me saluet? Hoc facile credo. Sed ideò non statim saluabor, nisi etiam uelit. Respondeo. Nisi uellet frustra nos Christus hac sententia & argumento omnipotentiæ solaretur, & desperationem nobis eximeret, imò nos magis seduceret.

OBSER.

Docemur ergo hic, nostram impossibilitatem non esse causam desperationis, posteaquàm Deo possibile est, ut nos saluet. Hoc etiam ipsa uita nostra docet. Agricolæ impossibile est, ut incrementum det semini, sed totum à Deo pendet. Scit ille hoc probè, & tamen seminat non suis uiribus, sed Dei potentia fretus. Ita nos, qui iam Christiani sumus, licet nos ipsos saluare nequeamus, posteaquàm tamen Deum habemus omnipotentem, non est desperandum, sed conandum. Conantes Deus adiuuat, non ocioſos. Notum est illud Basilij. μόνον θέλησον καὶ ὁ θεὸς προεπαντᾷ. Et nos Germani, quibus dicimus: Gott helf dir? Nunquid ad ocioſos? Nequaquàm, sed ad laborantes.

Licet per nos nihil possimus, non tamen ideò excusamur, qui Christiani sumus. Nam habemus Deum qui operatur in nobis & uelle & perficere. Omnia possum inquit Paulus, per eum qui confortat. Ocioſe nemo saluatur. Virtus Dei ad saluandum non est ocioſa quædam qualitas, sed efficax. Diuitem potest introducere in regnum cœlorum id quod & facit, uerum talem eum reddit, ut sit aptus regno cœlorum: non inducit illum, qualis est in corruptione constitutus. Ista potentia Dei ad saluandum nobis notanda est, ne nos ipsos æque ut superiores mandatis hominum dediti, decipiamus.

Apud Deum autẽ omnia sunt possibilia.] Quoniam, ut supra dixi, sententia ista Christi generalis est, licet ad speciale quid usurpata hoc loco, generaliter etiam consideranda est. Est autem generalis illius usus in hoc uno, ut in omnibus fide omnipotentiæ Dei contra nostram pariter ac rerum naturalium imbecillitatem erigamur ac corroboremur. In omnibus autem dico, nõ simpliciter, quibuscunq; sed talibus, quæ & gloriã dei, & nostram fidem ac salutem concernunt. Oportet enim ut ueritas ac uoluntas Dei concurrant ad ea quæ omnipotentiæ Dei argumento debeant in fide nostra corroborari. Nam licet Deo sint omnia possibilia, non tamen mox omnia facit, quæ facere posset. Proinde non potest fides nostra in quacunq; re omnipotentia Dei niti, nisi adsit ueritas ac uoluntas Dei. Adest autem ubicunq; habetur uerbum Dei. Iam extra uerbum Dei fides nostra nullum habet fundamentum, quo nitatur. Est itaq; eorum quæ credenda sunt. Fundamentum quidem ueritas uerbi Dei, uerum ita, ut hoc ipsum fide omnipotentiæ Dei fulciatur, sine qua omnia uana essent. Et hac ratione in articulis fidei nostræ primus est, quod credimus omnipotentiam dei, cuius experimentũ ponimus creationem cœli ac terræ. Hinc recto ordine reliqui sequuntur, tam quæ dispensationẽ regni Dei in hac uita, quàm quæ corporum nostrorum glorificationem, & æternam uitam spectant.

Quædam mãda potest ut, mẽtiri, fallere nõ esse misericordem suis, &c. Quædam potest, sed non facit quæ posset facere, ne quisq; nostrũ etiam corpore moreretur, sed hoc non facit, ideoq; credendum non est, quia ipse hoc non uult nec nobis prodesset.

Sunt duo mortalium uitia, quibus fides omnipotentiæ Dei pulchrè medetur. Vnum est, quod per imbecillitatem intellectus de ijs quæ naturæ cursum excedunt, dubitamus: quasi impossibilibus, utpote quod uirgo peperit, quod Christus è mortuis tertio die resurrexit, quod caro corrupta in nouissimo die resurget, quod sequutura est uita æterna, & si qua sunt alia huiusmodi.

Alterum est, quod pleriq; per curiositatem rationem ac modum inuestigare conantur, nec putant ultra credendum quid esse, quàm quod ratione potest comprehendi. Duobus hisce ingenij nostri corruptionibus una omnipotentiæ Dei fides succurrit. Quærebat beata Virgo: Quomodo possunt hæc fieri cum uirũ nõ agnoscam. Audit: Non est impossibile apud Deum ullum uerbum. Discipuli hic quærũt: Quis potest ergo saluus fieri. Audiunt: Apud homines hoc quidem impossibile est, apud Deum uerò omnia sunt possibilia.

Itaq; nec hæsitemus aliqua in re, in qua de uoluntate domini certi sumus, utut nobis impossibili. Rursus ne curioſe rationes rerum inquiramus, ubi fide simpliciter omnipotentiæ Dei opus est.

Tunc respondens Petrus dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?

Ad hanc quæstionem apparet Petrum per occasionem adoleſcentis diuitis & uerborum Christi permotum esse. Forsan suspicabatur aliam esse rationẽ apud Deum, diuitis si is sua relinquat & Christum sequatur, quàm si pauper hoc faciat. Erant autem Apoſtoli pauperes. Sed hic duo sunt quærenda.

PRIMVM,

Quomodo reliquerint omnia. Non enim legimus uspiam, quod sua uendiderint ac pauperibus dederint, id quod adoleſcenti isti iniungebatur à Christo. Iam constanter hic dicit Petrus: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Quæ omnia? Quæ habuerant, uxores, liberos, domos, facultatem, parẽtes, &c. Quomodo illa reliquerunt? Suprà 8. & 17. apparet Petro & Christo quoq; adhuc usum fuisse aliquem ædium priſtinarum.

Respondeo. Quatenus uocationis necessitas exigebat. Quod autem non prorsus uendiderunt, in causa forsan fuit quod uxores ac liberos, & parentes etiamnum habebant, per quos non licebat uendere. Proinde satis erat reliquis omnibus adhærere Domino.

ALTERVM.

Quamobrem Petrus hanc quæstionẽ non antea mouit, utpote cum primum ad Apoſtolatum Christi uocaretur? Ibi nihil tale dixit: Quid erit nobis? Quia uidelicet nõ lucri alicuius gratia, sed simplici fide Christum sequebantur,

sequebantur, nihil minus quàm de futuro præmio cogitantes, nec hic quicquàm rogassent, nisi data fuisset per adolescentem diuitem sequelam Christi detrectantem & per uerba Christi occasio.

Ita solent pij ad munus aliquod in regno Christi obeundum uocati, non cogitant de futuro præmio, simplici animo, & fide iussui dominico obtemperant.

Iesus autem dixit illis: Amen dico uobis quod uos, qui secuuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos, super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.

Exponuntur ista bifariã. Quidã intelligũt Christum loqui de futuro principatu, quem Apostoli sint in futuro seculo super tribus Israëliticas habituri, credẽtes uidelicet ex Israële: eo quod illis sint quasi capita quædã ac duces uitæ uiam monstrãtes ac ducentes, & huius nomine etiam in futura uita singulari gloria illustres futuri.

Quidam uerò, eaq; potior pars, exponunt de Israëlitis incredulis, quod Apostoli sint illorum futuri iudices ad condemnationem, quemadmodum & suprà 12 dixit: Ideò filij uestri, iudices uestri erunt. Quod non est aliter intelligendum, quàm quod fides Apostolorũ, qui & ipsi sunt ex Israële idq; uiri idiotæ, & tamen Christum amplexi, & ministri regni Dei facti Israëlitis sit ademptura omnem excusationem. Sic & de Niniuitis regina Austri suprà cap. 12. legimus. Ita & alibi dicit: Sermo meus quem loquutus sum uobis iudicabit uos. Alioqui, ut & Chrysostomus annotat, Christus solus in iudicio sedebit iudex.

Hieronymus. Quia uobis credentibus illi credere noluerunt. Linea recta quæ curua sunt arguit.

Sed dicet hic quispiam, quid hoc est tam insigne, quod pollicetur, cum idem sit & regina Austri habitura in die iudicij? Respondeo. Magnum quidem est & hoc. Quid enim glorioſius esse poterit, quàm in die iudicij ita approbari coram uniuerso mundo & angelis Dei, ut fides tua sit condemnatura integras nationes incredulas? Non tamen putandũ est, quod præterea nihil sit expectandum Apostolis: nam & regni gloria simul promissa est. Vt & Lucæ 22 apparet ubi sic dicit: Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis supra mensam meam, in regno meo, & sedeatis supra thronos, iudicantes duodecim tribus Israël.

OBSER.

1 *Quanta sunt ergo quæ Apostoli reliquerunt? Pauperes fuerunt, non diuites, nihil uendiderunt, sed suis uel uxoribus, uel parentibus, uel liberis tenuem facultatem reliquerunt, qua se utrunq; manuum labore sustentauerant. Sanè pauca reliquerunt. Et tamen Petrus dicit: omnia reliquimus. Certè omnia pro Christo relinquit, qui sibi nihil seruat, sed nudus nudum sequitur saluatorem, quod Apostoli fecerunt: Ergo pauper non solũ domini, sed etiam humano iudicio, qui omnia pro Christo in quibus uictũ habebat, relinquit, non minus relinquit, quàm omnium ditissimus. Relinquit enim uitã suam, ut ita dicam, æque atq; diues. Et præterea hic non æstimatur opum multitudo uel paucitas, sed animi synceritas. Sic uidua illa in Euãgelio à Domino cõmendatur quod plus omnibus in gazophylaciũ miserit, cum tamen duos duntaxat obulos miserit. Videbatur magni aliquid futurum, si adolescens ille tantas opes propter regnum cœlorum reliquisset. Verum plura non reliquisset, quàm Apostoli iam reliquerant. Reliquerant aũt omnia. Non poterant plura relinquere. Qui omnes suas uires ad facinus aliquod, utpote homicidium, impendit, non minus reus est, q; is qui quia robustior fuit, robustiorem etiam operam ad facinus attulit. Nam si plura potuisset, plura fecisset. Itaq; in regno Christi nihil impeditur pauper, quò minus ad hanc gloriam pertingat, & in cœlo thesaurum acquirat, æque ac diues.*

OBSER.

In regeneratione.] *Quærendum hic quomodo* 2
tempus extremi iudicij uocet regenerationem, cum tamen sancta scriptura regenerationem nobis cõmendet talem, quæ in hac uita locũ habeat, & per spiritum sanctũ perficiatur. Vt Christus ipse Ioan. 3. Nisi quis regeneratus fuerit per aquam & spiritum sanctum non potest uidere regnũ Dei. Et Apostolus baptismũ uocat lauacrum regenerationis.

Duplex est regeneratio, quemadmodum & duplex resurrectio. Vna est animorũ. Illa est huius uitæ, administrata per Euangelij prædicationem, ac fidem in Christum, operante uirtute spiritus sancti. Altera est corporum. Et ista est futuri seculi in quo corpora è mortuis excitabuntur, ac regenerabuntur, in gloriã cœlestem, non in terrenam corruptionẽ. Ita de resurrectione Christi. Ego hodie genui te. Act. 13. Et Coloss. 1. Primogenitus ex mortuis. Et alioqui, si futuri iudicij tempus rectè consideres, in quo omnia renouabuntur, idq; in aliã conditionem, quomodo poterit aptiore uocabulo appellari, q; regenerationis? Si liber Mosis primus propterea 7
quod de mũdi huius creaturæ scribit: Geneseos liber rectè dictus est, quomodo non æqua ratione id tempus, quo 8
aliud seculum orietur, regeneratio uocabitur?

Quàm ergo spem nostram erigit Christus ad hunc diem, in quo corruptio peßimi huius seculi finem habebit, & omnia renouabuntur, ut planè nouũ & incorruptum sit seculum? Itaq; nemini sperandũ est, ante istam παλιγγενεσίαν, mundum hunc esse renouandum. Interea omnia in peius degenerabunt.

Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ.] 3
Iterum inculcat discipulis futurã suam gloriam, adhuc in humilitate cõstitutus, idq; in loco, ubi de ferenda cruce pro nomine suo, ac omnibus deserendis disserit. Huc scilicet respiciendũ & suprà cap. 16. admonet, si quando adfligi pro regno Dei contigerit.

Tunc sedebitis & uos.] *Hoc est quod Coloss. 3.* 4
Apostolus dicit: Cum apparuerit Christus uita nostra, tunc apparebimus & nos cum illo in gloria. Et Rom. 8. Siquidẽ paßi fuerimus cũ illo, regnabimus etiã cum illo.

Iudicantes duodecim tribus Israël.] *Locus iste* 5
probè est expendẽdus in eo sensu, quẽ cõmuniter omnes sequuntur. Admonet enim ne cõmittamus, ut cõdemne-

mur in iudicio Dei, per eorum pietatem ac fidei obedientiam, qui fortè minus occasionis ad pietatem habuerunt, quàm nos. Non enim poterit ullum esse iustius iudicium. Merito condemnatur terra, quæ non minus culta, quàm ea quæ fructum attulit, ipsa sterilis permansit. Qui eodem præceptore, eadem doctrina usus indoctus euadit, merito ab illis condemnatur, qui plurimum profecerunt. Itaq; iudices nostri erunt, non solum ij qui nos docent, sed & condiscipuli nostri, qui in schola pietatis proficiunt, si nos nihil profecerimus. Zachæus iudicabit omnes diuites, & usurarios ac defraudatores. Centurio iudicabit omnes præfectos & magistratus. Quicunq; idiotæ piè uixerunt, ueritatem amplexi, iudicabũt omnes idiotas impios. Pauper Lazarus ante fores diuitis, iudicabit quosuis pauperes impatiẽtes & impios.

In Marco. Mea causa & Euangelij.

Et omnis qui reliquerit domos aut fratres, aut sorores, aut patrẽ, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitæ æternæ sortietur hæreditatem.

Ne putemus ista solis dici Apostolis, facit spei huius copiam omnibus communem. Nemo excluditur. quisquis aliquid pro Christo reliquerit, hac spe, quam hic assignat, potietur.

OBSER.

1 Expendendum autem est, quid sit relinquere aliquid propter Christum. Nempe nihil aliud, quàm Christum omnibus præponere, supra omnia amare. Sunt autem quædam, quæ iuxta Christum haberi non possunt, quædam possunt. Haberi non possunt iuxta Christum, diuitiæ male partæ. Ideò Zachæus dicebat: Si aliquẽ defraudaui reddo quadruplum. Haberi iuxta Christum nõ potest tale uitæ genus, quod regno Dei contrarium est, de quo & Paulus 1 Corinth. 6. Quicquid tale est, mox relinquendum est, si sit obtinendus Christus. Haberi possunt iuxta Christum, pater, mater, frater, soror, uxor, liberi, domus, agri, nec opus est, ut statim in Christũ credens, illa relinquas, nisi illorum gratia cogare facere, quod cõtra gloriam Christi sit. Tum demum scilicet relinquenda sunt etiam ista. Proinde ista Christi sententia non est ita intelligenda, quasi simpliciter necessarium sit hæc relinquere, si uelis uitam æternam hæreditario sortiri. Satis est, si ita charus sit Christus pectori tuo, ut illius gratia paratus sis omnia relinquere, ipsam etiã uitam. Nam non hic fortuna iudicatur, sed uoluntas.

2 Centuplum accipiet.] Lucas habet multo plura, ne pendeamus à numero centenario. Sensus est: Nemo mea gratia damno afficietur, sed magis ingenti lucro potietur, cum in hac uita, tum in futura.

In Marco, dicit, quin recipiet centupla, nunc in tempore hoc, domus, & fratres, & sorores, & matres, & liberos, & agros, cũ persequutionibus. Q. d. Quisquis meo nomine persequutionẽ passus, amiserit uel domũ, uel fratres, & sorores, uel parẽtes, uel liberos, aut uxorem, aut agros, tam aberit, ut sit destituendus cognatorum subsidio & consolatione, ut multo plures sit in regno meo adepturus, quàm antea habuerit, ac multo etiã fideliores. Tot enim fratres, tot sorores, tot parentes, tot liberos, tot cognatos & amicos inueniet, quot fidei meæ consortes, &c. Christus sanè uerum dicit, & res ita habet, sed inter Christianos, ubi spiritalis cognatio regnat. Inter falsos Christianos non ita est, quod hodie uidemus ac dolemus.

CAPVT XX.

NAm simile est regnum cœlorũ homini patrifamiliâs, qui exijt primo statim diluculo ad cõducendos operarios in uineam suam &c.

Liquet hanc parabolam subiectam esse ad declarandam sententiam præmissam: nempe qua dixit multos primos fore nouissimos: & rursus multos nouissimos fore primos. Quod non solum illius initium, sed & conclusio demonstrat. Nam eandem sententiã in fine repetens ad parabolã applicat, cum dicit: Sic nouissimi erunt primi, ac primi nouissimi. Est autem expositio parabolæ huius cum apud ueteres tum recentiores uaria: dum quidam diuersas hominis ætates: quidã totius mundi, intelligunt: incipientes ab Adam, usq; ad uocationem Apostolorum, & postea gentium quoq;. Et quidam per primos intelligũt eos qui in seculo primores habentur, nouissimos, qui contempti sunt. Quidam uerò per primos eos qui sibijpsis primi uidentur: nouissimos, qui secus. Alij per primos, Adam, Noë, Abraham, Mosen, etc. Nouissimos Apostolos & Gentes, &c. Rursus quidã nouissimum fieri exponunt, tanquàm minoris quidem haberi in regno Dei, non tamen excludi: alij uerò pro excludi è regno Dei. Iterũ alij omnes parabolæ particulas allegoricè exponunt, alij uerò hoc faciendũ esse negant: utpõte quod ex eo plurimũ sequatur absurditatis, cuius sententiæ est Chrysostomus. Nos uerò neglecta illa sententiarum uarietate simpliciter obseruabimus quæ sit mens Christi, & quò ille respiciat: deniq; unde ad hanc sententiam moueatur. Certũ est, quod ad præcedentem materiã illud: Multi aũt primi erunt nouissimi, &c. ali quo pacto pertineat. Quomodo aũt, dicã quod mihi uidetur. Petrus dixerat: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Ad eam interrogationem respondit quidem Christus, quid ipsis esset expectandum, uerum ut præmiorum respectum illis, qui certè pijs nõ competit, eximeret: deinde & cautos redderet ad futurũ, per parabolam declarauit, fore in regno cœlorum, hoc est prædicatione Euangelij, & illius fide, ut multi qui in relinquendis bonis suis, & adhærendo Euãgelio primi fuerint, per sinistrũ præmij & proprij cõmodi respectũ fiant nouissimi: Et rursus, qui postremo loco accesserint, fiãt primi. Quemadmodũ enim suprà ca. 13. cœperat illis quæ in regno dei futura essent, & Euangelij promotione declarare ac prædicere, ne per ea incauti offenderentur. Vtpote quod non sint uniuersi Euangelij auditores fructum allaturi, non omnes constantes futuri: & qui fructũ allaturi sunt, nõ æquum allaturi ac parem, sed prorsus imparẽ. Et quod mali futuri sint inter bonos usq; ad finem seculi: & si qua sunt

eiusmodi

eiusmodi alia per parabolas illic declarata, ita & hoc loco per occasionẽ interrogationis Petri ostẽdit illis in regno cœlorũ futurũ, ut qui primi cœperint adhærere Euangelio, magis proprij compendij causam, quàm gloriæ Dei agentes, futuri sint nouissimi, & planè amissuri felicitatẽ pijs promissam, quæ constet ex sola diuina bonitate et misericordia. Nam illa requirit tales homines, quorũ sinistra nesciat quid faciat dextera, qui nequeant gloriari de meritis, ne si possent facile uelint: sed à sola Dei libera & spontanea beneuolentia ac munificentia pendeant, quales descripti sunt in nouissimis hac parabola. Et hoc sensu ita parabola est intelligẽda, ut ex primis fieri nouissimos, sit idem atque regno Dei excludi. Quemadmodũ in stadijs fieri solet, ubi qui initio cursus primi sunt, si dum ad metam properandum est, nouissimi deprehendantur, brauium amittant, quod solis primis datur. Et ita conueniet parabola, cum eo quod subditur de uocatis multis, & paucis electis: ut idem sint ex primis nouissimi facti cum ijs qui uocati quidẽ sunt, electi tamen non sunt. Sic posset & semen illud quod suprà cap. 13. suprà petram iactũ continuo exoritur, & multo citius quàm quod in terram bonam cadit. Notare eos qui ex primis nouissimi fiunt, & quod in terram bonam cadens, nouissimè quidem oritur, recta tamen & constanter crescendo & durãdo ad maturitatẽ usq; pergit: eos significare qui ex nouissimis primi fient. Ad hunc modum & Israëlitæ qui Aegyptum egrediebantur primi erant: uerum quia synceri erga Deum nõ erant, nouissimi fiebant, & in terram Canaan non perueniebãt. Rursus liberi ipsorũ quos in deserto adepti sunt, ex nouissimis primi facti, terram promissam ingressi sunt. Et huius historiæ & Paulus 1 Corinth. 10. & post Paulum hoc quoq; loco Chrysostomus admonet.

Proinde illud in parabola, quod primi eundem denarium accipiunt quem nouissimi, & quod, ut & murmurantes dicunt, nouissimis adæquantur. Non ita positum esse intelligendum est, quod ex primis nouissimi facti, sint & ipsi uitam æternã accepturi, quemadmodum per denariũ quidam uitam æternã exponũt. Nam alioqui parabola, ut & Chrysostomus annotat, cum proposita sententia non conuenit, & credendũ non est tale genus hominũ quod plenũ inuidentia, erga eos qui per gratiam saluantur, contra patremfamiliãs murmurat, partem habiturũ in regno cœlorum. Et hac ratione cauendum est, ne omnia parabolæ membra per allegoriam ad regni Christi ueritatem trahantur, quæ res multis plurimum parit molestiæ, & incertam reddit & inconstantem uerborum Christi expositionem, & præterea multis in locis absurdas gignit opiniones.

QVAE SINT IN HAC PARABOla obseruanda.

PRIMO.

Multi uocati, pauci electi.] Hæc sententia, unde reliqua huius loci fluũt. Primo loco obseruãda est. Usus est illa aliquoties Christus, ut & infra cap. 22. uidebimus, quæ hac potissimũ ratione diligenter notanda est, quod quasi radicalis est, unde multa in regno Dei proueniunt, quæ plerosq; ob id offendunt, quod huius sententiæ rationem non habent. Utpote, quod non passim obuia est uirtus & efficatia Euangelij, multi offenduntur, quasi uel nõ prædicetur Euangelium, uel inanis sit illius prædicatio. Illi si cogitarent paucos esse electos, uocatos multos, haudquaquàm offenderẽtur: quandoquidem efficatia Euangelij apud electos tantũ locum habet, idq; ægre, & non pari facultate & copia. Multi hodie pessimè uiuunt? Quid mirum? Cum sint electi pauci. Multi resiliunt? Nihil insolentiæ est, cum sint pauci electi. Et præterea illis quoq; notanda est hæc sententia, qui argumento multitudinis mouentur in causa fidei & pietatis, cum fides & pietas recta sit paucorum electorum.

Multi primi erunt nouissimi, & nouissimi primi.] Quanquàm hæc sententia de eo sit usurpata hoc loco, quod multi ex uocatis primi in ordine uocationis, ut insynceri, reijciendi sint. Et plurimi nouissimè uocati, ut synceri brauium æternæ uitæ apprehensuri, tamen & in genere de quouis modo primis & nouissimis intelligi potest ista inuersio. Utpote, sunt qui dignitatis ratione primi, sunt qui humilitatis conditione nouissimi sunt in hoc seculo. Hic quoq; uera erit hæc sententia. Multi erunt primi nouissimi, & multi nouissimi primi. Sunt qui feruore ut reliquos præcedunt ad tempus ita rectè pro primis habentur. Sunt qui pro sua stupiditate & tepiditate merito inter postremos locãtur. Attamen & hic subinde fit, ut ex primis nouissimi, & nouissimis primi fiant, dum qui feruebãt initio remisso feruore mutantur in tepidos, & qui frigidi erant primũ, uersa uice euadunt in feruidos. Admonemur ergo quotquot uel uocationis tempore, uel dignitate, uel potentia, uel scientia, uel zelo aliquo reliquos excellunt, ne sint negligentes & incauti, ne ex primis fiant nouissimi: deinde, ne eos qui pro nouissimis habentur, cõtemnant, aut de illis desperent: scientes fieri posse, ut ex nouissimis primi fiant. Quòd si Apostolos Christus huius admonuit, quanto magis nobis necessarium est, ut sententiæ huius memores simus?

Primi uocatione.

Primi dignitate.

Primi feruore.

Exijt primo statim diluculo ad conducendum operarios in uineam suam.] Notanda est hic diligentia patris nostri in cultu uineæ ipsius. A primo diluculo usq; ad uesperam egreditur ad cõducendum operarios. Non negligit uineã suã. Est enim illi chara. Idem & in ueteri testamẽto fecisse legitur, uide Hier. 7. Quis ergo dicet, Ecclesiam desertã esse hactenus à Domino? Qui papatũ cum suis erroribus defendunt, utuntur hoc loco contra eos, qui Ecclesiam ab erroribus liberare tam cupiunt, dicentes: Quomodo deseruisset paterfamiliãs uineã suam tot annos? Quasi hoc dicamus, & nõ magis deploremus operarios à Deo missos, eiectos esse, à labore prohibitos, & occisos sæpenumero. Nunquid & Iudæi possent ita se tueri. Quomodo deseruisset Deus uineam suam? Diluculo surgens misit prophetas suos. Verum est. Sed quomodo illi sint excepti, uidere est Hier. 7. & Matth. 23. Deinde & iusto iudicio Dei aliquando deseritur uinea, & conculcatur quæ fructũ adferre noluit. Esa. 5.

Quomodo maior pars huius uineæ hodie sub Mahomete in errore est.

Notandum & hoc est, quod operarij non ultro in uineam currunt, sed à patrefamiliãs uocantur & mittuntur. Ille autem uocat & mittit non ociosos dominos &

prælatos, qui ut uultures ad cadauera ultro ad præbendas opimas, ut uocant, aduolant, sed operarios. Hac de re uide suprà Matthæi nono.

4 Incipiens à postremis.] Hoc modo depictum est, quod genus operariorũ Deo potißimum placeat. Tale uidelicet, in quo poßit suã declarare bonitatẽ. Hi sunt, qui pro nullo certo præmio laborarunt, sed fide bonitatis diuinæ uocati paruerunt, & laborarũt. Illis gratum est, quicquid acceperint, scientes se nihil esse meritos. Ita suos Christus docuit: Cum omnia feceritis, dicite inutiles serui sumus. Quid enim est quod potißimum placeat oculis Domini aliud, quàm animus fidelis, magis à diuinæ bonitate quàm proprio merito pendens? ut hoc declararet Christus ita struxit parabolam, ut à nouißimis esset initium mercedis: ut admonerentur discipuli non tam opus & laborẽ æstimari à Deo, quàm animum gratum, humilem, & à sua bonitate pendentem. Quantulum enim erat, quod nouißimi illi operati fuerant in uinea unius horæ spacio? Certè operis merito nõ erant habendi pro primis. Quòd si opus æstimatum fuisset à patrefamiliâs absq; dubio incipiendum fuisset à primis, qui totum diem operati fuerant. Verum illi erant mercenarij, pro certa mercede operati fuerant. Nouißimi uerò nulla mercedis certæ ac nominatæ mentione facta operam suam impenderunt uineæ, fidem habentes patrisfamiliâs, & contenti futuri quicquid ille daret. Hoc scilicet erat Petro cogitandum & reliquis Apostolis. Ideò iam huius admonentur.

6 Venientes autem & primi, arbitrati sunt, quod plus essent accepturi.] Cur isti postremi fiant ex primis, diligenter est expendendum. Nam oportet omnino aliquid rationis fuisse, cur parabolam hanc ita instituerit Christus. Sed expendamus ipsorum ingenium, quale describatur.

Arbitrati sunt, quod plus essent accepturi. Vnde? An ex eo, quod id fiducię sibi conceperint ex bonitate patrisfamiliâs? Nequaquam. Sed ex laboris proprij æstimatione. Nam conferebant operas suas cum modico illo nouißimorum labore, & inde colligebant, si isti tantum accipiunt, nos multo plura meriti sumus. Et hoc manifestum est ex eo quod murmurantes dicunt: Hi nouißimi unam horam fuerunt in opere, & illos pares nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstum.

Notandum est itaq; hoc loco ingenium iustitiariorum, quàm sit peruersum ac prauum, & tale, ut Deo placere nequeat, idq; in tribus magnis uitijs.

Iustitiarij tribus gravibus vitijs obnoxij.

1 Primum est, quod pro merito operum suorum accepturos se etiam ultra pactum arbitrantur. Sic solent iustitiarij sua ipsorum opera magni æstimare.

2 Alterũ est, quod inuident nouißimis gratuitam Dei beneuolentiam, de qua debebant gaudere, & cum illius gratia bonitatem cõmendare. Sed ecce & inuidentiam ostendunt erga fratres, & operam ipsorum depreciant & contemnunt.

3 Tertium est, quod ex prauis istis affectibus sequitur: nempe, quod contra bonum patrem familiâs murmurant, condemnantes ipsum iniquitatis. Tale iustitiariorum ingenium & Lucæ 15. descriptum est. Quid hodie aliud audimus à nostris iustitiarijs monachis ac nonnis, qui magna meritorũ suorum fiducia inflati, nescio quam abundantes sibi mercedes, & illustriores coronas pollicentur. Deinde, ubi audiunt gratiæ Euangelicæ prædicationem tantam esse, ut meretrices & peccatores sint ipsos præcessuri in regnum cœlorum, audenter dicunt, hoc pacto Deum non fore iustum, si hoc sit futurum. Tum uerò & ipsi inuidebunt illis qui gratia Domini saluantur, & murmurabunt contra bonitatẽ Domini, quãdo uiderint olim peccatores ac postremos sibi præferri. Verum & ipsis tum declarabitur quàm nihil patiantur iniuriæ, et quàm liceat Deo pro sua bonitate saluare quos uolet, quàm salus non cõstet meritis humanis, sed beneuolentia gratiæ diuinæ.

Et ascendẽs Iesus Hierosolyma assumpsit duodecim discipulos suos seorsum in uia, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolyma, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum ac Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum, & tertia die resurget.

Aderat iam tempus paßionis, tempus tenebrarum & offensionis, & ista profectio postrema erat qua Hierosolymam petebat. Discipuli uerò, ut est Marc. 10. stupebant & timebant sequentes illum. Nam præcedebat eos ascendens Hierosolymam. Audierãt enim antea iam aliquoties, quid futurum ipsi esset Hierosolymis. Assumptos itaq; seorsum ad hunc modũ alloquitur: Ecce ascendimus Hierosolymam &c. ubi ista uidentur notanda.

Ascendens Hierosolymam.] Erat enim in loco 1
edito sita. Habet terrena Ierusalem imaginem cœlestis patriæ, ad quam proficiscentibus conscendendum est. Est autem ascendere contemptis terrenis & carnalibus affectibus relictis animum & uitæ conuersationem ad cœlestia dirigere. Est autem iste ascensus periculosus, et plenus tentationibus, adiunctam habens crucem. Nam ut Apostolus ait, per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.

Et præcedebat illos.] Non solũ nos ad cœlestem 2
patriam reuocauit Christus, sed & in uia ad illam nos præcessit dux itineris factus, ut sequamur uestigia eius. Non est frustra, quod Marcus hoc ponit. Voluit enim declarare quod animo parato ac spontaneo ad crucem præcesserit suos. Non solum docuit nos uiam uitæ ad cœlestem patriã, quæ per medias tentationes ad cœlestem Hierosolymam tendit, non dixit ad suos: Hoc est iter ad uitã, sed præcessit eos ambulãs illud & ipse, idq; prior, ut ducem habeamus quem sequamur. Ita supra cap. 16. dixit: Si quis uult uenire post me abneget semetipsum, tollat crucem suam & sequatur me. Vbi uide plura: nempe ibi, Et sequatur me.

Erantq; pauefacti, & sequentes timebant.] Ti- 3
mebãt scilicet & sibi quoq; periculosum fore, quod Hierosolymam adeò constanter properabat Dominus, cum prædixisset antea quid ibi sit passurus. Et hac ratione licet præeuntem sequebantur, contanter tamen & cum summo

ſummo metu ſequebantur. Horũ exemplum imitantur in Eccleſia infirmi, qui perpetuo neſcio quæ pericula formidant, & tamen doctrinæ Euãgelij utcunq; adhærent. Non mali homines niſi quod putant poſsibile eſſe, & ita diſponi debere Euãgelij cauſam, ut omnia pacate ac tranquillè & citra pericula tranſigantur, uiteturq; turba illa ſacerdotalis, ne irritata turbas moueat. Ad hunc modũ & diſcipuli putabãt nihil neceſſe eſſe Chriſtum ire Hieroſolymã, ubi uerò iter ad Hieroſolymam tam conſtanter graſſantẽ uidebant, conſternati ac meticuloſi ſequebantur. Tam ſcilicet nondum erant abnegatis affectibus, tam nondũ cruces ſuas tulerant, ut Chriſtum ſequerentur. Ideò cum ingrueret adflictio, relicto Domino fugiebant.

Aſſumpſit duodecim diſcipulos ſuos ſeorſum in uia, & ait illis: Ecce &c.] Principio notandum hic eſt, q̃ patienter diſcipulorũ imperfectionem ferat. Iam antea tertio illis iſta prædixerat, & ad omnimodam abnegationẽ et crucis patientiã ſuiq; ſequelam adhortatus fuerat, & tamen adhuc deprehendit eos carnales & infirmos, nec tamen abijcit, aut durius increpat, id quod ſupra 16. Petro fecerat: at non tanq̃ infirmo iam, ſed tanquam curſum diuinæ diſpenſationis impedire conanti, id quod non erat infirmi, ſed magis temerarij ac ſtolidi. Hic regnat in diſcipulis pauor ac metus, ut in infirmis, atq; ideò amicius tractantur. Tolerandi ergo ſunt exemplo Chriſti, qui præeuntem Chriſtũ timide quidẽ ſequuntur: ſequuntur tamen & præeuntẽ ab inſtituto nõ auocant. Qui uerò impedire etiã conantur à curſu diuinæ obedientiæ, quocunq; modo id fiat, etiamſi amico, illis demum dicendũ eſt: Abite retro, donec mutata ſentẽtia ex temerarijs fiant ſaltem infirmi conſortes cœleſtis itineris. Deinde quærendum eſt qua ratione diſcipulis de paßione ſua iterum quæ antea prædixerat refricet. Ex Marco facile colligitur, quod conſeruatione ac metu ipſorum ad hoc motus ſit, maximè cum iam confirmato animo ac greſſu Hieroſolymã peteret, & propè eſſet tẽpus paßionis. Aßignantur aũt duæ rationes. Vna eſt, ut animos illorũ confirmaret. (Nam iacula præuiſa minus feriunt) ut agnoſcerent nihil futurũ fortuito, ſed omnia certa ac præordinata à Deo. Ideò omnia nominatim prædicit, locum ubi, per quos, à quibus, quid, & quomodo. Et ad hoc facit, quod ut in Luca eſt, ſcripturas adimplendas dicit: Facit hoc plurimũ ad conſolationẽ & animorum confirmationẽ. Deinde altera eſt, ut uidentes in cruce adimpleri quæ prædixerat, eò facilius & reſurrecturum crederẽt ſecundũ ſcripturas & diſpenſationem diuinæ uirtutis. Ideò & poſt reſurrectionẽ horũ admonentur. Nam Lucæ 24. dicebãt angeli ad mulieres apud ſepulchrum. Quid quæritis uiuentẽ cum mortuis? Non eſt hic, ſed ſurrexit. Recordamini ut dixerit uobis cum adhuc in Galilæa eſſet, dicens: quod oportuerit filiũ hominis tradi in manus hominum peccatorũ & crucifigi, ac tertio die reſurgere. Et recordatæ ſunt uerborũ eius. Et Chriſtus ipſe cap. eodem ſic ad diſcipulos dixit: Hæc ſunt uerba quæ loquutus ſum ad uos cũ adhuc eſſem uobiſcum, quod neceſſe fòret impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moſi & Prophetis & Pſalmis de me. Sic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, &c.

Iſta certè uel tale quid ſpectauit Chriſtus, ubi ſeorſum diſcipulis ſuis hæc loquutus eſt. Nam alioqui nihil opus erat ſignificare illis quod aſcenderent Hieroſolymã, cum hoc alioqui uiderent, nec quod periculoſa eſſet iſta profectio, cum id antea ſcirẽt, ideoq; ſibi plurimum metuerent. Itaq; non ſimpliciter hæc ipſis proponit, ſed magis inculcat ita eſſe diuinitus ordinatũ, nec aliter fieri poſſe nec debere, licet huius gratia quod futurũ erat, & futurũ iam antea audierant ſibi plurimũ metuerẽt.

Docemur itaq; hoc loco conſtanter eſſe inculcandũ Chriſti fidelibus, nec tacendũ, nec extenuandum, ſi quid aduerſi diuinitus eſt conſtitutũ & præordinatũ, ſed adiungendum etiã quàm hoc ſit neceſſe fieri ex uoluntate diuina, potißimũ cum ea declarata eſt in uerbo Dei: deinde quis etiam ſit futurus aduerſitatum finis. Videlicet quod mœrorem ſequuturũ ſit gaudium, mortem reſurrectio & uita, tenebras lux. Cur hoc ſit faciendum magna eſt ratio, ſi conſideremus quàm ineptus ſit hominis animus ad res fortes & moleſtas ſubeundas, niſi planè ſeipſum abnegauerit, & uoluntati Dei ac neceßitati inuictæ permiſerit. Proinde peßimè cõſulunt adflictis, uel adfligendis etiam, qui data opera mollitiem animorum alunt extenuantes uel occulentes quoq; ferendarum aduerſitatum moleſtiã. Et hac in re apud ægrotos & morituros plurimũ à carnalibus hominibus peccatur.

Tradetur principibus ſacerdotũ.] Quare principibus ſacerdotum? Quia non habebat infenſiores hoſtes, ideoq; nõ erant aptiores aliqui ad perficienda quæ de Chriſto erant in ſcripturis prædicta. Siue reſpicias ipſius Dei patris, ſiue Satanæ, ſiue Iudæ proditoris conſilia, nõ erat quiſquam ad hanc cauſam perficiendã accommodatior. Conſilium Dei fuit, filium ſuum maledictum facere, ut nos à maledicto liberaret, hoſtiam facere, quæ peccata mundi expiaret. Ad hoc erat opus concilio malignantiũ, in quo tanquam blaſphemus in Deum iudicaretur, & cõdemnaretur agnus ille immaculatus. Illud colligendum erat non ex pijs, ueritatis amicis, ſed ex impijs, et ueritati ſummè inimicis. Hi autem erãt ſacerdotes, Scribæ & Phariſæi. Satanæ conſilium fuit non ſolum Chriſtum ipſum, ſed & doctrinam ipſius extinguere. Ad hoc putabat facturum ſi nomen ipſius Chriſti ubiq; redderet inuiſum & abiectũ quo doctrina quoq; ſcandalum eſſet Iudæis, & ſtultitia gentibus. Huc parabatur tale mortis & probri genus. Nimirũ ut à potioribus totius gentis, illisq; in concilium ſelectis, cõmuni ſuffragio condemnaretur ad crucem maledicto obnoxiam. Ideò & Satanæ non erant commodiores ad hanc cauſam miniſtri quàm ſanctuli illi ſacerdotes, Scribæ, et Phariſæi. Quod ad Iudam attinet certum eſt quod cum proponeret animo uendere Chriſtum, opus habuerit illum non amicis, ſed inimicis Chriſti prodere ac uendere. Non habebat autem Chriſtus infenſiores inimicos quàm ſacerdotes, Scribas, et Phariſæos. Ideò & ad proditoris conſilium implendum opus erat ſacerdotibus & Scribis, &c. Sed quæret fòrſan aliquis, qua nam ratione ſacerdotes, Scribæ, & Phariſæi Chriſto præ alijs fuerint infenſiores. Quòd ſi dixero, quia impij erant: occurret

non solos fuisse impios, & adhuc manet quæstio, cur præ alijs impijs Christo inimiciores fuerint. Possem & de nostris sacerdotibus, & sacerdotũ principibus rogare, cur & illi plusquàm laici Euangelicæ doctrinæ repugnent, ut uideatur ita esse Christo & illius doctrinæ infatis, ut hoc hominum genus habeat summè inimicum. De secreto Dei consilio & iudicio cur id ita disponat, nihil dicam: sed eas causas assignabo, quibus isti Christi inimici mouentur & aguntur. Assignabo autẽ illas non meis, sed Chrysostomi uerbis, qui in secũda expositione Matthæi, hoc loco, Hom. 35. sic habet. Sicut tunc sacerdotes, uel propter uanam gloriam, uel propter auaritiam condemnauerũt Christum morte, cogitantes, quoniam si retineant Christum, ipsi sacerdotes esse non poterunt secundum legem, nec solennia illa lucra percipere: ita nunc impij sacerdotes & Scribæ uerbum ueritatis dignum iudicãt interitu, cogitantes, quia si illud retineant ipsi sacerdotes esse non poterunt, nec sacerdotalia lucra percipere: Hæc ille. Chrysost.

6 Et cõdemnabunt eũ morte, &c.] Quod ad præsentem locum attinet in genere de his omnibus quæri poterit, cur ita fieri necesse fuerit. Nam non solum ita factum esse legimus, sed oportuisse ita fieri, ut & Christus dixit supra 16. & Luc. ult. Prima causa est, quia Deo ita placuit. Altera, quia ita exegit nostra redemptio, oportuit pro peccatis nostris satisfieri diuinæ iustitiæ. Tertia est, quia mundũ ita dilexit Deus, ut filiũ in hæc probra, & mortem hanc turpem dederit, Ioan. 3. Rom. 5. Agnoscamus ergo immensam Dei patris & Christi filij erga nos miseros dilectionem, ut grati simus, deinde ut imitemur. Nam id quoq; nobis præcepto traditum est. Hoc est inquit præceptum meum, ut diligatis uos inuicem, sicut ego dilexi uos. Et Ioannes, & nos debemus animas pro fratribus ponere.

Tũc accessit ad eũ mater filiorũ Zebedæi.

Marci 10. scribitur ipsos filios Zebedæi hãc petitionẽ feciſſe, & nominatim ponuntur Iacobus & Ioannes. Est aũt credibile matrem ab illis subornatam fuisse. Quanq;, ut matrũ est ingeniũ, nihil prohibet, quominus credamus filios ad hanc petitionẽ à matre sollicitatos.

Est aũt hic locus bimembris. Primũ membrũ habet petitionem Zebedæorũ. Alterũ, Christi responsionem.

DE PRIMO MEMBRO.

Ex Marco: Præceptor, uolumus ut quicquid petierimus facias nobis. Ille uerò dixit eis: Quid me uultis facere uobis?

Apparet Euangelistam studio & prudenter Zebedæorũ temeritatẽ describere uoluisse, non solum in ipsa petitione, sed & in modo petẽdi. Primũ quod quasi obstrictũ pollicitatione Dominũ reddere conantur, ne postea quod petituri erant, negare posset, dum dicunt: uolumus ut facias nobis, quicquid petierimus. Non proferunt quid sint petituri, sed assensum Christi antequàm petant, uenantur, ne postea illi liceat relabi. Deinde & in eo, quod non simpliciter dicunt, quod petituri sumus, sed quicquid petierimus, quasi futuræ petitionis inquisitionẽ & cognitionẽ, nisi dato primũ assensu, excludentes. Quid autem ad ista Christus?

Quid me uultis facere uobis?] Non quidem illis approbat ipsorum temeritatem, interea tamen nihil pollicetur, sed iubet proferre quid petant. Q. d. Plurimum refert, quid sitis petituri. Neq; enim licebit accipere quiduis. Proinde dicite: quid petatis. Exemplum hoc Christi probè notandũ est. Primũ in eo, quod tanta patientia tolerat discipulorũ stultam temeritatẽ: deinde in eo quod quasi paratus ad largiendum, iubet edicere quid petãt, duntaxat æqua sit petitio. Talis est etiamnũ Christi erga nos philanthropia ne pilo quidem mutata.

Dic ut sedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & alius ad sinistrã tuam, in regno tuo.

Principio, quid est quod petunt? Quid est sedere ad dexteram & sinistram Christi in regno illius? Videlicet nihil aliud, q̃ primas habere in regno Christi. Somniabant aũt perpetuo carnale & mundanũ licet eximium, quale nunquàm fuerat antea, fore Christi regnum. Audierant Petro claues regni cœlorum promissas: deinde Apostolos duodecim super duodecim sedes in regno dei sessuros & iudicaturos, & iam futurã breui esse Domini resurrectionẽ postquãm putabant regni illius sequuturam maiestatẽ, atq; ita tempus esse petendi putabant, ut liceret sibi primas obtinere in regno Dei: Ergo adhuc laborant pristino morbo inanis gloriæ, quem suprà cap. 18. prodiderant & alij Apostoli, ubi & pleraq; huius tractata sunt. Sed hic subit inquirere, unde piscatoribus insit hic regnandi affectus, quorũ conuersatio non in aulis principũ fuit, sed in rerũ penuria & laborem manuum: deinde qui iam annos aliquot cum Christo circuierant, apud quem ne per somnium quidem aliquam regni speciem, sed omnia humillima uiderant. Scilicet homines erant & ipsi, per uenenum illud serpentis ex Adamo corrupti. Et præterea cognati Christi secũdum carnẽ, cuius cognationis prærogatiua ad hanc illos petitionem plurimũ permouit. De illa uide in fine cap. 12. Sic Luc. in Exoffuncti sore, uidere sedem regni Dei mundo stupeat.

ALTERVM MEMBRVM.

Respondẽs autem Iesus dixit illis: Nescitis quod petatis. Potestis bibere poculum, quod ego bibiturus sum? Et baptismate baptizari, quo ego baptizor? Dicũt ei: possumus. Ait illis: Poculum quidem meũ bibetis, & baptismate quo ego baptizor baptizabimini: sedere autẽ ad dexteram meam & sinistram meam non est meum dare, nisi quibus paratum est à patre meo.

Denegat illis quod petebant. Et ne hoc uideatur animo inimico facere, rationes aliquot assignat, quare nec illos conueniat hoc petere, nec ipsum dare. Nam in omni petitione hæc sunt consideranda. Primum, ut quod petitur conueniat petitori: alterum, ut tale sit, quod & datorem non dedeceat. Alioqui merito non accipit qui petit, quod nec sibi competit accipere nec is, à quo petit, rectè dare potest. Talis autẽ erat petitio ista filiorum Zebedæi. Male petebant sedere ad dexterã ac sinistram

ſiniſtram Chriſti: deinde & Chriſtum non decebat hoc dare, niſi illis quibus paratum eſt à patre.

1 Neſcitis quid petatis.] Hæc eſt prima ratio, quæ ad hoc pertinet, ut admoneat eos, malè petere, rem ſcilicet petere, quam nõ intelligant. Sed quomodo non intellexerunt quid peterent? Petebant primi eſſe in regno Chriſti, ad dexteram Chriſti et ſiniſtram ſedere. An hoc non intelligebant ſe petere? An erant mente moti? Nequaquam. Scientes ac prudentes petebant primatum in regno cœlorum, ut primi eſſent poſt Chriſtum. Quomodo ergo dicit: Neſcitis quid petatis?

Obſeruandum eſt hoc loco, duplicem eſſe rerum cognitionem. Vna eſt, qua intelligitur quid aliquid in ſe ipſo ſit. Altera, quale ſit, quæ ſit illius conditio: num utilis, aut inutilis, honeſta uel inhoneſta. Zebedæi itaq; ſciebant quidem ſe petere proximum Chriſto conſeſſum in regno ipſius. Quale uerò hoc ipſum eſſet, quod petebant, an utile ipſis, an decorum, an Deo placitum, hoc demum ignorabant. Et hac ratione dicit Chriſtus: Neſcitis quid petatis.

1.Reg.2. Mater Salomonis inſtructa ab Adoniah fratre Salomonis, petebat ut ipſi Adoniæ daretur Sunamitis Abiſac in uxorem. Intelligebat ſe hoc petere. Nam ſcienter hoc petebat, nec ignorabat Adoniam, nec Sunamitem, nec rationem cõiugij. Et tamen rogabatur à Salomone, cur hoc peteret: utpote, nõ petitura, ſi quid peteret intelligeret. Rationem petitionis huius ignorabat, quam intelligebat Salomon. Ambitum regni habebat ea petitio. Hoc ſcilicet neſciebat mater. Atq; ideò tanquam malè petens, non exauditur.

Itaq; qui rem petit, quam ſi intelligeret, uel ſibi nocituram, uel turpitudinem largitori allaturam, non peteret, is rectè dicitur petere quod neſcit. Quis enim ſibi ipſi ita inimicus eſt, ut ſcienter petat noxia? Quis adeò impudens eſt, ut petat ab amico quod illum ſcit ſine dedecore dare non poſſe?

Expendamus igitur, ſi quando precamur ad Dominum, quid ſit quod petimus, ne & nobis dicatur: neſcitis quid petatis, adeoq; fruſtra petamus. Neſciunt autem quid petant, quotquot nec ad gloriã dei reſpiciunt, nec ad uſum neceſsitatis, ſed ad ſuas concupiſcentias. Vt qui diuitias, uoluptates, inanem gloriam, uindictam inimicorum, & quæ alia huiuſmodi ſunt, petunt. De iſtis uide
1.Sam.8. Iacob. 4. Ita Iſraëlitæ ignorabant quid peterent, dum regem ſibi dari petebant à Samuele, ad conſuetudinem reliquarum Gentium. Petebant enim rem ſibi noxiam, & quæ faciebat contra gloriam dei, Deoq; diſplicebat.

Salomon expendit quid peteret, Pro. 30. ubi dixit: Mendicitatem ac diuitias ne dederis mihi, ſed tantum uictui meo tribue neceſſaria, ne ſatiatus illiciar ad negandum Deum & dicam: Quis eſt Deus? Aut ne neceſſitate compulſus furer aut periurem nomen Dei mei.

2.Cor.12. Et Paulus non intellexerat petitionem ſuam, de qua 2.Cor.12. ubi rogauerat, ut tolleretur à ſe ſtimulus carnis, angelus Satanæ, ſe collaphizans. Poſtea uerò cur illam non acceperit, licet tertio petierit, intellexit.

Poteſtis bibere calicem, &c.] Calicem ſuum & baptiſma, uocat paſſionem & crucem ſuam, quæ ipſi erat inſtar admenſurati liquoris ebibẽda (ita & in horto precabatur: Tranſeat à me calix iſte) & per quem erat quaſi baptiſmate quodam in aliam uitæ conditionem & gloriam inaugurandus.

Innuit autẽ illis per iſtam interrogationem, intempeſtiuè ipſos ambire regni gloriam, nihil dum paſſos: ut ſi miles ambiat coronam, nondum expertus ullum certaminis ſudorem. At ita comparatum eſſe in regno ſuo, ut qui unà cupiat ſecum regnare. Primum & unà crucem tollant, è calice ſuo bibant, unà baptizentur. Hoc an poſsint rogat: admonens prius uires ad crucem ferendam expendendas eſſe. Illi uerò ut ignoranter et abſurdè petebãt, ita et temerè ſe hoc poſſe reſpõdent præ deſiderio petitæ gloriæ, nõ expenſa propria imbecillitate.

Duo ergo ſunt hic obſeruanda. Primum, gloriam 1
regni Chriſti exigere priores paßiones, nec quenquam debere ſollicitũ eſſe in hac uita de futura gloria, ſed magis ad crucem ſeſe parare. Vide Rom.8. Si cõpatimur & conregnabimus. Non autem ad quamuis crucem, ſed ad eam quæ cruci Chriſti communicat. Et magnam conſolationem habet, quod & ipſe Chriſtus hunc calicem bibit, & hoc baptiſmate tinctus eſt.

Alterum, exemplum eorũ qui pro acquirendo uoto 2
ſuo parati ſunt quiduis perpeti, præſumentes maiora quàm præſtare poßint. Hoc uidemus in iſtis Apoſtolis.

Ait illis: Poculum quidem meum bibetis, &c.]
Hic duo ſunt expendenda. Vnum, quomodo dicat ſuum non eſſe quod petebant, dare, ſed patris. Alterum, quomodo non dicat: poſteaquam poculum meum biberitis, & baptiſmate meo baptizati fueritis, tunc accipietis quod petitis, ſi ut ſuprà dictũ eſt, crucẽ ſequitur gloria.

Dicit ſibi nõ cõpetere ut det quod petunt.

DE PRIMO.

Meum non eſt dare, &c. An in poteſtate Chriſti non eſt dare gloriam regni cœlorum, etiam diſcipulis ſuis? Quomodo ergo omnem poteſtatem accepit à patre? Ergo hoc dictum imminuit Chriſti potentiam & gloriam? Nequaquam. Obſeruandum eſt quomodo hoc dicat, & quomodo iſti hoc petierint. Præſumebant ſibi gloriæ prærogatiuam apud Chriſtum propter cognationem carnis. At huius gratia dare gloriam regni cœlorum & primos conſeſſus, non decebat Chriſtum. Deinde & licet poteſtatem omnem acceperit à patre, hoc tamen non accepit, nec decet ut acceperit, ut alijs det, quàm quibus à patre præſtinatum eſt. Iſta non minuunt gloriam uel potentiam Chriſti, ſed iuſtitiam illius commendant. quod non reſpicit perſonas ne cognatorum quidem, in elargiendis honoribus regni cœlorum, ſed magis uoluntatem patris reſpicit, à quo omnem regni cœlorum poteſtatem accepit. Qui adminiſtrationem regni accepit, non putatur diminutam habere poteſtatem, ubi nullos alios ad regni honores admittit, quàm quos admittit ius ipſum regni, ſed tanquam iuſtitiam cum poteſtate coniunctam habens laudatur. Hoc ſcilicet eſt quod Chriſtus dicit: Meum non eſt dare, niſi illis quibus paratum eſt à patre meo.

DE SECVNDO.

Poculum quidem meum bibetis.] Quod non dicit: tunc demum accipietis quod petitis, ſed: meum non

est dare, nisi quibus paratum est à patre, non ad hoc facit, ut nõ sint regnaturi cum Christo, qui cum illo in hac uita adfliguntur (nam illud esset contra ipsius uerba, maximè Lucæ 22.) Sed ut temeritatem præsumptionis illis eximat, qua, cum cognationis carnalis, tum et præsumptæ quiduis patiendi audaciæ gratia, putabant sibi cõpetere eam gloriam quam petebant, cum nec illa rationem habeat in regno cœlorum, nec ista condigna sit futura illa gloria, Rom. 8. et doceat hanc gloriam sitam esse in uoluntate patris, & illis dandam, quibus à patre paratum est, adeoq; per beneuolentiam patris gratuitam absq; ullis alijs prærogatiuis aut meritis cõtingere.

Docemur ergo hoc loco. Primum futuræ uitæ gloriam expectandam esse à sola gratia miserentis Dei & eligentis, absq; ullo operũ ac meritorũ respectu. Quid ergo illi faciunt, qui sibi ipsis propter uitæ austeritatem nescio quos gradus in cœlo pollicentur? Deinde in eo quod non dicit: quibus parabitur, sed quibus paratum est. Admonemur cœlestia bona electis iam inde ab initio mundi esse parata, ut agnoscamus cœlestis patris erga electos liberalitatem ac beneuolentiam. Sic dicet Christus Mat. 25. Venite benedicti patris mei, possidete paratum uobis regnum à constitutione mundi.

Et cum audissent decem indignati sunt de duobus fratribus. Iesus autem uocauit eos ad se, & ait: Scitis quod principes gentium dominentur illis, & qui magni sunt potestatem exerceant in eas. Non ita erit inter uos, sed quicunq; uoluerit inter uos magnus fieri, sit uester minister: & qui uoluerit inter uos primus esse, sit uester seruus. Sicut filius hominis non uenit ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret, utq; daret animam suam redemptionem pro multis.

Idem morbus tenebat Apostolos. Laborabant omnes ambitione dominandi, æque atq; duo Zebedæorũ filij, ut supra cap. 18. dictum est. Quod enim hic duobus fratribus indignati esse reliqui decem scribuntur, nõ ex eo erat, quod ambitionem hanc ipsi detestarentur, cui & ipsi obnoxij fuisse non solum suprà 18. sed & Lucæ 22. in ipsa Dominica cœna deprehenduntur. Vbi uidemus malum hoc utcunq; suprà consopitum, hic per hos duos iterum excitatum esse, adeò ut contendant etiam huius gratia in ipsa Domini cœna.

Decem indignati sunt.] Quid est quod decem indignati dicuntur, & non simul & alij discipuli? Erant duodecim eiusdem uocationis, eodem præditi honore, adeoq; æquales. Iam inter æquales ita comparatum est, ut ægrè feratur, si quisquam cupiat alijs præferri. Quod si morbus ambitionis uel omnes uel aliquos tantum corripuerit, non potest fieri, quin liuor & contentio suboriatur, dum quisq; uel se mallet reliquis præferri, uel certè non sustinet ei subdi, cui se putat esse æqualem. Et hinc est, quod decem aduersum duos fratres animo commouentur, & postea in Cœna de primatu cõtendunt. Ita
Gen. 37. usuueniebat & filijs Iacob, duodecim patriarchis, qui molestè ferebant præferri sibi fratrem Ioseph.

Videmus ergo hic quæ sit ambitionis pestis, quæ inter fratres, æquales, eiusdem uocationis, inter quos debebat summa esse concordia, dissidia excitat & lites.

Iesus autem uocauit eos ad se, &c.] Duo sunt hic notanda. Vnum quod suorum dissidium ferre non potest 1
Christus. Ideò ad se uocatis Apostolis iterum amputat mali causam & radicem. Vult enim suos esse unanimes ac planè concordes,

Alterum est, quod non prorsus abijcit à se piscatores 2
illos tam turpiter ambitiosos, nec emendari sustinentes, sed tam patienter tolerat, & ad se uocat, iterum admonendos. Nisi fuisset immensa tolerantia & animi lenitas, iussisset potius illos abire à se, quàm uenire ad se. Exemplum hoc Christi diligenter est obseruandum Christianis omnibus, maximè illis qui alijs præsunt. Nos ita comparati sumus, ut sicubi malo aliquo fratrem laborare uiderimus, mox abijciamus & fastidiamus, etsi semel admonuerimus errantem plus satis nostro functi officio uideri uolumus.

Scitis quod principes Gentium, &c.] Ista declarationem habent. Primum absurdæ ambitionis qua tenebantur, quàm illa non conueniat regno Dei. Deinde & rationis eius, qua quis in regno Dei primus esse possit. Bimembris ergo est ista expositio, & ad morbũ sedandũ quo laborabant Apostoli, omniũ accõmodatissima.

Principes Gentium.] Primum membrum est, quo declaratur, affectus ille primatus, quem appetebant Apostoli, esse mundanus, adeoq; prauus, & alienus à regno Dei. Hoc notatur in eo quod dicit: Principes Gentium dominantur aduersum illas, & potestatem exercent in subditos & inferiores, qui magni sunt. Q. d. Ita solent Gentes, quibus non est notitia Dei, qui carnis ducuntur affectibus, quibus uos iam similes esse pergitis. Solet suos dictione Gentium auocare, uel ab erroribus, uel corruptis affectibus, ut suprà cap. 5. 6. Nam omnino turpè est regni cœlorum candidato, ijsdem laborare affectibus, quibus laborant & Gentes, nec meliorem esse Gentibus. Ita & Paulus Christianos urget ad uitæ innouationem. Vide suprà cap. 6.

Huc pertinet quod dicit: Inter uos autem non sic erit, quod idem est cum eo quod alibi capite sexto dicit: Nolite similes illis esse.

DE MAGISTRATIBVS inter Christianos.

Quoniam illud: Inter uos autem non sic erit, ad omnes Christianos pertinet. Videndum est, quid sentiendum sit de magistratibus nostris, ne locus errandi sit simplicioribus: quasi hinc colligi possit, non licere Christiano homini principatum gerere inter Christianos.

Inter uos inquit, non erit sic. Quomodo? Quemadmodum est inter Gentes. Quomodo est inter Gentes? Ita scilicet, ut qui principes sunt & magni dominium exerceant in subditos, et potestate aduersum illas opprimendas utantur. Hoc est quod dicit: κατακυριεύσουσιν καὶ κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν. Quid hic taxatur ac reprobatur in Gentiũ principibus ac magnatibus? Non hoc, quod principes sunt ac magnates. Alioqui æque

dicere

dicere poterat: Scitis quod in Israële sunt principes & magnates, qui subditos moderantur, et iustitiã exercent, uos autem non sic. Habebat enim & populus Dei suos principes. Non ergo damnat hoc in gentibus quod principes habent & magnates, id quod necessarium est etiam hodie, neq; hoc damnat, quod principes potestate utuntur ad castigandum reprobos, & defendendum insontes, dum iudicium & iustitiam exercent, quod non pertinet ad gentes magis quàm ad populum dei, qui tales principes habuit in scriptura laudatos. Quid ergo hic in gentibus damnat? Libidinem scilicet & ambitionem dominandi, qua non quæritur, ut populus cõmodè habeat, sed ut dominantibus pro uoto omnia cedant. Hoc morbo laborabant apostoli planè gentili, quo propria commoditas & gloria quæritur. Qui ita affecti sunt, illi sanè non regunt populum, sed premunt, suisq; affectibus seruire cogunt, id quod est κατακυριεύειν & κατεξουσιάζειν.

Itaq; Christiani esse possunt isti principes & magistratus, qui hoc ambitionis affectu non laborant, & horum magistratus summè utilis est & necessarius. Qui uerò seipsos quærunt non subditos gentiliter illi dominantur, ad formam regni, quale 1. Sam. 8. descriptum est oppressores subditorum non rectores, Gentiles principes non Christiani.

Et hic affectus pulchrè exprimitur in eo quod dicit: Et qui magni sunt, potenter opprimunt inferiores, ut nos Germani dicimus: ye uuer bas mag der thut bas, der sterCKer stoßt den schuuachen in sacK.

Gentibus autem hoc ideò datur, quod in illis uigeat naturæ corruptio & deprauatio, qua fit, ut nec doctus sua eruditione, nec sapiens sua sapientia, nec diues diuitijs suis, nec fortis sua fortitudine, nec potens sua potentia ad id utatur, ut bene sit idiotis, insipientibus, pauperibus, infirmis, et imbecillibus, sed ut ipsi in honore sint & commodè habeant.

Sed quicunq; uoluerit inter uos magnus esse, sit uester minister.] Alterum hoc membrum est, quo declaratur, qualis debeat esse primatus inter Christianos in regno Dei, qui non sit gentilis, nec carni tantopere arrideat, nec faciat ad inferiorum oppreßionem, sed magis illorum quærat commodum. Quicunq; uoluerit inquit inter uos magnus esse, primus esse, &c. Non dicit: Nemo debet inter uos magnus esse, nemo primus: quod tamen dicere deberet, si omnino non liceret in regno Dei primos esse & magnos, & necesse esset omnes in omnibus prorsus esse æquales. Spiritus cœlestes non sunt æquales, stellæ non sunt æquales, Apostoli ipsi non erant æquales omnino. Deprehenditur Petrus multis in locis primus fuisse inter reliquos, quod nos non negamus. Ergo non hoc agit hic Christus, ut nolit aliquem esse primum uel magnum inter Christianos, cum ipsa status nostri necessitas exigat, ut aliqui sint potiores & maiores, tam abest, ut illud repugnet charitati. In Republica necesse est esse qui alijs præcedant, ita & in domo bene constituta, ita & in Ecclesia debent esse gubernatores, præsides, præpositi, quorum Paulus meminit Rom. 12. 1. Cor. 12. Ebr. 13. ut in corpore sunt quædam principaliora membra, quædam minus principalia. Est internus homo à quo regitur externus, in externo sunt ossa robustiora neruis & carne, quæ omnia non obsunt sed prosunt corpori, licet summa sit in corpore humano concordia. Itaq; non exigit hoc Christus, ut prorsus in regno suo sint omnes æquales, sed hoc exigit, ne quisquam cupiat magnus & primas haberi et uideri. Non dicit: Qui uult inter uos magnus uideri, in honore præcipuo esse, sed: qui uult magnus esse.

Quid illi faciendũ est? Sit omnium minister & seruus inquit. Quorum omnium? Inferiorum scilicet, inter quos ipse magnus est & primus. Sit seruus. Hoc est, quod carni non placet, quæ mauult dominari quàm seruire. Quid est autẽ seruire omnibus? Est omnibus prodesse, seruire ad aliorum utilitatem, salutem ac necessitatem. Non loquitur de tali seruitute, qua serui hodie coguntur Dominorum seruire libidini, ad ipsorum peragitionem. Nam ea seruitus non decet Christi ministrum, nec conuenit regno Dei.

Vide autem quanta sit æquitas & iustitia regni dei, in quo qui magni sunt & primi, hoc est, potioribus donis præditi, inferiorum & imbecilliorum constituuntur serui, cum inter Gentes infirmiores cogantur seruire fortioribus. Nam ea est prouidentia Dei, ut consultum sit imbecillibus, quorum gratia pleraq; & præcipua dona quibusdam largitur, ut poßint illis prodesse. Ita uiro dedit maiorem prudentiam & fortitudinem, rerumq; gerendarum dexteritatem, ut poßit caput esse uxori, & totam administrare domum.

Est itaq; in Ecclesia primus & magnus non cui seruitur ab omnibus, sed qui omnibus ipse seruit. Seruit inquam, non qui cum dominatum ambiat in omnes, omnium se seruum uocat. Aliud est seruire omnibus, & aliud omnium uocari seruum. Qui tantum uocari cupit seruus, & hoc titulo dominatum exercet in cleros Dei, is demum est, qui à nobis reijcitur, tanquam lupus ouilla ueste tectus. Qui uerò talis est, ita à Deo κατηρτισμένος, ut reuera sit omnium primus & maximus, & sic fratribus donis acceptis seruit, hunc tam abest ut reijciamus, ut talem dari summopere optemus.

Deinde & hoc notandum est, quod non dicit: Is quem ego, Petrus scilicet, magnum & primum constituam in Ecclesia. Sed: Qui uult magnus & primus esse, quod certè non bene conuenit ei opinioni qua dicunt Petrum à Christo constitutum principem Apostolorum, & post illum Romanos pontifices. Nam copiam hic facit omnibus Apostolis primos & magnos fieri, si fiant omnium serui & ministri.

Sicut filius hominis.] Hoc ad alterum membrum adijcitur exempli gratia. Nam suo exemplo docet, quomodo, qui maior est, debeat esse omnium seruus. Et hoc ostenditur in eo, quod dicit: Sicut filius hominis. Sumit autem hoc exemplum à suæ dispensationis conditione et ratione, quam breuibus quidem uerbis, uerum omnium clarißimè exponit, dicens: Non uenit, ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret, utq; daret animam suam redemptionem pro multis. Quibus uerbis tria facit.

Primum commemorat humilitatem dispensationis 1

suæ

ſuæ, quæ eſt in forma non Domini, ſed ſerui conſtituta. De hac humilitate Chriſti eſt egregius locus Philip. 2.

2 Deinde, miniſterium ſuum declarat, quod nam ſit: nempe, redimere mortales, quæ declaratio quoq; ad inſtructionem facit diſcipulorum, quomodo debeant et in
3 qua re ſeruire & ipſi. Tertio, adiungit etiam miniſterij huius auxeſim, dum illud collocat in ſummum gradum, dicens: utq; daret animam ſuam, ut doceat ſuos ita prorſus omnium ſeruos eſſe debere, ut non ſolum qualiacunque officiola impendant, ſed ipſam quoq; uitam.

Et ne putemus hac tantum ratione, uidelicet morte ſua Chriſtum ſe exhibuiſſe miniſtrum, & non ſimul in reliqua uita ſuis miniſtraſſe, uidendum eſt, quomodo Lucæ 22. in Cæna de eadem re ſuos inſtruens, exemplum miniſterij ſui illis proponat, cum dicit: Nam quis maior eſt? qui recumbit, an qui miniſtrat? Nónne qui recumbit? Ego autem in medio ueſtrûm ſum ſicut qui miniſtrat. Vnde uidemus Chriſtum ſuis ubiq; formam miniſtrandi prætuliſſe.

OBSER.

1 Primo loco obſeruanda eſt ingens conſolatio, in eo quod unigenitus Dei filius peccatorum & captiuorum factus eſt miniſter, & animam ſuam dedit, ut redimeremur. Redempti ergo ſumus, niſi extra Chriſtum ſumus, & ab unigenito Dei redempti ſumus, & charè redempti ſumus: nempe, morte ipſius. Si hoc à Chriſto factum eſt, cum adhuc eſſemus peccatores & impij, quid iam non ab illo expectandum eſt redemptis? Vide Rom. 5.

2 Deinde & nobis præfigendum eſt hoc Chriſti exemplum, quod imitemur, ut & noſtrûm quiſq; non hoc petat, ut ſibi miniſtretur, ſed ut ipſe miniſtret alijs, ad exemplum Chriſti Domini noſtri. Et ne quis putet illud ita proponi, ut liberum ſit nobis uel imitari, uel non imitari, obſeruandum eſt, quod in Marco legitur: Nam & filius hominis nõ uenit, ut ſibi miniſtraretur. Vt intelligamus his uerbis non ſolum formam miniſtrandi alijs præſcribi, ſed & rationem ac neceſſitatem, qua permoueamur aſſignari, cuius eſt æquitas, quod diſcipulus non eſt ſupra magiſtrum. Suprà cap. 10.

Sunt autem in hoc Chriſti exemplo hæc expendenda. Primum, quis ita ſeſe humiliauerit: nempe uerbum Dei patris, filius unigenitus Dei, dominus cœli ac terræ. Deinde quouſq;. Ad mortem uſq;, eamq; turpiſſimam. Tertio, pro quibus hoc miniſterium ſubierit: uidelicet, pro peccatoribus & impijs. Cogita iã, an aliquid queat potentius contra ingenij noſtri ſuperbiam hoc Chriſti exemplo proponi. Magnus es, doctus, ſapiens, nobilis, diues, potens, atq; ideò putas dedecoroſum tibi fore, ſi debeas ſeruire alijs. At nõ es maior, doctior, ſapientior, nobilior, ditior, potentior, Chriſto. Deinde abſterreris miniſtrandi uilitate. Atqui quid uilius erat in mundo & abiectius, morte crucis? Præterea expendis uilitatem eorum, quibus debeas ſeruire, illamq; perſonæ tuæ confers. Quid autem uilius & abiectius, ſi ad Deum conferas, impijs peccatoribus, æternæ morti obnoxijs? Ergo uirtute exempli huius Chriſti, nemo, licet mortalium maximus, quicq̃ etiam uiliſſimum, cuicunq; mortalium, utut abiecto, ſi neceſſitas illius exigat, denegare debet. Et ipſum genus miniſterij Chriſti ſi expendas, ſupra modum ad propoſitum facit, ad quod debemus omnia, quicunq; præ cæteris aliquid à deo accepimus. Redemptionis meminit. Loquitur quidem de ea redemptione, qua è regno Satanæ in regnum Dei, è morte in uitam æternam, per mortem ipſius redempti ſumus, quam ſanè ipſe ſolus abſoluit & abſoluere potuit. Interea tamen docemur, quàm ſit res diuina redimere captiuos, hoc eſt liberos reddere. Eſt autem captiuitas mortalium pro uarietate calamitatum uaria. Qui pauper eſt, captiuus eſt rerum penuriæ. Hic liberare poteſt, qui habet ſubſtantiã huius mundi, & redemptorem agere. Qui morbis detinetur, captiuus eſt. Hic qui facultatem habet curandi quouiſmodo corpora, ſi hoc faciat, redemptorem agit. Qui non poteſt corpus redimere, ſi ſaltem conſoletur animum adflictum, & hac parte redemptoris uicem ſubit. Qui in errore ac cæcitate eſt, captiuus eſt Satanæ, ut et ille, qui peccatis ſeruit. Quisquis hic ſuccurrit uerbo doctrinæ & admonitionis, aut alijs modis, redemptor eſt. In iſtis ac ſimilibus ſeruiamus Deo, ſequamurq; Chriſtum, ut quiſq; alterius ſit liberator, & qui præ alijs aliqua præditus eſt facultate, totũ ſe in hoc impendat, ut ſeruiat quibuſcunq; poterit.

Non poteſt ergo ſatis explodi ac reprobari humani ingenij peruerſitas, quod cum plerique cupiamus magni eſſe & reputari ijs rebus ſtudemus, quæ nihil in ſe habent egregij, nec commendantur alicuius ſancti Deoq; probati hominis exemplo. Et rurſus quæ uerè magnum faciunt & Chriſti quoq; exemplo nobis præſcripta, ea putamus nobis fore dedecori. Quale eſt, quod noſtri Epiſcopi turpe putant, ſi debeant prædicare euangelium Chriſti, ſeruireq; gregi Dominicæ. Malunt eſſe Domini, quibus ab omnibus miniſtretur, quàm ipſi alijs miniſtrare. Miſerrimum hominum genus eſt, & nullo modo Chriſtianum, quod omnia in ſuum ipſius compendium conſumit, neq; aliqua in re mortalibus uſui eſt. Terra non ſeruiens in ferendis frugibus maledicta eſt. Fons liquorem ſuum ſibi ſeruans, execrabilis eſt. Arbos pro inutili habetur, unde nulli colliguntur fructus. Diuinam uerò habent uitæ conuerſationem quicunq; alijs miniſtrant. Vnde lætiſſima deberent eſſe cõſcientia qui eiuſmodi ſunt, etiamſi uiliſſimi ſeruuli, dũmodo fideles ſint.

Et egredientibus illis ab Hiericho, ſequuta eſt eum turba multa: Et ecce duo cæci, ſedentes iuxta uiam, cum audiſſent, quod Ieſus tranſiret, clamauerunt, dicentes: Domine, miſerere noſtri, fili Dauid. Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Miſerere noſtri Domine, fili Dauid. Et ſtetit Ieſus & uocauit eos, & ait: Quid uultis ut faciam uobis? Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi noſtri. Miſertus autem eorum Ieſus, tetigit oculos eorum, & confeſtim uiſum receperunt oculi illorum, & ſequuti ſunt eum.

Marcus capite 10. & Lucas 18. unius tantum cæci mentionem

mentionem faciunt. Marcus etiam nomen illius exprimit, dicens: Filius Timæi Bartimæus cæcus sedebat iuxta uiam. Deinde Matthæus & Marcus dicunt miraculum hoc factum esse cum egrederetur Hiericho. Lucas, cum ingrederetur. Gemina ergo hic dissonantia deprehendi uidetur in Euangelistis. Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistarum capite 65. dicit à Marco eum poni ex duobus qui erat notior. Et à Luca alterius cæci, non eius cuius meminit Marcus, fieri mentionẽ, qui eodẽ modo ut iste, sit à Domino, cum appropinquaret Hiericho, curatus. Quod si hoc uerum est, poterunt Euangelistæ ita conciliari, ut Marcus eius recordetur, qui in egressu Hiericho, Lucas eius qui in ingressu, sit curatus, Matthæus utriusq;. Verum adhuc uidetur superesse scrupus quod Mathæus dicit: Et egredientibus illis ab Hiericho, ecce duo cæci sedebant iuxta uiam. Ergo apparet Matthæum non loqui de eo, qui sit ante ingressum Hiericho ut Lucas scribit, illuminatus: sed de duobus qui sint curati in egressu Hiericho: Ergo uel non duo tantũ cæci, eodem modo circa Hiericho, sed tres, curati sunt. Vnus in Luca, antequam ingrederetur Hiericho dominus, & post egressum Hiericho duo, quos hic noster ponit. Vel dicendum, ut & aliqui faciunt, Euangelistas non admodum ista parerga uel temporis uel locorum curasse, sed satis habuisse, si describerent Christi uirtutem, uel in cæcis illuminatis, uel in dæmoniacis liberatis, uel ægrotis curatis, non semper uel numeri, uel loci, uel temporis rationem habentes. Vt & suprà capite 9. uidimus, ubi Matthæus meminit duorum dæmoniacorum, Marcus & Lucas unius tantum.

Cæterum & suprà capite 9. historiam consimilem habuimus de duobus cæcis, ubi pleraq; considerata sunt quæ huc quoq; pertinent.

Sedentes iuxta uiam.] Erant scilicet mendici, paupertatem cæcitati coniunctam habentes, atq; ideò uias obsidebant, ut uictum à transeuntibus emendicarent. Iam præceptum erat à Domino, ne esset inter Israëlitas mendicus quisquam. Nam omnia pulchrè erant instituta, quomodo pauperibus consuleretur, per decimas & oblationes: deinde per mutuationem, & debitorũ quoq; dimissionem. Verũ hoc quoq; loco apparet, quàm fuerint omnia inter Iudæos, ut et inter nos hodie corrupta.

Sed bene cessit istis cæcis, quod eam uiam obsederint, quam ambulabat lux mundi, illuminans omnem hominem uenientem in hunc mundum. Quod si uiam hanc declinassent, uisum non recepissent. Euangelij doctrina lux est, illuminans oculos mentis. Verbum Domini lucerna est inquit Dauid. Qui cæci sunt, obsideant confinium lucis huius, & quærant eum, qui lucis habet potestatem, ut illuminentur. Quando autem illuminabuntur cæci isti miserrimi, qui magis amant tenebras quàm lucem, imò lucem uerbi Dei studio fugiunt?

Cum audissent, quod Iesus transiret, clamauerunt.] Fides cæcorum istorum, quæ à Domino in Marco & Luca commendata legitur, notanda est. Primum unde sit: deinde cuius ingenij: tertio quid posit. Vnde sit, docet Paulus cum dicit: Fides ex auditu, Rom. 10. Ita & isti cæci fidem quam animis erga Christũ conceperant, ex auditu gestorum Christi hauserant. Et ea rursus hic per auditum excitatur. Multum refert quid audiatur, quid prædicetur de aliquo. Quod si omnia nefanda de Christo ad aures cæcorum istorum appulissent, certè parum fidei erga illum hausissent. Ergo si syncera in Christum fides promouẽda est, syncera oportet sint quæ de illo prædicantur.

Deinde, cuius sit ingenij fides, apparet primum in eo, quod clamant ad Christum, in quẽ credunt, opemq; ab eo petunt, quam uniuersus mundus dare nõ poterat. Ex fide est inuocatio eius in quem creditur. Rom. 10. Quomodo inquit, inuocabunt in quem non credunt? Inuocant autem misericordiam Domini, quæ scilicet quasi sustentaculũ quoddam est fiduciæ credentis. Hanc inuocare nesciunt iustitiarij. Est etiam eius ingenij, ut quoniam magis premitur, hoc fortius sese exerat. Ita isti cæci, cum prohiberentur à turba, ne clamarent post Christum, tam aberat, ut à clamore cessarent, ut iam amplius etiam clamarent. Ita scilicet fides tentationibus crescit. Obiter autem hic notandum est in turba cæcos prohibente, ingenium rationis humanæ. Qui cæcos prohibebant, turpè putabant, mendicos homines Christo negociũ facere: quasi gloriæ illius obesset, si quicquam cum hoc hominum genere in mundo abiecto, negocij illi intercederet. Aut putabant forte cæcos stipem aliquam petere à Christo, quod erat sordidum. Vel credibile est fuisse in turba hac, qui ex eo offensi, quod Christum filium Dauidis uocabant, cõfitentes eum esse Messiach in Prophetis promissum, clamorem hunc sistere conati sint. Ita scilicet solet ratio humana in utraq; parte, uel cum sibi uidetur optimè de Christo sentire, uel dum illi aduersatur. Vbi pro Christo sentire uidetur, ibi putat homines abiectos nihil habere commertij debere cum Christo, atq; ideò obstrepit miseris & calamitosis, ubi Christum inuocant, suggerens illud: ἀπαγορευτικον. Tace obsecro. Putas aures Christi tibi sordidulo, inani pulueri, idq; peccatori patêre, cuius ne ὁμόφυλοι quidem ullam habent rationem? Vbi uerò sinistrè de Christo sentit, ibi non potest ferre synceram de Christo confessionem, atq; ibi reclamat intus & foris. Intus in ipso credentis animo mouens hæsitationem: foris ui per ministros Satanæ supprimere, tentans ueram de Christo fidem. Verũ hanc turbam fides uincit utroq; latere dexterrimè, sola perseuerantia, non cessans clamare: Domine fili Dauid, miserere mei.

Non est illi salus in Deo eius. Psal. xij.

Tertio. Notanda est etiam efficatia fidei in hac historia. Nam hoc potuit, ut Christũ clamore suo stare fecerit, solem illum ac fontem omnis lucis, nõ minore ui, q̃ olim Iosue solis cursum uoto suo remoratus esse legitur: atq; ita impetrauerit quod natura negauerat. Nã fides tua, inquit in Marco & Luca, saluum te fecit. Et hoc est quod suprà dixit: Omnia possibilia sunt credenti.

Quid uultis ut faciam uobis? Domine, ut aperiantur oculi nostri.] Quid est quod rogat quid uelint? An non uidebat eos esse cæcos? uel inde poterat scire quid uellẽt. nõ mox uisum petit qui cæcus est. Reperias hodie mendicos, qui nollent ademptam sibi calamitatẽ, in qua cum turpi ocio quæstum faciunt. Sunt & alij cæci, qui

tenebras

tenebras suas quæstus quoq; gratia amant, & lucem fugiunt. Proinde non malè rogantur cæci, quid petant. Sed dicis: Atqui non ignorabat Christus etiam hoc, uidelicet quid peterent. Vtiq;. Verum turbæ non liquebat quod rem tam magnam & uires humanas excedentem peterent, suspicata illos forsan stipem à Christo petere. Quæ fuerit fides cæcorum, declarandum erat circumstantibus. Ideò rogat, ut manifestè profiteantur quid petant, hoc est, quid fidei & fiduciæ erga eum habeant, quem tanto clamore implorabant. Nam in petitionis uel qualitate uel amplitudine liquet fidei qualitas & amplitudo. Qui parum habet fidei, parũ etiam petit. Ampliter itaq; de Christo credentes non dicunt: da nobis stipem aliquam, sed, ut aperiantur oculi nostri.

Misertus autem Iesus tetigit oculos, &c.] Non simpliciter uisum illis reddidisse scribit Euangelista, sed cum misericordia. Ergo duo hic notantur. Primum, affectus misericordiæ in Christo. Illo potiuntur quotquot dicere possunt ex animo: Miserere nostri Domine. Dicunt autem hoc, qui miseriam suam ipsi agnoscunt & deplorant, digni, quorum & Christus misereatur. Qui tenebras suas amant & lucem fugiunt, ut ipsi miseria propria non tanguntur, nec dicunt: Miserere Domine, ut aperiantur oculi nostri, ita neq; misericordia Christi potiuntur. Alterum est, potentia & uirtus Christi, qui cæcis potest uisum restituere, quæ misericordiam consequitur. Inuocemus itaq; & nos hunc Dominum, qui simul & misericors est, & potens, de quo illud in Psalmis dicitur: Tibi potestas est & misericordia.

Et secuuti sunt eum.] Indicium est animi grati. Quid autem putas illos fecisse sequendo Christum aliud quàm acceptum beneficium deprædicasse, & deum glorificasse? Ita & in Luca legitur: Et sequebatur eum glorificans Deum. Et pulchrè hic exprimitur, quem sequi debeant illuminati cæci. Eum scilicet, à quo sunt illuminati. Nam ad hoc illuminamur à Christo, ut ueram lucem, ac lucis autorem sequamur. Qui hoc non faciunt & ingrati sunt, & ad tenebras suas iterum auertuntur, dum lucem ueram non sequuntur. Nam hic non perinde ut in corporea luce, qui uisum puriorem accipit illo etiam neglecto medico uti potest, sed qui illuminatus est à Christo, ut mentis oculos puros receperit, nisi solem hunc iustitiæ obseruet & sequatur, beneficium quod accepit, ingratus amittit.

SECVNDI TOMI FINIS.

TERTIVS

TOMVS COMMENTARIORVM IN EVANGELIVM MATTHAEI,

Vuolphgango Muſculo Duſano autore.

TERTIVS TOMVS.

COntinet hic Tomus octo postrema capita, quibus Euãgelista à uicesimo primo ad postremum usq; caput consummationẽ cursus ac dispensationis Christi complexus est. Huc referenda sunt omnia quæ Christo Hierosolymis per Scribarũ, Pharisæorum, Sacerdotum ac Seniorum insidias, diuina dispositione acciderunt.

CAPVT XXI.

ET cum appropinquassent Hierosolymis, & uenissent Bethphage ad montẽ Oliuetarũ, usq; , Et cum intrasset Hierosolyma.

Historiam hãc diuidimus in
1 tres partes. Prima contineat mandatum Domini duo=
2 bus discipulis pro adducendis asinis datum. Altera, quare asinorum ministerio Dominus uti uoluerit.
3 Tertia, habeat studium discipulorum ac turbæ erga Christum exornandum.

PRIMA PARS, DE ADDVCENDIS Domino asinis.

Ite in uicum.

Εἰς κώμην. Plerique exposuerunt de Hierosolymis, quasi cõtemptus gratia urbem eam regiam uocârit uicum. Verum apparet magis intelligendum esse de uico aliquo urbi uicino, quales plerunq; urbibus adiacere solent, in quibus uehendorũ onerum gratia hoc genus animaliũ in usu habetur. Et illud: πρὸς ἀπεναντι ὑμῶν, nõ est, qui uobis cõtrarius, sed qui uobis è regione situs est.

Et statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea.

1 Duo sunt hic admiranda in Christo. Vnum quod adeò certè nouerat absens, ubi essent, et quales asini illi, quibus erat usurus. Iohan. 1. tale quid legimus. Dicit ei Nathanaël, unde me nosti? Respondit Iesus, & dixit ei: Priusquàm te Philippus uocaret, cum esses sub ficu, uidebam te. Respondit Nathanaël, & ait ei: Rabbi, tu es ille filius Dei, tu es ille rex Israël. Respondit Iesus, & dixit ei: Quia dixi: uidebam te sub ficu, credis, maiora his uidebis. Sed parum est scire locum asinorum eum, qui ipsa corda mortalium scrutatur. De Apollonio quidem talia legimus, quod res absentes procul dißitus nouerit, quod opera spirituũ immundorũ fieri potest. Nic uerò non est ut tale quid suspicetur quisquam, cum etiam secreta cordiũ Christo fuerint manifesta, quæ Satanæ sunt occulta. An ignorabit ergo Christus ouiculas suas pro quibus mori uoluit, quarum gratia in hũc mundum uenit, qui tam certo nouit, ubi locorum sint asini, quorum opera momentanea uti uoluit?

Et de Samuele & asinis Saul ex spiritu Domini. 1 Sam. 9

2 Alterum est, quod æque certo prædicit neminẽ esse asinos, quominus soluantur & abducantur, prohibiturum. Et confestim inquit, mittet eos. Et in Marco, qui ad discipulos dixerant: Quid facitis soluentes pullum? ubi audierãt quod Dominus illo opus haberet, sinebant solui & abduci pullum. Nic non solum præscientia admiranda in Christo, sed ea uirtus quoq;, qua animos mortalium in suã obedientiam potest redigere, ut sua facile resignent, ubi intellexerint ea exigi in usum Domini.

Notemus hunc locum, qui toties audimus illud per Christi ministros, Dominus opus habet pane, ueste, tecto, & id genus alijs, & tamen omnia illi negamus, qui quoniam opus habebamus, licet nec agnosceremus, nec peteremus, uitam pro nobis impendit.

Si quis aliquis dixerit, dicite: Dominus opus ijs habet, & confestim mittet eos.

Ergo non abstulit inuitis iumenta, licet esset Dominus omniũ. Iußit dicere: Dominus opus habet, non, quid ad uos? Non sunt uestri asini, sed Domini. Rationem necessitatis uoluit ostendi: deinde per eorum assensum quorum erant, absolui & adduci asinos. Alioqui non po Num. 16
tuisset dicere cum Mose & Samuële, ne asellum quidem 1 Sam. 12
cuiquam abstuli. Noluit mali exempli occasionẽ dare, licet sit omnium Dominus, & esset rex eius populi. Et Chrysost. expositione 2. dicit asinos à Domino post ingressum urbis, ad suum locum esse remissos, id quod uidetur colligere ex uerbis Christi ad discipulos εὐθέως δὲ ἀποστελεῖ αὐτούς, hoc est confestim aũt mittit eos, uel clarius in Marco, et cõtinuo illũ mittet huc, quæ exponit in hũc sensum, quod iubeat discipulos polliceri se asinos, posteaq̃ opera eorũ sit usus in eũ locũ remissurũ.

SECVNDA PARS, QVARE ASINOrum ministerio in urbẽ uehi uoluerit Dominus.

Res ipsa admonet, inquit Chrysostomus, ut quæramus, quamobrem Dominus uoluerit hoc pacto Hierosolyma ingredi cum asino, cum antea nunquàm hoc fecerit, licet aliquoties Hierosolyma uenerit. Assignat aũt
idem Chrysostomus: Primum eam rationem, quod uo= 1
luerit uitam nostram hoc modestiæ exemplo instruere. Videlicet, ut disceremus mundanæ gloriæ cõtemptum, uidentes Dominum cœli ac terræ regemq; regum tanta modestia, & submißione auspicari regnũ suum. Verum ista modestia nõ hoc tantũ facto, sed uniuersæ uitæ Christi exemplo nobis præscripta est. Deinde quod & discipulis
2 suis uoluerit qualecunq; solamen dare futuræ suæ mortis. Tertio, quod ita illi uisum sit Iudæorũ contra
3 se excitare inuidiã, & ostendere mortem se tam nõ expauescere, ut illam etiam non dubitet contra se prouocare. Quarto loco, quidã assignant pro facti huius ratione figuram ac typum uocationis gentium pariter & 4
Israelitarũ ad regnũ Dei futuræ per Apostolos. Vtpote quod per asinam subiugalem populus Israël legis oneri assuetus et alligatus, expressus sit per pullum adhuc indomitum: non alligatum sed uagum, à sarcina legis liberum, gentium populus: per duorum discipulorũ mißionem, munus Apostolicum: et numerũ binarium ministri circuncisionis & præputij, per hoc, quod ambo asini ad Christum ducti sunt, quod ambæ gentes in Christo fuerint uiuendæ. Hæc omnia suo loco consistant, nos audiamus rationem quam adducit Euangelista. uniendæ

Hoc aũt totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus uenit tibi mansuetus, & sedens super asinam & pullum filium subiugalis.

Ioan. 12. sic legimus: Hæc aũt non cognouerunt discipuli eius primũ, sed quãdo glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt, quod hæc essent scripta de eo, & quod hæc fecissent ei. Oportuit ergo adimpleri scripturam

hanc in Christo: & hæc est ratio, ob quam asino usus est. Hoc totum factũ est, inquit, ut adimpleretur quod dictũ est, &c. At interea adhuc quæritur, cur ita sit diuinitus destinatum, ut ante passionẽ asino ingrederetur Hierosolyma Christus. Ideò nanq; prædictũ est à spiritu sancto quia futurũ erat: Futurum aũt erat, quia diuinitus destinatum, destinatũ cur fuerit, uidendum est. Hoc puto ex ipsa scriptura prophetica colligi posse: nempe, quod ita uisum sit exprimere regni Christi & qualitatẽ & amplitudinem. Qualitatem, quod esset futurũ iustum, saluificum, pacificum, & in faciem humile & contemptũ. Quantitatem, quod futurũ esset amplum ac potẽs. Nam sic habent uerba Prophetæ: Exulta uehementer filia Sion, iubila filia Hierusalẽ. Ecce rex tuus uenit tibi iustus, & saluator ipse pauper, & ascendens super asinam & super pullum filium asinæ. Et disperdam quadrigas ex Ephraim, & equos de Hierusalem, & dissipabitur arcus belli, et loquetur pacem Gentibus, et potestas eius à mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad fines terræ. An eo quod subdit de armis bellicis ex Ephraim, et Ierusalem conterendis & auferendis, & pace statuenda inter Gentes. Satis apparet Christũ, tanquam pacis principẽ, cuius regnum esset regnũ pacis & iustitiæ, regnũ suum non debuisse auspicari forma & armatura bellica, equis, quadrigis & militari exercitu, sed forma tali, quæ omnino pacem præferret. Quid aũt minus ad belli apparatum, & magis ad pacis tranquillitatẽ ac securitatem facit, quàm si rex urbem regiam sub regni inauguratione, cum ingenti populi lætitia, asello inuehatur, & frondibus excipiatur, uiris stipatus ab omni militiæ strepitu alienis? Et ne putes istam regni Christi auspicandi formam in facie humilem notam habere impotẽtiæ, describitur rex uenturus iustus, saluator, & ablaturus omnem militiæ bellicæ horrorem & strepitum, è populo suo: deniq; cuius regnũ sit occupaturũ uniuersam terram. Tam abest ergo, ut iste Christi ingressus in urbem regiam cum asino, sit indicium impotentis regni, ut magis illius iam tum repræsentaret & potentiam & amplitudinem, & simul qualitatem. quod non esset futurũ iuxta formã huius seculi, sed planè uerũ, solidum, iustum, inuictum, & ciuibus suis saluificum, non temporarium sed æternum. Oportet enim sempiternum esse, quod & iustum, & pacificum, & diuinum est.

Hoc scilicet uidit propheta in spiritu, atq; ideò non simpliciter futurum prædixit: sed mentes populi Dei ad ingentẽ lætitiam et exultationẽ excitauit, dicens: Exulta uehementer filia Sion, &c. Latus hic campus est expendendæ regni huius & qualitatis & quantitatis: deinde & infinitæ felicitatis ciuium ipsius.

Sed ista ignorãtibus quæso quid uidebatur hic Christi ingressus in urbem aliud, quàm factũ quoddam stultum, ridiculum, & hominis motæ mentis? Mundus putat gloriosum esse & regale, si uideat belli apparatum, opum splendorẽ & faciem horrore plenam. Et ad hanc mundi opinionem accommodant se ij quoq;, qui uolunt uideri Christi uicarij, successores Apostolorum, & columnæ regni Christi, ab asino Christũ ad ferociã equinam retrahẽtes, & regni illius conditionẽ & gloriã in gloriã, imò uerius ignominiã, mundi huius cõmutantes.

TERTIA PARS, DE STVDIO DISCIPVLORVM, & turbæ erga Christum.

Euntes aũt discipuli fecerũt sicut præceperat illis Iesus. Et adduxerunt asinam & pullum & imposuerunt super eos uestimẽta sua, & eum super illa collocarũt. Plurima aũt turba strauerunt uestimenta sua in uia. Alij uerò cedebãt ramos de arboribus, & sternebant in uia. Porrò turbæ, quæ præcedebant & quæ sequebantur clamabant, dicentes: Hosanna filio Dauid, benedictus qui uenit in nomine Domini. Hosanna in altissimis.

Quæ hic Christo legimus à discipulis & turba facta, ad excipiendum et exornandũ eum tanquàm regem Israël, in prophetis promissum, & decorandam regni ipsius auspicationẽ, facta sunt quod testatur ipsa acclamatio: quæ partim quidem ex Psalmo centesimo decimo octauo desumpta: partim ex fide ipsorum deprompta est. Nam illud Hosanna, &: Benedictus qui uenit in nomine Domini, sumptum est ex Psalmo, ubi sic Hebraica ueritas habet. Ana domini salua obsecro, ana Domine da successum obsecro: Benedictus qui uenit in nomine Domini. Quod uerò clamabant, filio Dauid. Et in Marco, Benedictũ quod uenit regnũ, in nomine Domini, patris nostri Dauid. Et in Luca, Benedictus qui uenit rex, & pax in cœlo, & gloria in altissimis. Et in Ioanne, Benedictus qui uenit in nomine Domini, rex inquiunt, Israël. Hæc de suo protulerunt, fidei suæ testimonium & confessionem.

OBSER.

Principio obseruandum est admirabile Dei consilium, quod rudibus & abiectis hominibus, discipulis scilicet & turbæ, non ciuibus Hierosolymitanis, Scribis, Pharisæis, sacerdotibus, ad excipiendũ filium suũ & decorandum illius regni auspicium utitur, mentesq; illorum ita excitat, & tanta alacritate afficit, ut abiecto omni metu aduersariæ potestatis & excommunicationis latæ sententiæ (nam decretum erat in concilio sacerdotum & seniorũ, ut extra synagogam eijcerẽtur, & excommunicarentur: si qui hunc Iesum confiterentur esse Messiach Domini) publico clamore exciperent illum: ueluti regem suum & unctum Domini, atq; ita damnarent sententiam & perfidiam seniorum suorũ, Scribarum & Pharisæorum ac sacerdotum. Scribæ ac sacerdotes dixerant: Maledictus est, uenit in nomine Beelzebub. Isti clamant: Benedictus qui uenit in nomine domini. Scribæ, & sacerdotes cum senioribus: nos non habemus regem nisi Cæsarem. Isti: Benedictus rex Israël, & benedictum regnum patris nostri Dauid, quod uenit in nomine Domini. Illi cupiebãt hunc regem perditum & extinctum: isti precantur illi salutẽ ac prosperitatem à Deo: illi mœrebant & indignabantur: isti exultabãt, & Deo laudes decantabant. Quod aũt hæc turba fuerit nõ ex ciuibus Hierosolymitanis, sed quæ aliũde festi gratia aduenerat, uidere est in Iohanne, qui sic scribit: Turba autem

Ioan. 9

autem multa, quæ uenerat ad diem festum, cum audisset, quod ueniret Iesus Hierosolymam, acceperunt ramos palmarũ & processerunt obuiam ei, & clamabãt: Hosanna, benedictus, &c. Quid itaq; mirum si regnum Christi etiã hodie abscondatur à sapientibus huius mundi, & reueletur rudibus & despicatis hominibus? Hanc turbæ huius fidem & constantiam imitemur & nos, etiam reclamante sapientia & potentia mundi. Excipiamus & nos Christum publica fidei nostræ confessione: deinde & regnum illius cohonestemus per uitæ nostræ conuersationẽ in illis, qui ad ipsum pertinẽt, exuentes ac spoliantes nos ipsos, et uestiẽtes nuda Christi membra, &c. Tertio exultemus & nos, dum interea ringuntur aduersarij ueritatis. Quarto precemur prosperitatem ac successum regno Christi. Postremo demus in his omnibus gloriam Deo.

Deinde, notandum & hoc, quod turba ista tam commode ex Psalmo, Christo acclamationem texuit, unde liquet quod in usu habuerit exercitium Psalmorum, ut & Hieronymus in laudibus Bethlehem commemorat, dicens: Hic arator sliuam manu tenens cantat aliquid Dauidicum, &c.

Et cum intrasset Hierosolyma, cõmota est uniuersa ciuitas, dicẽs: Quis est hic? Turbæ autem dicebant: Hic est Iesus ille propheta à Nazareth Galileæ.

Non est mirum quod ad nouitatem spectaculi ciuitas commouetur, id quod plerunq; fieri solet, ubi curiositas regnat in populo. Sed hoc mirum est, quod ciuitas hæc regia & primaria, in qua sedem habebat cultus dei & autoritas sacerdotum, Christum in prophetis promissum, totq; iam miraculis declaratum: tam ignorat, ut roget nunc tandem, quis iste sit, quem tanto honore turbarum & congratulatione publica urbem uidet ingredi, cum uiceuersa etiam si turbæ agrestes illum non agnouissent, hæc ciuitas agnoscere debuisset. Tam scilicet incognita est etiam hodie ueritas Christi illis locis, ubi regnat mundi sanctimonia & sacerdotalis obstinatio, ut perinde atq; isti ad adultum uerbi Christi dicant: Quæ est ista doctrina? Illud autem, quod turbæ dicunt: Hic est Iesus à Nazareth propheta quomodo conuenit cum eo quod clamauerant in descensu montis: Benedictus qui uenit rex in nomine Domini, & benedictum regnum patris nostri Dauid. Et Hosanna filio Dauid? Amplius enim quid habebat illa acclamatio, quàm ista turbæ responsio. Credibile est fidem turbæ huius quæ cum Christo Hierosolymam ingrediebatur non solum imperfectam adhuc, sed & imparẽ fuisse, Imperfectam, quod prophetam tantum esse dicunt è Nazareth, cum esset uerus Christus. Imparem, quod alij iam clamauerant illum esse regem Israël, filium Dauid, & aduenisse iam regnum Dei. Vel certè non simpliciter de quouis prophetarum genere loquutæ sunt, sed de eo qui erat Israëli specialis promissus, Deut. 18. quem locum & apostolus Petrus Actorum tertio de Christo induxit, ut nihil hoc sensu aliud de Christo dicant, quàm quod in montis descensu clamauerant.

Et intrauit Iesus in templum Dei, & eiiciebat omnes uendentes & ementes in templo, mensasq; numulariorum & cathedras uendentiũ columbas euertit. Et dixit: Scriptum est, Domus mea, domus deprecationis uocabitur. At uos, fecistis illam speluncam latronum. Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanauit eos.

Intrauit in templum Dei.] Exemplo hoc admonemur quod sit ingenium filij Dei, pro gloria patris sui ex animo zelantis. Statim ingreditur in templum Dei, eum uidelicet locum qui diuinæ gloriæ cõsecratus erat: ut ostendat se nihil aliud quærere quàm gloriam patris. Et debebat prima cura esse episcoporũ, deinde omnibus quoq; dictũ est: Primũ quærite regnũ dei et iustitiã eius. 2

Eiiciebat omnes uendentes & ementes,] Auaritia & quæstus irrepserat in templum, sub prætextu promouendi cultus Dei, quem collocabant in oblationes & sacrificia. Nam hoc nomine uenum exponebant in templo eas pecudes, quæ solebant offerri & mensas statuebant numularias, ut in promptu haberent aduenæ commutata pecunia, quod emerent & offerrent. Hoc tam non uidebatur reijciendum in oculis sacerdotum, ut hoc magis placeret, quò magis hinc ad quæstum faciebat, illinc compendium cultus Dei præferebat. In templum itaq; ingressus Christus, hanc fecem omniũ primo expurgat, eijciens uendentes & emẽtes, & mensas numulariorũ & cathedras uendentiũ columbas euertens. 3

Declarauit hoc facto Christus, quàm displiceãt sibi, quanq; non sint ferendi in Ecclesia, qui sub specie pietatis quæstum exercent. At qui hoc faciũt in precio sunt in hoc mundo, ut & illi erant. Verum experientur aliquando adumbratam hic diuini iudicij seueritatem. 1

Quod statim urbẽ ingressus malũ hoc eijcit ex templo, quũ tamen absq; dubio multa scelera obtinuerint in ea urbe, quæ tamen intacta relinquit. Admonet nos ea quæ gloriam Dei propius concernunt, ante omnia esse repurganda. Idq; duplici nomine. Primo, quod nullum malum æque sit exosum Deo, atq; id quod specie nominis ac cultus sui obtegitur. Altero, quod nullũ sit nocentius, ut rectè Chrysostomus expositione secunda dicat: Quemadmodũ ex tẽplo dei ritè uidelicet disposito, omne bonũ, ita ex corrupto omne malũ procedere esseq; eum locũ instar stomachi in corpore, unde cibi uel boni uel noxij, uel bene uel male cocti, in reliquũ corpus digerantur, & uel sanitatẽ ac uitam, uel morbos & mortem adferant, ideoq; Christum uelut prudentem medicum primum stomachum curasse. 2

Quod aũt templũ hoc iam secundo repurgat (nam & antea semel idem feciſſe legitur Ioan. 2.) documento est, q̃ sit hoc quæstus & auaritiæ malum in cultu Dei, si semel obtinuerit, pertinax et immedicabile. Nam eo est ingenio ut planè excæcet mentes sacerdotũ, ut nõ sustineãt agnoscere ueritatẽ domini, nec admittãt ullã emendationẽ quod istorũ sacerdotũ exẽplo manifestè liquet. 3

Quod non solum uerbo, sed & ipso facto exturbat quæ displicebãt in tẽplo dei, licet sciret breui & urbem perituram & templum, ut & flendo illius excidium in 4

descensu montis Oliuarum deplorauerunt, adeoq; frustra cessura hæc omnia propter sacerdotum cæcitatem & pertinaciam, & ipsam auaritiam in cordibus illorũ hæsuram, ut ut externe eam eijceret ex templo. Docentur qui in Ecclesia potestate à Deo data potiũtur, quàm non solum doctrina, sed & facto, debeant purgare Ecclesias Christi, etiamsi sciant illarum corruptionẽ, superstitionem et idololatriam, & quæ huiusmodi sunt alia radices suas in cordibus reproborũ obtẽtura. Ad hæc quo debeant hoc serio & seueritate facere, cum Christus omnium mitissimus tantum hic zeli Dei in templo mox perituro ostenderit, ut nusquam tale quid fecisse legatur. Tali seueritate & Moses, & ipse mitis alioqui, contra uitulum & illius cultores usus est.

Et dixit scriptum est, domus mea, &c.] Rationem reddit facti sui. Eam declarat inducto primũ domus Dei fine & recto usu: deinde subiecto illius intolerabili abusu. Quis sit usus domus Dei, ostẽdit per locum Esaiæ cap. 56. cum dicit: Scriptum est, Domus mea domus precationis uocabitur. Abusum illius opponit, cum subiungit: Vos aũt fecistis illam speluncã latronũ, quod & ipsum ex prophetica scriptura desumptũ est: nempe Hiere. cap. 7. Ergo hoc nomine eiecit ex tẽplo uendentes, & ementes, & numularios, quod domũ Dei, quæ domus est precationis, uerterant sua negociatione in speluncam latronũ. Quærendum itaq;, quomodo latronum fecerint speluncam, ex domo Dei, cum neminem in illa trucidauerint. Latro hic sumitur pro spoliatore ac deprædatore. Is speluncæ tenebris sese abdit, & uias occultè obsidet, ut transeuntes adoriatur nihil minus cogitantes. Ita qui in domo Dei quæstum exercẽt, specie cultus Dei sese obtegũt, ut inde ueluti ex insidijs simplicem plebeculam adoriantur ac spolient. Vt enim latronem occulit speluncæ obscuritas, ita hypocrisis & species cultus Dei istos auaros & latrones obtegit, ne agnoscantur. Alioqui quis obsecro speluncam esse latronũ agnoscere potuit templum illud tam sacrosanctum, tam magnificum ac splendidum, in quo nihil aliud prætexebatur, q̃ ipsissimus cultus Dei, & præcipui cultores Dei?

NOTANDVM.

Admonemur ergo hoc loco quàm non sit ferendũ, ut domus Dei in alium usum cedat, quàm in quem est instituta. Hoc tanto serio curandum docuit Christus, ut nec uasculum aliquod transferre per templum permiserit, Mar. 11. Duplex est abusus eorũ locorũ qui ad gloriam Dei consecrati sunt: unus est ad dexteram, alter ad sinistram. Ad dexteram, si obtineat in illis superstitio, hypocrisis, falsus cultus, falsa doctrina, quæstus & auaritia, per quæ omnia uertuntur in speluncas latronum. Alter, ad sinistram est, quando in contemptum rapitur & temeritatem, ut absq; ullo timore Domini perinde in illa atq; prophana alia loca coëatur, transcurratur, & pleraq; uana importentur. Per primum abusum locus precationis uertitur in speluncam latronũ. primũ per falsam doctrinã & cultum Satan animas mortalium prædatur: deinde quod sacerdotes aucupãtur turpem quæstum. Per alterum prophanatur & in publicum ludibrium hominum quibus omnis religio ridicula est rapitur. Vtrunq; hac historia reprobatũ à Christo legimus.

Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanauit eos.] Ex Marco, Luca & Ioanne liquet quod in templo docuerit populum. Hic noster adiungit & miracula. Quanquam & Ioannes meminit in genere miraculorum. Oportebat enim accedere testimoniũ diuinæ uirtutis, quod acclamationem turbæ & puerorum confirmaret, & maius esset quouis humano testimonio. Ioan. 12. quoq; legitur, uox de cœlo ad ipsum esse facta.

Testabantur autem hæc signa adesse saluatorẽ, iuxta uaticinium Esaiæ prophetæ cap. 35. quod sic habet: Dicite pusillanimis nolite timere. Ecce Deus noster ultionem adducet retributionis, Deus ipse ueniet & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorũ, & aures surdorũ patebũt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum, &c. Ita uidelicet uoluit Deus omnem excusationem isti populo adimere.

Cum uidissent principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia quæ fecerat, & pueros clamantes in tẽplo, ac dicentes: Hosanna filio Dauid, indignati sunt ac dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Iesus aũt dixit eis: Etiã. Nunquàm legistis: Ex ore infantium ac lactentiũ perfecisti laudem?

Ita & de Pharisæis in Luca legimus, quomodo ad Christum acclamationem discipulorum non ferentes dixerint: Magister increpa discipulos tuos. Quibus tum respondit: Dico uobis quòd si hic tacuerint, mox lapides clamabunt. Q. d. Tam mox apertum erit ac conspicuum, quis sim, ut etiam si homines pergerẽt esse instar lapidũ insensati, lapides tamen sunt agnituri me, & testaturi quis sim. Proinde nihil agitis, qui conamini obstruere ora simplicium, in me credentium.

Iam in templo idem faciunt principes Sacerdotum & Scribæ, turpè putãtes, quod tacendo agnoscerent acclamationem puerorũ ad se non pertinentẽ, ideoq; confidenter dicũt: Audis ne quid isti dicunt? Putabant enim tam palam ad ipsum non pertinere talem acclamationem, ut non sit opus ulla probatione, sed tantum admonitione, ut audiat & audiens prohibeat.

Videmus hic quanta sit cæcitas eorum qui quæstum ex pietate aucupãtur. Vident signa ingentia, & tamen nihil inde ad fidem mouentur, illuminantur cæci corpore, sed non illuminantur cæci mente. Quid ergo & hodie sperandũ est aliud ex illis, qui pari ratione ex domo Dei faciunt speluncam latronũ? Si Christus ipse adesset, & eadẽ faceret, quæ tum faciebat, nullis miraculis hoc hominum genus cæpto auerteret.

Notanda est etiã insignis sacerdotum malicia, in eo quod de signis quæ uiderant nihil dicũt, sed calumniam struunt ex puerorũ acclamatione, cum tamen absq; dubio peius eos haberet splendor ille signorum, quàm uox puerorum: nam signa fortius testimoniũ Christo dabãt, quanquam quod pueri clamabãt. Cur ergo non dicunt: ut quid & qua uirtute ista signa facis? cũ tamen in corde dicerẽt: Per Beelzebub ista facit? Quod apertius erat in oculis populi, hoc non attingunt, ne inuidentiam suam apertius prodant, & quod obscurus adhuc uidebatur,

nec

nec dum adeò multis persuasum: uidelicet, quod pueri illum uocabant filium Dauidis, hoc calumniantur: idq; eo consilio, ut per hanc calumniam quasi quendam fœtorem miraculorum fragrantiam, quam ferre non poterant, corrumperent, & hoc ueluti fumo solis radios obscurarent. Hæc est Satanæ perpetua uersutia, qua etiamnum utitur contra Euangelij doctrinam, ut falsis ac confictis calumnijs lucem ueritatis, quasi nebula quadam abscondat.

Iesus autem dixit eis: Etiam. Nunquàm legistis.] Potuisset dicere uicissim: Videtis ne quæ ego facio? Calumniamini quod pueri clamant: quid autem de miraculis sentitis quæ ego facio? Mentiuntur pueri? Quid ergo clamant miracula? Clamant miracula quod sim promissus Christus? cur ergo calumniamini testimoniũ puerorum? Verum mauult uocem puerorum tueri testimonio scripturæ, & conuincere hostes suos immensæ cæcitatis, qui etiam scripturæ uocẽ non agnoscant, cum tamen de illius scientia plurimũ gloriarentur, & simul nobis id documenti dare, ut fidem scripturæ omnibus miraculis præferamus.

Adducit autem locum ex Psalmo octauo, in quo Propheta celebrat admirabilem bonitatem Dei erga humanum genus declaratam, quæ potissimum quoq; in eo relucet, quod paruulis & rudibus iuxta dictum Christi Matth. 11. cognitionem suam reuelat, & ad nominis sui gloriam deprædicandam illos, neglectis sapientibus ac potentibus, imò ad illorum confusionem, excitat. Cum ergo id ipsum coram tum gereretur in templo clamantibus pueris, indignantibus autem & reluctantibus gloriæ dei sacerdotibus & Scribis, aduersarijs dei, omnium commodissimè hoc Dauidis dictum conspicuè adimpletum in eos torquet.

Admirabile consiliũ Dei, quod cum magnates huius seculi cupiant laudari ac celebrari à magnis & nominatis uiris, ipse contra laudẽ amplectitur paruulorũ & abiectorũ. Admoneamur hoc exemplo, ut & nos mutemur in paruulos, ut possimus ex ore nostro proferre laudem dei, ad cõfusionẽ sapientiæ et potẽtiæ mundi huius, & paruulos quoq; nostros singulari studio ad laudẽ dei, dum abest omnis fucus & hypocrisis, instituamus.

Et relictis illis exijt è ciuitate in Bethaniam, & diuersatus est illic.] Chrysostomus assignat rationem, quod noluerit illis ante tempus occasionem dare, ut manus in se conijcerent. Atq; ideò nulla nocte in ciuitate mansit, præter eam, in qua capiendus erat. Egreditur autem in Bethaniam, ubi Lazarum suscitauerat, & fideles habebat Martham ac Mariam, malens cum illis agere, quàm in urbe corrupta.

Mane aũt cũ rediret in ciuitatẽ, esuriit. Et cũ uidisset ficũ arborẽ unã in uia, uenit ad eam, et nihil inuenit in ea, nisi folia tantum. Et ait illi: Ne posthac ex te fructus nascatur in æternũ. Et arefacta est continuo ficus. Et eo uiso discipuli, mirati sunt dicentes: Quomodo continuo exaruit ficus? Respondens aũt Iesus, ait eis: Amen dico uobis, si habueritis fidẽ, & non hęsitaueritis, non solũ hoc quod accidit ficui facietis, uerumetiam si monti huic dixeritis: tollere, & proijce te in mare, fiet. Et omnia quæcunq; petieritis in deprecatione credentes, accipietis.

Mane autem cum rediret in ciuitatem.] Luc. 21. legimus Christum per diem fuisse et docuisse in templo, noctu uerò in monte. Et populum ad illum diluculo uenitasse in templum, ut illum audiret. Huc igitur referendum est quod hic noster dicit: Mane autem cum rediret in ciuitatem: uidelicet, ut in templo doceret populum. Quanto enim accelerabat tempus passionis, tanto feruentius instabat doctrinæ populi, ut qui boni erant, non nihil corroborarentur ac præmunirentur. (Fuisse aũt multos apparuit etiam in ipso exitu ad crucem. Luc. 23. ubi legitur multa turba cum mulieribus flentibus ac lamentantibus illũ esse sequuta.) & hostibus ueritatis omnis adimeretur excusatio, iuxta illud: Si non uenissem & loquutus illis fuissem, peccatum non haberent.

Admonemur ergo hoc exemplo Christi, quàm non sit præter rationẽ prædicare uerbũ Dei, etiam eo loco & tempore, ubi omnia uidentur deplorata, ut tum uidebantur Hierosolymis. Nam primum non est credendum prorsus omnes esse deploratos, sed aliquos adhuc superesse sperandũ est, in quibus ueritas locum habere possit. Deinde, etiamsi nemo prorsus esset, cui ueritas ad salutem prædicari possit: admittur tamen impijs omnis in posterum excusandi occasio, id quod plurimum facit ad iustificationem iudiciorum Dei.

Esurijt. Et cũ uidisset fici arborẽ unam in uia, &c.] Videntur ista in faciem absurda quædam habere. Primum, quod dicitur mane in itinere esurijsse tam breui et compendioso. Nam ipso mane in templo docuit, quod argumentũ est exigui spacij inter Bethaniã & Hierosolymam. Deinde quod fructũ ex ficu petijt, cum non esset ficorũ tempus, ut est in Marco. Tertio quod arbori maledixit eius nomine, quod ficos non haberet, cum interpestiuè illos ab ea requireret. Proinde res ipsa innuit aliud spectasse Christum hoc facto. Chrysostomus dicit Euangelistas magis expressisse quid uisum sit Apostolis, q̃ quid Christus reuera egerit. Videbatur esurire cũ ad ficũ properaret, putabantq; discipuli ob id illũ ad ficũ declinare à uia, ut ficos ederet, & hoc expresserunt Euangelistæ: cur aũt Christus hoc fecerit, nõ expresserũt.

Quid aũt spectârit hoc facto Christus non omnibus idem uidetur. Chrysostomus in prima expositione putat totum hoc factũ esse propter discipulos, ut intelligerent Christũ nisi sponte uellet pati, hostes suos omniũ facillimè punire et ad nihilũ redigere posse: deinde ut forti animo insidias hostiũ cõtemnerent, et in credendo et precando firmius figerentur. Videtur aũt respicere ad responsum Christi, in quo de fidei potentia instruuntur discipuli, unde sanè rectè ista possunt colligi, quæ Chrysostomus tradit. Reliqui confugiunt ad allegoriã. Et certè factũ ipsum, nihil ferè aliud q̃ allegoriam loqui uidetur. Hic esuries Christi, desiderium est salutis nostræ & glo-

riæ patris. Nam cibus illius est, uoluntas patris, Ioan. 4. Esurit autem & expetit hunc cibum mane. Nam ista esuries primaria est in filio dei. Sic nos iubemur primum quærere regnum Dei & iustitiam eius. Ficus ista est Ierosolymæ, ad quam ibat. Folia habet & præterea nihil. Procul constitutis apparet frugifera, quia humida satis ac uiridis, propè uerò intuentibus & fructũ ex ea quærentibus deprehenditur sterilis & infrugifera. Sic Hierosolyma specie uiridis, fuco sanctimoniæ & cultus diuini conspicua, reipsa omni cultu Dei & pietate destituta, uisitata toties, ante Christum quoq; à prophetis, semper inuenta est sterilis, nihil habens nisi hypocrisæos folia. Maledicitur à Christo: nam ea est iusta pœna sterilitatis deploratæ. Maledicta arescit, amissis foliis, contemptu & igni exposita. Hac scilicet imagine declarare uoluit Christus primum quid tum esset Hierosolyma: ficus uidelicet succulenta quidem, uiridis, & probè foliata. Verum iuxta fidei ac pietatis fructu destituta: deinde quid illi breui futurum esset: nempe, ut maledicta arescret in sempiternum, & arefacta exterminaretur, id quod & breui postea factum est, & etiamnũ factum esse constat, nec ulla spes est restitutionis. Dictum enim est: Nunquam nascatur ex te fructus in sempiternum: uel ut in Marco est: Ne posthac quisquam fructum ex te edat in sempiternum.

OBSER.

1 Principio, notandum est in hoc Christi facto, quod ad allegoriam attinet, quid à nobis requirat Christus, salutem nostram esuriens: uidelicet bonæ arboris fructus. Fructus fidei, & charitatis. Non est contentus arboris nomine, quod ficus uocatur, nec specie, quod uiridis est, succulenta et bene foliata, sed fructus quærit. Atq; adeò populum suum nunquam ei arborum generi comparat, quod sit ἄκαρπον, sed quod sit καρπιμον, ut sunt: uitis, oliua, & ficus, ut ostendat se uelle populum frugiferum non sterilem & inanem. Expendamus iam qualis arbor nos simus, quod ad nomen attinet & speciem. Christiani uocamur & uidemur, nec possumus alio nomine uocari: deinde arbor sumus alte radicata & bene adulta: quod attinet ad temporis prolixitatem quo plantati sumus, & succus adest, sed tantum luxurians in foliis. Verum uel nihil uel parum est fructus, & quod est, immaturum est & acerbum.

2 Videmus in hoc Christi facto, quod sit iudicium talis arboris quæ deplorate pergit esse sterilis. Maledictioni scilicet obnoxia est, quæ est ut nunquam ex ea fructus nascatur. Et iudiciũ hoc omnino iustum est, licet in speciem uideatur iniustum. Iniustum autem non est, quia non abstulit illi fertilitatẽ, quam non habebat: & iustum est, quia in eo condemnata est ut esset perpetuò, quod alioqui deplorate erat. Licet enim arbori isti non esset tempus frugum, cum malediceretur à Domino, hæc tamen arbor quæ significabatur, diuersa ratione perpetuò debebat ferre fructus, quod perpetuò recusabat. Et ne quis putet arbori à domino factam iniuriam, eò quod intempestiuè fructum ex ea quæsierit Dominus, crediderim fuisse non tum solũ, sed etiam tempore fructuum sterilem, ut potuerit plena figura esse eius arboris: uidelicet Hierosolymæ, quæ iam iam erat maledicenda & perdenda. Quemadmodum itaq; nec Iudam coëgit malum esse, cum dicebat: Quod facis fac citius, sed quod agebat planè, agere permisit. Posteaquam cœpto non poterat amoueri, ita & hic utriq; arbori non dedit causam sterilitatis, sed in ea in qua erat utraq;, utranq; confirmauit. Posteaquam neutra cuius gratia facta erat, & omnia habebat, & nomen, & radices & succum terræ & folia, præstare sustinebat. Innuitur ergo hoc facto, nihil esse deploratius impietate fucata, cuius immutationem nemo sapiens sperabit. Quis credet arborem tanto studio cultam, tam adultam, tam succulentam, cui nihil desit eorum quæ ad fertilitatem faciant, si pergat esse sterilis, fertilem aliquando fore? Ita scilicet & hodie, quemadmodum & tum conspicuè demonstratũ est in arbore Hierosolymitana, qui & nomine et schemate uidentur esse cultores Dei, iusti & optimi Christiani, cum interea fructu sint destituti, quem quærit dominus, absq; ulla spe resipiscentiæ in malo pergunt, maledictioni obnoxij.

In eo quod ficus confestim aruit, uidemus quid male- 3
dictionem Domini sequatur, & quantæ sit efficatiæ. Sequitur enim arefactio, etiam si sit succulentissima arbor & splendidissima. Arbor autem arefacta iam iam excidenda ad ignem destinatur. Et hoc quoq; iustissimo Dei iudicio fit, ut & succum & folia amittat arbor, quæ specie sua & uiriditate decipit incautos, ne hoc porrò faciat. Res ipsa in Iudæis docet, qualis sit ista arefactio. Nã spoliati sunt & succu & foliorũ splendore, ubi & Prophetis & sacerdotio, & cultu Dei, & regno priuati sunt. Cogitet hic nostra ficus, si naturalibus ramis non pepercit, &c. Horrendissimum itaq; est maledictionis huius iudicium, quod dicit: Nunq̃ ex te fructus nascatur inæternũ: licet impijs ridiculũ sit & lusus, etiamsi nullũ unquam dent pietatis fructum, cum id uerè sit esse maledictum, ut contra, frugiferũ esse, benedictum. Verum experientur uim huius maledictionis, ubi senserint arefactionem, irrisionem ac probrum sempiternum, cum igne sempiterno.

Notandũ est & hoc, quod horrendũ hoc iudicium 4
ob oculos ponit, & ostendit non statim in illis, qui illi erant obnoxij, sed in arbore, quemadmodum & suprà 8. fecit in porcis cum posset hoc facere ipsi Hierosolymæ æque ac arbori isti. Verum relinquit hominibus locum resipiscentiæ, iuxta parabolam ficus, Lucæ 13. atq; ideò quod in ficu reipsa demonstrauerat, hoc postea uerbis proposuit primoribus Hierosolymæ, ut infra audiemus. Huiusmodi typi in rebus inanimatis & animantibus brutis plerunq; nobis etiam hodie ob oculos exponuntur, ut ad resipiscentiam admoneamur et discamus in illis, quid nobis, si uoluerimus esse impœnitentes, sit expectandũ.

Respondens autem Iesus ait eis: Amen dico uobis, si habueritis fidem.] In Marco uidere est, quando discipuli uiderunt ficum arefactam: nempe postero die, cum iterum mane peteret Hierosolymam Christus, & quomodo huius sit admonitus à Petro.

Quod Christus respondit de fidei potentia, & non de mysterio quod agebatur, ex prudẽtia spiritus factum est,

Nequaquam Apostoli de facti ratione quærebant, sed potentiã admirabãtur

est, quæ omnia ad utilitatem audientium moderatur. Satius erat? hoc facto discipulos admonere quæ sit fidei uirtus, ut eam obnixè peterent, quàm quid factum hoc mysticè signet exponere, quod postea illis fecit, quorum hoc scire intererat. Quæ hic notanda sunt de fidei potentia, suprà uide capite 17. in historia pueri lunatici, ubi eadem habentur. De eo uerò quod dicit: Et omnia quæcunq; petieritis in deprecatione credentes accipietis, uide suprà capite sexto.

Et cum uenisset in templũ, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum ac seniores populi, dicentes: Qua autoritate hæc facis? & quis tibi dedit istam autoritatem?

Extra ciuitatem quoq; lucem Christi ægrè ferebat cæcitas Sacerdotum, Scribarum, Pharisæorum, ac Seniorum populi. Verum in ipsa iam ciuitate, idq; in templo resplendentem & omnia occupantem, nullo pacto ferre potest. Videbant miraculorum splendorem, populi feruorem erga Christum, sentiebant quandam autoritatem docentis & templum repurgantis, ex quibus omnibus nihil expectabãt aliud quàm autoritatis ac potestatis suæ cõtemptum, & pristinæ gloriæ obscurationem. Ex consilio itaq; & de composito obuiam ire conantibus Christi statuunt, occasionem calumniæ uenantes, quoniam apertè nihil audebant.

Qua potestate hæc facis?] Non audebant de doctrina rogare coram populo: quoniam à populo cupidissimè tanquam cœlestis audiebatur, nec miraculorum splendorem culpare: nam ille omnino diuinam exprimebat uirtutem, ideò relictis doctrina et miraculis, alia uia calumniam struunt. Videbant hominem, quod ad seculum attinet, nec principalem aliquam, nec sacerdotalem potestatis formam habentem, magnifica ista gerere, quæ si quis citra autoritatem gerat, meritò temerarius & seditiosus habeatur, atq; hinc putant in speciem calumniæ ansam apprehendi posse. Veniunt igitur magno apparatu & potestatis ostentatione principes sacerdotum, Scribæ, & seniores populi, ut ipse conspectus sublimium personarum potestatem supra populum habentium, calumniæ intentatæ patrocinaretur.

Habebat autem ista interrogatio suos laqueos utrinq; paratos, ita ut uel blasphemus in Deum argueretur, si diceret se potestate Dei suffultum ista facere. (Nam hic poterant dicere: Blasphemus es in deũ, quod homo cum sis, usurpas tibi diuinã autoritatem) uel seditionis nota premeretur si propria autoritate se uti responderet, ubi respondere potuissent. Quoniam igitur citra diuinam, deinde & ordinatam potestatem, quæ nobis est à Deo data, ista facis: liquet quod seditiose agas, atq; ideò non ex Deo sed ex Satana fiant hæc omnia quæ doces & facis. Huc scilicet tendebat captiosa ista interrogatio: Qua potestate hæc facis? Et quis dedit tibi istam potestatem? Et certè quæstio ista, licet erga Christum instituta fuerit summè impudens, maximè ab istis instituta, qui ipsi suum officium non obibant, plurimum tamen roboris habet in se, si meritò alicui obijciatur. Nam non solum coram Deo, sed & communi mortalium sensu ita habet, & necessitas quoq; seruandæ εὐταξίας, hoc exigit, ut nemo quicquam publicè tentet ex propria potestate, ut qui hoc fecerit, meritò tanquam temerarius & seditiosus coherceatur & condemnetur, nec ratum habeatur, quod per seditionem instituitur. In huius itaq; temeritatis suspicionem Christum publicè docentem et templum repurgantem rapere conantur, freti illius uilitate, quod nullam haberet alicuius publicæ autoritatis personam & formam.

OBSER.

Expressum est hoc loco exemplum malorum pastorum, qui in populo Dei non gloriam Dei, sed suam: non ædificationem populi, sed suum quæstum quærunt: quibus non satis est, quod ipsi potestate sua non utuntur ad præscriptum finem, ut pascant oues Dominicas, nisi & alios hoc facientes impediant. Sicut alibi dicit Christus: Claudunt regnum cœlorum ante homines, ipsi non intrantes, nec alios intrare sinentes. Triplici nomine damnandi. Primum quod officium nõ præstant: deinde quod etiã impediunt, ne quod ipsi debebãt facere ab alijs fiat: tertio, quod ad id utũtur titulo potestatis à deo acceptæ.

Respondens autem Iesus, dixit eis: Interrogabo uos & ego quiddam: quod si dixeritis mihi, & ego uobis dicã, qua autoritate hæc faciam. Baptismus Iohannis unde erat? è cœlo, an ex hominibus? At illi cogitabant apud se, Si dixerimus è cœlo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Sin autem dixerimus ex hominibus, timemus turbam. Omnes enim habent Ioannem, ut prophetam. Et respondentes Iesu dixerunt: Nescimus. Ait illis & ipse: Nec ego dico uobis, qua autoritate hæc faciam.

Astutia illorum intellecta Dominus non simpliciter ad quæsita respondet, quia non interrogabant simpliciter ut discerent, sed ut respondentem illaquearent. Verum ut clauum clauo trudat, quæstionem quæstioni opponit, ut astutos in astutia sua comprehendat & confundat. Et hoc est quod dicit: Interrogabo uos & ego. Q. d. Quandoquidem laqueum mihi quæstione hac parastis, utar & ego eadem interrogandi ratione, ut par pari referam, ut digni estis, & arte eludam.

Admonemur ergo isto Christi exemplo, non esse absonum à pietatis proposito, ut contra astutos, malignos & captiosos ueritatis hostes, cauti simus non simpliciter ad omnia quod res est respõdentes: sed magis responsionem ita temperantes, ut primum captiones illorum eludamus: deinde illos in ipsorum malicia comprehendamus & confusioni exponamus.

Et ista duo Christus hinc usq; ad finem capitis agit suis interrogationibus. Primum eludit calumniam intentatam per oppositam quæstioni quæstionem. Deinde isto non contentus in lucem exponit illorum maliciam, addens de iudicio Dei, quod breui futurum erat in hostes istos ueritatis.

Baptismus

Baptiſmus Iohannis è cœlo eſt.] Quare non dixit: Opera quæ ego facio, an è cœlo ſunt uel ex hominibus? Potuiſſet eadem ratione miracula ſua illis obijcere, qua de baptiſmo Ioannis quæſtionem mouit. Verum malebat iſtorum hominum maliciam, ubique ſibi ſimilem, in alio quàm in ſe declarare, & conſpicuum reddere quàm nõ in ſe ſolo impugnando tales ſint, ſed & in alijs eandẽ maliciam demonſtrauerint: nempe in Ioanne Baptiſta, in quo nihil potuerunt culpare, cuius tamen doctrinam & baptiſmum reiecerant, ut nihil mirum ſit ſi & hic idem faciant. Cum ergo omni populo perſuaſiſſimum eſſet, Ioannis baptiſma fuiſſe de cœlo, ipſumq; Prophetam à Deo miſſum omnes indubitato crederent, ideoq; baptiſmum illius ſuſcepiſſent: Sacerdotes uerò, Scribæ, & ſeniores populi contempſiſſent, ut uidere eſt Lucæ 7. ubi conſilium Dei ſpreuiſſe dicuntur. Commodum præſente populo Chriſtus hanc ipſorum peruicaciam refricaturus iſtam quæſtionem obijcit, ut impoſturam ipſorũ detegat, qua uolebant uideri zelo quodam duci cuſtodiendi populi, ne aliena doctrina ſeduceretur per eos, qui à deo nihil habeant poteſtatis, atq; ita fungi officio ſuo ueluti uigilantes paſtores, quorum & reſiſtere ſeditionibus et temerarijs motibus, cum nihil aliud quàm ſuam ipſorum gloriam quærerent.

Si dixerimus è cœlo, dicet nobis: Quare ergo non credidiſtis illi?] Tria pericula continebat quæſtio Chriſti, in quorum unum illos incidere neceſſe erat, niſi per impudentiam prorſus nihil reſpondere uoluiſſent. Nam aut dicendum erat: E cœlo, aut, ex hominibus, aut neſcimus. Si dixiſſent: è cœlo. periculum erat repræhenſionis, cur illi non crediderint. Si uerò, ex hominibus. periculum erat à populo, ne ut in Luca eſt, lapidarentur à populo. Nam omnes Ioannem habebant pro propheta, ideoq; baptiſmum illius ſuſceperant. Reliquum erat ergo ut dicerent: neſcimus, quod & dixerunt, ſiue falſo ſiue uerè, certè non ſine turpitudine. Quomodo enim ſoli ſine turpitudine ignorare potuerunt, unde ſit, quod uniuerſus populus pro cœleſti conſilio amplexus erat, cum ipſi talia cum primis tanquàm oculi populi cognoſcere debuerant? Verum maluerunt ignorantiæ ſubire turpitudinem, quàm tales uideri, qui ſcienter conſilium Dei ſpreuerunt: uel ſi hoc fugerent, in manus populi incidere.

OBSER.

Vide qualis deprehendatur hic impia illa aſtutia, ſiue mauis aſtuta impietas. Hic nullus eſt metus dei. Non dicũt: Si dixerimus è cœlo: mentiemur. aut ſi dixerimus: ex hominibus, mentiemur, et peccabimus contra deum. Sed cauent opinioni & uitæ ſuæ. Opinioni, dicentes: Si dixerimus è cœlo, dicet nobis: quare ergo non credidiſtis ei? Ecce agnoſcunt & impij iſti repræhenſione dignum eſſe, ſi quis credat doctrinam eſſe ex Deo, illamq; tamen non appræhendat et ſequatur. Neq; enim ſatis eſt ſcire, ex deo eſſe aliquid, niſi illi et obtemperetur. Vitæ ſuæ, ubi dixerunt: Si dixerimus ex hominibus timemus turbam. Hæc duo uitia cognata ſunt impietati: nempe, ſtudium inanis gloriæ, & metus non Dei, ſed mortaliũ.

Nec ego dico uobis.] Debebat ex ordine & ratione oppoſitionis dicere: Nec ego ſcio, ex qua poteſtate hæc faciam, quia ipſi dixerant: Neſcimus unde fuerit baptiſma Iohannis. Verum non ita dicit, ſed: Nec ego dico uobis, id quod duabus de cauſis factum eſt. Primum quia mentiri non poterat. Sciebat enim qua iſta autoritate faceret. Deinde, quia ſciebat illos non ſimpliciter reſpondiſſe: neſcimus, ſed ſtudio ſimulaſſe ignorantiam, noluiſſeq; magis quàm non potuiſſe quod rogati erant reſpondere. Huc itaq; aptat reſponſionem ſuam magis quàm ad uerba ipſorum. Q.d. Poſtquam nõ uultis quod ſcitis reſpondere, nolo & ego ad hoc reſpondere, quod rogaſtis. Nam ita pactus erat, dicturum ſe qua poteſtate uteretur, ſi ipſi dixerint, unde fuerit baptiſma Ioannis.

Quíd autẽ uobis uídetur? Homo quídam habebat duos fílios: & accedens ad prímum, díxit: Fíli, uade hodíe, operare in uínea mea. Ille autem reſpondens, aít: Nolo: poſtea uerò pœnitentía motus, abíit. Accedens autem ad alterum, díxit ſimíliter. At ílle reſpondens, aít: Ego Dómine, & non abíit. Vter è duobus fecít quod uoluít pater? Et dícunt ei: prímus. Dícit íllis Ieſus: Amen dico uobís, quod publícani & meretríces præcedunt uos in regnum Dei. Venít enim ad uos Ioannes per uíam iuſtítiæ, & non credidíſtis ei: publícani autem & meretríces crediderunt ei. Vos autem cum uidíſſetís non fuíſtís commotí pœnitentía poſtea, ut crederetís ei.

Non contentus euaſiſſe laqueos intentatos, & conſilium impiorum irritaſſe, quod ipſi uideri nolebant, & cuius gratia de baptiſmate Ioannis pronunciare detrectabant, hoc ipſe illis obijcit: nempe, quod conſilium & uoluntatem Dei in Ioannis baptiſmate reſpuerint, cum primi debuerint illud amplecti, homines in ſpeciem Dei timentes, uerum in ueritate nihil aliud quàm hypocritæ & contemptores Dei.

Iſta uerò non mox obijcit, ſed iterum quæſtionem, eamq; non ut antea nudam & apertam, ſed tectam & parabolicè propoſitam mouet, eliciens: imò extorquens ipſorum contra ſeipſos iudicium, quomodo Dauidi faciebat Nathan. Talem ſcilicet proponit (qualis & ſubiungetur altera) ad quã nequeant, niſi per manifeſtam impudentiam, coram populo dicere: neſcimus, quod ad priorem reſponderant, ſed cogantur propter apertiſſimam ueritatem, & cuiuis etiã rudiſſimo obuiam, quod uerũ eſt reſpondere, ex qua deinde reſponſione demum impiam ipſorũ tergiuerſationẽ patefaciat & obijciat.

Amen dico uobis.] Pronunciat ad ipſorum reſponſionem, ad quid iſtam parabolam propoſuerit: nempe, quod ſua ipſorum impœnitentia ſeipſos priuent regno Dei, quam non in præſentiarũ duntaxat, ſed & antea in Ioanne demonſtrârint. Et ut turpiſſimam illorum peruicaciã & maliciã exprimat, utitur collatione, eaq; non ex paribus ſed ex diſſimilimis contexta. (quid enim

diſſimilius

dißimilius principibus Sacerdotum, Scribis, Phariſæis, Senioribus populi, et publicanis ac meretricibus) quam & in ipſa parabola deliniauerat. Licet enim duos fratres propoſuerit, diuerſos tamen ac longè diſpares ingenio propoſuit. Vnum parum erga patrem reuerentem, ſed ſtatim iußis contradicentem: alterum honeſtè reuerentem, iuſſa obſequioſe & ſubmiſſe accipientem. Qui dicebat: Nolo, typum gerebat publicanorum & meretricum, quorum uita nihil aliud dicit, quàm, nolumus facere uoluntatem Dei. Qui uerò dicebat: Ego Domine, formam habebat ſacerdotũ, Scribarum, Phariſæorum, & ſeniorum populi, quorum profeßio & uerba dicebant: Ecce nos Domine, faciemus quod iubes. Priori dat pœnitentiam & obedientiam, quod explicat, dicens: Meretrices & publicani ingrediuntur in regnum Dei: Alteri dat cum hypocriſi inobedientiam et impœnitentiam, quod quò referat declarat, cũ dicit: præcedũt uos.

Quod autem dicit: præcedũt uos, non ita accipiendum eſt, quod & ipſi ſacerdotes, Scribæ et ſeniores fuerint ſubſequuturi publicanos & meretrices in regnum cœlorum. Nam id ſequentia non concedunt, ubi dicit: nec poſtea pœnitentiam egiſtis, ut crederetis ei. Item in ſequenti parabola ſatis declarat quàm fuerint perduraturi in ſua malicia. Licet enim aliqui ex illis, ut in Actis apparet, poſtea ſint ad fidem cõuerſi, tamen ipſum hoc ſacerdotale corpus, ut ita dicam, uel ſtatus hic ſacerdotum, Scribarum, et ſeniorum in ſua perfidia permanſit.

Venit enim ad uos Iohannes per uiam iuſtitiæ.] Per uiam iuſtitiæ.] Hoc eſt, per uitam & doctrinam inculpatam, prædicans iuſtitiã regni Dei, & uiuens ita irreprehenſibiliter, ut nihil potueritis in illo culpare.

Quia durum uidebatur, quod illis prætulerat publicanos & meretrices, ideò declarationem parabolæ apertiorem ſubiungit, exponens, cur hoc dixerit: Iohannes uenit à Deo miſſus per uiam iuſtitiæ, prædicans reſipiſcentiam & regnum cœlorum, dixitq; publicanis et meretricibus, ut reſipiſcerent, mutarentq; negatam obedientiam Deo, & obedierunt credentes illius doctrinæ ſuſcepto reſipiſcentiæ baptiſmate. Venit ad ſacerdotes, Scribas, Phariſæos, & ſeniores populi (nam illi legationem ad eum miſerunt, cui cur à Deo miſſus eſſet, ad Iordanem conſtitutus aperuit.) admonuitq; illos reſipiſcentiæ, eò quod adeſſet regnum cœlorum. Verum iſti contempſerunt conſilium Dei, & permanſerunt in ſua malicia, licet uitæ & ſtatus profeßione dixerint ad Deum: Ecce nos domine. Hinc ſcilicet eſt illa concluſio: Amen dico uobis, publicani & meretrices præcedunt uos in regnum Dei.

Vos autem cum uidiſſetis.] Auxeſim habent iſta impœnitentiæ iſtorum hominum, omnium turpißimæ. Nam primum turpe eſt ſacerdotibus ſi non ſint meliores laicis, ſi laicos in uia iuſtitiæ non præcedant, quod ex profeßione debebant. Deinde turpius eſt, ſi ſuperentur à laicis ſtudio reſipiſcentiæ, ac præueniantur etiam, maximè talibus, publicanis ac meretricibus. Poſtremò omnium turpißimum eſt, & deploratißimæ maliciæ, impudentiæ, & impœnitentiæ indicium, ſi non ſolum non præueniant laicos, nec ſolum à laicis præueniantur, ſed nec ſubſequantur etiam. Hoc eſt quod hic illis opprobrat. Vos autem cum uidiſſetis præcedere publicanos & meretrices ad regnum Dei per priſtinæ uitæ mutationem ac reſipiſcentiam, doctrina Iohannis permotos, cui crediderunt, nihil prorſus eſtis commoti, ut uel poſtea pœnitentes credere tis ei. Quid ad iſta? Certè nihil regerere audebant, nec poterant, quicquid mente cæcati obmurmurauerint. Non enim poterant negare, quod Ioanni non crediderant: deinde nec id negare poterant, quod publicani & meretrices, nedum maxima populi multitudo, Ioanni credendo reſipuerant, ex quibus duobus colligitur illud: Ergo publicani & meretrices præcedunt uos, quos debebatis uos præcedere, in regnum Dei.

Quis fecit uoluntatem patris? Prior.] Admonemur hic eius quod ſine parabola Dominus ſuprà cap. 7. dicit: Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit uoluntatem patris mei qui in cœlis eſt. 2

Quid ſit uoluntatem patris facere ad ingreſſum regni cœlorum ex hoc loco patet, in publicanis & meretricibus. Quid enim illi fecerunt? Reſipuerunt & crediderunt Euangelio. Hoc enim ab illis exigebatur cum Iohannis tum Chriſti prædicatione: Ergo qui reſipiſcit & Euangelio credit, uoluntatem patris facit, & ingreditur in regnum cœlorum. 3

Publicani & meretrices præcedunt uos.] Videmus hic quàm ſit difficile ad reſipiſcentiam permouere eos, qui cũ ſint impij, ſpecie tamẽ pietatis ſeſe uenditant pro cultoribus Dei, ut multo ſit facilius deploratißimos peccatores ad meliora reuocare. Quid ergo mirum, ſi hodie quoq; hoc genus hominum moueri ad reſipiſcentiam nequeat? Vidit & Chryſoſtomus hoc malum ſuo quoq; tẽpore obtinere in ſacerdotibus & clericis, unde hoc loco ſic ſcribit. Vnde & modo ſic inuenies rem. Secularis homo poſt peccatum facile ad pœnitentiam uenit. Nihil autem impoßibilius quàm illũ corrigere qui omnia ſcit, & tamen cõtemnens bonum, diligit malum. Omnia enim quæcunq; ſunt in ſcripturis propter quotidianam meditationem ante oculos eius inueterata, uilia æſtimantur. Nam quicquid illic terribile eſt, uſu uile ſcit. Propterea clericus qui ſemper exercetur in ſcripturis, aut omnino illas ſeruaturus eſt, & erit perfectus: aut ſi ſemel cœperit illas contemnere, nunquàm excitabitur in illis ut timeat. Quis aliquando uidit clericum pœnitentiam agentem? Sed & ſi deprehenſus humiliauerit ſe, non ideò dolet, quia peccauit, ſed confunditur, quia perdidit gloriam ſuam. Hæc ille. Quid nos hodie aliud uidemus? 3 Chryſoſt.

Nec poſtea fuiſtis pœnitentia commoti.] Et hoc notandum eſt. Habet enim notam ſacerdotalis arrogantiæ & faſtus. Nam dedecoroſum ſibi putant, & ſtatui ſacerdotali inconueniens, ſi debeant in cauſa religionis ſubſequi laicos, cum iuſtius ſit, ut ſe ſubſequantur laici. Nolunt igitur amplecti eam uiam, quam ipſi nõ ingreßi ſint priores, etiam ſi ſit recta & ad uitam ducens, ne uideantur ſequi iudicium minorum ipſi maiores. Deinde putantes nõ licere cuiq; aliquid tẽtare ſine ipſorũ poteſtate 4

ſtate & arbitrio, malunt per impœnitentiam perdurare in malo, quàm iſtam induere turpitudinem ac dedecus ſtatus ſacerdotalis, atq; ita potius expectare iudicium Dei horrendum, & ſupplicium æternum, quàm priſtinam amittere gloriam. Sunt hodie quos nihil pudet talia effutire. Eſto, ſint multi errores in Eccleſia, ſit hæc doctrina Euangelij uera, an æquum eſt talem innouationem in Eccleſia fieri à nihili hominibus, ab una & altera Eccleſiola, non conſultis, non annuentibus, ſed etiam contradicentibus Pontificibus, Epiſcopis, Sacerdotibus, ſenioribus ſcilicet populi, capitibus Eccleſiæ? An æquum eſt in cœpta iam innouatione paucos aliquos obſcuros homines habere tot magnates, doctores, Epiſcopos, non præceſſores ſed ſubſequutores? Hoc ſcilicet erat & iſtorum ſacerdotum, Scribarum ac præſbyterorum, cum quibus Chriſto negocium hic eſt, offendiculũ. Noluerant eſſe per reſipiſcentiam primi, & poſt erubeſcunt eſſe poſtremi.

Aliam parabolam audite: Homo quidam erat paterfamiliâs, qui plantauit uineam, &c.

Quoniam cœpit ſacerdotibus, Scribis ac ſenioribus exponere, qua ſint præditi malicia & cordis cæcitate, non ſolum quatenus eam in præſentiarum, et antea in Iohanne per inobedientiam & impœnitentiam declarauerant, illis exprobrat, quod iam fecit per parabolam duorum filiorum, ſed quatenus illa erat iam duita, patriam referens inobedientiam, maliciam, & crudelitatem, imò ſuperans etiam & conſummans, ſicut infrà capite 23. dicet: Implete menſuram patrum ueſtrorum. Hanc ut ob oculos illis ponat, iterum parabola utitur tali, quæ eſſet omnium lucidiſſima, & per quam cogerentur denuo proprio ſeſe condemnare iudicio. Nam hæc duo in genere agit per hanc parabolam. Primum declarat incredibilem illorum maliciam, de qua iſta per amplificationem commemorat. Primum eſſe ueluti inueteratam iam & hæreditariam adeoq; deploratam. Deinde iam, quemadmodum ſemper negari ab illis regni dei fructus. Tertio non ſolum fructus negatos, ſed & ſeruos Dei crudeliter poſt probra occiſos. Quarto filium quoq; ipſum iam iam ab illis eſſe occidendum. Et poſtremò eò iſta omnia tendere, ut hæreditatem Domini ſibi ipſis uindicent. Iſta pertinent ad explicandã culpam & maliciam iſtorum hominum. Alterum in parabola eſt, quod ſupplicium futurum, & iam in procinctu fuerit tam peruerſis & excæcatis impijs. Illud duobus membris comprehendit. 1. Quod mali malè ſint perdendi. 2 Quod regnũ Dei ſit ab illis auferendum, dandumq; alijs. Hæc ſummatim inſunt iſti parabolæ, quæ quoniã diligentiã dei erga uineam ſuam: deinde quæ uineæ accidant per agricolas, et quid iudicij agricolas malos maneat, explicat, nobis quoq; diligẽter eſt notanda.

OBSER.

1 *Plantauit uineam.*] *Exprimitur diligentia Dei erga populum ſuum, ut rectè dixerit: Populo meus quid non feci tibi quod facere debui? Vide Eſa. 5. Noſtri dicunt hodie, quomodo deſereret Chriſtus Eccleſiam ſuã, quam tantopere dilexit? Ita potuiſſent & Iudæi dicere: Quomodo deſereret Deus uineã ſuã, quã tanta diligentia plantauit, coluit & inſtruxit? Videndum eſt an uinea reſpondeat iſti diligentiæ Dei.*

Miſit ſeruos ſuos.] *Intelligit de Prophetis. Atqui* 2
& ipſi agricolæ erant ſerui dei. Duplex ergo ſeruorum Dei genus hic reperitur. Alij ſunt qui per ſucceſſionem ad curandam uineam & colendam accedunt electi, uel magis per pecuniã, uel fraude uel ui uel precio ingreſſi aut intruſi. Iſti hoc peculiare habent, ut adſcribant ſibi ipſis uineæ dominum, illaq; utantur pro ſua libidine. Hi repræſentantur per agricolas iſtas, ſacerdotes ac ſeniores populi non ſolum eius temporis, in quo erat Chriſtus ſed & priorum. Alij uerò ſunt, qui diuinitus mittuntur, ſpiritu Dei inflati, ut exigant fructum uineæ. Hic eo nomine malè excipiuntur, quod Domino fructum exigunt ab agricolis. Hoc uiſum eſt in Prophetis ueteris teſtamenti, & ſimul in illis omnibus qui in nouo quoq; fructus uineæ Dominicæ poſtulatum miſſi ſunt.

Malos malè perdet, & uineam ſuam locabit alijs.] 3
Hoc eſt iudiciũ dei, tam iuſtum ac certum, ut & ab ipſis impijs ſit agnitum ac prolatum, niſi quod hoc quatenus ad ipſos pertinebat, noluerint agnoſcere, dicentes, ut in Luca eſt: abſit. Primum quidem id iudicij, ut ad parabolam rogati reſponderent, tanquàm de talibus colonis tam prauis ac deploratis, dixerunt quod hic noſter habet: Malos malè perdet: poſtea uerò, ubi intellexerunt ſe notari, abnuerunt, dicentes, quod Lucas habet: abſit.

Sunt autem hic duo notanda. Primum in eo quod 1
dicunt: Malos malè perdet. Licet ad ſacerdotes, Scribas & ſeniores ſit dictum, qui & hæc omnia fecerunt, fructum negarunt, ſeruos contumelia affectos occiderunt, filium quoq; eiectum è uinea necarunt, uineam ſibi uendicarunt: tamen ubi iudicium hoc Dei ſuper illos uenit, non ſolos, ſed totam eam Gentem apprehendit ac perdidit. Admoneat hoc quid ſit noſtro ſeculo timendum.

Deinde & hoc notandum eſt, quod uineam ſuam a- 2
lijs locat. Licet enim malos perdiderit, tamen adhuc non uult negligere uineam ſuam. Ita & hodie, etiam ſi malos ſit perditurus, Eccleſiam tamen ſuam non abijciet, nec uaſtatam relinquet. Sed aliorum curæ commendabit, quibus & ipſis idem periculi timendum eſt, ſi fuerint anteceſſorum ueſtigia ſequuti.

Dicit illis Ieſus: Nunq; legiſtis in ſcripturis. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. A domino factum eſt hoc, & eſt mirabile in oculis noſtris. Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum confringetur, ſuper quem uerò ipſe ceciderit conteretur. Ideò dico uobis, auferetur à uobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius.

Quomodo iſta ſubiungat præmiſſæ parabolæ, in Luca uidere eſt. Nam ubi dixerant: Abſit, intuitus illos Ieſus, ait: Quid eſt ergo hoc quod ſcriptũ eſt: Lapidem quem reprobauerunt, &c. Ergo ideò iſta ſubiecit, quia nolebant admittere parabolam, non ſolũ quatenus perdendi eſſent mali, ſed & quatenus occidendus eſſet filius

Dei,

Dei, dominus uineæ. Nolebant enim tales haberi, qui Christum Dei, quem Prophetæ promiserant, si ueniret ad uineã suam, occisuri essent. Neq; credebant omnino Christum occidendum ac reprobandum, maximè à suis, quibus erat promissus. Et hoc absq; dubio diligenter inculcabant populo. Vnde & Ioh. 11. dicebant: Nos audiuimus ex lege quod Christus maneat in æternum, &c. Quod callido consilio faciebat Satan, ut ubi crucifixus esset, pro Christo non agnosceretur. Et ipsi Seniores, & quotquot transibant, in cruce pendenti securè illudebant, tanquam certi nõ esse Christum, sed impostorem.

Huius itaq; gratia, sciens quid negarent, dicentes: absit. scripturam inducit ex Psal. 117. quẽ de Meßiach esse compositum etiam Iudæi fatentur, & eo quoq; tempore communi sensu uulgi de Meßiach intellectum, testatus est clamor populi & puerorum acclamantium: Hosianna, &c. benedictus qui uenit in nomine Domini, quæ ex hoc Psalmo desumpserant. Cum ergo apertè tradat hic locus primum reprobandum esse Christum, idq; ab ipsis primoribus Iudæorum ac domus Dei, quos uocat ædificantes, qui tũ erant hi ipsi Sacerdotes, Scribæ, & Seniores quibus loquebatur: deinde reprobatum lapidem, id est, Christum ita reiectum, tanquam cui ne locus quidem sit ullus in populo, admirabili Dei consilio & potentia fore principem & caput domus Dei, idq; cum maxima omnium admiratione: uidelicet, quod hoc futurum esset præter omnium spem & expectationem, ut sint omnes agnituri opus & potentiã Dei, ac dicturi: A Domino factum est hoc, & est mirabile in oculis nostris. Quæ admiratio accidit ad declarationem nominis Christi post resurrectionem, per uirtutem spiritus sancti. Quid horum negare possunt hostes Christi? Ad scripturam non audent dicere: Absit. Non possunt negare lapidem reprobandum esse primum: nec negare audent hunc lapidem intelligendum esse Christum: nec negare possunt, forsan neq; uolunt, se esse illos בנים id est, ædificantes domum Dei, capita & primores, de quibus prædictum est, quod sint reprobaturi lapidem electum. nec quod sequitur, audent negare: nempe fore hunc lapidem caput anguli, id est, regem ac principem domus Dei. Et tamen manent in sua cæcitate. Et ne de Dauide queant hunc locum exponere, prohibet spiritus sanctus per prophetam Esaiæ cap. 28. ubi de hoc lapide fundamentali & angulari legimus.

OBSER.

1 Quod ad hunc locum attinet, uidemus breuibus descriptum lapidis huius, Christi, in domo dei, usum eumq; duplicem. Primus est, ut sit caput ædificij, totã domum sustinens, idq; in angulo constitutus duos parietes in unũ conglutinans & conseruans, duos uidelicet populos Iudæorũ et Gentium. Ista pertinent ad saluatoris officium ac redemptoris, capitis, principis, mediatoris, summiq; sacerdotis, &c. Huc pertinet illud in propheta: Qui credit in illum non pudefiet, uel non festinet, id est, certus sit ac securus. Alter est, ut sit lapis offensionis omnibus ijs qui pereunt. Et hoc exprimit Christus ipse. Perditionem scilicet se fore impiorum. Primum per modum offensionis: deinde per modũ iudicij et condemnationis. Aliqui offendent ad hunc lapidem illi contradicentes, atq; ita petentes. Alios lapis ipse conteret, super illos cadens. Et hoc Esaias quoq; uidit ac futurum prædixit capite 8. Et duplicem hunc usum lapidis huius Petrus a- 2
postolus epistola priore cap. 2. clare tradit: uide locum.

Auferetur à uobis regnũ Dei, & dabitur Genti facienti fructum eius.] Hæc est parabolæ conclusio & expositio. Ablatum esse regnũ Dei à Iudæis & datũ Gentibus: nobis Christianis notum est quidem, sed utinam dignè expensum, cur ab illis ablatum sit, & nobis datũ. Verba ipsa Christi hoc innuunt. Propter fructus scilicet quos quia Iudæi reddere noluerunt, regnum Dei amiserunt, & Gentes ut redderent, acceperunt.

Ergo omnino exigit Dominus uineæ, fructus è uinea sua. Exigit deus iustitiam regni sui. Sic Christus non solum dixit: Primum quærite regnum Dei, sed adiecit: & iustitiam eius. Videamus iam nos Gentes, quos adferamus regni Dei fructus. Nam ideò datũ est nobis regnum Dei, ut non simus infrugiferi, sicut Iudæi, sed ut fructus illius temporibus suis præstemus.

Non autem dicit simpliciter: facienti fructus, sed addit: eius. Non uult quoslibet fructus, sed tales qui sint peculiares regno suo. Habet unumquodq; regnum, suum משפט suum iudicium & suam iustitiam, sicut unaquæq; arbor habet suos proprios fructus. Et ut non exigitur à uinea, ut ferat ficos uel poma, sed ut ferat uuas: ita non exigitur à ciuibus regni dei, ut ferant alterius regni fructus, sed ut adferant ueros ac proprios regni Dei fructus. Regnum Satanæ habet suos fructus, omnis generis iniustitiam & impietatem. Regnum illud facierum de quo in propheta, habet suos fructus, hypocrisim: regnum dei habet omnis generis iustitiam, fidem ac ueritatem. Fructus regni Dei sunt secundum naturam & dictum spiritus dei, per quem filijs suis regnat Deus. Ergo qui cupit scire fructus regni Dei, cognoscat qui sint fructus spiritus, de quibus uidere est Gal. 5. Habet regnum Dei uerbum suum, uerbiq; ministerium, ex quo discendum est, qui sint fructus regni Dei: ut scilicet credamus, afficiamur & uiuamus ex spiritu & uerbo dei.

Conferamus nunc quos fructus adferamus Domino uineæ. Pars nihil. Hi scilicet, qui satis putant si iuxta se- 1
culum inculpatè uiuant, nec mali quicquam faciant. Si uinea excusari potest in eo quod nullas uuas profert, ex Mat. 12. 25
cusari possunt et isti. Pars non solum bonos non profert, 2
sed etiam malos, fructificans non regno Dei, sed regno Satanæ. Pars in speciem fructificat, sed alienos adferens 3
fructus, non regni Dei sed traditionum humanarum. Pars non solum malos & alienos quoq; fructus adfert, 4
sed & tales ab alijs exigit, & bonos impedit ac prohibet, quorum iudicium erit omnium grauissimum. Et ea 5
pars, quæ adfert regni Dei fructus, bone Deus quàm est numero modica, quàm in se imbecillis & imperfecta? Quot & quantis remoris & periculis obnoxia? Precandum ergo ad Dominum uineæ sine intermissione, ut uineam suam ipse repurget, & frugiferam faciat, ne & à nobis auferatur regnum Dei.

Et cũ audissent principes sacerdotum ac Pharisei, parabolas eius, cognouerunt

quod de se diceret. Et quærentes illi manus iniicere, timuerunt turbas: quoniam tanquàm Prophetam eum habebant.

a Cognouerunt quod de se diceret.] Vnde hoc cognouerunt? Facile scilicet. Conscientia ipsorum interpres erat parabolarũ Christi. Nam sciebant, qui essent, & quomodo affecti, & quid molirentur. Ita hodie, ubi loquimur contra hypocritas, contra fornicarios, contra idololatras, contra Simoniacos, contra falsos pastores, statim agnoscunt pontificij, Episcopi, sacerdotes, & monachi, quod de se loquamur. Vnde hoc? Ipsi sciunt quid gerant.

b Et quærentes illi manus iniicere.] Ecce indignantur super parabolis Christi, & nihilominus quantum in ipsis est, hoc conantur adimplere, quod facturos eos in parabola dixerat Dominus: Nolunt esse occisores Prophetarum, & tamen ipsum opus & mensuram patrum adimplere gestiunt. Cur non magis cogitant: absit ut faciamus quod de nobis coram populo prædicis. Faciemus te mendacem. Sed hæc est cæcitas impiorum, ut etsi nolunt uideri quales sint, indignentur si reprehendantur, & tamen non facere quod faciunt nequeant.

c Quia sicut Prophetam.] Cur turbæ melius sentiunt de Christo, licet adhuc imperfectè, quàm isti sapientes, sancti ac magnates, capita populi? Quia non habebat φιλοδοξίαε excæcatos, quales habebant qui ex cultu Dei ac sacerdotio suo quæstum faciebant, qui dicebant: nostra sit hæreditas, qua de causa Christũ ferre non poterant. Cur & hodie citius assentiantur Euangelio plebes Christi quàm magnates et optimates, nemo quærat, si expendat, cur & illi tempore Christi, qui primi debebãt esse in amplexanda ueritate, illam hostiliter impugnauerint, cũ à populo agnosceretur et coleretur.

CAPVT XXII.

ET respondens Iesus iterum, dixit eis per parabolas & ait: Simile factum est regnũ cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & emisit seruos, &c.

Videtur hæc parabola in speciem præcedenti de uinea frustra subiecta, quasi nihil habeat amplius quàm illa. Verum licet in nonnullis illi sit conformis, habet tamen peculiare propositum. Conformis primum in eo est, quod Iudæorum pertinaciam contra gratiam Dei exprimit: deinde, quod attinet ad eorum supplicium: tertio, quod uocationem gentium prædicit. Nam ista et in præcedenti parabola habentur. Peculiare uerò propositum habet: primum, quod separatim de Iudæorum pertinacia loquitur, quam post resurrectionem Christi per apostolos ad Euangelium uocari ostenderunt. Nam in superiore parabola tantũ ad mortem usq; suam progressus est. Vnde & in ista nihil de morte sua meminit, sed tantũ seruorum. Deinde, quod uocationem gentium plenius exprimit cum suis accidentibus. Vtpote quod sine delectu quosuis admissurum esset regnum dei, quod attinet ad uocationem: ad hæc quod indigni etiam & non electi ex gentibus in fine mundi sint puniendi.

PARTES HVIVS PARABOLAE.

Sunt autem parabolæ huius tres partes. Prima est, qua euangelica uocatio omnium iucundißima similitudine cõmendatur. Altera, qua prædicitur, quid illi futurum fuerit à Iudæis. Tertia, quomodo fuerit transferenda ad Gentes.

PRIMA PARS.

Simile factum est regnum cœlorum.] Antequàm tractentur quæ ad primam partem pertinent, obseruandum est quàm notanter sit dictũ ὁμοιώθη. Simile factum est. Nam enim in seipso tale quid est regnum cœlorum, ut quæ hic de illo commemorantur ad illius pertineant naturam, sed accidunt illi improbitate mortalium. Alioqui non facit natura sui ad cuiusquam perditionem, nec amat malos, &c. Proinde rectè non dicit: Simile est regnũ cœlorũ, ὁμοίαε ἐστιν, sed simile factũ est, ὁμοιώθη.

Homini regi, qui fecit nuptias filio suo.] Pertinet hoc ad primam partem parabolæ, gratiæ uidelicet Euangelij commendationem. Commendatur autem hac particula gratia Euangelij in se ipsa. Primum quod nuptijs cõparatur, in quibus nihil est triste, sed omnia læta & iucunda. Deinde, quod non simpliciter nuptijs quibuscunq;, sed regalibus, ubi omnia quæ ad gloriam & splendorem nuptiarum: deinde & ad hilaritatem conuiuarum faciunt, abundantißimè instituuntur. Tertio, quod talibus, quas pater rex facit non seruo alicui uel amico, sed filio, in quibus & pater summo gaudio gestit, & filius splendidißimè honoratur, & conuiuæ regij lautißimè, hoc est, regaliter excipiuntur. Gestit enim pater si uspiam certè in nuptijs filij totum se effundere & declarare, quo sit erga filium affectu. Proinde nullis hic sumptibus parcit, sed omnia munificentißimè profundit. Huc pertinet, quod tanto studio dicit instructas nuptias: Ecce, inquit, prandium meum paraui, tauri mei & altilia mea mactata sunt, & omnia parata, uenite ad nuptias: Ergo, nihil omissum est quod ad lauticiem ac splendorem regalium nuptiarum pertinet. Ea scilicet erat patris diligentia in parandis nuptijs.

Emisit seruos ut uocarent ad nuptias.] In uocatione quoq; inuitatorum elucet patris erga has filij nuptias affectus ac diligentia: uidelicet in eo, quod amicos suos inuitauit, ad futuras aliquando nuptias antequàm fierent. Hoc fecit Deus per Prophetas. Nam inuitati isti sunt Iudæi, quos ad futuras nuptias per Prophetas inuitauerat longo ante tempore quàm esset tempus nuptiarum. Beneuolentiæ summæ & φιλανθρωπίαε indicium est, quod omnino mortales ad cœlestes nuptias uocauit, reconciliationis, quod inimicos uocauit. Nam ubi adhuc simultas est, ibi etiã fratres, parentes, & cognati excluduntur à nuptijs. Diligentiæ est & honoris, quod tam præpoperè, tam longè ante nuptias uocauit. Accedit & hoc, quod inuitatos illos Iudæos, pertinaces, adeò etiam post occisionẽ filij, adhuc ad nuptias uocat eiusdem filij, quem ipsi spreuerant & occiderant. Idq;, non semel tantum, sed secundo ac tertio uenire nolentes, uocat, inq; uocando perstat, donec consummata malicia etiam contumelia seruos affecissent & necassent.

Commendatio

Commendatur ergo per hanc parabolam regni Christi, ad quod per Euangelium uocati sumus, ineffabilis gratia. Nuptiæ Christi sunt: nam is sponsus est, & ecclesiæ quæ sponsa est. Illæ destinatæ quidem sunt ab æterno, institutæ per incarnationem uerbi Dei, quæ ex duobus facta est una caro: celebrandæ uerò post ascensionem Christi usq; ad cõsummationem seculi, quod tempus omne diem nuptiarum includit: donec in fine mundi sponsa perfectè finito nuptiarum die, ueniat in complexus sponsi sui. Et istis nuptijs declaratur, quis sit affectus erga nos patris. Primum, quod humanum genus usq; adeò honorauit, ut spõsam ex eo sumeret filio suo: deinde quod ad istas nuptias, per mortem filij facta reconciliatione, miseros peccatores uocat, nihilq; aliud petit q̃ ut ueniamus, reddamurq; cœlestis gaudij consortes.

ALTERA PARS.

Quid acciderit uocationi euangelicæ apud inuitatos sponsi amicos, Iudæos, declaratur hac parte, quatenus scilicet in eadem qua cœperant, pertinacia perman serunt. Hactenus enim loquitur parabola de inuitatis Iudæis. Nam aliàs ingens numerus Iudæorum obediut uocationi, de quibus hic nihil agitur, sed tantum de pertinacibus.

Et noluerunt uenire.] Item: Illi autem neglexerunt & abierunt, &c. Item: Reliqui uerò tenuerunt seruos eius, & contumelia affectos occiderunt. Videmus triplex hominum genus hac parabola poni, qui nuptias cœlestes contempserint quidem omnes, sed dispari ratione. Primi sunt, qui simpliciter uenire noluerunt. Isti sunt prorsus athei et præfracti contemptores rerum cœlestium. Horum hodie quoq; est ingens multitudo.

Alterum genus eorum est, qui non ita contemptim nuptias has respuunt, sed licet uideantur uenturi, tamen per temporalium curam abstracti uenire negligunt, indigni & ipsi honore cœlesti. Tale genus & hodie uidemus.

Tertium eorum est, qui inhumanitatem quoque & crudelitatem coniungunt contemptui, qui seruos Christi, per quos ad nuptias uocantur contumelia afficiunt, & occidunt. Isti erant potissimum, cum quibus loquebatur, Sacerdotes, Scribæ, Pharisæi, Seniores populi, ad quos infrà 23. circa finem capitis hac de re apertius loquitur, dicens: Ecce ego mittam ad uos Prophetas, sapientes & Scribas, & illorum aliquot occidetis, &c. Idem & Apostolis prædixerat, Matth. 10. Ioh. 16. Acta Apostolorum testantur hæc ita esse facta.

IVDICIVM EORVM, QVI VOcati ad nuptias, uel contempserunt uel neglexerunt, uel seruos occiderunt.

Iratus autem rex, missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, et ciuitatem illorum succendit.

Iratus rex.] Hoc Deum exacerbat, quod non solum oblata gratia contemnitur, sed & contumelia afficitur, & gratiæ ministri necantur, ubi hoc fieri uidetur, nemo dubitet hoc hominum genus iræ Dei obnoxium esse.

Missis exercitibus.] Iram Dei sequitur malorum perditio, ne quis illam cõtemnendam putet. Hoc factum est per exercitum Romanorum, qui Hierosolymam uastarunt, bello occiderunt ac perdiderunt plus quàm undecies centena millia hominum: deinde ciuitatem succenderunt, soloq; adæquarunt: de qua miseranda clade uidere est in Iosepho, quæ tã erat humanis uiribus præstitu impossibilis, ut Romanorũ imperator Titus agnouerit ista nõ sua sed diuina indignatione geri. Ideò rectè hic dicit Christus: Rex iratus, missis exercitibus suis, perdidit homicidas istos, & ciuitatem illorum succendit. Vt innuat hæc omnia diuina ui & ultione gerenda.

Notandum est hic, quod Romanorum exercitus, dei exercitus dicuntur. Ita et Babyloniorum rex, seruus dei in Propheta dicitur: quoniam per illum populum suum castigabat. Sic Deus dicitur dominus exercituum in scripturis. Iam certè Iudæi putabant exercitus Romanorũ nihil esse minus quàm exercitus Dei, quos magis putabant suos esse quàm Romanorũ: quoniam Romani idololatræ erant & impij, ipsi uerò populus dei. At res ipsa diuersum ostendit. Sunt ergo exercitus Dei ubiq; terrarum illi, qui uictores euadunt, siue sint ex pijs siue impijs conflati. Nequit enim exercitus dei non uictor euadere. Et hic uidemus quales sint æstimandi exercitus Turcarum hodie, quos uidemus conspicuè esse flagellum irati Dei.

TERTIA PARS.

De translatione regni Dei ad Gentes.

Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus uiarum, & quoscunq; inueneritis, uocate ad nuptias.] Postquàm Iudæi spreuerunt Euangelium, missi sunt Apostoli ad Gentes. Sic Paulus Actor. 13. Vobis oportuit primum loqui sermonem Dei, sed quoniam repellitis illum, & indignos uos iudicatis æterna uita: ecce conuertimur ad Gentes. Nam omnino uult deus impleri has nuptias. Proinde si qui nolunt acceptare gratiam Dei, meritò illis desertis migratur ad alios.

Illud: Malos pariter ac bonos, non est aliud quàm, promiscuè quosuis congregârunt, sine delectu, nemine excluso, nisi apertè incredulis & contradictoribus. Et in tali uocatione utiq; hoc usuenit, ut mali bonis immisceantur. Tamen laudanda est Apostolorum sedulitas, quod quosuis ad has nuptias uocant, iuxta mandatum Domini, qui dixit: Ite in uniuersum orbem, prædicate Euangelium omni creaturæ.

De illo: Inuitati nõ fuerunt digni, uide suprà cap. 10. Ibi. Quærite si quis dignus sit. Hic certè uidemus regno cœlorum indignos esse contemptores: Ergo qui cupidè amplectuntur gratiam dei, coram Deo digni habentur.

IVDICIVM EORVM, QVI CONsortio Christianorum immeritò immixti sunt, non ueritate, sed nomine tantum Christiani.

Ingressus autem rex, ut uideret discumbentes.] Ergo non satis est ad æternam fœlicitatem connumerari inter uocatos Christianos, sed discernentur & isti, separabunturq; mali à bonis. Certissimum quidem per-

ditionis indicium est spernere fidei Christianæ professionem, & necessarium ad salutem illam amplecti. Verum exigitur synceritas ac ueritas illius, quæ electorum tantum est, sine qua nemo saluatur, etiamsi inter uocatos connumeretur. Iste regis ingressus futurus est in iudicij die, in quo separabuntur reprobi ab electis.

Amice, quomodo huc intrasti, non habens uestem nuptialem?] Ad nuptias meritò requiritur uestis nuptialis. Varia hic communiscuntur pleriq;, quisq; quod potest, & uero propius uidetur: alius fidem, alius charitatem, alius opera intelligens. Dicam simpliciter quid mihi uideatur. Vestis nuptialis

Vt uestis nuptialis nihil aliud ostendit quàm animum erga nuptiale conuiuium hilariter affectum ac reuerentem, ita neglectus huius uestis animum ostendit contemptorem, non nuptiarum gratia comparentem, nec de illis impense ac reuerenter gaudentem, sed epulas tantum quærentem, & reliqua omnia susq; deq; ferentem. Innuitur ergo per uestẽ nuptialem exigi ad has nuptias tales conuiuas, qui cum gaudio, cum reuerentia maiestatis diuinæ, cum gratiarum actione potiantur cœlestibus bonis: reijci uerò secus facientes, quibus nihil adfert gaudij, quod ad gratiam Christi uocati sunt, nec alicuius faciunt istum honorem, sed prorsus ἀλιτροφόροι sunt, religionem Christi pro consuetudine sustinentes, potius quàm amplectentes. Illis rectè dicetur: quomodo huc ingressi estis?

At ille obmutuit.] Condemnatio ex propria conscientia. Ita obmutescent ad ingressum regis olim, qui nunc sunt loquacissimi, nec sinunt se promoueri, ut de ueste nuptiali sibi prouideant.

Ligatis pedibus.] Depingitur allegoricè supplicium damnatorum. Vide suprà cap. 8. Ibi erit fletus & stridor dentium.

Multi sunt uocati, pauci electi. De hac particula uide suprà cap. 20. in parabola de operarijs uineæ.

OBSER.

Duo sunt hoc loco notanda. Vnum, quanta debeamus sedulitate quosuis uocare ad hæc nuptialia conuiuia cœlestis gratiæ, ut reddantur quàm refertissimæ regis cœlestis nuptiæ. Optabimus ergo, conabimurq; pro uiribus ad hoc seruire, ut passim uniuersi amplectantur ueritatem Euangelij, nec dubitabimus nos ea in re seruire cœlesti regi, etiamsi innumeri admisceantur reprobi. Non indignatur ministris, dicens: ut quid istum introduxistis? Sed ipsum conuiuam alloquitur. Inuenias hodie Christi ministros, qui anxij propter reproborũ immixtionem, non admodum lætantur, etiamsi integra regna accedant Euangelio, perpetuò somniantes omnimodam repurgationem Ecclesiæ, adeoq; malentes exiguas quasdam Ecclesias bonorum quàm numerosas improborum multitudine mixtas. Horum animus angustior est, quàm conueniat gloriæ nuptiarum istarum. Quod si Apostoli hoc fuissent affectu præditi, et qui Apostolis successerunt, puto fidem Christi tam latè nunquam sparsam fuisse.

Idẽ uidere est Lucæ xiij.

Alterum est, ut cauti simus, qui ad has nuptias uocati in prandio nuptiali sedemus: quandoquidem ignoramus tempus quo rex sit ingressurus ad uidendos ac discernendos conuiuas, ubi admirabilem uidebimus metamorphosim eorum, qui nunc primas tenere uidentur in isto conuiuio.

Tunc abeuntes Pharisæi, consilium cœperunt, ut illaquearent eum in sermone. Et emittũt ad illum discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quod uerax sis, & uiam Dei in ueritate doceas, neq; cures quenq;. Non enim respicis personas hominum. Dic ergo nobis, quid tibi uidetur? Licet censum dare Cæsari, an nõ? Cognita autem Iesus malicia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerũt ei denarium. Et ait illis: Cuius est hæc imago & inscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Et his auditis, mirati sunt, & omisso eo abierunt.

Non bene cesserat intentata seditionis calumnia, ea uia, qua cœperant, interrogantes, In qua potestate res tantas in templo gereret. Nec enim quod sperauerant, effecerant, & simul quæ nolebant, audierant. Itaq; non mutato animo, sed mutato æstu, alia uia tentant. Non enim audebant, quod cupiebant, propter populum.

Tunc abeuntes Pharisæi, consilium cœperunt.] Consilium cœperunt. Bene habet. Res optima, consilium. Vbi consilium, ibi prudentia. Sunt uiri sapientes, deinde pij, audiuerunt Christum, dissentientem de ipsorum malicia, & futura uindicta & pœna, abeunt ad consultandum. Emendabunt forsan malum ingenium & impietatem consuetæ maliciæ, consultabuntq; de effugienda ira Dei. Quid aliud post istas admonitiones Christi hoc genus sapientum consultaret? Sed audiamus ipsum Euangelistam.

Vt illaquearent eum in sermone.] Stupendum consilium. Consultandum erat, ut propositum suum mutarent, & iram Dei effugerent. Verum ita solet liuor & animus excæcatus. Consilium igitur illorum erat, ut perderent eum. Et quoniam uidebant populum ab eo pendêre, tanquam à Prophe.a, consultabant, quomodo ita occiderent, ut inuidia mortis eius transferretur in Cæsarem, ipsiq; haberentur pro insontibus. Hic erat scopus huius sacrosancti consilij, quem Lucas apertè ponit cap. 20. Via & modus ad hunc scopum perueniendi erat, ut illaquearent eum in sermone, proposita quæstione ancipiti & periculosa, è qua se non posset ueluti laqueo quodam, extricare. Igitur æstu rem agunt satis malicioso quidem, sed frustraneo.

Et emittunt ad illum discipulos suos.] Hoc primum est, quod parabatur ad struendum dolum. Nolunt ipsi ire quod antea frustra fecerant: sed mittunt discipulos suos, quorũ illum nullam uel notitiam uel rationem habiturum sperabant, adeoq; cum illis minus cautè actu rum, quod plurimum esset facturum ad illaqueationem.

Lucas

Lucas addit: qui se iustos simularent, hoc est qui quæstioni prætexerent timorem Dei & studium ueritatis, id quod declarat ipsa præfatiuncula. Est enim pars iustitiæ, sollicitum esse de ueritate cognoscenda, quid Deo placeat, quid non. Isti uerò non hoc ex animo faciebant, ideò dicit Euangelista: qui simularent se iustos esse. Et hoc quoq; faciebat ad componendam fraudem, & inescandum Dominum. Exigit enim illaqueatio hæc quàm primum, ut habeatur laqueus. Alterum, ut laqueus celetur. Nam frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Huc scilicet faciebat, quod se iustos simulabant, qui animo simplici ac Dei timente quærerent. Tertium, ut quod offendere potest & absterrere, amoueatur. Huc faciebat quod ipsi non ibant Scribæ, Pharisæi, Sacerdotes ac Seniores, qui erant Domino suspecti, sed discipulos mittebant. Quartum, ut adijciatur inescatio quædam, qua præda ad laqueum illiciatur. Ad eam partem faciebat subiectum encomium.

Cum Herodianis.] Quid illi ad illaqueationem? Pertinebant ad laqueum ipsum. Erant ex illis qui partem Cæsaris tuebantur. Nam diuisi erant Iudæi inter se: ita ut pars dandum censeret tributum Cæsari: pars negaret. Qui negabant, faciebant cum Pharisæis, qui sentiebant populum Dei debere liberum esse, nec tributa pendere impiæ potestati Cæsaris. Qui dandum censebant, faciebant cum Herode, qui Cæsaris partes tuebatur, atq; ideò Herodiani dicebantur.

Ita scilicet conspirant inter se aduersus Christum, qui alioqui plurimum dissidebant, dummodo paretur Christo exitium. Mendacium enim quia multiplex est, non potest esse concors. Et quia in omnibus suis partibus mendax est: fit ut etiam in omnibus partibus ueritati aduersetur, contráq; illam conspiret, licet in se diuersum.

Magister, scimus quod uerax sis, & uiam Dei in ueritate doceas, neq; cures quenquam. Non enim respicis personam hominum.] Hæc est in[illegible]atio. Primum uocant Magistrum, ut credat se habiturum hic discipulos, qui ad se tanquam ad doctorem uenerint. Deinde laudant eum à studio ueritatis, quod abest ab omni simulatione. Tertio addunt, quod non solum uerax sit, sed uiam Dei quoq; doceat in ueritate. Qua in re duo faciunt: primum, simulant se, ut Lucas habet, iustos, id est, tales, qui uiam Dei quærentes, ad ueritatis doctorem ueniant: alterum, ut simulent se non sentire cum Scribis, Pharisæis, Sacerdotibus, qui dixerant: in qua potestate hæc facis. Sed credere, quod sit doctor ueritatis à Deo missus, qui uiam Dei in ueritate doceat. Quarto addunt & hoc, quod propriè ad ueritatis doctorem pertinet, neq; cures quenquam. Non enim respicis personam hominum. Quasi dicat: Per ea quæ cum sacerdotibus nostris, Scribis, Pharisæis & Senioribus populi egisti, declarasti, fidemq; nobis feciſti, quod non sis acceptor personarum: nec cures quenquam, neq; populum, neq; magnates ac potentes, nec Cæsarem, nec Herodem, sed solum Deum suspiciens, dicas apertè, quod uerũ esse nosti. Hæc parabantur contra metum Herodianorum: deinde & populi, in quorum ista præsentia agebantur, ne alterutra parte absterritus, cautè responderet, uel responsionem detrectaret.

Dic ergo nobis, quid tibi uidetur?] Quasi dicãt: Cum ergo sciamus te talem esse, ueracem, ueritatis ac uiæ Dei doctorem, nullius personam respicientem, parati sumus ad amplectendum, quicquid intellexerimus tibi probari. Iam enim dudum eos doctores pertesi sumus, qui non ueritatem spectantes, sed uel sua quærentes, uel sibi à Cæsare metuentes: non quod uerum, sed quod sibi ipsis pro tempore commodum est docent. Proinde tuæ sententiæ fidem habere decreuimus. Dic igitur nobis, quid tibi uideatur.

Licet ne Cæsari dare censum, uel non licet?] Hic est laqueus, non simplex, sed geminus, ein rechter zuuei felstricK. Periculum erat tacere: nam sic uisus fuisset, respicere personam hominum, & humano metu teneri perq; illum occulere ueritatem, idq; in re tanti momenti, adeoq; amittere gloriam ueræ doctrinæ, &c. Respondere rursus periculo erat obnoxium. Putabant enim uel asserturũ pro Cæsare, ideoq; incursurum in odium populi, ut liceret postea illum cum minore metu populi occidere: uel negaturum contra Cæsarem, atq; ea ratione lapsurum tanquam seditiosum in manus Cæsareæ potestatis. Quàm enim periculosum fuerit negare palam tributum Cæsari, exemplo docuerant Theudas & Iudas, de quibus uidere est in Actis, & in Iosepho. Ecce hoc erat illud consilium sacerdotale, honestum uidelicet, & bonorum uirorum. Sed uideamus prudentiam ueritatis. Act. 5.

Cognita autem Iesus malicia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ?] Ad effugiendas insidias uersutorum: primum est, cognoscere maliciam illorum, tentationem & hypocrisim, ut uel fugiatur, uel cautè occurratur. Fugere, cognita reproborum malicia, eorum est qui agnoscunt se imbecilliores esse, quàm qui queant occurrere paratæ fraudi, ideoq; cauti fugiunt, instar auiculæ, quæ mox ubi uel suspicionis aliquid cœpit, præcipitanter auolat, ne irretiatur. Occurrere uerò fortium est & prudentum, qui hoc dono Dei habent, ut queant confundere sapientes & astutos in sua astutia. Huius exemplum nobis hic in Christo proponitur.

Primo statim congressu traducit illorum maliciam ac dolum, dicens: Quid me tentatis hypocritæ? Non est autem boni uiri, dolo agere, et tentandi gratia quærere quicquam, insidiasq; struere ad perdendum. Et hypocritas uocat, hoc est, simulatores. Simulabant enim se iustos esse, & ob id quærere quod cuperent ueritatem ac uoluntatem Dei certo scire, cum nihil huius ex animo quærerent, sed longè diuersum. At referebant probè magistros suos, Scribas & Pharisæos. Primum itaq; talibus impostoribus ita occurrendum est, ut prodatur ac publicetur illorum hypocrisis, postea minus nocere queant.

Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis: Cuius est hæc imago & inscriptio? Dicunt ei Cæsaris. Reddite igitur inquit, Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & quæ Dei, Deo.] Non simpliciter respondit: Reddite Cæsari, quæ Cæsaris sunt, et Deo quæ Dei. Quod simplicibus satis fuisset, sed ita respon-

sum instituit, ut uires suas habeat ex ipso tentatorum ore. Ideò primum interrogat eos, ut necesse habeant respondere, quod ad causam faciebat. Numisma census, erat Cæsaris, habebat illius imaginem et inscriptionem, adeoq; testabatur Iudæos esse in potestate Cæsaris, debereq; illi tributum, tanquam potestati superiori, iuxta diuinam ordinationem: tam aberat, ut à cultu Dei impediuisset. Rogat igitur:

Cuius est imago hæc & inscriptio?] Medium huius argumenti est. Reddendum esse unicuiq; quod suum est, quod sibi debetur. Numisma declarabat per imaginem & inscriptionem Cæsari deberi tributum, ideò tributum erat illi dandum. Huius gratia rogat de imagine & inscriptione numismatis.

Sed quid est quod rogat, quasi nesciat? Non ignorabat quod quærebat, sed quia negocium habebat cum illis, qui insidias tendebant uerbis ipsius, ideò uicissim extorquet ex ipsorum uerbis, unde capiantur. Et alioqui non immeritò dissimulat eorum scientiam, quæ non ad institutum ipsius faciebant, terrena non admodum curans, qui uenerat tradere cœlestia.

Reddite ergo Cæsari, &c.] Per diuisionem æquitatis, sumptam ex non contrarijs ac repugnantibus texit responsum, idq; ex ore aduersariorum, dicens: Cum ergo numisma ipsum, quo utimini refert Cæsaris supra uos potestatem, per imaginem & inscriptionem: & Cæsar nihil aliud exigat, quàm ut de numismate isto tributum sibi pendatis, quod non illicitè petit, posteaquam in ipsius potestate estis, non solum potestis licitè, sed debetis etiam illi reddere, quod ipsi debetur, et simul Deo, quod Deo debetur. Non enim utriq; idē debetur, sed diuersum: nec alterū ab altero impeditur, quò minus reddi possit. Itaq; reddite Deo quæ Dei, debitā scilicet obedientiam: & Cæsari quæ Cæsaris sunt, uidelicet tributū.

OBSER.

1 In genere. Sunt in isto Christi responso, duo notanda. Nam, quia lux est, more lucis, hic duo egit, quæ ueritati competunt etiam hodie. Lucis primum est, detegere quod in tenebris erat malè occultatum: alterum est, rerum docere ueritatem, ut sciatur quid agendum, quid uitandum. Ita Christus hic primū detexit istorum maliciam & hypocrisim: deinde, subiecit causæ ueritatem, non propter istos Pharisæorum discipulos, sed propter populū qui aderat, & ab ore ipsius pendebat. Vtraq; expectanda sunt à ueritate perpetuò, ubicūq; prædicetur.

2 Specialiter. Videmus hic quousq; obediendum sit magistratibus, & quomodo discriminandum inter Deum & Cæsarem. Licet enim sit minister Dei, aliud tamen ipsi, & aliud Deo debetur. Ergo duo hic docemur. Primum, non solum posse, sed etiam debere eos qui sunt ministri Dei, obedire magistratibus. Hoc tradiderunt Apostoli quoq;, Rom. 13. 1. Pet. 2. Vide Chrysost. Ro. 13. Alterum, aliud deberi Cæsari, & aliud Deo. Quod terrenum est, Cæsari: quod religionis est, Deo. Habemus in terrenis imaginē Cæsaris in numismate, quæ docet quid Cæsari debeamus. Rursus in anima gerimus obsignationē Christi & spiritus sancti, per baptismum obsignati, & nomine quoq; Christo inscripti: unde docemur, quid Deo debeamus. Non iubet Deus, ne demus Cæsari quod Cæsari debetur. Improbissimū & simul impiissimū fuerit, si Cæsar nolit Deo, sed sibi dari quod Deo debetur.

3 Tertio loco, quod generale est, docemur hic, unicuiq; dare quod suum est. Cui honorem, honorem: cui tributum, tributū: cui timorem, timorem. Currendum hic per omnes ordines cœlestes ac terrestres. Deus dominus & pater in cœlis. Illi suprema fides, dilectio, obedientia, supremus cultus ac timor debetur. Deinde sunt angeli, ministri Dei & conserui nostri. Illis debetur dilectio. In terris est magistratus, isti debetur obedientia in terrenis. Sunt doctores uoluntatis Dei, illi audiendi sunt ut interpretes Dei. Sunt parentes, his debetur honor. Sunt domini, istis obediendū est à seruis. Sūt mariti, his obedientiā debent in omnibus uxores. Sunt uxores, istis debetur à maritis dilectio. Sunt fratres in Domino, quibus debetur φιλαδελφία, Rom. 13. Præterea sunt creditores, quibus reddi debentur debita. Vide Psal. 37.

In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem.

Idem omnibus est studium impugnandi Christum, qui aliquid uideri uolunt in mundo, etiamsi inter se plurimum dissentiant. Quàm non conuenerit Pharisæis & Sadducæis, uidere est Act. 23. Et tamen hic postquàm nihil effecerunt Pharisæi contra Christum, succedunt Sadducæi, tentaturi, num ipsi possent, quod non potuerant Scribæ & Pharisæi. Verum Christus instar lucis immotæ à muscis quidem petitur, sed illesus persistit, & interea sapientiam sapientum confundit.

Qui dicunt non esse resurrectionem.] Tres Iudæorum sectas fuisse scribit Iosephus lib. 2. de bello Iudaico cap. 7. Pharisæorum, Sadducæorum, & Essenorum, inter quas Sadducæorum crassissima deprehenditur. Isti nō solum in hoc errarunt, quod resurrectionem esse negarunt, nec angelos esse crediderunt, nec spiritus ut est Act. 23. sed & prouidentiam Dei negarunt, Deo dantes, quod malum nec faciat, nec inspiciat, & quod omnia hominis uel ex bono uel malo ipsius proposito eueniant, & quod animæ nec honorentur, nec puniantur. ut in Iosepho uidere est. Horum igitur religio nullum alium habuit scopum, quàm ut hic liceret commodè agere: inuisibilia, nec crediderunt, nec curarunt, omnia hominis cum morte interire putarunt. Vnde non frustra à Iosepho scribitur, quod ditiores ac nobiliores Iudæorū illis adhæserint, hoc est illi potissimum, quorum erat portio in hac uita. Igitur Sadducæi exemplum habent omnium eorum, qui seculo præsenti uiuunt, qui in corde prouidentiam Dei, angelos, spiritus, resurrectionem corporū, futuram uitam, gehennam, & omnia illa quæ ratione comprehendi nequeunt, negant, quicquid ore fateri uideantur, quorum & uita est iuxta dictum Apostoli: Edamus & bibamus, cras enim moriemur.

Et interrogauerunt eum, dicentes: Magister, Moses dixit, &c.

De futura uita, de spiritibus, de angelis, de resurrectione mortuorum, Christus multa protulit in suis sermonibus. Vnde conspicuum erat, illum non facere cum Sadducæis,

Sadducæis, sed magis hactenus cum Pharisæis, qui hæc omnia credebant. Igitur sperabant eum uel negaturum resurrectionem odio Pharisæorum, atq; ita repugnaturum pristinæ suæ doctrinæ, uel si illã assereret, per absurditatem sententiæ pudefieri posse. Ideò proponunt causam insidiose structam ut apparet, siue ita factam, quod perinde est, desumptam ex lege Mosis quæ habetur, Deut. 25. Putabant autem, si futura esset resurrectio eundem fore necessariò, statum futuri seculi, qui nunc est, inde autem innumera euentura, absurda et incredibilia. Et hinc sibi argumentum tentandi Christum colligunt idq; non absq; astu. Nam reuera in corde non credebant omnipotentiam Dei, hoc est, non credebant possibilem esse corporum resurrectionem: uerum quia cõmunis omnium sensus est Deum esse omnipotentẽ, ideò non quod res erat proferunt, sed aliò confugiunt: nempe ad statum qui, si esset resurrectio mortuorum futurus esset omniũ confusissimus & absurdissimus. Q. d. Non dubitamus de omnipotentia Dei, sed nõ credimus Deum hoc uelle. Nam futurus esset status hominũ confusus & intolerabilis. Deus aũt nihil uolet cõfusum & absurdũ. Est aũt absurdum, si mulier una habeat duos, tres, quatuor, aut septem maritos. At id futurũ esset, si resurgendum esset hominibus. Igitur non erit resurrectio mortuorum. Nec præter rationẽ est, quod ex lege Mosi causam struunt. Nam alioqui sæpenumero usuenit, ut una mulier hic, morte interueniente, multis nubat uiris. Verum ibi periculum erat ne diceretur, atqui priori marito debetur uxor, reliquis non ita. Hic uerò ex lege cogebatur nubere alijs post mortem prioris, ut legis uirtute uxor esset æque posterioris atq; prioris. Et hic nodum struunt, dicentes: In resurrectione ergo, cuius è septem illis erit uxor? Nam omnes eam habuerũt. Omniũ esse non potest. Quia non licet uni mulieri plures simul habere maritos. Rursus neutri negari poterit, quia singulis ex æquo ui legis debetur.

Respondens autem Iesus ait illis: Erratis, nescientes scripturas, neq; uirtutẽ Dei scientes. In resurrectione enim neq; matrimoniũ contrahunt, neq; elocantur, sed sunt sicut angeli Dei in cœlo. De resurrectione uerò mortuorũ non legistis, quod uobis dictum est à Deo: Ego sum Deus Abrahã, Deus Isaac & Deus Iacob. Deus non est Deus mortuorũ, sed uiuentium.

Mitius respondet istis quàm prioribus, quia magis ex errore quàm malicia ipsum adoriebantur. Vbi discimus quàm mansuete sit agendum cum errantibus, & quàm seueriter cum malicijs hypocritis.

Habet aũt Christi responsum duas partes. Primum enim illos erroris arguit, adijciẽs causas erroris. Deinde ut ab errore eos reuocet ueritatem subiungit.

PRIMA PARS.

1 Erratis, inquit, nescientes scripturas, neq; uirtutem Dei scientes. Primũ admonet in genere erroris dicens: Erratis. Nam hoc ad instruendum errãtes primum est, ut agnoscant se errare. Alioqui nisi hoc persuadeantur, hauquaquam sinent se de ueritate instrui. Errabant aũt duplici nomine, quod resurrectionẽ mortuorũ attinet. Primũ in eo quod illam prorsus non credebãt futuram. Postea in eo quod putabant, si futura esset rediturũ eum statum seculi, qui in hac uita est.

Deinde errorum causas subijcit, dicens: Nescientes scripturas, neq; uirtutẽ Dei scientes. Quod autem hæc uelut errorum causæ subiecta sint ex Marco liquet, ubi sic legitur: An nõ propterea erratis quod nesciatis scripturas, neq; uirtutem Dei sciatis? Sed quomodo scripturas ignorabant cum quæstionem ex illis texuissent? Duplex est ignoratio scripturarũ. Vna cum prorsus etiam quod literam attinet ignorantur. De illa non loquitur hic. Sciebant enim scripturæ literam, nisi quod libros Prophetarum & reliquos non agnoscebant, præter solos quinq; libros Mosaicos. Altera est, cum sensus scripturæ ignoratur, & de ista loquitur hoc loco.

Videmus hic quomodo scripturæ ignorentur & quando sciantur. Scientia scripturarum exigit primum 1
cognitionem literæ: deinde cognitionem sententiæ & mentis. Mentis uerò cognitio non est simpliciter scire quid uerba significent, sed quod sit propositum, quæ ratio, quis scopus, quis finis scripturæ. Quemadmodũ hominem cognoscere, primum exigit ut facietenus & nominetenus cognoscatur. Deinde ut & ingenium illius, animus & uoluntas cognoscatur. Vt enim nucem non habet qui corticem tantum habet: ita hominis cognitionem non habet, qui corpus quidem cognoscit, mentem uerò ignorat. Ita Sadducæi sciebãt quidem literam eius loci quem citabant ex Mose, mentem uerò illius & rationem, scopum ac finem ignorabant. Non enim in hunc finem data erat ea lex, quod & in futuro seculo fuerit ualitura, sed ad præsens tantum spectabat. Ita & eum locum, quem Christus adducit, haud dubiè quod ad literam pertinet nõ ignorabant, mentem uerò illius non tenebant: nempe quid sit esse Deum alicuius.

Admonemur etiam hic, quid adferat scripturarum 2
ignorãtia, Errores scilicet. Et merito. Habent enim uerbum Dei. Et uerbũ Dei est lucerna pedum nostrorũ, & lucet in hoc seculo uelut lux in tenebris. Vide locũ Apostoli 2 Tim. 3. Omnis scriptura diuinitus inspirata, &c.

Neq; uirtutem Dei.] Altera errorũ causa. Ignorabant potentiam Dei. Ideò in articulo resurrectionis errabant. Nam in eo potissimum declaratur uirtus Dei quam Paulus in resurrectione Christi sæpe spectandam proponit. Atqui Sadducæi non dixerant: Quomodo poterunt mortui excitari? Quæstionem tantum mouerãt de statu seculi futuri, uerum ut suprà dixi: ea erat illorum astutia. Mali radicem non ostentabant, surculum tantum proferentes. At Christus ut peritus medicus, morbi causas aperit, quas ipsi uelut ægroti non obseruabant. Neq; enim sciebãt se scripturas: deinde & uirtutem Dei ignorare.

Docemur ergo hoc loco, ut in ijs fidei nostræ articulis, quæ uires exigũt, humanis maiores, adeoq; rationi nostræ uidẽtur impossibiles cõfugiamus ad uirtutem Dei. Huius cognitio primũ instinctu spiritus dei: deinde assidua scripturarum lectione: tertio diligenti & uigi-

lanti obseruatione operum Dei, acquirenda est. Sunt enim diuinæ uirtutis innumera argumenta ante oculos nostros. Ita in alijs, quæ ingentem exigunt bonitatem, humana maiorem, confugiendum est ad infinitam Dei φιλανθρωπίαν, cuius innumera sunt exempla, etiam quotidiana ante oculos nostros.

ALTERA PARS RESPONSI Christi.

Postquàm illos erroris, simulq; causarum illius admonuit, subiungit & ueritatis doctrinam, uelut medelam ad curandum morbum. Docet autem eos de duobus, quoniam & ipsi duplici nomine errabãt. Primum de statu eorum qui post resurrectionem felices erunt: deinde de eo quod omnino futura sit resurrectio, idq; ex ipsius Mosis scriptis.

In resurrectione, neq; matrimonium contrahunt, neq; elocantur, sed sunt sicut angeli Dei in cœlo.] Hoc pertinet ad propositã de muliere septemuira quæstionem. Et primum amouet absurditatis opinionem, quam de statu futuri seculi obiecerant. Vtitur autem distinctione temporum præsentis & futuri. Cuiq; tempori suus est status. Ita in Luca cap. 20. legitur. Filij huius seculi ducunt uxores & nuptum dant, illi uerò, qui digni habebũtur seculo illo & resurrectione ex mortuis, neq; nuptum dant, neq; enim mori possunt, &c. (Filios aũt seculi uocat, quotquot in hoc seculo uiuunt, & dignos futuro seculo, uocat eos, qui futuram felicitatem appræhendent. Nihil hic agit de differentia saluandorum & damnandorũ. Et quod in præsenti loquitur, nec ducunt uxores, nec nuptum dant. Nõ ita est intelligendum quod in hoc seculo ea sit proprietas filiorum dei & electorũ, ut nec nubant, nec nuptum dent, cum nec huc respiciat Christus quid in hoc seculo agant filij dei, sed quales sint futuri post resurrectionẽ, magis status illius qualitatẽ q̃ temporis designationẽ exprimẽs. Nec ea sit proprietas & conditio filiorum Dei in præsenti seculo, ut non nubant cum & nubant & nupserint innumeri electi, & maxima sit multitudo non nubentium, de quibus tamen non est credendum, quod sint filij Dei. Et præterea adiungit in Luca æque in præsenti. Neq; enim ultra mori possunt, & addit rationes: Sunt enim sicut angeli Dei, & sunt filij Dei, & filij resurrectionis. Primum qui hic cœlibes sunt, æque moriũtur atq; cõiuges. Isti uerò mori nõ possunt: deinde dicit ultra nõ possunt, Ergo loquitur de illis qui semel mortui sunt, & excitati è mortuis ultra non possunt mori. Tertio sunt sicut angeli Dei. Quare non poterunt ultra mori? Quia sunt sicut angeli Dei: Ergo de tali similitudine angelorũ loquitur, quæ excludat mortalitatem. Quàm uerò sequuntur pleriq; in hac uita, mortem non excludit. Et postremo. Et filij resurrectionis. Quare non moriuntur? Quia sunt filij Dei & filij resurrectionis: Ergo loquitur de regeneratis filijs dei per resurrectionem. Sicut & de Christo resurrectionis gratia dictus est: Hodie genui te. Vide in Actis. Firmum itaq; est, quod non ad præsens seculum hic respiciat Christus, sed ad futurum, ne matrimonij contemptores hic locum habere putentur.

1 Obseruanda est ista distinctio temporum & seculorum. Vt enim stultus fuerit & ordini Dei repugnans, qui quod hyeme gerendum est, conetur æstate: & quod æstate conetur hyeme: & quod noctu, uelit die, & quod die uelut nocte agere: ita non minus insipientis est, quod ad futurum seculum pertinet uelle exercere in præsenti, & quod præsentis est, quod Sadducæi uidentur hic scisse, transferre in futurum. Hic tempus coniugij, alibi non erit. Alibi status erit angelicus, hic esse non potest: nisi quatenus ad promouendum regnum Dei, quibus diuinitus hoc datur, ut in carne sine carne uiuant. Quisquis extra spiritum & uirtutem Dei angelicam uitam in speciẽ sectatur in hoc seculo, neglecta humana incidit in diabolicam. Et ideò Apostolus cautè loquitur, 1 Cor. 7. dicens: ne laqueum uobis injiciam. Et propter præsentem necessitatem uidelicet persequutionum. Non dicit propter uitæ futuræ et angelicæ uitæ statum in hac uita præsumendum. Ita præsentis seculi sunt labores & molestiæ, futuri quies & recreatio. Væ diuitibus qui inuerso ordine hic sectãtur suas consolationes cum diuite epulone. Illis dicetur: tu accepisti bona in uita tua. Bene illis, qui iuxta ordinẽ Dei hic cum Lazaro miseri sunt & adfliguntur, in fide & patientia permanẽtes. Isti audient: Lazarus uerò mala, propterea iam cõsolationem habet. Priores sunt pasiones & posteriores gloriæ. Et pasiones huius temporis, Rom. 8.

Sunt angeli Dei.] Non dicit: Erunt angeli, sed similes angelis, sicut angeli. Non enim humana natura & corporum substantia, animæq; & corporis coniunctio, corporũ formæ tollentur: sed quod infirmitatis est, quod mortalitatis, quod corruptionis, quod graue, quod molestum, quod tardum, quod miserum, quod inglorium, abolebitur per resurrectionẽ. In anima abolebuntur cæcitas, ignorantia, sinistræ opiniones, praui affectus, iræ, inuidiæ, metus superbiæ, &c. Hoc est esse sicut angelum Dei. Vide hic quanta sit felicitas futuri status. Proinde quisquis hic premitur & adfligitur sine prauis animi affectibus, sine corruptione et molestia, respiciat ad istũ statum angelicum futuri seculi, illoq; sese soletur. 2

De resurrectione uerò mortuorum nõ legistis quod uobis dictum est à Deo: Ego sum Deus Abraham, &c. Non est Deus mortuorum, sed uiuentium.] Aliarum est quod docet. Futuram esse omnino resurrectionẽ mortuorum. Probat hoc ex ipsius Dei uerbis sumptis ex tertio libro Exodi, ijsq; de Abraham, Isaac, & Iacob post mortem illorum ad Mosen dictus, ad hunc modum: Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob. Bene: Quis negat? Audi: Non est Deus mortuorũ, sed uiuentium. Et in Luca: Omnes enim illi uiuunt. Atqui mortui erant, Abraham, Isaac, et Iacob. Verum: Deo autem nõ erant mortui. Isti seculo & carni erant ad tempus mortui, Deo uerò uiuebant & etiamnum uiuunt. Sed quare non est Deus mortuorũ Deus? Expendendum quid sit esse Deũ alicuius. Nihil aliud scilicet, quàm esse illius seruatorem & uiuificatorem perpetuum. Hoc autem esse non potest mortuis. Opus igitur est, ut omnes illi uiuant, & quia non solum animarum est conditor Deus, & saluator, sed & corporum, ideò necesse est futurã esse corporum resurrectionẽ. Nisi hoc esset, absurdè & ridicule dixisset

dixisset Deus: Ego sum Deus Abrahã &c. post mortem illorum, si omnino instar bestiarum per mortem corporis intrãssent. Nemo præceptor potest de mortuis discipulis dicere: Ego sum illorum præceptor, sed eram illorum præceptor. Quia mortui discipuli illi non uiuunt amplius, ut possit illorum esse præceptor. Ita nec uxor potest dicere de mortuo marito, sum illius uxor, sed eram: nec uicissim uir de mortua uxore, sum maritus illius, sed erã. Nec parentes de mortuis liberis, sumus illorum parentes, sed eramus, (de dormientibus quidẽ possunt dicere, istorũ parentes sumus, quia etiam cum dormiunt illis uiuunt, & adhuc in illorum cura constituti sunt liberi, secus ubi mortui sunt.) Nec Dominus potest dicere de seruo mortuo, sum Dominus eius: nec seruus de mortuo domino, sum seruus eius: nec medicus de mortuo, sum medicus illius: nec de medico mortuo quisquàm dicere potest, est medicus meus, sed erat. Vt hæc omnia exigunt uitam, & extra uitam dici nequeunt, ita Deum esse alicuius exigit uitam. Nemo enim potest eius esse Deus, qui planè interijt.

Habet hic locus quod summopere notandum est: nempe quid sit Deum esse alicui. Crebro dicimus Deus meus, Deus meus: uerum rarissime expendimus, quid sit quod dicimus. Qui credit Deum esse Deum suũ, is sanè fidem habet omnia superantem peccatum, mortem, infernum, Satanam, mundum, &c.

Et cum audissent turbæ, stupuerunt de doctrina eius.

Potentia ueritatis ut magna est animos tamen excæcatos non commouet, sed eos qui simpliciter & candidè audiunt. Ideò de Sadducæis non hoc dicitur, quod de turbis commemoratur.

Pharisæi autem cum audissent, quod obturasset os Sadducæis, conuenerunt in unũ: & interrogauit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum ac dicens: Magister, quod est mandatum magnũ in lege?

Iterum uidemus ingenium maliciæ. Quanquàm bis antea uicti essent, & pudefacti, iterum tamen tentant. Quid ergo aliud ostendunt, quàm quod non ueritatem ipsam, sed aliud quærant. Qui nanq; pro ueritate certat, is certè, ubi de illa instructus fuerit, quiescit & instructionem illius amplectitur. Secus autem faciunt qui magis pro sua gloria quàm ueritate luctantur. Proinde nemo conetur satisfacere in causa ueritatis, his qui illã ex animo non quærunt.

Pharisæi cum audissent, quod obturasset os Sadducæis.] Sadducæi erant indoctiores, quod & Christus illis obiecit. Pharisæi uerò de scientia legis gloriabantur, cuius putabant Christum esse rudem. Itaq; non absterrebantur à tentando per id quod Sadducæi nihil effecerant. Cogitabant isti qui possent? Indocti sinite, nos uerò scientiam legis habemus. Rursus, per hoc ad tentandum animabantur, quod putabant Christum esse hominem idiotam, legis ignorantem, cuius conciones nihil legalis scientiæ resipiebant, ideoq; sperabant se illũ hoc nomine pudori obnoxium reddere posse. Subornãt igitur legis doctorem, qui quæstionem ex lege obijciat, nõ discendi, sed tentandi gratia. Nam hoc hominum genus in lege nihil aliud quærebat, quàm de scientia illius gloriam apud homines, quales eos etiã Paulus Roma. 2. describit: Interea tamen simulabant magnam legis obseruantiam, illamq; passim urgebant. Dicũt igitur: Magister, quoniam cœpisti docere populum nec nobis dicis, qua id potestate facias, opus erit omnino, ut scientiã habeas legis Dei, quam à Deo accepimus, quam tamen non ostendis in tuis sermonibus. Dic igitur nobis, quid sit in lege præcipuũ & magnũ mandatũ. Nisi enim hoc noueris, certè temerarius fueris, qui cœperis docere populũ.

Ait illi Iesus: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mẽte tua, Hoc est, primum & magnũ mandatum. Secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis, tota lex pendet & Prophetæ.

Licet malo animo interrogârit hic legis doctor, quia tamen in se quæstio erat pia, & cognitu necessaria: uel propter populum qui discendi gratia præsens erat, ad interrogata respondet. Dat autem responsum plenum, & bimembre, sumptum ex duobus locis legis. Primum membrum est ex Deuterono. cap. 6. quod quomodo adduxerit, uidere est in Marco. Alterum est ex Leuitico cap. 19. Et in his duobus mandatis totam legem & prophetas pendêre dicit, hoc est, compleri & summari, quatenus attinet rationem præceptorum Dei. Nam hic non agit de promissis, sed de mandatis Dei. Quicquid usquam in lege & prophetis docetur ac præcipitur ex hoc dilectionis Dei & proximi ueluti fonte fluit. & in illa radicatur. Vt certè Deo nequeat esse acceptum quod hinc ortum suum non habet, nec possit gloriari de legis obseruantia, quisquis nec Deum, nec proximum ritè diligit. Est itaq; mandatum hoc omnium amplissimum uirtute, licet uerbis sit breuissimũ, ut nemini mortalium sit possibile omnes illius particulas ἐπεξελθεῖν. Proinde relictis specialibus, tantũ generalia illius quædam expendemus. Alioqui percurrendum esset per omnes nostras cogitationes, animi motus et affectus, uerba, uires, acta, totam nostrã uitam. Nam ita iubet mandatum, ut diligamus ex toto corde, tota anima, toto intellectu, totis uiribus, &c.

QVID SIT, QVOD DEVS NOBIS præcepta dat.

Primo loco expendendum est, quid nos admonere debeat, quod Deus ille optimus maximus, à quo per peccatum Adæ desciuit totum humanũ genus, adhuc nobis præcipere dignatus est, quid à nobis requirat, quomodo uoluntati ipsius obtemperare debeamus. Colligimus ex eo, quod humanum genus non abiecerit, sed adhuc saluare destinârit. Donec medicus ægroto quid facere debeat præcipit, spes est uitæ. Vbi enim de uita desperat medicus, ibi certè nihil amplius præcipit. Ita planè & hic, indicium dat Deus, quod nondum abiecerit hominem, ubi ostendit præcipiendo, quod adhuc

curam

curam illius habeat. Est ergo hoc ipsum quod de uoluntate sua nobis præcipit, testimonium beneuolentiæ & gratiæ erga nos. Nam alioqui quid opus habet nostra obedientia? Quæ ægroto præcipiuntur à medico, non medici sed ægroti gratia præcipiuntur. Et mandatum eius, inquit, Christus uita æterna est. Spiritibus malis nihil tale præcipit, qui de gratia illius prorsus perierunt, adeoq; nulla est spes salutis ipsorum. Quisquis igitur salutis suæ rationem habet, ante omnia gratiã hanc Dei magni æstimet, illaq; cum gratiarũ actione utatur.

QVID PRAECIPIAT.

2 Diliges, inquit, Dominum Deum tuum. Quoniam præcepta Dei sunt præcepta medici, & hoc primariũ est inter ea quæ à deo nobis præcipiũtur. Præcepta uerò medici duo in se habent. prũmum quod morbum produnt & impugnant: alterum quod ad sanitatem promouent, ita omnino necesse est, & hoc præceptũ Dei duorum istorum habere rationem, cum ut morbum nobis prodat, tum ut salutis rationem ostendat, hoc est, ut doceat nos quales simus, quanq; corrupti: deinde quales esse debeamus, ut salui simus & felices.

Principio itaq; quod præcipit, ut diligamus Deum ex toto corde, tota anima, tota mente, totis uiribus. Indicat nos ita corruptos esse corde, anima, mente, & totis uiribus, ut Deum non amemus, sed contemnamus & odiamus, etiam odio omniũ penitissimo, & ob id nos esse omnium miserrimos & perditissimos, nisi ab ista corruptione liberemur. Idem & de dilectione proximi sentiendum est: cuius præcepto docemur, quàm & hic sumus deprauati nos ipsos diligentes nõ proximum. Alioqui quid opus erat præcipere, ut Deum diligamus & proximum? Quæ naturam habent incorruptam, his certè nihil est opus præcipere ut faciant quod alioqui naturæ ductu faciũt. Sit itaq; hac ratione nobis hoc mandatum speculum cordis, mentis & omnis uitæ nostræ, ut in illo uideamus quàm turpes simus. Quid enim turpius est, quàm non diligere Deum omnium nostrum parentem? Nec diligere quod nobis ὁμόφυλον est, cum tamen bruta id ingenij habeãt, ut diligant nutritores suos, & rationem habeant eorum quæ eiusdem sunt naturæ?

Deinde cognoscimus ex hoc præcepto quales esse debeamus, ut salui simus et felices. Diligentes scilicet & Dei & proximi. Tales uult nos esse nostri gratia. Nam si cum Deo unitum esse, est cum summo bono, imò ipso bonorum omnium fonte unitum, adeoq; & felicem esse, unde & Dauid dicit: Qui elongant se à te, peribunt, ratio uerò uiuendi nos cum Deo nulla alia monstratur, q̃ quæ hoc præcepto traditur, & de qua alibi in Epistola Ioannis priore legimus: nempe Deus est charitas, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo. Sequitur tum nos uerè felices futuros cum Deo per hanc dilectionem uniti fuerimus, tantumq; nos habere felicitatis, quantum habuerimus dilectionis. Et hæc est ratio, cur Apostolus dicat cessante fide & spe, charitatem perpetuo mansuram. Quia uidelicet attinet cõglutinationem nostri cum Deo, qui ipsissima est dilectio. Oportet enim coniunctionem niti affectuũ similitudine. Vt enim diuersitas morũ seiungit, ita similitudo cõiungit. In his igitur duobus, sita est huius præcepti ratio, quæ & ipsa nobis testimonio est diuinæ erga nos beneuolentiæ & gratiæ.

Psal. 73.

1 Cor. 13

QVOMODO DEBEAMVS Deum diligere.

Non simpliciter iubet ut diligamus, sed & modum 3
& mensuram præscribit, & in summa talem exigit dilectionẽ, quæ sit primũ uera & syncera: deinde sit perfecta. Verã & syncerã dilectionẽ cõcernit, quod dicit: Ex corde, ex anima, ex mẽte, ex uiribus tuis. Anima hominis uita hominis cõplectitur. Cordis sunt affectus. Mens est intellectus, ut et in Marco uidere est, ubi legis doctor uerba Christi repetijt. Nam quod Christus dixit: & in omni mente tua, ipse reddidit, καὶ ἐξ ὅλης συνέσεως, & ex omni intelligentia. Vires sunt, quicquid homo facultatis habet, quicquid præstare potest. Reijciũtur igitur quotquot labijs Deo appropiãt, corde uerò ab illo procul sunt. Condemnatur hic nostra hypocrisis, qua simulamus dilectionem Dei, cum reuera illum ex animo nõ diligamus. Ad perfectionẽ pertinet quod addit ubiq; perfectionis notam, cum dicit: toto corde, tota anima, tota mente, tota uirtute. Et condemnatur hic ea corruptio nostri, quod ex parte conamur Deo seruire, & ex parte mundo, id quod non solum facit ad iniuriam diuinæ maiestatis & bonitatis, sed et ad nostram felicitatem impedit, quæ nõ solũ in eo est, ut simpliciter diligamus, sed ut & syncere & perfectè diligamus. Quemadmodũ enim is non potest esse sanus, qui non uerã & perfectam habet sanitatem, ita certè felix & beatus esse nequit qui non uerè & perfectè Deum diligit. Vera aũt & perfecta dilectio ita comparata est, ut diligat ex omni corde, ex omni anima, ex omni intellectu, ex omnibus uiribus. Hic animat homo ubi diligit, hoc est, hic uiuit magis q̃ in seipso. Hic afficitur omni gaudio & consolatione, in uno illo sese oblectãs quẽ diligit, siue dormiens, siue uigilans. De uno illo cogitat, meditatur, loquitur & cantat. Quicquid intelligit illi gratum esse, hoc facit, & ex animo facit. Quicquid habet uirium & facultatũ, siue naturalium siue externarum uni illi impendit & consecrat, quem uerè & perfectè diligit. Hæ sunt notæ ueræ & perfectæ dilectionis, ideoq; in hoc præcepto exprimuntur. Et hoc itaq; pacto significetur, quàm quærat nostram salutem Deus. Alioqui quæ alia potest esse ratio, quod usq; adeò diuina illa & omnipotens maiestas à nobis uult diligi, cũ nihil illi queamus uel honoris uel utilitatis diligendo conferre?

QVOMODO TALIS DILECTIO Dei acquiratur.

Quoniam dilectio in se non tam ad scientiam quàm 4
ad affectum cordis pertinet, non potest humanitus doceri, sicut ea quæ scientiam exigunt. Quæ affectuum sunt, maximè dilectionis & odij nulla scientia & eruditione acquiruntur, (alioqui qui eruditissimi sunt, simul essent & in his affectibus perfectissimi, quod tamen non apparet,) sed aut per naturam, aut per gratiam cordibus nostris induntur. Vt amor parentum erga liberos, uiri erga mulierem: item quod amico affectu sumus erga benefactores nostros, & in summa ipse dilectionis affectus, ex natura est, nec potest ulla

doctrina

doctrina tradi. Corruptio uerò illius quod aliquando etiam parentes & amicos non diligimus, aut plus quàm par est, aut impurè uxores diligimus, Deum non diligimus, nos ipsos uerò omnibus præferimus, & quæ huiusmodi sunt, peccato debentur. Restauratio uerò huius dilectionis opus est eiusdem, qui hominem primum condidit. Is gratia spiritus sui dilectionis ueræ & perfectæ cum erga se tum proximũ in nobis restituit, iuxta illud: Charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. Et in Iob. Quis potest mundum facere de immundo conceptum semine, nisi tu qui solus es? Exigit itaq; hoc mandatum totius hominis regenerationem è supernis ex spiritu Dei, de qua Ioan. 3. Habet tamen ista dilectio Dei suam culturam in regeneratis, sicut & naturalis illa. Potest enim ali per fidem gratiæ Dei & meditationem beneficiorum Dei. Nam beneuolentia amorem conciliat etiam in brutis animantibus, unde Ioannes dicit: Diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Huc facit prædicatio gratiæ Dei in Christo. Vt ergo naturalis amor uel beneficijs, uel beneficiorum memoria alitur, uel obliuione perit & extinguitur, ita planè habet in regeneratis per spiritum Dei. Alitur etiam assiduitate precandi & colloquendi cum Deo. Nam hoc est ingeniũ amoris, ut ijs rebus alatur quibus delectatur & gaudet, sicut & ignis aridis & pinguibus, quibus gaudet fouetur. Gaudet autem dilectio colloquio amati. Vide historiã Danielis cap. 6.

QVO SIGNO DEPRAEHENDAmur diligere Deum.

Quoniam inter eos qui sese mutuo diligunt, magna est animorum similitudo. Verba uerò animi & uoluntatis habent significationem & ipsissimam mentis expressionem, non potest aliud esse, & certius & luculentius dilectionis nostræ erga Deum indicium & testimonium, quàm amor uerbi ipsius, & custodia uoluntatis eius, quæ in uerbo exprimitur. Sic Dauid: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, &c. Et Christus. Qui ex Deo est, uerba Dei audit. Et: Si quis diligit me, sermones meos seruabit. Et ita Deut. 6. subiungitur de iugi uerborum istorum meditatione & exercitio.

Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.] Quærendum, quomodo præceptum hoc dicatur à Christo secundum & simile priori. Si secundum est, quomodo simile est? Si simile est, ergo ne pari modo & dilectionis æqualitate diligendus est proximus atq; Deus? Et quomodo poterit proximus diligi iuxta Deum, cum primum mandatum iubeat, ut Deum diligamus ex toto corde &c.

Præceptum hoc secundum dicitur primum ordine. Nam ordine prius est, diligere Deum quàm diligere proximum. Itaque pessimum commentum est quod dicunt quidam, ordinatam charitatem incipere à seipsa. Initium dilectionis est à Deo, ut Deum primum diligamus, nõ nos ipsos: deinde post deum proximum, tertium non additur. Nam dicit: In his duobus mandatis tota lex, &c. Est ergo peruersa non ordinata charitas, qua primum nos ipsos: deinde proximum, & postremo loco Deum diligimus. Deinde, secundum est hoc præceptum à priore, & sui quantitate & dignitate. Nam plus est etiam non solum prius, diligendus Deus quàm proximus. Ad hæc & potior est dilectio Dei quàm proximi, sicut mater dignitate excellit filiam. Neq; enim dilectio proximi parit dilectionem Dei, sed dilectio Dei parit dilectionẽ proximi. Itaq; dilectionis proximi mandatũ secundũ est ordine, secundũ quãtitate, secundũ dignitate.

Quomodo autem simile est priori? Simile est, non ordine, non quantitate, non dignitate, sed sui qualitate & conditione. Qualitate eo quod dilectionẽ cõcernit. uelut si dicas hominẽ homini similẽ esse non ordine: nam hic præcedunt parentes aut seniores. nõ quãtitate: nam alius alio maior est. non dignitate, eò quod alij alios dignitate cum apud Deũ tum homines excellãt: sed primũ naturæ qualitate, deinde conditione. Quod enim attinet ad naturæ qualitatẽ, omnes sunt æquales, quotquot homines sunt: ita & quod cõditionem cõcernit, uidelicet, quod corruptibiles sumus & mortales, &c. Ad hũc modum & mandatũ de diligẽdo proximo simile est ei quod Deũ diligere iubet. Primũ qualitate. utrinq; enim præcipitur affectus dilectionis uerus syncerus & perfectus: deinde conditione. Nam ut dilectio Dei caput est omniũ eorum quæ Deo debentur, quæ omnia summantur in eo ut Deum diligamus, &c. ita & dilectio proximi caput est omnium eorum quæ proximo debentur, quæ in hoc præcepto summantur: diligas proximum tuum sicut teipsum. Et hoc est quod Apostolus scribit Ro. 13. Gal. 5.

Ad id uerò, quod quæritur, quomodo possit proximus post Deum diligi, cum Deus iubeatur diligi ex toto corde. Respondendum est, dilectionem proximi ueram & synceram qualis hic præcipitur, non esse ἀποσεμνυντικὴν, sed magis συμπληρωτικὴν dilectionis Dei, & ut Basilius alicubi dicit: ἐξ αὐτῆς ἁρτιμοῦσαν. Nihil aufert dilectioni Dei, sed illam magis adimplet. Imò qui proximum non diligit, is uerè Deum non diligit. Marito præceptum est ut diligat uxorem, sicut Christus dilexit Ecclesiam. Ei dilectioni nihil derogat, si simul diligat & liberos. Imò si liberos non diligat, certum est, quod nec uxorẽ uelut matrem liberorum diligat. Rursus uxoris est diligere maritum. Hic nihil impedit quominus diligat & liberos. Quin si liberos nõ diligat, certum est quod neq; maritum liberorum patrem diligat. Filij est diligere patrem & matrem. At ab ea dilectione tam abest ut impediatur dilectio fratrũ & sororum, ut nisi illos diligat, nec parentes uerè diligat, nec illis placere possit. Qui fontis riuulum diligit, ipsum fontem certè non odit. Qui fructus arboris diligit ipsam arborem non contemnit. Ita planè & hic habet. Nisi proximum dilexerimus, quem Deus fecit, certum est, quod nec Deum diligamus tam abest, ut qui proximum diligit, Deum diligere nequeat. Tantum, ut dixi, syncera & germana sit charitas, qualis hic præcipitur, ne peruerso modo plus diligamus creaturam, quàm creatorem. Vt enim peruersa dilectio est, si filius arctius diligere fratrem quàm parentes: ita si proximos uoluerimus uehementius diligere, quàm Deum. Iam primum decedet primo mandato, non per secundum, sed per nostram peruersitatem.

Diligenter

Diligenter itaq; uniuersis Christianis inculcandum est, quod hic Christus dicit. Secundum autem simile est illi, ut dilectionis proximi affectum talem esse agnoscat sine quo nequeat adimpleri dilectio Dei. Sed iam ipsum mandatum de diligendo proximo, expendamus.

Duo hic sunt uidenda. 1 Quid sit diligere. 2 Cur dilectionem nobis præcipiat.

Diliges.] Principio uidendum est, quid sit aliquem diligere. Definitionem dilectionis ponit Arist. lib. 2. Rhetor. ad hunc modum. ἔστι δὴ τὸ φιλεῖν τὸ βούλεσθαί τινι ἃ οἴεται ἀγαθὰ μὴ ἑαυτοῦ ἕνεκα, καὶ τὸ τῇ δυνάμει ποιητικὸν εἶναι τούτων. Hoc est, Amare est uelle alicui quæ putes bona, non tui ipsius gratia, & pro uiribus etiam ea quæ uolueris illi præstare.

Amare quid?

Itaq; & hoc præceptum exigit cordis iustificationem, uoluntatem præcipiens suauem & amicam erga proximum. Primum enim non dicit, benefacias proximo tuo. Potest nanq; fieri, ut benefacias nõ diligens, hoc est, nõ ideò benefacias, quod diligas, sed quod aliud quid quæras uel fugias, ut nihilominus corde sis erga proximũ insyncero. At Deus qui scrutatur corda, magis affectum cordis quàm externũ opus spectat. Pharisæi quoq; eleemosynas dabant, uerum non ob id quod diligerent, sed quod gloriam ab hominibus quærebãt, unde & illis dicebat Christus: Amen dico uobis, acceperunt mercedem suam. Et 1 Corinth. 13. Paulus dicit: Et si omnem facultatem meam insumpsero in alimoniam, uidelicet pauperum, & charitatem non habuero, nihil mihi prodest. Igitur nõ præcipit aliquod externum opus, sed quod est intimum in pectore tuo, ipsum uidelicet affectuum fontem iustum & syncerum exigit. Detestatur enim quodcunq; mendacium & omnem hypocrisim. Est aũt mendacij & hypocrisis genus dare & benefacere cum non diligas. Præsumitur enim diligere, quisquis dat & benefacit. Deinde non dicit: Ne odias proximum tantum. Ne malefacias proximo tuo. Neque enim satis habet, ut non odias, sed uult ut omnino diligas etiam.

Matth. 6

2

1 Itaq; nemo excusari potest, quin malus sit, nisi diligat. Nemo pauper potest dicere, pauper sum, pecuniam non habeo, præceptum hoc implere nequeo. Vtut pauper sis cor habes, animum & uoluntatem habes. De pecunia nihil præcipitur, de uoluntate præcipitur. Diligere non est idem atq; pecuniam dare, sed beneuelle alicui. Hoc æque præstare potes atq; omniũ ditissimus.

Pauper

1 Habet quidẽ & hoc dilectionis definitio, ut facias quoq; proximo, quæ illi bona optas, sed caute adiectum est: 2 τῇ δυνάμει. Deinde nõ hoc solum habet, sed & illud quoq;, quod bonis proximi congaudent, & de tristibus dolet. Quis pauper, si diligat, hoc non poterit præstare cum diuiti, tum pauperi? Ita nanq; comparati sumus, ut lætemur si fiat quod uolumus: rursus tristemur si fiat diuersum. Est autem gaudium uel tristitia, signum & certum indicium uoluntatis uel amicæ uel inimicæ.

1 Ioan. 3

Quemadmodum itaq; in diuite mundi huius substantiam habente, indicium est quod non diligat, si fratri egeno nihil dederit: ita in paupere uicissim indicium est, quod non diligat, si de diuitis facultatibus magis tristatur quàm lætatur. Vt ambo pariter cõtra præceptum Dei delinquere deprehendantur, idq; inexcusabiliter, cum omnibus sit præceptum, ut quisq; diligat proximũ.

Indoctus

Nec potest excusari indoctus, si nõ diligat. Nõ enim præcipitur ingens aliqua eruditio & scientia, quæ tamen reperiatur apud doctos: sed tale quid quod & bestiæ ratione carentes habere deprehenduntur. Quis adeò indoctus est, qui nihil prorsus putet esse bonum? Iam diligere non est aliud quàm uelle proximo ea bona, quæ tu putes esse bona? Vel ipse liuor testis est, quod putes bona esse, quæ alijs inuides? Inuides homini docto scientiæ splendorem & gloriam? Ecce putas bonum, doctum esse & in gloria uersari. Quid enim alioqui inuideres hoc proximo? Deprehenderis ergo malus esse, qui quod bonum putas non optas fratri atq; ita peccare contra præceptum Dei. Rursus qui doctus est, si non cupiat ex animo, ut doctus sit quem uideat esse indoctum, doleatq; de illius ignorãtia: aut lætetur si quem doctum uiderit, quandoquidem bonum putat, esse doctum, indicium est, quod non diligat proximum.

Infirmi & impotentes.

Pari ratione sentiendum est & de impotentibus, infirmis, & de potentibus ac ualentioribus.

Nec locum habet hic carnis astutia, ut dicat: Si nihil præcipitur, nisi ut diligam: diligam igitur, nec erit opus ut aliquid dem. Bene est. Diligas tantum. At dilectio hoc in se habet, ut libẽter det ei quem diligit. At ideò in definitione positum est, καὶ τὸ τῇ δυνάμει ποιητικὸν εἶναι τούτων. Falsum est igitur si quis dixerit, diligam, & nihil erit opus ut dem: uel catellum ita non poteris diligere, ut nihil des esurienti, nedum fratrẽ & proximum. Licet igitur nihil nominatim præceperit, quod dare debeas proximo, simul tamen omnia dare præcepit, non solum bona terrena, sed & ipsam uitam, si opus sit. Vnde & Christus dixit: Hoc est præceptum meum, ut diligatis uos inuicem, sicut et ego dilexi uos. Is autem ita nos dilexit, ut animam suam pro nobis dederit, unde & Ioannes colligit, dicens: Per hoc cognouimus charitatem, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus animas pro fratribus ponere. Quemadmodum enim proprium est misericordiæ, ipsis operibus succurrere misero, ita & dilectionis proprium est, libenter dare.

2

1 Ioan. 3

Et illi, qui dicunt: libenter darem, si scirem quantum dare deberem, testantur se non dare ex dilectione. Qui diligit, non opus habet ut instruatur, quantum dare debeat. Proinde in definitione adiectum est, τὸ τῇ δυνάμει pro uiribus. Quis pater ita dicit: libenter colligerem filiolo meo aliquam substantiam, si scirem quantum facultatum illi colligere debeam? Nemo prorsus. Quare? Quia uidelicet diligit filium, atq; ideò conatur illi τῇ δυνάμει benefacere.

3

Habet & hoc carnis ingeniũ, ut ubi audit illud Apostoli: Si omnem facultatem meam insumpsero in alimoniam pauperum, & charitatem non habuero, nihil inde utilitatis capiam. Statim cogitet: Nihil igitur dabo, satius est, ut seruem mea mihi, quàm ut frustra in alios insumam. Non enim sentio talem in me dilectionis affectũ qualem exigit hoc præceptum. Ista cogitatio est planè impia, & omni conatu retundenda, cogendaq; manus,

4

ut

ut det etiam animo non admodum consentiente. Habet enim animus noster instar ægri cuiuspiam omnis cibi fastidio laborantis, qui si uelit obtemperare fastidio suo, nunquam edendi appetitum acquiret, atq; ita certò morietur. Vnde & cogitur subinde aliquid uel gustare tantum: nec auditur, utut clamet, non appeto, non appeto. Perinde omnino cõparatus est & animus noster. Aeger est ubi non diligit, & quodam largiendi fastidio detinetur, quo nunquam liberabitur nõ dando, sed dando spes est quod liberari possit. Cogendus itaq; & hoc amplius ad dandum, sed ita, ut perpetuo suspiretur rectus dilectionis affectus, sicut ab ægroto suspiratur edendi iustus appetitus: deinde & imploretur gratia Dei, quæ animo ægroto succurrat. Si hoc fecerimus spes esse potest acquirendæ dilectionis. Quemadmodum enim usuræ & rapinæ assiduo exercitio alitur auaritiæ affectus, ita certè amoris affectus alitur beneficijs ac largitionibus. Vnde & Apostolus meo iudicio hoc ipsum respiciens, 1 Timo. 6. scripsit: Præcipe diuitibus, ut faciles sint ad impartiendum libenter communicantes. Alioqui diligenti proximum nihil opus est præcipere, quod alioqui promptissimus facit.

5 Nec illi locum habent in hoc præcepto, qui excusandi gratia dicunt: Non sum aliquo aduersus quenquam odio affectus. Nemini maleuolo. Atqui id quidem bonũ est, sed nondum satis ad implendum præceptũ Dei, quod iubet, ut diligamus. Quanquàm disputabile est, an uerũ sit quod dicis, an fieri possit, ut nec diligas, nec odias.

ALTERVM.

Secundo loco expendendum est, cur hoc præcepti genus nobis dederit Deus. An ob id, ut consultũ sit pauperibus, imperitis, impotentibus & infirmis, & quocunq; modo adflictis? Quòd si id spectasset, debuerat hoc præceptũ diuitibus tantum, doctis, potẽtibus, sanis, & prosperè habentibus dare. Iam quoniã non illis tantum præcipit ut diligant, sed & pauperibus, infirmis, indoctis, &c, indicium est quod aliò respiciat. Alioqui ipse sine nostra opera potest consulere miseris. Quid ergo est, quod à Deo quæritur hoc præcepto? Si expenderimus paternum affectum in Deo facile scienius quid quæratur. Habet affectus paternus erga liberos duo, ue
1 lut propria. Primum est, quod cupit illos animi sui ingenium referre, & imaginẽ suam ita exprimere, ut ab omnibus statim uel ex facie uel ex morũ qualitate agnoscantur, cuius sint. Sic Christus suprà 5. dixit: ut sitis filij patris uestri. Pater noster ipsa dilectio est, ipsa bonitas. Quid ergo filijs suis aliud præciperet, quàm ipsam dilectionem & animi erga quosuis bonitatem. Qui probus est, nihil æque expetit à suis, atq; ut & ipsi probi sint. Potissima gloria Dei in hoc est, quod bonus est. Bonitas enim Dei super omnia opera eius. Iam qua in re parens glorificatur, eam cupit & à filio exprimi. Cedit enim hoc utriq; ad nominis gloriam & splendorem. Sic suprà 5. Sic luceat lux uestra corã hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrẽ uestrum qui in cœlis est. Quoniam itaq; Deus bonus est, & ipsa dilectio, deinde & pater noster est, rectè hoc præcipit, ut diligamus alius alium.

Deinde habet & hoc paternus affectus, ut cupiat liberis suis esse quàm optimè. Ita & cœlestis pater, quo- 2
niam cupit nos esse felices, cũ in hac tum in futura uita, præcipit nobis dilectionem, non inuidiam aut odium. Quid autẽ suauius dilectione? Quid ad uitæ huius, alioqui miseræ, commoditatem appositum magis esse potest, quàm hæc ipsa proximi dilectio? Hæc si obtineret, nemo pauper esset, nemo cõtemptus, nemo solus ægrotus, nemo læderetur. Vide ingenium charitatis 1 Cor. 13 Rom. 12. Rursus ubi odium obtinet & inuidia, quid potest miserabilius excogitari? Inuidia Siculi non inuenere tyranni, Tormentum maius. Relictis itaq; reprobis ac damnatis inuidiæ torméto suis Deus dilectionis præcipit sanitatem & iucunditatem, ut testetur, quàm bene illis uelit, & quàm cupiat esse felices. Cain cum inuidiæ tormento præmeretur, audiuit à Deo: Quare iratus es, & quare concidit uultus tuus? Tormentum animi illius confestim auferre conabatur bonus pater. Verũ erat de reprobis, ideoq; mansit in concepto cordis rancore. Cain

Proximum tuum.] Secundo loco ponit, quem debeamus diligere. Proximũ inquit. Hac de re uide suprà cap. 5. Omnem hominem proximum esse, satis ostendũt uerba Christi, Matth. 5. ubi dilectionis præceptum exponens, & inimicum diligendum docet, quod & in parabola de Samaritano conspicuum facit, Lucæ decimo. Et Augustinus forti argumento illud euincit lib. 1. de doctrina Christiana, cap. 30. ubi sic scribit. Ita quoq; Apostolus Paulus docet, cum dicit: Nam nõ adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupisces, etsi quod est aliud mandatũ in hoc sermone recapitulatur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quisquis ergo arbitratur non de omni homine Apostolum præcepisse, cogetur fateri quod absurdissimum est & sceleratissimum, uisum fuisse Apostolo, non esse peccatum, si quis aut non Christiani, aut inimici adulteraverit uxorem, aut eum occiderit, aut eius rem cupierit. Quòd si dementis est dicere, manifestum est omnem hominem proximum esse deputandum, quia erga neminem operandum est malum. Et lib. de uera religione. Inhumanũ est, inquit, non amare in homine quod homo est, sed amare quod filius est, hoc est enim non amare illud in eo quod ad Deum pertinet, sed amare illud quod ad se pertinet. Et ibidem: Diligat homo proximum tanquam seipsum. Certè enim sibijpsi nemo est pater, nemo est filius aut affinis, aut aliquid huiusmodi, sed tantum homo. Qui ergo diligit aliquem tanquam seipsum, hoc in eo diligere debet quod sibijpse est. Augustin. nfgd.

Sicut teipsum.] Hoc ordine tertium est, quomodo & qua dilectionis mensura proximum diligere debeamus. Hac de re uide suprà cap. 5. & ca. 7. ibi: Quæcunq; uultis ut faciant uobis homines, &c.

In his duobus mandatis tota lex & Prophetæ pendent.] Et de hac particula uide suprà cap. 7. loco iam nominato. Quæcũq; uultis ut faciãt uobis homines &c.

In his duobus mandatis. Quomodo lex & Prophetæ pendeant ab his duobus mandatis, in eo uidere est, quod Apostolus Rom. 13. de dilectione proximi scribit: uidelicet, quod ea sit plenitudo legis, hoc est, quod legem

adimpleat: Ergo quicquid in lege docetur & Prophetis, ab illis adimpletur, qui Deum diligunt & proximũ. Quid igitur? Seruabunt ne isti adhuc circumcisionem, sabbata, sacrificia offerent & reliqua facient, quæ in lege mandantur, qui Deum diligũt ac proximum? Vtiq; seruabunt, sed hactenus, quatenus à Deo præcepta sunt. Qui parentem suum diligit, ad illius præceptum sub pædagogo est. Sed hactenus & tam diu, quatenus & quàm diu id placuerit patri. Quòd si ultra patris placitum uelit puer esse sub pædagogo iam non poterit illius præterire dilectionem cum uoluntati ipsius repugnet.

Ex Marco cap. 12. Et dixit illi Scriba: Bene præceptor cum ueritate dixisti, quod unus sit Deus, & non sit alius præter illum, quodq; diligere illum ex toto corde, & ex tota intelligentia, & ex tota anima, & ex tota mente tua, & ex totis uiribus, ac diligere proximum ut seipsum plus sit quàm uniuersa holocautomata et uictimæ. At Iesus cum uideret quod cordatè respondisset, dixit illi: Haud longè abes à regno Dei.

Tria sunt hoc loco obseruanda. Primum quanta sit ueritatis uis, apud eos, qui animo sunt nondum prorsus excæcato, quod in isto Scriba patet. Quæ de primario mandato legis Christum interrogauerat, non discendi, sed tentandi gratia interrogauerat. Nam ita habet noster: Et interrogauit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum ac dicens: &c. Tentandi aũt non discendi gratia quenquam interrogare, non est boni animi, sed insidiosi. Iam uerò, audito Christi responso, non solum non reluctatur neq; tacet, quemadmodũ solent plerunq; maligna ingenia, sed assentitur ueritati, Christiq; responsum laudat, atq; ita exponit, ut absq; dubio, parum gratiæ inierit apud concilium illud sacerdotum & Scribarum à quo fuerat ad tentandum Dominum subornatus. Vnde uicissim audit à Domino, encomium illud: Non procul abes à regno Dei. Declaratur in hoc legis perito, quàm nõ debeamus mox desperare de illis, qui ueritatem ad tempus impugnant. Non enim uniuersi tales sunt, qui sint illam animo obstinato perpetuo impugnaturi, sed multi ex illis, ubi declarationem illius audierint assentientur, deprehendenturq; magis amici quàm inimici agnitæ ueritatis.

Alterum est: Quomodo Scribam hunc Dominus nõ longè abesse dicat à regno Dei, & quid uocet hic regnũ Dei. Regnum Dei, gratiam eam uocat qua posterioribus temporibus, noui uidelicet testamenti, uera pietas & solida iustitia, quæ cordium est, per spiritũ Dei, diffusa circunquaq; cognitione Dei, illustrãda erat, per uniuersum orbem, ut iam Deus coleretur, & adoraretur non in umbris ac typis legalibus, sed in spiritu & ueritate, Ioan. 4. Ad istam ueritatem, doctrinã, & iustitiam regni Dei, legisperitus propè accesserat, expositione duorum istorum legis mandatorum, dicens: Bene præceptor dixisti quod &c. plus sit quàm uniuersa holocautomata & uictimæ, quod idem est cum eo quod Christus Matth. 9. dixit: Discite quid sit: Misericordiam uolo & non sacrificium. At Iudæi omnem cultum Dei collocabant in sacrificia, maximè holocautomata, quæ uelut umbræ quædam tempore noui testamenti erant abrogãda. Licet itaq; Scriba hic, quod iam prorsus esset legalis iste cultus finem suum habiturus, adhuc ignoraret: deinde rationem mysterij regni ac gratiæ Dei nondum uideret, quia tamen hactenus à reliquis dissentiebat, quod potiorẽ rationẽ dilectionis Dei ac proximi, quàm holocautomatum & uictimarum, habendam esset iudicabat, uicinior regni Dei, quàm illi, qui neglecta solida iustitia, omnia dabant umbris ac figuris, elementis illis externis quibus putabant Deum apprime coli & placari. Deprehendimus itaq; duplex genus Iudæorũ, eorum scilicet qui Christo nondum accesserũt. Vnum eorum, qui mordicus adhærẽtes obseruantiæ legis, cultum Dei collocant in sacrificia, purificationes, sabbata, circuncisionẽ, &c. neglecta uera ac solida, quæ cordis est, iustitia. Isti procul sunt à regno Dei. Alterũ eorum, qui licet & ipsi sacrificent, purgentur, circuncidantur, & reliquas legis umbras seruent, ista tamen nõ primo, sed secundo loco habent, agnoscentes ex illis non esse iustitiam cordis, sed uidendum potius, ut corde syncero & Deus ametur & proximus. Hi nõ longè absunt à regno Dei, licet ueram iustitiam regni Dei, quæ per fidem est, & principem iustitiæ ac salutis nostræ Christum, nondum agnoscant. Quemadmodum enim illi, qui in cultu Deorum, nõ quidem ita desipiunt, ut putent multos esse Deos, aut eos esse Deos quos cum reliquis ritu externo & consueto colunt, licet nondum intelligant, quis sit uerus Deus, & quomodo sit ille colendus, ob id non longè absunt à uero Dei cultu, quod hoc citius possunt de illo instrui, quò minus ab eo pendent, qui falsus est, & cum reliquis nõ ita mordicus falsis opinionibus addicti sunt, ut nequeant modico negocio auelli. Ita & hic habet, ut isti qui res externas non eo loco habent, ut opinionẽ iustitiæ in illas collocent, hac ratione non longè absunt à regno Dei & illius iustitia, quod facile ab externis ad ipsam ueritatem possunt adduci.

Imo triplex est genus Iudæorum qui filij regni erant. Eorũ qui procul. ij Eorum qui prope. iij Eorũ qui in regno Dei erant, ut erãt Christo credentes.

Tertium est, Quæ ratio habenda sit eorum, qui adhunc modum deprehenduntur nõ longè abesse à ueritate quicunq; tandem sint, etiamsi inter eos reperiantur, qui ueritatem impugnant. Hic diligenter obseruandum est in uniuersis mortalibus an quid inueniri possit, quod spem præbeat amplexandæ ueritatis. Perinde atq; ij faciunt, qui aurum & argentum in fodinis quærunt, qui ubi qualicunq; spe ducuntur, nulli labori parcunt. Vbicunq; igitur uiderimus animum Dei timentem, aut pietati quomodocunq; studiosum, aut à certis mẽdacijs abhorrentem, uel iustitiæ & probitatis amantem, aut bonitatis & misericordiæ, uel humilitatis & modestiæ, aut patientiæ, nonnihil præ se ferentẽ, statim cogitemus, hic non ineptus est ad regnum Dei. Nam ista omnia sunt eorum, qui ciues sunt regni Dei, talemq; hoc nomine colamus & prouehere studeamus.

Congregatis autem Pharisæis, interrogauit eos Iesus, dicens: Quid uobis uidetur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei, Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in spiritu uocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris

à dextris meis, donec ponã inimicos tuos subsellium pedum tuorũ? Si ergo Dauid uocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei respondere quicquam, neq; ausus fuit quisquam ex eo die eum amplius interrogare.

Pharisæi iam congregati erant ad subornandũ aliquem, qui quæstione proposita Christũ tentaret & irretiret, id quod per legisperitum, de quo iam audiuimus efficere, sed frustra, conati sunt. Cum itaq; iam congregati essent Pharisæi, qui sibi legis & prophetarum scientiam uindicabant quidem, de Christo uero uenturo ut parum intelligentes erant, qui tamen huc omnem debuerant cogitationũ seriem intendere, ut Christi cognitionem puram ac synceram obtinerent, quoniam de illo nihil percontabantur, neq; aduentum illius admodum desiderabant, neq; maiestatem & gloriam intelligebant, in cuius solius cognitione sita est salus ac uita æterna, Ioan. 17. non absq; ratione eos Christus interrogat, dicens: Quid uobis uidetur de Christo? cuius filius est? Non dicit: Quid uobis uidetur de me? cuius filius sum? Sed simpliciter de Christo, quem ipsi olim uenturum credebant, percontatus, qualem illum esse crederent, quàm probè de illo sentirent. Non enim parum hinc erat apud plerosq; impedimẽti, ne Iesum hũc agnoscerent esse Christum, in prophetis promissum, quod carnaliter de Christo sentiebant: putantes illum nihil fore aliud, quàm regem aliquem insignem, omniumq;, iuxta seculum potentissimũ, à quo essent à potentia inimicorum liberandi. Nam tale nihil in Christo uidebant, & quæ uidebant magis cœlestem quàm terrenum regem declarabant.

Dicunt ei: Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in spiritu uocat eum Dominum, &c. Arguit ab ordine ac serie naturæ, & æquitatis ratione: deinde & cõsuetudine & sensu cõmuni. Nec naturale, nec æquum, nec in usu est, ut filius sit patri Dominus, ut maiores posteriores suos uocent Dominos, sed patres à filijs & maiores à posteris uocantur Domini. Si ergo Christus est Dauidis filius: quomodo æquũ est, ut à patre ac maiore suo uocetur Dominus? Quod autem Dominus ab eo uocetur, negari non potest. Nam ita in Psalmo 110. expressum est. Et ne putetur temerè dictum, dicit Dauidem de Christo ad hunc modum in spiritu loquutũ, hoc est, spiritusancto afflatum. Marci 12. quod certè utrunq; aduersarij reprobare non audebant.

Quid ergo? Recusat Christus esse filius Dauidis? Cur igitur non reclamauit, cum toties acclamaretur: Fili Dauid, miserere mei? Item: Hoschianna, benedictus qui uenit in nomine Domini? Et quid est quod angelus ad Mariam dixit: Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris sui? si Christus nequit esse filius Dauidis, ob id quod Dominus illius est?

Non agit hoc Christus, ut euincat se non esse filium Dauidis, sed ut arguat ignorantiam, imò stupiditatem sacerdotum, Scribarum & Pharisæorũ, qua nihil aliud de Christo sentiebant, quàm quod conuenire posset hominis filio. Ita enim intelligebant eum esse filium Dauidis, ut regnum illi darent terrenum, cœlestè uerò nequaquàm, cum regnum ipsius esset non de hoc mundo, sed planè cœleste. Ita sentiebant eum esse filium Dauidis, ut filium esse Dei non solum non crederent, sed blasphemiæ loco ducerent, cum id de se Christus fateretur. Nam Lucæ 22. cum dixisset Christus: A modo uidebitis filiũ hominis sedentem à dextris uirtutis Dei. Quod sanè de cœlestis regni gloria diuinaq; maiestate dixerat, responderunt: Tu es ergo filius Dei? Et cum annuisset Christus, suggesserunt: Quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi audiuimus ex ore eius. Et Matth. 26. princeps sacerdotũ scissa ueste clamauit, dicens: Blasphemauit. Cum ergo uulgo de Christo nihil aliud sentiretur, quàm quod esset futurus terrenus quidam rex, qui populum Dei in terrenam quandam libertatem asseret, regnumq; terrenum ad fines usq; terræ dilataret, idq; futurus ex tribu Dauidis, uoluit ansam dare uel reliquis adstantibus, ampliora de gloria & maiestate regni sui cogitandi, quod non solum Dauidis filius secundum carnem, sed & filius Dei esset, & Dominus Dauidis, duplici uidelicet nomine. Vno, quod est uerbum illud patris, quo condita sunt & seruantur omnia. Altero, quod & secundum hominem conceptus est ex spiritusancto, uerus Dei filius, cui pater omnia in manus dedit. Itaq; Christus homo, quatenus ex Maria carnem accepit filius est Dauidis, quatenus uerò ex spiritusancto conceptus est, filius est Dei, & Dominus Dauidis. Malo hic intelligere Christum, & uerba Prophetæ, de homine Christo, quàm de uerbo illo æterno. Vnde & Matth. 26. dixit Christus: A modo uidebitis filium hominis sedentẽ à dextris uirtutis Dei. Et Ephe. 1. Vt sciatis quæ sit superueniens magnitudo uirtutis eius in nos, qui credimus secundum operationẽ uirtutis eius, quam operatus est in Christo Iesu, suscitãs illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, &c. Hæc & quæ Coloss. 3. & alibi de sessione Christi ad dexterã patris ponũtur, certè uerbo illi æterno, nisi per Synecdochen & uirtutẽ personalis duarum naturarũ unionis, competere non possunt: competunt autem homini Christo, nato, passo, mortuo, excitato, exaltato, adeoq; & ad dexteram patris collocato. Rom. 1

OBSER.

In isto Iudæorum errore, quo ita Christum putarunt Dauidis esse filium, ut id quod in illo principale est non sustinuerint agnoscere, adeoq; nec regni illius rationem ac maiestatem assequi potuerint, multorum errorum ac dissidiorum nobis fons & origo proponitur. Hinc enim plurimum est dissidiorum, præsertim in causa religionis (nam de illa tantum loquimur) quod in iudicandis ac cognoscendis rebus non omnes cuiusq; rei partes, sed aliquæ tantum considerãtur, atq; ita per insufficientem definitionem rerũ, paralogismi committuntur, & contentiones excitantur. 1

EXEMPLI GRATIA.

In Christo Iesu sunt duæ naturæ. Vna Dei, altera hominis. Est enim uerus Deus & uerus homo. Secundum Deum similis patri & per omnia æqualis, secũdum hominem Diuinitas & humanitas Christi.

minem minor patre. Qui Christũ nõ secundum utranq; naturam iudicat, is aut Deum tantum, aut hominẽ tantum esse contendit. quod multis hæreticis usuuenit, qui perinde atq; Iudæi ob id errarũt, quod legentes de Christo quæ hominis sunt, collegerunt Deum esse non posse, quum homo sit. Rursus alij quæ dei sunt in Christo considerantes, mox statuerunt uerum hominem esse non posse cum Deus sit.

Pædobaptismus. Contenditur hodie de pædobaptismate. Sunt enim qui contra uniuersæ Ecclesiæ Christi sententiam pueris credentium baptismũ Christi denegant, ob id, quod putant eos illius non esse capaces. Quæ est contentionis huius radix alia, quàm quod hoc hominum genus aliqua tantum quæ in baptismi ratione considerãda sunt, ita apprehendunt, ut quæ principalia illi insunt prorsus negligant? Talia scilicet in baptismate considerãt, quæ in pueris adhuc infantibus locum nõ habẽt, qualia sunt, quæ ab adultis meritò requirũtur, ut sunt: fides in Christum, pœnitẽtia præteritæ uitæ, carnis mortificatio, & in nouum hominem transmutatio, bona cõscientia erga Deum per resurrectionẽ Iesu Christi. Si roges eos quid sit baptismus, respondent esse signũ pœnitentiæ ab operibus mortuis, mortificationis ueteris Adæ, mutationisq; in nouam uitam, esse testimonium bonæ conscientiæ & id genus alia: quæ quidem à baptizatis in Christum meritò requiruntur, sed non ita, ut in se cõtineant plenam baptismi definitionem. Sunt enim adhuc alia in baptismate, quæ principaliora sunt, ac talia, ut & in credentium infantibus locum habeant: qualia sunt quæ magis gratia Dei, quàm nostræ rationis, uitæ & conuersationis facultate nituntur: utpote, quod qui baptizantur, in regnum, gratiam, peculium ac nomen Dei obsignantur, tanquàm gratiæ ac regni Dei participes. Baptismus est lauacrum regenerationis, at nõ ita ut regenerati tantum illo debeãt obsignari, sed etiam regenerandi. Est ablutio peccatorum per sanguinem Christi. At illius participes sunt quicunq; regni Dei participes sunt. Sunt autem illius non credentes tantum, sed & credentium liberi iuxta rationem fœderis cum Abrahamo credentiũ patre initi rationẽ, participes Matth. 19. Quòd si ista quoq; in baptismate considerarentur, sublata iam esset ista contentio, ut concorditer propter gratiæ Christi regniq; Dei cõmunicationem baptizarentur credentium infantes: etiam si nec de pœnitentia, nec de fide in Christum quicquàm exigi queant, & de adultis requireretur pœnitentia, mortificatio, uitæ innouatio, & cum primis fides in Christum quæ per dilectionem est efficax. Perinde atq; à Iudæorum infantibus circuncidendis, nunquàm exacta est fides, licet circunciſio ab Apostolo uocetur signaculum iustitiæ fidei, Roma. 4. Non enim id tantum est in circunciſione, quo carent infantes, & quod ab adultis rectè exigitur, sed & fœdus Dei, cuius quoq; circunciſio signum est. Gen. 17. Huius cum sint infantes participes æquè atq; adulti, rectè & circunciſionis uelut fœderis signi capaces facti sunt. Ad hunc modum erratur à multis & in cœna Domini dijudicanda: dum alij memoriam Domini tantum, alij eucharistiã tantũ, alij τὸ ἀγάπην tantum, alij professionem quandam faciunt, qua testetur communicans ad omnia aduersa se pro nomine Christi ferenda, paratum esse. Pauci sunt qui gratiã redemptionis, quæ per corpus ac sanguinẽ Christi constat, in illa considerant, cuius nomine ueteres illam infantibus quoq; cõmunicarũt, qui magis gratiã Dei, quàm nostræ uitæ rationis aut conditionis qualitatẽ in sacramentis Christi expenderunt. Consimilis error est & in iudicanda Christianorũ iustificatione ac salute. Hic quidam id tantum in fide respiciunt, quod efficax est per charitatem, eiq; efficaciæ tribuunt nostri iustificationẽ: quidã uerò magis expendentes quid gratiæ Dei per fidem apprehendantur, qua sola per remissionẽ peccatorum iustificamur ac saluamur, quàm quid fides in nobis operetur. Licet nõ negent illius efficaciam, nec de alia loquantur, quàm de efficaci ac uera fide, nõ operibus fidei, sed ipsi fiduciæ misericordiæ Dei in sanguine Christi iustificationem nostri adscribunt. Et in hac contentione continguit, ut qui carnales sunt, aut quibusdam operibus ac ceremoniolis, aut inani quadam non fide, sed fidei opinione salutem sibi polliceantur. Non est ergo hoc tantum in fide spectandum quid operetur, sed & quid per misericordiam Dei gratuito dono accipiat, (est enim donum Dei uita æterna) & rursus non hoc tantum, sed & quid in credente operetur, ut sit uera nõ inanis & mortua. Tale quiddam cõmittitur & in iudicando Christiano. Audias hodie qui dicant: uellem uidere aliquando Christianum. Quid istis deest? Christianum iudicant non ex omni, sed aliqua tantum sui parte, eaq; non principali, cuius gratia Christianus uocatur. Sunt enim in homine Christiano duo considerãda. Vnum quod habet ex gratia: alterũ quod per uitam exprimere debet. Ex gratia habet quod Christi est. Per uitam exprimere debet obediẽtiæ professionẽ. Prioris gratia potissimum Christianus uocetur. Per posterius ostendere debet gratiam Christi in se non esse inanem. Vt in uxore iudicanda duo sunt. Vnũ est cuius sit per fidei desponsationem: alterum quid marito debeat, nempe obedientiam. Iam non posterioris, sed prioris gratia uxor alicuius uocatur. Obedientia quippe per se non facit coniugem, sed fides. Alioqui & filiæ & ancillæ cõiuges essent patrisfamiliãs. Quemadmodũ & filium esse alicuius duo habet. unum quod natiuitas confert: alterum quod à filio debetur patri, honor uidelicet & reuerentia. At nõ posterioris, sed prioris gratia filius uocatur. Proinde sicut admonenda est uxor, ut uxoris officium exequatur si fuerit negligens, & non negandum quod sit uxor. Et filius patri non admodum obediens, non ita proijciendus est, ut neges eum esse patris sui filium, sed admonendus ut quod filij est sedulo faciat. Et discipulus licet nondum doctus, non ita culpandus est, si tardè promoueat, ut discipulum esse neges, sed urgendus ut studiosè discat, ne frustra tanti sit præceptoris discipulus: ita non sunt abijciendi qui Christi lauacro, nomine ac fide censentur, ut negentur esse Christiani, sed diligenter adhortandi & urgendi, ut in pietate & uera iustitia per gratiam Christi quotidie magis ac magis progrediantur.

Cœna domini.

Iustificatio.

Rom. 6

Ita si possit esse lu dæum ubiq; bene uiuere, Christianus tamen dici non posset, carens fide in Christum.

Secundo loco, obseruandus est hic articulus fidei 2
nostræ,

nostræ, quo credimus & cõfitemur Christum à mortuis excitatum, inq; cœlos exaltatum, sedere ad dexterã patris. Quid sit sedere ad dexterã patris uidere est Eph. 1. 1.Ebr.1. *Deinde licet post ascensionem, ista sessio Christi ad dexteram patris sit multa uirtute per spiritũ Dei declarata: plurimum tamen ad fidei nostræ confirmationem facit, quod per spiritum Dei iam olim prædicta monstratur. In quem usum locus iste* Psal.110. *contra Iudæorum omniumq; aliorum incredulorũ calumnias diligenter est notandus.* 2 3 *Vsus aũt huius articuli tria habet quæ nos concernunt. Vnum est, quod caro nostra sedet ad dexteram Dei accepto regno super omnia quæ in cœlis, & quæ in terra sunt.* Vide Eph.2. *Alterum est, quod tuetur nos apud patrem interpellans pro nobis.* Rom. 8.Ebr.7.9. *Obtinet enim sempiternum sacerdotiũ. Adhæc, uiuificat nos in terris, docet, illuminat, purgat, renouat, moderatur, solatur, ac confortat per spiritum suum. Per hoc enim quod ad dexterã patris collocatus est. Dominus super omnia, gratia & potestate sua omnia adimplere potest. Tertiũ est, imago quædam ad quam nos sumus reformandi. Vt enim portamus imaginem terreni, ita & cœlestis hominis imaginem portabimus,* 1 Corinth.15.

3 *Notandum est & hoc quàm in loco utatur testimonio Psalmi huius, quo non solũ declaratur, quod Christus sit Dominus Dauidis, sed & quod subijciendi sint sub ipsius pedibus omnes aduersarij. Hoc est, quod hostes ipsius habituri sint diuinã & cœlestem uirtutẽ sibi aduersam, cui nequeant sese subducere, sed cedere ac subijci cogantur. Per scabellum pedum intelligitur omnimoda subiectio. Tale quid est & illud* Phil. 2. *ut in nomine Iesu flectatur omne genu, &c. Habẽt ergo ista minas contra hostes Christi. Huc respexit & Stephanus* Act. 7. *Video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris uirtutis Dei.*

Et nemo poterat illi respondere.] *Hæc adiecta sunt ab Euangelista: ut partim declaret inuictã ueritatis lucẽ: partim innuat q̃ nequeat superari malicia impiorum. Licet enim nihil poterint respondere, nec ausi sint ex eo die quicq̃ Christiũ, tentando scilicet interrogare, odisse tamen nõ desiterunt. Hactenus tamen profuit cõfusos esse ac pudefactos ueritatis hostes, ut manifesta redderetur ipsorũ impudẽtia.* Tit.1 *Huc respicit et Apostolus, ubi iubet cõtradicentes arguere potẽti doctrina.*

CAPVT XXIII.

VNc Iesus loquutus est ad turbas, & ad discipulos suos, dicens: In cathedra Moysi sedẽt Scribę & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque iusserint uos seruare, seruate & facite: secundum opera uerò eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt. Colligant enim onera grauia difficiliaq; portatu, & imponũt in humeros hominum, cæterum digito suo nolunt ea mouere. Omnia uerò opera sua faciunt in hoc, ut spectẽtur ab hominibus. Dilatãt aũt phylacteria sua, & magnificant fimbrias palliorũ suorũ. Amantq; primos accubitus in cœnis, & primo sedere loco in cõciliis, & salutationes in foro, & uocari ab hominibus Rabbi. Vos autẽ nolite uocari Rabbi: unus est enim magister uester, nempe Christus: omnes aũt uos fratres estis. Et patrẽ nolite uocare uobis in terra: unus est enim pater uester qui in cœlis est. Nec uocemini magistri, unus est enim uester magister: nempe Christus. Qui maximus est uestrũ, erit minister uester. Qui autem se exaltauerit humiliabitur, & qui se humiliauerit exaltabitur.

Iam deinceps Christus, posteaq̃ abundè satis declarata est sacerdotũ, Scribarũ & Pharisæorũ cæcitas & obstinata malicia, ad populũ & discipulos instruendos & admonendos conuertitur, quibus ob oculos Pharisæorũ & Scribarũ fermentũ, quo caueri posit, exponit, simul adiungens q̃ arduũ & graue illos iudiciũ Dei maneat, maximè ciuitatẽ Hierosolymæ, eo quod gratiã Dei toties oblatã impie abiecerit, & in finẽ usq; abiectura sit. Ad turbas, inquit, et discipulos suos tũc loquutus est Iesus: Tunc, id est obseruato iam ore Scribarũ & Pharisæorũ, ita ut amplius nõ fuerint ausi quicq̃ interrogare. Tunc scilicet turbas & discipulos alloquitur, eos uidelicet, qui adhuc sanabiles erant. Exemplo isto admonentur uerbi ministri, ut si quãdo obstruenda sunt ora aduersariorũ, contra ueritatẽ latrantia id dextre potenti doctrina faciant: deinde uerò contenti non sint Tit.1 *per silentiũ aduersariorũ, sed gregem Domini studiose aduersus illorũ pestem cõmuniant, & ad studiũ pietatis cohortentur. Neq; enim satis est confundere & pudefacere aduersarios ueritatis, nisi & alumni illius ædificentur. Ita nanq; arcendi sunt lupi, ut oues liceat tuto pascere. Quemadmodum igitur ad ouium utilitatem arcentur lupi, ita ad fidelium profectum instituenda est aduersariorum confusio.*

In cathedra Moysi.] *Quoniã pleraq; repræhensurus est in Scribis & Pharisæis, quæ cum ad errorem per falsam doctrinã tum ad seductionẽ populi, per sinistram imitationẽ faciebant, ante omnia curat, ut quod bonũ habebant, non abijceretur simul cum eo quod malum erat. Bonũ erat, quod cathedrã Moysi administrabant, hoc est, quoã legem & Prophetas populũ docebant. Hactenus asserit illis autoritatẽ iubetq; audire & facere quæ dicũt, & facere quæ iubent. Hoc est, quod dicit: In cathedra Moysi sedẽt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcunq; iusserint uos seruare, seruate & facite, etc. Admonitionis huius duas causas inuenio. Prima est, ut tolleret suspicionẽ eã, qua putabatur aduersari legi Mosaicæ, per id quod sacerdotibus adeò erat infensus, quasi mox sit hostis legis Dei, quisquis quacunq; in re, legis ministros, Scribas et sacerdotes repræhẽdit. Quẽadmodum enim hodie quoq; pro religionis hostibus & Ecclesiæ inimicis habentur qui sacerdotũ, religionis &*

Ecclesiæ ministrorũ flagitia carpũt: ita tum qui causam & scopũ Christi non intelligebant, facile in id suspicionis incidebant, ut putarent hunc Iesum odio legis Mosaicæ impugnare sacerdotes, Scribas & Pharisæos. Ad auferendũ itaq; istum errorẽ, quoniã uehementer Scribarũ & Pharisæorũ reprehensurus est uitia, præmittit hanc admonitionẽ, qua saluã uult in illis Mosaicæ legis autoritatẽ, ut intelligatur nõ Mosaicæ legis ministeriũ in illis, sed quæ malè contra Mosen & docebant & uiuebãt, impugnare & carpere. Altera est, quod ita cõparatum est uulgus, ut modũ nulla in re teneat, atq; ita ubi in ministris religionis fugienda quædam monstrantur, statim soleat illos in uniuersum abijcere: & non solum quæ praua sunt relinquere, sed & quæ bona sunt cõtemnere, & religionis obseruantiã remittere. Igitur ne putent turbæ Scribas & Pharisæos ità fugiendos, ut & ministerium legis Mosaicæ respuant, præmonet adstantes, dicens: In cathedra Moysi sedent Scribæ, &c. ut hactenus obediãt Scribis & Pharisæis, quatenus quæ legis diuinæ sunt, docent. Moderanda est igitur uniuersalis illa: omnia quæcunq; iusserint uos seruate & facite. Ita ut non de uniuersis Scribarũ & Pharisæorũ traditionibus, sed de doctrina diuinæ legis, quæ per cathedram Moysi significatur, intelligatur. Neq; enim diuersus à seipso Christus est, ut quod alibi cauere iußit, hic præcipiat amplecti. Vide suprà cap. 16. quomodo Pharisæorũ doctrinã uitare iusserit. Erat enim doctrina illorum duplex. Pars erat non ipsorũ, sed Dei per Mosen data: pars erat ipsorum non Dei. Prior erat audienda, posterior relinquẽda. De priore ergo hic loquitur, exclusa posteriore, quam plerisq; in locis reiecit.

Secundũ opera uerò illorũ nolite facere.] Vtrinq; munit suos Christus, utrinq; quippe periculũ erat. De priore diximus: Iam expendendum est posterius, id est quod plerunq; doctoris uita magis ad exemplum trahitur, quàm doctrina ad obedientiã. Postq; ergo iußit facere quæ Scribæ & Pharisæi ex Mose docebant, cauendum putauit, ne quisquàm et uitam illorũ imitandã sibi esse arbitretur. Illorum inquam, de quibus loquitur. Alioqui si quisquam nõ solũ benè docuerit, sed & benè uixerit, non audienda tantum est illius doctrina, sed & sequenda uitæ cõuersatio & probitas. Sic Paulus dixit: Estote imitatores mei, sicut & ego Christi.

Dicunt enim & nõ faciunt.] Rationẽ illis reddit, cur non debeant imitari Scribarũ & Pharisæorũ opera. Nã insolens uideri potuit, quod uetabat sequi uitam eorum, qui alios ad uitã dei instituebant, sanctimoniaq; specie apud plebem conspicui erant. Perinde ac si quis uetet uitã monachorũ, qui omnibus sancti uidentur, in exemplum trahere, ideò subiungit: Dicunt enim & non faciunt. Hoc est, non uiuũt ad normã eorũ quæ ex lege docẽt: Nõ sunt prædíti uera erga deũ fide, uera dilectione erga Deũ & proximũ, uero ac syncero Dei timore.

Colligant enim onera grauia, &c.] Similitudine declarat quales sint, & quid faciant. Perinde faciunt, inquit, ac si quis ad hoc ordinatus, ut onera ferenda operarijs colligat, diuidat, inq; ipsorũ humeros imponat, seueriter & absq; ulla cõmiseratione grandia & importabilia struat, quæ ipse sibi ferenda ne semel quidem in animũ ducat: Ita scilicet Scribæ & Pharisæi austeri ac irremissi exactores erant eorũ quæ alijs ex lege Mosaica præscribebãt, uerũ erga se erãt plus æquo indulgentes. Lapsus populi duriter iuxta legis præscriptum castigabant, suos uerò negligebant, festucã in oculis populi uidebant & carpebant, trabẽ in suis non uidebant. Et hoc seueriores erant erga populũ, quod ex ea seueritate opinionẽ sibi zeli cuiusdam erga legem Dei uenabantur. Istam ipsorum hypocriticam seueritatẽ erga alios, & indulgentiã erga seipsos, non simpliciter, sed per exaggerationem redarguit hac similitudine Christus, cum non dicit: Colligant enim onera & imponunt alijs, ipsi uerò illa non ferunt, sed colligãt onera grauia, & portatu difficilia: deinde digito suo nolunt ea mouere. Nolunt inquit, ea ne digito quidem mouere. Vtrinq; illos grauiter accusat. Hinc præposteræ seueritatis, qua utebantur erga populũ: illinc nimiæ indulgentiæ erga seipsos, cui ita indormiebant, ut ne cogitarent quidem sibi quoq; eadẽ ferenda esse onera, quæ alijs imponebãt.

OBSER.

1 In cathedra Moysi.] Vsurpatur hic locus hodie ab illis qui Episcoporũ dominiũ defendendũ sibi sumũt, ad hunc modũ. Ecce Christus ipse iubet facere, quæ Scribæ & Pharisæi populo præscribebant, eo quod in cathedra Mosaica sedebant, etiam si ipsi quæ iubebant non faciebãt. Quòd si tanta fuit Moysi autoritas in ueteri testamento, ut malis illis Scribis et Pharisæis præcipiendi populo potestatẽ, et populo obediendi necessitatẽ præstiterit ac fecerit, quanto magis in Ecclesia Christi audiendi sunt, qui nõ in Moysi, sed Christi cathedra sedẽt, etiamsi ipsi mali sint? Si omnia Scribarũ & Pharisæorũ iussa seruanda erant Iudæis, quanto magis Episcoporũ iussa, quæcunq; illa sint, & q̃ grauia, facienda sunt & ferenda? Istis respondemus paucis. Sedeãt in Christi, non propria cathedra, id est, doceant quæ Christi non quæ sua uel aliorũ sunt inuenta, et fatebimur esse audiendos. Vt enim illic Christus nõ iußit obedire humana, sed diuina tradentibus, ita nec à suis hodie exigit, ut obediant diuersa ab Euãgelica ueritate docentibus. Oues, inquit meæ uocem meã audiũt. Non audiunt uocẽ alienorum.

2 Quæ dicunt facite.] Notanda hæc regula est omnibus Christianis, hoc maximè tẽpore, ubi tanta ministrorum Christi obtinet uarietas, ut sciamus quo loco quosuis habere et quos audire, quosq; declinare debeamus. Omnium optimi sunt, qui quod alios benè docent, ipsi quoq; factis exprimũt. Isti certè duplici honore digni sunt. Sed ea est huius seculi corruptio, ut tales rarißimi inueniantur, etsi inueniantur ægrè ferantur. Omniũ peßimi sunt, qui & malè docẽt, & malè uiuũt. Hi prorsus sunt fugiendi, maximè si sint hypocritæ. Medij sunt & tolerabiles, qui licet ipsi, quod alios docẽt, opere nõ faciant, docendo tamen hactenus prosunt, quod uera docentes neminẽ fallunt, nec quenq; prohibent, ne id quod bonũ est sequatur: imò ad hoc hortãtur, ut pie uiuatur. Isti sunt, de quibus hoc loco Christus loquitur, cum dicit: Quæ dicunt facite: Secundum opera uerò illorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt.

Hoc genus doctorum alijs est utile, sibi ipsi inutile, & coram Deo reprehensibile. primũ quod inobedientes sunt uoluntati & iußis Dei: deinde quod ne cogitant quidem quod alijs dicunt ad se quoq; pertinere: sed putant se ad hoc tantum positos, ut alios doceant, nõ ut ipsi quoq; bene uiuant. Qui morbus propè communis est omnibus doctoribus, principibus, iudicibus, præsidibus, operum exactoribus. Tertio quod nullam possunt ignorantiam prætexere. Nequeunt enim quid deo debeatur ignorare, qui id alios docent.

Vicißim uulgus non minore morbo laborat, dum in talibus ministris quod prauũ est, imitatur, quod bonũ est negligit. Doctrinam respuunt, ob id, quod malis moribus docentis impugnatur. Hic dicunt: Cur audirem istũ? Non facit quod docet. Contra istos sonat præceptũ Christi: Quæ dicunt facite. At qui hoc faciũt declarant se non teneri ueritatis cognoscendæ desiderio. Alioqui id facerent, quod esurientes faciunt, qui ubi cibos acquirunt, non disputant de eo quid faciat conuiuator & hospes qui cibos apponit, an & ille comedat uel secus, sed quod apponitur, auide sumunt: & quod uiatores solent, qui ubi uiæ monstratorem nacti sunt, licet cupiant illum simul proficisci, uiæ tamen cognitionem à nõ proficiscentibus traditam non respuunt. Qui aurum quærunt (quo simili & Chrysostomus utitur) de telluris aut arenæ uilitate nihil disputant, sed aurum uel in stercore, inuentum cupidè amplectuntur. Deinde, nõ solum doctrinam respuunt, quam debebant sequi, sed & uitam prauam, quam uitare debebant, imitantur. Hic dicunt: Quod si malum esset ita uiuere, certè doctores nostri non ita uiuerent. Cur hoc non facerem, cum ipsi pastores id faciant? Huc scilicet facit quod Christus dicit: Secundum opera uerò illorum nolite facere. Qui uerò hoc dicunt, ostendunt se pronos esse ad ea, quæ malè aguntur, imi-
Iuuc. sat. 4 tanda, id quod omnibus agnatũ est, iuxta illud Satyrici: Quoniam dociles imitandis turpibus ac prauis omnes sumus. Et illud: Sic natura iubet, uelocius & citius nos, Corrumpũt uitiorum exempla domestica, magnis cum subeunt animos autoribus. Sic uidemus pueros parentũ ac præceptorum uitia statim nemine iubente imbibere, & tenaciter per omnem uitam continere. Vtriq; igitur morbo Christus paucis uerbis medetur, cum dicit: Quæ dicunt facite, secundum opera uerò illorũ nolite facere.

3 Facite.] Notandum & hoc est, quod non simpliciter dicit: quæ dicunt audite, sed: facite. Non enim hoc tantum exigitur, ut audiamus, sed ut & faciamus quæ bene docemur.

Omnia uerò opera sua faciunt ad hoc ut spect.] Quoniam dixit: Dicunt enim & non faciunt. Ne putet quisquam quod hoc hominũ genus tanq; apertè malum, legiq; Dei ex professo repugnans carpatur, cum nemo maiori fuerit sanctimoniæ, pietatisq; specie præditus q̃ illi ipsi de quibus ista commemorantur. opus fuit subiungere quo morbo potißimũ laborent, & quo animo quæ faciunt, instituant. Erat enim admodũ insolens homines in speciem sanctos traducere hoc nomine, quod non faciant ea quæ ipsi alios docent. Orabant, ieiunabant, eleemosynas dabant, nec mandatorũ dei tantũ, sed & traditionum paternarum obseruantiam simulabant omnium exactißimã, ita ut & ne minutißima quidem negligere uideri sustinuerint. Quis istos etiam hodie, uel ijtis similes, dixerit non esse diuinæ legis obseruantes?

Culpat igitur omnẽ illorũ uitã, omnia illorum facta, utut in speciẽ bona. primũ hoc nomine, quod nõ simplici animo, deiq; timente, pro uoluntate & gloria Dei, opera sua faciant, quod tamen caput est ueræ pietatis obseruantiæq; dei. Nam hic non tam expenditur quid fiat, q̃ quo animo fiat. Non enim factũ spectatur, sed mens & intentio facientis. Hoc scilicet est, quod non carpit opera illorum uelut apertè mala, sed operantiũ propositũ, cum dicit: Omnia uerò opera sua faciunt in hoc, &c.

Admonemur itaq; hoc loco, ut dum bona operamur, cõtenti nõ simus ipso opere utcũq; præstito. Sed per gratiã Dei curemus cũ primis ipsum operũ repurgare fontem, cordis uidelicet affectus. Vt enim impuri sunt laticces, qui ex uena impura promanant, adeoq; ingrati, qua lesciq; in se sint: ita & ipsa opera, quæ ex malis oriũtur affectibus, licet bona uideãtur in speciẽ deo sunt ingrata & impura. Notũ est exemplũ Cain & Abel offerentiũ.

Vt spectentur ab hominibus.] Hoc est, ut gloriam auferant ab hominibus. Sic suprà ca. 6. ut glorificentur ab hominibus. Reijcit igitur à fini opera Scribarum & Pharisæorum, ob id quod serua sint inanis gloriæ, cum bonorum operum finis esse debeat gloria Dei, & utilitas proximi. Notanda est hoc loco differentia inter uerè pios, & hypocritas. Verè pij, quemadmodum suprà 6. docemur, unum hoc quærunt ut placeant Deo, illius conscientia contenti sunt, secretũ amant, cõscientiã mundi, humanũq; iudiciũ non admodũ curant. Hypocritæ uerò è diuerso oculos Dei negligunt, hominũ cõspectui seruiunt. Ratio est. Illi nõ suam, sed Dei: isti nõ Dei, sed suam gloriam ambiunt: illi non apud mundum, sed apud Deũ: isti non apud Deũ, sed coram mundo gloriam quærunt.

Non reijcitur hic prorsus mortaliũ aspectus. Nam & 1
Christus suprà 5. dicit: Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona. Verũ affectus ille, quo qui egregij aliquid faciunt mundo placere gestiunt, suamq; ipsorum gloriam quærunt damnatur. Ideò ca. 5. adiũgitur: Et glorificent patrem uestrũ qui in cœlis est.

Et affectus quoq; ille placendi hominibus non simpli 2
citer culpabilis est. Nã & Apostolus indicat se omnibus placuisse bonũ, 1. Cor. 10. hortaturq; ad id studij, ut omnibus placeamus, dũ iubet cauere, ne offensioni simus uel Iudæis, uel Græcis, uel credentibus. Et Rom. 15. per exemplũ Christi nos hortatur ad hoc, ut quisq; proximo placeat. Verũ utrobiq; addit quædã, quibus affectus carnis adimitur. Nã Ro. 15. præmittit. Debemus aũt nõ nobis ipsis placere. Deinde subdit: in bonũ, ad ædificationem. Et 1. Cor. 10. postq̃ dixit: sicut et ego per omnia omnibus placeo, adiecit: nõ quærens quod mihi utile est sed quod multis, ut salui fiant. Non est igitur mox istiPharisæorum morbo obnoxius, quisquis quod bonũ est publicè facit, aut in eo gaudet, quod hominibus placet. Sed is tantũ, qui inanis gloriæ cupidus unũ hoc quærit in eo quod facit, ut spectetur & laudetur ab hominibus.

Dilatant aũt phylacteria sua, & magnificant fim.]

Exempli gratia quædam enumerat, tanq̃ certa indicia morbi eius quo laborare dixit hoc hominũ genus. Nam ita cõparatus est iste affectus, ut studeat ijs rebus, quibus credibile est fieri posse, ut hominibus placeatur. Et huius gratia talem se quisq; gerit, qualis haberi ac uideri cupit. Placebant sibi ipsis Scribæ & Pharisæi, seseq; iustos, Dei timentes, aliorumq; doctores & magistros iudicabant, idq; ab hominibus æstimari uolebãt. Ideò quæ huc faciebant, mortalium oculis diligenter obijciebant: deinde & eum honorem, qui uiris iustis, dei timentibus, aliorumq; doctoribus debetur studiose ac sedulo uenabantur. Huc scilicet pertinent quæ Christus hic recenset. Primũ genus concernit, quod dicit eos dilatare phylacteria sua, & fimbrias palliorum suorum magnificare. Ad alterum quæ sequuntur pertinent.

Phylacteria Iudæis in usu fuerunt occasione uerborum Dei, quæ Deut. 6. legimus: Eruntq; uerba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis ea sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atq; consurgens. Et ligabis ea, quasi signũ in manu tua, eruntq; & mouebuntur inter oculos tuos, scribesq; ea in limine & ostijs domus tuæ. Isti itaq; mandato satisfacturi, decalogum Moysi, ut Hieronymus scribit, in membrana conscriptum, quasi coronam capiti circumducebant, idq; eius gratia, ut uiderentur memores præceptorũ dei. Et huiusmodi membrana ob eam rationem φυλακτήριον, id est custodia obseruantiæ, diuinæ uidelicet, uocabant. Iam qui uolebant uideri diuinæ legis reliquis obseruantiores, quales erant Scribæ & Pharisæi, phylacteria sua consueto latiora faciebant. Hoc scilicet est quod Christus hic taxat, cum dicit: dilatant phylacteria sua. Id est, solito ea ampliora faciunt, ut spectentur ab hominibus uelut religiosores cæteris, ac diuinæ legis obseruantiores.

Tale est & quod subiungit: Et magnificant fimbrias palliorum suorum. De fimbrijs palliorũ præceptum dei est Num. 15. Loquere filijs Israel, inquit Dominus, & dices ad eos, ut faciãt sibi fimbrias per angulos palliorum ponentes in eis uittas hiacynthinas. Quas cum uiderint, recordentur omnium mandatorũ domini, ne sequantur cogitationes suas, &c. Quid hic egit Pharisaica hypocrisis? Quoniam huiusmodi fimbriæ opinionem habebant animi Dei timentes, religiosi, præceptorumq; Dei memoris, ut uiderẽtur reliquos hac in re excellere, ampliores faciebant suas fimbrias, q̃ uulgus solebat, ostentationis gratia, quam hic Christus in illis notat.

OBSER.

Morbus hic in se generalis est, & propè mortalibus omnibus cõmunis, species habens uarias & innumeras. Cognata est enim corruptioni nostræ pestis ista, quod gloriam ab hominibus quærimus, ignominiã horremus. Hinc uaria placendi hominibus nascuntur studia, iuxta quod uaria sunt quæ ab hominibus suspiciũtur, & alius alio gaudet. Possumus istas species in duas partes seiungere: ut una concernat religionem ac pietatem: altera pertineat ad terrena. Quod ad religionem attinet: quoniam mundus non uult uideri impius, in bonis admiratur, in malis simulat se admirari & uenerari pietatem, obseruantiam & cultum dei, iustitiam, misericordiam, ueritatem, fidem, timorẽ Dei, humilitatem, castitatem, uirginitatem, abstinentiam, & si qua alia sunt eius generis, & si quos uiderit in spe[illegible]m talia præferre, illos suspicit & colit. Hic exercet se hypocrisis eorum, qui non Dei, sed suam ipsorum gloriam quærunt. Sic Scribæ & Pharisæi, ut uiderentur impense deuoti, plurimũ orabant in plateis, ut haberentur misericordes, cũ tubis eleemosynas suas euulgabant, ut cõspicui essent nomine ieiuniorum, obscurabant facies suas ieiunantes, ut opinionem acquirerent & obtinerent singularis obseruantiæ mandatorũ Dei, phylacteria sua dilatabant, & fimbrias palliorũ magnificabant. De suis temporibus quærunter & Hieronymus & Chrysostomus. Hieronymus notat quædam ad ostentationem huiusmodi facientia in superstitiosis mulierculis, quæ parua Euãgelia & signũ crucis in collo gestarunt. Chrysost. uerò & in sacerdotibus istã hypocrisim obtinuisse scribit. Quid huius habent nostra tempora? Quis enumerare poterit cũ superstitionũ tũ hypocrisæos genera? Idq; non in mulierculis tantũ, sed & ipsis sacerdotibus & monachis, quorum omnia nihil aliud sunt, q̃ aucupiũ æstimationis humanæ. Fit autem iustissimo dei iudicio, ut mundus, quoniam speciem externã magis q̃ rem ipsam amplectitur, per huiusmodi hypocritas decipiatur, illosq; neglectis uerè pijs ac iustis, qui nulla in re spectari cupiunt, colat ac ueneretur, magnoq; sumptu alat: & uicissim, quoniã hypocritæ nihil aliud quærunt q̃ nominis opinionem, et gloriam apud homines neglecta gloria dei, ut uanã mercem uenditant, ita & inani precio illã distrahant. Quid enim gloria quæ ab hominibus exhibetur inanius est, unde & scitissimè à Græcis κενοδοξία uocatur? Amen dico uobis, inquit Christus, receperunt mercedem suã. Supra 6.

Ex alio latere plurimum laborat hoc morbo uulgus, in ijs quæ nõ spiritalia sed terrena iudicantur. Hic alius diuitias ostentat, quoniã in hoc seculo honorabiles sunt diuitiæ. Hinc est dilatatio ædium, sumptus uestiũ, splendor totius cõuictus. Quid enim aliud agit qui his rebus studet, q̃ ut spectetur ab hominibus? Alius uult uideri doctus, eruditus, rerum intelligens, eloquens, &c. Huc seruiunt tituli graduũ, et studiũ edendorũ librorũ, ut liceat uolitare per ora uirorũ. Habet & donũ pulchritudinis suam gloriã. Hic plerunq; mulierculæ ut ab hominibus spectentur, comuntur, ornantur, uestiuntur, &c. idq; quod deplorandũ est, dum eundũ est ad Ecclesiã Christi, ut dici possint non ad orandũ, psallendũ, audiendũ Dei uerbũ, sed ad spectandũ, ut & ipse spectentur, in Ecclesia comparere. Celebrè est esse fortem, animosum ac dextrum. Hic quoq; multa designantur, maximè in rebus bellicis, unius ostentandæ dexteritatis gratia. In summa multorum capitum est hæc bestia. Deplorandũ est, cum egregia Dei dona sint, esse diuitem, doctum, formosum, fortem, & si qua alia coniungi possunt, quæ certè ad nostram utilitatem, & ad nominis Dei gloriam diuinitus dantur, quod ex illis ipsis nascitur ipsorum pernicies, studium scilicet inanis gloriæ.

Amantq; primos accubitus in cænis &c.] Ista indicant quid per ostentationem quæratur ab hypocritis

Finis

Finis ostentationis est, ut gloria potiantur apud homines. Glorioſum autem eſt, ubiq; primas obtinere, in potiundo honore: utpote in cœnis collocari loco honestiore. Is est in mensa ſuperior: item primo loco ſedere in conuentibus: in foro primum ſalutari, & ab hominibus honestiore titulo decorari. Horum gratia, quid non facit improba hypocriſis?

Quid ergo? An illicitum eſt ſedere primo loco in cœnis & Concilijs? Illicitúm ne eſt, ut qui reliquos excellunt honore inter homines potiantur? Non hoc agitur à Chriſto, ut inducat abiecta reuerentia & digna uenerationeſuperiorum uulgarem contemptum: ſed ut taxet ambitum & affectum inanis gloriæ. Ideò non dicit: Collocantur in cœnis: item in Concilijs, loco honestiore: ſalutãtur in foro, uocanturq; Rabbi: ſed, amant primos accubitus in cœnis, &c. Aliud eſt collocari primo loco, quod multis bonis uſuuenit, & aliud affectare et amare primum locum, quod ſuperborum tantum eſt. Ad hunc modum & admonitio Chriſti, quæ habetur Lucæ 14. intelligenda eſt. Idem enim illic quod hoc loco carpit. Alioqui, ut & Chryſoſtomus annotat non minus inani gloriæ ſub ſpecie humilitatis, infimo q̃ ſupremo loco ſedendo ſeruiri poteſt. Vt enim non eſt per ſe malum ſuperiore loco ſedere: ita nec imo ſedere per ſe bonum eſt. Poteſt fieri, ut ſuperiore loco conſtitutus, modeſto & humili, & inferior elato ſit animo.

Et primo loco ſedere in Concilijs.] Græcè eſt in Synagogis, id eſt, conuentibus Eccleſiaſticis. Quod hic deplorat Chryſoſt. de ſui temporis ſacerdotibus, idem & de noſtris deplorari poteſt. Notũ eſt, quantis iurgijs diſponi ſoleant in Concilijs, conſeſſus Epiſcoporum.

Et ſalutationes in foro, & uocari Rabbi.] Non ſimpliciter ſalutari amant Scribæ et Phariſæi, ſed priores ſalutari, quod præcipuorum eſt, idq; in foro, id eſt, loco frequenti, multis ſpectantibus: deinde & honeſto titulo uocari Rabbi, id eſt, mi Domine: uel, mi præceptor. Ita hodie quidã amãt uocari Doctores, Magiſtri.

Vos autem nolite uocari Rabbi, &c.] Iſta dehortatione indicat, quod ob eam cauſam Scribarum & Phariſæorum peruerſos affectus carpat, ut ſuos ab illis auocet, ne ut fieri ſolet huiuſmodi fermento corrumpantur & ipſi. Neq; enim ſatis habet hypocriſim horum hominum patefacere, æſtimationemq; illorum deijcere apud uere pios, niſi & cautos reddat ſuos, ne ſimili morbo inficiantur. Habet enim hoc in ſe Scribarum & Phariſæorum hypocriſis, ut non ſolum pietatis opinionem, per fictam illius ſpeciem in mendacio, acquirat, ſed & incautos ad ſui imitationem, per tantorum uirorum autoritatem alliciat, unde & à Chriſto alibi fermentum uocatur. Hac ratione ſæpenumero Chriſtus iſtam hypocriſim traducit, ut ſuis auerſandam & abominabilem reddat. Idem facit & hoc loco. Nihil enim aliud ſpectat, quàm ut imitationem iſtorum hominum prohibeat.

Quod autem non dicit: Vos autem nolite quæ facitis ad hoc facere, ut ſpectemini ab hominibus, nolite phylacteria ueſtra dilatare, nec magnificare fimbrias ueſtras neq; primo loco ſedere in cœnis, aut in Synagogis, ſed: Vos autem nolite uocari Rabbi, &c. non ideò factũ eſt, quod non uetet ſuis oſtentationis hypocriſim, & ambitum honoratioris ſedis: uetet autem hoc tantum, ne uocẽtur Rabbi, patres, magiſtri, ſed quod huius tantum mentionem ob id faciat, quod malum hoc & nocentiſſimum eſt, & inſidioſum ipſis quoq; Apoſtolis, nedum Epiſcopis, Apoſtolorum ſucceſſoribus. Et alioqui ambitus primatus Apoſtolos iam olim diuexare cœperat, ut ſuprà uidimus cap. 18. & 20.

Non eſt autem putandum quod omnino prohibeat, ne quis uocetur inter Chriſtianos pater, aut magiſter, aut dominus, ut illicitum ſit liberis eum unde ſunt genti uocare patrem: aut diſcipulis eum à quo inſtituuntur appellare magiſtri aut præceptoris uocabulo: uel ſeruus heros ſuos appellitare dominos, cum & ſacra ſcriptura iubeat, ut filij honorent patres ſuos, & Apoſtolus admoneat ſeruos, ut dominis ſuis obediant, & dominos ut æqui ſint erga ſeruos, & cum audiſſet in carcere à cuſtode carceris uocari dominos ſe & Silam, non prohibuerit. Verum ita uocari patrem, & magiſtrum, ut uocabantur Scribæ & Phariſæi, prohibetur hoc loco. Primũ illi amabant uocari Rabbi: Ergo affectus horum cognominum uetatur. Deinde ita uocari Rabbi uolebant, ut ab ipſis prorſus penderet populus domini, nec ulla in re placitis ipſorum repugnaret. At hoc pacto uocari patrẽ & magiſtrũ nemini mortaliũ cõpetit. Eſt enim unus uerus pater tantũ deus, et unus uerus magiſter Chriſtus, à cuius debeamus pendere præceptis, ut non liceat nobis in alterius cuiuſpiã iurare uerba magiſtri.

Peccatur igitur hic dupliciter. Primum ab illis qui iſtum honorem ambiunt inanis gloriæ ſtudio, exiguntq; ſibi ab hominibus quod deo debetur ſolet: Chriſto eius uidelicet, ut authenticum ſit & irrefragabile, quicquid tradunt ac præcipiunt extra diuini uerbi præſcriptum. Deinde peccatur & à populo, quod tales ſibi magiſtros & patres imponit, cui per omnia ſit obnoxius. Neq; enim ſolum dixit: Nolite uocari Rabbi, ſed etiam, ne uocetis uobis patrem ſuper terram. Vbi hæc duo regnant quid aliud eſſe poteſt in Eccleſia, quàm mera tyrannis, & captiuitas cõſcientiarũ, ut pro autoritate uerbi Dei regnet præſumptio humani cordis, & pro Deo adoretur homo puluis & terra, pro ueritate colatur mendacium. Hic ſcilicet fons eſt omnium errorum, omnium ſuperſtitionum, & cuiuſuis falſi cultus.

LOCI SVNT IN HAC MATERIA.

A cuius autoritate debeamus pendere omnes, quis ſit omnium pater, dominus & magiſter, cuius uerbum debeat regnare in Eccleſia. Deploranda hic eſt noſtri ſeculi corruptio, nõ minor quàm erat prioris. Plurimum erroris ac ſuperſtitionis inde promanauit, quod credentium conſcientiæ captiuæ fuerunt hominum præceptis. ita ut omnia ſint rabbinorũ ſuorũ præcepta uorare coactæ. Nunc uerò ita apud uulgus ſoluta eſt iſta captiuitas ut neq; expreſſo Dei uerbo obediat, nec cõſcientia peccati teneatur, ubi iã nõ cõtra humana ſtatuta, ſed abſq; ulla cõtradictione, cõtra uerbũ Chriſti delinquit. Quotus quiſq; hodie eſt, qui ea reuerentia & obedientia ſit erga mandatũ & uerbũ aliquod Chriſti, qua olim fuit erga Romanũ pontificẽ? Iam nõ eſt ſatis nulli mortaliũ addictum

addictum esse uelut patri, domino aut magistro: sed exigitur, ut uero patri, domino et magistro obediamus per omnia. Olim nihil licuit de quopiam Romani pontificis præcepto hæsitare ac disputare: iam audemus etiã Christi uerbũ in ius uocare. Hactenus regnauit superstitiosa captiuitas: iam uerò indomita temeritas quiduis sentiendi, loquendi, faciendi. Hactenus sub alterius magisterio fuimus extra Christum: iam neq; sub alterius, neq; sub Christi, sed sub suo quisq; proprio. At quid interest quem habeas magistrum, ubi Christum nõ habes? Quid refert apud quem sis maritum, ubi apud eum non es qui tuus est? Vt igitur delinquit uxor, nõ obediens proprio marito, sed suo utens arbitrio, etiamsi sui copiam alijs non faciat: ita certè hic peccatur ab illis, qui sui ipsorum sese constituunt magistros, nec Christo, nec cuiquam uel in Christo uel extra Christum morigeri.

2 Quo affectu debeamus esse erga nos mutuo. Omnes autem, inquit, uos fratres estis. Quicquid ergo frater fratri debet honoris & charitatis, id sanè debet Christianus Christiano. Non licet igitur Christiano, ut sese extollat supra reliquos, cupiatq; dominiũ obtinere inter fratres. Nec uicissim licet eum honorem inuidere fratri, quem non sibi ipsi usurpant, sed à Domino accepit. Qui maximus est uestrum, erit uester minister.]

Hoc satis indicat, quomodo prohibuerit suos uocari Rabbi & magistros: uidelicet, ut dixi, contra primatus ambitum, dominandiq; libidinem ista sunt dicta. Alioqui dixisset: nemo inter uos sit reliquis maior. Iam uerò ubi dicit: Qui maximus est uestrũ, erit uester minister. ostendit se non ita dixisse: Vos omnes fratres estis, quod per omnia uoluerit suos esse inter se æquales, sed ut eos, qui reliquos ex donis dei excellebant, ad omnium ministeriũ sese demitterent. Sed hac de re uide supra ca. 20.

Qui autem se exaltat, humiliabitur, &c.] Sententia hæc rationis uice subiecta est, quam habet geminam. Hinc enim seruit admonitioni, qua qui magnus est, iubetur sese omnium ministrũ facere: illinc uerò dehortationi, qua uetatur primatus ambitus. Valent autẽ istæ rationes non in hoc seculo, sed coram Deo. Nam in mundo diuersum uidetur. Qui enim sese humiliat in hoc mundo, non exaltatur, sed abijcitur: rursus, qui sese extollit, non humiliatur, sed suspicitur. Hinc prouerbium est apud Germanos: Vuer sich nit Kan auff richten, der muß gebucKt gon. Item: Vuer sich selb hinuuirfft, den uuirft yederman hin. Mundus enim nunq̃ hoc discit, ut quæ præclara sunt, humilitatis forma tecta, agnoscat. Nisi quod aurum in stercore latêre nouit per experientiam. At quæ deo sint grata, non apud humiles, sed apud nominatos quærit.

Sit hæc sententia certior, quàm astrorum quodcunq; portentum, deijciendos esse omnes eos, qui sese mundo pro dominis ac magistris uenditant, qui nihil aliud quærunt, quàm ut regnent in Ecclesia.

Væ autem uobis Scribæ & Pharisæi, hypocritæ, quia claditis regnum cœlorum ante homines. Vos enim non intratis, nec intrantes sinitis intrare.

Posteaquàm discipulos suos ac populum contra Scribarum et Pharisæorum hypocrisim, & per hypocrisim acquisitam æstimationem, nẽ illos imitarentur communiuit, rapitur iam commodum ui zeli ad increpandum, per apostrophen, illorum hypocrisim, fraudulentiam, auaritiam, cæcitatem & obstinationem simul comminans iræ diuinæ ultionem & maledictionem. Sciebat enim illos non ita tantum delinquere, ut ipsi sese cœlesti gratia redderent indignos, sed ut & populi simplicitatem & imbecillitatem ab ingressu regni cœlorum prohiberent, unde illud illis etiam primo loco opprobrat, cum dicit: Quia clauditis regnũ cœlorũ ante homines.

Væ uobis.] Maledictionem hanc octies hoc capite 1
repetit magna sanè spiritus uehementia, quali in neminem aliâs inuectus legitur. Admonemur itaq; hoc loco, nullũ hominũ genus ut pestilentius & nocentius, ita maiori quoq; maledictioni obnoxium esse, istis hypocritis: non solum aũt istis, sed quibusuis alijs istis consimilibus.

Hypocritæ.] Probrosa appellatio. Vide suprà ca. 6. 2
ibi. Ne tubis canatur ante te, sicut hypocritæ faciunt.

Qui regnum cœlorum clauditis ante homines.] 3
Regnum cœlorũ quid uocet, dictũ est suprà cap. 22. ibi. Non procul abes à regno Dei, ex Marco. Intelligit gratiam Euangelij, per quod regnũ cœlorũ prædicabatur.

Qui clauditis.] Non dicit, qui non aperitis: sed 4
qui clauditis. Apertũ enim erat ostium regni cœlorum per aduentũ Euangelicæ prædicationis. Illud Scribæ & Pharisæi ante homines claudebant, dũ homines ab illius ingressu, id est, à fide Euangelij Christi cohibebant.

Vos enim non intratis.] Declarat quomodo re- 5
gnũ cœlorũ claudant. Assignat aũt duas rationes. Prima est, quod ipsi in illud nõ ingrediebantur. Hoc plurimum ab illius ingressu remorabatur simplices, propter autoritatem ipsorum. Ita dicebant Ioh. 7. Num quis principum & Pharisæorũ credit in eum? Sed populus, qui non nouit legem. Maledicti sunt. Altera est, quod & ingredi cupientes prohibebant. Faciebant aũt hoc duplici uia. Primũ per sinistram legis interpretationẽ, uindicantes sibi ipsis clauem scientiæ, non ferentes aliquem legis & Luc. 11.
prophetarũ intellectũ, quẽ ipsi non assignassent. Deinde per excõmunicationis cõminationem ac terrorem. Iam enim conspirauerant in hoc, ut eijcerent extra Synagogam Christi confessores, Ioh. 9. quod sanè non solũ corporales adferebat molestias, sed & cõscientijs religione populi Dei obstrictis admodum graue uidebatur.

Notandum est hoc loco triplex esse genus eorũ ho- 6
minum, qui regnũ cœlorum non ingrediuntur. Primum 1
est eorum, qui licet alios nõ prohibeant, ipsi tamen non ingrediuntur. Alterum est eorũ qui ingredi cupientes, 2
metu potentium prohibentur. Tales multos fuisse tempore Christi ex Euangelicis historijs liquet. Tertiũ eo- 3
rum est, qui nec ipsi uolũt ingredi, nec alios permittunt, sed quoscunq; possunt impediunt ac prohibent: pessimi scilicet, maximè, si ij sunt qui ex officio debebãt quosuis ad ingressum regni cœlorum iuuare ac prouehere. Hac in re culpabiles sunt plerunq; qui in populo Dei primas tenent, principes & Episcopi.

Et hoc genus dispar est. Quidam enim ueritati per zelum

zelum Dei ſine ſcientia repugnant. Alij uerò per fraudulentiam, & inuidiam, quæſtus gratia, & ſtudio inanis gloriæ, ambitioneq; dominandi. De Scribis dicit Hieronymus, quod prædam de ſubiecta plebe appetentes ingreſſum regni cœlorum occluſerint. Et Chriſtus ſuprà in parabola. Et noſtra erit, inquit, hæreditas.

Reprehenditur igitur hoc loco maledicta illa Scribarum & Phariſæorum peruerſitas, qua cum ipſi debebant omnium primi regnum amplecti cœlorum: deinde & alios pro officio introducere, non ſolum non intrabant apertas regni Dei ianuas, ſed & alios ingredi cupientes ab illius ingreſſu quæſtus & inanis gloriæ gratia prohibebant. Quis non maledicet ei arbori quæ non ſolum ipſa ſit ſterilis, ſed & ſua proceritate & latitudine alias arbores à fructificando impediat?

Væ uobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia deuoratis domos uiduarum, idq; prætextu longæ precationis.

Opprobrat hic illis tria uitia. Voracitatem aut luxum, crudelitatem, & hypocriſim.

1 Quia deuoratis.] Ita comparatus erat ſtatus eorum, ut multa inſumerent, partim per auaritiam, partim luxu. Ita Eſaiæ 56. culpantur ſimul de auaritia & luxu, comparanturq; canibus impudentibus, qui neſciant ſaturari.

2 Domos uiduarum.] Hæc eſt illorum rapacitas, comes auaritiæ & luxus, duplici nomine crudelis: primum quod ne domibus quidem ſubditorum pepercerint. Quid reliquit miſero, qui ipſas illi ædes aufert? Deinde etiam uiduarum domos uorare, quantæ quæſo crudelitatis eſt? Sed quomodo uorarunt domos uiduarum? Quanquam hoc non exprimitur à Chriſto, Eſaiæ 10. tamen ab initio capitis declaratur, quomodo rapina hac ſint uſi. Væ, inquit, qui condunt leges iniquas, & Scribentes iniuſtitiam ſcripſerunt, ut opprimerent in iudicio pauperes, & uim facerent cauſæ humilium populi mei, ut eſſent uiduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Hinc facile colligimus, quomodo peruerſis ſtatutis, iudicijs, calumnijs, ſubornatis falſis teſtibus oppreſſerint impotentiores, maximè uiduas, utpote derelictas.

3 Idq; prætextu longum orantes.] Iſta eſt illorum hypocriſis, qua crudelem auaritiam, rapacitatem & luxũ obtegebant, ne quiſquam ſuſpicaretur quod quicquam iniquè agerent. Nam orare ad Deum, idq; plurimum & prolixè, ſpeciem habet hominis admodum pij, qui prudenter nemini ſtruat calumniam.

Hæc particula bifariam exponitur. Primum iam dicto modo. Deinde communiter ita, ut intelligamus eos ſpecie longarum precum uiduas ad hoc pellexiſſe, ut ædes ſuas uel certè precium ædium diuenditarum ad corbonam detulerint. Vide 2. expoſitionem Chryſoſtomi. Quid hic de noſtris Epiſcopis, ſacerdotibus & monachis dicendum ſit, ipſo ſole clarius eſt.

Propter hoc prolixius iudiciũ patiemini.

Quare? Quia ſcilicet iniqui erant, pauperum ſpoliatores. Deinde quia iniquitatem ſuam ſpecie ſanctimoniæ, & nominis Dei, obuelabant.

Admonemur ergo hic, Deo admodũ diſplicere eam hypocriſim, qua ſub ſuo nomine opprimuntur pauperes. Confeſſio delicti, minuit iudicium Dei. Obuelatio, maximè per ſpeciem cultus dei, plurimũ illud adauget.

Væ uobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proſelytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo magis quàm uos eſtis.

Taxat hic aliud genus hypocriſis. Volebant uideri zelo duci gloriæ Dei, promouendiq; regni Dei in eo, quod ſtudioſe nactum aliquem gentilem hominem ad Iudaiſmum inſtituebant, cum eſſent homines impij, nec aliud quærerent quàm conſeruationem ac dilatationem regni & gloriæ ſuæ, maximè tempore Chriſti, quo regno & gloriæ ſuæ plurimũ deſceſſurum uidebatur. Talem autem proſelytum, id eſt, aduenam è gentili factum Iudæum, non in aliud inſtituebant, quàm ut eſſet infenſiſſimus Chriſti hoſtis, et mordaciſſimus defenſor recens ſuſceptæ religionis. Et is partim gratificari uolens Rabbinis ſuis: partim glorioſum ſibi fore ducens obnixius gratiæ regni Chriſti reluctabatur.

Væ uobis duces cæci, quia dicitis: quicunque iurauerit per templum, nihil eſt, qui autem iurauerit per aurum templi, reus eſt. Stulti & cæci, utrum enim maius eſt, aurum, an templum quod ſanctificat aurum? Et quicunq; iurauerit per altare, nihil eſt: quicunque autem iurauerit per donum, quod eſt ſuper illud, reus eſt. Stulti ac cæci, utrum enim maius eſt: donum, an altare, quod ſanctificat donum? Qui ergo iurauerit per altare, iurat per ipſum, et per omnia quę ſuper illud ſunt. Et qui iurauerit per templum, iurat per illud, & per eum qui habitat in ipſo. Et qui iurauerit per cœlum, iurat per thronum dei, & per eũ qui ſedet ſuper illum.

Arguit hic eos non ſimpliciter ſtultitiæ & cæcitatis, ſed ſimul ſeductionis, cum uocat eos duces cæcos. Seduxerant autem populum falſa legis Dei expoſitione. Vetat enim lex, ne peieretur per nomen Dei. Leuit. 18. Et ne nomen Dei inaniter uſurpetur. Exo. 20. Hic docuerant non eſſe periurium contra legem, nec reum eſſe quenquam, ſi iuretur per templum, altare, cœlum, terram, &c. Nam id non eſſe iuramentum per nomen Dei factum, atq; ita effecerant, ut omnia abundarent periurijs, dum nemo cum conſcientia iuramenti per iſta iurabat. Hunc errorem & falſam legis expoſitionem corrigit Chriſtus, & ſuprà cap. 5. qui locus ex iſto facile intelligitur. Quid eſt autem quod honoratius eſſe uoluerunt aurum templi ipſo templo? et donum altaris ipſo altari? Apparet hoc iudice quæſtu fictũ eſſe, cui perpetuò ſanctius eſt aurum templo, & donum altari. Iſto iudice ſanctiora ſunt hodie in Eccleſia aurea & argentea idola q̃ lignea & lapidea, & quo quid precioſius eſt hoc diuinius eſt. Quandiu? Tantiſper dum iubet quæſtus.

Templum

Templum sanctificat aurum, & altare donum.] Quamuis Dei solius sit sanctificare, tamen aliquo modo quæ principalius Deo sunt consecrata, ad se pertinentia sanctificare dicuntur. Quemadmodum enim Cæsarea maiestas omnia quæ ad se pertinent magnifica reddit, & hac ratione quæ ad illum principalius pertinent, reliqua minora angusta efficiunt: ita & in hac causa, idq; hoc amplius, quò iustius sancta sunt, quæ ad Deum quocunq; modo pertinent, quàm angusta, quæ ad Cæsarem & regalia, quæ ad regem.

Qui iurat per altare, iurat per illud, & per omnia quæ super illud sunt.] Robur huius argumenti est in coniunctione eorum, quæ quouismodo ad unum finem pertinent, et rei possessæ cum possessore. Qui lædit rem Cæsaris, Cæsarem lædit: ita qui iurat per id quod Dei est, per Deum iurat.

Qui habitat in ipso,] Expendenda hic est, dignatio diuinæ bonitatis, qua inter homines habitare dignatus est. Nihil est autem ista habitatio Dei aliud, quàm singularis illa dei gratia, qua sibi populũ elegit, cuius esset Deus, & beneuolentia illa, qua se ad illius protectionem ac salutem præsto exhibet. Dictum est enim ad formam principis, qui tutandi populi sui gratia in medio illius habitat. Alioqui non potest domus aliqua Deo construi, qui omnia complet. Esaiæ ultimo. Act. 7.

Et per thronum Dei.] Expressio diuinæ maiestatis est in cœlo. Ideò dicitur esse thronus Dei. Vide suprà capite quinto.

Vę uobis Scribę & Pharisęi hypocritę, quia decimatis mentham & anethum, & cyminũ, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudiciũ, & misericordiam ac fidem: Hæc oportebat facere, & illa non omittere. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.

Aliud factum hypocriticum taxat: nempe simulationem legalis obseruantiæ, in ijs quæ minoris sunt momenti, quorum obseruantia uideri uolebant tam exacti diuinæ legis custodes, ut ne minuta quidem illius temerè negligerent. Nam in studio & æstimatione minorum, declaratur affectus erga uniuersa illius mandata: quem admodum ingeniũ hominis auari in eo deprehenditur, quod etiam minutissima æra studiosè colligit, in quo animaduertitur quo affectu sit circa aurum. Quasi minuta æra inter diuina legis præcepta erant, quæ decimationẽ cõcernebant, respectu grauiorum, quæ auri loco erant, & etiamnum esse debent, ut sunt: fides, iudicium, misericordia. Hæc grauia negligentes, prodebant se non uero, sed hypocritico diuinæ legis studio ad ostentationem teneri, dum mentham quoque anethum & Cyminum decimabant.

Chryſoſt. Hiero. *Sunt qui intelligant Scribas & Pharisæos hic non solum hypocrisæos, sed & auaritiæ taxari, ob id, quod tam studiosè decimas à populo exegerint, ut ne minutarum quidem rerum neglectũ sustinuerint: quasi decimæ ipsis cesserint in usum, quod non est uerisimile, nisi fuerint ex tribu Leui, ad quam pertinebant decimæ. Et uerbum ἀποδεκατεῦω, non solum decimas exigere, sed & pendêre significat, quo certè sensu Lucæ 18. sumitur ubi Pharisæus inter cætera dicit ἀποδεκατῶ πάντα ὅσα κτῶμαι, id est, decimas do omnium quæ possideo.*

Et huc pertinet simile declarandi gratia subiectum, quo dicit: Duces cæci, excolantes culicem, & glutientes camelum. Nam ita declarat quàm fuerint peruerse anxijs conscientijs, imò quàm simularint conscientiarum erga præceptorum dei custodiam anxietatem, omnium peruersissimã, tergiuersantes in negligenda re minuta, uelut in sorbendo culice, & proni ad transgressionem grauiorum, quæ per camelum intelligit.

QVAE SINT OBSERVANDA hoc loco.

Docemur hoc loco, quid sit uerum studium obseruandorum mandatorum dei, quod hypocriticũ & peruersum. In mandatis Dei diuersitas est, quod non solum suprà cap. 22. in quæstione primarij mandati, sed et hoc loco patet, ubi ponuntur quædam grauia, quædam leuiora, licet utraq; diuinæ legis mandata.

Grauia sunt, quæ magis referunt animi Dei studiosi pietatem, et ad ingenium diuinum, ad quod reformandi sumus, propius accedunt, ut: sunt fides, iudicium, misericordia, dilectio Dei & proximi, spes, patientia in aduersis, & quæ alia consimilis sunt momenti: Hæc grauia dicuntur bifariam: æstimatione scilicet, quemadmodum aurum pondere & grauitate censetur, præstantius ijs, quæ pondere & grauitate deficiunt: deinde et factu grauia, ob id, quod non nisi à iustis ac pijs præstari possunt. Grauia.

Leuia sunt, quæ externis operibus adimplentur: qualis erat decimatio, cuius hic fit mentio, & quæ typica erant, ut Sabbati, nouiluniorum, purgationum, ciborum & circumcisionis præcepta. Leuia primum æstimatione respectu grauiorum, deinde & factu: quoniam à quibusuis, etiam impijs, fieri poterant. Leuia.

Hic quid facit animus uerè Dei timens? Quæ grauia sunt summo studio obseruabit, sed ita, ut & minuta non negligat, sciens illa à Deo esse præscripta, iuxta sententiam Christi. Hæc oportebat facere, & illa non omittere. Decet enim uirum Dei adimplere cum Christo omnem iustitiam. Nam ut & alibi dicit Christus: Qui in modico infidelis est, infidelis est in magno. Proinde curandum nobis, ut & minuta quæ diuinitus nobis præscripta sunt, non negligamus. Nam qui negligit minora paulatim incidit in maiora, id quod auari homines considerant, quorũ hac in re imitanda est solertia et cautio.

Hypocrita uerò quid? Quoniam certum est, id esse hominis Dei studiosi, etiã minuta diuinæ legis mandata diligẽter custodire, simulat id studij exactè, ut uideatur talis esse, qui summa sit erga mandata Dei obseruantia. Grauia uerò, quæ cum primis erant seruanda, prorsus negligit. Hoc scilicet fecerunt Scribæ & Pharisei, & quoniam duces erant populi, etiam hũc absq; dubio isto hypocrisæos suæ fermento infecerunt, ut & ipse neglectis grauioribus, minuta in speciẽ persequeretur. Quid hic dicam de nobis Christianis, sacerdotibus & populo? Certè humana statuta, quæ leuioris sunt momenti quàm præcepta Dei, studiosè & seruarunt & seruare docuerunt,

runt, mandata uerò dei neglexerunt, & negligendi cau sam populo dederunt. Vide quid Augustinus ad Ianua-
August. rium Epistola 119. quæratur, ubi sic scribit: Sed hoc ni-mis doleo, quia multa quæ in diuinis libris saluberrima præcepta sunt, minus curantur, & tam multis præsumptionibus plena sunt omnia, ut grauius corripiatur, qui per octauas suas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem uinolentia sepelierit. Et paulò post. Vt tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnouerint, legalibus tamen sarcinis nõ humanis præsumptionibus subijciuntur. Et hodie, qui in quadragesima uel ouis, uel lacte, uel carne uescitur: non dicam grauius corripitur, quàm si adulteriũ commisisset, sed prorsus necatur. Cui debetur ista calamitas, nisi Episcopis? Si quæratur hodie, ubi sit fides, ubi iudicium, ubi misericordia inter Christianos, apud quos ista reperiemus? In locum iudicij introducta est tyrannis, & iniquitas, misericordiæ succesit calamitas & inhumanitas, fidem expulit superstitio erga Deum, & perfidia erga proximum.

2 Locus hic exigit, ut decimarum causa, usus & abusus expendatur. Primum qualis fuerit apud Iudæos: deinde apud Christianos. Verum paucis quæ hunc locum cõcernunt possunt absolui, licet immensus sit hodie de-
Deut. 26. cimarum abusus. Populo Israeli præceptũ est à domino, ut decimas darent de omnibus bonis suis. Ratio huius præcepti erat, ut sacerdotibus & Leuitis, quibus nulla portio in diuisione terræ cesserat: deinde aduenis, uiduis, pupillis esset subsidium. Hac ratione autem dominus sibi dari decimas præcepit, eò quod istis alioqui nunquam fuisset prouisum, si populo quiduis dandi liberum permisisset. Iam lex ista apud Christianos, quod ad literam attinet locum non habet. Mens tamen illius adhuc hodie ualet. Et quoniam Christianorum est prouidere ministris Ecclesiæ, aduenis, uiduis, pupillis & pauperibus, credibile est magistratus (nam horũ sunt decimæ, uide 1. Samuel. 8.) Ecclesias Christi hac liberalitate donasse, quæ certè nec hodie repudianda est, sed studiosè seruanda. Non enim commodius posset prouideri istis, quàm hoc pacto. Quod autem in tantũ abusum decimæ per incuriam Episcoporum cesserunt, ut iam nõ solum non sint tributa egentium animarum, quæ esse debent 16. Quæst. 1. ca. Decimæ. Sed ad peßimum luxum sacerdotum, & magnatum auaritiam seruiant, huius rationem reddent, non qui decimas dant, sed qui illas exigũt, & tam turpiter consumunt. Sed uide plura de decimis, in libro D. Sebastiani Meyers sanctißimi Christi ministri, cui titulus est: Des Pabsts iarmarck.

Væ uobis Scribæ & Pharisęi hypocritæ, quia purgatis exteriorem poculi patinæq; partem, cæterũ intus plena sunt rapina & intẽperantia. Pharisæe cæce, purga prius quod est intra poculum & patinam, ut & exteriores horum partes purę reddantur.

Hypocrisim illorum hactenus his uerbis taxat, quatenus eduliorum & potus uascula, superficietenus purgantes amorem mundiciei præseferebant, ut qui nihil immundi ferre possent, cum tamẽ interea & rapina illa & intemperantia plena essent. Vocat autem illa plena rapina, eò quod ex rapina pauperum implebantur, ut & suprà dixit: Comeditis domos uiduarum, &c. & plena intemperantia, eò quod luxui seruiebant. Istam poculi & patinæ immundiciam non curantes, eam mundabant illorũ partem, quæ oculis spectantium patebat. Indicat simul ueram cibi & potus puritatem cum primis esse quærendã, eamq; esse, ut quibus uescimur iustè sint parta, & non luxui sed necesitati seruiant. Ergo immundæ sunt patinæ, immunda pocula hominum auarorum, rapacium, fœneratorũ, commessatorũ & luxuriantium, etiamsi argento & auro undiq; splendeant. Et eadem ratione immundas possumus censere uestes, & ædes, quæ uel ex rapina & usura comparantur, uel luxum resipiunt. Christiano homini ueræ pietatis studioso, & cibus, & potus, & uestes & ædes abundè nitent & munda sunt, si iustè sint acquisita, & ad necesitatem usurpentur.

Lucas paulò aliter habet cap. 11. qui impuritatem rapinæ & maliciæ tribuit, non poculis & patinis, sed mentibus Pharisæorũ. At idẽ utrobiq; uitium taxatur.

De uitio intemperantiæ, quam Græci uocant ἀκρασίαν, ut et Christus hic eam appellat, locus hic præsens obseruandus est. Ea est impotentia quædam animi, qua fit ut uoluptati obtemperetur, modusq; & necesitatis ratio in rebus, siue agendo, siue loquendo, siue edendo excedatur. Hanc possumus uocare incontinentiam. Vbi illam Christus hic immundiciæ condemnat, & rapinæ coniungit, apertè significat, nihil habere excusationis eos qui satis putãt ad innocentiam esse, si facultates suas non sint per rapinam et iniuriam proximorum adepti, quasi licitum sit rectè partus intemperanter uti. Et pauperes hic peccant.

Væ uobis Scribæ & Pharisęi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris quidem apparent speciosa, intus uerò plena sunt ossibus mortuorum, omniq; spurcitia. Sic et uos foris quidem apparetis hominibus iusti, intus autem pleni estis fictione & iniquitate.

Hypocrisæos gratia peculiariter illos hoc loco condemnat, licet illam hactenus & in ijs quæ hoc capite reprehendit, taxauerit. Non enim dicit: Væ uobis, quia pleni estis iniquitate. ut uideri possit hoc tantũ dãnare, quod iniqui sint, sed: quia foris apparetis hominibus iusti, cum intus sitis pleni simulatione & iniquitate. Et hypocrisis illorũ abominationem patefaciat, simili utitur omniũ accommodißimo sepulchrorũ, uidelicet dealbatorum, quæ cũ foris appareant speciosa, intus sunt plena ossibus mortuorũ, omniq; spurcitia, putredine scilicet, fœtore et uermibus. Dealbatio, quædam erant quæ hoc capite illis opprobrauit: utpote, quod fimbrias dilatabant, phylacteria amplificabant, prolixũ orabãt, mare & aridam unius proselyti gratia circuibant, mentham & anethũ decimabant, patinas & pocula externè purgabant, Prophetarum sepulchra ornabant, ieiunio, tri-

ſtitiam, & eleemoſy narum largitatem oſtentabant, de quibus ſuprà cap. 6. Horum quippe gratia reddebãtur hominibus conſpicui, uelut iuſti. Oſſa uerò mortuorum et interna ſepulchrorum ſpurcitia erant, quæ hypocriſi illorum hoc capite coniunxit, ſtudium uidelicet inanis gloriæ, quo primos accubitus uenabantur in cænis, primos conſeſſus in Synagogis, primas ſalutationes in foro, & titulum Rabbinorum. Item quod ab introitu regni cœlorum ipſi nõ ingredientes, alios impediebant: quod rapaces, & auari domos uiduarũ uorabant: quod proſelytum factum, peiorem reddebãt: quod populum falſa doctrina quæſtus gratia, ſeducebant: quod quæ grauiora ſunt legis, iudicium & miſericordiam, iniqui & immiſericordes negligebant: quod uoluptatis ſtudioſi intemperantes erant: & (ut ſubiunget) crudeles erant ueritatis hoſtes & perſequutores. Iſtam ſcilicet ſpurcitiã, putredinem et graueolentiam, quibus referti erant, unà hypocriſi, uelut incruſtatione ſepulchrali obtegebant, quam hoc ſimili Chriſtus ſummè deteſtandam eſſe declarat, ut intelligamus eos illius potiſſimum gratia dignos fuiſſe, quibus malediceretur. Licet enim dignus ſit condemnatione, quiſquis malè agit, duplici tamen nomine condemnandus eſt, qui ſimulationẽ iuſtitiæ improbitati coniungit. Eſt enim ipſa in ſe hypocriſis, ſimplicitati ac ueritati contraria, in oculis dei omnium ſpurciſſima, & ſummè abominanda.

Et hic locus ſeruori eſſe debet maximè quidem ſingulariter hypocriſi ſtudioſis, ſimul tamen nobis omnibus. Quotus enim quiſq; eſt, qui internam ſpurcitiam cordis, non qualicunq; dealbatione foris velet, aliũq; ſeſe ſimulet in oculis mortalium, quàm ſit in oculis Dei?

Væ uobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia ædificatis ſepulchra prophetarũ, & ornatis monumenta iuſtorum, et dicitis: Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, nõ fuiſſemus ſocij eorũ in ſanguine prophetarum. Itaq; teſtimonio eſtis uobismetipſis, quod filij ſitis eorũ, qui prophetas occiderunt. Vos quoq; implete menſuram patrum ueſtrorum. Serpentes, progenies uiperarum, quomodo effugietis iudicium gehennæ?

Mouent hic quæſtionem, cur improperet illis quæ in ſe mala nõ ſint: utpote quod Prophetarum ſepulchra ſtruebant & ornabant, quæ res potuit officioſitas eſſe quædam erga mortuos, & quod filij erant eorũ qui Prophetas occiderant, quod præter ipſorum culpam erant. Verum nihil hic prorſus eſt obſcuri. Satis enim patet taxari hypocriſim, qua uolebant uideri meliori mente erga ueritatem Dei, & illius ſanctos ac miniſtros præditi, quàm fuerint ipſorum maiores, cum eſſent illis etiam peiores, quod & declarabant in Chriſto dei, et declaraturi erant in illius Apoſtolis, ut mox ſubiungetur.

OBSER.

2 *Notandum eſt hoc loco, id quod & Chryſoſt. 2. expoſitione annotat, q̃ uetus ſit iſte morbus, quo mortui ſancti coluntur, & uiui contemnuntur. Commune eſt omnibus, aliorũ delicta cognoſcere, ſua non uidere. Poſteri facile cognoſcunt maiorũ peccata, quod uiros Dei male tractarunt, reprehendi ab illis noluerunt, & quos amplecti debuerant, occiderunt: ſimul tamen nõ uident idem ſe facere uiuis ac præſentibus maliciæ ſuæ reprehenſoribus. Hac de re uide Chryſoſtomum.*

Notantur etiam hoc loco ſtructores ſepulchrorum, 3
templorum, altarium, &c. qui cum in honorem ſanctorum multos ſumptus faciant, pauperes interea negligũt, immiſericordes in uiuos, largi in mortuos. Hic quæritur inanis gloria, & futuræ poſt mortem laudi conſulitur. Plus enim ſplendoris habent huiuſmodi ſtructuræ, quàm quod impenditur in pauperes. Alij id faciunt ex ſuperſtitione. Putant enim deo gratius eſſe quod in mortuos ſanctos, quàm quod in uiuos inſumitur.

Sunt qui hoc pacto rapinæ ueniam ſe conſequi poſſe ſperant, ſi partem illius deferant ad ſanctos, domos uiduarum cum Phariſæis uorantes, & ſanctorum monumenta & memorias ornantes. Maxima pars ſanctorum reliquias auro & argento, oſculis & alijs illius generis modis ueneratur, cum interea omnem illorum iuſtitiam & doctrinam ſpernat. Quæ eſt iſta iuſtitia, inquit Chryſoſtomus ſanctos colere et contemnere ſanctitatem. Primus gradus pietatis eſt ſanctitatem diligere. Deinde ſanctos. Quia nõ ſancti ante ſanctitatẽ, ſed ſanctitas ante ſanctos. Sine cauſa ergo iuſtos honorat, qui iuſtitiã ſpernit.

Præterea & hoc obſeruandum eſt, q̃ non ſint culpa- 3
biles malorũ maiorum poſteri, niſi menſuram illorum impleant, non ſolum carnali ſucceſſione, ſed & morum malorum parentum ſe filios eſſe declarãtes. Alioqui nec malorum parentum iuſti filij cõdemnandi, nec iuſtorum peruerſi iuſtificandi ſunt. Plurimum tamen deteſtandi ſunt, qui non ſolum ex malis ſunt parentibus orti, ſed & exprimunt & nonnunquàm etiam ſuperant.

Ideò, ecce ego mitto ad uos prophetas & ſapientes, & ſcribas, & illorũ aliquot occidetis, crucifigetisq;, & illorũ nonnullos flagellabitis in ſynagogis ueſtris, & perſequemini de ciuitate in ciuitatem, ut ueniat ſuper uos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terrã à ſanguine Abel iuſti, uſq; ad ſanguinẽ Zachariæ, filij Barachię, quem occidiſtis inter templum & altare. Amen dico uobis, uenient hæc omnia ſuper generationem iſtam. Hieruſalem Hieruſalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te miſſi ſunt: quoties uolui congregare filios tuos: quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſtis? Ecce relinquitur uobis domus ueſtra deſerta. Dico enim uobis, haudquaq; uidebitis me poſthac, donec dicatis: Benedictus qui uenit in nomine Domini.

Iſta ad præcedentia pertinẽt, quibus Scribas et Phariſæos uiperarũ progeniem, hoc eſt, impiorum homicidarum

cidarum, impios posteros, maiorũ maliciam referentes, ac superantes etiam, quibus impossibile sit gehennæ iudicium euadere, uocauit. Quoniam enim illi hanc suam auitam & inemendabilem maliciam ac crudelitatẽ, qua maiorum erant impleturi mensuram, studio prophetarum monumenta struendi et ornandi, prorsus hypocritico in oculis populi obuelabant: subijcit certam illius declarationem, qua erãt propediem ipsis operibus sese, prophetas, sapientes ac scribas, id est, ministros Dei ad se missos, occidendo & persequendo prodituri, conspicuumq; facturi, esse se impios impiorũ maiorũ posteros cum dicit: Ideò, ecce ego, &c. Q. d. At uos tales uideri non uultis, et per hypocrisim efficitis, ut pro talibus non habeamini, qui patrum impiorum impleturi sitis mensuram. Proinde opus est, ut certo uos experimento prodatis, id quod & breui facietis. Nam ecce ego mitto ad uos prophetas, sapientes ac scribas, in quibus declarabitis probè qui sitis, quàm syncere prophetarum monumenta ornetis, quàm uerè dicatis: uos si olim uixissetis, patribus uestris ad occisionem prophetarum consensuros haudquaquàm fuisse. Nam ex illis occidetis, &c.

1 Sunt autem tria in uerbis Christi notanda principaliter. Vnum est, quantũ studij & μακροθυμίας impenderit, ut populum Israëlis seruaret. Alterum, quanta ille uicißim excæcatione mentis gratiæ Dei repugnauerit,
2 contumeliamq; fecerit. Tertium, qua sit pœna, hostium
3 gratiæ punita malicia.

PRIMVM, DE STVDIO ET patientia Christi.

1 Ecce ego mitto.] Ad studium saluandi Israëlis pertinet, quod dicit se mittere prophetas, sapientes ac scribas, hoc est, uiros diuino spiritu afflatos, uera sapientia diuinæ cognitionis præditos, & in sensu scripturarũ enucleando cœlitus imbutos. Nam quod non simpliciter dixit: Ecce ego mitto ad uos ministros meos, sed: prophetas, sapientes ac scribas. Ad hoc factum est, ut indicaret quibus donis esset illustraturus eos quos missurus erat, ijs uidelicet, quæ ad salutem ipsorum facere possent.

Videtur aũt ista particula huc quoq; spectare, ut notaretur summa populi huius cæcitas, qua futurum erat, ut uiros Dei, prophetiæ, sapientiæ diuinæ, & cognitionis scripturarũ donis insigniter cõspicuos, spiritũq; dei quibusuis ingerentes, omnis generis contumelia et crudelitate affectos occiderent ac profligarent.

Ad patientiam uerò Christi pertinet, quod adhuc post non solum prophetarum occisionem, tantamque sanguinis iustorum effusionem, sed suam ipsius quoq; reprobationẽ & crucifixionem, sustinet ad prauam hanc generationem mittere prophetas, sapientes ac scribas, cum abundè æternum essent promeriti supplicium. Et huc pertinet, ad exprimendum uidelicet cum πλὼ σωσόλλυ illam, tum μακροθυμίαν Christi, & illud:

Hierusalem, Hierusalem, &c. quoties uolui congregare, &c.] Affectus notam habet primum quod ipsam urbem appellat: deinde quod illius appellationem ingeminat. Adhæc & ipsa similitudo gallinæ nihil aliud exprimit, q̃ ardentem Christi affectum, & indefessum studium salutis populi sui? Ad patientiam referendũ est, quod dicit: Quoties uolui filios tuos congregare, & noluisti. Non dicit: & non uis, sed noluisti, hoc est, perpetuo repugnasti: ego tamen hactenus non destiti quibuscunq; modis repugnantes ad salutem inuitare.

OBSER.

Ecce ego mitto ad uos.] Non dicit: Ecce uenient ad 1
uos, sed: Ego mitto ad uos. Notandum hic est, ministros salutis non uenire, nisi diuinitus mittantur. Quomodo Roma. 10.
inquit Apostolus prædicabunt, nisi mittantur? Vnde & Christus suprà dixit: Rogate igitur Dominum messis, ut Cap. 9.
extrudat operarios in messem suam.

Prophetas, sapientes, & scribas.] Pertinet hic locus 2
ad uarietatẽ donorũ spiritus, inter quæ locũ habent non solũ prophetia, de futuris uaticinans, & sapientia eorũ qui ex spiritu dei citra cognitionẽ scripturarũ loquuntur, sed & cognitio scripturarũ, de qua uide 2. Tim. 3.

Quoties uolui congregare filios tuos sicut gallina.] Expendenda est ista similitudo, in qua sunt hæc obser- 3
uan. 1. φιλανθρωπία Christi in gallina, summo studio alliciente ad se pullos suos. 2. Extra Christi alas, esse dispersionem periculosam, ut pullis gallinæ, nisi ad alas maternas confugiant, nihil aliud relinquitur, quàm ut & à se inuicem dispergantur, & rapinæ accipitrum & aliarum auium rapacium exponantur. Rursus sub alis, id est, fiducia Christi esse unionem, deinde et salutẽ.

Augustinus quæstionem mouet hoc loco, & noluisti. Vide in Enchiridio ad Laurentium cap. 97.

ALTERVM, DE MALICIOSA Iudæorum obstinatione.

Et illorum aliquot occidetis.] Insignis hic malicia describitur. Parum est non suscipere gratiæ ministrum, si ad hanc crudelitatem conferatur, qua etiam contumelia afficitur, flagellatur & occiditur. Ista crudelitas eorum est, qui sanctitatis et iustitiæ nomine turgẽt, adeoq; non sustinent ueritatis prædicationem, sed illam uelut hæreticam ferro & igne persequuntur.

Ergo describitur nobis hoc loco exemplum impio- 1
rum & iustitiæ carnis. Ita nanq; cõparati sunt nõ solum isti Christi & Apostolorum occisores, sed omnium car- Gal. 3.
nalium, hoc est ingenium, ut hostes sint gratiæ dei, prædicationẽq; illius ferre nequeant. Simul apparet & quæ 2
sit sors ministrorũ ueritatis in hac terra. Vnde nõ solum prophetæ contumeliose sunt affecti, sed & idẽ suis prædixit Christus, Math. 10. & Ioh. 16.

QVAESTIO.

Sed quæritur hoc loco, cum istam Iudæorum crudelitatem non ignorauerit Christus, eamq; prædixerit etiam, cur discipulos suos ad illos mittere uoluerit? In humanis rebus parũ prudens haberi posset, si quis suos in apertum ac certum discrimen mitteret. In diuinis uerò secus habet. Hic nõ pereunt domino qui occiduntur, & oues quæsitæ ad pastorem ducuntur, & impijs omnis excusatio adimitur, dum ipsorum malicia in apertum alio qui occulta, producitur. Ita suprà cap. 10. dixit. In testimonium illis & Gentibus.

Nec est quod culpam quis Deo adscribat eiusmodi sæuitiæ, quasi causam det in ministros gratiæ sæuiendi. Occasionẽ quidem illius offerunt, at nõ ut sæuire impios

faciat, sed ut impiorum hypocrisim detegat, maliciamq; occultã manifestet. Vide hoc loco 2. exposit. Chrysost.

TERTIVM, DE VLTIONE DIuina in impios regni Dei hostes.

Vt ueniat super uos omnis sanguis iustus.] Singularem, diuturnam & auitam improbitatẽ & maliciam singularis quoq; pœna cõcernit. Minatur uindictã sanguinis iustorum. Nunq; enim inultus relinquitur: quippè qui ad Deũ pro uindicta clamat. Minatur aũt nõ solum eorũ uindictã, quos ipsi erant occisuri, sed simul & eorum quos occiderant ipsorũ maiores, qua re nihil aliud significauit, q; Gentis huius excidiũ & omnimodam uastationẽ, cuius et in parabola suprà cap. 21. meminit, & Lucæ 9. QVAESTIO.

1 Quæritur hoc loco, num iustum sit puniri ob maiorũ delicta, cũ scriptũ sit: Filius nõ portabit iniquitatẽ patris. Breuiter respondetur, ut dignus est qui maiorũ sequitur probitatẽ, ad quem non solũ propriæ, sed & paternæ probitatis fructus redeat. ita dignus est, ut non solum propriæ, sed & paternæ maliciæ pœnas luat, qui patrũ improborũ mensuram adimplet. Iustum enim est ut semen impiorum pereat. Quod uerò scriptum est: filium non portaturum iniquitatem patris. de illis dictum est, qui uestigijs patrum non ingrediuntur.

2 Quæritur etiã de Zacharia filio Barachiæ, quis ille sit. Hac de re uide annotationes Erasmi, in quibus sententiarum de hoc propheta uarietas ponitur.

3 Cur occisionẽ iustorũ, cuius ultionem minatur, terminet in Zacharia, cum absq; dubio & apostolorũ sanguis erat uenturus super istam generationẽ, non immeritò quæritur. Ad exprimendam futuræ ultionis grauitatem minatur, et eũ sanguinẽ iustũ quẽ patres ipsorum fuderant, uenturũ super hãc generationẽ: ideò illius tantum meminit, non excludens sanguinem uel suũ uel Apo
2. Par. 24. stolorũ. Quod si de Zacharia, qui erat Ioiadæ, intellexerimus, ob eam causam illius meminit, quod post illum de nullo propheta occiso in scripturis legitur. Non quod nullus post illum sit occisus, cũ occisus sit ante Esaiam et Hieremiam, sed quod huius tantum mors exprimatur in scripturis. OBSER.

1 Venient hæc omnia super generat.] Ergo maiorum delicta, licet actu transierint, & densis seculorum tenebris obtecta sint, redeunt tamen. Reditus iste peccatorũ diligenter est notandus. Licet enim actu transierint, reatu tamen immortalia sunt, nisi per gratiam & sanguinem Christi deleantur & obtegantur, Rom. 4.

2 Ecce relinquitur domus uestra deserta.] Grauissima ultio est, si à domino deseramur. Desertionis huius παραδείγμα hodie quoq; sunt Iudæi. Minatur priuationẽ omnis cœlestis gratiæ. Timeãt hãc cõminationem hodie quoq; hostes gratiæ. Nam & Iudæis erat cũ Deo fœdus, habebant & ipsi præsentiæ Dei promissionem: Habitabo inquit in medio illorũ. Verũ quoniã perpetuò gratiæ dei restiterũt, digni facti sunt ista desertione.

3 Donec dicatis: Benedictus qui uenit in nomine domini.] Quandiu durare debeat ista gratiæ diuinæ priuatio, his uerbis declaratur. Vsq; ad alterum aduentum Christi, sub quem ut in Paulo est, reditus & conuersio erit huius gentis ad Deũ & Christum eius. Vide Ro. 11.

CAPVT XXIIII.

ET egressus Iesus discedebat à templo, &c.

Totum hoc caput duobus principalibus locis cõprehenditur. Vnus est, de excidio urbis Ieroſolymæ: alter de extremo die et fine mundi. Ad Ieroſolymæ uastationẽ per- 1
tinent, quæ ab initio capitis huius legũtur, usq; ad illius medium, ubi Christus dicit: Statim autem post adflictionem dierũ illorũ, &c. Hic duo facit. Primũ Ieroſolymæ ac templi illius uastationẽ: deinde & uastationis futuræ signa prædicit. Alterũ, admonitionẽ subtexit. primum, quomodo sit fugiendũ, ubi cœperit Ieroſolyma obsideri: deinde cauendã esse pseudochristorũ ac pseudoprophetarum seductionem. Ad postremũ uerò diem, finem 2
mundi et Christi iudicis aduentum pertinent, quæ deinceps ad finẽ usq; capitis tractantur, quibus primũ Christus aduentum suum cum aliquot præcurrentibus signis describit. Deinde propter incertitudinẽ diei illius uigilandũ esse admonet, ne per illũ imparati adobruamur.

Et egressus Iesus discedebat à templo. Et accesserunt, &c.] Cum indignatione Christũ egressum esse ex templo Ieroſolymitano, subapparet ex uerbis Euangelistæ, in eo quod non contentus dixisse: Et egressus Iesus, addit: discedebat à templo. Satis fuerat dixisse: Et egressus est è templo Iesus, si nihil aliud dicere uoluisset, quàm simpliciter illũ egressum esse ex templo, id quod aliàs sæpenumero iã fecerat. Hic uerò uidetur innuere uoluisse, ita Christum è templo egressum esse et abijsse, ut qui ad illud posthac nunquàm esset reuersurus. Dixerat enim: posthac non uidebitis me, donec dicatis, &c. eo uidelicet modo in templo docentẽ, & uirtutẽ meam miraculis in uestris oculis declarantem. Vt ostenderet igitur domum istam Iudæorum deinceps quemadmodum dixerat, deserendam ac desolandam esse, nunquàm in illa compariturus egreditur & abscedit.

Et accesserunt discipuli eius, ut ostenderent ei structuras templi.

Marcus scribit hoc fecisse unum ex discipulis. Videntur autem isti moti esse per id, quod Christus cum in descensu montis oliuarum Lucæ 19. tum in templo de futura urbis huius uastatione dixerat, uelut cõmiserari tam splendidas structuras, indignas quæ diruerentur, ut appareat eos humano et scientia spirituali destituto affectu ductos templi structuram ostendisse, tantum non dicentes, miserabile esse & indignum, si pateretur tam insigne templum dirui ac deuastari.

Sunt qui putent Apostolos Christo ob id amplam illam ac prætualidam templi structuram ostendisse, quod putarint incredibile esse illam dirui, forsan ex Marco moti, qui scribit eos dixisse: Præceptor, uide quales lapides, & quales substructiones. Robustissimum sanè fuit templi huius ædificium, ita ut capta iam Ieroſolyma aliquandiu negocium fecerit Romanis militibus, ut uidere est in Iosepho de bello Iudaico lib. 7. cap. 9. & 10.

Iesus autem dixit illis: Nonne uidetis hæc omnia? Amen dico uobis, non relinquetur

linquetur hic lapis super lapidem, qui nō sit destruendus.

Tam non indulget affectui discipulorum Christus, ut id cuius ipsi commiseratione ducebantur exaggeret etiam, et cū asseueratione certo futurū cōfirmet. Exaggeratio est quod dicit: Nōne uidetis hæc omnia. *Indicat enim ita omnia esse diruenda, ut non solum pars illorum aliqua, sed omnia prorsus & templi & urbis ædificia sint demolienda. Asseuerationē habet quod dicit: Amen dico uobis, nō relinquetur hic lapis super lapidē. In quo sermone quoq; exaggeratio quædam est omnimodi excidij. De ista urbis huius ac templi destructione, qua solo adæquata sunt, uide Ioseph. de bello Iudaico li. 7. ca. 18.*

Quid rei est, quod tantæ urbis, tamq; insignis templi tam miserabilem uastationem Christus absq; ulla cōmiseratione futurā prædicit, cū tamen Apostoli uideantur humanius affecti. Non caret commiserationis affectu Christus, qui Lucæ 19. consideratione futuræ huius cladis illachrymatus legitur. Verum non propter lapidum ac structurarū uastationē, sed propter interitū ac perditionem obstinati populi, qui non sustinebat uisitationis diuinæ gratiā agnoscere, illachrymatus. Docuit nos tū dolere, quando homines pereunt, non quando splendida ædificia, quibus deus non delectatur, diruuntur. Miserè iam olim uastata est Ecclesia Christi, ubi interijt uera pietas, fides, concordia, charitas, uera doctrina, in qua est ꝑabulum uitæ ac uerus dei cultus, qui gloriam diuini nominis concernit: at quotus quisq; est qui de ista uastatione doleat? Tot templa Dei quotidie diruuntur, nec adeò multi sunt qui lugeant. Vbi uerò splendida templorum & monasteriorū ædificia uastata cernuntur, ibi q̄ plurimi sunt, qui indignū facinus cōmissum esse proclament. Quid aliud in causa est q̄ quod humanæ industriæ opera plus admiramur & suspicimus uelut homines, q̄ opificia illa diuinæ maiestatis, gloriā Dei concernentia.

CAVSA VASTATIONIS HVIVS.

Vastationis huius causa est insignis illa impia & aduita populi Iudaici obstinatio, qua semper, ut Stephanus dixit, spiritui sancto restiterunt, tempusq;, ut Lucæ 19. legitur, diuinæ uisitationis non agnouerunt, & prophetas, sapientes ac scribas à deo missos, ut suprà capite præcedenti audiuimus, occiderunt. Oportebat quidem templum hoc cum suo sacerdotio Leuitico cursui regni Dei cedere, & pro ratione succedentis noui testamenti cōmutari. At id poterat fieri absq; huiusmodi miserāda clade, nisi populus iste incorrigibili impietate gratiam Dei respuisset, iramq; dei in sese prouocasset. Timendū itaq; sit hoc exemplum omnibus gratiæ Dei contemptoribus, in nocuiq; sanguinis profusoribus, quibus nihil aliud agitur, q̄ ut per hypocrisim quæstum & gloriam in Ecclesia obtineāt. Quod si splendor ceremoniarū, templi, anathematū aliquo coram deo loco esset absq; uera ac syncera mentis pietate ac fide, certè urbs ista tam miserandam uastationem nunquam perpessa esset.

Sedente autem eo in monte oliuarum, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt? Et quod signū aduentus tui, & consummationis seculi?

Marcus dicit Petrū, Iacobū, Ioannem & Andream ista Christū interrogasse. Secreto hoc fecerunt, eò quod periculosum esset hac de re quicquam loqui, quod patet Actо. 6. in historia Stephani. Ob id autem uerisimile est istos rogare uoluisse de tempore futuræ huius uastationis, aduentuq; Christi, quod adhuc terrenum illius regnum somniarent, de quo illum & post resurrectionem scisciti sunt, ut uidere est Act. 1.

Et respondens Iesus, dixit eis: Videte ne quis uos seducat. Multi enim uenient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, multosq; seducent.

Non hoc respondet Christus, quod ipsi cupiebant scire per curiositatē, sed magis quod ad ipsorū faciebat utilitatem, unde redderentur uel ad declinanda uel constanter ferenda futura rerū discrimina cautiores & instructiores. Iusto dei iudicio futurū erat, ut quoniā uerū Meßiach respuebant, uenturi essent falsi, & quia ueros prophetas nō acceptabant, per falsos seducerentur. Hic periculū erat ne et electi, ut infrà audiemus, seducerentur, ad quod factura erat plurimū carnalis opinio regni quā ipsi quoq; apostoli habebant. Ideò primo loco huius discipulos admonet, ut cauti sint, ne seducantur. De istis pseudochristis uidere est in Iosepho de bello Iudaico libro 2. cap. 11. 12. 14. Act. 8. 21. 2. Thess. 2.

Auditurí autem estís bella & rumores bellorum, uídete ne turbemíni. Oportet enim omnía fierí, sed nondum est finís. Consurget enim gens contra gentem, & regnum contra regnum.

Hoc erat alterū signū, quod præludij loco anteceſſurum erat extremā Iudæorū uastationē. Loquitur aūt de seditionibus quæ præcesserunt sub præsidibus Romanis Cumano, Felici, Festo, Albino, Floro, etc. de quibus in Iosepho uidere est à secundo libro belli Iudaici, usq; ad septimū. Fore aūt istas seditiones diuturnas in eo ostendit quod dicit: Sed nondū est finis. At ne turbarentur, indicat ita prorsus oportere fieri. Plurimū fortitudinis addit animo ista consideratio necessitatis, quam alij fatum uocant. Non uult in his rerum turbinibus, necessarijs ac diuturnis turbari suos, sed animo esse fortі, ut qui sciant ita diuinitus decretū: deinde non ad ipsorū, sed hostium gratiæ Dei subuersionem hæc omnia facturā.

Interea notandū est hoc loco, quid portendant dissidia & seditiones regnorū gentium, ciuitatū, &c. Signa scilicet sunt iræ Dei, & futuri excidij præludia.

Et erunt pestílentiæ & fames, & terremotus singulís locís. Hæc autem omnia ínitia sunt dolorum.

Tertio loco ponit ea signa iræ Dei, & futuræ cladis, quæ cœlitus erant uentura. De illis, quomodo huic populo per Mosen sint præditæ, uide Leuit. 26. Deut. 28.

De fame ista & Actо. 11. legitur, unde & Paulus & Barnabas à Gentibus eleemosynas & subsidia acceperunt, quæ fratribus in Iudæa mitterent.

Tunc tradent uos ín afflictionē, & occídent uos, & eritís ínuísi cunctís Gentí- 9

bus propter nomen meum. Et tunc offen
2 diculum patientur multi, & alius alium inuicem tradent, seq; odio habebunt inuicem. & multi pseudoprophetę surgent
3 ac seducent multos. & quoniam abundabit
4 iniquitas refrigescet charitas multo-
5 rum. Qui autē sustinuerit usq; in finem, hic saluus erit.

Quarto loco adiungit quid ipsis quoq; futurum sit. Boni uiri de regno quærebant, at hic nihil audiunt, nisi pericula & persequutiones. Connumerat autem quatuor sanè molestissima pericula. Primum est persequutionis & odij, propter nomen suū, de quo suprà cap. 10. meminit. Odij huius & persequutionis causa magna erat flagellū Dei, quo percutiebantur & Iudæi & Gentes, gratiæ Dei reluctantes, ut in Tertulliano uidere est. Causas nanq; bellorū, pestilētiæ, famis, terremotuū &c. Christianis assignabāt, quasi in illos excandesceret læsa
2 *diuini numinis maiestas. Alterum est offendiculi ac defectionis, proditionis & odij mutui. Et de illo admonuit*
3 *suprà cap. 13. & 10. Tertium est, falsorum prophetarū, quod sanè permolestum experti sunt Apostoli, ut uidere est in Actis. De illis pleraq; in epistolis Pauli uidere est. Et horum tam potens erat seductio, ut suo quoq; tempore, omnes qui in Asia erant à se defecisse quæstus sit*
4 *Paulus. Quartum est, abundantiæ iniquitatis et defectus charitatis. Cohærent autem ista duo. Nam ubi charitas deficit, certè non potest non crescere iniquitas.*

NOTA.

Talia multa & hodie experimur, quæ aduersarij ueritatis doctrinæ Euangelij adscribunt. Respondeant hic, cui debeantur ista quæ hic à Christo prædicuntur? An Apostolis & Euangelio Dei? Certè isti nec crudelitatem, nec defectionem, nec odium mutuum, nec iniquitatem charitatisue extinctionem docebant, sed omnia
5 *contraria. Notandum autem est remedium contra hæc omnia omnium tutissimum. Qui autem sustinuerit inquit, in finem usq;, hic saluus erit. Ergo una est patientia ac tolerantia, quæ superare potest hæc omnia, quæ nec hostium Christi persequutione, nec odio quorumcunq;, ne cognatorum quidem, nec defectione falsorum Christianorum, nec fraude & hypocrisi falsorum prophetarum, nec iniquitatis abundantia, nec charitatis extinctione à cognita ueritate abduci se sustinet, sed in ea fide, quam semel erga Christum accepit, cōstanter perdurat, & ad salutem pertingit.*

Et prędicabitur hoc euangelium regni in uniuerso mundo, in testimoniū omnibus gentibus, & tūc ueniet cōsummatio.

Hoc ultimum est signum. Factum hoc esse tempore quoq; Pauli, uidere est Rom. 10. & Col. 1. Prædicit aūt hoc illis ad consolationē, ne ubi uiderint paucos admittere Euangelion, animo deijcerentur. Licet enim salutis gratia propter electos sit missum, reprobis tamē quoq; prædicari oportet, ne ullā postea perfidiæ excusationē habeant. Vide suprà 10. Et tunc ueniet consummatio: uidelicet urbis Ierosolymæ, quod sequentia testantur.

Cum ergo uideritis abominationē desolationis, quę dicta est à Daniele prophe ta, stantem in loco sancto (qui legit, intelligat) tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: qui in tecto, nō descendat, ut tollat quicq; de domo sua. & qui in agro, nō reuertatur, ut tollat uestes suas. Væ autē prægnantibus & lactantibus in illis diebus. Orate aūt, ut nō fiat fuga uestra hyeme neq; sabbato. Erit enim tunc afflictio magna, qualis nō fuit ab initio mundi ad hoc usq; tempus, neq; fiet. Et nisi decurtati fuissent dies illi, nō fieret salua omnis caro, sed propter electos decurtabuntur dies illi.

Iam deinceps, quod ad Ierosolymæ destructionem pertinet, posteaquàm illius præcedentia signa posuit, quid, ubi illa cœperit esse uicina, faciendum sit admonet. Primum ergo certum uicinitatis ac præsentiæ illius 1
signum ponit. Deinde quid faciendum sit consulit. Ter- 2
tio consilij sui rationem ponit. 3

Cum ergo uideritis.] *Hoc præsentis iam in foribus uastationis signum est. Abominatio uidelicet desolationis, stans in loco sancto. Quæ uerò illa fuerit, de qua & Daniel cap. 9. & Christus hic dicit, uaria est sententia. Aliqui, propterea quod idolum in scripturis abominatio plerunq; uocatur, intelligūt statuam Hadriani in templo positam: alij intelligunt aquilā, insigne Romani imperij per Pilatū in ciuitatem, ut Iosephus, uel in templum, ut alij, inductam. Verū Lucas satis declarat, quæ fuerit ista desolationis abominatio, cum Christum ita dixisse scribit: Cum autem uideritis circundari ab exercitibus Ierosolymam, tunc scitote quod immineat desolatio eius. Exercitus enim Romanos ob id desolationem uocat, quod per illos inuehenda erat desolatio & urbis & templi. Et hos appellat abominandos, cum propter impietatem gentilem, tum propter ipsam desolationem templi ac cultus. Locum uerò sanctum uocat urbem Ierosolymam per Romanos obsidendam, quemadmodum illam & in historia passionis sanctam ciuitatem uocat Euangelista, in quam ingressi sint mortui excitati.*

OBSER.

Abominationem desol.] *Notandum hic quod et-* 1
iam illi impiorum exercitus, qui per diuinam ultionem populo Dei utut corrupto ac meritissimè puniendo immittuntur, abominabiles uocantur. Licet enim sint flagella Dei, hoc tamen nō spectant, ut ministri sint diuinæ ultionis, sed propriæ uindictæ: secus æstimādi sunt piorū exercitus, quos scriptura uocat exercitus Dei uiuentis.

In loco sancto.] *Notandum & hoc, quod locus* 2
iste etiam tum cum iudicio dei propter summam obstinationem desolationi traditus esset, sanctus à Domino uocatur. Ergo sanctum esse non est statim beatum esse. Quid enim minus beatum unquàm fuit, quàm tum erat Ierosolyma, cum ista desolationis abominatione per iudicium Dei cingeretur?

Qui legit intelligat.] *Taxatur hic cæcitas Iudæo-* 3
rum,

rum, qui scripturas propheticas oscitanter sine intellectu legebant, & simul admonentur discipuli, ut in legendis illis uigilātes sint, deq; intellectu solliciti. Quid enim alioqui prodesse poterunt non intelligentibus? Quicquid doctrinæ, castigationis, admonitionis, cautionis, & consolationis etiam gratia scriptum est, frustra certè legitur, nisi probè intelligatur.

Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant, &c.] Alterum hoc membrum est huius loci, consilium habens, quid facere debeant electi, Christo credentes, imminente Iudaica desolatione. Fugiant inquit ad montes. Non dicit, confidentes sint ac securi, quoniam liberabo illos, sed fugiant. Hoc certè ob eam causam discipulis dixit, ut postea illius credentes admonerent. Eusebius in Historia Ecclesiastica li. 3. ca. 5. scribit Christianos qui tum Hierosolymis adhuc erant diuino oraculo ad ciuitatē quandam Pellam nomine, trans Iordanem, fugere iussos.

Eusebius

OBSER.

Ergo per fugam suos Deus plerunq; à periculis liberat, ubi admonemur, ne confidentes simus, quasi uel uiribus nostris, uel prudentia posimus, uel diuino miraculo debeamus liberari, sed magis, si id datur, per fugam cedere. Ita & suprà cap. 10. dixit: Si persequuti uos fuerint de ciuitate una fugite in aliam. Ad hunc modum & Dauidem suum è manibus inimicorum sæpenumero liberauit. Impiorum est, non uidere imminentem calamitatem, admonitioni diuinæ non credere, de propriis uiribus præsumere, ut iudicio Domini pereant, quod & Iudæis contigit.

Notandum & hoc est, quid portendat, ubi boni & innocentes uel ultro fugiunt, uel ui pelluntur. Auiculæ quædam sunt quæ naturæ quodam instinctu hoc habent, ut futuram tempestatem præsentiant ac in tempore fugiant. Cyconiæ & hyrundines discessu suo futuram hyemem prædicunt. Ita fuga bonorum & electorum præsagium habet imminentis calamitatis. Egressus Loth è Sodoma, indicium erat futuri interitus. Ita fuga & abiectio Christianorum è Iudæa, significabat illius imminere desolationem. Solet enim ex huiusmodi cladibus Deus suos eripere per fugam & abiectionem.

Ad montes.] Significat nullas ciuitates securas fore in omni Iudæa. Ita angelus iubebat Loth ascendere ad montem, ut ibi seruaretur.

Qui in tecto, &c. Et qui in agro, &c. & quæ sequuntur.] Ista sunt adiecta ad hoc, ut significent propere absq; ulla mora fugiendum.

Væ prægnantibus.) Quia magnum impedimentum fugæ est uel grauis uterus, uel infans ab ubere materno pendens. Non hoc ita dictum est, quasi peccatum sit tempore huiusmodi calamitatum gestare uterum, uel lactare infantem, sed quod miserum sit ac molestū, atq; fuga & liberatione impediat. Nō igitur perpetuo condemnationis notam habet illud uæ. Sed plerunq; temporariæ alicuius miseriæ.

Orate autem, ut non sit fuga uestra hyeme.] Quia & hæc impedimento est, cum in itinere, tum saluandi in montibus. Nec sabbato. Quia prohibitū erat Iudæis die sabbato iter facere, nisi pauca aliquot stadia.

Erit enim tunc afflictio magna.] Hoc tertium membrum est, rationem tam urgentis ad fugiendū necessitatis reddens. Quod aūt dicit qualis nō fuit ab initio mundi ad hoc usq; tempus, neq; fiet, non nisi de hac gente intelligendum est. Nam absq; dubio afflictio illa quæ toti orbi imminet sub finem mundi, non minor saltem erit ista. Quid hic docemur aliud, quàm iram Dei à populo Dei exacerbatam, grauiorem esse, quàm qua puniuntur à Deo alieni?

Notum est illud Valerij Diuina ultio lento quidē gradu procedit, & tarditatem uindictæ grauitate pœnæ compensat. Vide Rom. 2

Et nisi decurtati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro.] Intellige de Iudæis. Non enim loquitur de toto genere humano.

OBSER.

Sed propter electos.] Videmus hoc loco, quæ cura sit Deo de electis quod illos sanè paucos, abiectos, & nullius æstimationis iuxtà seculum etiam tum cum uindictam sumit de reprobis, nō negligit sed liberat. Exemplum Noë & Loth. Vide 2 Petr. 2. 1

Et hoc notandum, quod reproborum uindictam decurtat propter electos. Ita uolebat parcere Sodomitis, uel propter decē iustos, si illi in Sodomis fuissent. Gene. 18. Admonemur hic quàm charum nobis debeat esse studiū iustitiæ & innocētiæ, cum in nobis ipsis, tum in alijs. Quòd si talis nō es, cuius gratia parcatur reprobis: uel talis sis qui gratia iustorū liberari posis, hoc est, si iustus esse non potes, uel iustos ama & cole, ut patrocinio illorū coram Deo potiare in die afflictionis. Videmus etiam hoc loco, quàm peruersum sit mundi de iustis iudicium. Vbi tales afflictiones ingruunt, confestim omnis culpa timentibus adscribitur, id quod absq; dubio & Christianis à Iudæis factum est, cum tamen propter eos ipsos ultionem meritam Deus temperet. 2 3

Tunc si quis uobis dixerit: Ecce hic Christus, aut illic, nolite credere. Surgēt enim pseudochristi & pseudoprophetæ: & dabūt signa magna & prodigia, ita ut in errorē inducantur, si fieri possit, etiam electi. Ecce prædixi uobis. Si ergo dixerint uobis: ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & apparet usq; in Occidentē, ita erit aduentus filij hominis. Vbicunq; enim fuerit cadauer, illic congregabuntur & aquilæ.

Resumptio est prioris signi quod desolationem Iudaicam præcessurū dixit: ut de illo suos, ut cœperat latius instrueret & admoneret. Scio quosdam ista referre ad ea tempora, quæ uastationi Iudaicæ successerunt, & ad ultimum usq; iudicij diem protenduntur. Verum simplicius est ut intelligamus illa per resumptionem dicta, de ijs pseudochristis & prophetis, quorum suprà mentionem fecit. Scopus Christi est, admonere discipulos suos, ut à se cœlesti ac posthac inuisibili pendeant, nec desiderio & opinione carnalis regni uisibilem aliquem ac terrenū pseudochristū recipiant, ad quod iusto Dei iudicio gens ista Iudaica prona erat. Hac de re uide Luc. 17. ubi locus iste fusius traditur. 1

Notandum itaq; est regnũ Dei non esse in obseruatione aliqua gloria & felicitate externa, in præsenti seculo, sed in spiritu & fide situ in cordibus credentium, idq; sub cruce & humilitate.

2 *Et dabunt signa.*] Ergo non est tutum credere quibusuis signis. Neq; enim statim ueritatem habent, qui signis pollent. Vide 2 Thessa. 2.

3 *Si fieri possit.*] Tentantur quidẽ & electi subinde erroribus, signisq; aliquousq; mouentur, uerũ ut prorsus à ueritate seducantur & à Christo saluatore, id demum est impossibile. Quos enim pater dedit filio, è manu illius eripi nequeunt.

4 Ecce prædixi uobis. Item: Nolite exire, nolite credere. Istæ admonitiones ostendũt, quàm etiã electi, licet perdi nequeant, cautione tamen opus habeant, ne seducantur. Impia itaq; uox est: Si de electis sum, damnari nequeo. Electorũ est, ut sit cauti & diligentes. Nã quod seduci nequeunt, per se non habent, sed per diuinã prouidentiam & gratiã Christi, quæ non debet illis negligentiæ ac temeritatis argumentũ, sed magis diligentiæ ac studij cautionẽ præbere. Alioqui quid opus erat istis admonitionibus adeò serijs, tamq; diligenter ingeminatis & inculcatis?

5 *Vbicunq; fuerit cadauer.*] Luc. 17. legitur discipulos interrogasse, quo sint tollendi electi, Christumq; hac similitudine respõdisse: ubicũq; fuerit corpus, &c. Hoc ex natura habent aquilæ ut ad cadauera etiã procul dissita, sese recipiant. Ita sanè electi, uelut aquilæ cœlestes ad Christũ, quo in sempiternũ pascentur, omniũ cupidissimè abripiuntur. Poterat dicere ad me congregabuntur electi, sed maluit per istã paræmiam omnem hanc sollicitudinẽ credentium animis eximere. Ne cogitemus ergo, ubi nam locorũ agemus, & quo rapiemur? Ad Christũ rapiemur, & cum Christo erimus, ubi ubi ille sit futurus. Aquila locorũ rationẽ non habet, sed cadaueris, ad illud uolat absq; ullo locorum discrimine, contenta repertum esse cadauer: Ita & Christiani hoc uno debent esse contenti quod apud Christum perpetuo sunt futuri. Volo pater inquit alibi, ut ubi ego sum, ibi sit & minister meus. 1 Thessa. 4

Statim aũt post afflictionẽ dierum illorum sol obscurabitur: & luna non dabit lumen suũ, & stellę cadẽt de cœlo, & uirtutes cœlorũ cõmouebuntur. & tunc apparebit signũ filij hominis in cœlo: & tũc plangent omnes tribus terræ, & uidebũt filium hominis uenientẽ in nubibus cœli cum uirtute & gloria multa. Et mittet angelos suos cum tubæ uoce magna, & cõgregabũt electos eius à quatuor uentis, à summis cœlorũ usq; ad terminos eorũ: Ab arbore aũt fici discite similitudinem, cum iam ramus eius tener fuerit, & folia fuerint enata, scitis quod propè sit æstas. Ita & uos, cum uideritis hæc omnia scitote quod propè sit in foribus. Amen dico uobis, nõ prętеribit ętas hæc, donec omnia ista fiant. Cœlũ & terra prætеribunt: uerba aũt mea non prætеribunt.

Ista ad alterã capitis huius ac responsionis Christi partẽ pertinent, qua de aduentu suo mundiq; fine rogantibus discipulis respondet. Agit aũt his uerbis quatuor. Primũ, signa aduẽtus sui ponit. Deinde, ipsum aduentum suum describit. Tertio docet quid per aduentum suum euenturum sit cum impijs, tum electis. Quarto certitudinem eorum quæ prædixit per asseuerationem affirmat, ne locus sit dubitationi.

DE SIGNIS ADVENTVS Christi secundi.

Statim post tribul.] Duo sunt hic expendenda. 1
Primũ est, de signis istis quæ recensет, cum dicit: Sol obscurabitur, & luna nõ dabit lumen suũ, & stellæ cadent de cœlo, & uirtutes cœlorũ mouebuntur. De istis nõ est eadem exponentiũ sententia. Quidã solis & lunæ obscurationẽ talem futurã esse dicunt: qua non in se amissa propria luce obtenebrentur, sed per maiorẽ aduentus Christi lucem obscurẽtur, in qua sententia est Chrysost. expos. prima. Quidam uerò ipsis solis ac lunæ corporibus deficiente, ipsorũ luce obscurationem hanc futuram esse credunt, quod innuere uidetur secunda Chrysost. expositio. Alij ad προπολογίαν confugiunt, ut Origenes & Ambrosius. Mihi uidetur retinendam esse simplicitatem uerborũ Christi. Dicit solem obscurandum, lunã lumen suum amissurã, stellas casuras de cœlo cœlorumq; uirtutes mouendas esse. Credamus ergo ita futurũ. Quid opus est disputare de modo, quo uentura sint hæc signa? Certum est seruitutẽ hanc creaturarum, qua uanitati subiecta sunt, cessaturã, inq; aliã conditionem tẽpore liberationis ac gloriæ filiorũ dei cõmutandam, qua de re uide Rom. 8. Psal. 102. Ebr. 1. 2 Pet. ult. Vide Augustinum in quæst. ueteris ac noui testamenti cap. 105 1 2 3

Et uirtutes cœlorũ mouebuntur.] Quidam hic intelligunt angelos, quos dicunt stupore quodã cõmouendos, ubi uidebũt cœlum, terrã, solem, lunam, maria, & omnia quæ in illis sunt periclitari, humanũq; genus ad tribunal Christi uocari. Et Chrysostomus ex libro Iob coniecturã huius sententiæ colligit, ubi legũtur angeli Deum cum astra conderet laudasse, uerisimile putans ad illorũ occasum ac dissolutionẽ admodũ stupefaciendos esse. Alij cœlorũ uires, elementa illa, ex quibus constant cœli, aut cœlos ipsos tanquam fortes ac robustos per Ebraismum intelligunt. Sanè ipsum mouendi uerbum ut in Græco est magis uidetur posteriori quàm priori fauere sententiæ, σαλευθήσεται nanq; moueri, quassari, cõcuti, cõcutiendoq; periclitari significat, qui sensus nõ admodũ hoc loco potest angelis cõpetere, competit aũt cœlis. 1 2

OBSER.

Obseruanda est hoc loco signorũ istorũ ratio. Quod Sol in fine mundi obscurabitur, Luna lumen suum amplius non dabit, stellæ de cœlo cadent, & cœlorum uirtutes quassabũtur. Admonet nos hæc omnia propter genus humanũ esse facta, & per seruitutem nostri gratia uanitati subiecta, olimq;, tẽpore gloriæ filiorũ Dei ab hac seruitute liberanda. Magna est ista humani generis dignitas, cuius admoneri debemus, quoties solis ac lunæ splendorem, stellarũ decorẽ, cœliq; firmamentũ suspici 1

mus. Deinde plurimũ etiam solatij adflictis ac laborantibus adferret ista cogitatio, per quam admonemur tantã rerũ machinã uanitati nostri gratia subiectam esse, inq; ea seruitute persistere nostri gratia, & gloriã nostram patienter expectare, ut admodũ improbe impatiens sit futurus, si quis nostrũ molestè uanitatem præsentis uitæ tulerit. Huc alicui respexit Basilius cum scripsit: Basilius
εἰ πᾶσα ἡ κτίσις λυθήσεται καὶ μεταποιηθήσεται τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου, τί θαυμαστὸν καὶ ἡμᾶς μέρος ὄντας τῆς κτίσεως, παθεῖν τὰ κοινὰ πάθη καὶ παραλοθῆναι θλίψεσιν ἃς ἡ τοῦ μέτρου τῆς ἀνανκαίως ἐπάγει ἡμῖν ὁ δίκαιος κριτής;

Deinde & ipsum tempus signorũ istorũ expendendum est. Non enim simpliciter dicit: Sol obscurabitur, &c. sed: statim post afflictionem dierũ illorum sol obscurabitur, &c. Quæritur hic de quibus diebus tristibus loquatur post quos statim uentura sint hæc signa. Quòd si de illis in quibus destructa est Hierosolyma, quorum paulò ante mentionẽ fecit, mirũ uidetur quomodo dicat hæc statim post eã tribulationẽ futura, cum tot illam sint subsequuta secula ad hæc usq; nostra tempora, cum tamen nihil dum istorũ euenerit. Numeratur tam à natali Domini annus millesimus quingentesimus & quadragesimus. Quòd si hodie ista fierent, possent ne statim post Hierosolymæ destructionem facta dici? Nuic quæstioni quidã ita satisfaciunt, ut dicant Christũ data opera ita loquutũ, ut suos redderet cautos ac uigilantes. Et eodẽ proposito ab Apostolis quoq; scriptum Dominũ propè esse, Phil. 4. Et ad huc modicũ, & non tardaturũ eum qui uenturus est, Ebr. 10. Et Dominum promissionẽ suam non tardaturũ, 2 Petr. ult. Certè, ut & hoc loco Petrus scripsit: Mille anni coram Deo instar unius diei sunt, ut hoc sensu possit citò dici fieri, quod etiam post tot secula futurum est.

Quidam uerò exponunt de diebus Antichristi & falsorum prophetarũ, de quibus & ea quæ locum hunc proximè præcedunt, dicta uolunt. Et isti sententiæ fauere uidentur quæ Apostolus 2 Thess. 2. de aduẽtu & reuelatione Antichristi scripsit. Vide locum ipsum.

DE IPSO CHRISTI ADVENTV.

Et tunc apparebit signũ filij hominis in cœlo. Signum hoc quidã uolunt esse ipsum Christi corpus, testimonia passionis habens, uulnera manuũ, pedum, ac lateris ut Chrysostomus expos. secunda sentit. Quidam uerò signũ crucis intelligunt, quod uero simile est. Ex istis est & Chrysostomus exposit. prima, qui & rationem signi huius tradit, iustificationẽ uidelicet Christi, cum inimicis suis iudicium ingressuri. Veluti si quis lapide percussus, lapidem ipsum contra percussorẽ suum secum ferat ad iudiciũ. Mihi uidetur hoc crucis signum fore triumphale contra omnes impios ipsumq; mundi principem et simul ad liberationẽ electorũ erigendum. Ita scilicet, quod Iudæis est scandalum et Gentibus stultitia, cum summo olim honore ad nunquam finiendum impiorũ terrorem ac mœrorem apparebit. Habent reges ac principes mundi huius sua insignia, quæ urbium portis præfixa, regnantiũ dominium ac potestatem indicant. Ita crux, signũ Christi, ubi in nubibus appare- 2° 1 2 Simile

bit, omnium oculis significabit, Iesum hũc crucifixum, Dominum esse cœli ac terræ, ut ij, qui nunc credere nolunt, tunc ipsis oculis uideant & perhorrescant.

Et uidebunt filium hominis uenientem in nubibus cœli cum uirtute & gloria multa. Emphasis in eo est quod nõ simpliciter dicit: Et ueniet filius hominis in nubibus cœli, &c. sed: Et uidebunt filium hominis. Q. d. quem nunc contemnunt & persequuntur, olim uidebunt cum uirtute & gloria magna ad iudicium uenturum. Ita & infra cap. 26. in concilio sacerdotũ cõstitutus, dicet: Amodo uidebitis filium hominis uenientem in nubibus cum potestate magna. Ita & Ioan. 19. ex Propheta citatur. Et uidebũt quẽ trãsfixerũt. Omnino nãq; minatur aduersarijs suis aduentũ suũ, eumq; talem, per quem summo sint terrore percellendi, quemq; nequeãt, ut antea, imbecillitatis & ignobilitatis gratia contẽnere, ad quod pertinet, quod dicit se uenturum cum uirtute & gloria magna. Non enim dicit: Et uidebitis me uenientem, sed: Et uidebunt filium hominis, (quem contemnunt.) uenientem cum magna uirtute & gloria.

In nubibus cœli. Ita abijt. Nubes suscepit eum ab oculis eorũ, ita reuertetur. Sic ueniet, dicebant angeli, quemadmodum uidistis eum ascendentem in cœlum. Et nos in nubibus obuiam rapiemur Christo in aëra. Quoties ergo nubes uidemus admoneamur harum rerum. Sunt enim illæ & erunt ministræ Christi & nostræ. Cogitemus illas fore currum nostrum, quo ad cœlestem gloriam subuehemur. Nubes

Et tunc plangent omnes tribus terræ. Item: Et mittet angelos, &c.

Et tunc plangent. Tertio loco prædicit quid futurum sit impijs: deinde & electis. Impios intelligit & incredulos per omnes tribus terræ, id est, terrenos & carnales homines. Istis dat planctum tam amarũ ac uehementem, ut sint sua ipsorũ corpora percussuri ac laceraturi præ insolabili mentis angustia. Id enim significat uerbum κόπτεσθαι quo hic utitur. Emphasim habet quod dicit: Et tunc. q.d. qui nunc oblatam gratiam regni Dei respuunt, contemnunt ac persequuntur illius ministros, olim uidebunt quid contempserint, & plangent: quemadmodũ solent facinorosi, qui nullis admonitionibus emendari sustinent. Ni ubi conuictos se ac condemnatos, latáq; sentẽtia in manus lictoris tradi uident, tum primum amarum plangunt, ubi nullus amplius est plangendi fructus 3°

Admonemur ergo hoc loco, ne differamus resipiscentiam nostram ad id temporis, ubi non erit amplius pœnitentiæ locus. Vana est sera pœnitẽtia, quæ impios frustra sub aduentũ iudicis adfliget, & plangere faciet incredulos Iudæos, Gentes & malos Christianos.

Et mittet angelos suos. Iam consolationis gratia indicat quid futurum sit electis. Congregabũt inquit electos. Nõ dicit, Christianos, qui mihi nomen dederũt. Maxima enim illorum pars reproba est. Nec dicit congregabũt iustos, à peccatis puros, benemeritos, sed electos, ut gratiam electionis commendet. Quos elegit, inquit Apostolus, hos & uocauit: quos uocauit, hos & iustificauit: quos iustificauit, hos & glorificabit. Signum

gnum electionis huius est pectus erga Christum fide & charitate syncerum. Vocatur enim fide Christianorum, fides electorum.

2 Congregabuntur.] Vnde? & quo? Vnum hic ponit, à quatuor uentis, à summis cœlorũ usq; ad terminos eorũ. In Marco est, à summo terræ, usq; ad summũ cœli. Quod perinde est atq; undecunq; terrarũ. Nemo relinquetur, ubicunq; sit, & quocunq; modo interierit, dummodo ex electis sit. Quò cõgregabuntur? De eo supra dixit: Vbi cadauer est, illò cõgregantur & aquilæ.

3 Per quos cõgregabuntur? Per angelos. Mittet angelos suos inquit: Ergo angeli sunt electorum ministri. Ebr. 1. supra 13. dat illis etiam hoc, quod sint zizania in ignem abiecturi.

4 Quomodo mittentur? Per tubæ uocem magnam. Per hanc excitabuntur dormientes in terræ puluere. Vide 1 Thessa. 4. Et 1 Corin. 15.

DE CERTITVDINE HARUM RERUM.

4 Ab arbore autem fici.] Ista similitudo, licet id in se habeat, quod redemptionis ac liberationis iucunditatem & imaginem ob oculos exponat, simul tamen eò tendit, ut omnem dubitationẽ excludat, ad quod & adiecta asseueratio pertinet. Quàm enim certum est adesse æstatem, ubi ficus & reliquæ arbores gemmas ac folia protrudunt, tum certos uult nos esse de regni Dei aduentu, nostraq; redemptione ubi uiderimus ista signa, quæ futura prædixit, adimpleri. Et hoc est quod nõ dicit: propè est æstas. sed, scitis, quod propè sit æstas. nec dicit: propè est in foribus. sed, scitote, quod propè sit in foribus.

Amen dico uobis non præteribit ætas hæc donec omnia ista fiant.] Hæc uerba uariè exponuntur. Aliqui intelligunt de generatione Iudæorũ, quæ sit tamdiu permansura, donec hæc omnia fiant, hoc est, non sit interitura usq; ad finem mundi. At meo iudicio non hoc agit Christus ista asseueratione, ut ostẽdat quandiu debeant durare Iudæi, sed magis asserit eorum quæ dicit
2 certitudinem. Quidam exponũt de generatione iustorum & credentiũ, quod illa sit duratura usq; ad finem mundi. Alij uerò, cum quibus & ego sentio, simplicius exponunt de ea ætate, id est, seculo, in qua Christus agebat. Et illud, hæc omnia, exponunt non de signis mundi finem præcursuris, sed de ijs quæ destructionem Hierosolymæ concernunt. Videbantur enim dura & incredibilia. Et hoc est quod separatim extremi iudicij tempus resumit, cum dicit: De die autem illo & hora.

Cœlum ac terra transibunt, uerba autem mea non transibunt.] Hoc est, non erunt uana, sed uera. De transitu cœli ac terræ, uide 2 Petr. ult.

OBSER.

Quocunq; modo intelligamus hanc Christi assertionem, omnino diligenter notandus est hic locus de certitudine uerborũ Christi, ut nihil de quoquàm illorum
1 dubitemus. Maximè necessarius est in hac causa, ne de aduentu Christi, extremo iudicio, mundi fine, redemptione electorum propter tot seculorum prolixitatem cũ impijs dubitemus, cogitemusq; uana esse hæc omnia Triplex enim hic periculum est, quorum maximum est ista dubitatio. Primum est, si cogitemus procul abesse ista. Alterum, si certũ illis tẽpus præscribamus. De istis uidebimus infra. Tertiũ hoc præsens est, si prorsus ista futura negemus uel addubitemus. Vide 2 Petr. ult. Seruus qui nõ credit unquam rediturum Dominum suum, quid non nimium ac falso securus molitur? Rursus qui non dubitat illum uenturum aliquando, nõnihil cautius agit. Primum igitur omnium est, ut nihil dubitemus de isto Christi aduentu, & quæ illum concomitabuntur.

Cæterum de die illo & hora nemo scit, ne angeli quidẽ cœlorũ, nisi pater meus solus. Sed sicut erant dies Noë, ita erit & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus qui præcesserunt diluuiũ, edentes & bibentes, contrahentes matrimonium & nuptũ dantes, usq; ad eum diem quo intrauit Noë in arcam: & nõ cognouerunt donec uenisset diluuium, & sustulisset uniuersos: ita erit & aduentus filij hominis. Tunc duo erunt in agro, unus assumitur, & alter relinquitur. Duæ molentes in mola, una assumitur, & altera relinquitur.

De die extremo & aduentu suo tria his uerbis commemorat. Primum, quod sit nemini nisi Deo soli cognitus. 1 Alterum quod uenturus sit inexpectatus præter omnem opinionem. 2 Tertium, quod quidam assumendi sint, quidam uerò relinquendi. 3

DE PRIMO.

Cæterum de die illo.] Magna est mortaliũ curiositas nõ in humanis ac terrenis tantum, sed & in diuinis & cœlestibus rebus, qua fit ut erga necessaria cognitu negligentes, ea curiosissimè scire cupiamus, quæ Deus nobis reuelare dignatus nõ est, quorum q; scientia ad salutẽ nostrã necessaria non est. Hac laborarũt ipsi quoq; Apostoli, cuius in hac ipsa causa euidens de se documentum dederũt. utpote cum supra dixerũt: Quando hæc erunt? Et Act. 1. Tale quid prodiderunt, ubi à Domino audiunt: Non est uestrũ scire tempora & articulos temporum, quos pater in suaipsius constituit potestate. Vt igitur ab ista curiositate suos auocet, omnemq; suscitandi occasionem amputet, postquàm de aduẽtu suo, & his quæ in illo sunt futura disseruit, statim subijcit: De die autem illo & hora, nemo scit ne angeli quidẽ cœlorum, nisi pater meus solus. Ad hunc modum & Apostolus, 1 Thessa. 5. cum de extremis temporibus & Christi aduentu quædã consolationis gratia prædixisset, mox contra istam curiositatem adiecit: Porrò de temporibus & articulis temporum, non est opus ut uobis scribam.

Temerarium itaq; est, nedum curiosum quicquam de die & hora aduentus Christi, uel scisciatari uel statuere, cũ apertis uerbis dicat Christus: De die illo & hora nemo nouit, ne angeli quidẽ cœlorũ, nisi solus pater. Velle scire, imò profiteri etiã scientiam eorũ quæ Deus suæ solius cognitioni seruauit, adeoq; & angelos celat, non est Christianorũ, sed eorũ quibus uerba Christi ludibrio

dibrio sunt. Et ne quisquam argutulus obijciat, non dicere Christum, diem hunc & horam nemini reuelabit pater: sed de hoc die et hora nemo scit nisi pater. Ideoq; nõ sequi, quod nemini futura fuerit diei huius cognitio, per diuinam reuelationẽ, adiungenda sunt ea quæ Act. 1 legimus hac de re dixisse Christum: nempe, Non est uestrũm nosse tempora & articulos temporũ, quos pater in suaipsius constituit potestate. Primum in eo quod dicit: Non est uestrũm nosse, &c. quis non uidit, quàm non solum dicat Apostolos ignorare ista, sed hãc quoq; scientiam talem esse, quæ illis non competat? Deinde quod addit: quos pater in suaipsius constituit potestate. Quis dubitat rationis uice adiectum esse, cur non sit Apostolorum ista scire. Ideò uidelicet, quod horum cognitionem pater sibi soli seruare decreuerit? Ergo non solum nemo diem hunc & horam nouit, sed nemo etiam reliquitur, qui sibi rei huius reuelationem sperare debeat, etiamsi angelus è cœlo sit.

Ne angeli quidẽ cœlorũ.] Quid est quod angelorum meminit? Absq; dubio ob id hoc facit, quod nemo mortalium rerũ cognitionem sibi poscere debeat, quam nõ habent angeli cœlestes, quibus hoc datum est, ut facie Dei uideant: Ergo & angeli non omnia sciunt, utut facie Dei uideant. Proinde nemo extra eas res quæ salutem nostram concernunt, & scripturis sanctis comprehensæ sunt, angelorũ reuelationibus fidem habeat. Ideò & Paulus 2 Thess. 2. admonet, ne quisquam seduci se sinat, ne per spiritum quidem.

DE SECVNDO.

Sed sicut erant dies Noe.] Secundo loco dat aduentui suo, quod sit futurus inexpectatus ac repentinus. Et hoc declarat per diluuium, quo prior mundus perijt, cuius aduentum homines non cognouerunt, donec iam esset in foribus. Ista terrendi gratia dicũtur: Quis enim non metuat malum certum, incerto tempore, & præter omnem expectationem futurum?

OBSER.

1 Sicut erant dies Noe.] Non similitudinem, sed rem gestã, & talem quæ accidit olim uniuerso orbi, & quæ antequàm fieret, futura non credebatur: ad hoc cõmemorat, ut qui futura nõ credũt, uel ex præterito isto exemplo cõmoueantur. Ita & exemplũ temporũ Loth Lucæ 17. isti cõiungit. Meminit horũ & Apostolus Petrus 2 Epist. cap. 2. ostendens illa ad hoc à Deo posita, ut sint exemplum eorum qui impiè acturi sunt.

2 In eo quod dies aduentus sui cõparat diebus Noe, prædicit posteriorũ temporum singularem maliciam. Quàm fuerint temporibus Noe omnia corrupta, uidere est Gen. 6. ubi legitur, quod multa fuerit hominũ malicia supra terrã, & quod cuncta mortalium cogitatio intenta fuerit ad malũ omni tempore, & quod uniuersa caro corruperit uiam suã, terraq; repleta fuerit iniquitate: ita ut pœnituerit Deũ, quod fecisset hominem, proposueritq; delere de terra uniuersam carnẽ. Ista plena & consummata malicia non subito in eam sui plenitudinem eũasit, quam scriptura cõmemorat: sed quasi quibusdã gradibus temporũ progressu adoleuit, quotidie auctior mali ingenij pessimorumq; morũ incremen-

tis facta. Ad hunc modũ & postrema tempora hoc habebunt, & forsan nunc habẽt peculiare, ut malicia mortaliũ instar cancri, quotidianis auctibus crescat, donec ad summũ usq; euadat, & pleno consummatoq; impetu passim ubiq; regnet, ut & quæ de ipsa dici queant, quæ de malicia priorũ temporũ dicta sunt. Incrementa uerò ista maliciæ nõ poterũt melius obseruari, quàm ex collationẽ præcedentium temporũ status, unde liquido deprehendere poterimus, quantum nostri seculi iniquitas præterita tempora superet: ut si uelis auctus cancri notare, obserues eos ex collatione modi, & spacij quo ante aliquot dies fuit.

Edentes, bibentes, nubentes, &c. Ista bifariam intelliguntur. 3
Primũ ita ut non maliciam dierũ illorum, 1
sed mortalium malè uiuentium securitatem describi intelligamus. Neq; enim malum est edere, bibere, nubere, nuptũ dare, cum ista omnia sint à Deo ordinata. Verũ ista declarabant, quàm non essent solliciti de futuro exitio, sed prorsus securi. Quis enim nubere, & ut in Luca est, plantare, & ædificare sustinuisset, idq; usq; in eum diem, quo Noe ingressus est arcam, nisi fuisset ista securitas? Astipulatur isti sententiæ locus Lucæ 17. ubi additur: plantabant & ædificabãt. Quæ non tam ad præsentem quàm ad futurũ usum destinãtur. Alioqui edere, bibere, nubere, præsentis uoluptatis gratia fieri possunt: ista uerò magis ad futurã prospiciũt, atq; ita aperte exprimunt animũ nullius exitij prouidum, sed bene securum. Deinde ita à quibusdã exponitur, ut intelligant luxum insignem ac peculiarem dari posterioribus 2
temporibus, atq; ita ista, edere, bibere, nubere non in se, sed luxus gratia taxari, ob id, quod in ipsis non rectus qui necessitatis est, & ad gloriam Dei destinatus usus sit seruandus, sed seruiendũ magnis concupiscentijs & affectibus carnis. Vide hic secundã expositionem Chrysostomi. Non puto peccaturũ, si quis utrunq; sensum amplectatur, quandoquidẽ inter se contrarij non sunt nec tales, qui uel diebus Noe, uel postremis temporibus cõpetere nequeant. Quod enim regnatura sit ante Christi aduentum summa securitas, testatur ipse quoq; Apostolus 1 Thessa. 5. Cum dixerint inquit pax & securitas, tunc repẽtinus illis superueniet interitus. Quod autem regnaturi sint carnales affectus edendo, bibendo, nubendo, ædificando, forsan testibus opus non habet. Et Christus id uidetur innuisse, Luc. 21. ubi dixit: Cauete aũt uobis, ne grauentur corda uestra crapula & ebrietate, & curis huius uitæ, subitusq; uobis ingruat dies ille. Quid ista admonitio aliud indicat, quàm regnatura ista uitia, ante mundi finem?

Vsq; ad eum diem, &c. Et non cognouerunt donec 4
uenisset.] Prædicitur his uerbis, quod malicia posteriorum temporũ duratura sit ad ipsum usq; Christi aduentũ, ad finẽ usq; mũdi. Nemo igitur speret mũdi resipiscentiã, cuius malicia corrigi nõ sustinebit, nisi finali interitu unus Christi aduẽtus finẽ faciet malorũ libidini.

DE TERTIO.

Tunc duo erũt in agro.] Lucæ 17. additur: Tunc duo erunt in lecto. Et per hæc exprimit securitatẽ mortalium, cuius gratia subitus & inexpectatus sit futurus

mundi

mũ di finis. Molare ad id referri poteſt, quod dixit: edebant. In agro eſſe, ad id quod Lucæ 17. dixit, plantabant: in lecto eſſe, ad nuptias pertinet. At iſta cum fiũt, animum ſecurum oſtendunt. Ad hoc ſimul pertinent, ut metum ac ſollicitudinẽ incutiant, ut quiſq; uideat, qua in re uelit deprehẽdi, illamq; per omnem uitam exerceat, qua de re mox audiemus in ſequenti admonitione.

OBSER.

1 In agro, in lecto, ad molam.] Ergo non erit periculum reperiri in agro, in lecto: tantum coniugali, & ad molam, cum in iſtis occupationibus reperientur etiam electi, qui per angelos colligentur. Aliud eſt reperiri in luxu.

2 Alter relinquetur.] Vbi? An in hoc ſeculo? Hoc uellent homines carnales. Sed uide infra cap. 25. & ſupra cap. 13. Separabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis.

Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus ueſter uẽturus ſit. Illud autem ſcitote, ſi ſciſſet paterfamiliâs, qua hora fur uenturus fuiſſet, uigilaſſet utiq;, & nõ ſiuiſſet perfodi domũ ſuam. Ideo & uos eſtote parati, quia qua hora non putatis ea filius hominis uenturus eſt. Quiſnam eſt fidelis ſeruus & prudens, quem præfecit Dominus famulitio ſuo, ut det illis cibum in tempore? Beatus ſeruus ille, quem cum uenerit Dominus eius inuenerit ſic facientem: Amen dico uobis ſuper omnia bona ſua cõſtituet eũ. Quòd ſi dixerit ſeruus ille malus in corde ſuo, cunctatur Dominus meus uenire, cœperitq; percutere conſeruos, imò edere & bibere cum ebrijs, ueniet Dominus ſerui illius in die, quo non expectat, & hora qua ignorat & diſſecabit eum, partemq; eius ponet cum hypocritis, illic erit ploratus & ſtridor dentium.

Poſteaquàm diſcipulos de aduentu ſuo inſtruxit, quod ſit illius hora incerta, et quod inexpectatus ſit rediturus, quodq; quidam ſint aſſumendi, quidam uerò relinquendi. Iam admonitionem ſubtexit, ut oſtendat, qua ratione iſta prædixerit. Admonitionis autẽ huius propoſitio eſt, quod dicit: Vigilate itaq;, & parati eſtote. Reliqua partim ſunt rationis uice, partim declarandæ cum uigiliæ tum rationis gratia adiecta.

2 Vigilate itaq;. Et: Parati eſtote.] Quid ſit illud: Vigilate, declarat per hoc quod dicit: & parati eſtote. Nihil enim aliud eſt uigilanter expectare aduentũ Domini, quàm paratũ eſſe ad excipiendũ illum cum gaudio. Non loquitur de uigilijs corporis, ſed mentis, hoc eſt, de irremiſſa cura & ſollicitudine bene uiuendi, & iugi expectatione ac deſiderio uenturi Domini. Sic & nos Germani uigilandi dictione ſubinde utimur, cum dicimus: Dein ſchaden uuachſet, hoc eſt, res tua agitur, & damnum futurũ citius progreditur, quàm putas. Item: Ich uuil es nit uerſchlaffen. Id eſt, Sedulus ero, & curabo cauſam hanc diligenter, ne ſpe concepta defrauder.

Quia neſcitis qua hora Dominus ueſter uenturus ſit. Item: Quia qua hora non putatis, ea filius hominis uenturus eſt.] Hæc eſt ratio, propter quam admonet ut uigilemus. Et hac ratione ſimul innuitur, ad quid uoluerit Deus aduentum filij ſui nemini cognitum eſſe: nempe, ut perpetuo uigilemus paratiq; ſimus, ſemper ſolliciti in conſeruando pietatis ſtudio, ne non parati & male ſecuri dormientesq; reperiamur. Nulli ætati huius ſeculi uoluit illum eſſe notũ, ſed ſimul uniuerſis abſconditum, ut cuiuſuis ætatis homines, uel metu uel deſiderio diei huius in officio retineret. Nam alioqui poſtremæ tantum ætati conſultum fuiſſet, ſi quo die temporumq; momẽto futurus ſit iudex mortalibus reuelaſſet. Nunc uerò quoniam nulla unquàm ætas ab illius diſceſſu de hoc die potuit eſſe ſecura, nunquàm ſimul cauſa defuit ob quam pij timentesq; Dei uigilarent, ſeſeq; paratos ad illius aduentum conſeruarent. Et inde eſt, quod & ſui temporis fideles ad uigilandũ admonuerint Apoſtoli, licet nondum uenerit tantumq; ſpacij interea elapſum ſit. Eadem ratione uniuerſis mortalibus abſconditа eſt hora, qua cuiq; ſit moriendũ. Etiamſi mille annorum ſpacium uiuendo ſimus conſequuturi, cogimur tamen horã mortis toto, utut prolixo, uitæ curſu ignorare. Qua ratione? ut non ingruente ſenecta demum pietatis ſtudium arripiamus, ſed ab ipſis cuius omnium momento uigilemus, paratiq; ſimus ad migrandum. Ita ſolet paterfamiliâs aliquò abiturus ſui metu in officio retinere famulitium, atq; minari ſe breui rediturum, cum ſciat ſe aliquandiu abfuturum.

Si ſciſſet paterfamiliâs qua hora fur &c. Itẽ: Quiſnam eſt fidelis ſeruus, &c.] 3 Hæc eſt tertia pars loci præſentis, quam dixi adiectã eſſe ad declarandam tam propoſitionem, quàm propoſitionis rationem. Huius gratia ſimilitudines iſtas adnexuit. Prima de fure nocturno, cui comparat aduentum ſuum, non quod ſit nocturno tempore futurus, ſed quod inexpectatus ueniet: deinde & altera de ſeruis bono & malo. oſtendit quid ſit in iſta uigilandi ratione, unde permoueri debeamus. Nam alioqui parum urget negligentes, quod ignoratur Domini aduẽtus, & inopinato futurus dicitur: niſi ſubſit aliud quiddam uel damni ſi contemnatur, uel lucri ſi uigilanter & cum deſiderio expectetur. Similitudine igitur furis nocturni, & ſerui mali, quid negligentibus ac reprobis, ſimilitudine uerò ſerui boni, quid fidelibus ac uigilantibus expectandum ſit, declarat. 1

Deinde, ſerui boni ſimilitudine ſimul oſtendit quomodo & qua in re ſit uigilandum, & quid ad iſtas uigilias requiratur, & iuxta ingenia utrinq; tam fidelium, quàm reproborum depingit. Sed uideamus ſingula. 2

Qua hora fur, &c.] Iſta ſimilitudine innuitur, quàm inexpectatus ſit futurus Chriſti aduentus. Sammũ furibus ſtudium eſt, ut non expectati ſubrepant. Et ideò nocte intẽpeſta, ubi putant uniuerſam domũ alto ſomno præſſam inſidias ſtruunt. Ad hunc modum & Chriſtus furis inſtar adueniet, ubi nihil minus expectatur. Non quod tectus & abſconditus, ſed quod mortalibus in

ſumma

summa securitate existentibus uenturus sit. Et huc facit, quod in græco est φυλακῇ, *qua uigilia, uel custodia, quod ad nocturnum tempus pertinet. Vt tempus ipsum aduẽtus Christi simile sit nocti, in qua regnãt & tenebræ & somni, unde fit, quod Christus furis instar uenturus est. Colligimus hic de nouissimis temporibus prædictum esse, quod regnatura sit in illis multa mortalium cæcitas, & carnalis uitæ ac negligentiæ somnus. Hac de re uide 1 Thess. 5. ubi quod hic breuibus innuitur tantũ, fuse tractatur. Proinde si unquam, certè istis temporibus opus est, ut luci uerbi Dei intendatur, carnaliumq; affectuum somnolentia excutiatur.*

fidelis minister prudens

perfidus minister malus

Quis nam est fidelis seruus & prudens.] Hac similitudine bimembri diuersitatem ministrorũ uigilantium & non uigilantium, quod ad utrorumq; ingenium & finem quoq; attinet declarat. Primum uigilanti ministro dat fidem & prudentiam innuens istas uirtutes esse, quæ uigilantem reddant. Fidelis minister est, qui quod cõmissum est ad domini sui utilitatem fideliter, nõ ad proprium quæstum dispensat. Prudens est, qui quod dispensat, suo tempore scitè dispensat, uel qui uigilanter officio incumbens honori suo & cõmodo futuro prospicit. Contra perfidus est, qui bona Domini sui sibi uindicat, & tanquam proprijs temerè abutitur. Stultus uerò & imprudẽs, qui persuasus quod moras nectat dominus, inopino illius aduentui obnoxium se constituit. Fidelis est, qui cibum concreditum dat famulitio prudens qui dat in tempore, uel qui in officio ad Domini sui aduentũ usq; perseuerat. Malus ac perfidus est, qui edit ac bibit cum ebriosis, & cõseruos percutit. Imprudens est, qui ista faciens securitatem sibi propter domini absentis cunctationem pollicetur.

Est itaq; conditio boni ministri Christi, adeoq; uigilanter aduentum illius expectantis ut sit fidelis. Sic 1 Corin. 4. Inter dispensatores quæritur, ut fidelis quis inueniatur. Ista fides excludit primum torpidam negligentiam, & requirit officiosam sedulitatẽ. Deinde non admittit perfidam bonorum Domini defraudationem, sed exigit animum qui nunquam obliuiscatur, administratorem se esse alienorum bonorum.

Quẽ præfecit Dominus famulitio suo.] Requiritur & hoc ad ministrum Christi, ut sit à Domino uocatus, & super famulitium ipsius constitutus. Qui currunt à Domino non missi: qui ascendunt aliundè, fures sunt & latrones.

Vt det illis cibum in tempore.] Hoc est munus concreditum à patrefamiliâs. Non dicit, ut sit illorũ Dominus, ut pro uoto illos deuoret, sed ut illos pascat, idq; commodè & opportunè, hoc est diligẽter & fideliter.

1 *Duo sunt hic notanda. Primum, quàm sit benigna Domini erga famulitium suum beneuolentia. Hanc depingit nobis muneris huius qualitas. Non uult suos fame perire, imò ne negligenter quidem pasci. Ministerium uerbi quid aliud est, quàm œconomia alendi & confouendi famulitij Domini? Cibi & potus sunt mysteria diuinæ gratiæ, quorum Paulus ministros Christi dispensatores facit.*

2 *Alterum est, qua in re deprehendenda sit Episcoporum & pastorum fides erga Christũ dominũ, cuius se ministros simulant: nempe hac una, si fideliter, diligenter ac prudenter administrent, nõ quisquilias humanarũ adinuentionũ, sed cibum cœlestis pabuli, uerbi scilicet Dei in quo est uitæ sustentatio, idq; nõ tanquam suis subditis, in quos dominiũ habeant, sed famulitio domini. Non est aũt hoc ita intelligendum, quod in una hac re situm sit, quicquid ministrũ Christi fidelem concernit. Præterquàm enim quod cum primis curare debet, ut peculiari functioni suæ fidelem operam impendat, & hoc fidei illius est, ut si uiderit geri in ædibus domini sui, quod illius uel gloriæ, uel cõmodo, uel uoluntati repugnet, uel emendet si poterit, uel arguat saltem, si emendare nequiuerit.*

Beatus seruus ille.] Vbi? Apud Dominũ. Quando? Cum uenerit Dominus eius. Nunc enim, in hoc seculo, miser est, & multorum odio expositus. Fidelis enim œconomus non admodum gratus est ei famulitio, quod uel nullam uel modicam habet Domini rationẽ. Nequit enim illis consentire in contemptũ Domini: deinde & tacere non potest, duplici nomine molestus, cum quod animo & uitæ conuersatione diuersus est, tum quod improbitatem illorũ reprehendit. Vide Sapien. 2. quid de iusto scribatur. Solenne est, ut famulitio improbo, negligenti, infideli, & pigro, nunquàm placeat œconomus probus, diligens, Domino fidelis, & impiger.

Inuenerit sic facientem.] Felicitas ministri Christi non in eo commendatur, si fidelis appareat humano diei, sed si à Christo domino fidelis inueniatur. Ita Paulus non curat qualis iudicetur ab humano die, sed unum hoc curat, ut fidelis à Domino inueniatur illiq; probetur. Hodie magna peruersitate, qui Domino sunt fideles, mundo habentur reprobi, nec ferri possunt, & qui erga Dominum perfidi, res suas agunt, & mundo assentiuntur, hi demum coluntur & fouentur. Perdurandum est itaq; Christi ministro, ut non solum aliquousq; fideliter agat, sed ut in finem usq; talis à Domino inueniatur. Nam talis quisq; iudicabitur, qualis reperietur à Domino uenturo iudice. 1 Corin. 4

Amen dico uobis, super omnia bona sua constituet eum.] Hic est l[illegible] fidi ministri. Quid igitur? An post hanc uitam erunt alij super alios constituti? An ut nunc sunt munera quædam, quibus Domino in Ecclesia ministratur, ita erunt, & post Christi aduentum? Non puto, Christus tradet regnũ Deo & patri, & erit Deus omnia in omnibus. Proinde ista similitudinis portio nihil aliud innuit, quàm magno olim honore afficiendum esse fidelem Christi ministrũ, qui alijs atq; alijs similitudinibus adumbratur. Sic Luc. 12. dicit Christus de ijsdem, faciet illos discumbere. Et transiens ministrabit illis. Et Paulus alicubi. Cursum consummaui, fidem seruaui, quod reliquum est, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex. Qualis aũt futurus sit honor ille in se, nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis unquàm ascendit.

DE SERVO MALO.

Si dixerit seruus ille malus in corde suo, cunctatur Dominus meus uenire.] Hoc est alterum membrum similitudinis quo ponitur ob oculos ingenium ac sors

mali ac perfidi ministri. Huius notæ non minus sunt obseruandæ, quàm eius qui Christo fideliter & uigilanter seruit. Primum illi dat, quod in corde dicat: Cunctatur Dominus meus uenire. In corde dicere, est occulta quadam persuasione teneri. Ita de impio scriptum est, quod in corde dicat: Nō est Deus, hoc est persuadeat sibijpsi, uanum esse quicquid de Deo prædicatur: perinde esse, utut uiuas, nullum enim esse numen, quod uitæ mortalium, æqui & iniqui rationē habet. Si malus seruus hac persuasione tenetur, quā sibijpse mente concepit, quod nihil sit periculi, utut functionem suam obeat, eo quod moram faciat Dominus, non statim uel certè nunquàm rediturus. Ista cogitatio obrepit seruis non statim post discessum Domini, sed posteaquàm illum iam prolixum abesse uident. Alioqui unde statim recenti adhuc illius abitu colligerent, quod moras diuturnas sit tracturus? Vnde non dicit: Cunctabitur, sed cunctatur Dominus meus. Proinde ista persuasio cordis non eorum est, qui ascensionē Christi proximè subsequuti sunt, sed eorum qui reipsa iam uident cunctari Dominum, eo quod diu absit. Serui solent sub recentem Domini secessum diligentiores esse. Competit ergo ista serui mali descriptio nostris potißimū tēporibus, in quibus paßim hæc persuasio regnat, quod Dominus moras nectat, tantamq; ubiq; negligentiam, somnolentiam & maliciam parit.

Cœperitq; percutere conseruos, imò edere & bibere cum ebrijs.] Hic est fructus quem malo seruo parit persuasa dominici aduentus tarditas. Pro libidine quiduis perpetrat absq; ullo metu.

fructus male seruiē

1 Primum, dominium usurpat in clerum Domini tanquàm in seruos emptitios. Omnem potestatem Domini in famulitium Domini usurpat, abusus illius absentia. Pro cibo, quem administrare debebat famulitio Domini, uerbera infligit, tyrannū agens nō fidum œconomū.

2 Deinde in bonis Domini sui, quæ debebat fideliter iuxtà functionis suæ rationem ad alendum & confouendum Domini familiam dispensare, luxurioſe & prodigè deliciatur.

3 Tertio potestatem sibi permittit non solum negligendi, imò male tractandi germanos Domini ministros, sed & extraneos, homines asoticos, domino inutiles, sibi adiungit, quibus tanquàm socijs utitur ad dilapidandam & inutiliter cōsumendam Domini substantiā. Hoc est, quod non solum dicit, imò edere & bibere, sed: edere & bibere cum ebrijs. An hæ notæ sunt obscuræ? An anxiè diuinandum est, qui nam illi hodie sint in Ecclesia Christi, quos ista mali serui similitudo perstringat? Certè describuntur non uulgares alioqui, sed tales, qui dominium exercere poßint in clerum Domini, & quibus in manu sit facultatem Domini cum quibuslibet pro suo genio, & omnis generis libidine ac luxu consumere.

Veniet Dominus serui illius, in die quo non expectat, & hora, qua ignorat, & dißecabit eum, &c.] Hæc est pœna, quæ manet malos Christi ministros. Inopinus aderit illorū interitus. Non enim sunt de expectantibus Dominum de quibus legimus, Luc. 12. Et uos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptijs. // Notandum est hic, horum seruorum interitum seruari ad aduentū Domini. Sic Paulus 2 Thessa. 2. de antichristo prædixit, quod illustratione aduētus Domini sit perdendus. Proinde nemo speret iustam talium seruorū reformationē, ante Domini aduentum. Dati sunt enim in reprobum sensum, & perditioni futuræ obnoxij, nullius reformationis capaces.

Deinde & hoc notandum est, quod dicit eos coniungendos hypocritis, id est, pœna hypocritarū puniēdos. Quæ est illorum hypocrisis? Ore agnoscunt Dominum, faciuntq; se Domini ministros, & seruos seruorum Dei: cum sint in Ecclesia nihil aliud quàm tyranni & uentres, nō quæ Domini, sed quæ sua sunt ipsorum quærentes. Quis iam dubitat, utri sint hodie ueri Christi ministri, posteaquàm tam euidētibus indicijs notati sunt, hypocritæ & mali serui, eum delectat errare & seduci, dignum qui cum hypocritis pereat. Hactenus similitudines istas exposuimus quatenus ministros Christi peculiariter concernunt. Ipsorum enim peculiare officium est, ut pro grege Domini uigilent, unde & Episcopi dicti sunt, id est speculatores: quorū nihil minus est, quàm cum reliquis dormientibus dormire. Non est aūt putandum, quod ista Christi admonitio, qua iubet ut uigilemus, eo quod nesciamus quando sit uēturus, ad solos Ecclesiæ ministros, & non simul quosuis Christianos pertineat. Nam omnibus periculum est, ne non parati reperiantur. Vnde & Marci 13. Dominum dixisse legimus: Quod uobis dico, omnibus dico, uigilate: Omnes æquè ignoramus, quo die sit uenturus Dominus. Omnibus ex æquo competit pie uiuere in hoc seculo, & magno cum desiderio expectare & expetere Christi aduentum, ut illum mereamur etiā cum gaudio excipere. Et hoc est quod oramus: Adueniat regnum tuū. Nequit enim fieri, ut cum gaudio uenienti Domino occurrat, quisquis absentem non auidè expectat, & expectando suspirat. In hoc concordemus omnes. Hic sit ueluti stimulus pietatis, contra mentium nostrarū somnolentiam. Repudiemus mali serui cogitationē, qui non ex desiderio Domini, sed peruersa securitate dicit: Cunctatur Dominus meus uenire. Et nihil erit periculi, nihil etiam discordiæ, etiamsi alius dicat Dominū non citò, alius uerò citò uenturū: aut si dicant quidam ignorare se citò num uel uel tardè sit uenturus, modo eadem sit omnibus fides, expectatio & auiditas erga Dominū. Spem eorum qui citò uenturum dicunt, tam non reprobabimus, ut cum illis quod sperant breui uidere cupiamus. Rursus nec cum illis dissentimus, qui magis metus & desiderij ratione dicunt, non quod cupiunt, sed quod timent: nempe non citò uenturum Dominū. Nam & illi magis optarent quod primi, quàm quod ipsi sentiunt. Neq; eos errare, aut malo esse animo erga Christum putamus, qui ignorantiam aduentus dominici ingenuè fatētur, modo ita sint comparati, ut malint uerum esse quod primi quàm quod alteri dicunt. Et quoniam ignorant utri uerum dicant in eo sint, ut cum utriſq; in fide spe & charitate domini perseueranter perdurent. Hac de re uide Auguſt. Epiſtola 80. ad Hesychium.

Cunctatur Dominus meus.

Episcopi

Tit. 3

Nota

CAPVT

CAPVT XXV.

TVnc simile fiet regnũ cœlorũ decem uirginibus, etc.

Ad eundem scopum pertinẽt sequentes duæ parabolæ, ad quem & præteritæ similitudines spectãt: nempe ad id ut uigilemus, paratosq; nos seruemus ad occurrendum Domino: quoniam aduentus illius hora incognita est & incerta, ne si ubi uenerit, imparati fuerimus, excludamur, & perpetuam condemnationem subeamus. Et hac præsenti parabola ob oculos ponitur quanta sit electis futura lætitia, in aduentu domini, quem comparat aduentui sponsi alicuius, & quanto cum pudore ac mœrore excludendi sint inanes ac negligentes. Non sunt autem omnia in parabolis ita usurpanda, ut mysticè exponantur, sed cum primis uidendũ quis sit scopus parabolæ: deinde quæ & quomodo ad illum sint applicanda, reliqua uerò relinquenda, id quod et Chrysostomus admonet super Epist. ad Rom. Homil. 16. Proinde simpliciter & nos hanc parabolam excutiemus, quatenus ad præscriptum admonitionis finem facit, quæ ociosæ speculationis sunt ociosis hominibus relinquentes.

Tunc simile fiet regnum cœlorum.] *Duæ sunt huius parabolæ partes. Prima usq; ad eum locum quo dicit: Media aũt nocte, stultitiam & prudentiam quorundam Christus describit. Altera ad finem usq; utrorũq; depingit sortẽ & exitũ in aduẽtu Domini futurũ.*

Principio obseruandum est, in eo quod dicit: Tunc simile fiet regnum cœlorum. Nac parabola non adumbrari quid in aduentu Domini futurum sit incredulis, extra Christiani nominis professionem positis, sed quid illis usuenturum sit, qui Christiani censentur, & ciues regni cœlorum uocantur. Non enim dicit: Tunc similabitur mundus, sed: tunc simile erit regnum cœlorũ, hoc est, Tunc illis, qui ad regnum cœlorũ uel pertinent, uel pertinere uidentur idem accidet, quod decem uirginibus, &c. Hic nihil est philosophandum de uirginitate, nihil de numero denario, nec de eo, quod totidem dicuntur fuisse prudentes, quod fatuæ. De Christianis ueris ac falsis agitur, quorum omnium professio est, ut dominum uenturum expectent, seseq; ad illius occursum paratos exhibeãt. Illi in hac uita absq; discrimine mixti sunt, & professionis titulo coniuncti. Omnes uocãtur Christiani, omnes baptizati sunt, omnes fidem in Christum, & aduentus ipsius expectationem, cum uita æterna profitentur. Verum ubi Dominus uenerit, conspicuum erit, qui synceri sint, qui non: qui parati sint, qui non sint: qui admittendi, qui excludendi, quos Christus sit pro suis agniturus, quos reprobaturus. Ita de uirginibus dicit parabola: Omnes sunt uirgines professione, omnes habent lampades, omnes ad nuptias & excipiendũ sponsum uocatæ sunt: dispares uerò quomodo sint, apparet in aduentu sponsi. Vbi quinq; deprehendũtur prudentes, propter acceptum oleum: quinq; uerò fatuæ, propter neglectum oleum: atq; ideò prudentes ingrediuntur ad nuptias cum sponso, fatuæ uerò excluduntur. Ita prorsus eueniet Christianis in aduentu Domini. Qui parati inuenientur, cum gaudio occurrẽt Christo, qui minus, cum mœrore abijcientur: Ergo uigilandum, &c.

Quinq; autem ex eis erant fatuæ, & quinq; prudentes.

Non dicit, quinq; erant malicioſæ, quinq; bonæ, aut quinq; erant iniustæ, & quinq; iustæ. Sed quinq; erant fatuæ, & quinq; prudentes. Nec in illis notat aliquam maliciam & improbitatem: nec in istis commendat iustitiam & probitatem, sed solo illas stultitiæ & prudentiæ discrimine secernit. Non enim agit hic de malicioſis & peruersis Christianis, sed de stultis & negligentibus: deinde de prudentibus. Vtrosq; depingit, per hoc quod subijcit:

Quæ erant fatuę acceptis lampadibus suis non sumpserant oleum secum. Prudentes uerò sumpserant oleum in uasis suis unà cum lampadibus.

Quæ erat fatuarum stultitia? Quod non cogitauerant de oleo, ad sustentandas lampadarum flammulas necessariò, antequàm ad occursum sponsi egrederentur sumendo. Quod in mentem illis non uenit, frustra quæsituras oleum, sicubi illud in occursu sponsi deficeret, & quod extinctis lampadibus non essent permittendæ ad nuptias. Rursus aliarum erat prudentia, quod in tempore de istis cogitauerant, & quæ necessaria erant ad occursum sponsi ante egressum parauerãt, ac secum sumpserant: id quod res erat ratæ, postea nõ fore locum & opportunitatem ista curandi. Ita prudens dicitur, qui domum suam supra petram, & stultus qui illam supra arenam collocat, Matth. 7. Ista prudẽtia nobis hac parabola imitanda proponitur, ne cum stultis imparati olim excludamur. De lampadibus, oleo, & uasculo olei, multi multa disputãt. Illa pertinẽt ad parabolæ contextum magis quàm ad illius mentem. Sic alibi, ubi dicit: Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus uestris. Luc. 12 *Nõ est anxiè disputandũ, quid per lumbos, per cingulum lumborum, per lucernas ardentes in manibus sit intelligendum, cum illa nihil aliud habeant, quàm descriptionẽ seruorũ uigilantium & Dominum suum, dum à nuptijs domũ redeat, expectãtium. Vt admoneamur quoq; ad illorũ similitudinẽ uigilemus, aduentumq; Domini nostri uigilanter expectemus. Ita hic per lampades & oleum nihil aliud agitur, quàm quod nos excipiẽdi sponsos, qui in illis regionibus fuit, ad hoc proponitur, ut in illis admoneantur credentes, quomodo ipsi debeant esse parati ad occurrendum sponso cœlesti Domino nostro, ne imparati ab illius nuptijs secludantur. Quòd si omnino quisquam quid mysticè per lampades & oleum sit accipiendum, inuestigandum putauerit, non contentus parabolæ simplicitate, sed cupidus ad cognoscendũ, quid ad excipiendum sponsum cœlestẽ necessariò requiratur: ille poterit per flammulas lampadarũ, id significari quod est in professione nostra quibusuis conspicuum quod foris coram omnibus præfertur, unde cognoscamur, qui simus, quid profiteamur, quò tendamus. Quemadmodũ lampades istæ nu-*

ptiales foris ostendebant uirgines istas ad occurrendum sponso cuidam egressas esse. Ita instar lampadarũ nobis est, quod Christiani uocamur, quod baptizati sumus, quod externis ritibus, & operibus fidem Christi præferimus, quibus uelut ostendimus, qui simus, & quid speremus, quóue tendamus. Per oleũ uerò, unde lampades aluntur, ne extinguãtur, poterit exponi cordis iustitia, synceritas, & uigilantia quæ est in uera, solida, & perseueranti fide Christi, & charitate non ficta. Nam sine tali corde quid aliud est quicquid foris ostẽditur, quàm lampas quædã absq; oleo? Qui per oleum bona opera, per lampadas fidem intellexerunt, debebant saltem uerbo Christi, Matth. 5. admoneri, magis quadrare ut per lucem, in oculis mortalium incurrentem intelligantur opera bona, quàm per oleum. Sic luceat, inquit, lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrũ, qui in cœlis est. Et alioqui nõ lampas oleo, sed oleum lampadi subministrat, ut ardeat. Ita certè fides opera bona gignit & alit, non uicissim per illa gignitur aut alitur. Et Christus non dixit, cum filius hominis uenerit, putas inueniet opera in terra, sed putas inueniet fidem in terra. Virginum talium hodie magnus est numerus, quæ lampades absq; oleo gestant. Sunt qui magno sumptu curãt, ne lampades illæ terrestres oleo suo in tẽplis destituantur, quasi hoc sit oleum habere cum lampadibus, ne ueniente Christo, imparati deprehendantur: cum interea ne per somnium quidem de ueris lampadibus, & fidei oleo quicquàm cogitent. Rursus quàm plurimi sunt, qui nec lampades nec oleum sumunt, imò qui nunquàm in animũ suũ inducunt, ut uel in speciem in occursum sponsi egrediantur. Isti minus quidem habent hypocriseos: at hoc sunt peiores, quod plus ostendunt religionis contemptus.

Tardante uerò sponso, dormitauerũt omnes ac dormierunt.

1 His uerbis primum innuit tardè se reuersurũ, cum dicit, tardante uerò sponso. Reseruatus enim est reditus
Ebr. 11. Christi in finẽ mundi, adeoq; nouissima tempora. Oportet nanq; & numerũ electorum cõpleri, ne qui præcesserunt sancti sine postremis consummentur, & mundi huius iniquitatem & maliciam antequam iudicetur & damnetur, suam assequi plenitudinẽ, quemadmodũ de
Gen. 15. 18 Sodomitis. Deinde Cananæis legimus quorũ supplicium diuina patientia tandiu distulit, donec per maliciæ plenitudinem maturũ redderetur. Assignat aũt & Petrus
2 Petr. ult. apostolus tarditatis huius aliam causam cum dicit: Non tardat Dominus promissionẽ suam, sicut quidam existimant, sed patienter agit propter uos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Ista cogitanda sunt, ne tarditatem aduentus Domini cum impijs in argumentũ incredulitatis & negligentiæ rapiamus.

2 Deinde simul indicat, quid ista tarditas aduentus sui sit paritura. Dormitationẽ scilicet omnium. Omnes inquit, dormitauerunt ac dormierũt, cum prudentes tum fatuæ uirgines: Ergo non solũ negligentes ac fatui inter Christianos, sed & prudentes dormituri sunt, hoc est, nonnihil negligentius acturi, uelut tarditatis tædio superati. Quotus quæso quisq; est hodie, qui non oscitanter saltem agat in religione Christi. Expectatio Christi uenturi uergit in multã noctẽ, ut passim uideas ipsos etiam speculatores somno uinci. Augustin. Epist. 120. ad Honoratum exponit de morte corporali, sed non quadrat.

Media autem nocte clamor factus est, ecce sponsus uenit, exite obuiam ei.

Iam deinceps describitur aduentus Christi, & quid futurũ sit in illo prudentibus ac stultis. Media nocte inquit, id est altum dormientibus hominibus, mentis scilicet non corporis somnũ. Somnus enim circa noctis medium solet esse profundissimus. Innuitur ergo somnum hunc mundi duraturũ ad ipsum usq; Christi aduentum, tamq; abesse, ut ante illum experrecturi sint mortales, ut potius sint in ipso illius articulo altissimũ dormituri, & non nisi clamore illius euigilaturi. Quod aũt clamorem assignat aduentui suo, siue is sit angelorum, siue hominum conclamantium certè ostendit se nõ ita ut antea tectè & absconditè uenturum.

Tunc surrexerũt omnes uirgines illæ, & apparauerunt lampades suas.

Quemadmodũ uenturi Christi tarditas oscitabundos reddit etiã prudentes, ita clamosissimus illius aduentus non solũ prudentes, sed & fatuos excitabit, & sollicitos reddet, quomodo Christo occurrant. Parauerunt inquit lampades suas. Omnes quidẽ adornabunt occursum Domino tam fatuæ istæ quàm prudentes, sed longè dissimili apparatu. Prudentes quidẽ, quoniã oleum habent in uasis, facile poterũt lampades suas instruere. At fatuæ non ita. Illæ demum parare uolent inanes lampades, ubi occurrendum erit Domino.

Fatuæ aũt prudentibus dixerũt: Date nobis de oleo uestro, quia lampades nostræ extinguuntur. At responderũt prudentes, dicentes: Nequaquam. Ne non sufficiat nobis & uobis, sed ite potius ad eos qui uendunt, & emite uobis ipsis.

Duo significantur isto dialogismo. Primũ, quo animo futuri sint stulti illi qui de oleo procurando ante 1
Christi aduentum non sunt solliciti. Tum scilicet anxij erunt, intelligentes primũ qua sint olei penuria, confugientq; ad electorum patrocinia & merita, quorum posśint participatione saluari. Alterum, quàm hoc sint 2
frustra facturi, innuitur per id quod prudentes de oleo suo nihil communicare uolunt. Nam intelligent sancti quàm ipsi opus habeant oleo suo, ut nihil inde diminuere liceat. Nemo enim sanctorũ tantum habet iustitiæ, ut quicquàm de illa sine suo detrimento decidere posśit. Nec quidem cõstituti, orare possunt & intercedere pro illis, qui adhuc sunt in tempore gratiæ, uerũ extra hoc tempus nihil horũ possunt. Vide secundam expositionem Chrysostomi. Quod aũt dicunt: ite potius ad eos qui uendunt. Item, dum irent emere, &c. non ad hoc fecit, ut putemus oleũ hoc emi posse, uel quod iusti in fine mundi missuri sint reprobros aliquò emptũ hoc oleum: sed ut ostendatur nihil tum rationis futurũ, quo negligentiam suam resarcire queant, qui imparati erunt in aduentu Christi. Itaq; dum in hac uita sumus, curandum

dum est, ut paremus hoc oleum, frustra illud quæsituri, ubi iam erit occurrendum Domino.

Dum aũt irent emptũ, uenit sponsus, & quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. Postea uerò ueniunt & reliquæ uirgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico uobis, nõ noui uos. Vigilate itaq; quia nescitis diẽ, neq; horam, in qua filius hominis ueniet.

Ista est parabolæ huius catastrophe, in qua uidemus primũ, negligentibus & fatuis in aduentu Christi tantũ spacij non futurũ, ut oleum quod negligunt in hac uita, sibi comparare queant. Qui iam abundè satis tardat, tum properantius aderit: deinde & ianua quæ nunc est aperta, tum citius claudetur, quàm sese fatui instruere possint, nec aditus dabitur postea quàm illa fuerit clausa. Nic audietur: Amen dico uobis, non noui uos.

Forsan ista contemnuntur, quatenus ad ultimum iudicij diem referuntur. Nemo enim credit, quod superstes sit in hac uita futurus, ubi ista accident. Sed nunquid tale nihil geritur ubi moriendum est? Quid hic cogitant fatuæ uirgines? An non hic quoq; sentiunt suã stultitiam & olei penuriam? An non & hic uidemus anxias conscientias dicere: date nobis de oleo uestro, quia lampades nostræ extinguuntur? Vbi ad sanctorũ intercessionem, & meritorum humanorũ communicationẽ & & patrociniũ confugitur? An nõ eunt emptum oleum, ubi à monachis & sacrificis dato precio iræ diuinæ reconciliationem per uigilias mortuorum & Missas ambiunt? Quid indulgentiarum Roman. procuratio aliud est, quàm emptum oleum? At antequam ematur hoc oleum, quo possint inanes lampades adornari, mors ingruit & clauditur ianua regni, ut pulsantibus postea nihil sit audiendũ, aliud quàm triste illud: Non noui uos. Miserrima est ista olei nundinatio. Venditores quod nõ habent, uendunt, & emptores pro re nulla pecunias insumunt frustra. Et hæc res ludicra & friuola geritur nõ eo uitæ tempore, post quod esse possit locus resarciẽdi, & emendandi quod stulta opinione gestum est: sed tum potissimum, ubi abeundum est, & claudenda huius uitæ fabula, nec postea licet regredi, & malè acta rescindere & corrigere. Proinde audienda est diligenter parabolæ conclusio, qua dicit: Vigilate igitur &c. Quare? Quia paratis patet ianua, imparatis claudetur. Quando? Quo die sponsus aderit, cuius aduentus nemini mortalium est cognitus.

Sicut enim homo quidã peregrè profi ciscens, uocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua, & huic quidẽ dedit quinq; talenta, alij aũt duo, alij uerò unum: unicuiq; secundum propriam facultatem, & profectus est statim. Abijt autem qui quinq; talẽta acceperat, & negociatus est per ea, & confecit altera quinq; talenta. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est & ipse altera duo talenta. Qui autem unum acceperat abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui. Post multũ uerò temporis, uenit dominus seruorum illorũ, & ponit rationẽ cum eis. Et accedens is qui quinq; talenta acceperat, attulit altera quinq; talenta, dicens: Domine quinq; talenta tradidisti mihi, ecce altera quinq; talenta lucratus sum per ea. Ait illi Dominus eius: Euge serue bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium domini tui. Accedẽs autem & qui duo talenta acceperat, ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum per ea. Ait illi Dominus eius: Euge serue bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Accedens aũt & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, noueram te quod homo durus es, metens ubi non seminasti, & inde congregans ubi sparsisti: ac territus abij, abscondiq; talentum tuum in terra: Ecce habes quod tuũ est. Respondens aũt Dominus eius, dixit ei: Serue male et piger sciebas quod metã, ubi non seminaui, & congregem illinc ubi non sparsi: Oportuit ergo cõmittere pecuniã meã mensarijs, & ueniẽs ego recepissem utiq; quod meũ est cum usura. Tollite itaq; ab eo talentũ, & date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur & abundabit. Qui uerò non habet, etiam id quod habet auferetur ab eo. Et inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium.

Conspicuũ est istam parabolam ad eundem quidem scopum cum præcedente pertinere, uerũ simile rationis uice subiectam esse præcedentibus, cõclusioni uidelicet parabolæ de decem uirginibus, qua dixit: Vigilate itaq;, quia nescitis diem neq; horam, in qua filius hominis ueniet. Sic..t enim homo quidã inquit, &c. Vigilandum esse admonuit, eò quod ignoratur dies & hora, qua filius hominis ueniet. Iam ista parabola declarat quid futurum sit in aduentu filij hominis, maximè seruis ac ministris suis: quorum est accepta dona bona fide pro cuiusq; persona & conditione ad regni Dei profectum & augmentum dispensare. Hoc uidelicet, ut exigenda sit à quoquam dispensationis ratio, honorandiq; fideles, ac puniendi nigri & inutiles. Argumentũ itaq; parabolæ huius ducitur à cõditione ac משמט *dispensatorum, ad hoc, ut illa perpensa singulis incutiatur cura uigilanter ac fideliter munus concreditum obeundi, tanquam scientibus de omnibus sibi reddendam esse uenienti Domino rationem, idq; tempore quo ignorãt.*

DISPOSITIO PARABOLAE.

Sunt autem parabolæ tres partes. 1 Prima est, quomodo bona sua Dominus seruis suis, non dominandi pro 2 libidine, sed dispensandi gratia, diuiserit. Altera est, quomodo illa dispari fide et sedulitate, à quibusdã bene, ab alijs ne dispensentur quidem, sed inutiliter conser- 3 uentur. Tertia docet, quomodo in aduentu Domini à singulis sit dispensationis exigenda ratio, honorandiq; fideles, ac condemnandi reprobi.

PRIMA PARS.

Sicut enim homo quidam peregrè, &c.] Similitudine peregrinationis tacite occurrit opinioni discipulorũ, quam de regno Dei confestim manifestando conceperant. ostendens abiturum se ex hac uita, nec statim sed post multum temporis, ad manifestandam regni Dei gloriam redituru. Hac de re manifestus locus est, Lucæ 19. ubi & ista parabola ponitur. Non est aliter urgenda peregrinationis dictio in hoc loco. Neq; enim Christus ad patrem profectus, ad loca peregrina concessit, neq; hinc abiens suos deserut.

Vocauit seruos suos & tradidit illis bona sua, & huic quidem dedit quinq;, &c.] Duo connectuntur hoc loco, uocatio scilicet & distributio donorum Dei, quæ probè sunt in ministris Christi obseruanda. Vocatio ita necessaria est, ut nequeat sine illa quisquam uerũ agere Christi ministrum. Vocatis enim dantur dona cœlestia, Ecclesiæ cõmunicanda. Qui sponte sua currunt, uel humanitus tantum ordinantur, ut à Domino nõ sunt uocati, ita & bonorũ illius distributione dẽstituuntur. Est aũt uocationis certitudo occultior, quàm ut externè queunt uel in personis uel titulis agnosci. Proinde agnoscenda est ex bonis cœlestibus: illis nimirũ, quæ non sint uulgaria, sed ad regni dei prouectum accommoda. Vbi illa deprehenduntur, ibi certum est adesse uocationem, occultam illam, quæ Dei est, ministros suos in uineam suã extrudentis. Sunt igitur hoc loco obseruanda.

PRIMVM.

Quod bona sua Christus dederit seruis suis. Tradidit illis, inquit, bona sua. Non est aũt hoc ita intelligendum, quod illis bona sua ad hoc dederit, ut essent ipsis propria, quibus pro arbitrio uti possent, sed quod dispensanda dederit. Sic Ephe. 4. Ascendens in altũ, dedit dona hominibus. Quicquid enim ministris Christi datum est, magis Ecclesiæ quàm ipsis datum est.

1 Abijcienda igitur procul omnis temeritas quiduis pro uoto in Ecclesia committendi.

2 Deinde & decutiendus omnis fastus est. Quid enim habes, inquit Apostolus, quod non acceperis? Si aũt accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?

ALTERVM.

Quod non omnibus eadem aut paria data sunt, sed alij plus alij minus. De uarietate donorum, uide Ephe. 4. Rom. 12. 1 Corinth. 12. Non est itaq; contemnendus qui minus accepit, cum hoc ipsum quod habet, æquè à Domino habeat, atq; ille qui plus accepit. Quid est autem quod dicit, unicuiq; secundum propriam facultatem? Pertinet hoc ad prouidentiam Dei, omnia competenter moderantem. Moderatius est, ut qui plus habet facultatis, plus etiam negocij gerẽdi subeat, quàm si minus ualenti plus oneris imponatur. Vsuenit plerunq; in exactionibus tyrãnicis, ut plus extorqueatur à tenuioribus quàm à ditioribus, imò ut ditiores immunes euadant. Hic nõ ita habet. Qui minus potest, illi & minus negocij gerendi iniungitur. Cauendum tamen est, ne putemus in regno Christi cuiquã aliquid esse facultatis, quod de suo habeat, sed fatendum est, non solum ipsa officia, sed et administrandorũ illorum facultatem qualecunq; 2 Cor. 3 ex domino esse. Non quod simus inquit, Apostolus sufficientes aliquid cogitare saltem ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti, &c. Et. 1 Petr. 4. Si quis ministrat, tanq; ex uirtute quam administrat Deus.

In humanis ita cõparatum est, ut nullus rex cuiquam seruorum suorũ aliquam posßit dare ullius muneris dexterè administrandi facultatem, uidelicet, ut uel sapientem, uel industrium, uel fortem, uel eloquentem faciat: sed necesse habet, ut donis aliundè acceptis in seruis suis utatur. Potestatem aliquid gerẽdi, id est τὸ δύνασθαι, conferre potest δωρεμιν uerò non ita. At noster rex nõ solum bona quæ dispensanda sunt, sed & facultatem, qua ritè dispensentur dare potest, ita ut nisi ipse det, nemo illã sit habiturus. Proinde illud: unicuiq; secundum propriam facultatem. Si ad dispensationẽ cœlestium bonorum trahatur, non est ita intelligendum quasi eligat sibi Dominus aptos & commodos ministros, quos ipse tales nõ fecerit sicut solent, imò facere coguntur mundi huius principes: sed simpliciter de prouidentia illius intelligendum est, qua ualentioribus, quos ipse tales fecit, maiora munera imponit, imbecillioribus uerò minora.

Non est aũt disputandum de occulto illius iudicio, quare alij plus alij minus facultatis det, in cuius potestate erat, si ita uoluisset, nemini quicquam dare.

PARS ALTERA.

Abijt aũt qui quinq; talenta accep.] Hac secunda parte ministrorum Christi diuersitas, non quæ sit uel in facultate, uel in officijs, sed in fide ac mentis probitate describitur. Ordini Dei nõ repugnat, nec quenquam damnat, facultatis uel officiorum inæqualitas, quando illa à Domino est: sed ea demum diuersitas à malo est, quod alius alio minus erga Christum habet fidei & synceritatis. At ista quoq; inæqualitas usum suum habet in regno Christi, uidelicet, ut ex collatione reproborum, qui probi sunt manifesti fiant. Obseruandum autem est quod dicit, abijt & negociatus est in eis. Nam pulchrè depingitur uerbi ministerium, potißimum apostolatus. Abeundi uerbum ad id respicit, quod alibi dicitur: Ite. Item, Euntes docete. Itẽ: Illi aũt profecti prædicauerũt ubiq;, &c. Negociãdi uerò uerbo exprimitur sedulitas ac finis apostolicæ functionis. Vt enim seruus negociatoris & terras & maria circuit, ut pecuniã Domini sui ad quæstum & lucrum collocet, multoq; cum fœnore domum aliquando reuertatur: ita & Christi Apostolus ex domini sui mandato in uniuersum orbem egreditur, bona domini sui secum ferens, ut illa ad augmentũ regni illius probè dispenset. Sic Christus dixit: Vos me nõ elegistis, sed ego elegi uos, ut eatis & fructum afferatis.

Pudore

Pudore suffundor, quotiescunq; fidem, diligentiam, sedulitatem, industriam, patientiam, & dexteritatem eorum considero, qui mercatoribus ad quæstum famulantur. Quàm quæso illorum respectu ignaui sumus, pigri, & parum fidi, quotquot Christo ministramus?

Qui aũt unũ acceperat, &c.] Pecuniã domini in terram fodere et abscõdere, eorũ est, qui officiũ suũ pro facultate, quã à deo habẽt, nõ obeũt: sed à negocijs, labore molestia & periculis functionis euãgelicæ, paci ac tranquillitati suæ cõsulentes, abhorrent. Horũ etiã tempore Pauli q̃ plurimi fuerunt, qui relicta functione Euangelij ad seculũ redierunt. Illi satis putãt, si acceptũ talentum conseruent, nihil de lucro solliciti. Interea altissimè dissimulant & abscõdunt acceptũ munus. Hoc est in terram fodere acceptã pecuniã. In præcedenti similitudine, de seruo malo, tyrannidẽ & luxũ perfidorũ Episcoporum expressit: in isto uerò inutili seruo eos describit, qui labores et molestias euangelicæ functionis fugientes, facultatẽ acceptã inutilẽ reddunt, dũ officiũ nõ præstant. Et quoniã hoc hominũ genus nõ arbitratur se hoc nomine culpari posse, eò quod etsi ipsi ad regni Christi profectũ nihil conferant, illi tamen nihil officiant, nec impediant quo minus alij id faciãt: uisum est Christo, declarare hac parabola, q̃ & isti tanq̃ reprobi & perfidi sint cõdemnandi, ut suos admoneat, quo officiũ diligenter & fideliter præstent.

PARS TERTIA.

Post multũ uerò tẽporis uenit dominus seruorũ illorũ, & ponit rationẽ cũ eis.] Hac parte ob oculos ponit formam aliquã futuri iudicij, in qua potissimũ uis huius parabolæ sita est. Ad hoc enim instituta est, ut incutiat nobis reddendæ rationis metũ, & per illũ omnẽ negligentiam & securitatẽ eximat. Habet aũt ista pars quædam generalia & specialia. Generalia sunt, quæ cum bonos tum reprobos seruos concernunt. Specialia uoco, quæ pertinent ad bonos, deinde & quæ ad malos.

1 Generalia. Primũ generale est, quod dicit: Post multũ uerò temporis uenit dominus. Quoniã nõ statim erat rediturus, ne mora futura causam daret negligẽtiæ, quasi nunq̃ esset rediturus, innuit se, licet post multũ tẽporis, uenturũ tamẽ ad iudiciũ, id quod cõmuniter omnibus notãdũ est.

2 Alterũ est, quod indicat rationẽ reddendã esse singulis, hoc est, quod quisq; sua uel fide sit probãdus uel perfidia reprobandus, & nemo de aliorũ fide participaturus. Nõ erit generalis quædã bonorũ & malorũ examinatio, sed cuiusq; specialis, ut recipiat quisq; quod in corpore gesserit siue bonũ siue malũ. Imò ne boni quidem generaliter probabuntur, sed cuiusq; factum specialiter innotescet omnibus. Idẽ usuueniet & reprobis. Ita boni serui non simul rationem reddunt, sed unus post aliũ, ut quantũ quisq; Domino lucrifecerit seorsum innotescat, probetur & remuneretur. Eadẽ ratione iudicabuntur & mali. Nemo ergo cogitet, quid si multũ laborauero in opere domini? An erit aliqua laboris mei specialis ratio, in tanta multitudine bonorũ? Rursus nemo malus cogitet: Quid si enormiter deliquero, & insigniter malus fuero? Poterit ne in tanta reproborũ multitudine mea malicia singulariter iudicari & cognosci? Ibi erunt omnia nuda et aperta. Et cuiusq; cõscientia attestabitur, & uel accusabit uel defendet quicquid commissum sit.

Et accedẽs qui quinq; &c. Itẽ qui duo: Domine quinq; talenta, &c. Itẽ Domine duo talẽta mihi tradidisti, ecce altera, &c.] Ista nõ sunt ita intelligenda: quasi boni sint in ultimo iudicio ipsi narraturi quid & quantũ perfecerint, regnoq; dei lucrati sint, quasi illa ignoraturus sit dominus, nisi ex ipsis audiat. Imò ausim affirmare, neminem sanctorum unq̃ cognouisse, neq; cogniturum ex se, quantum lucrũ regno Christi ministerio suo attulerit. Ideò infrà dicturi sunt electi: Domine, quãdo te uidimus esurientem & pauimus, &c. Verum dominus ipse, cui omnia nuda sunt & aperta, nihil ignorabit omniũ eorum quæ fideliter uel perfidè sunt acta. Specialia.

Quia super pauca, &c.] Duo sunt hic notanda. Vnũ, 1 quod bona sua dominus quæ ministris suis in hac uita dispensanda tradit, cum tanta sint et talia sine quibus saluari nequeamus, quæ Apostolus uirtutẽ et sapientiã dei, & thesaurũ uocat, inæstimabilesq; diuitias dei. Et Christus ipse Mat. 7. margaritas appellat, pauca uocat, uidelicet respectu eorum, quæ accepturi sumus post hanc uitam. Inde admonemur quanta sint futuræ uitæ bona, si ista pauca illorũ respectu dicuntur. Alterum est quod 2 patri beneuolentia impares ministri acceptantur, laudantur ac remunerantur. Vterq; bonus et fidelis prædicatur, uterq; in gaudiũ domini assumitur. Nemo ergo se putet à domino cõtemptũ iri, si modicã dispensationem habeat, modo fideliter munus suũ obeat. Non enim perpenditur quantũ habueris facultatis et q̃ arduum munus administraueris, sed quanta fide erga dominum fueris.

DE MALO SERVO.

Accedens aũt & qui unum, &c.] Multiplex est serui huius malicia. Primũ quod pecuniam domini inutiliter apud se detinuit. Deinde, quod se excusat, quasi nihil damni domino adferat, sed quod illius est, probè restituat. Ecce inquit, habes quod tuũ est. Tertio, quod non solum se excusat, sed culpam, quã sibi metuebat intentandam, in ipsum dominũ reijcit, dicens: Sciebam quod esses durus homo, undequaq; corradens aliquid emolumenti, ideò territus, ne forte nec fœnus nec sortem tibi restituere possem, pecuniam tuam non commisi mensarijs, sed in terram abscõdi, ut illæsam restituere possem. Hæc reperiuntur apud eos, qui munus commissum pro facultate accepta nõ obeunt. Sunt enim inutiles domino: deinde & putant se non esse iniurios domino, & tertio prætexunt austeritatem & sæueritatẽ, cuius gratia periculosum sit illius agere ministrum. Sed quid audient?

Serue male & piger.] Vbi malum & pigrum uocat, indicat quod nõ ex metu sæueritatis suæ, sed ex propria socordia et pigritia negociationem detrectauerit. Alioqui debebat dicere: Serue meticulose. Quod ergo metum prætexuit falsa erat excusatio.

Sciebas quod metam, &c.] Ex ore proprio iudicatur per inuersionẽ, ita ut quod falsò prætexebat, ad excusandã ignauiam, magis illi cedat ad cõdemnationem. Q. d. Sciebas me esse sæuerũ exactorẽ lucri, quare ergo nõ uel ex metu sæueritatis meæ posuisti pecuniã meam ad mensarios, unde iam illam cũ usura reciperem? Audient hoc & nostri ignaui, ut inde condemnentur, unde Quid si sors ipsa cum fœnore amittatur. Nõ hinc damnatur fidus seruus Christi, cui

est munꝰ suũ obire fideliter, incremẽtũ uero illius Domino cõmittere.

se probè excusatos putant. Malè excusatur seruus, munus suum non obiens, si Domini sæueritatem ac metum prætexat, unde magis decebat ad officium præstandum impelli quàm ad ignauiam.

Omni habenti dabitur, &c.] Hoc prouerbio usus est & suprà cap. 13. Nos hinc colligimus bonis et fidelibus Christi ministris non ex propria tantum fide, sed & ex aliena perfidia multum laudis et gloriæ accessurum. Deinde, dignum esse ut cum pudore & cõfusione amittatur, quod non in gloriam domini possidetur.

Et inutilem seruũ.] Notandũ hic nõ solum eum esse malum seruũ, qui bona domini sui dilapidat, inq; usum proprium conuertit, id quod ille feciſſe dicitur, cuius suprà capite præcedenti facta est mentio: sed & eum, qui bona Domini illibata conseruat quæ ad dispensandum acceperat. Quare? Quia inutilis est, uocatur mala arbor, non ea duntaxat, quæ malos, sed & quæ nullos fructus adfert. Malus seruus est domino suo, non solũ qui frumentũ acceptũ, quod terræ cõmittendũ erat, uendit aut dissipat, aut sibi reseruat, sed & qui illud domino saluũ restituit. Is enim seruando semen, tantũ nocet, quantum prodesse poterat si acceptum terræ commisisset.

Cum aũt uenerit filius hominis in gloria sua, & omnes sancti angeli cũ eo, tunc sedebit super sedem gloriæ suæ, & cõgregabuntur ante eũ omnes gentes, & separabit eos alteros ab alteris, sicut pastor segregat oues ab hędis: & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos aũt à sinistris.

Hactenus similitudinibus & parabolis uigilantiam suis incussit Christus, iam apertius aduentus sui imaginem deliniat, indicans cũ quanta sit maiestate & gloria uenturus ad iudicandũ, & quomodo collectas ante se omnes gentes sit separaturus: iustos uidelicet ab iniustis, & quid probaturus ac remuneraturus iniustis. Rursus quid damnaturus ac puniturus in reprobis. Cõmodum autem ista passionis suæ, iam uicinæ, ignominiæ & humilitati præmittit, ut illorum recordatione discipuli futura scandala crucis tolerabilius ferrent, essentq; etiam ipsi horum intuitu ad quamuis ignominiam & adflictionem pro regno Dei ferendam paratiores.

DISPOSITIO HVIVS LOCI AD finem usq; capitis.

Totus iste contextus ad finem usq; capitis duas partes habet. Vna est, qua describitur quanta cum gloria et maiestate futurus sit ad iudicandũ Christi aduentus: & quomodo cõgregandæ sint ante illũ omnes gẽtes: et demũ planè futura iustorũ ac iniustorũ separatio. Altera depingit ipsum iustorũ ac reproborũ futurũ iudicium, quid ab ipso iudice Christo audituri sint iusti, quid iniusti. quid in illis sit honorandũ gloria et uita sempiterna: in istis uerò puniẽdũ, probro & supplicio nunq; finiẽdo.

PRIMA PARS.

1 Cũ aũt uenerit filius hominis in gloria sua, & omnes sancti angeli cum eo.] His uerbis qualitatẽ aduentus sui secũdi ita describit, ut indicet illũ priori, in quo tũ erat, longè dissimilem fore. In priore apparuit humilis, in forma serui, in posteriore apparebit sublimis, in forma regis regũ ac omniũ iudicis. In priore obnoxius fuit probris & ignominiæ: in posteriore adueniet cũ gloria. In priore apparuit imbecillis: in posteriore apparebit cũ uirtute cœlesti. In priore subiuit reproborũ iudiciũ & condemnationẽ: in posteriore iudiciũ feret de reprobis omnibus. Ne conturbent itaq; discipulos quæ in prioris aduentus forma uidebantur infirma, ignobilia & probrosa, opponit illis quæ futura sunt in secundo aduentu inuicta & gloriosa. Huc facit, quod dicit: Cũ uenerit filius hominis, hoc est, qui iam omnibus hoc nomine contemptibilis apparet, quod formam gerit filij hominis ac serui, & habitu inuenitur ut homo, miseriis & humilitati hominum obnoxius, is ipse olim aduenier in gloria sua. Nunc tempus est humilitatis & crucis, hanc sequetur olim gloria. Sic uidit in Christo Petrus priores passiones & posteriores glorias, atq; inde adflictos Christi exemplo: ut discamus ita definitũ esse à Deo, ut tempus humilitatis et adflictionis probandi et exercendi gratia in electis præcedat, & tandem subsequatur uitæ æternæ gloria. Nec mirũ hoc uideri debet, cũ & in rebus humanis ita fieri uideamus, ut liberos suos parentes ditissimi quos charissimos habẽt, prioribus annis disciplinæ subij, cient, in qua erudiantur, probentur & exerceantur, in qua multum insumant molestiarum & laborum, ne per mollioris ætatis delicias & inertiã corrupti, ad omnem reliquam uitam inepti & inutiles reddantur. Obser. 1. Pet. 1.

In gloria sua.] Non de quauis gloria, sed de sua loquitur. In gloria sua inquit. Alia est cœlestium gloria, alia terrestriũ, alia solis, alia lunæ. Et in rebus humanis alia est Cæsaris, alia regis, alia cuiusuis principis, alia ducis, alia comitis, alia equitũ auratorũ, alia nobilium &c. Cuiq; statui ordini & conditioni sua est gloria. Ita et specialis gloria est Christi, quæ illi cũ nulla creatura cõmunis erit, ne cum angelis quidẽ, quos secum adferet. Participes quidem erimus gloriæ Christi, cũ illa apparuerit, sicut admonet Apostolus Colos. 3. cum dicit: Cum apparuerit Christus uita uestra, tũc & uos apparebitis cum ipso in gloria, magna tamen erit inter illius & nostrã differentia. Gloriosum est corpus regis. at alia et capitis, & alia pedũ gloria. Gloriosa est aula regia. at alia est gloria ipsius regis, & alia aulicorũ. Gloriosus est cœli, quod firmamentum uocamus, aspectus. at maior est solis quàm lunæ ac reliquorum astrorum gloria.

Quæ est aũt ista gloria Christi, cuius hic meminit? In summa, gloria est unigeniti Dei, & domini omnium, cui pater omnem potestatem in cœlo dedit & in terra, & quem constituit iudicem omnium, ut idem sit, quod dicit: cum uenerit in gloria sua filius hominis, atq; cum uenerit cum uirtute diuina, & splendore cœlesti, gloriosus omniũ iudex, suscipiendus ac tremendus omnibus totius orbis habitatoribus. Ad hanc gloriam facit ipsa corporis Christi glorificatio, cuius imaginem aliquam uiderũt tres Apostoli, suprà 17. Vide 2. Pet. 1. deinde & comitatus omniũ angelorũ: tertio et potestas iudicandi, unde & hic dicit: tunc sedebit super sedem gloriæ suæ.

Quanta uerò futura sit ista Christi gloria, nulla mortaliũ, puto nec angelorũ mente cõprehẽdi potest. Quæ

nostra

nostra sit futura, nemo potest capere, quanto minus cõprehendi potest, quanta sit futura gloria Christi?

Et omnes sancti angeli cum eo.] Q. d. *Qui nunc paruo uestro & contemptibili comitatu humilis appareo, tunc apparebo comitatus uniuersis militiæ cœlestis exercitibus. Vult enim exprimere cum quanta sit uenturus potentia, & uirtute. Et Apostolus 2. Thess. 1. ad terrorem impiorũ & consolationem piorũ aduentum Christi glorioſum describens, uocat angelos cũ Christo uenturos, angelos uirtutis. Cum dicit: Siquidẽ iustum est apud Deum retribuere retributionem his qui uos tribulant, & uobis qui tribulamini requiem nobiscum in reuelatione domini Iesu de cœlo cum angelis uirtutis eius in flamma ignis dantis uindictam his, qui non nouerunt Deũ, & qui non obediunt Euangelio domini nostri Iesu Christi, qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria uirtutis eius, cũ uenerit glorificari in sanctis suis, &c. Quanta sit angelorum uirtus, uidere est in uno angelo, qui totũ exercitum Assyriorũ occisis 185000. disturbauit. Quanta uerò sit illorum innumerabilis multitudo uentura cum Christo, in eo admonemur, quod dicit: et omnes sancti angeli cũ eo. Et Dan. 7. ubi iste Christi aduentus describitur, ita legitur: Mille millia ministrabant ei, & decem mille myriades coram eo stabant. Vt intelligas infinitam esse & innumerabilem angelorum multitudinem.*

Aderunt autem exercitus isti angelorum & uirtutum cœlestiũ omniũ cũ Christo, non tanq̃ alieni à ministerio & potestate Christi, sed tanq̃ illius ministri. Ideò suprà cap. 16. uocauit eos suos angelos, cum dixit: Futurum est enim, ut ueniat filius hominis in gloria patris sui cum angelis suis. Et cap. 13. Mittet filius hominis angelos suos. Et suprà 24. Mittet angelos suos cum tubæ uoce magna. Et Apostolus loco suprà citato uocat eos angelos uirtutis Christi. Ministrabunt Christo ad exequutionem iudicij. Congregabunt ante illũ omnes gentes, separabunt electos à reprobis, electos rapient obuiam Christo in aëra, reprobos cum diabolo & angelis illius abijcient in ignem æternum, qua de re uidimus suprà cap. 13. in parabola zizaniorum.

Tunc sedebit super sedem gloriæ suæ.] *Disputat hoc loco Origenes, an intelligenda sint ista corporaliter & localiter, hoc est certo aliquo loco, ut uerba uidentur innuere, futura, & putat nullum fore locũ adeò capacem, ut isti iudicio sufficiat. Mihi uidetur prorsus curiosi hominis esse, in re tam seria et tremenda de loco iudicij huius disputare. Videntur quidem quæ ad finem usq; capitis huius dicuntur, per similitudinem fori dici: interea tamẽ nihil dubitandum est, omnino futurũ esse, ut appareat olim Christus omnium iudex, feratq; de omnibus certam et ineuitabilem sententiam. Quæ sit illa sedes iudiciaria futura, nemo quærat. Certũ est, quod in nubibus cœli corporaliter ac uisibiliter, omniũ etiam impiorum oculis sit compariturus. Sic ueniet, dicebant angeli, quemadmodum uidistis eum ascendentem in cœlum. Et suprà cap. 24. Et tunc uidebunt filium hominis uenientem in nubibus cœli, cũ uirtute & gloria multa. Sedes ista quàm sit terribilis futura impijs, Danielis 7. exprimitur, ubi propheta thronum Christi uidet similem esse flammæ ignis. Non dicit illum fore flammam ignis, sed terroris gratia similem flammæ ignis.*

Descripturus aliquam iudicij futuri formam & imaginem, præmittit hoc, quod tunc sit filius hominis sessurus in sede maiestatis suæ. quod nihil est aliud, q̃ quod tũ demum sit iudicaturus orbem, & liberaturus pios, ac condemnaturus impios. Tum enim more scripturarum dicitur Dominus pro tribunali sedere, quando iusto iudicio liberat innoxios & punit reprobos. Sic Psal. 9. Quoniam feciſti iudicium meum & causam meam, sedisti super thronum, qui iudicas iustè. Item: Parauit ad iudicium thronũ suum. Non est hoc ita intelligendum, quasi non hodie quoq; Christus sedeat in sede regni sui, Dominus omniũ, omnia gubernans, sed quod tũ demum omnia sit uocaturus ad iudiciũ, pœnasq; sumpturus de reprobis, ac liberaturus pios. Licet enim & hodie regnet, tamen per patientiam malorũ improbitatem tolerat, ut resipiscant, ut non possit hoc pacto dici sedere pro tribunali, quomodo tunc sedebit, ubi finem habebit tempus patientiæ ac lenitatis, nec ultra locum habebunt inter pios reprobi, iuxta illud Psal. 1. Ideò nõ consistent in iudicio impij, neq; peccatores in Concilio iustorum.

Habent ergo ista quandã cõminationem fore olim, ut finita patientia & lenitate Dei, omnia sint adducenda ad iudicium: quæ huc faciunt, ut admoneamur ad amplexandum tempus gratiæ, ne si illud cõtemnamus, sero aliquando simus nostrã deploraturi socordiam, ubi pro tribunali sedente domino omnium erit reddenda ratio.

Et congregabuntur ante eum omnes gentes.] *Non simpliciter congregabuntur, sed ante Christum congregabuntur: uidelicet pro tribunali sedentem, & de omnibus iam sententiam finalem ac perpetuam laturũ. Erit enim hoc ultimũ ac plenariũ Concilium, in quo omnia omnium examinabuntur, & maxima futura est præter expectationẽ omniũ rerũ & iudicandorũ mutatio. Innumeri hic iustificati, ibi damnabuntur: hic damnati, ibi iustificabuntur. Futura est enim tũ demũ uniuersalis & omniũ exactissima examinatio, ubi nihil erit occultum, nihil prærogatiuæ habebit opũ splendor, nihil ualebit nominis alicuius opinio, sed una superabit ueritas, omniũ oculis exposita. Proinde nemo sibiipsi uel de humano iudicio, uel ob delictorũ impunitatem in hoc seculo palpet, nemo de inani gloria superbiat, aut magnis titulis infletur. Rursus nemo innocens ob id deijciatur, quod hic immerito reprobatur ac damnatur, nemo obscurus animũ despondeat, aut glorioſis in hac uita gloriam hanc caducam inuideat.*

Cõgregabuntur, inquit, ante eũ omnes gentes. Congregatores erunt non homines propter conditionis humilitatẽ contemptibiles, quorũ ministerio Dominus isto gratiæ tempore, in quo adhuc sumus, filios Dei in hoc mundo dispersos ad fidei unitatem, et uelut ouiculas errantes in ouile cœleste congregat: sed angeli, cœlestes illæ, & quibus resisti non poterit omnium potentissimæ uirtutes, per quas nolint uelint ad Christi tribunal cogentur etiam impiissimi & potentissimi. Hic non poterunt abesse, istũ nõ poterunt declinare conuentũ, à quibus

bus hodie Ecclesiastici cõuentus cõtemnuntur. Cogẽtur ibi terribilem ferre aspectũ iudicis, cuius in hac uita uerbum nõ solum auersantur, sed probris etiã proscindunt.

Omnes gentes.] Mouet hic quæstionẽ Origenes, an de omnibus in uniuersum mortalibus, etiam tot seculis antea mortuis, uel de illis tantũ, qui tũ superstites sint futuri, aut de Christianis duntaxat sit intelligendũ: quod dicit ante se congregandas omnes gentes, & cõmemorat posteriorẽ istam quorundã esse sententiã, quibus libenter assentior. Licet enim certum sit omnes omnino mortales ante Christi tribunal cõparituros, uidentur tamen ista, quæ hic describuntur talia esse, quæ ad solos Christiani nominis professores pertineant, & uel illis, qui ante Christi tempora uixerunt: uel etiã postea uiuentes, nomẽ Christo nõ dederunt, cõpetere nequeant. Quod enim dicturus est: Venite, esuriui enim: & dedistis mihi cibum: deinde quod utriq; dicturi sunt pij et impij: Domine, ubi te uidimus esurientem. Et quod illis responsurus est: Amen dico uobis, quod uni ex his minimis fratribus meis feciſtis, mihi feciſtis: & quod illis non feciſtis, mihi non feciſtis. Nõ habet locũ in illis, quibus ratione temporũ nomen Christi innotescere non potuit, neq; in illis etiam, qui fidem Christi respuerunt. Nam illi magis ob id damnabuntur, quod non crediderunt in nomen unigeniti Dei, q̃ quod pauperes Christi non pauerunt, &c. Video studio factum à Christo, ut nusquàm in tam longa dissertatione de ultimo die, futuroq; iudicio, quæ duobus istis cap. 24. & 25. comprehensa est, mentionem eorũ fecerit, qui ante noui Testamenti tempora uixerunt, nec eorũ qui Euangeliũ regni respuerunt: sed omnia ita disposuerit, ut specialiter nos concernant, qui regno illius nomẽ dedimus. Quid enim ad nos, quomodo iudicandi sint exteri? Mundus omnino iudicabitur & condemnabitur. At una Christo cura est, ne & nos qui fidem ipsius profitemur, unà cum mundo impio & incredulo condemnemur.

QVOMODO APOSTOLVS hoc loco utatur.

Ex eo quod omnes ante tribunal Christi cõgregandi sumus, argumenta quædam persuadendi desumit Apostolus: utpote Rom. 14. uolens Christianos à temeritate iudicandi auocare, ita hoc loco utitur. Tu autem quid iudicas fratrem tuũ? Aut tu, quare spernis fratrem tuũ? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Idem facit & 1. Cor. 4. ubi simul indicat, q̃ non curet diem humanum: propterea quod sciat à Domino se iudicandũ esse, quicquid de se mundus iudicet. Et 2. Cor. 5. ita scribit: Confidimus autem et probamus magis peregrè abesse à corpore, & præsentes esse apud Deũ. Quapropter contendimus siue domi præsentes, siue foris peregrè agentes, ut illi placeamus. Omnes enim nos manifestari oportet corã tribunali Christi, ut reportet unusquisq; ea quæ fiunt per corpus, iuxta id quod fecit, siue bonũ siue malum. Scientes igitur timorem domini hominibus suademus. Quisquis igitur sedulo cogitauerit, quod olim simus omnes staturi ante tribunal Christi, certè nec temerè quenq̃ iudicabit, nec aliquem contemnet, nec multum curabit, quid de se mundus iste sentiat, sed in timore Domini uersabitur, illiq; ex animo placere gestiet, & omne illi iudicium cum de se tum de alijs permittet.

Qui id est aũt quod omnes dicit ante se cõgregandos ad iudiciũ, tam bonos uidelicet q̃ malos, cũ Io. 5. apertis uerbis credentes exemerit iudicio, dicens: Amen amen dico uobis, quia qui uerbũ meũ audit et credit ei qui me misit, habet uitam æternam, & in iudiciũ non uenit, sed transiuit à morte in uitam. Et infrà. Et prodibunt qui bona fecerunt in resurrectionem uitæ, qui uerò mala, in resurrectionem iudicij. Si ergo credentes in iudicium non uenient, & qui mala fecerunt, soli in iudicium resurgent, quomodo stabimus omnes iudicandi ante Christi tribunal? Respondeo. Verbũ iudicij hoc loco sumitur pro cõdemnatione, ut in iudiciũ uenire sit, in cõdemnationem more reorũ uenire. Ita non stabunt ante Christum iudicandi electi, sed quomodo Dauid dicit: Iudica me Domine, id est, uindica causam meam, libera me ab insidijs inimicorũ meorũ. Sic ueniẽt in iudiciũ credẽtes, ut patefacta illorũ innocentia, fide et synceritate, cũ gloria liberẽtur per iudicis sententiã ab omni malo, et in regnũ dei ac uitã sempiternã cũ summo gaudio asserãtur.

Et separabit eos, alteros ab alteris, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues quidẽ à dexteris suis, hœdos aũt à sinistris.] Ista separatio in ultimo iudicio futura, principium est iudicij, & confusionis malorum, & gloriæ bonorũ. Huc facit quod malos à sinistris, & bonos à dexteris staturos dicit, ut mox ex ipsa diuisione ac discretione sit manifestum futurum, quo quisq; apud Christum loco habeatur. Incredibile est quantam confusionem, & cordis anxietatem allatura sit reprobis ista discretio: & rursus quantam lætitiam & constantiam animi aduersus reprobos ex illa sumpturi sint electi, cuius rei imago quædam depingitur, Sap. 5.

Proponitur nobis hæc separatio aliquot similitudinibus, ut suprà cap. 3. per uentilationem ac purgationem areæ. Et suprà cap. 13. per similitudinem zizaniorum: deinde & sagenæ in mare missæ. Et hoc loco similitudine ouium & hœdorũ, quæ mihi uidetur usurpata duplici ratione. Primũ ad consolationem piorũ, qui in hac bonorũ & malorũ cõmixtione à reprobis uelut oues ab hœdis multis malis afficiuntur, ut sciãt olim se ab illorũ cõsortio liberãdos. Deinde admonitionis gratia, ut curemus in hac uita mutatis maliciæ hœdinæ morib. innocẽtiam ac simplicitatẽ ouillam amplecti, ne si hœdi maluerimus q̃ oues esse, in futuro iudicio cum alijs hœdis ad mactationem separemur. Seruit hic locus etiam contra tentationem eorũ, qui conantur in hac uita separare oues ab hœdis. Hac de re uide suprà cap. 3.

1 Vide Ezechiel. 34.

2

3

Tunc dicet rex his qui à dextris sibi erunt: Veníte benedícti patris mei, possídete regnum paratum uobis ab exordío mundi. Esuríui enim, & dedístis mihi edere. Sitíui, & dedístis mihi bíbere. Hospes eram, & collegístis me. Nudus, & operuístis me. Infirmus, & uísitastis me. In carcere eram, & uenístis ad me. Tunc respondebunt ei iusti, dícentes: Domine,

Domine, quando te uidimus esurientem & pauimus: aut sitiẽtem, & dedimus tibi potum? Quando autem te uidimus hospitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te: aut quãdo te uidimus infirmum, aut in carcere, & uenimus ad te? Et respondens rex, dicet illis: Amen dico uobis, quatenus fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

Hæc est pars eius formæ, qua futurum iudicium describit, qua ad consolationem piorum indicat, quæ sit futura resocillatio, gloria & felicitas eorum qui uero ac syncero erga se amore in fide sua perseuerãt. Est autem
1 *pars ista trimembris. Primum complectitur omnium desideratissimam saluatoris sententiam, qua ueri Christiani hæredes declarantur regni Dei, & in illius pos-*
2 *sessionem hæreditariam assumuntur. Secundo loco, adiuncta est αἰτιολογία, qua uelut ratio quædã præmissæ sententiæ redditur. Tertio, declaratur, quod in ipsa αἰτιολογία uidetur obscurum & insolens.*

PRIMVM MEMBRVM.

Tunc dicet rex his qui à dextris.] Oues *suprà dixit, id est, iustos & electos ad dexteram: hœdos uerò, id est iniustos & improbos ad sinistram collocandos. Iam ex ordine prosequitur, quid sit de utraq; parte pronunciaturus. Et principio quid de ijs qui ad dexterã stabunt decernendũ sit, ponit. Quæritur haud immeritò à Chrysostomo, quam ob causam primum sit pronunciaturus*
1 *de iustis & electis. Et rationem huius assignat, quod id sit facturus pro bonitatis suæ ingenio, quo non delectatur in perditione peccatorum. Ita nanq; comparati sumus omnes, ut quisquis pigrior sit ad ea quæ non ex animi sententia, quàm quæ libenter facit. Quoniam itaq; bonus est, adeoq; pronior ad honorandũ electos, quàm ad perdendum reprobos, ob id primum sese ad eos conuertet approbandos, qui ad dexteram stabunt, & tum demum ad reprobos condemnandos, ut et in ipso iudicij die, in quo locum non habebit misericordia, bonitatis Christi futurum sit aliquod indicium.*

2 *Quanquam id ob eam quoq; rationem hoc ordine gerendum ueri simile est, ut impij non solũ audiant, quid pro sua impietate promeruerint, sed & antequàm id audiant, in electis uideant, quanto gaudio & honore seipsos priuârint, id quod et iustis incredibilem honorem & impijs confusionem adferet inenarrabilem.*

Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum uobis ab exordio mundi.] *Hæc est sententia illa Christi, quæ nunquàm debet Christianorum mentibus excidere. Nihil enim in uniuersa scriptura ita pij hominis animum, siue in aduersis tolerandis, siue in tentationibus Satanæ, carnis & mundi uincendis confirmat & erigit, nihil ita consolatur deiectos ac mœstos, atq; hæc una sententia, si solida & fideli memoria mentes credentium occupauerit.*

Venite.] *Non simpliciter dicet: Vos sitis hæredes regni Dei, uel: Decerno uobis hæreditatem regni Dei, sed singulari quodam fauoris, & amicæ cõplexionis affectu uocabit eos ad se, dicens: Venite. Hunc affectum & in mundo constitutus declarauit, cum diceret:* Suprà 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, &c. Et quæso quis auderet ad iudicem hunc uiuorũ & mortuorũ quamuis iustus accedere, nisi accedendi se fiduciam ipse ultrò animis nostris esset inditurus? Fiduciæ huius gratia primum electos à reprobis segregabit: deinde segregatos amiciss imè ad se uocabit.*

Benedicti patris mei.] *Huc facit & ipsa appellatio, qua illos uocabit patris sui benedictos, id est, patri dilectos, & in gratia et benedictione patris constitutos. Vt enim impij maledicti ob id uocãtur, quod obstinata pietate manifestum sit eos à gratia Domini reiectos, & iræ Dei obnoxios: ita pij benedicti dei dicuntur, quando certo liquet esse illos in gratia & fauore Dei. Fuit autem apud ueteres id moris, ut propè his uerbis exciperent hospites, quos ex animo tanquàm amicos Dei complectebantur, ut de seruo Abrahæ legimus, Gene. 24. ad quem dicebat Laban, cum illum exciperet apud fontem* בוא ברוך יהוה, *id est* Veni benedicte Domini. *Et nos Germani. Sendt in Got uuol Kummen. Quemadmodum itaq; amica hac appellatione excipientes hospites significamus nos amico illos & desideranti affectu uenientes complecti, ut sciant se uenisse ad amicos, & licet inter peregrinos non domi suæ agant, non alio tamen animo agant, quàm quo agerent, si domi essent apud amicissimos: ita planè uidetur Christus appellatione ista amica, qua dicet: Venite benedicti patris mei, ob id usurus, ut bona fiducia ad se ueniant, certi quod omnium sint acceptissimi.*

Cogitemus hic quanto gaudio, quantoq; honore potituri sint, qui cum in hac uita tanquàm maledicti à deo abijciantur, damnentur, et proterantur, olim hanc amicam appellationẽ audient, è qua intelligent se in numerum esse assumptos, non maledictorũ, sed benedictorum dei. Curemus igitur, ut benedicti domini inueniamur et appellemur ab ipso benedictionis domino, quicquid in mundo uocemur. Sciebat suos tanq; maledictos, abijcientes & condemnandos esse in hoc mundo. Solatur itaq; illos dum indicat futurum olim, ut agnoscantur & cohonestantur pro benedictis Dei.

Possidete regnum.] *Non dicet: Sperate uobis regnum futurũ, nec ut Lucæ 12. quærite regnũ dei. Et cõplacitũ est patri uestro dare uobis regnũ, sed: percipite iam regnũ. Non enim amplius tantũ sperandũ erit, sed iam reipsa percipiendũ, quod in hoc tempore fide creditur & spe expectatur. Nec dicit: intrate & uidete: sed percipite, imò ne percipite quidem, sed* κληρονομήσατε, *id est, hæreditario possidete: quo indicat illos hæredes iam esse regni Dei, quod olim sint tanq; filij Dei re ipsa possessuri. Magna sanè dignitas homines peccatis obnoxios, & uanitati subiectos transire ad hæreditatem regni Dei. Quid est quod nõ dicit: possidete uitam, bona, gaudia, et honores regni dei, sed possidete regnũ? Regni dictione attollit animos electorũ ad cogitandum cœlestiũ et futurorũ bonorũ splendorẽ: sumpta à regnis mundi huius formula. Deinde ita omnia complexus est, quæcũq; ad regni dei splẽdorẽ et amplitudinẽ pertinẽt.*

Quod

Quod paratum uobis est ab exordio mundi.] Quid hoc adijcitur? An non est satis, quod uocabimur ad possessionem regni cœlorum? Quid opus est adiungere, quod nobis sit paratum, idq; ab exordio mundi? Quod hoc quoq; singulari affectu dicatur, ex eo patet, quod non simpliciter dicit: quod paratum, & ab initio mundi paratũ: sed quod uobis inquit, ab exordio mundi paratum est. Ergo regnum Dei non solum paratum iam est, sed destinatum aliquibus. Secundo destinatum mox ab exordio mundi. Tertio, destinatum credentibus, quos hic uocat benedictos patris. Quò spectant ista? Meo iudicio magis in præsentiarum consulit imbecillæ discipulorum fidei, quàm ut simpliciter indicet, quid audituri sint à se in fine mundi. Habent ista persuasionem de certitudine possidendi olim regni Dei. Quod enim illud paratum iam, & ipsis paratum, & ab exordio mundi paratum esse dicit, ad hoc unum facit, ut certo sciant destinatum esse diuinitus credentibus regnum cœlorum. Ita & Apostolus Rom. 8. cũ uellet diuinæ prouidentiæ certitudinẽ persuadere Christianis, dixissetq;: Scimus quod diligentibus Deũ, omnia cooperantur in bonum, diuinæ electionis propositum omnium certissimũ, statim subiecit. Idem egit & Ephe. 1. Expendenda simul est & infinita illa dilectio Dei, qua regnũ parauit nondum natis. Mox atq; mundum condidit, simul & regnum cœleste & æternum electis parauit. Hæc ad id faciunt, ut auocemur ab admiratione mundi huius, & ad quæuis aduersa pro nomine Dei ferenda confirmemur.

ALTERVM MEMBRVM.

Esuriui enim & dedistis mihi, &c. Hæc est αἰτιολογία, qua præmissæ sententiæ ratio redditur. Non est autem putandum, quod hac una formula tantũ quæ hic ponitur, sint omnes probandi uel reprobãdi Christiani. Sunt enim & alia præclara, quæ absq; dubio in illo die in Christianis agnoscentur & probabũtur: utpote quod multi pro Christo omnia sua etiam uitam ipsam reliquerunt, quorum quanta futura sit gloria in hoc iudicij die, suprà uidere est cap. 19. Item quàm plurimi domino fideliter in dispensandis mysterijs Dei ministrarunt, quorum certè fides quomodo sit agnoscenda in iudicij die, capite præcedente uidimus. Quid est igitur, quod hic nihil eorum commemoratur, sed simpliciter ponitur: Esuriui, sitiui, nudus & hospes fui, æger & captiuus, & cibastis, potastis, operuistis, suscepistis ac uisitastis me? Formam ponit talem, quæ generaliter possit omnibus competere Christianis, ita, ut qui hic insyncerus deprehenditur, sit repudiandus, tanquàm ad Christũ nõ pertinens. Proinde hic non dicet: Ite maledicti, non fuistis Apostoli, non posuistis animas uestras, non reliquistis omnia uestra pro nomine meo. Nam ista nõ sunt generalia Christianorum insignia, sed specialia quorundam, nec talia, sine quibus salus constare nequeat. Neq; enim ad salutem, & ad hoc ut uerè Christianus sis necessariũ est esse Apostolum, omnia relinquere, ipsamq; uitam impendere, nisi accesserit specialis uocatio, & necessitas quædam profitendi nominis Christiani apud infideles, sed satis est homini Christiano, ut in fide & charitate Christi syncerus sit, non negans Christi ueritatem, nec amans sua, nec seipsum plus quàm Christum.

CONTRA DOCTORES Operum & meritorum.

Colligunt meritorum nostrorum doctores ex hoc loco doctrinæ suæ stabilimentum, dicentes uel hinc liquere, quod ex operibus sit iustitia & salus, & uita æterna constet meritis bonorum operum, eò quod non sit dicturus Christus: Venite benedicti, &c. quia in me credidistis, sed quia esurientem pauistis, &c. Quid hic respondebimus? Ipsa sententia, quæ αἰτιολογίαε isti præmissa est, potenter repugnat aduersarijs gratiæ, & opinioni meriti humani, gloriamq; gratiæ Dei uindicat ab ista meritorum fiducia. Primum in eo quod uocat cibatores istos benedictos patris, qua appellatione commendatur gratia Dei, non meritum humanum. Deinde quod iubet eos possidere regnum hæreditario, prædicat ius nõ meriti humani, sed gratuitæ adoptionis. Tertio, quod non dicit quod promeruistis, sed quod paratum uobis est ab exordio mundi. Quis non uidet quàm regnũ hoc nõ ueniat ex meritis nostris, sed ex gratia diuinæ electionis ac prædestinationis, ut non sit meritum sed donum gratuitum, ut & Rom. 6. dicit: Donũ autem Dei uita æterna. Dicis autem: Et quamobrem meminit istorum operum? Ad hoc uidelicet. Non ut declaret eos promeruisse uitam æternam, & regni Dei gloriam ac felicitatem, sed ut testimonio suo approbet tanquàm ad se pertinentes uerè ac syncerè Christianos, uerè sibi fideles. Nam nulla re alia ita declaratur generaliter animus erga Christum syncerus, atq; ista dilectione fraterna propter Christum. Sic alibi: In hoc cognoscimini mei esse discipuli, si dilectionem habueritis inter uos mutuam. Et hoc est Christi mandatũ. Et obseruantia dilectionis huius argumentum habet dilectionis Christi. Huc accedit, quod tempore persequutionis periculosum est pro Christo et sub Christi professione esurientem alere, nudum uestire, peregrinum domo suscipere, captiuũ inuisere, ut quisquis hoc fideliter facit, aperto argumento declaret se non erubescere nomen Christi, sed syncerè erga illũ affectum esse. Atq; hinc est quod pleriq; hoc nomine ab Apostolo plurimũ prædicantur, uide Rom. 16. Item in ea quæ ad Philemonem est. Ista debebant expendere aduersarij.

Magna est disceptatio de bonis operibus, quæ fidei doctrina non reijcit, sed promouet, cum tamen pauciss. imi utrunq; sint, qui iusta illorum cura teneantur. Videmus hoc loco, quæ sint uerè bona opera, in quibus certum sit ueri Christiani hominis argumentum. Deinde, quæ sit ratio bonorum operum: nempe ut declarentur ueri filij Dei & benedicti patris, regni dei hæredes, accedatq; omnis gloria gratiæ Dei. Sic suprà & cap. 5. ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum, qui in cœlis est.

Quod si de opere operato hic ageretur, merito quæreretur, quoties sit alendus Christus, quoties uestiendus quoties hospitio suscipiendus, ut satis sit ad fiduciam regni Dei concipiendam. Sicut Petrus quærebat: Domine quoties peccabit in me frater meus & remittam ei? Satis ne est septies? Numerum præscriptum perpetuò cupient operarij, qui nõ ex animo Christi syncere amanti

pauperes

pauperes esurientes pascunt. Proinde nullus hic numerus præscriptus est, quia non agitur de opere operato, quod etiã sine charitate ita fieri potest, ut Domino non placeat, 1. Cor. 13. Sed de operibus ueræ dilectionis erga Christum, quæ nunquàm cessat esurientem Christum pascere, sed charitatem erga Christum tandiu declarat, donec sese obtulerit esurientis alendi occasio, & facultas adfuerit istuc faciendi.

OBSER.

1 Non dicit: Esurierunt pauperes, & cibastis eos, sed: esuriui, & cibastis me. Ergo loquitur nõ simpliciter de ea humanitate erga pauperes, quæ & apud gentes reperitur: sed de charitate erga se, qua pauper propterea alitur, uestitur, domo excipitur, &c. quod Christi sit. Hanc indicat se agniturum in die iudicij, licet communis illa non sit repudianda. Nam Apostolus docet omnibus benefacere: & Christus ipse suprà capite 5. Sed ista præcipuè sectanda est.

2 Non dicit: Esuriuistis, sitiuistis, nudi fuistis, &c. sed esuriui, & cibastis me. Ergo nõ exigit, ut esuriamus ipsi nudiq; simus, licet tolerãda & ista sint in casu pro Christi nomine, sed ut esurientes Christianos pascamus, nudos uestiamus, &c. Iam quid est facilius, esuriré ne an esurientẽ alere? Quis utrunq; fecit? Qui te fecit diuitem, is et pauperẽ fecit, & quod alium fecit, te quoq; potuit.

3 Nec ratio est, ob quam pauper esuriens ac nudus pusillanimis reddatur, ob id, quod non dicit: Esuriuistis, & cibati estis: nudi fuistis, & operuerunt uos, propter me, &c. sed tale quid, quod ipsi pauperes non alijs præstiterunt, sed præstitum sibi ab alijs acceperunt. Neq; enim propterea excludentur ab ista felicitate, modo fideles sint & cum Lazaro patientes, qui nec ipse legitur esurientes pauisse, sed esuriem pertulisse. Curent pauperes ut sint de illis, de quibus Lucæ 16. dicitur: Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula.

LOCI HVIVS CONSIDERATIO duplex est.

Quemadmodum Christianorum duæ sunt partes: adflictorum una, altera eorum, qui adflictionũ istarum expertes sunt: ita & duplicem considerationem habet præsens locus. Non sine magna Dei prouidentia factum est, ut non sit eadem etiam piorum sors in hac uita, sed alij esuriant, sitiant, infirmi sint, nudi, peregrini, & captiui: alij uerò nec esuriant, nec sitiant, nec nudi sint, nec infirmi, nec captiui. Proinde uidendum hic est, quid cuiq; parti conueniat. Ad primam partem pertinet, quod dicit: Esuriui, sitiui, nudus, infirmus, peregrinus & captiuus fui. Ad alteram, quod subdit: dedistis mihi cibum, dedistis mihi potum, operuistis me, collegistis me, uisitastis me, & uenistis ad me.

DE ADFLICTIS AC MISERE habentibus.

1 Istis primo loco notandum est, quod non dicit: esuriuerunt mei, sitiuerunt, hospites fuerunt, &c. sed: esuriui, sitiui, hospes fui, &c. quo loquendi modo declarat esuriem, sitim, nuditatem, et quamuis miseriam suorum esse, non magis ipsorum quàm suam. Ista obseruatio plurimum consolationis adfert adflictis. Nam primum hinc intelligere possunt, se non præter scientiam domini esurire, sitire, oberrare, algere, infirmari, & in uinculis esse, qui istas adflictiones suorum non solum ostendet se cognouisse, sed etiam in se transferet. Deinde et multum honoris accedit adflictionibus ipsorũ, quod quæ patiuntur, patitur in ipsis Christus. Alioqui contemptui obnoxiæ sunt piorum adflictiones, cum apud alios tum apud eos ipsos, à quo egregiè uindicantur isto honore, quo in ipsum Christum transferuntur.

Itẽ quod humanas adflictiones assignat, quæ & gentibus accidunt.

Secundo loco & hoc notandum est, quod dicit: & dedistis mihi cibum, potum, collegistis me, operuistis me, uisitastis me, & uenistis ad me. Licet enim hoc ad eos dicatur, qui ista misericordiæ opera adflictis ac miseris impendunt, simul tamen ij, in quos fiunt, admonentur, ut cum summa animi gratitudine utantur istis beneficijs, cogitentq; honorari in se Christum. Sancta sunt quæ Christo impenduntur, proinde & sanctum exigunt usum. Excitentur simul, ut istam Domini bonitatẽ perpendant et adorent, ac perpetuò cogitent: quis ego sum Domine, ut in me declaretur fidelium tuorum erga te charitas, & quod mihi fit, & in meum usum ac necessitatem cedit, non mihi, sed tibi fieri dicas?

2

Ista si cogitent adflicti, nec erunt impatientes in aduersis, quæ credunt ipsi accidere Domino: nec murmurabunt si nemo condoleat, & nemo quicquàm det: cum sciant sibi nihil deberi, nec malè utentur fidelium beneficijs, quæ sciunt ipsi impendi Christo.

DE ALTERA PARTE, QVAE EORVM est qui bene habent, quid illis sit obseruandum hoc loco.

Cogitent isti, quod non absq; singulari prouidentia dei factum sit, quod ipsi his malis non grauantur, & intelligant ita diuinitus infirmitati suæ consuli ac parci: deinde quæ habent ex dei bonis ad hoc esse data, ut alijs seruire possint. Alioqui poterat ille qui omnium est dominus in eandem ipsos sortem conijcere cum priore adflictorum parte. 1

Videant hic, quomodo Christo seruire, & in quibus ostendere debeant, qua sint erga illũ charitate. Pro gloriæ suæ maiestate nihil opus habet nostro quocunq; ministerio. Verum in membris suis uult coli & honorari. Non præscribit nobis sanctos hac uita defunctos, neq; sanctorum imagines, sed uiua membra sua, id est eos fideles, qui in hac uita sunt adhuc constituti: eosq; nõ diuites, nobiles, saturos, nulla necessitate pressos, sed esurientes, sitientes, hospites, nudos, infirmos, & captiuos. In his scilicet seruiendum est Christo. Quis adeò stupidus est, ut non intelligat ista nec ad mortuos nec ad mortuorum imagines, nec ad saturos et bene habentes pertinere? Quæ iam est ista insania, quod tam ingentes sumptus impendunt mortuis, mortuorumq; imaginibus, & ei hominum generi, qui nulla calamitate grauantur. 2

Nõ dicet: Coluistis sanctos meos, instituistis illis altaria & templa attulistis illis munera, posuistis & adoraftis imagines illorum.

Expendamus etiam qualia sint quæ sibi in membris suis facta Christus tanti facturus est olim. Dedistis mihi cibum inquit, et potum, ac uestem: suscepistis me hospitio, uisitastis me, & ad me uenistis. Nihil hic audiuimus quod uel abstrusum sit uel iniquum, uel superfluum. 3

Quis enim ignorat, quid sibi uelit fieri esurienti, sitienti, nudo, hospiti, infirmo & captiuo? Nemo potest iniquũ iudicare, quod sibi ipsi in casu fieri cupit. Nec potest superfluum iudicari, quod ipsa naturæ necessitas exigit. Quin neq; peculiaria quædam sunt aut præstitu grauia, cum & inter Gentes ista fiant.

3 Notandum simul hoc loco, quanta cum hilaritate & liberalitate succurrendũ sit fidelibus necessitatibus. Quis enim adeò durus est, qui si credat se Christo dare cibum et potum, aut uestem, molestè hoc sit facturus? Quid illi faciunt, qui & uilissima dant Christo, & quæ dant ægrè dant? Non enim hic respicitur ipsum munus, sed magis animus dantis.

QVAESTIO.

1 Potest hoc loco quæri, an non sint plura Christianæ dilectionis opera, quàm quæ hic connumerantur. Collegerunt quidam ex hoc loco numerũ senarium operum misericordiæ. Verũ ut non sex tantum sunt calamitatum & miseriarum genera, sed innumera: ita etiam nõ sunt sex tantũ opera misericordiæ. Dilectio & misericordia non aliquo certo numero operationem suã terminant, ideoq; non potest certus dari ac plenus operum misericordiæ catalogus. Ad dilectionem pertinent & alia multa, quæ hic non ponuntur, sed non excluduntur: ut si lugeat frater, consolationem illi impendamus: si erret, instruamus: si in necessitatibus sit, pro illo oremus: si petat, mutuum demus, nihil inde sperantes: si algeat, calore consoueamus: si debeat, debitũ remittamus, uel ex obligatione redimamus. Proinde nemo putet se probè menti Christi satisfacere, si istis tantum studeat, quæ hic connumerauit, nisi pro charitatis ingenio & facultate diuinitus accepta sanctorum necessitatibus omnibus succurrat.

2 Cum Christus non solum patiatur in adflictis membris suis, sed uiuat in omnibus etiam illis, qui commodè agunt in hac uita, meritò quærat quisquam, an tantum εὐπρατούντων sit operibus charitatis declarare, erga adflictos & pauperes, quo sint affectu erga Christum, & non uicissim ἀυσπρατούντων, ut erga istos ostendant, quàm in ipsis eundem Christum diligant & uenerentur. Respondeo ex Apostolo, qui Rom. 12. non solum dicit: flete cum flentibus. sed simul: gaudete cum gaudentibus. Et 1. Cor. 12. non dicit tantũ: si quid patitur unum membrum, cõpatiuntur omnia membra, sed addit: etsi gloriatur unum membrũ, congaudent omnia membra. Quàm ergo Christiani hominis est adflictorũ necessitatibus succurrere, tam eiusdẽ est cõmodè habentibus congratulari, ut nõ magis Christianus sit qui adflictis opem impendit, q̃ qui ipse adflictus bene agentibus cõgaudet.

Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te uidimus esurientem, &c. Paradoxon habet, quod dixit: Esuriui, & dedistis mihi cibum. Videtur insolens, esurire eum & pasci, qui extra uitæ huius conditionem & miseriam cœlos petijt, & in cœlestibus nullius indigus regnat. Vt itaq; locus sit declarationi quam subijciet, inducit iustos admiraturos ac dicturos: Domine, quando te uidimus esurientem, &c. Non dicent: quando uidimus aliquem ex tuis esurientem ac sitientem, sed: quando te uidimus. Notandum ergo hoc loco, quàm non obsit sanctis, etiamsi nõ animaduertant in hac uita, quid & quatenus Christo seruiant in membris ipsius. Quod enim beneficiunt, hoc ita faciunt, ut opus dexteræ nesciat sinistra, quemadmodum & suprà cap. 6. Christus ipse admonuit, dicens: Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Hinc sequitur, quod sancti nullã prorsus fiduciã in opera sua bona collocant. Nam si hoc facerent, omnia numerarent, & memoriæ commendarent cum Pharisæo illo euangelico Lucæ 18. quemadmodũ solent et hodie qui eleemosynas suas certo numero compræhendunt: item & precationes & ieiunia, quasi ignoraturus sit Deus, quid & quantum sui gratia fecerint, nisi omnia ex ordine & certo numero recenseantur.

Repugnat isti superstitioni præsens locus satis fortiter. Qui obseruant et cõnumerant opera sua bona, nunquàm poterũt euadere, quin uel superbi reddantur, uel fiduciam in illa collocent. Non dicent sancti: Scimus domine quando & quoties te pauerimus, potauerimus, hospitio susceperimus, operuerimus &c. Sæpe id fecimus, et multa tibi impendimus. Proinde iustum est, ut horum gratia nos agnoscas, sed tanq̃ ignari omnium, & absq; ulla bonorum operum fiducia cum admiratione & stupore: Domine quando te uidimus esurientem, &c.

TERTIVM MEMBRVM.

Et respondens rex, dicet illis: Amen dico uobis, quatenus fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.] Ista est declaratio rationis quam assignauit iustis, ostendens in quibus & esuriat & pascatur. Summa huius est, Christo fieri, quæ fiũt fidelibus ipsius. Dicitur enim aliquid fieri cuiq̃ bifariam. Vno modo, quando fit ipsius personæ. De isto genere nõ loquitur hic Christus. Altero modo, quando fit ad illum pertinentibus. Hunc modum intelligit & assignat. Non est autem putandum quod hoc beneficij genus leuis sit momenti apud synceros et bonos etiam in hoc seculo, quibus non minus gratificatur in ijs, qui fidei ipsorum commissi sunt, quàm in propriis ipsorum personis. Imò ausim dicere, hoc posteriore beneficiendi modo syncerius ac certius declarari beneuolentiam erga aliquem, quàm priore. Qui nanq; sua impendit in absentis amici famulum, uel catellum etiam, id certè multo diligentius facturus est ipsi præsenti amico, sicubi licet. Reperias ita multos, qui ipsi Christo Domino, si coram uisibiliter ageret, nihil forsan beneficiorum negarent, cum membris ipsius ne obulũ quidem impendant. Proinde non est certũ qui priore modo beneficiunt, benefacturos esse & posteriore. certũ aũt est, qui posteriore isto, de quo Christus hic loquitur, beneuolentiam suam declarant, declaraturos eandem esse & priore, si quando illius datur copia. Non potest igitur certius declarari, qua simus erga Christum fide & charitate, quàm in ijs qui ad Christum pertinent, et maximè illis, qui contemptissimi sunt.

Et huius gratia non simpliciter dicit: Quod meis fecistis mihi fecistis, sed summam hanc ita profert, ut fortiter illam nobis inculcet & commendet. Huc ficit primum illa asseueratio, qua dicit: Amen dico uobis. Per hanc excutit nobis omnem dubitationem. Deinde &

hoc,

hoc, quod dicit: quod uni feciſtis ex meis. Ne quis impoſſibile putet, ſi debeat omnibus benefacere. Tertio, quod addit: ex minimis iſtis. Ne putemus Chriſtum id tantum agniturũ, quod præcipuis & Apoſtolis ſit factũ. Quarto, quod dicit: fratribus meis. Vt intelligamus quo loco à nobis haberi debeãt etiam minimi iſti, quum à Chriſto agnoſcantur pro fratribus.

Fratribus meis.] Tergiuerſatrix caro noſtra habet hic quod prætexat, ne cogatur Chriſto benefacere in ijs qui nomine illius cenſentur. Eſt enim ad benefaciendum pigra. Hic dicet: Credo facile, Chriſto fieri, quod fit illius fratribus etiam minimis. Et uellem illis propter Chriſtum ex animo benefacere. Sed quæſo qui ſunt iſti fratres Chriſti, quos ille pro ſuis agnoſcit, in quibus poſum certus eſſe, quod Chriſtum eſurientem paſcam, nudum ueſtiam, &c. Proinde primum ſciendum eſt, fratrum nomine uenire Chriſti fideles, filios Dei. Sunt aũt filij Dei, qui credunt in nomẽ eius, Ioh. 1. Et filij dei ſunt fratres Chriſti, Ebr. 2. Agnoſcendus ergo Chriſtus in illius fidelibus, qui Chriſtiani uocãtur. Deinde nobis non licet quenq; abijcere tanq; ad Chriſtũ non pertinentem. Vbi benefaciendum eſt inquam non licet nobis diſcernere quenquam à grege fideliũ, neq; id etiam opus eſt. Et ipſe ſatis cauet hoc loco, ne diſcernamus fideles ſuos, cũ dicit: quod uni ex minimis iſtis meis feciſtis. Vni inquit, quiſquis ille ſit, etiam ſi ex minimis ſit. Vbi dicit ex minimis, oſtendit neminem excipiendum. Si enim dixiſſet: ex potioribus iſtis Apoſtolis & martyribus, facile intelligeremus exemptos eſſe minimos. Iam uerò cũ dicat: ex minimis meis, nemo poteſt intelligere quenq; fideliũ, etiam minimi momenti in Eccleſia eſſe exemptũ. Nemo facile ſuſtinet pro non Chriſtiano haberi. Cur ergo tam difficiles ſumus in cenſendis Chriſtianis? Et cur in benefaciendo difficiles ſumus, cum nihil hæſitemus in accipiendo? Hic nemo dicit: Beneficium ab iſto non accipio, niſi certus ſim eſſe uerè fidelem. Et ipſe Chriſtiani nominis hoſtis Turca nihil hæſitat, in quibus Chriſtũ debeat perſequi. Hic nihil diſcriminat, ſed abſq; ulla hæſitatione ubicunq; nominis Chriſti ſignaculũ & profeſſionem reperit, ibi odij concepti uenenum effundit: & nihil dubitat ſe Chriſtum perſequi, ubi quoſcũq; Chriſtianos perſequitur. Et Chriſtianus homo, ubi benefaciendum et declaranda eſt Chriſti charitas, non reperit fideles in quibus Chriſto benefaciat? Nemo dubitat Chriſto fieri quod quibuſcunq; Chriſtianis ab hoſtibus Chriſti fit: & nos dubitamus Chriſto fieri, quod ex charitate erga Chriſtũ quibuſuis Chriſtianis propter Chriſtum fit? An eſt facilius Chriſto malefacere quàm benefacere? An ualet quod ex odio malefit, & nõ ualet quod ex charitate benefit? Abſit. Proinde non eſt opus ut diſcernas inter fideles, ueros & falſos: ſed hoc ſpectandum magis, ut quod benefacis, propter Chriſtum ex animo facias. Hoc ſi feceris, Chriſto benefeciſti, quiſquis ille ſit cui beneficium impendiſti.

Conceſsio. Sed eſto, non ualeat beneficium, non agnoſcatur à Chriſto, niſi uerè fideli fiat. Nec ſic excuſabimur. Ipſa nanq; rei magnitudo: uidelicet, Chriſtum paſcere, potare, operire, domo excipere, &c. idq; audire cũ tanta gloria in extremo iudicio, tamen debebat à nobis exigere benefaciendi ſtudium, ut mille fidelibus abſq; ulla cũctatione uel hac ſpe ſaltem benefaciemus, ut in aliquo illorũ Chriſtum reperire liceret. Magna laus eſt Abrahæ, quod angelos ſemel hoſpites habuit. At quot putamus illum mortales hoſpitio ſuſcepiſſe, antequàm ſemel in angelos inciderit? Qui aurum colligunt, quantũ immundiciæ ac ſordium ferre coguntur, donec aliquã auri maſſulam acquirant? An potius eſt aurum Chriſto? Cur non in paſcendo Chriſto facimus quod filij huius ſeculi faciũt in auro? Cauſa eſt, tergiuerſatores ſumus in bono, quia Chriſtum non ſyncerè diligimus.

Ab exẽplo.

A ſimili.

Ex minimis meis fratribus.] Summam habet hæc particula cõſolationem. Cõmendatur enim nobis ſupra modum Chriſti beneuolentia in ſuos, quos ita charos habet, ut ne minimos quidẽ illorum non agnoſcat pro ſuis, imò pro fratribus: cum interea mundus illos, imò etiam hi, qui Chriſtiani uideri uolunt, contemnant & abijciant. Idem affectus et ſuprà declaratus eſt cap. 18. ubi dixit: Videte ne contemnatis unum ex his puſillis. Et: Non eſt uoluntas coram patre ueſtro qui in cœlis eſt, ut pereat unus de puſillis iſtis, &c.

Tunc dicet & his qui à ſiniſtris erunt: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Eſuriui enim & non dediſtis mihi cibum. Sitiui, & non dediſtis mihi potum. Hoſpes eram, & non collegiſtis me, nudus, & non operuiſtis me. Infirmus, & in carcere eram, & non uiſitaſtis me. Tunc reſpõdebunt ei & ipſi, dicẽtes: Domine, quando te uidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non miniſtrauimus tibi. Tunc reſpondebit illis, dicens: Amen dico uobis, quatenus non feciſtis uni de minimis his, nec mihi feciſtis. Et ibunt hi in ſupplicium æternũ, iuſti uerò in uitam æternam.

Hæc eſt altera pars formæ, qua futurum à Chriſto depingitur iudicium, quæ priori ex diametro oppoſita & talis eſt, ut ex illa facile poſſit cognoſci, & quicquid de ſorte bonorũ dictum eſt, abſq; ullo negocio per contrarium adaptari reprobis. Attamen ſunt quædam quæ peculiariter notanda ueniunt.

PRIMVM.

Certũ eſt iſta dicta eſſe ad Apoſtolos ſeorſum, ut uidimus initio cap. 24. Cum autem Apoſtoli de electis ſint ac benedictis, ad quos pertinet prior iudicij forma, meritò quæritur, qua ratione Chriſtus & hanc partem de reproborum condemnatione ipſis proponere uoluerit, cum ad eos non pertineat, an non ſatis fuerit ſcire regni cœlorum felicitatem, ad quam uocati erant, niſi etiam audirent de maledictorum æterno ſupplicio.

Poteſt huius aſſignari duplex ratio. Prima, quod & & piis utile ſit audire comminationes æternæ condem- 1

nationis, quæ manet reprobos. Nisi enim hoc esset, frustra cõiungerentur hæ duæ partes in scripturis, in quibus nihil præter rationẽ ponitur. Metus gehennæ suum habet locum etiam in electis, licet non placeat statim in oculis Dei, quod illius intuitu uel boni committitur uel mali uitatur. Sunt enim pij in carne constituti sub disciplina spiritus dei, quæ illos ad spontaneam quidem pietatem instituit: uerum non promissionibus tantum uitæ æternæ ad illã allicit, sed & æterni supplicij metu à malis actibus abarcet. Perinde atq; genuini quoq; & liberi filij non sola beneuolentia paterni affectus, sed & uirgæ castigatione eruditur, non ad hoc respicientibus parentibus, ut seruili animo imbuantur, sed magis ut primum ui à malo coherciti, tandem amare incipiãt quod bonum est, & uoluntario affectu amatũ prosequantur.

2 Altera ratio est, quæ Apostolos, & quotquot pro Christi nomine pari sorte adfligẽdi erãt, et hodie quoq; adfliguntur, cõcernit: uidelicet, ut in rebus aduersis consolationem ex eo capiant, quod audiunt maledictos esse & ad Christum non pertinere, æterno quoq; supplicio cum diabolo & angelis ipsius puniendos, quicunq; esurientem, & sitientẽ, & reliqua aduersa in se patientem Christum non recreauerint. Ita & suprà cap. 10. ostendit, quid expectandum sit illis, qui uenientes ad se regni cœlorũ nuncios spernũt, ubi ad illius uocationẽ Apostolos emittebat. Atq; ita prudenter planè cõparatũ est, ut pauperes Christi non solũ ubi à pijs fouentur, sed & ubi ab impijs contẽnuntur, habeãt cõsolationis argumentũ.

2 Ite à me.] Non satis erit dicere: Ite maledicti in ignem æternum? Quid est quod dicit: ite à me, uel: discedite à me? Indicat tales ad se non pertinere, & nunq; pertinuisse, sed ad diabolum. Ideò dicit: qui diabolo paratus est & angelis eius. Isti enim, Christus uidelicet & diabolus, sunt duo quædam capita, & principes, ita diuisi, ut quisquis ad Christum non pertinet, ad diabolum pertineat. Si ad Christum, qui tales sunt non pertinent, pertinent autem ad diabolum: ergo Christiani non sunt, sed membra diaboli. Huc etiam pertinet, quod eos maledictos uocat, hoc est, detestabiles & cõdemnatos. Non dicit: sitis posthac, uel eritis deinceps maledicti: sed discedite à me maledicti: Ergo antequàm ad Christi iudicium & tribunal ueniant, qui tales sunt, maledicti sunt. Si maledicti sunt: ergo nõ pascere esurientes in Christo, maledictionis argumentum est. Videamus igitur, quàm passim ista maledictio regnet, agnoscamus hac nota, qui ad Christum pertineant, qui ad Satanam.

3 Esuriui enim, & non dedistis mihi cibum.] Hæc est ratio, quare hoc hominũ genus, tanq; maledictũ et ad se non pertinẽs sit abiecturus. Vbi ista sunt cõsideranda.

1 Quàm meritò maledicti sint & prorsus inexcusabiles, quibus ista poterunt obijci. Primum enim, ostendunt se nulla præditos esse fidelis animi erga Christum synceritate, cuius membris adflictis non compatiuntur. ut Tobias ueri Israëlitæ animũ non ostendisset, si in captiuitate adflictos Iudæos ipse diues neglexisset, ideoq; in liberatione Israëlis meritò reiectus fuisset: ita & ij Christiani, qui pauperum Christi in hoc seculo miseria non tanguntur, declarant se non esse uerè Christianos, adeoq; dignos, qui à Christo reijciantur olim. Deinde et inhumanos se declarant, qui nihil afficiantur humanis miserijs, quibus & ipsi cum homines sint, obnoxij sunt: ut uel naturæ cõmunione debeant ad commiserationem adflictorũ cõmoueri. Tertio, adimit illis omnem excusationem, facilitas eorũ, quæ esurientibus et sitientibus, nudis & hospitibus, infirmis & captiuis facere debent, possent etiam, & non faciunt. Si enim impossibilia exigeret, uel saltem difficilia, abstrusa, parum æqua, aut superflua, posset nõnullis esse excusationi locus. Iam quomodo defendi possunt, qui humana ista & leuia Christo suo negant, maximè post declaratam illius uoluntatem?

1 Quæritur hic, quid futurum sit illis, qui uel propter penuriam rerum, uel aliunde prohibiti, non possunt ista facere pauperibus Christi. Vtpote qui & ipsi sunt pauperes, opus habentes, ut ab alijs alantur, & uestiantur, qui & ipsi hospites, in alienis ædibus agunt, quibus non permittitur accessus uel ad ægrotos uel ad captiuos.

1 Hic duo sunt consideranda. Primum, neminem adigi ad impossibilia. Quemadmodum enim non mox saluabuntur diuites, qui ista faciunt, nisi ea per dilectionem Christi faciãt, tanq; benedicti patris, ut credibile est multos talia quidem facere. at simul nec solida fide & dilectione erga Christum, nec recta uitæ conuersatione cõmendabiles, sed planè reprobos & scelestos esse, quibus nullam salutis spem admittit Augustinus de ciuitate Dei lib. 21. ca. 22. ita certe non statim damnabuntur, quibus hæc facere non licuit, sed magis inter ipsos esurientes, sitientes, nudos, hospites, infirmos & captiuos connumerãtur, modo sint in fide & dilectione Christi synceri.

1 Deinde diligenter uidendum esse, ne nos ipsos decipiamus, dicamusq; nõ posse Christo præstare, quod præstitimus in errore surdis imaginibus & uentribus: & quod etiamnum turpi luxui & fastui impendere haudquaquàm erubescimus. Mediocres dicunt, ad se nõ pertinere ista, sed ad diuites. At interea quantum quæso uulgo insumitur & crapula, & insano uestium ornatu? Diuites clamant, si ista facere debeant, non sufficturã uniuersam suam, utut amplam, substantiam: deinde pauperes plerunq; esse impios, ut non bene collocentur, quæ illis impenduntur. Sed ista debebant cogitare, quando tanta cum profusione genio indulgent, ut sub Romanis censoribus intolerabiles fuissent. Cur hic nõ dicũt: certe ad hunc luxũ non sufficient facultates nostræ? certe ista non bene collocantur? Vbi seruiendũ est Christo, ibi nec facultates sufficiunt, nec satis bene impendi possunt, quæ necessitatibus miserorum cõmunicanda sunt. Ita diuiti euangelico omnia abundè ad manum erant, epulanti & splendidè sese operienti. at ubi Lazaro debebat aliquid impartiri, ibi contrahenda erat largitio.

Cogitandũ est & hoc, de hospitalitate, infirmorum & captiuorum uisitatione, q̃ modica habeatur nostris temporibus ratio. Hospitalitas in scripturis admodũ cõmendatur, & apud gentes quoq; plurimũ habet laudis. Est enim præclarum humanitatis beneficium, colligere peregrinum & aduenam. De illa uide Ebr. 13. 1. Pet. . Idem & de uisitatione infirmorum & captiuorum sentiendũ. Quid enim istis adferat solatij malorũ, si quando

per

per compaßionem amicorum uiſitantur, & amicis uerbis eriguntur. Rurſus quantum generet moleſtiæ, ſicubi per eos negliguntur, quos amicitiæ nomine coluerunt, norunt harum rerum experti. Nũc uerò nemo putat ad ſe iſta pertinẽre. Peregrinos uel in diuerſoria publica, uel ξενοδόχια ſi qua ſunt, mittimus, cũ omnes omnium Chriſtianorum ædes debeant eſſe ξενοδόχια. Infirmorum & captiuorũ uiſitationem, uel uerbi miniſtris, uel alijs quibuſdã ad id officij deputatis permittimus: quaſi ſatis ſit, ſi iſti utcunq; colligantur, & illi per certos aliquos ſemel atq; iterum uiſitentur, & nõ magis hoc requiratur, ut quiſq; ſtudeat iſta per ſe facere.

Admittenda tamen hic cautio eſt, maximè quod attinet hoſpites & captiuos. Multum diſcriminis eſt, temporum, locorum & perſonarum, ut non ſemper, non omnibus, non ubiq;, liberum queat permitti hoſpitalitatis officium. Neq; enim ſemper tutum eſt quoſuis peregrinos colligere, ut aliquando neceſſe ſit peregrinos diligenter obſeruare, quid rerum agant, & quam ob cauſam oberrent, ubi aduena habet, unde uiuat: ad hunc numerũ non pertinet, de quibus hic Chriſtus loquitur. Nec iſti albo cõuenient, qui ociosi & pigri uagantur, multo minus qui ad aliorum oppreßionem oberrant. Sed neq; tum ſecurũ eſt quemuis aduenam in ædes colligere, ubi ſectæ & hæreſes inualeſcunt, ne modicũ fermenti totam maſſam corrumpat. Ita & non ubiq; liber eſt ad captiuos permittendus acceſſus. Opus tamẽ eſt moderatione, ut nec paßim aut quoſuis prohibeat magiſtratus, nec quoſuis à quibuſuis temerè colligi ſinat. Alioqui periculum erit multo grauius, ſi quoſuis arceat, ne ſimul Chriſtum reijciat, quàm ſi cũ Chriſto quoſuis admittat, etiã reprobos. Deinde ubi temporum ratio exigit, ut cum obſeruatione admittantur uel caueantur hoſpites, certa debẽt eſſe ξενοδόχια, in quibus ſuſcipiantur peregrini & commodè tractentur, ne non tam reprobi hoſpites uitari, quàm ipſa hoſpitalitas eliminari uideatur.

Vbi magiſtratus mandato, non datur facultas uel colligendi hoſpitem, uel uiſitandi captiuũ, ut nec fidelibus Hieroſolymitanis liberum erat Petrũ in carcere conſtitutum uiſitare, ibi ſatis eſt facere quod tum faciebat eccleſia. Orabat ſine intermißione pro liberatione Petri ad Deum, id & hodie faciendum eſt, ubi non licet accedere captiuos: deinde ubi prohibetur ξενοδοχίαε, exerceatur in alijs operibus miſericordiæ charitas fidelium. Qui hoc fecerint, declarabunt ſe et ξενοδόχους futuros, ſi id liceat. Qui uerò negligunt proximorum miſerias, quibus nemine prohibẽte ſuccurrere poſſent, ſi uellent: illi certe nec hoſpites ſuſcipiẽt ubi liberũ permittitur.

De uiſitatione infirmorum hoc adijciam. Reperias qui infirmo plurimũ condoleant, ſed ita ſint animis fractis et imbecillibus, ut prorſus inepti ſint ad conſolationem ægrotantiũ: imò magis turbaturi mentes infirmorum ſua præſentia quàm conſolaturi. De iſtis quid dicã? Conſulã ut quod nequeũt corporali ſua præſentia præſtare, præſtent alia ratione. Precentur pro infirmis ad Deũ, mittant alios ſubſidij & conſolationis gratia, quibus id doni diuinitus datum eſt, ſubminiſtrent per ſuos quæ ægrotis ſunt neceſſaria. Hoc ſi fecerint, nõ arbitror illos audituros à Chriſto: Infirmus fui & non ueniſtis ad me. Licet enim corpore non ueniant, ueniunt tamen animi beneuolentia, ueniunt per ſuos, ueniunt beneuolentiæ ſolatio. Interea tamen nolim excuſare quorundã faſtum, pariter & molliciem, qui uel dedignantur uiſitationem pauperum infirmorũ, uel ita molles ſunt animo, ut conſpectum aut beneuolentiam ægrotantium, ne turbentur, fugiunt & horrent.

Cum omnino maius peccatum ſit, auferre uel ui uel 3
fraude quæ aliorũ ſunt, q̃ de ſuo nõ impartiri egentibus, cogitandũ eſt qua pœna digni ſint qui alios defraudant, nudant, ſpoliant, uiolenter opprimunt, in uincula debitorum gratia conijciunt, ſi hi maledicti habentur & ad æternum ſuppliciũ adiudicantur, qui de ſuo non pauerunt eſurientes, operuerunt nudos, &c. Vt enim de diuite euãgelico nõ legitur quod Lazaro quæ illius fuerint ademerit, ſed quod ederit, biberit, & indutus ſit ſplendidè, Lazaro uerò nihil impartiuerit, nec ab Abrahamo audierit: Fili recordare, quod pauperi unde ali debebat abſtuleris, ſed: quod acceperis bona in uita tua, Lazarus uerò mala, & tamẽ inferno adiudicatus eſt: ita & de iſtis maledictis non cõmemorabitur quod uim intulerint aut fraudem proximis, ſed quod ſubſidium egenis de bonis ſuis nõ impenderint, & nihilominus æterno igne condemnabuntur. Audiant iſta rapaces, fœneratores, impoſtores. Audiant etiã, qui putant ſe ſatis habere probitatis, ſi res ſuas acquirant nec dolo nec ui, ſed iuſta ratione, utut illis utantur. Audiãt et quotquot ociando, ludendo, bibendo, non ſolũ negligunt uxores ac liberos, ſed & quæ illorũ ſunt dilapidant et turpiter abſumunt.

Tũc reſpõdebunt ei & ipſi, dicẽtes: Domine quando te uidimus eſurientem, &c. Ecce & iſti Chriſtũ pro Domino agnoſcũt, quod nihil eſt aliud q̃ Chriſtianos eſſe ſe uideri uelle, & tales, qui nunq̃ paſſuri ſint Chriſtũ eſurire, ſitire, nudum eſſe, miſerè oberrare &c. ſed parati ſint ad omnia illi obſeruantiæ & reuerentiæ exhibenda officia. Quæſo quale genus hominum hic nobis depingitur? An non eorum qui nihil minus audire uolunt q̃ non eſſe ſe Chriſtianos, quũ & ipſi Chriſto dicant: Domine, domine. Sed omnem interea Chriſtiani nominis zelũ oſtendant erga uel mortuos ſanctos, uel mortuorum imagines, ieiunent, multũ precentur, traditiones humanas diligenter cuſtodiant: ea uerò, quæ hic à Chriſto requiruntur, nunq̃ ſuſtineant pro talibus agnoſcere, quibus Chriſto uerius ſeruiatur, q̃ quæ ipſi faciunt. An non iſti id in ore habent, ut dicant ſe Chriſto facere, quod mortuis ſanctis faciunt? An non iſta perſuaſione ita contenti ſunt, ut præſentem Chriſto ſeruiendi modũ prorſus floccipendant? Sed audient olim, ſe nec Chriſto feciſſe, quod uel uni ex minimis ipſius fratribus eſurientibus, ſitientibus, nudis, infirmis, aduenis & captiuis non fecerunt. Tum demũ intelligent ſuam ſtultitiam, tum cognoſcent quàm nec ſanctos mortuos propter Chriſtũ, ſed ſui ipſorum gratia tanquàm patronos, & ſemideos, aut propter ſanitatem, aut uitæ tranquillitatem, uel ne puniantur, coluerint. Nam ſi Chriſtum in ſanctis reuera uenerarentur non poſſent negligere infirma illius membra, quorum hic nullam habent rationem.

Et ibunt hi in suppliciũ æternũ, iusti uerò in uitam æternã.] Hic erit exitus mortaliũ, hoc ueluti biuio diuisi abibunt isti in ignem, illi in refrigerium æternũ. Disputatum est contra istam Christi sententiam multis ac uarijs modis: nõ solum à Philosophis gentiũ, sed & ab ipsis Christianis. Hi qui omnia rationis iudicio metiuntur, nec quicq̃ firmũ putant, quod ratione humana compræ
1 hendi nequit. Disputant quomodo fieri posit, ut corpus perpetuò ardeat, nec consumatur, cũ id ipsa corporum
2 natura ferre nequeat. Deinde quomodo ignis posit urere nõ solum corpora, sed & malos spiritus, quibus nulla sint corpora. Boni homines putant contra naturam esse quod Dei fit uoluntate, nec considerant rerum conditarum naturam esse & habere quod est, & habet non ex seipsa, sed ex uolũtate dei: neq; aliquo pacto fieri posse, ut uoluntati & imperio Dei non obediat, à quo est con-
3 dita. Alij de qualitate ignis contendunt, ita ut nonnullis uideatur non corporeus, sed metaphoricus, pro ingenti dolore ac pœnitudine animorũ sumptus. Quod colligũt ex Marco, ubi cap. 9. Christus dicit: ignis eorũ non extinguetur, & uermis non morietur. Hic ut uermis dictione nõ corporeus aliquis uermis intelligendus uenit, sed maximus & irremissus dolor mentis: ita & per ignẽ non corporeũ aliquem, sed metaphoricũ intelligendum putant. Mihi uidetur temerarium & non Christiani hominis esse de ignis huius qualitate disputare, sed huius cognitione ipsi iudici relicta, hoc magis curandum, ut qualis sit olim non experiamur.

4 Fuerunt etiã, cõmemorante Augustino, qui supplicij æternitatem conuellere conati sunt, quos ille uocat Misericordes, eò quod misericordiæ argumento ad id usi sint: quasi misericordia Dei ferre nequeat, ut quisquam mortaliũ, addiderunt nonnulli, & dæmonum, æternum
5 condemnetur ac pereat. Aliqui illorũ tradiderunt id futurũ per interceßionem sanctorũ. Sanctos enim pro sua misericordia tum multo magis oraturos pro salute mortalium, multoq; facilius exaudiendos à Deo, q̃ cum hic essent in carne constituti, peccatores & ipsi. Si hic inquiunt orarunt imperfecti in bono, quomodo tũc nõ essent oraturi, iam perfecti? Si hic exauditi sunt, quomodo illos non exaudiret Deus tunc, cum iam liberi erunt ab omni impuritate? Atq; ita putarunt neminem damnandum, etsi patiendum aliquid sit, pro delictorum quidem quantitate futurũ suppliciũ, sed temporariũ, ut postea
6 & ipsi impij saluentur. Præter istos alij fuerunt, qui crediderunt neminẽ Christianũ, utut malũ, perpetuò damnandũ, quod quidã de catholicis tantũ, quidã uerò etiã de hæreticis tenuerũt, cũ propter fundamentũ Christũ, 1. Cor. 3. tum propter corporis & sanguinis Christi cõmunionem, cuius nemo particeps damnari queat, Io. 6. Arbitrabantur aũt Christo uelut fundamento niti, quot quot in nomẽ Christi lauacro baptismatis insigniti qualemcũq; fidẽ Christi tenent. Et de corpore & sanguine Domini ad salutẽ participare, quotquot de sacramento participant: unde & nonnulli hodie quoq; ob id D. Barbaræ per omnẽ uitã seruiunt, ne sine sacramento corporis Domini hinc migrent. De his omnibus lege Augustinum de ciuit. Dei li. 21. ca. 8. 9. 10. 17. 18. 19. 20. 21. 22.

Contra istorũ errores fortiter repugnat unica ista Christi sententia: Ite maledicti in ignẽ æternũ, qui paratus est diabolo & angelis eius, &: Ibunt isti in supplicium æternũ. Vbi non solũ diabolo & angelis ipsius, sed & omnibus illis, qui reuera ad Christum non pertinent, etiamsi sacramento illius imbuti sint, æterni ignis æternum supplicium prædicitur. Nec possunt effugere, per id quod æternitatis dictionẽ per diuturnitatẽ exponũt. Nã hoc pacto non solũ ignis, sed & uitæ æternitatis labefactatur, de qua hic subijcitur: et iusti in uitã æternã. Proinde meritò condemnantur, qui mala conscientia præditi, nonnihil solatij uitæ peruersæ quærentes, ista contra tam apertam Christi sententiam comminiscuntur.

Ibunt inquit, hi in suppli.] Post latam iudicis sententiam, non erit potestas appellandi ad aliud tribunal, non erit ulla cuiusquam interpellatio, sed mox subsequetur iudicij exequutio. Etsi sua sponte non sint ituri in supplicium, mittentur tamen & impellentur in hunc ignem per angelicas & cœlestes uirtutes, qua de re suprà uidimus cap. 13. in parabola zizaniorum.

CAPVT XXVI.

ET factũ est cũ consummasset Iesus sermones hos oẽs, dixit discipulis suis: Scitis q̃d post biduũ Pascha fit, & filius hominis tradit̃ ut crucifigatur.

Aggreditur Euangelista historiã paßionis Christi, atq; ideò ueluti transitione quadam usus ista ponit. Iam aliquoties de morte sua discipulos præmonet Christus, non sine certo consilio, de quo uide suprà cap. 20. Cum ergo iã illa præ foribus esset, uisum est denuo de ea præmonere, ut hoc minus offenderentur discipuli, idq; commodũ subiungit ijs quæ cap. 24. & 25. præmisit. Ex illis siquidẽ facile potuerunt intelligere tam abesse, ut mors Christi sit offutura regno, ut magis sit illud promotura

OBSER.

Notandũ aũt est, quod non simpliciter dicit: Post biduum tradetur filius hominis ut crucifigatur, sed: Scitis quod post biduũ Pascha fit, et filius hominis traditur ut crucifigatur. Innuebat his uerbis Paschatis tempus præ 1
fixum esse, quo crucifigeretur. Deinde se fore uerũ pa- 2
scha, pro mundi redemptione immolandũ, cuius typus & figura in paschate illo Iudaico præcesserit. In illo quippe hæc duo erant. Vnũ ut memoria seruaretur liberationis Aegyptiacæ. Alterũ, ut uelut umbra & delinia tio quædã esset futuræ redemptionis, qua non ex Aegypto, sed è regno Satanæ: non in terrã Canaan, sed cœlestem patriam, qui ad hoc prædestinati erant, liberarentur. Ad hoc et Lu. 22. inter cænandũ respexit Christus, cum dixit: Desiderio desideraui hoc pascha manducare uobiscũ anteq̃ patiar. Et Apostolus 1. Cor. 5. huc alluſit, dicens: Etenim pascha nostrum immolatus est Christus.

TUnc congregati sunt principes sacerdotum & scribæ & seniores populi in atrium principis sacerdotũ, qui dicebatur Caiapha: & consilium inierunt, ut Iesum dolo caperent & occiderent.

Hæc

Hæc ob id ponit Euangelista, ut sciamus hoc genus hominum suis insidijs Christum occidisse. Licet enim mors Christi diuinitus fuerit ordinata, & à consilio dei non hominum pependerit, exigebat tamen ipsa historiæ narratio, ut quibus & quorum illa machinis structa sit, conscriberetur. Vt sciamus non esse aliquod hominũ genus regno Christi infensius quàm eorum, qui sub specie pietatis in populo dei regnãt, & tyrannidem exercent.

1 Expende hic qui dicantur conuenisse. Principes sacerdotũ inquit, & Scribæ, & seniores populi. Quis innocentum ab istorum sibi conuentu metuet? At Christus & post Christũ Apostoli ac multi pij experti sunt, quæ

2 sit horum hominũ sanctimonia & pietas. Deinde ad quid conuenerint: Vt Iesum caperent, & occiderent. Cur hoc uoluerint, uide Ioan. 11. Dolo inquit: Dolus an uirtus, inquit ille, quis in hoste requirat? Ingenium simplex ac rectum dolosum esse nõ potest. Dolus arguit ingenij maliciam. Huc pertinet & illud, quod dicunt: non in die festo, ne tumultus fiat in populo. Hic nullus est timor Dei, sed timor populi. Sed quare timebant populi conscientiam? Degeneros animos timor arguebat. Sciebant populum bene de Christo sentire. Is aũt maxima frequentia aduenturus erat ad diem festum, ex omni

3 Iudæa. Tertio, ubi conuenerint: In atrium, inquit principis sacerdotum. De morte Christi & oppressione ueritatis non potest commodius consultari, quàm in atrio Põtificis. Hic erat caput regni sacerdotalis, cum huius autoritate res ista gerẽda erat. Quid iam sperabit quisquam boni ac pij, de aulis Pontificum, cum in illis prima de opprimẽda ueritate cõsultatio cœperit? Huius atriũ uereri debebant isti consultatores, & uel hunc unũ impios hosce conatus celare, siquidem is fuisset, qui uideri uolebat. At tam abfuit, ut hunc metuerint, ut nusquam ad consultandũ uenerint, quàm in ipsius atriũ. Imò ipse primus fuit, qui mortis sententiã in Christũ tulit. Vnde quæso ortum est, ut non dicam iste ita fuerit Christo infensus, sed reliqua fex Scribarũ & sacerdotum sentẽtiæ Pontificis potuerit esse conscia? Scopus erat illis omnibus unus & idem, uidelicet, defendendi & conseruandi regnum illud sacerdotale. Hoc ueluti uinculo coniuncti erant, isto erant omnes spiritu animati. Et quoniã Pontifex in eo regno primas gerebat, nemo dubitare potuit, primum illum fore in condemnando Christo, quem summũ sentiebãt regni sui hostem. Quid aliud sperabimus & hodie ab illis, qui & ipsi in eo uno sunt, ut regnũ suum tueantur, non ut gloriam Christi promoueant?

OBSER.

Non in die festo.] Atqui in eo ipso Christũ occiderunt? Itaq; nõ quod homo, sed Deus disponit certum esse necesse est. Deus enim ita disposuerat, ut in die festo moreretur, & immolaretur uerũ pascha. Quid est ergo quod dicebãt: Ne tumultus fiat in populo. Erat inanis quidẽ metus. Iste euanuit, mox atq; per traditionẽ Iudæ occasionem prosequendi propositi nacti sunt. Ea erat mentis ipsorũ cæcitas, in quam diuinitus coniecti sunt. Solet hoc Deus facere, duplici ratione. Prima, quãdo id exigit certitudo diuini propositi. Altera quãdo puniendi sunt impij. Nam & ibi reddũtur cæci & incogitãtes.

Cum autem Iesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eũ mulier habens alabastrum unguenti precio-
si, & effudit super caput ipsius recumben
tis. Vidētes autem discipuli indignati sunt, dicentes: Ad quid perditio hæc? Potuit enim istud unguentũ uenundari magno, & dari pauperibus. Eo autẽ cognito Iesus ait illis: Quid molesti estis mulieri? Opus enim bonum operata est erga me. Nam semper pauperes habetis uobiscum, me uerò nõ semper habetis. Quod enim hæc unguentũ hoc misit super corpus meũ, ad sepeliendum me fecit. Amen dico uobis, ubicunq; prædicatum fuerit hoc euangelium in toto mundo, hoc quoq; quod ista fecit, narrabitur in memoriam ipsius.

Ordine debebat Euangelista ea subijcere, quæ in isto biduo ante pascha fuerunt acta cũ Christo. Nam & Concilium sacerdotũ, & præsens ista historia ad minus sex diebus pascha præcesserunt. Ioannes de isto cõuiuio nominatim dicit: Ante sex dies paschæ uenit Iesus Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quẽ suscitauit à mortuis, fecerũt ei cœnam ibi, &c. Verũ ita exigebat causa proditionis, ob quam à discipulo uenditus est Christus, ut & istam historiã præmitteret, in qua irritatus Iudas propositum cœpit tradendi Christum. Volunt aũt quidam hoc factum idem esse cum eo quod Luc. 7. ponitur, & diuersum ab eo quod Ioannes cap. 12. cõmemorat de Maria sorore Marthæ. Quidam uerò, quod uerisimilius est, uolunt quod hic scribitur idem esse quod Ioannes ponit, & diuersum cum eo quod Luc. 7. legitur. Licet enim Matthæus bidui ante pascha recordetur, non tamen dicit, conuiuium hoc biduo ante pascha celebratum. Et Ioannes licet mentionẽ faciat Lazari, Marthæ & Mariæ, non tamen negat Christum cænasse in ædibus Simonis leprosi, quod hic noster cũ Marco scribit. Potuit enim fieri ut isti in eodem uico constituti in ædes Simonis propter Christi præsentiam sint ad cænam uocati, & Martha ibi pro sua sedulitate Christo ministrauerit. Nec diuersitatem facti conuincit, quod Ioannes Christi pedes, Matthæus uerò caput perunctum esse dicit: potuit enim utrunq; fieri. Proinde non satis firmas causas habent, qui temporis, loci, personarum, & facti quoq; diuersitate moueri uidentur. Ioan. 12

OBSER.

Ex Ioanne patet Christo paratum fuisse conuiuium, 2
in quo recumbenti unguentũ illud infuderit Maria. Fecerunt ei cœnam ibi inquit Ioannes: Nimirũ declaraturi erga illum amicitiæ affectum non uulgarem. Erat enim periculosum quod faciebant propter tyrannidem principum sacerdotũ. Iam erat uicus iste propè Ierusalẽ, & nemo Christo erat infensior quàm ij, qui religionis gratia primatũ gerebãt inter Iudæos Hierosolymis, ut certè tutũ nõ fuerit Christo ibi, & maximè post suscitationem Lazari parare cõuiuiũ. Nã ea ferebãtur sacerdo-

tes Hierosolymitani erga Christũ inuidia, ut illius gratia & Lazarum Bethanianum, quem à mortuis quatriduanũ excitauerat, interficere cogitauerint. Apparet ergo istos Bethanianos Simonem leprosum, Lazarum, Martham, & Mariam omnũ tum temporis erga Christum fuisse syncerissimos. Sed queri potest, an non alio pacto amicitiam suam & reuerentiam erga illum declarare potuerint, quàm isto cõuiuij apparatu. Homines fuerunt, & humano more erga hominem Christum amoris affectum ostenderunt. Is est in mensæ cõmunione potissimum situs, quæ symbolum habet amicitiæ. Et Christus pro sua humanitate hoc genus declarãdæ amicitiæ non affectabat quidem, attamen non respuebat: licet interea ad potiora perpetuo cõuiuas & mensæ participes subduxerit, ut uidere est Luc. 10. & 14.

2 Accessit ad eum mulier, habens alabastrum unguenti precioſi.] Mulier illa fuit Maria soror Marthæ. Quod autem unguentum tam preciosum fudit in caput Christi, pro consuetudine patriæ fecit, qua in præcipuis amicorum conuiuijs, singulares amici hoc ueluti recreationis genere, propter regionis æstum, excipiebantur & honorabantur, ut uidere est Lucæ 7. in uerbis Christi ad Simonem pharisæum, cum dixit: Oleo caput meum non unxisti, ista autem unxit pedes meos. Et huc respicit Dauidis allegoria, Psal. 23. Paras in conspectu meo mensam, coram hostibus meis, impinguas oleo caput meũ, &c. Declarauit igitur Maria hoc facto, quanta reuerentia prosequuta sit Christum. Singulari erga illũ erat affectu, hunc & singularibus notis hic & Luc. 10. manifestauit: illic ad pedes illius sedendo, & uerbum oris ipsius audiendo: hic tam preciosum unguentum in caput ipsius effundendo, dum utrobiq; Martha sedula quidem, sed circa uulgaria, ad mensam Christo seruit.

3 Videntes aũt discipuli indignati sunt, dicentes: Ad quid perditio hæc?] Ioannes indicat non omnes, sed Iudam traditorem indignatum, & ista loquutum esse. Quod aũt hic noster discipulis tribuit, quod unus tantũ illorum fecit, non repugnat Ioanni, quemadmodum nec illud, quod latrones crucifixos Christo opprobrasse dicit: cum ex Luca liqueat unum tantum ex illis id fecisse, & huius gratia ab altero correptum esse. Mentem ac fraudem proditoris exponit Ioannes, dicens: Dixit aũt hoc, nõ quod pauperes illi curæ essent, sed quia fur erat, ac marsupiũ habebat, eaq; quæ mittebantur, portabat. Habet hic Iudas imaginem eorũ Ecclesiasticorũ, qui loculos Ecclesiæ sibi hoc nomine uendicatos, quod uelint ac debeãt esse pauperum œconomi, in luxum ac fastum suum exhauriunt, & quæ mittũtur furantur: & ad huius historiæ exemplum mox atq; aliquid detrahitur & negatur multũ indignãtur, cuius indignationis testimonijs ac declarationibus plena sunt decreta Põtificia. Ita quippe indignãtur, si quis Ecclesiæ decimas ac redditus auerit, ut inferno illũ deuoueant. Quare? Quia sunt inquiunt decimæ tributa & subsidia egenorum. Quasi curã gerant egenorũ, cũ omnia insumãt in suũ luxũ. Volunt uideri pauperũ patroni, cũ sint fures ac prædones.

4 Quid molesti estis mulieri? Opus enim bonum operata est erga me.] Vide Christi mansuetudinem & humanitatem, nõ solum in eo quod Mariam, ut solebat, defendit, sed & quod hypocritæ ac furis fraudẽ & maliciam quam utiq; non ignorabat, non mox prodit, nec seueriter impostorem, ut merebatur, castigat: sed unum hoc agit, ut factum mulieris tueatur, prohibeatq;, ne illi molestia fiat. Quid est ergo quod Paulus alicubi præcipit, dicens: Peccantes coram omnibus arguẽ, ut cæteri timorem habeant? Quem imitabimur? Christum ne an præceptum Apostoli? Reprehendit & Christus coram omnibus impostorem Iudam, ut nihil hic sit diuersi. At illius peccatum non traducit, non manifestat quod occultè agebat. Neq; hoc Apostolus præcipit fieri, Iudæ peccatum erat occultũ. Paulus præcipit ut arguantur peccantes coram omnibus, ut cæteri timorem habeant: sed non loquitur, nisi de manifestis peccatis. Non iubet ut quod occultũ est, publicè traducatur. Imò neq; quod publicum est aliter, quàm ut & cæteri timorẽ habeant. Vbi finis ille nõ potest sperari, sed magis animorũ exacerbatio: deinde & titillatio auditorum, ubi certè locum non habet, quod præcipit Apostolus. Nam omnia debent in Ecclesia fieri ad ædificationem. 1 Tim. 5

Nam pauperes semper habetis uobiscum, me uerò non semper habetis.] Intellige qualem eum tum habebant, corporaliter & ita præsentem, ut cui talia possent impendi officia. Alioqui pollicitus est se fore apud suos usq; ad consummationem seculi. Et ubicunq; duo uel tres congregati fuerint in nomine ipsius, ibi promisit se futurum in illorum medio. Vide hic Augustinum super Iohannem tractatu 50. Excusat Christus mulierem primũ per facti opportunitatem, quam collatione sui & pauperũ declarat. Confert aũt se pauperibus non dignitate, dicens: Ego melior multo sum unus, quàm omnes pauperes, sed in eo, quod non diu erat apud suos mansurus: pauperes uerò semper, ut propter uicinam mortẽ opportunũ fuerit, quod mulier fecerat. Ideò & in Marco dicit: Quod potuit hæc fecit. Q. d. Etiam si uellet postea mihi seruire, non poterit. Iam ergo ubi potest, hoc quod potest, facit. Deinde excusat illam etiam à facti ratione & fine, cum dicit, ad sepeliendum me fecit. Iam certè mulier de eo non cogitauerat. Igitur diuinitus ad hoc etiã imprudens fuit impulsa. De consuetudine ungendi mortuorũ corpora, uidebimus in historia resurrectionis. Tertio non solũ excusat mulieris factũ, sed futurũ prædicit, ut huius memoria sit totum orbem cum laude penetratura ac perpetuo duratura. Dignum certè est, ut iustorũ memoria maneat. Simul aũt obseruandum est, quod dicit, ubi prædicatũ fuerit Euangeliũ hoc in toto mũdo, & quod ista fecit narrabitur in ipsius memoriã. Hic primum apertè futurũ prædixit, ut Euangelium suum prædicetur non in Iudæa tantum, sed & in toto mũdo. Deinde hic uidemus & illud, quomodo memoria sanctorũ, qui Christo seruierunt in Ecclesia sit seruanda. Per Euangelij scilicet prædicationem. Vbicunq; prædicatum fuerit, inquit, hoc Euangelium, ibi & hoc factũ in memoriã mulieris ipsius narrabitur. Nõ omnia sanctorũ memoriam apud posteros merẽtur, sed ea quæ cum prædicatione Euangelij sunt coniuncta. Matth. 26. Marc. 14. Augustin. 1 2 3 5

Sumunt quidam ex hoc loco argumentum pro tuendis

dis superstitionibus uidelicet, quod bonũ opus sit, quicquid Christo impenditur, etiamsi nullius egeat. Verum quis non uidet temporarium fuisse factum illud, nec alter excusatum esse, quàm opportunitate & ratione sui. Non dicit: Quid molesti estis mulieri? Bonum opus operata est in me. Nam quicquid mihi fit bono animo, bonũ est, & melius quàm quod impenditur pauperibus. Imò ostendit simul, se non fore amplius apud nos ea ratione, ut ipsi quicquam posßimus præstare: fore uerò pauperes apud nos semper quibus posßimus benefacere.

Multo minus excusari potest luxus ille, & fastus huius seculi, qui si uspiam certè inter Christianos plurimũ ubiq; obtinuit. Quòd si quæ in res uanas, & libidini seruientes turpiter insumuntur, pauperibus impenderentur, certè minus esset in Ecclesia Christi calamitatum, & nõ minus de nobis dici posset. Non est egens quisquã inter illos, quàm olim dictum est de prioris Ecclesiæ fidelibus. Vox illa, licet non syncero sit animo à proditore dicta: Ad quid perditio hæc? potuit illud uenundari multo, & dari pauperibus, in se omnino bona est, & perpetuo in Ecclesia retinenda, & luxui ac fastui opulentum occinenda, de quibus Christus nunquam dicet: Sinite illos, nolite illis molesti esse: Nam bonum opus operantur in me.

Tunc abijt unus de duodecim, qui dicebatur Iudas Ischarioles, ad principes sacerdotum & ait illis: Quid uultis mihi dare, & ego uobis illum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et ex eo tempore quærebat opportunitatem, ut eum traderet.

Offensus Iudas frustratione pecuniæ quam speraverat furto suo cessuram, consilium capit tradendi Christum: siue aliundè amissum quæstum sarturus: siue consilio celandi furta sua, ne illa aliquando per Christũ detegerentur. Nam ut Ioannes dicit: ea quæ Christo dabantur, cum loculos haberet ueluti communis pecuniæ dispensator, furtim sibi abripiebat, & forsan timebat aliquãdo manifestam fore eam suam fraudem, atq; ob eam causam cupiebat extinctum Christum.

1 Videmus hic sortem bonorũ Christi. Iudas iste in speciem nominis Christi confessor, & præcipuus Apostolus, reipsa uerò ueritatis proditor, & bonorũ Christi fur ac defraudator. Exemplum gerit eorum, qui cum uideri uelint in locum Apostolorũ successisse, non Euangelij, sed bonorũ Ecclesiasticorũ, quæ Christi uocãt patrimonium, & subsidia pauperũ, dispensatione susceptа: quod erogandum erat in Christi pauperes, sibi uendicant: non quidem furto, sed ui, quod iam superioris potestatis metũ tyrannide suã deuicerint, & omnẽ pudorẽ perfrictæ frõtis impudẽtia abiecerint, uide suprà ca. 10.

2 Vnus de duodecim.] Primum uidemus hic, quàm nulla sit integra prorsus societas, cum inter Apostolos reperiatur Christi proditor. Proinde nemo offendatur si inter Christi ministros reperiatur Iudæ quisquam imitator: nec putet propter unius pietatem reliquorum abijciendum esse ministerium. Deinde si quando per domesticos fraude petimur, memores simus, quid Christo hic contigerit à selectiore discipulo.

Vide Aug. Epist. 137. fo. 425. a. b

Quid uultis mihi dare, & ego uobis eum tradam?] 3 Non rogat, quam aduersus Christũ causam habeant, aut quid cum eo sint facturi: sed simpliciter de pecunia paciscitur, parum sollicitus, quid in Christũ sint designaturi. Ista uox igitur eorũ est, qui pecuniæ inhiantes non quærunt cui & ad quid Christi cõmittant ministerium, & sacramenta, sed toti in eo sunt, ut quæstum aucupentur. De Romano quodam Pontifice fertur, quod Bulgaris: deinde & Moscouitis, Ecclesiæ unitatem nõ nisi pro certa ex pacto pecuniarum summa tradere uoluerit. Ambitur Episcopatus, Cardinalatus, ambiuntur Præbendæ, ut uocãt, per Curtusanos, & hic nihil aliud auditur, quàm ista Iudæ uox, quid uultis mihi dare?

At illi constituerunt ei triginta argenteos.] 4 Marcus & Lucas dicunt, quod summi sacerdotes audito Iudah gauisi sint, ubi obstinatæ cæcitatis exemplum proponitur. De hoc hominũ genere scriptum est, quod gaudeãt in rebus peßimis. Quare gauisi sunt? Spe uidelicet perficiendi quod consultauerant. Consilium eorũ erat ueritatem ita extinguere, ut nullus fieret in populo tumultus. Ad eam rem operam suam pollicebatur Iudas unus ex duodecim. Hinc spe efficiendi propositi concepta gaudetur. Et hoc est quod Euangelista noster subiungit: Et ex eo tempore quærebat opportunitatem, ut eum traderet. Et Lucas addit: sine turba. Ecce ingeniũ impiorũ & obcæcatorum. Primũ quasi nulla sit prouidentia Dei, gaudent de cõmoditate uitandi tumultus & fallendi populum oblata. Deinde frustra gaudent. Quia etsi Christum uitato populi tumultu occiderunt, ueritatis tamen doctrinam quam extinctam cupiebant, opprimere non potuerunt, imò altius euexerunt. 1 2

Vbi lugendum erat summopere, ibi gaudent. Non est res gaudij, ubi impius in sua prosperatur malicia. Nequit enim fieri, quin ea prosperitas uertatur in summam calamitatem, & id gaudij in maximã tristitiam, quod reipsa in istis impijs declaratum est. Discamus itaq; isto exemplo, neq; plus populũ quàm Deum timere, neq; testes ueritatis opprimere, etsi id tentatũ prosperè successerit. Non gaudere quasi mox oppressa sit ueritas, sed magis contristari, quod omnium certißima subsequutura sit calamitas & uastitas. 3

Triginta argenteos.] Videmus hic quid φιλαργυρία posßit. Homo hominem ad mortem in manus infensißimorum hostium, imò discipulus præceptorem, adhuc amplius, creatura creatorem, filium Dei turpissima morte necandum, pro pecunia tradit, eaq; nõ magna, sed parua: deinde non in promptu data, sed tantum promissa. An nõ hic, si uspiã, exclamandũ est: Quid non mortalia pectora cogis. Argenti maledicta fames? Discamus in hoc Iudah, quantũ mali adferat iste morbus, & quàm uerũ sit quod de illo scribit Apostolus 1 Tim. 6 Lucas quidẽ & Ioannes dicunt, quod Satanæ impulsu ad prodendũ Christum animũ appulerit Iudas. Verũ nihil unq̃ tale in animo Petri uel aliorũ discipulorũ effecisset Satan. Quare? Quia non hoc morbo laborarũt. Infirma fide adhuc erãt, unde ad fugiendũ quidẽ et negandũ sunt impulsi, 5

Qui uolunt diuites fieri incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Iudæ malo exemplo docemur.

impulsi, ad prodendũ uerò nequaquã. Iudas aũt impelli potuit, quia iam antea φυλακῆς uinculo captiuus erat, ut facili impulsu ad quoduis facinus perpetrandum permoueri potuerit. Hoc est quod Apostolus dixit: Qui uolunt ditescere incidunt in tentationem & laqueum. Vetus interpres addidit, diaboli, nec malè. Intelligit enim Apostolus per tentationem, suggestionem diaboli, & per laqueum, mentis captiuitatem, qua ita detinetur φιλάργυρος, ut exitium uitare nequeat.

6 Ex eo die quærebat opportunitatem.] Spe scilicet illectus potiundæ pecuniæ, quam summi sacerdotes promiserant, si præceptorem suum sine turba traderet. Ecce in tam scelesto negocio pacti fides reperitur, cum nec interesserit fideiussor, nec testis aliquis, neq; cautio literaria. Quid rationis est, quod in licitis tam rara est fides? Quia in illis non ita regnant corrupti & peruersi affectus, atq; in illicitis. Sunt autem peruersi affectus multo fortiores rectis. Summi sacerdotes suprà modum cupiebant Christum absq; populi tumultu extinctum. Iudas uerò obnixè affectabat pecuniam promissam. Ideò utriq; quod polliciti sunt studiosè præstant. Accedit etiam impulsor Satanas, qui hoc in suis agit, ut fidei seruantes sint in malo. Et alioqui hoc est mortalibus ingeniũ, ut constãtiores sint in malo, quàm in bono. Mendax quidem est omnis homo, sed in bono. Ad malum nanq; & in malo plus æquo uerax est.

Cæterũ primo die Azimorum accesserũt discípuli ad Iesum, dicentes ei: Vbi uis paremus tibi ad edendum pascha? At ille dixit: Ite in ciuitatem ad quendam & dícite ei: Magíster dicit: Tempus meum propè est apud te facio pascha cum discípulis meis. Et fecerunt discípuli sicut constituit illis Iesus, & parauerunt pascha.

Primo die Azymorum.] Historiam uide & legem Azymorum, Exo. 12. 13. Legis huius ueritatem & mysterium uide 1 Corinth. 5.

Accesserunt discipuli ad Iesum.] Cum Lucæ 22. Christum dixisse legamus: Desiderio desideraui hoc pascha manducare uobiscũ, &c. quid est quod non ipse discipulos, ut pascha pararent, iubendo præuenit, sed ab illis interrogantibus & admonẽtibus præuenitur? Sunt enim ita comparati, quibus aliquid cordi est, ut haud facile in eo perficiendo admoneri se sinant, sed ipsi potius
Luc. 22 alios præueniant. Lucas clarius hunc locum scribit, dicens: Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. Et misit Petrũ & Ioannem, dicens: Euntes parate nobis pascha, ut manducemus. At illi dixerunt: Vbi uis paremus? Et dixit ad eos: Ecce introeũntibus uobis in ciuitatem, &c. Ergo Christus Apostolos præuenit, iubens parare pascha & quod hic noster de discipulis scribit ad iussionem Christi factũ est necessariò. Ignorabant enim ubi iuberet sibi parari pascha.

Ite in ciuitatẽ ad quendam.] Non est cognitum quis iste fuerit, & tam erat domus illius discipulis incognita, ut indice opus habuerint, de quo Marcus & Lucas. Quisquis fuit, certè magna oportet dilectione erga Christum præditum fuisse, quod Hierosolymis cõstitutus, urbe scilicet Christo infensissima, hoc officij Christo præstitit.

Magíster dicit: Tempus meum propè est.] Hoc commemorat propter discipulos, ut ostendat se nec imprudenter, nec inuito animo passionẽ subire, sed planè scienter & alacriter. Quod autem non dicit, mors mea propè est, sed: tempus meum propè est. Admonet mortem suam certò esse diuinitus destinatam, & docet, ut hoc exemplo & nos parati simus & alacres, ubi tempus nostrum aduenerit, quod cuiq; præfinitum est.

Apud te facio pascha.] Vide hic quanta fiducia pariter & autoritate mandet huic uiro, ut locum sibi det edendi paschatis. Ea scilicet est autoritas præceptoris erga discipulum, ea est fiducia patris erga filios. Sic Apostolus Philemoni scribit, ut paret sibi hospitium. Tantum & hodie debebat autoritatis & fiduciæ esse ministris Christi erga auditores suos

Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus.] Notandum est hic exemplum fidelis obedientiæ. Licet ad ignotum mittantur, idq; in urbem tantopere inimicam, obediunt tamen simpliciter, & quod iussi sunt, ut iussi sunt, perficiunt.

Vespere autẽ facto discumbebat cum duodecim. Et edentibus illis dixit: Amen dico uobis quod unus uestrûm me proditurus est.

In hac Christi cæna magna apparebat impudentia Iudæ, quod post proditionis pactum cum summis sacerdotibus initum, ausus fuit mensæ Christi sese cõmittere, non ueritus Domini conscientiam. Sperabat forsan pro sua impietate, consilij sui illum ignarũ esse, uel certè nõ proditurum, ob animi mansuetudinẽ, cuius in illo multa iam antea experimenta cœperat. Omnino audax facinus fuit, quod in hac mensa Christi cum reliquis Apostolis comparebat. At huc adigebatur mentis excæcatione per auaritiam, & captiuitatẽ Satanæ, ut quod pollicitus fuerat summis sacerdotibus propere expediat.

Amen dico uobis, quod unus uestrûm me proditurus est.] Cur hoc dixit? An ægrè tulit sui proditionem? Nunquid sciebat ita ordinatum esse diuinitus, & necesse ut fieret? Planè nihil huius ignorauit. Nam aliquoties meminit ita prædictum esse. Nec potuit ægrefer re quod diuinitus destinatum erat. Aliud agit. Quidam arbitrantur hoc propter Iudæ conscientiam clanculum pungendam esse dictũ, ut nihil amitteretur eorum quæ ad illius resipiscentiam facerent. Et uerisimile quidem est. Licet enim sciret Christus proditoris excæcationẽ, ut frustra admoneretur, præter rationẽ tamen non erat conscientiam ferire, ut omni in posterum excusatione priuaretur, nec quicquàm eorũ omitteretur, quæ boni uiri officium cõcernunt: uerum in Ioanne certior huius ratio ex ipsis Christi uerbis deprehenditur. Nam ibi sic legimus: Non de omnibus uobis loquor. Ego scio quos elegerim, sed ut adimpleatur scriptura: Qui edit mecũ panem, sustulit aduersum me calcaneũ suum. Nunc dico uobis priusquàm fiat, ut cum factũ fuerit credatis, quod ego sim: Ergo quod de proditore meminit, ad hoc facit,

ut

ut Apostolorum fidei seruiat, hoc est, ut peracta proditione, & intellecta scripturæ adimpletione, firmius credant, hunc Iesum esse, quem spiritus sanctus in scripturis iam olim designauerit, uerum scilicet משיח in lege & Prophetis promissum. Huc scilicet magis prospiciebat animus Christi, quàm quid cum proditore deplorato & excæcato ageret. Reliquorum habebat rationem, magis quàm Iudæ.

Et mœsti redditi uehemẽter, cœperũt singuli dicere ei: Num ego sum domine?

1 Mœstitiam Apostolorũ tria causabãtur. Primum, quod prodendum se dicebat: Hoc est, in manus hostium tradendum. Licet enim antea aliquoties de morte sua prædicentem audierant, interea tamen meliori spe sese solati fuerant. Quod autem hoc nomine tristes fuerint, quod essent ipsum amissuri, & uelut orphani futuri, patet ex uerbis Christi, Ioan. 14. 15. & 16. quibus mœstitiam eorum consolatur.

2 Alterum, quod ab uno quopiam ex ipsorum numero prodendus esset. Hoc est, quod inter ipsos reperiendus esset, qui tantum facinus auderet, cum non essent intimiores Christo habiti, quàm ipsi ex omni discipulorum grege singulariter delecti. Quis enim piorum non doleat, si audiat ex eo cœtu, cui propter Christi fidem coniunctus est, proditurum Christi hostem? Quis senatorum non reddetur mœstus si audiat ab eo, qui mentiri nesciat, in ipso senatu constitutum esse, qui urbem sit proditurus? Cum Apostolus Act. 20. dicebat Episcopis Ephesiorum. Ex uobis ipsis exorientur uiri, loquentes peruersa, ut adducant discipulos post se: quomodo non fuissent turbati qui ex illis erant pij? Ita planè mœstos reddebat discipulos, quod audiebant in ipsorum gremio esse, qui Christũ esset ea nocte proditurus. Nam ita cõparati sunt pij, ut nõ solũ ipsi syncero sint erga Christum animo, sed & reliquos cõsortes eodem esse affectu cupiãt & credant. Vnde & plurimũ dolent, si ex ipsorũ numero progrediatur, qui Christi gloriã obscuret.

3 Tertium. Quod ignorabant quis esset futurus ille proditor. Non poterant dubitare de uerbis Christi. Et quanquàm nihil huius sibi conscij erant, securi tamen esse non poterãt, ignari quisq; quid de se futurum esset, unde & singuli rogãt: Num ego sum Domine? Omnino nanq; tales sumus, ut in horas mutemur, & quod hodie ne cogitamus quidem, imò cuius oppositũ cogitamus, eras affectemus: & quod iam nullo pacto admittimus paulò post faciamus. Certè Petrus nihil minus admittere uolebat, quàm ut Christum negaret. At eadem nocte unius ancillæ uoce perterrefactus, iureiurando etiam, Christum negauit non solum quod discipulus illius non esset, sed quod ne cognouisset quidem illum unquam.

At ipse respondens, ait: Qui intinxit mecum manum in catino, hic me proditurus est.

1 Duplex est istorũ uerborum expositio. Prima, ut sit certa & specialis Iudæ denotatio, qui fortè cũ Christus panem in catino intingeret, simul cum illo intinxit. Erat enim moris ex lege, ut agnum ederent cum lactucis agrestibus, ad liquidum usq; contusis. Et id probrò datur Iudæ, quod tanta fuerit temeritate & irreuerentia erga Christũ, ut ausus sit unà cum Christo manum in catinum mittere. Hieronymus arbitratur id studio factum, ut eiusmodi confidentia bonam mentiretur conscientiã uersutissimus impostor. Credibile est aũt à discipulis reliquis id nõ esse animaduersum. Non enim liquet tota illa cæna proditorem ab illis esse cognitum. Nam ex Ioanne apparet è mensa illum ita surrexisse, ut quid gereret incognitum fuerit reliquis Apostolis.

Altera expositio est, ut nihil aliud uideatur hic Christus dixisse, quàm quod in Marco dixit: qui edit mecum. Et in Luca, Ecce manus prodẽtis me, mecũ est in mensa. Et in Ioanne, Sed ut adimpleatur scriptura: Qui edit mecum panem, sustulit aduersum me calcaneũ suum. Et huius sensus duplex est ratio. Vna ut per exaggerationem pessimi hominis ingeniũ notaretur, qui neq; mensæ cõmunione motus à tanto facinore abstinuerit, imò in ipsa mensa constitutus prodendi cõmoditatem meditaretur. Quin nõ solũ in mensa, sed ita propè Christũ constitutus, ut eodem cum illo usus sit catino. Quàm aũt sacra sit apud ueteres habita mensæ societas, & quantum fuerit amicitiæ symbolũ, uerũ ex prisco illo prouerbio, ἅλας καὶ τράπεζαν μὴ παραβαίνειν, liquet quo significabant amicitiæ ius, quod mensæ cõmunione firmatum esset, non esse transgrediendũ. Deploranda est nostri seculi corruptio, in quo nec prophanæ nec mysticæ mensæ societas, amicitiæ nos admonet. Reperias innumeras, qui cum ijs, cum quibus nõnihil intercedit simultatis eadem uti mensa haud facile sustineãt: quot aũt uicißim obsecro dabuntur, qui communicatæ mensæ fidem & amicitiam uel humanitus seruent? Altera est, quam Ioannes aßignat, ut admoneret prophetici dicti, ne quid putarent reliqui Apostoli temerè sibi accidere, sed cogitarẽt cum id, tum reliqua, quæ futura erant ita diuinitus esse destinata. De prophetæ loco cuius Ioannes meminit. Vide Psal. 41.

2 Et isti sententiæ uidetur fauere quod Marcus in præsenti dicit: Qui intingit manum mecum in catino, ubi noster habet. Qui intinxit.

Filius quidem hominis uadit, sicut scriptum est de illo. Væ autẽ homini illi per quem filius hominis proditur. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.

Q. d. Quod ad me attinet, nihil est periculi. Mihi nihil accidet inopini aut fortuiti. Quod de me scriptum est, impleri oportet. Et ad hoc planè paratus sum. Verũ homo ille qui me proditurus est, omnibus modis miser est. Seipsum perdet non me, & ita perdet, ut præstiterit ipsi nunquã esse natũ. Cur hoc dicat Christus, ab Euangelista quidem non memoratur: attamen apparet cum Iudæ conscientiã pungere uoluisse, tum reliquis iterum inculcare, ita decretum esse à patre, & ita prædictum per spiritum sanctum, ut à discipulo traderetur. Licet enim cum hæc diceret in præsentiarum parum obseruarentur, propter mœstitiam cordis ipsorum, futurum tamen erat, ut plurimum ad fidei ipsorum confirmationem facerent. Et simul syluam quandam salutaris doctrinæ continent hæc uerba.

Obseruandum est, quàm parati debeamus esse isto Christi exemplo, ad ferenda quæ diuinitus immittũtur, potißimũ quæ iuxta sacras scripturas accidũt de quibus 1

paßim

paßim legimus, Matth. 5. 10. 16. 24. Ioan. 16. & in epiſtolis Apoſtolicis. Quicquid horum acciderit, ſolemur nos ipſos, dicamusq; ita ſcriptum eſt, & à ſpiritu ſancto de nobis prædictum, feramus, quicquid decreuit bona Domini uoluntas.

2 Vadit.] Non dicit, moritur, ſed: uadit, licet de morte ſua loquatur: Ergo mors eſt trãſitus, ex hac uita in futuram, quod electos attinet, quod ad impios ex miſeria tranſitoria ad ſempiternam mortem.

3 Væ homini illi per quem proditur.] Deplorat non ſe, ſed proditorem. Diſcamus ergo nõ noſtram deplorare ſortem, ſi quando innocenter opprimimur, ſed magis eorum, qui nos opprimunt. Magis eſt deplorandus proditor improbus, quàm proditus innocens.

4 Videmus etiam hic non excuſari Iudam ex eo quod diuinitus erat ordinatũ, ut prodereturà diſcipulo Chriſtus. Prædictum eſt à Chriſto, ſuos in hoc mundo tribulationem habituros & preſſuram. Inde tamen non excuſabuntur impij, piorũ perſequutores. Iudas nõ propter Dei uoluntatem, ſed cordis ſui maliciam Chriſtum tradidit, ut pecuniam acciperet. Secundum illam igitur & meritò condemnatus eſt.

5 Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet.] Non dicit, bonum erat, ſi non fuiſſet natus. Alioqui diuina diſpenſatio uituperaretur. Sed, ipſi Iudæ melius fuiſſet, ſi ad hanc uitam non ueniſſet. Quare? Quia morti ſempiternæ non fuiſſet factus obnoxius. Nemo ergo de ſalute Iudæ poſt diuturnã aliquam paßionem futuram diſputet: nemo dubitet de ſempiterna impiorum condemnatione. Nam ſi uel omnium extremus ſaluandus eſſet, certè bonum illi eſſet, natum eſſe, & uerba Chriſti eſſent planè inania.

Reſpondens autem Iudas qui tradidit eum, dixit: Num ego ſum Rabbi? Ait illi: Tu dixiſti.

Vide hic quæ ſit hominis excæcati impudentia. Quoniam reliqui omnes Chriſtum interrogauerant, ſinguli dicentes: Nunquid ego ſum Domine? ne ſibi malè uideretur cõſcius, tandem & ipſe conſimili modo prorumpit; dicens: Nunquid ego ſum Rabbi? Non quærit ut ueritatem audiat, non quærit, quod mœſtus, ut reliqui, eſſet, ſed ut ſuſpicionem apud reliquos nõ incurrat, ſi taceat. Non itaq; maliciam ſolum diſſimulat, ſed innocentiam ſimulat, & conſcientiam prorſus ſynceram. Ecce quàm coniuncta ſit maliciæ hypocriſis, & innocentiæ ſimulatio.

Ait illi: Tu dixiſti.] Non dicit: Tu es ille ipſe proditor meus, ſed: tu dixiſti. Q. d. Ego non dico quod tu me ſis proditurus, maliciam tuam nõ reuelo, ſed tu ipſe hoc dicis. Et uide admirabilem Chriſti manſuetudinẽ. Non obiurgat ubi omnium id commodißimè facere poterat. Non exprobat, quantum in illum beneficij contulerit. Non abigit illum à menſæ cõmunione, ſed patienter ad finem uſq; ſuſtinet, imò ne prodit quidem apertius, ut à reliquis cognoſci poſſit. Cõtentus eſt, quod conſcientiam illius ferit, & reliquorum fidei, quæ ſibi iuxtà ſcripturas futura erant prædicendo conſulit. Sit nobis iſta Chriſti lenitas & manſuetudo exemplo, ut non iraſcamur aduerſarijs noſtris, ſed patienter feramus illorum maliciam, ſi quidem manſuetudine noſtra uincinon poterit.

Edentibus autem eis, accepit Ieſus panem, & cum egiſſet gratias, fregit deditq; diſcipulis, & ait: Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum. Et accepto poculo, gratias egit ac dedit illis, dicẽs: Bibite ex hoc omnes: Hic eſt enim ſanguis meus, qui eſt noui teſtamenti, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum. Dico autem uobis, non bibam poſt hac ex hoc fructu uitis, uſque in diem illum, cum illud bibam uobiſcum nouum in regno patris mei.

Exigit hic locus, ut de materia Cænæ dominicæ loquamur. Noui quàm ſint de illa uariæ opiniones, quantaq; diſſidentiũ contentione & mordacitate iam annos aliquot iſta cauſa ſit agitata. Dominus tandem ſuo ſpiritu cõtentionem hanc conſopiat, ut uel inter eos qui ueritatis Euangelicæ ſtudio teneri uidentur, ueritas abiectis contendendi ſtudijs pacificè & cum debito fructu teneatur. Dicam ſimpliciter quæ mea ſit ſententia, & uidebo quid in hac omnium ſuauißima cauſa pijs mentibus uſui eſſe poßit, nemini uitio daturus, ſi meliora adferens, nõ ubiq; mecũ ſentiat. Nec dubito, quin eandem erga me modeſtiam ſeruaturi ſint boni uiri, qui magis Chriſti ſpiritus manſuetudine, quàm priuatis affectibus ducũtur. Atq; iſtam manſuetudinem malo, quàm ut locũ demus Satanæ, qui mirabili hactenus artificio, quod ad pacandas fidelium conſcientias, & concordandos animos inſtitutum eſt: partim in quæſtum omnium turpißimum, ſuperſtitionem & idololatriam: partim in uehementißimam contentionem uertit, omnem mouens lapidem, ne ſacratißimi huius ſymboli uſus & fructus in Eccleſia ſaluus eſſe poßit. Et nos uel hac in re cum magna Chriſtianæ charitatis iactura plus ſatis declarauimus, quàm adhuc carnales ſimus. Cum enim inter uos, inquit Apoſtolus, ſit zelus & contentio, nunquid carnales eſtis? Deinde nucleum huius ſymboli, cuius utilitas ſyncera erga Chriſtum fide capitur ac ſaluberiter comeditur, non ſolum negligimus, ſed contendendo reijcimus etiam. Imò res eò tandem abijt, ut aliquandiu tædioſißimum fuerit uel audire duntaxat ipſum dominicæ Cænæ nomen: adeò ſaluberrimum ac deſideratißimum dominici corporis ſacramentũ, odioſum multis reddidit, auerſandum illud contendendi, & calumniandi ſtudium. 1 Corin. 3

Hactenus oſtendit Euangeliſta, Chriſtum nõ ignoraſſe conſilium & propoſitum proditoris ſui, & nos admonuimus quod illius meminerit, nõ animo indignanti, nec ad hoc, ut maliciam Iudæ nominatim proderet, aut iurganter cũ illo expoſtularet, ſed magis id curaſſe, ut reliquis cõſuleret. Cuius certè euidens ſatis argumentum habet, quod relicto proditore, mortis ſuæ utilitatem & memoriam per corporis ac ſanguinis ſui ſacramentum

mentum discipulis cõmendat & instituit, ut reliqua taceam, quibus in hac Cœna mentes illorum instruxit & confirmauit, quorum nihil ad Iudam obstinatum proditorem pertinebat.

Materiam autem istam, non quatenus ab hoc nostro Euangelista concise, sed quatenus ab omnibus simul conscripta est, fusè tractabimus. (Matthæus enim non omnia complexus est, quæ necessariò nobis obseruanda sunt. Vt enim reliqua taceã, ipsam institutionem, huius symboli non posuit, quæ à Christi iussione pendet, dicentis: hoc facite in meam rem moratione.) inq; tria membra diuidemus, quorum primum sit. Quid Christus in Cœna hac ultima egerit. Alterum, quid suos facere iusserit. Tertium, qua cautione ad cœnam Domini accedendum sit.

Diuiſio huius materiæ.
1
2
3

QVID IN CAENA AEGERIT.

1 Duo uidemus egisse Christum in Cœna. Vnum, do
2 cuisse discipulos quædam. Alterũ aliquid illis dedisse.
Docuit. Videamus primum quæ docuerit. Principio docuit eos de ratione & utilitate mortis suæ. Atq; id dupliciter.
1 Primum per expositionem figuralis paschatis, ut uidere est Luc. 22. ubi dixisse legitur: Desiderio desideraui hoc pascha manducare uobiscum antequam patiar. Dico enim uobis, post hac non edam ultra ex eo, donec compleatur in regno Dei. His enim uerbis declarat uetus illud Iudaicum pascha, non solum memoriam liberationis Aegyptiacæ, sed & typum in se figuraliter futuræ ac ueræ liberationis, iamiam implendæ, cuius ipse autor esset, continuisse. Conferamus igitur utrinq; typum & ueritatem, ut uideamus quomodo impletum
Figura. sit pascha uetus in regno Dei.
1 Illic populus captiuus in Aegypto.
2 Pharao tyrannus populum præmens operibus seruilibus in captiuitate detinens, & Deo repugnans.
3 Agnus occisus, comestus, oblatus, & sanguis agni postibus ad Israëlis liberationem illius. illius
4 Angelus transiens & Aegyptios percutiens.
5 Ritus comedendi agni.
Stando.
Circuncinctis lumbis.
Baculis in manibus.
Calceatis pedibus.
Festinanter.
Reiecto fermento.
Abstentis alienigenis.
6 Typus futuræ ac plenioris liberationis.

Veritas. HIC VERO.

1 Captiui. Totum genus humanum.
2 Pharao. Satan est, princeps mundi. Opera seruilia ad corroborandum regnum Pharaonis, sunt opera carnis, quibus corroboratur regnum Satanæ, captiuitas, est cæcitas & corruptio mentis.
3 Agnus occisus, oblatus Christus est, Ioan. Ecce agnus Dei. Et 1 Corin. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus. Sanguis postibus illitus, sanguis est Christi, conscientijs nostris per fidem aspersus, quo liberamur.
4 Angelus transiens, iudicium est mundi, credulos liberans, & incredulos condemnans.

Ritus comedendi agnum, liberationis memoriam continens, cœna est Domini. In illa & nobis sursum erectis cordibus standum est, mentis lumbi circuncingendi ac pedes calceandi, hoc est, ad egrediendũ ex hoc mundo ad cœlestem patriam parandi cordis affectus: deinde & fidei fulcimentum, instar baculi, apprehendendum, ac festinanter, abiecta omni diffidentiæ mora, ad hæc & repurgato ueteris maliciæ fermento, comedendum. 5

Et in nostra Cœna typus est futuræ cœnæ ac mensæ Domini, de qua Lu. 22. Ego dispono uobis inquit Christus, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. 6

Ad hunc itaq; modum Christus discipulos suos licet obscurius, de mortis suæ ratione admonuit, dum figuram ueteris paschatis iam in regno Dei adimplendam esse dixit. Vbi etiam in eo quod dixit: Desiderio desideraui hoc pascha mãducare uobiscũ, &c. quanto desiderio fuerit ad implendam figurã & introducendam redemptionis nostræ ueritatẽ. Qui ergo tanto desiderio arsit ad hoc, ut morte sua nos redimeret, quomodo post liberationem iam liberatos deseret? 1

Rursus, quàm cupidè descendet in fine mundi, ut ab omni malo plane exemptos in regnũ suũ totos assumat? 2

Tertio. Quanto desiderio teneri debemus, ad Cœnæ huius adimpletionem, in regno Dei futuram? 3

Deinde eandem mortis suæ rationem & utilitatem, absq; ullis figurarum inuolucris, expressis uerbis declarauit, dicẽs: Quod pro uobis datur. Vel ut in Paulo est, quod pro uobis frãgitur. ut alludsum sit ad panis fractionem, hoc est, distributionẽ. Id enim frangendi uerbum plerũq; in scripturis significat, iuxtà illud: Frange esurienti panẽ tuum. Et illud: Panis quem frangimus, idem est, atq; quem inter nos diuidimus. Ad hoc enim panis frangitur, ut dandi, inq; communionem & participationem uenire possit. 2

Item: Qui pro multis, & in Luca pro uobis, effunditur, in remissionem peccatorũ. Quid potest breuius, quid apertius, ad mortis Christi declarationem dici?

Corpus meum, inquit, traditur. Sanguis meus effunditur. Hoc est, morior, idq; morte cruenta. Per corporis enim traditionem & sanguinis effusionem mortem suam uiolentam & cruentam fore innuit. Et talis debebat esse, ratione sacrificij, quod sine sanguinis effusione perfici non poterat. Sine sanguinis enim effusione non fit remissio, Ebr. 9.

Deinde, addit, pro uobis, & pro multis, in remissionem peccatorum. Vbi dicit, pro uobis & pro multis. ostendit se non sui gratia, sed pro nobis moriturum. Vbi tria notanda sunt. Vnum non fuisse Christum morti obnoxium, nec principem huius mundi qui mortis habebat imperium, in illo quicquam habuisse, eò quod absq; peccatis erat, non habens necessitatem prius pro suis delictis more ueterum Pontificum offerre, sanctus, & impollutus & à peccatoribus segregatus. Marcus pro uobis. 1 Ebr. 2 Ioan. 14 Ebr. 7

Alterum, quanta sit erga nos Christi charitas, quod cum morti nihil deberet, pro nobis illam subire uoluit. Hanc ipse nobis commendat in suo mandato, nouo illo, quo dicit: Hoc præceptum meum, ut diligatis uos inui- 2

cem, sicut ego dilexi uos. Maiorem charitatem nemo habet, quàm ut animã suam quis ponat pro amicis suis.

3 Tertium, quod non solũ dicit: pro uobis, sed: & pro multis. Ad hoc facit, ne putemus pro solis Apostolis mortuum esse Christum. Tanta est impudentia hostiũ gratiæ & eorum, qui quæstum æstimant esse pietatem, ut ausi sint docere Cænam Domini non pertinere nisi ad Apostolos & Apostolorum successores, eò quod illi soli adfuisse legantur. Iam cum in ea commendetur redemptionis quæ per Christum est, mysterium, quàm quæso facilè inde colligi poterit, & ipsam quoq; redemptionem, nõ nisi ad Apostolos pertinere, si tantum dixisset: Qui pro uobis effundetur in remissionem peccatorum, & non adiecisset: & pro multis?

Vide Eccliũ in locis art. de Euchar. sub utraq; specie. fol. 45

Sed quid est, quod non dicit: & pro omnibus, sed: pro multis? Cum tamen Apostolus 2 Corinth. 5. dicat: Et pro omnibus mortuus est Christus, ut qui uiuunt iam non sibijpsis uiuunt, &c. Et 1 Ioan. 2. legatur Christum propiciatorem esse pro peccatis totius mundi? Et pro omnibus est mortuus & pro multis. Pro omnibus, quod attinet ad uigorem & satisfactionẽ mortis Christi. Pro multis, quod attinet ad eos, qui fide beneficiũ redẽptionis appræhendunt. Quia mors Christi uniuersalis est redẽptio, ob id uocatur Saluator mũdi, et Euãgelij prædicatio missa est in mundum uniuersum, ut ad fidẽ Christi uocãtur omnes ubiq; mortales. Quia uerò electi tantum gratiam hanc appræhendunt, dicitur & præcipuè saluator esse fidelium & electorum: qui licet comparatione reproborũ pauci sint, in se tamen multi sunt.

2 Cor. 5

Quod uerò addit: In remissionem peccatorum. Trium nos admonet. 1 Si ut Apostolus colligit, omnes mortui fuerunt, eò quod pro omnibus mortuus sit Christus, & hic ratio mortis Christi aßignatur, remißio peccatorum: ergo propter peccatum eramus mortui & perditioni obnoxij. Quantum igitur auersandum nobis est peccatum ac detestandum, posteaquàm morte Christi illo liberati sumus? 2 Nota quod dicit εἰς ἄφεσιν in remissionem. Quomodo remißio, id est gratuita condonatio est, cum oportuerit nos morte Christi redimi,

1 Cor. 7

unde & Apostolus dicit: Empti estis precio. Et Petrus alicubi. Non corruptibili auro & argento, sed sanguine agni immaculati empti estis? Redemptio est, si æstimes id quod Christus pro nobis impẽdit. Remißio uerò quatenus absq; ulla nostra satisfactione peccatorum debito liberati sumus. 3 Obseruandum, qua in re sita sit peccatorum solutio. In gratuita remißione, quæ constat morte Christi. Satisfactio pro peccatis nostris, est non in nostris operibus uel paßionibus, sed in sanguine Christi. Et hoc notandum, quod non simpliciter, in remißionem peccati, sed peccatorũ. Ne locus sit errori, imò magis impietati eorum, qui dicunt mortem Christi satisfactionem duntaxat habere peccati originalis, & non actualium: nec eorũ, qui dicunt ualere pro illis tantum peccatis sanguinem Christi, quæ ante baptißmum commißa sint: pro reliquis, quæ post cõmittuntur, non ita, sed ibi opus esse propria satisfactione. Vide 1 Ioan. 2. Filioli mei hæc scribo uobis, ne peccetis. Si uerò quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propiciatio pro peccatis nostris. Scribebat autem absq; dubio Christianis iam baptizatis, atq; ideò etiam baptizatorum peccatis applicat propiciationem Iesu Christi. Est autem illa in sanguine Christi. Rom. 3. Hæc scilicet est doctrina illa Christi, qua mortis suæ rationem claris & paucis uerbis discipulis suis declarauit. Sunt præterea quædam alia ad doctrinam pertinentia, utpote quod ad ueram humilitatem illos & uerbis & exemplo suo per lotionem pedum, contra ambitionẽ qua laborabãt, instruxit: Deinde, quod admonuit, opus illis esse, ut in se tanquam uitæ uera maneant, nisi uelint arescere & perire. Tertio quod dilectionis mandatum illis dedit. Quarto, quod prædixit, quæ futura illis erant aduersa, & ad patientiam & perseuerantiam adhortatus est, pollicitus pro consolatione paracletum spiritum sanctum & fiduciale accessum ad Deum patrem in suo nomine, & quæ alia sunt huiusmodi.

QVID DEDERIT.

2 Hactenus expendimus quid discipulos suos Christus in Cæna docuerit, nunc secundo loco uidendum est, quid illis dederit. Habent enim uerba Christi non solum doctrinæ instructionem, sed & doni cuiusdam largitionem, quod apertè indicatur, cum Euãgelista dicit: Accepit panem, dedit discipulis suis dicens: Accipite, &c. quæ uerba sunt aliquid exhibentis ac largientis. Quid ergo detur uidendum est. Oportet enim etiam hanc partem actionis Christi probè expendere. primum quod in illa situs est principalis Cænæ dominicæ scopus: deinde quod admonitioni Apostoli satisfieri nequit, qua cauet ne indignè sumamus quod à Christo datur, nisi sciatur quid ille dederit, & nos accipiamus. Qua poterit quisquam fide quáue reuerentia largitoris uti beneficentia, si ignoret quid ab illo accipiat? Quomodo potest mensæ huius conuiua muneris huius aliquo gustu affici, nisi cognoscat, quo cibi genere pascatur? Cæna hæc à ueteribus dicta eucharistia, id est gratiarũ actio. Hanc quomodo persoluemus, si ignoremus quid de munificentia Saluatoris nostri prædicare debeamus? Quomodo autem illam extollemus, & prædicabimus nisi conspicuè teneamus, quid ab illo beneficij acceperimus? Exigit itaq; fides, reuerentia, dignitas, & gratiarum actio, diuinæ beneficentiæ debita, ut diligenter cognoscamus, imò animi nostri gustu quoq; sentiamus, quid sit, quod in Cæna sua nobis dederit Christus.

Partis huius dispositio.

Partem autem hanc ita tractabimus, ut primum uideamus, quid Christus nobis dederit. 2 Quomodo dederit. 3 Quare cum pane & uino dederit. 4 Ad quid dederit.

Primum, si sensus externi rogentur, quid Christus in Cæna discipulis dederit, non poterunt aliud respondere, quàm panem dedisse ac uinum. Et negari non potest, panem illis ac uinum dedit. Neq; enim uerum est quod Scolastici de elementorum transubstãtiatione contra aperta Euangelistarum & Apostoli uerba tradiderunt. Euangelistæ panem ac uinum accepisse Christum, discipulisq; dedisse scribunt. Christus post calicis potũ dixit: A modo nõ bibã de germine uitis huius, &c.

Contra opinionem transubstantionis.

Apostolus

Apostolus toties panis ac poculi meminit, 1 Cor. 11. Et de consecr. Dist. 2. citantur uerba Augustini, can. Qui manducat. Vbi sic legitur: Quod uidetur panis est et calix, quod etiam oculi renunciant. Quod aũt fides postulat instruenda, panis est corpus Christi, et calix sanguis. Ista ideò dicuntur sacramenta, quod in eis aliud uidetur & aliud intelligitur. Quod uidetur speciem habet corporalem, quod intelligitur fructũ habet spiritalẽ. Hæc ibi: Quid potest manifestius dici? Primũ asserit August. panem esse quod uidetur. Deinde citat oculorũ testimonium tanquam certum. Tertio non dicit, quod uidetur species est corporalis, sed speciem habet corporalem. Ne quis putet hic locũ esse illis, qui docẽt in hoc elemento nihil manere, præter externã illam uisibilem speciem, cum desit panis subiectũ. Dicit corporalem habere speciẽ, quod uidetur. Quod aũt uidetur, dicit esse panem: ergo hic duo sunt in elemẽto. Substantia panis, qui uidetur, & corporalis illius species, quæ in oculos uidentium incurrit. Cur ergo negata panis substantia, solum speciem retinent?

2 Deinde uel ipsa sacramẽti definitio quam idem August. super Ioan. tract. 80. tradit, satis euincit in sacramento non mutari elementum. Quæ illa est? Accedit, inquit, uerbum ad elementũ, & fit sacramentum. Duo dat sacramento, ex quibus constat. Verbũ & elementum. Resolue itaq; sacramentum uelut in suas partes, & habebis uerbum & elementum. Et uerbum accedendi non solum nõ tollit elementum è sacramento, sed omnino requirit. Quod enim accessoriũ est, id cui accedit tã non extinguit, ut nisi illud sit illi accedere nequeat. Accedit inquit uerbũ elemento. Non dicit: Succedit uerbũ elemento, uel, mutat uerbum elementum. In Christo credimus humanitatẽ acceßisse ad diuinitatem, & ibi constituisse ex uero Deo & uero homine unam Christi personam. An dicemus hic acceßione humanitatis extinctam esse uerbi diuinitatem? Absit.

Sacramẽti definitio.

Et hoc dictũ August. in Baptismate, de quo dictum est. aperte extendit, quod dicit: Quis enim unquã aquã baptismatis transubstantiari dixit.

3 Tertio. Et ea est prædicati ratio, ut subiectum non tollat, sed magis exigat. De Christo homine prædicatur quod sit Deus. Hic certè tam abest, ut per hanc prædicationem, humanitas Christi tollatur, ut magis requiratur, posteaquam de homine prædicatur Deus. De carne sua prædicat Christus, Ioan. 6. quod sit panis uitæ, & de sanguine, quod sit uerus potus. Quid hic dicemus? An uirtute huius prædicati, caro Christi desinet esse caro, & sanguis sanguis? Absit. Imò quoniã cibum & potum esse prædicatur de carne & sanguine Christi, nõ de phantasmate quodam, necessarium est, ut caro sit caro, & sanguis sanguis. Ita et hoc loco. De pane isto & calice, prædicantur corpus & sanguis Christi. De pane dictum est: Hoc est corpus meum: ergo panis erat. Et cũ nos hodie id de pane prædicamus, necesse est esse panem. Neq; enim speciem panis à Christo usurpatam esse scribunt Euangelistæ, de qua id prædicauerit, sed

4 panem. Quarto. Et sacramenti ratio opinioni transubstantiationis repugnat. De illa nanq; Aug. ad Bonifacium Epist. 23. sic scribit: Nisi sacramenta quandam similitudinem earum rerum haberent, quarum sunt sacramenta, omnino sacramenta non essent. In pane est corporis Christi similitudo, in uino sanguinis. Illa declaratur Ioan. 6. Sita est autem in pastu & potu. Nam ut panis corporaliter & ad tempus, ita corpus Christi spiritaliter, & perpetua satietate pascit. Iam quod panis pascit, non est situm in specie illa externa, quæ oculis obijcitur, sed in ipsa panis substantia concoquenda ac digerenda. rigenda. Illa si excluditur è sacramento, iam certè nihil similitudinis est in sacramento ad id, cuius est sacramentum: nisi uelimus id probri dare corpori Christi, quod sit cibus nõ uerus, sed oculorum tantum, quem Germani, Ein schauuessen uocamus. Sed ea de re in sequẽtibus.

His rationibus, quæ iam memoratæ sunt, puto satis manifestum esse, quod suprà dixi, id quod à Christo datum est discipulis, si sensus externi rogentur, esse panem ac uinum. Quoniam uerò exhibitio illa non simplex ac nuda, sed sacramentalis est, cauendum est, ne putemus donum Christi nihil aliud esse quàm panem ac uinum: imò ne principaliter quidem esse panẽ ac uinum, sed aliud quiddam longè precioßius quàm sit panis ac uinum. Panis ac uinum non id sunt, quod principaliter datur. Quod enim principaliter datur, non est uilius pane ac uino, sed precioßius. Iam in huiusmodi sacramentalibus exhibitionibus id quod uilius est, non datur per id quod augustius ac precioßius: sed contrario modo, quod potius per id quod deterius est.

Deinde donum hoc Christi, opus habet fide. Et huius gratia non admittuntur incredduli, & apud ueteres catechumeni. Imò de fidelibus tantum dicitur, quod sciant, quid hic accipiatur. De pane & uino, nemo incredulus opus habet ut instruatur: quandoquidem ipsis sensibus satis intelligit, adesse panem ac uinum. Quòd si Iudæus quid in Cæna Domini accipias roget. Non bene respondebis, si dicas panem te accipere ac uinum: imò neq; ipsi hoc responso satisfacies. Nam licet de pane & uino nihil dubitet, ex ipso tamen communicandi ritu, aliud quiddam amplius agi à nobis admonetur.

Quid ergo est quod dedit Christus? Id nõ est aliundè quàm ex animo tradentis iudicandum. Hoc enim est, quod ipse dare uoluit, non quod sapientia dictat humana. Veritas enim & essentia traditarum rerum, non est præter largitoris mentem pensanda & æstimanda.

Quid autem dare uoluit? Nec hoc diuinandum est, sed ex ipsis Christi uerbis, uoluntatis ipsius ueluti testibus sumendum. Quòd si muta quadã actione rem hanc exequutus fuisset, non immeritò diuinationi daretur locus, & materia putaretur disceptandi. Iam cum disertis uerbis mentem suam in ista munificentia, & mystica largitione declarauerit: quæso quis mortalium iam neglectis ipsius uerbis audiendus est? Rex ipse munificus quid dederit, ore suo manifestauit, is iterum audiatur. Qui aliud dixerit, anathema sit, etiamsi sit angelus è cœlo nedum pulvis ex terra.

Quid ergo dixit? Accipite, inquit, & manducate, hoc est quid quæso Christi? hoc est corpus meum. Item: Accipite & bibite ex hoc omnes. Hic est sanguis meus, noui testamenti. Audis expositionem doni? Panis quem dat, est corpus, et uinum, est sanguis ipsius. Nemo igitur hæreat in pane & uino, sed quisq; quod per panem &

Hoc significat corpus meum.

uinum datur fideli mente appræhendat. Cauenda est autem expositio illa, qua uerba Christi idem esse putantur, atq; si dixisset: Accipite & manducate hoc significat corpus meũ, & hic calix significat sanguinẽ meum. Nam non hoc agit Christus, ut ostendat panem hunc significare corpus suum: uel ut quidam interpretantur, hoc in ordine rerum cœlestium esse corpus suum, quod panis est in ordine rerum terrenarũ. Licet enim id non sit alienum à ueritate, ut & Ioan. 6. tractatur, aliud tamen hic agitur. Donum datur, non signum declaratur. Alicubi dicit Augustinus, Christum non esse ueritum dicere: Hoc est corpus meum, cum daret corporis sui signum. Vnde quidam nostri temporis istã expositionem traxisse uidentur. Verum, si quid agatur à Christo penitius consideretur, opinor manifestum erit non competere menti & proposito Christi, ut ita exponamus, hoc significat corpus meum Nam hac loquendi formula nõ exprimitur ipsa corporis ac sanguinis Christi exhibitio. Neq; enim mox donum aliquod exhibetur, ubi signum monstratur.

Mutatio conditionalis, nõ substantialis. Transconditionatio, non transubstantiatio.

Duplex signorũ genus.

Duplex est signorum genus. Significatiuum unum, exhibitiuum alterum. In signis exhibitiuis non conuenit ut dicas, quid qua re significetur, sed ostendendum est, quid detur. In signis uerò significatiuis tantum locum habent istæ loquutiones, utpote panis azymus, significabat cordis ac uitæ synceritate celebrandum esse pascha. Corporales purificationes significationem habebant purgandarum mentium. In baptismate uerò & pane Cænæ dominicæ non rectè dicitur: baptisma significat ablutionem peccatorum: panis significat corpus Domini. Sed dicendum est baptisma est ablutio peccatorum, unde & ad Paulũ non dicebantur: surge, accipe signum ablutionis peccatorum, sed: surge et ablue peccata tua. Item: Panis est corpus Domini, & fractio panis, est communicatio corporis Domini, sicut Paulus loquitur. Interea tamen non negatur, istorum sacramentorum elementa rectè uocari signa sacramentalia, & signa externa, modo discernantur à signis significatiuis tantum, & intelligantur signa esse exhibitiua. Vbi uerò uerba Christi exponẽda sunt, ibi fugiẽda est ea expositio, quæ exhibitionem corporis & sanguinis Christi, cum illa sit in hoc sacramento principalis Christi scopus, non exprimit, sed significationem tantum illorũ adferre uidetur. Vsus huius expositionis declarabitur infra, ubi dicemus, ad quid nobis Christus corpus ac suũ sanguinẽ dederit. Est itaq; panis Domini Christiano homini, nihil aliud æstimandus aut uocãdus, q̃ corpus Domini. De sacramentis enim illi nõ secundum res externas, sed iuxta uerba Christi sentiendum est. Et hinc est quod Patres tanta oris plenitudine de hoc sacramento loquuti sunt. Respexerunt enim in uerba Christi. Horũ spiritum posteri Scholastici nõ assequuti, cœperunt ex illorum uerbis ansam sumere negandæ panis & uini substantiæ.

1 Cor. 10

Patres.

Illi alicubi dicunt cum magna admiratione panem mutari in corpus, & uinum in sanguinem Domini. Isti intellexerunt de substantiæ mutatione, cum Patres non illam commendârint, sed terrestrem panis conditionem & usum in cœlestem, ita mutari intellexerint, ut fideli iam non sit terrenus panis, nec in eo usu, quo est terrenus panis, sed transierit in corpus Domini & cœlesti pastui seruiat. Quæ mutatio cõditionalis dici potest, substantialis autem nõ ita. Et quoniam digna est, quam admiremur & suspiciamus, rectè dixerunt mirabili modo panem mutari in corpus & uinum in sanguinem Domini. Quis enim nõ stupeat, terrenum panem in id dignitatis assumi & transire, ut corpus Christi dici queat? Quis nõ admiretur, elementum aquæ, crassum illud & terrenum, mutari in lauacrum regenerationis: & quod corpori lauando datum est, fieri purificationẽ animæ, & ablutionem peccatorum? Proinde optarim id obtinere inter fideles, ut panis Domini in Cæna iam non pro pane, sed pro ipso domini corpore: & uinum non ut uinum, sed ut Christi sanguis habeatur. Christus dixit: hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. Dicat ergo Christianus Domini sui uerba sequutus. Non panem accipio, non uinum bibo, sed corpus Christi sumo, & sanguine Christi recreor. Quid enim aliud de mensa Domini acciperem, quàm quod ipse conuiuator Christus conuiuis suis dare se dixit? Corpus suum dedit, non panem, sanguinẽ dedit, non uinum. Alium cibum & alium potum in Cæna Domini non agnosco. Hic est non oculorum, nec oris, sed fidei sensus: qui non oculorum, aut oris, sed auditi uerbi Christi iudicium sequitur. Interea tamen ut supra monui, non est neganda panis ac uini substantia, sed corporis sensibus relinquenda. Nam & illa aliqua ratione sacramenti mysterio, de quo in sequentibus, seruit.

Testamenti noui.] Expendendũ & hoc est, quod noui testamenti meminit, dicens: Hic est sanguis meus, qui est noui testamenti, uel ut in Luca & Paulo legitur. Hic calix nouum testamentum est, in meo sanguine.

Docemur hinc, quod sanguis Christi, qui nobis datus est, sanguis sit testatoris, & quod ista largitione testamentaria hæreditas nobis data sit regni cœlestis.

Testamentum nouum.

Testamentum est, extrema uoluntas morituri, qua certis amicis legatur hæreditas. Vocat autem nouum Testamentum, ad discrimen & expunctionẽ ueteris, in quo non erat remissio peccatorum, nec ipsa cœlestis ueritas, nisi figuris quibusdam adumbrata, quod cum esset per Israëlis maliciam irritum factum, promissum est nouum, de quo uide Ebr. 8. ex 31 Ieremiæ. Quod aũt de calice potissimum dixit: Hic est nouum testamentum in meo sanguine, ob id est factum, quod confirmatio testamenti morte testatoris intercedente constat, mors uerò per sanguinis effusionem. Vnde & sanguini tribuitur remissio peccatorum, quæ in testamento nouo promissa est. Hac de re uide Ebr. 9. Vnde & adiecit, qui pro uobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum, de quibus uerbis supra diximus.

In sanguine.

Quis usus sit huius particulæ, infra docebimus, ubi admonebimus ad quid hoc pacto Christus corpus & sanguinem suum nobis dare uoluerit.

QVOMODO DEDERIT CHRISTVS corpus ac sanguinem suum.

Propter eos qui more Capernaitarum in rebus spiritalibus minus exercitatos habent sensus, ne carnalibus cogitationibus

cogitationibus adobruti, dicãt: Quomodo potuit Christus discipulis dare corpus ac sanguinem suum, cum in medio illorũ sederat, nec legatur corpori illius aliquid eiusmodi in Cæna accidisse, quin fides nostra habeat altero illud die cruci esse affixum. Operæprecium est admonere, quis traditionis huius modus sit, ne circa exosculandã hanc corporis ac sanguinis dominici mensam, rudiores uel hæsitent, uel carnaliter sentiant.

Solenne est ac receptißimum apud omnes mortales, ut in rebus serijs, quas inter se transigunt, non uerbis tantum agant, sed uerbis externa quoq; earũ rerum de quibus agunt, symbola adhibeant: quibus quod animo offerunt, etiam manu tradant, maximè, quando uel tradenda sunt spiritalia, uel ea carnalia quæ aut præsentia non sunt, uel si essent, manu exhiberi non possent. Atq; ista consuetudo non in terrenis modo, sed & spiritalibus seruatur.

IN TERRENIS.

1 Qui fidẽ dant, non uerbis tantũ, sed & manu illam porrigunt, ac quemadmodum & beneuolentiam stipu-
2 lare solemus. Quibus iusiurandum iniungitur, ab his non uerba tantum, sed & digitorum in cœlis extensio
3 exigitur. Qui nubunt, non sunt contenti uerbis, sed & manuali stipulatione & anulo dato fidem tradunt.
4 Qui regnum accipiunt, non nudis tantum uerbis, sed porrecto sceptro alijs nonnullis cerimonijs inaugu-
5 rantur. Ita Episcopus per baculum pastoralem epi-
6 scopatus curam in se recipit. Qui ædes uendunt aut agros possessionem suam uel calamo, uel alia quapiam re externa emptori tradunt. Qui testamenta faciunt,
7 literis ac sigillis exhibẽt quæ uolunt. Innumera sunt huiusmodi quibus humanus conuictus iuxta cuiusuis populi consuetudinem abundat.

IN SPIRITALIBVS QVIBVS cum Deo agimus.

Et hac consuetudine non inter se tantum mortales, sed & cum Deo agentes utuntur. Orantes, ad cœlos manus extollũt, hoc pacto uota sua ad cœlestia destinantes. Animi sui gratitudinem Deo oblaturi, res externas offerunt, ut apud ueteres pecudes, & alia id genus.

QVOMODO DEVS NOBIscum agat.

Quoniam itaq; mortalium hic mos est, ut quasi à natura hoc habeant, ut in rebus serijs externis symbolis utantur, quibus quæ animo destinant inuicem exhibeãt. & Deus quoq; pro nostro captu nobiscum ut loquitur, ita & externis rebus agit, inuisibilia nobis & spiritalia signis uisibilibus & corporalibus, uisibiliter & corporaliter quantum ad signa attinet, exhibens. Sic fœderis sui pactum cum Noẽh inito signo arcus in nubibus posito firmat: cum Abrahamo uerò carnali circunsione, & postea cum Israëlitis in deserto, cum aspersione sanguinis uitulini: deinde præsentiam suam per Arcæ propiciatorium exhibuit, & sacerdotalem ac regiam inauguratione per oleum capitibus infusum, & decem pallij scissuras, 1 Reg. 11.

Item per columnã ignis ac nubis.

Et Christus inuisibilem suam gratiam uisibili manus impositione, cum pueris Mar. 10. tum ægrotis impertiuit, & spiritussancti donum per oris flatum discipulis largitus est, Ioan. 20. Ad hunc itaq; modũ & duobus sacramentis baptismate & eucharistia nobiscum agit. Per externũ aquæ lauacrum, nostri regenerationem & peccatorum remißionem exhibet, per panem uerò ac uinum, corpus suum ac sanguinem.

Et istæ exhibitiones non sunt inanes & phantasticæ, sed ueræ. In Christo nanq; est amen & ita. Nihil hic est imaginarium & uanum, licet hæc dona signis istis localiter non includantur. Quemadmodũ uerè Deus erat & habitabat in medio populi, licet localiter non esset propiciatorio inclusus: & ut reuera regnum dabat & sacerdotium, prophetandiq; munus per unctionis symbolum, licet nec regna, nec sacerdotia, nec propheticus spiritus localiter in oleo fuerint. Et ut Hieroboam uerè accipiebat decem tribuum regnum, licet in decem pallij partibus localiter non esset. Et quemadmodum Christus reuera beneuolentiam suam per externam manus impositionem pueris & ægrotis dabat, tametsi in manibus illa localiter non compræhenderetur: spiritumq; suum uerè largiebatur, tametsi in flatu oris localiter nõ esset circunscriptus. Et per baptismũ indubitanter exhiberetur peccatorum remißio, etiamsi per aquam localiter non includatur: ita & in Cæna Christus reuera per panem et uinum, tanquam externa symbola corpus suum ac sanguinem exhibet, tametsi localiter in illis non compræhendantur. Nec timendũ quod talis aliqua carnis cogitatio discipulis in mentem uenerit, uidentibus Christum ante faciem suam sedentem ac loquentem.

Atq; ista corporis & sanguinis Christi exhibitio, ut tum in Cæna illa prima, nihil demebat ueritati corporis humani, ita nec hodie demit. Manet enim etiam hodie ueritas humanæ naturæ in Christo, teste Augustino, qui Epistola 57. dicit: Immortalitatem enim illi aedit, naturam uerò non abstulit. Sicut neq; diuinitati detrahebat, quod præsentiam suam in arca exhibebat.

Ne uerò putemur ista præter ueterum sententiam scribere, uidelicet, quod hoc modo, per externa symbola nobis corpus suum ac sanguinem Christum exhibere dicimus, audiamus ex Græcis Chrysostomũ, & ex Latinis Bernhardum.

CHRYSOSTOMVS SVPER Matth. Hom. 83.

Quoniam ergo ille dixit: Hoc est corpus meũ, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus & oculis mentis id perspiciamus. Nihil enim sensibile nobis traditum est à Christo, sed rebus sensibilibus quidẽ, omnia uerò quæ tradidit, intelligibilia (νόητα) sunt. Sic & in baptismate per aquam quæ res sensibilis est, donum illud conceditur: quod autem in ea conficitur, regeneratio scilicet & renouatio, intelligibile est. Nam si tu incorporeus esses, nude tibi ipsa dona incorporea tradidisset. Quoniam uerò corpori coniuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur. Hæc ille.

BERNHARDVS IN SERMONE de Cæna Domini.

Sacramentum dicitur sacrum signum, siue sacrum secretum. Multa quidem fiunt propter se tantum, alia

uerò propter alia designãda, & ipsa dicuntur signa & sunt. Vt enim de usualibus sumamus exemplum. Datur anulus absolutè propter anulum, & nulla est significatio. Datur ad inuestiendum de hæreditate aliqua, & signum est, ita ut iam dicere posit qui accipit: Anulus nõ ualet quicquam, sed hæreditas est, quam quærebam. In hunc itaq; modũ appropians passioni Dominus, de gratia sua inuestire curauit suos, ut inuisibilis gratia signo aliquo uisibili præstaretur. Ad hoc instituta sunt omnia Sacramẽta: ad hoc Eucharistiæ participatio: ad hoc pedum ablutio: ad hoc deniq; ipse baptismus, initium Sacramentorum omnium, in quo complantamur mortis eius similitudini. Sicut enim in exterioribus diuersa sunt signa: et ut cœpto immoremur exemplo, uariæ sunt inuestituræ, secundũ ea de quibus inuestimur. uerbi gratia. Inuestitur Canonicus per librũ, Abbas per baculum, Episcopus per baculum & anulum simul: sicut inquam in huiusmodi rebus est, sic & diuisiones gratiarum diuersis traditæ sunt Sacramentis. Hæc iste.

Hinc itaq; est, quod symbola illa externa, per quæ res spiritales traduntur, amissis proprijs, earum induãt rerum nomina, quarum sunt symbola: propterea, quod ad illarum exhibitionem usurpantur. Sic circuncisio, cum esset symbolum fœderis, nihilominus tamen etiam fœdus ipsum uocabatur. Ita & panis iste corpus Christi uocatur, non ob id quod sit in illud relicta sua substantia transmutatum, ut Papistæ uolunt, aut quod imaginatione carnali corpusculum quoddam in pane localiter subsistat, sed quia per panem fidei nostræ distribuitur corpus Domini, & sanguis per uinum.

Gen. 17

Brentius super Iohan. cap. 6

QVARE CVM PANE ET VINO corpus suũ ac sanguinẽ Christus dederit.

Nemo putet hanc quæstionem ad nos nihil pertinere, aut talem esse, quæ non cum ædificatione conscientiarũ tractari queat. Cum multæ sint res externæ ac uariæ, non est præter rationẽ, quod ex omnibus panẽ delegerit ac uinum, quibus corpus suũ nobis ac sanguinem largiretur. Augustinus epist. 23. ad Bonifacium, hoc exprimit, dicens: Nisi sacramẽta quandam similitudinem earum rerum haberẽt, quarum sunt sacramenta, omnino sacramenta non essent: Ergo Christus corpus suũ ac sanguinem ideò cum pane & uino discipulis suis dedit, quod illis aliqua utrinq; similitudo intercedat. Quæ illa est? Ea Ioan. 6. exprimitur. Caro mea inquit, uerè est cibus, & sanguis meus, uerè est potus. Hoc scilicet admonendi eramus per panem & uinum. Vt & in baptismate, in quo per elementũ aquæ peccatorum ablutio ob id datur, quod similitudo ablutionis, aquæ & spiritus sancti gratiæ competit. Et hinc est quod Augustinus sacramentum externum uisibile uerbum uocat. Id enim uisus sensibus obijcit, quod uerbũ auribus. Et ista similitudo non ita intelligenda est, quod sit uel in specie, uel in magnitudine, uel forma, uel essentia naturali, aut eiusmodi re aliqua. Habent enim panis & uinum in se multa, quibus nihil similitudinis est cum corpore & sanguine Domini. In eo uerò est hæc similitudo, quod uitam hominis nutriunt: sunt enim cibus & potus. Ad hoc quippe Deus panem dedit, ut cor hominis confirmet, & uinum, ut illud lætificet. Ita animas nostras, imò totos nos, alit & sustentat corporis Christi & sanguinis participatio, ut iam non moriamur. In pane & uino sacietas est temporaria, in corpore & sanguine Christi sempiterna. 1

Panis quidẽ pascit, sed non solus, corpus uerò Christi solum. Nam qui de illo non edit, uitam non habebit. 2

Panis terrenus comestus consumitur, & multos minus cibat quàm paucos: iste uerò panis nec consumitur, nec plures minus saciat, quàm paucos. Et in istis uidemus quàm nulla res terrena, spiritalem gratiam satis exprimere & delineare queat. 3

Psal. 104

AD QVID CHRISTVS HOC PACTO corpus & sanguinem suum dare uoluerit.

Quid est, quod non solum in cruce corpus ac sanguinem suum pro mundi uita, sed etiã in Cœna suis cum pane ac uino dare uoluit? Audiuimus, quid dederit, corpus scilicet ac sanguinem suum: Deinde quomodo dederit, cum externis uidelicet symbolis pane & uino. Tertio, Quare cum pane & uino, & non alijs rebus externis. Iam quarto loco uidendum est, quare omnino dare uoluerit. Qui temporibus istis non admodum auguste de hoc Sacramẽto loquũtur, nullam huius aliam rationem assignant, quàm ut habeãt Christiani ceremoniam qua memoriã redemptionis celebrent. Atq; eam sumũt ex ipsis Christi uerbis, ubi dicit: hoc facite in meam rememorationẽ. Iudicant enim Christum ideò panem dedisse, qui significaret corpus suum, & uinum quod sanguinem significaret, ut istis uteremur, & ad sui memoriam admoneremur. Verum quidem & fatendum est, Christum iussisse hoc ad sui memoriam facere, qua de re in secundo membro huius materiæ loquemur. At nos hic non quærimus, quid, & ad quid nos Christus facere iusserit, sed quid rationis præcipuæ sit, quod ipse cum pane & uino corpus suum ac sanguinẽ uice testamenti dare uoluit. Audiamus igitur rursus Christũ ipsum, qui ut ostenderet, quare hoc faceret, cum calicem porrigeret, dicebat: Hic calix nouũ Testamentũ est in meo sanguine, qui pro uobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorũ: Ergo Testamentũ nouũ dat, cum dat corpus & sanguinẽ suũ, dona uidelicet testamentaria. Suprà dixi testamentũ esse extremam morituri uoluntatẽ: Ergo nouũ Testamentũ extrema uoluntas est morituri Domini nostri, imò omniũ quæ sunt in cœlo & in terra, ipsius inquam Dei, qua bona sua nobis largitur, illorumq; nos hæredes assignat. Quemadmodũ igitur qui bona sua hæreditario quibusdã testamẽtario instrumento legat, non immeritò quidẽ ab illis sui memoriam animiq; gratitudinẽ, quoties testamento utũtur, exigit, Testamentũ tamen ipsum non hac ratione principaliter anteq̃ moriatur instituit, & futuris hæredibus destinat, ut postquàm hinc discesserit sui reminiscantur, cum id possent etiam sine accepto testamẽto: sed magis ad hoc, ut certos eos de sua uoluntate & bonis legatis reddat. Atq; ob eam causam non est contentus, conceptis quibusdam uerbis, quibus quod uult largiatur: sed literas instrumentales, adhibitis testibus & obsignatione bene munitas ordinat: quæ propterea quod de extrema morituri uoluntate testantur, Testamentũ uocantur. Ita & Christus hoc loco moriturus fecit, testamentum instituit, hoc est, testimonium certũ & firmũ uoluntatis suæ

Lucas & Paulus.

extremæ, nobisq; dedit, ac bona sua legauit, & exegit quidem, ut memoriam sui celebremus, gratiq; simus, id quod meritò facimus,. Verũ testamentũ nobis nõ ad hoc principaliter, sed magis propterea instituit, et largitus est moriturus, ut de bonis legatis, imò uoluntate sua extrema omniũ certissimũ testimoniũ haberemus, corpus scilicet ac sanguinẽ suũ. Itaq; Testamẽti ratione animos nostros de uoluntate sua confirmaturus cũ pane ac uino nobis corpus suũ & sanguinẽ largitus est. Potuisset sine testamentaria legatione nudis uerbis dicere: En morior pro uobis in remissionẽ peccatorũ uestrorũ. Hoc tamen non fecit, sed cõsiderata humana imbecillitate simul & consuetudine, quo de beneficio isto certi essemus cũ his symbolis pane ac uino corpus suũ & sanguinẽ dedit, testamentumq; instituit. Atq; hinc est, quod Patres Sacramenta uocarunt symbola gratiæ, id est certa indicia & testimonia gratiæ cœlestis, ut in Cæna datur symbolũ redemptionis. Iam perpendamus quis sit, qui symbolis istis pane ac uino de gratia sua testatur, q̃ nequeat mentiri. Vocarunt etiam Sacramenta inuestiturã gratiæ. Quis illã hic largitur? Christus filius Dei. Quomodo? Cũ corpore ac sanguine suo, pro nobis in mortẽ ad remissionẽ peccatorum traditis. Et ne de testamentariæ legationis huius ueritate ac ualore dubitemus, nihil deest eorum, quæ ad huiusmodi testamẽta necessaria sunt. Quod dat, de suo iure dat, & libera potestate dat. Nihil alieni largitur, nec tale quid, quod in potestate sua libera non habeat. Qui dat quod suũ nõ est, aut etiã si id aliquo modo ad se pertineat, ipse tamen sui iuris nõ est: ut si filius adhuc sub patris potestate cõstitutus aliquid legare uoluerit, non potest ratũ efficere, quod largitur. Christus dat corpus ac sanguinẽ suum, simulq; omnia bona cœlestia, ubi nobis Testamentũ nouũ instituit. At ut hoc firmũ sit & ratũ, accepit omnem potestatẽ à patre in cœlo & in terra, & pater illi omnia in manus dedit. Ad hoc itaq; testamentaria ista largitio ualet, ut certi simus de peccatorũ remissione, gratia dei, ac bonis cœlestibus, corpore nobis ac sanguine Christi filij Dei partis. Puto igitur manifestũ esse, eos qui significationẽ tantũ corporis Christi & memoriam in Cæna docent, in hoc deficere, quod mentẽ Christi nõ satis obseruant, & quod principaliter agitur, omittunt. Ad quẽ modũ et alij quidã peccãt, qui in hoc Sacramento nihil aliud uident q̃ tesseram quandã Christianæ societatis. Proinde spectandũ nobis est, ut in usu Sacramẽtorũ nõ secũdaria tantũ, sed cũ primis principalia obseruemus & capiamus. Potuisset & Paulus dicere: Panis quẽ frangimus, memoria est Dñi. Verũ maluit principaliter inculcare cõmunicationẽ corporis ac sanguinis Domini. Solent obijcere: Et quomodo possunt panis ac uinũ cõsciẽtias cõfirmare? Certè panis ac uinũ per se nihil huius faciunt. Belli homines cõsiderãt in hac Cæna elementorũ infirmitatẽ: quasi nobis sint in symbolis gratiæ elementa inspicienda, iuxtaq; illorũ naturã de his rebus iudicandũ: & nõ magis cõsideranda sit et fide appræhẽdẽda mens et institutio Christi. Proinde ad cõfirmationẽ cõscientiarũ in hoc Sacramẽto duo sunt obseruanda. Primũ est, ipsa Christi uolũtas. Alterũ est fides nostra, quæ quod uerbis Christi exprimitur et cũ symbolis traditur, indubitato appræhẽdat. Nisi enim Christus hoc pane et calice corpus ac sanguinẽ suũ dare uoluisset quid quæso hic efficeret panis & uinũ? Rursus nisi fides nostra accedat, beneficẽtia ista testamẽtaria haud quaq̃ appræhenditur. Vnde ergo cõfirmarentur cõscientiæ? Vbi uerò hæc duo cõcurrũt, quomodo non cõfirmatur animus fidelis, quoties hoc Testamento fideliter utitur.

SECVNDA PARS HVIVS MATERIAE de Cæna domini. Quid Christus suos facere iusserit.

Hactenus expendimus quid Christus ipse in Cæna fecerit, iam secundo membro uidendũ est, quid nos facere iusserit. atq; iste articulus duo habet. Primũ quid: alterũ ad quid. Quæ ex ipsis Christi uerbis satis cõspicua sunt.

2 pts hũj Materiæ

DE PRIMO. QVID

Primariũ est in obeundis mandatis, ut quod mãdatur probè teneatur: ne inter obeundũ aliquid, uel addendo, uel demẽdo peccetur. Et hoc in diuinis præceptis potissimũ curandũ est, quibus obstringuntur cõscientiæ mortalium, ne quo pacto fiat, ut pro diuinis mandatis humanas amplectamur adinuentiones, regnetq; in cõscientijs nostris loco Dei idolũ cordis humani. Propterea & hoc loco, cũ habeamus mandatũ Christi, dicẽtis: hoc facite. necesse est cognoscere quid facere iubeat. Consulendus est aũt hic apostolus Paulus qui disertè tradit, quid faciendũ sit, cũ dicit: Ego accepi à dño, quod et tradidi uobis, quod dñs Iesus in ea nocte qua traditus est, accepit panẽ, & postq̃ gratias egisset, fregit ac dixit: Accipite, edite, hoc est corpus meũ quod pro uobis frangitur, hoc facite in mei cõmemorationem. Ad eundẽ modũ: & poculũ peracta cæna, dicens: Hoc poculũ nouũ Testamentum est in meo sanguine, hoc facite, quotiescunq; biberitis in mei cõmemorationẽ. Quotiescunq; enim comederitis panẽ hunc, et de poculo biberitis, mortẽ dñi annunciatis donec uenerit. Cum Apostolus hoc loco mandatũ dñi explicaturus, cõmemorat, quid Corinthijs ipse faciendũ tradiderit: nempe, quod à Dño acceperat, & mox quid à Dño acceperit declaraturus, ista quæ recẽsuimus subiungit. Euidenter colligitur ex his Apostoli uerbis, quid nos Christus facere iusserit. Primo dicit: Accipit panẽ, deinde et poculũ, quæ dedit discipulis. Ergo et nobis hæc duo usurpanda sunt. Deinde gratias egit. Debemus itaq; & nos gratias agere. Sic 1. Cor. 10. Poculum benedictionis quod benedicimus. Hinc Patres hãc Cænã Eucharistiã uocârunt. Tertio fregit panẽ, hoc est, diuisibilẽ & cõmunicabilẽ frangendo fecit. Habuit aũt hũc frangendi panis usum iam ab initio in cõsueto, ut uidere est multis locis. Mar. 6. 8. Et post resurrect. Luc. 24. & Ioh. ult. Hunc itaq; frangendi panis usum & suis tradidit. Sic Paulus 1. Cor. 10. Panis quẽ frangimus. Et Act. 2. leguntur permansisse in fractione panis. Quarto, iussit eos panẽ quẽ dabat edere, & de poculo omnes bibere. Edendum itaq; ac bibendum est nobis. Sic Paulus: Quotiescũq; comederitis panẽ hunc, & de poculo biberitis. Quinto additur interpretãdi gratia ab Apostolo, Mortẽ dñi annunciate, donec ueniat: Ergo prædicanda mors Dñi. Hæc itaq; sunt, quæ mandato Dñi nobis per interpretẽ ipsius Apostolũ præscribuntur. Hic non est quicq̃ addendũ uel demendũ, nec curandũ quid quidã ante nos

fecerint, uel facere iusserint: sed quod Christus qui ante omnes est, fecerit & facere iusserit. Sic Cyprianus lib. 2. epistola 3. scribit. Nam si in sacrificio inquit, quod Christus est, non nisi Christus sequendus est, utiq; id nos obaudire & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendũ esse mandauit. Et ibidẽ. Quare, si solus Christus audiendus est, non debemus attendere quid aliquis ante nos faciendũ putauerit, sed quid qui ante omnes est Christus prior fecerit. Neq; enim hominis cõsuetudinẽ sequi oportet, sed Dei ueritatẽ, cũ per Esaiã prophetam Dominus loquatur ac dicat: Sine causa colunt me, mandata & doctrinas hominũ docentes. Et iterũ Dominus in Euangelio hoc idem repetat, dicens: Reijcitis mandatum Dei, ut traditionem uestram statuatis. Hæc ille.

Cypr.

Contra eos qui Cenam Dñam aliter ab ipso proprie, et fiunt

Ista ob id cõmemoro, ut infirmis conscientijs cõsulatur, cõtra rituũ humanitus introductorũ splendorẽ, qui usq; adeò defenditur à plerisq;, ut citius passuri sint totũ orbẽ periclitari, q̃ uel tantillũ de additamentis humanis mutari. Reperias multos, alioqui non malos, qui de hoc sacro magis secundũ accessoria q̃ ipsa substantialia iudicent: nec putent hanc Domini cænam ritè celebrari, nisi consuetas cerimonias uideant. Isti admonendi sunt, ut secundum sententiam Cypriani omniũ christianissimam ac uerissimam, nõ curent quid ante nos quisquam mortaliũ, sed quid Christus ipse fecerit et facere iusserit

DE SECVNDO. AD QVID.

Mandatũ Christi tale nõ est, ut illi externo opere satisfiat, sed oportet, ut instituti ratio & scopus & finis obseruetur. Ne putet ita quisquam nihil in Cæna hac dominica desiderari amplius, si quæ in præterito articulo cõmemorauimus ritè administrentur. Nisi enim scopo Christi satisfecerimus, frustra erunt omnia, etiam si præmissa ad unguem omnia teneamus. Alioqui si solũ externum opus quæreretur, nihil erat opus adiũgere, ad quid sit faciendũ, quod fieri præcipitur: nec necesse erat Apostolo admonere, ne quis indignè accedat. Quis enim adeò peruersus est, qui non posset ad hanc mensam admitti, si præter opus ipsum externũ nihil sit spectandum aliud? Probè itaq; pensandũ est, quid sit, quod uice scopi peti debeat in mandati huius obseruãtia. Dominus ipse paucis hoc docet, cum dicit: In mei rememorationẽ. De illa igitur nobis diligẽter cogitandũ ac tractandum est. Sunt enim pleriq; in Ecclesia carnales homines, quibus leuiculũ uidetur, Christi celebrare memoriã, esseq; tale quid putant, quod à quouis præstari queat. Verũ isti nec Christi mentẽ, nec ipsam memoriæ uirtutẽ satis expendunt, alioqui augustius multo de hac Christi memoria sentirent. Quemadmodũ itaq; suprà eos notauimus, qui panem et uinũ in hac Cæna significationẽ tantũ corporis ac sanguinis Dominici cõplecti docent, quod primarium est omittentes: ita hic ostendemus non parũ delinquere ex alio latere eos, qui uix ferre possunt, si quis dicat cænam Domini à Christo ad celebrandũ ipsius memoriam institutam esse: quasi inane quiddam sit memoriã Christi in Ecclesia celebrare. Est enim summopere cauendũ, ne ita extollamus unam huius mysterij portionem, ut alteram deijciamus. Quin magis curandum, ut illius omnia habeantur q̃ augustissima. Certum est, & in hac portione plus esse dilectionis & beneuolentiæ Christi, q̃ possit animus cuius q̃ cõcipere, nedũ lingua exprimere. Sunt aũt meo iudicio tria præcipua hoc loco spectanda. Primũ quæ sit hic dilectio erga nos Christi. Alterũ quæ prouidentia. Tertiũ quæ memoriæ huius uirtus. 1 2 3

DILECTIO CHRISTI.

Non est præter rationẽ, si quæramus hic, quid causæ sit, ob quam filius Dei, qui nullã nostrã operã desiderat, nec aliqua in re ex nobis magnifieri potest, non satis habet pro nobis mori, nisi etiam instituat sui inter nos celebrandam memoriam. Nulla alia hic ratio occurrit q̃ ea ipsa, qua ut pro nobis moreretur adductus est. Ea est aũt inexplicabilis & omniũ stupẽdissima dilectio. Huius ingeniũ est, ut nõ solũ beneficiant dilectis, sed & in illorũ animis uiuere cupiant ij, qui syncerè & ex animo diligunt. Atq; hinc est, quod nõ cõtenti nostris quouis modo benefecisse, cũ moriendũ est, uel peregrè aliquò profici scendũ, monumenta quædam dilectionis nostræ post nos relinquimus, ad hoc uidelicet, ut nostri memoriam apud eos alamus & conseruemus, etiam ubi nihil utilitatis ex eo ad nos redire potest. Huius nihil curatur, ubi nullus est amor. Et ipsa ἀφιλία hoc tanq̃ certo indicio proditur cũ absentis memoria nec affectatur nec seruatur. Ad eum itaq; modũ & redemptor noster, non contentus, ut moreretur pro nobis, memoriã sui discessurus ac moriturus discipulis quos diligit, instituit, ut ostendat, q̃ cupiat in illorũ mentibus & pectoribus non extingui, sed iugiter uiuere, id quod conspicuũ est ingenuæ dilectionis indiciũ. Quin et apparet, gaudio quodã ingenti præditũ esse Dominũ, quod morte sua nos iamiam esset redempturus. Est ne quis q̃ qui istũ redemptoris nostri affectum satis expendere ualeat? Licet ne Christianis de illo dubitare? An parũ est tantopere à Christo diligi, ut non solũ miseris & malè meritis supremo dilectionis gradu beneficiat, sed & in ipsorũ memoria perpetuò uiuere cupiat? Latro in cruce memoriã sui apud Christũ regnũ suũ ingressum, magno serio ambiebat, dicens: Domine, memento mei, ubi ueneris in regnũ tuum. Sciebat bonus homo magnũ in ea memoria situ esse emolumẽtũ. Agnoscebat suã ipsius miseriã, expendebat Christi potẽtiam, atq; ideò aspirabat ad ipsius beneficentiã. Iam cũ ad eũ modũ & nobis ardẽtissimis precibus ambiendũ esset, ut in Christi memoria uiueremus, ultro cupit Christus ipse in animis nostris memoriæ uigilãtia uiuere & cõtineri, idq; non minore desiderio q̃ si quid posset inde ad ipsum emolumenti necessarij redire. Quid aliud in causa est, q̃ immensa illa dilectio. Accedit & hoc cõsolationis, quod dubitare nequimus, Christũ ipsum nulla nostri obliuione teneri. Nemo enim amicus in eius quem dilexit ita petit uiuere memoria, ut ipse illius obliuiscatur, sed quisquis dicit: sis mei memor, hoc ipso sese obstringit, quod & ipse idem sit præsturus. Nemo ergo dubitet nos in perpetua apud Christũ uiuere memoria, nõ tanq̃ absentes (absit. Est enim nobiscũ usq; ad cõsummationẽ seculi) sed tanq̃ dilecti et perpetuã illius beneficentiã adepti.

Latro in cruce.

PROVIDENTIA CHRISTI.

Veræ dilectioni agnata est & fidelis prouidentia, quod & in hac causa apparet. Intelligo aũt eam prouidentiam,

dentiã, qua ut collatũ beneficiũ ſuo fine potiatur, ne in uanum abeat prouidè curatur. Ita ſolent parentes filijs ſuis non ſolum hæreditatem opimam procurare, ſed & prouidere, ut conſeruetur, & bene collocetur. Ita & Chriſtus, non ſolũ morte ſua nos redimendo, beneficium impendit, ſed & prouidè cogitat, qua uia conſulat dilectis ſuis, quatenus impenſum beneficium uere proſit, & ſuo fine potiatur. Ad hoc ſcilicet publicam inſtituit ſui memoriam, quæ ad hoc faciat, ut interna illa, quæ in omnium Chriſtianorũ mentibus uigere debeat, foueatur. Qua ratione? Ea uidelicet, ut iugi redemptoris noſtri memoria redemptionis beneficiũ ad animarũ noſtrarũ perpetuã conſolationẽ, & iuxta ad fidei uitæq; noſtræ cuſtodiam probè collocemus, gratiq; ſimus. Sed de interuallis huius memoriæ uiribus et uſu poſtea dicemus. Certũ ſiquidẽ eſt ut benefactoris obliuione beneficiũ acceptũ amittitur, ita illius memoria potiſſimũ cõſeruari. Quoniam uerò ita cõparati ſumus, ut iniuriarũ ægerrimè, beneficiorũ uerò omniũ facillime obliuiſcamur, exigit noſtra imbecillitas, ut externa aliqua refricatione in benefactoris noſtri memoriam reducamur. Sic prouidebatur diuinitus populo Iſraëli per celebrationẽ publicam agni paſchalis. Et hac ratione ueteres omni Dominica die iſtam Chriſti memoriam publice celebrârunt.

QVAE SIT MEMORIAE VIRTVS.

3 Illa non poteſt melius conſiderari, q̃ ex ipſius effectibus. Efficatia aũt illius eſt quod res præteritas in mentẽ reuocat, & quodammodo ne dilabantur conſeruat: ita, ut quaſi uiuæ ac præſentes ob oculos mentis ſtatuantur, idq; aliquanto uiuacius q̃ ſi corporis eſſent oculis ac ſenſibus expoſitæ. Atq; hinc animus totus in illas rapitur et abſorbetur, idq; certis ac manifeſtis indicijs declaratur. Patet hoc cum in triſtibus, tum in lætis euentibus. Si res triſtes præteritæ ad mentẽ per memoriã reuocatæ fuerint, mox uel mœrore animus uel indignatione cõmouetur, frontis hilaritas abijcitur, lachrymæ et uerba doloris aut indignationis plena prorumpunt. Et ob eam cauſam nemo cõditionis humanæ intelligens facile triſtium memoriam amicis mouet, ſed magis hoc curat, ut obliuionis beneficio ſepultæ iaceãt. In proſperis eodẽ modo magna eſt memoriæ uis. Nam hic animus in tantam abducitur lætitiã, ut foris ſileant omnia, nihil ſit foris quod lubeat, quod uel uiſum uel auditum moueat. Harum rerum pleniſſima eſt mortalium uita.

Si igitur tantæ uirtutis in rebus mundi eſt memoria, qua ratione non idem poſſet in animis Chriſtifidelium, qui credũt ſe morte Domini redemptos? Quomodo hic nõ raperetur animus totus, imò totus ſimul homo in hãc Chriſti dilectionẽ expendendam, laudemq; debitã reddendam, ut iam nõ in terris, ſed reuera extra ſe in Chriſtum translatus, dicere poſſit: uiuo iam nõ ego, ſed uiuit in me Chriſtus. Ex hac ſcilicet Dominicæ mortis memoria cõualeſcit fides, ſpes, charitas, patientia. Ex hac refocillatur totus internus homo. Hinc animus rapitur ad agendas redemptori gratias. Hinc gaudiũ eſt et pax paratæ iam cõſcientiæ, & cuſtodia ſimul uitæ noſtræ, qua cohibeamur ne denuo peccemus. Quis ergo dicet rem nihili eſſe, quæ tantarũ eſt uiriũ? Paucißimi quidẽ ſunt, qui iſta reuera ſentiant. At paucißimi quoque ſunt qui uera fide hanc Chriſti memoriã celebrent. Quod pauci horũ ſenſu tanguntur, non ipſius memoriæ infirmitas, ſed cordiũ humanorũ eſt ſtupiditas. Non eſt culpandus bonus cibus, ſi ſtomacho infirmo non præſtiterit quod præſtat ſano. Da Chriſti diſcipulos, etiã extra hanc memoriam fide tepidos ac langueſcentes, & uidebis quid ſenſuri ſint, ſi uiuaciter Chriſti memoria tangantur. Exemplo ſunto duo euntes in Emaus, quorũ corda ardebant, ubi de Chriſto, per Chriſtum quidem ſed incognitũ, ſacræ ſcripturæ expoſitionẽ audiebant. Orandũ ergo pro fide uera & integra Chriſti dilectione. Illæ ſi fuerint, ſentiemus iſtã Dominicæ memoriæ efficaciã, adibimus alacriores ad quæuis aduerſa fide firmiores, ad ueram pietatẽ inſtructiores. Excidet animis noſtris omnis mundi uanitas, obtinebit ſola Chriſti dilectio. In illo iucundabimur et paſcemur, in illo uiuemus et morìemur.

CONTRA CONTEMPTORES huius menſæ.

Duo ſunt ingentia mala, quibus contra noui Teſtamenti gratiam delinquitur. Vnũ eſt eorũ qui indigne ad menſam Domini accedunt. Alterũ eorũ, qui per cõtemptum prorſus non accedunt. Hæc mala uoco ingentia, quia in ipſam Chriſti gratiam delinquunt, quod non poteſt fieri ſine certißimo exitio. Habet enim hoc delictũ perinde, atq; cũ in ipſam medicinã peccatur, ſiue id cõtemptu & neglectu, ſiue abuſu fiat. Neq; enim minus ad mortẽ properat qui illã contemnit, q̃ qui non ritè uſurpat. Qui Cænam hanc cõtemnit. (De abuſu dicemus in poſteriore articulo) non unam tantum rem contemnit, ſed multas. Quemadmodũ qui regiam menſam aſpernatur, non menſam tantũ, ſed ſimul ipſum regẽ, & menſæ conuiuas contemnit. Videamus igitur quot & quantas res aſpernetur, quiſquis hanc menſam aſpernatur.

// Primũ nõ humana aliqua inſtitutio, ſed diuina iuſſio cõtemnitur, qua dictũ eſt: Hoc facite. Quid pro Chriſto patiantur? & quomodo grauiora præcepta ſeruabunt, qui rem iſtam in qua nihil eſt acerbi contemnunt? Apoſtoli magno ſerio fractionem hanc panis, ut illam à Domino acceperant, ſeruarunt, et Eccleſijs ſeruandam tradiderũt. 1. Cor. 11. Ego inquit accepi à Domino quod & tradidi uobis, &c. & hodie reperiuntur Chriſtiani, qui illam aſpernentur? Si hoc eſt Chriſtiani hominis, poterunt & iſti Chriſtiani eſſe. // Deinde contemnitur ipſa 2
Chriſti memoria, ad cuius refricationẽ hoc facere iuſſit. Hoc quomodo poteſt facere animus Chriſti amans?

Tertio, non quæuis Chriſti, ſed mortis ipſius qua re- 3
dempti ſumus, memoria contemnitur. Ergo nec mortis Chriſti rationem habent iſti cænæ Dominicæ cõtemptores. Dicunt quidam: Quid opus iſta communione? Per illã non redimor, qui iam ſum morte Chriſti redemptus. Dixiſſes illud Chriſto redemptori. Si redemptus es morte Chriſti, uel hanc gratiã redemptori debebas, ut mortis ipſius qua redemptum te credis, ſi tamen reuera credis, memoriam celebrare iuſſus, iubenti obedires. Si Iudæus quiſquam dixiſſet: Quid mihi cum hoc annuo paſcate? Liberatus ſum ex Aegypto. Quid iſte agnus poterit amplius? quid huic aliud reſpondendũ fuiſſet quàm

hoc

hoc ipsum? Si liberatus es ex Aegypto, quare liberationis memoriã quam ipse tuus redemptor instituit, aspernaris? Si id Iudæo responderi potuisset, quanto magis in hac causa Iudaico paschate potiore, Christiano potest?

4 Quarto, accedit & ipsum tempus quo ista memoria instituta est. In ea nocte inquit, qua tradebatur. Nox illa ultima fuit, in qua discessurus, imò iam ad ipsam nostrã redemptionem properaturus Testamentum hoc condidit. Solent huiusmodi momenta & extremi temporum articuli cum omnibus quæ in illis dicuntur & commendantur ab amicis, semper plurimi fieri. Quare non & hoc loco? Quanquàm omnia Christi debeant chara esse Christiano: ea tamẽ longè debebãt esse charissima, quæ iam moriturus suis commendauit, & ad sui memoriam

5 facere mandauit. Quinto. Contemptus huius auxesim habet, quod hæc Cæna non solũ est Christi memoria, sed simul corporis ipsius ac sanguinis communicatio. Qua in re celebrantur duo magna mysteria. Primum, quod communicamus de corpore & sanguine Domini. Alterum, quod unum corpus & unus panis sumus, quotquot de uno isto pane & uno calice participamus. Est itaque duplex hic contemptus: uidelicet corporis & sanguinis

6 Domini: deinde & Ecclesiæ. Postremò & hoc pensandum est, quibus hanc sui memoriã cõmendârit Christus: nimirũ illis pro quibus est mortuus, pro quibus corpus ac sanguinẽ suũ dedit et fudit. Qui ex illis esse se credit, quanto quæso peccato contemnit, quod peculiari traditum est amicitia, & ad ipsum potissimum pertinet.

EPILOGVS.

Manifestum est igitur, quod quisquis ad mensæ huius cõmunionem istis rationibus non mouetur: neq; Christi mandatum alicuius faciat: neq; publica illius memoria delectetur: nec mortẽ ipsius qua redempti sumus magni æstimet: nec noctis illius postremæ, perpetuæ memoriæ consecratæ rationem habeat: nec corporis & sanguinis Christi cõmunicationem & ecclesiæ consortiũ magnopere curet: & tandem neq; se uerè ex illis esse credat, quibus Christus Testamentum hoc nouum instituerit ac legauerit. Hoc aũt quid aliud est, quàm totum Christianismum in corde ridere, quicquid labia sonent? Dignus est igitur, qui uno contemptu res tantas floccifacit, ut simul omnibus priuetur. Meritò priuatur honore suo, qui nullam illius rationem habet. In prima Ecclesia, eo loco erat ista corporis & sanguinis Christi communicatio, ut quisquis illa sponte sua abstineret, Ecclesiæ quoq; liminibus arceretur, & quicunque reiectus esset, notam ferret hominis, è Christianismo excluſi, tanquàm qui non haberet partem in regno Dei. Hodie nihil opus est excommunicatione, quandoquidem tanta eorũ multitudo est, qui ultro seipsos excommunicent.

De consec. Dist. 12. c. Peracta.

TERTIA PARS MATERIAE de Cæna Domini.

DE DIGNO ILLIVS VSV

Nunc tertio loco uidendum est, quis sit cænæ Dominicæ usus dignus uel indignus. Hanc autem partem diligenter tractat Apostolus 1. Cor. 11. cum dicit: Itaq; quisquis ederit panẽ hunc aut biberit de poculo Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini, &c. Digna sanè apostolica cura est hæc admonitio. Quis est enim alius Apostolo spectandus finis q̃ salus hominũ? Quũ autẽ Apostolus etiam uitæ iuæ periculo quærat hominũ salutem, non minore studio meritò ad id quoq; diligentiæ rapitur, ut quod exitium adfert, auertatur.

Eorum autem quæ exitiosa sunt, triplex genus est. Aut enim ~~sunt in se mala~~ peccata uidelicet, quibus contra uoluntatem Dei delinquitur, de quibus Gal. 5. Prædico uobis inquit, quoniam qui talia agunt, regnum dei non consequentur. ~~Aut sunt media~~, nec mala nec bona, quæ tum noxia redduntur, quando uel sine fide, uel cum offendiculo proximi usurpantur, ut sunt cibus, ueſtitus, & id genus. Quicquid enim non est ex fide, inquit, peccatum est. Et: Beatus est, qui se non iudicat in facto suo. Et: uæ qui per offendiculum uescitur. ~~Aut sunt bona quidem, sed male usurpata~~. Qualia sunt, quæ diuinitus ad nostram sunt utilitatem instituta, de quorum genere est hæc Christi cæna. Quemadmodum itaq; medicus fidelis, nihil aliud quàm hominis sanitatẽ quærens, nõ solum quæ mala sunt, ut uenenũ, ægroto non permittit, sed nec quæ non mala, imò neq; quæ bona sunt, si damnũ illi sint latura (ut est uinũ & consimiles bonæ quidem dei creaturæ, ægroto tamen noxiæ): ita & Apostolus, non solum ab illis rebus dehortatur, quæ per se malæ, sed & à medijs, imò à bonis quoq;, ita auocat, ut non temerè accipiantur. Quin uerius ab illis non tam dehortatur, q̃ hoc agit, ut res bonæ benè usurpentur, ne per abusum noceant. Est enim cæna Domini instar medicinæ bonæ. Ab illa non dehortatur medicus Christus, qui eam instituit, neq; discipulus eius, qui illam ab ipso accepit & Corinthijs tradidit. Admonet ne indignè ac temerè accipiatur, eò quod indignè accepta magno damno afficiat. Perinde nanq; medicina ad hoc parata ut prosit, non solũ nihil proderit, si malè usurpetur, sed & plurimũ nocebit: utpote, si non suo loco, tempore, modo, mensura, numero, suo ac peculiari morbo, cui deputata est, accommodetur: ita & ista cæna Domini, utut bona, ac bene à Christo instituta, non solum non proderit, sed & noxia erit nõ ritè usurpata. Ob eam itaq; rationem fidelis Apostolus, magna cura de recto illius usu præcipit, postea quàm animaduertit Corinthios indignis illa modis ad suam ipsorũ perniciem abuti. Est enim reuera magnum delictũ, quod in gratiam Dei cõmittitur. Quis curabit enim ægrotum, qui in ipsam medicinam delinquit? Neq; enim minus ad mortem currit, qui data medicina abutitur, quàm qui illam planè abijcit.

~~Non igitur semel tantum sed secundo ac tertio~~ Corinthios admonet. Primo dicit: Itaq; quisquis ederit panem hũc, aut biberit de poculo Domini indignè, reus erit corporis ac sanguinis Domini. Secundo. Nã qui edit aut bibit indignè, iudicium sibi edit ac bibit. Et tertio. Quod si quis esurit, domi edat, ne ad condemnationem conueniatis. Quibus admonitionibus diligenter prophanos ab hoc sacro arcet, ut qui ad illud accedere nõ debeant, nisi uelint iudicio seipsos & cõdẽnationi obnoxios reddere. Occurrendũ est hic quorundam improbitati, qui ex ista Pauli admonitione argumentũ sumunt quosuis à cõmunione dñi dehortandi: propterea quod Apostolus

ſtolus nõ legatur Corinthios ad eam adhortatus, ſed magis in eo fuiſſe, ut ad iudicium nemo accederet, quàm ut omnes accederẽt. Iſtis reſpõdemus: Nihil rationis fuiſſe Apoſtolo ad cænæ Dominicæ cõmunionem Corinthios impellendi, quam antea illis celebrandam tradiderat: huius gratia à Domino acceptam, cum alioqui communiter ab omni eccleſia celebraretur. Aliud erat agendũ. Videbat illam celebrari quidẽ ab omnibus, ſed indignè, & ad iudicium à multis, & idcirco cogebatur indignè accedentes admonere: nõ ut Eccleſiæ cõmunionem deſererent, ſed ut ſeipſos anteq̃ menſam Domini uſurparent, ne id indignè facerent, probarent. Ita & nobis faciendum, obſeruemus quomodo habeat ſtatus Eccleſiæ noſtræ. Videmus noſtro ſeculo pleroſq; nullam prorſus cõmunionis huius habere rationem, quod certè indubitatũ eſt intereuntis Chriſtianiſmi, aut omnino maximè laborantis indicium. Nõ eſt itaq; opus ut auocemus illos ab hac cõmunione, cum alioqui plus ſatis multi ſint, qui dehortentur quoſuis: quaſi bene ſit illis conſultum qui cum Eccleſia non communicant: quaſiq; cauſam huius ex Paulo habeãt, quod utrunq; eſt falſiſſimũ. Quin Paulum ſequuti admoneant communicantes, ut non ad iudiciũ cõmunicent, non cõmunicantes rogent, qua ratione menſa domini abſtineant: et ſicubi hærere uiderint, adiuuent, non ab inſtituta Chriſti cõmunione deterreant.

Secundo, adiungit etiam quid ſit quod in communione iſta iudicium accerſat manducantibus: nempe, ſi indignè edant. Opus ergo eſt, ut dignè edatur ex hoc pane. Sed cogitas: Ecquis eſt qui dignus ſit ſacratiſſima hac menſa? Proinde declaranda eſt iſta dignitas, ne admonitio Apoſtoli cedat in laqueum infirmis cõſcientijs. Non eſt autem putandum eum dici ab Apoſtolo dignũ, qui omnis peccati ſit expers, & planè iuſtus. Alioqui quid dicemus de illis dignis ad quos ſuprà cap. 10. Chriſtus Apoſtolos ſuos mittit, prædicatum pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, & de eo, quod ipſe publicanos & peccatores acceſſit? Sed hac de re uide ſuprà capite 10. Dignè accedunt, in quos gratia Chriſti non fruſtra impenditur, à quibus illa cupidè excipitur, & cum fructu bene collocatur. Hi uerò ſunt, qui fidem adferũt, & pectora gratiam Dei ſitientia, quorũ ora Deum laudare queant ex animo. Quis quæſo dignus eſt cibo & potu? Certe eſuriens ac ſitiens. Cauendũ tamen interea eſt, ne ſe quiſquàm dicat dignum, etiamſi quàm maximè dignus ſit, ne dum nos dignos æſtimamus, indigni ſimus coram Domino.

Tertio, cõſequenter præcipit, ut quiſq; ſeipſum probet, antequàm manducet. Qua in re duo ſunt notanda. Primum, quod non dicit: Probet autem alius alium: ſed probet ſeipſum homo. Vbi uidemus non hoc præcipi, ut quæ extra nos ſunt examinemus, ſed ut nos ipſos probemus. Non enim aliorum nos, ſed noſtra condemnat indignitas. Quid ergo faciunt, qui non niſi alios iudicant, et aliorum cauſa non accedunt? Alterum, quod non dicit: Probetur autẽ homo, ſed probet ſeipſum homo. Vbi admonemur, ut quiſq; ſe probet ipſe. Quis enim nouit quid ſit in homine, niſi ſpiritus hominis qui eſt in ipſo? Ita & 2. Cor. 13. dicit: Tentate uos ipſos inquit, an ſitis in fide, probate uos ipſos. Hoc tamẽ admonuerim, ut qui non accedunt ad menſam Domini, accedant ſaltem Eccleſiæ miniſtros, & oſtendant qua ratione nequeant cõmunicare cum eccleſia, ne uideantur inſtitutum Chriſti & Eccleſiã cõtemnere. Faciant iſti quod ſolent ægroti, quibus inſedit edendi faſtidium, aut quod aliud infirmitatis periculoſæ indicium. Illi medicos conſultandi gratia accedunt, quo liceat cognito morbo, qualicunq; occurrere remedio. Debebamus quidem ſemper à nobis ipſis totius noſtræ uitæ rationem exigere: num quid habeat, quod profeßioni noſtræ repugnet: num quid deſit rerum neceſſariarũ, quantum nobis rerum ſpiritalium accreuerit, quemadmodũ huius ſeculi prudentes facere uidemus. Verum uel tum hoc faciamus, quando ad menſam Domini acceſſuri ſumus, ne ubi debemus ſpiritalibus epulis ſaginari, et gaudio repleri, condemnationem & ſummam mœſtitiam inueniamus. Imitemur uel eos patresfamiliãs, qui cum rerũ inopiam ſentire incipiũt, et iam redden da ſunt tributa, uel alia debita, tum demũ quod antea facere debuerãt, neceßitate coacti, ſumptuũ ſuorum rationem ineunt. Hoc ſenſu nobis conſulit Apoſtolus, & Chriſtus ipſe ſuprà cap. 5. Si offers munus tuũ ad altare, etc. ut uel tum nos ipſos probemus, quando de hoc pane manducaturi ſumus. Certe non eſt credendum aliquam habere uitæ ſuæ rationem, eum qui ne hic quidem ſeipſum probat. Proinde ſatis periculoſe ambulãt, qui ab iſta ſeſe cõmunione prorſus abalienant. Acceden tes enim, niſi prorſus deplorati & ſtupidi ſint, ſi nõ ſemper, tamẽ aliquando ad uitæ reſipiſcentiã admonentur.

QVOMODO SIT FACIENDA probatio.

Primo. Ante omnia conſiderandum eſt, quid ſit ipſa cæna Domini. Rebus enim incognitis nemo poterit competenter ac dignè uti. Nequit enim pro ſui dignitate æſtimari, quod quid uel quale ſit ignoratur. Vnde erat quod Corinthij cænam Domini indigne celebrabãt, niſi ex eo, quod nõ obſeruabant, quid in illa ageretur? Quis Iudæus paſchalem agnũ dignè manducaſſet, ſi myſteriũ illius uel ignoraſſet uel nõ curaſſet? Cognoſcendũ itaq; eſt ante omnia, Cænam hanc eſſe cõmunicationem corporis & ſanguinis Domini, eſſe rememorationem mortis Dominicæ, eſſe Euchariſtiam ſolennem, eſſe agapen fidelium, & unum eſſe corpus, quotquot de uno pane manducant. Iſta ſi quis cognouerit & expenderit, facile hanc probam inſtituet. 1

Secundo, conſiderandũ ultra eſt, qualis eſſe debeat, qui hac menſa dignè uti queat. Nimirũ talis, in quo myſteria illius locum habeant, ad quem ipſa Chriſti gratia & inſtitutio pertinere poßit. Indignè quippe ſumit de hoc pane, in quo res ipſa quæ agitur, locum non habet. Proinde dignus eſt, quiſquis in corpore Domini fide membrum eſt, charitate ergo alia membra præditus, cuius animus gratiam Chriſti deſiderat, et pro illa gratias agere mortemq; Domini deprædicare poteſt. 2

Tertio loco uidendum cuiq; qualis ipſe ſit. An ex eorũ numero, de quibus iam dictũ eſt. Proinde iſta quæ iã cõmemoraui quiſq; in ſeipſo quærat. An ſanus ſit in fide Chriſti, ut mẽbrũ eſſe poßit in corpore Chriſti, et de gratia 3

gratia Christi gratias agere, mortemq; illius prædicare: deinde an proximum diligat, ut posit cum Ecclesia agapen celebrare. Hæc tria, omnino ad hanc probationem necessaria sunt. Perinde ac si quisquam de se iudicare uelit, an nuptiali quadã mensa dignus sit. Hic certè primum erit, ut cogitet, quid & qualis sit ea mensa: alterum, quales conuiuas exigat: tertiũ, an ipse quoq; talis sit. Sic ille reijciebatur, qui nõ habebat uestẽ nuptialẽ.

Agapen celebrare.

Atq; hinc est, quod Corinthij ab Apostolo corrigun- 1. Cor. 11.
tur. Talia quippe cõmittebant, quæ mysterio Dominicæ Corint. corrigũt.
cænæ repugnabant. Primum arguit eos dissidiorũ, quæ eò promouerant, ut pleriq; seorsum cænarent. Iam hoc erat contra charitatem & unitatem ecclesiæ. Atq; ideò dicit, hoc non esse Dominicam cænam manducare. Deinde, quod alijs esurientibus alij ebrij erant, pauperum rationẽ non habentes, contra quod dicit: An pudefacitis eos qui non habent? An Ecclesiam Dei contemnitis? Ergo indigni sunt hac communione, qui dissidijs laborant. Cor exigitur unum & anima una. Deinde, qui non tanquàm ad mysticam, sed tanquàm ad carnalem mensam accedũt. Hic notandi sunt carnales. Tertio, indigni sunt Ecclesiæ & pauperum cõtemptores. Contemnitur autem Ecclesia duplici ratione. Primum ab illis, qui uolunt uideri spiritaliores, & sibijpsis placentes reliquos fastidiunt. Hi sunt, qui seorsum communicant, quod hodie faciunt monachi et sacerdotes. Qui ab ecclesiæ communione, tanquàm laica, abstinent. Illi putant se non Ecclesiam, sed laicos & idiotas contemnere. Deinde & ab illis, qui sunt opulentiores, quorum pleriq; prorsus cum Ecclesia non cõmunicant, sed seorsum: quidam etsi communicant, ita tamen uestiti incedunt, ut nõ minus dicere queas, alius sumptuose uestitus incedit, alius frigore consumitur, quàm illud Pauli: alius ebrius est, alter esurit. Et ipsum hoc dictum Pauli nunc quoq;, licet non in ipsa Cæna, extra tamen uerum est.

Postremo, propter imbecilles conscientias, & hoc notandum est. Quoniam nunq; planè tales sumus, quales hæc mensa conuiuas exigit. Videndũ est quales esse cupiamus, & an de eo quod malè sumus, uel doleamus, uel delectemur. Quod si nobis ipsis displicemus, mallemusque meliores esse, & omnino tales, quales esse conuenie bat, bene est. Nam istã quærelam cõmunem habebimus cum ipsis apostolis et omnibus reuera sanctis, qui et ipsi sese in multis deficere sentiunt, indeq; plurimum dolent cupiuntq; liberari de corpore isto peccati. Si uerò nec dolet, quod mali sumus, nec cupimus tales fieri, quales nos esse oportebat, certè indigni prorsus sumus hac mensa. Nam tales existentes, non poterimus Christi gratiam, uel affectare, uel prædicare, imò impossibile est, ut illa potiamur, donec tales sumus. Hactenus materiam cænæ domini qua potuimus synceritate tractauimus, fidelium sit iudicium.

Dico autem uobis non bibam posthac ex hoc fructu uitis, usq; in diem illum, cum bibam illum nouum uobiscum in regno patris mei.] Duo dicit. Vnum, quod posthac non sit bibiturus ex fructu uitis terrenæ: Ergo indicabat illis eum potum esse ultimum. Sicut iam morituris solet potus dari ultimus, loco ualedictionis: Ita apparet Christum hoc potu ueluti ualedixisse discipulis per mortem iam corporalis huius ac terrenæ uitæ conditionem in cœlestem mutaturus. Alterum, bibiturum 3
se nouum uinum in regno patris cum ipsis. Hæc particula bifariam exponitur.

Quidam exponunt de regno Dei, quomodo in hac 1
terra mox à Christi resurrectione elucescere cœpit. Ita Chrysostomus regnum dei hoc loco ipsam Christi resurrectionem exponit. Intelligunt autem de eo uino, quod Christus cũ discipulis corporaliter quidem, sed non corporali necessitate, ad probandũ resurrectionis suæ certitudinẽ, post resurrectionem bibit, ut est in Luca cap. 24. Licet enim ibi nõ fiat potus, sed cibi duntaxat mentio. Act. tamen 10. Petrus dicit. Hunc Deus suscitauit tertio die, & exhibuit eũ, ut manifestus fieret non toti populo, sed testibus prius ad hoc delectis à Deo: nimirum nobis, qui comedimus ac bibimus unà cum illo, postea quàm resurrexit à mortuis. Et hoc uinum uolunt ob id nouum dici, quod singulari quodam nouo & insueto modo, homo extra corporis corruptibilẽ conditionem in cœlesti iam statu constitutus nõ phantastico, sed uero modo, & cum uero corpore comedit ac bibit.

Alij intelligunt de regno Dei non ut in præsenti, sed 2
ut in futura uita est, de statu uidelicet electorũ post hanc uitam in cœlestibus. Et quod dicit se cum ipsis nouum uinum ibi bibiturum. Non de terreno aliquo potu, qui certè ibi locum non habet, sed cœlesti: quod nihil aliud est intelligendum quàm cœlestis uitæ post miseriam hãc futuræ lætitiam, hilaritatem, iucunditatem, & consolationem sempiternam.

CVR HOC DICAT.

Certum est omnia ista Christum non sui sed discipulorum gratia dicere, ad hoc, ut confirmatiores contra futuram tempestatem reddat. Proinde sermonem suum ita attemperauit, ut primum quod triste futurum iam iam erat, antequàm fieret, prædiceret. Nam iacula, ut ille inquit, præuisa, minus feriunt: deinde simul adiungeret, quod post tristia lætum & iucundum futurum erat, ut ad res illas meliores prospicientes, tristia facilius ferrent. Ita hoc loco apertè satis illis ostendit, se posthac nõ bibiturum cum illis, modo huius præsentis uita, sed eum potum esse ultimum, se iam ex hac uita decessurum. Et quoniam id tristissimum erat carnalibus adhuc discipulis, animos illorum ad cœlestia gaudia euehit, ad futurum tempus, quo unà cũ ipso sint summa & sempiterna lætitia potituri. Hanc uocat nouum uinum, per occasionem potus, quem dicebat sibi iam esse ultimũ. Et huius gratia, non se tantum bibiturum in regno patris dicit, sed unà cum ipsis. Sic & Lucæ 22. Vos estis, inquit, qui permansistis mecum in tentationibus. Et ego dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meã in regno meo, & sedeatis super thronos iudicãtes duodecim tribus Israël. Arbitror idem utrobiq; in Matthæo & Luca à Christo dici. At in Luca satis clarum est, quid & ad quid dicatur. Proinde mihi posterior expositio mẽti Christi propior uidetur.

QVID HIC NOTANDVM.

Locus iste bene obseruandus est omnibus oppressis, &

& in hac uita miserè habentibus, maximè iam morituris, & à suis per mortẽ decessuris, ut discant & ipsi cõmutatione præsentis uitæ, & eius quæ illam comitatur miseriæ in cœlestem & perpetuam iucunditatẽ, seipsos & alios solari: atq; ita præsentem aduersitatem & necessitatẽ patienter subire, ut qui sciant è propinquo esse cœlestem consolationẽ, ubi terrena nos destituit. Multo siquidem nos melius Imperator noster hac in re consolatur & animat, quàm ille, qui suos milites periculosissimè pugnaturos, ita prandere iubebat, ut meminerint se apud inferos cænaturos. Et hoc dictum uisum est etiam Christianis memoratu dignum. Quanto melius & christianius erat hæc Christi uerba omnibus celebranda inculcare, quibus pro regno Dei decertaturis non inferorum, sed cœlestium Cæna cum ipso nostro imperatore Christo proponitur? Sed ubi sunt animi illi spiritales, quibus promissa in cœlestibus Christi mensa, terrenarũ rerum affectus, & inania uitæ huius gaudia excutiat?

Et cum hymnum cecinissent, exierunt in montem Oliuarum.

Incertum est quibus uerbis Deum laudârint, & an cecinerint hanc laudem uel simpliciter dixerint. Græcum uerbum laudem quidem, maximè, quæ Deo detur, includit, non autem necessariò euincit, quod cecinerint. Credibile est Iudæos in Paschatis esu conceptis quibusdam uerbis, Aegyptiacæ liberationis memoriam celebrantibus laudem Deo cecinisse. Verum an illis usus sit & Christus affirmari non potest. Crediderim ipsum, (tamen sine aliorũ præiudicio) discipulis hoc potissimũ Paschate nouo quodam hymno, qui non tam Aegyptiacam libertatem remorârit, quàm regni Dei mysterium quod tum agebatur celebrârit & cõmendârit ita præloquutũ esse, ut uerba ipsius ab illis sint excepta & uicissim reddita. Singularem affectum in hoc Paschate omnia Christi uerba & facta exprimunt: quid mirum si etiam canticum hoc tale quid, quod reliquæ causæ quæ agebatur conforme esset, habuisse crediderimus?

Vide Paulũ Burgensem.

At quicquid sit, laudes Deo patri cum discipulis cæcinit, qua in re nobis ueræ pietatis formula præscripta est, quam sequamur, ut et nos non solum cum iam edendum est patri cœlesti, à quo pascimur, sed & post mensam gratias agamus. Matth. 6. docemur petere à patre nostro panem quotidianum. Hic Christi exemplo admonemur benefactori, ubi pasti sumus gratias agere. Ista duo continuo sunt exercitio uersanda, & ita coniungenda, ut neutrum omittatur. Alterum enim alteri seruit. Ea pietas quæ quod necessarium est à Deo petit, & hoc parit, ut de accepto beneficio gratias agamus. Qui in gratiarum actione frequens est, agnoscens largitorem à quo omnia accepit, certè et in necessitatibus ad eundem recurrit. Et quid aliud quæso cũ Deo agere poterimus, quàm uel petere quod opus est, uel gratias agere de acceptis? Vbi ista duo intercidunt, non est credibile aliquid esse pietatis. Quo quisq; maiore præditus est pietate, hoc ardentior quoq; est in oratione & gratiarum actione. Annotat hoc Chrysostomus, quod isto exemplo reprehendantur & ij, qui peracta Dominica cæna, ad gratiarum actionem præsto non sunt.

In montem Oliuarum.] Lucæ 21. legimus: Doce-
bat autem interdiu in templo, noctu uerò exiens diuer-
sabatur in monte, qui uocatur Oliuarum: Ergo non fu-
giendi gratia in hunc montem exiuit, sed ad orandum
pro sua cõsuetudine. Quod si subducere se, & Iudæ tra
ditoris insidias declinare ac fallere uoluisset, certe con-
suetudinem montis huius mutasset. Quod igitur in eun
dem consuetum, & Iudæ proditori notum locum egre-
ditur, apertum indicium est, quod nõ inuitus paßionem 3
subierit. Aliâs nonnunquàm aduersariorum furorem
declinasse legitur: hic uerò nequaquàm. Aderat enim
tempus immolandi ueri Paschatis. proinde quod hic
Christus fecit, nobis hactenus quidem exemplo sit, ut &
ipsi uoluntariè crucem à Deo impositam subeamus, e-
tenus uerò non sit, ut in certũ nos ipsos discrimen coniciamus, sicubi declinandi datur occasio. Habent quidem omnia Christi facta aliquid unde instruamur, sed ita, ut id quod nos concernere potest, arripiamus: quod uerò nostrum esse non potest, sed singulare quiddam est solum Christum concernens, relinquamus. Talis est quadragesimalis ieiunij cõtinuatio. Tale erat etiam factum Abrahæ in immolando filio ipsius Isaac, & si qua alia sunt eiusmodi.

Tunc dicit illis Iesus: Omnes uos offendiculum patiemini in me, in nocte hac. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Postquàm autem resurrexero præcedam uos in Galilæam. Respõdens autem Petrus, ait illi: Etsi omnes offendiculũ passi fuerint tua causa, ego tamen offendiculum non patiar. Ait illi Iesus: Amen dico tibi, quod in hac nocte antequàm gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus: Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.

Ista discipulis Christus non opprobrandi uel condemnandi animo prædicit, sed magis ad hoc ut intelligerent omnia non quæ sibi tantum, sed & ipsis futura erant diuina prouidentia prouisa. Et quemadmodum ipse sciens ac prudens patris se uoluntati sistebat, ita facerent & ipsi, nec animum despondèrent, etiamsi dispergantur, cum id ad tempus duntaxat modicum sit duraturũ: post quod ipsos iterum sit collecturus, unde & resurrectionis suæ meminit. Ipsa similitudo pastoris & ouium, satis indicat condolendi animo & prorsus benigno ista dici à domino. Quis enim indignari poterit ouibus percußo pastore fugientibus? Quis ignorat ouium coadunatorem ac conseruatorem esse pastorem? Ille si percussus fuerit, non poterit aliud contingere ouibus quàm ut dispergantur ac dißipentur. Hoc cum sciat pastor, ut non poterit exigere diuersum ab ouibus, ita certe non poterit succensere, si id uel futurum uel iam fieri uideat. Deinde, non dicit: Postquàm autem resurrexero, non agnoscam uos amplius, abijciam uos tanquàm fugitiuos: sed, Præcedam uos inquit, in Galilæam. Hoc est iterum assumam uos, colligam, & uelut pastor ante gregem suum

uadens, ita uos præcedam ac ducam. Locus quem Christus citat, Zachariæ 13. legitur totidē uerbis, nisi quod ibi non est percutiam, sed percute, ita tamen ut sit uox dei iubentis. Rectè autem dicitur à Christo, quod pater percutere uelit, cum id ipse iusserit. Nam ipsum percutiendi ministerium exequuti quidem sunt crucifixores Christi, ipsa uerò percussio pastoris huius ei deputanda est, qui eam præcepit. Et hoc loquendi modo Christus pulchrè seruit discipulorum fidei, ut intelligant quod futurum sibi est. primum patris esse opus: deinde quod ipsis uelut ouibus eueniet iam esse in patris prouidentia cōprehensum, unde & mox à propheta subijcitur in persona Dei: Et conuertam manum meam ad paruulos, utiq; oues gregis percusso pastore dispersas intelligens.

Nō dicit percutietur, sed percutiam.

Respondens autem Petrus: Etsi omnes offend..] Magna præsumptio discipulorum, maximè Petri. Primum res ipsa de qua præsumebant, uidelicet mori cum Christo, grauis erat. Deinde nihil huius unquàm experti erant, nec uires suas expenderāt. Tertio etiamsi mortis periculum aliquoties experti, & maximè fortes fuissent, præsumptione tamen non carebat, & singulari inconsiderantia, quod tam apertis Christi uerbis reluctabantur, idq; prophetico testimonio confirmatis. Quanto melius dixissent: Domine scimus quàm simus imbecilles, nec dubitamus de uerborū tuorum ueritate, uelis nostri curam gerere, & oues gregis tui ipse conseruare? Sed hoc est ingenium carnis, ubi zelo præter scientiam & spiritum Dei in speciem bono ducitur. Et Petrus singulariter desipit, ita ut & cæteris omnibus sese præferat, unde & Christus singulariter prædicit, quod ter sit negaturus, cui etiam ipsi singulari de se prophetiæ, audacter contradicit. Verum oportebat ita declarari, quàm non solū per infirmitatem cadendo, quod posthac uidebimus, sed & præpostera sui fiducia præsumendo, quod hic uidemus, homines essent.

Notandum est itaq; hoc loco, quanto sit peius ignorata propria infirmitate maiora præsumere, quàm infirmum esse, et ex infirmitate cadere. In priori contradixerunt uerbo Christi, in posteriori uerò, uerbi Christi ueritatē declararunt. Omnino turpius est puero plura uelle scire quàm per ætatem liceat, quàm si rerū imperitus esse deprehendatur. Ea uerò est cordis nostri cæcitas, ut quod minus turpè est, uitare uolentes, incidamus in turpiora.

Tunc uenit Iesus cū illis in uillam, quę dicitur Gethsemane, & dixit discipulis: Sedete hic donec uadam & orem illic. Et assumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi, cœpit affici mœrore & grauiter animo deijci. Tunc ait illis Iesus: Mœsta est anima mea usq; ad mortem, manete hic & uigilate mecum. Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans ac dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: ueruntamen, non sicut ego uolo, sed sicut tu. Et uenit ad discipulos, & reperit eos dormientes, & dicit Petro: Adeò nō potuistis una hora uigilare mecum? Vigilate & orate, ut ne intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, at caro infirma. Rursus altera uice abijt & orauit, dicēs: Pater mi, si nō potest hoc poculum transire à me, nisi bibam illud, fiat uoluntas tua. Et uenit & reperit eos iterum dormientes. Erant enim oculi eorum grauati. Et relictis illis iterum abijt & orauit tertio, eundem sermonem, dicens. Tunc uenit ad discipulos suos & dicit illis: Dormite iā & requiescite, ecce appropinquauit hora, & filius hominis traditur in manus peccatorum. Surgite, eamus. ecce appropinquauit q me tradit.

Suprà dixit Euangelista in montem oliuarum egressum esse Christum cum suis, iam consequenter & ipsum locum ponit, in quem sese receperit: deinde cuius gratia in illum secesserit: & tertio quod ibi cum ipsi tum discipulis acciderit.

In uillam quæ dicitur Gethsemane.] In Græco est χωρίον, hic & in Marco quod agrum quidam, alij locum, ut & Erasmus in Marco, reddunt. Lucas simpliciter τοπὸν ponit, id est locum. Ioannes uocat κῆπον, hortum, quod uidetur specialius hunc locū exprimere. χωρίον quippe & τόπος generalia sunt. Nomen isti loco fuisse Gethsemane, hic noster & Marcus scribunt, quod est, si interpreteris uallis pinguis. Legitur hoc nomen & Esaiæ capite 28. Gesemanim Ioannes addit, quod in hunc locum Christus frequenter uenerit, & Iudas illum probè nouerit, unde certe conspicuum est, quod suprà notaui, in istum locum Dominum non occultandi gratia secessisse. Nam si hoc uoluisset, insolitum aliquem & Iudæ incognitum locum petijsset: Ergo scienter & prudenter in eum locum, in quo se tradendum esse sciebat, egressus est, ut sciamus non inuitū, sed sponte passionem subijsse.

OBSERVANDVM.

Cum certum sit, non ignorasse Christum iam antea, quod in isto horto tradendus esset & capiendus, arbitror singulari studio factum, quod frequenter in illum ad orandum secesserit. Nemo dubitet, eam horam, qua cum morte erat in hoc horto luctaturus, Christo iam dudum antea menti insedisse, quemadmodum & sæpenumero futuræ passionis illum erga discipulos meminisse legimus. Peculiariter itaq; orando & meditando locum hunc captiuitatis & angustiæ futuræ incoluit, & cum ipsa hora captiuitatis & angustiæ adesset, non declinauit. ut intelligamus illum bene et iamdiu antea meditatum ad mortem accessisse. Admonemur igitur, ut & nos mortis nostræ meditationem frequenti oratione exerceamus, quò ubi ipsa hora aduenerit, paratiores inueniamur. Tali animo multi pij diu antequàm mortui sint, sepulchra sibi sanis adhuc corporibus pararunt, ipsaq; futuræ sepulturæ loca frequentius incoluerunt, quo diutina mortis meditatione, et terrenis rebus emoreren-

rentur,

rerentur, et ad mortẽ ipsam olim futurã instruerentur.

Et dixit discipulis: Sedete hic donec uadam & orem illic.] His uerbis indicatur, cuius gratia in hortum hunc secesserit. Donec uadam inquit & orem illic. Primum meritò quæritur, quid illi opus fuerit oratione, cum esset Dominus omnium. Assumpserat nostri gratia humanam naturam, in qua nobis dempto peccato per omnia conformis esse uoluit. Erat igitur illius conditio non solum in illis quæ corporis, sed & quæ animi sunt declaranda, nec ubiq; mera diuinitatis maiestas ostendenda. Orat itaq; uerè, ut uerus homo, humanis affectibus absque peccato, obnoxius. Deinde in eo, quod ingruente tribulatione ad orandum secedit, exemplo nobis est, quid facere debeamus ubi periculorum metus nos occupat.

Et assumpto Petro & duobus filijs Zebedæi.] Iam tertio legimus hos tres relictis alijs ad peculiaria quædam spectanda assumptos esse à domino, utpote Matth. 9. 17. & hoc loco. Ea de re diximus suprà nono. Viderant isti tres capite nono suscitationẽ puellæ mortuæ in ædibus archisynagogi: deinde transfigurationem Domini in monte, cum inenarrabili claritate ac maiestate. Erat itaq; cum minore offendiculo, quod isti ad spectandam Christi infirmitatem admittebantur, quàm si reliqui octo imbecilliores adfuissent.

QVID CHRISTO ET TRIBVS discipulis acciderit in hoc horto.

Cœpit affici mœrore & grauiter animo deijci. Tunc ait illis Iesus: Mœsta est anima mea usq; ad mortem, manete hic & uigilate mecum.] Locus hic diligenter notandus est, non solum, quod mœrore affectus scribitur, sed & propter quid sit cõtristatus. Quod non leuiter sit contristatus, sed animo planè dejectus, testantur Euangelistarum uerba. Noster hic dicit ἤρξατο λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν, id est cœpit contristari et animo grauiter deijci & angi. Et Marcus, ἤρξατο ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν. Cœpit expauescere & animo grauiter dejecto angi. Quanquam ista putentur in sapientem ac grauem uirum cadere non posse: obfirmandus tamen est animus, nihilq; dubitandum omnino uerum esse quod & Euangelistæ de Christo scribunt, & Christus ipse de se testatur, dicens: Tristis est anima mea usq; ad mortem. Ista mœstitia & animæ anxietas in Christo contra Apollinaristas notanda est, qui tradiderunt Christum humanam duntaxat carnem, nõ animam assumpsisse. Videmus autem hic ueram hominis animam, mœrori et angori obnoxiam, quæ certe passiones in uerbum Dei, quod illi in Christo putarunt esse animæ loco cadere non possunt. Nullus est hic corporis cruciatus, sed πάθος tale quod animæ propriè competat, unde & dicit: Tristis est anima mea usq; ad mortem. Nec putandum est hoc frustra admoneri. Est enim fidei huius usus, ut non solum carnem humanam nostræ similem, absq; peccato, sed & animam & mentem humanam à Christo nostri gratia susceptam esse credamus: ut sciamus illum non solum corpora nostra, sed & animas saluaturum uenisse. Vt quemadmodum carnis nostræ infirmitates patiendo & moriendo, ita & animæ tentationes & passiones mœrendo & expauescendo in se susciperet ac uinceret.

Vide in Luca qua animi angustia luctatus sit.

Quamobrem autem ita contristatus fuit? Hieronymus negat contristatum propter mortem subeundam, sed assignat alias rationes, utpote, perditionem Iudæ, offendiculum discipulorum, reiectionem Iudæorum, & subuersionem Ierosolymæ. Sunt & alij quidam ex ueteribus qui cum Hieronymo faciant. Mihi uidentur argumentis nonnullis, utpote charitatis in Christo perfectæ, cum erga Deum patrem tum erga nos: item obedientiæ spontaneæ, deinde et bonæ conscientiæ, & fortitudinis, quæ illam comitatur. Primum enim, cum Christus summa fuerit dilectione erga patrem & nos, & dilectionis ingenium sit, ut timorem expellat, efficiatq;, ut amanti nihil sit difficile, putatur planè absurdum Christo hoc tribuere, quod mortem tantopere exhorruerit, quam iubente patre pro nostra salute subiturus uenerat, maximè cum tot millia sanctorum summa alacritate sanguinem pro gloria dei charitatis beneficio et ardore fuderint. Deinde, cum constet illum patris uoluntati perfectè fuisse obtemperantem, mirum uidetur, quomodo mortem fugerit animo, quam pater imposuerit. Tertio quandoquidem nemo fidelis illi malam conscientiam, nec malam causam dare queat, inconueniens uidetur uiro iusto in causa bona tantopere deijci mortis gratia.

Quarto, cum & ipsam animi fortitudinem quæ bonam conscientiam in causa bona destituere non posse putatur, non dubitemus Christo adfuisse, insolentissimum putatur mortis periculum tantum potuisse in Christo, ut illum in tantam animi deiectionem & angustiam abiecerit.

Istis argumentis cauendum est ne permoueamur à ueritate uerbi cum Euangelistarum tum Christi, ne simul à fide ueræ humanitatis in Christo abducamur, erroriq; Manichæorum & Marcionitarum accedamus. Hieronymi opinio repudianda est. Nã ipsa Christi oratio satis indicat, quid horruerit: Transeat inquit, à me calix iste. Quod autem calicem uocet passionem suam, non perditionem Iudæ, nec offendiculum discipulorum, nec reiectionem Iudæorum, neq; subuersionem Ierosolymæ, suprà capite 20. satis patuit, ubi dixit: Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Et infrà, ubi ad Petrum dicit: Calicem quem dedit mihi pater, non uis ut bibam? Ipsa deprecatio Christi in istis angustijs satis declarat quamobrem istam perpessus sit mœstitiam. Inde tamen colligendum non est defuisse Christo charitatem, obedientiam, bonam conscientiam, & animi fortitudinem. Opus ipsum præstitit, quod à parte salutis nostræ gratia impositum erat. Et tam abest, ut ex mœstitia charitatis & obedientiæ commendationi bonæ simul conscientiæ & animi fortitudini quicquàm decesserit, ut multo amplius ex illa sint ista commendata, quàm si nihil huius sensisset. Probanda & declaranda erat ueritas humanæ naturæ, ideoq; non simpliciter mors subeunda, sed cum summo horrore subeunda. Est enim nostræ naturæ mortis horror ita agnatus, ut & cadauer mortui hominis præsentiam occisoris sui certis signis horrendo prodat. Proinde summa Dei prouidentia fi-

ctum est, idq; testibus tribus præcipuis Apostolis, ut non alacriter absq; ullis angustiæ signis passionem suam ingrederetur Christus, quod tamen multis sanctis datum est. In sanctis enim nihil erat periculi hac in re, in Christo uero multum fuisset, nisi ista angustia mentis uerum hominem sese ostendisset.

VSVS HVIVS LOCI.

1 Seruit hic locus fidei nostræ, ut certi simus carnem nostram assumptam esse à Christo, simulq; infirmitates nostras in illo superatas. Ipse, inquit propheta, infirmitates nostras suscepit.

2 Proponitur nobis summus sacerdos talis, qui compati posit infirmitatibus nostris, tentatus per omnia pro similitudine carnis, absq; peccato ad quem secura & bona fiducia, tanquàm ad thronum gratiæ, utut imbecilles simus, accedere possimus. Vide Ebr. 2. & 5.

3 Consolationem habet hic locus, ne putemus nos, ubi mortis metu deijcimur, Deo displicere. Christus non dubitat horrorem mortis, quẽ patiebatur patri orando ac deprecando conqueri. Id uidemus etiam in multis Psalmis à Dauide factum.

4 Admonemur etiam hoc loco, ne mox iudicemus aut contemnamus eos, qui mortis metu exanimantur, quasi malis sint conscientijs: & rursus, ne statim putemus bonam habere causam, qui infracto animo mortẽ adeunt. Exemplo sint Donatistæ & Zelotæ apud Iudæos, de quibus in Iosepho.

5 Notandum est & hoc, quod istam animi mœstitiam tum potissimum sentit, cum ad precandum secedit, semotus iam à reliquis discipulis, quos infirmiores esse sciebat, & antequàm ueniret in manus impiorum. Magna deprehenditur hic diuinæ dispensationis prudentia. Declaratur uera Christi humanitas isto mortis pauore, sed ita, ut nec infirmiores discipuli amplius offenderentur quàm prodesset, nec impiorum hostium irrisioni redderetur obnoxius, & tamen sint, quibus ista nostræ consolationis gratia innotescant.

Manete hic & uigilate mecum.] Ita comparati sunt adflicti, ut cupiant unà dolere eos secum, quos pro amicis habent. Quicquid enim hoc sit, nonnihil tamen illis de adflictione minuit: ueluti si onus grauius non solus portes, sed & in aliorum humeros partem illius deponas. Hoc affectu apparet Christus hos tres discipulos, quos habebat reliquis potiores, uigilare secum, hoc est, orando & congemendo collaborare uelle. Ne quis autem putet Christum alienum ab hoc affectu fuisse, expendat quid illud sit Psal. 69. ubi dicit: Expectaui commiserescentem & nõ fuit, & consolantes, & nõ inueni.

Alij exponunt ita, ut intelligamus Christum non sui, sed ipsorum gratia exegisse, ut secum uigilarent, tanquàm in communi periculo constituti, ne tentatione futura superarentur. Sed nihil prohibet utrũq; uerũ esse.

DE ORATIONE CHRISTI.

Habemus in hac Christi oratione pleraq; obseruanda oraturis, doctrinæ gratia, et quædam ad consolationem adflictorum spectantia, quæ uidebimus ordine.

1 Et progressus paululum.] Cur non apud tres istos discipulos orauit, sed relictis illis paululum secessit? Secessum amat ardens oratio. Nam et ipsa secretũ quid est ab omnibus alijs actionibus humanæ uitæ. Cupit enim animus mœstus, æstum cordis eiulando, lachrymando, gemendo & quærulando effundere liberius, ad quam rem natura secretum petimus.

Aliud est uerba hymnum Deo dicere, et aliud gemitus cordis & rando effundere.

2 Lucas habet Et positus genibus orabat

Procidit in faciem suam.] Gestus est animi uehementer consternati. Deinde & humilitatis argumentum habet, quæ omnino comitatur piorum orationes. Ita solent sancti uel in genua procumbere, uel in faciem prosterni, ad declarandum animum ante faciem diuinæ maiestatis humiliatum. Debetur enim reuerentia & maiestatis gloria ei qui adoratur. Quod si ea præstatur principibus huius seculi reuerentia, ut flexis genibus puluis à puluere adorentur, quanto conuenientius est, ut caro quæ puluis est & terra coram diuina se maiestate prorsus humiliet oratura?

Pater mi.] Tertio loco requiritur affectus fiduciæ erga deũ, qualis est filij erga patrẽ. Atq; ob eam rationẽ & Christus ita nos orare docuit: Pater noster, etc. 3

Transeat à me calix iste.] Hæc est deprecatio futuræ passionis, qua satis manifestatur cuius gratia in istã uenerit cordis mœstitiam & angustiam, de qua suprà diximus. Nec locum habet commentum Hieronymi ex Origine desumptum. Non enim loquitur de perditione Iudæorum uel Iudæ, sed de sua passione: non de calice Iudæorum, sed de eo quem ipse erat bibiturus. Habet ista deprecatio, multum consolationis adflictis piorum animis. Christus sciebat hac in re patris uoluntatem, & omnia certo cognoscebat quæcunq; sibi futura erant, & tamen non leuiter, sed ardenter, non semel, sed secundo ac tertio. ut Euangelista commemorat, futuram passionem deprecatur. Non est igitur alienum à carne piorum, ubi periclitandum est, deprecari crucem & quæcunq; aduersa, modo, quæ sequuntur concurrant. 4

Si possibile est.] Conditionem habet ista particula. Lucas habet: Si uis. Coniungenda sunt hæc duo. Non enim simpliciter possibilitatem rei quam petit respicit, cum dicit: Si possibile est, sed magis ipsam Dei uoluntatem. Terminatur enim rerum possibilitas, uoluntate Dei, ut quod uult possibile sit, quod non uult, possibile non sit: non uiceuersa, ut quod possibile sit in se, uelit etiam, quod non uideatur esse possibile, nolit. Quod igitur dicit: Pater mi, si possibile est. Nihil est aliud quàm quod in Luca legitur: Pater mi, si uis, transeat à me calix iste. 5

Rerum possibilitas uel impossibilitas in se non est nobis spectanda, sed uoluntas dei uoluntas, ut possibile æstimemus, quicquid ille uult, impossibile quicquid non uult.

Conditionalis ista particula ibi potissimum in oratione locum habet, ubi in adflictione & angustia oratur. Deinde etiam in orationibus illis, quibus ea uel petimus, uel deprecamur, de quibus nobis non constat, quæ sit Dei uoluntas. In reliquis non ita. Proinde in tota oratione Dominica nusquam est adiectum, ut dicamus: Si fieri potest, si est uoluntas tua. Nam omnia quæ ibi oramus aut deprecamur, certitudinem habent diuinæ uoluntatis, ut fiducialiter omnia possimus ac simpliciter absq; conditionali hac particula petere.

Veruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu.] Ista est resignatio propriæ uoluntatis, in qua uera obedientia consistit, et planè consummatur, in qua opus redemptionis

demptionis nostræ fundatur, in qua & in quam sanctificati sunt omnes filij Dei. Ebr. 10. in qua radices egit sub limitas & exaltatio Christi. Quoniam enim obediens factus est patri usq; ad mortem, exaltauit illum, & dedit illi nomen, &c. Phil. 2. Est autem ista propriæ uoluntatis resignatio necessaria omnibus Christi discipulis, si uelint quisq; sua cruce sublata Christũ sequi. Hoc enim est quod dicit: Qui uult uenire post me, abneget semetipsum, &c. qua de re uide suprà cap. 16. Loquor uerò non de quauis resignatione propriæ uoluntatis, sed de uera illa & probata, quæ fit in ipsis tentationibus & sub ipsa cruce. Abnegauerat seipsum & Petrus, deinde & reliqui discipuli, cum dicebant: In mortem tecum ibimus, uerum mortis metum & tentationem nondum experti erant, nec satis erant animi ipsorum ad istam resignationem propriæ uoluntatis confirmati. Discamus igitur, non cum pax est securitas, uerbis duntaxat, sed cum in angustijs sumus, cum Christo reipsa propria resignata uoluntate dicere, ueruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu, ut & nostra corpora sacrificium esse possint Deo gratum & acceptum.

Interea tam abest, ut exercitium abnegandæ propriæ uoluntatis extra tentationes istas grauiores locum in Christiano non habeat, ut summopere ad hoc requiratur, quo in grauibus adflictionibus ad omnimodam nostri abnegationem paratiores simus. Assuescamus igitur quotidiano exercitio carnis mortificare concupiscentias, ut ubi necesse est uelut iam semineces prorsus extinguere possimus. Nequit enim fieri, ut in grauibus tentationibus cum Christo ex animo, & uere dicamus: non mea sed tua uoluntas fiat, nisi radices istæ concupiscentiarum per gratiam dei diuturno abnegationis nostri ipsorũ exercitio arefactæ & debilitatæ reddantur. Quid igitur illi aliud faciunt, qui omnis generis delitijs, quibus concupiscentijs suis morem gerunt, malas istas radices ueluti rigant, & succolentas reddunt, quàm ut altius in ipsis agant, et postea ubi opus est ut euellantur, tenacius inhæreant, & diuinæ uoluntati immorigeros constituant? Appetentia rerum iucundarum, acerbarum impatientiam, ista uerò inobedientiam contra uoluntatem Dei, generat. Infirmanda itaq; est prima mali radix, ut & palmites ipsius opprimantur. Si per gratiam dei & iuge exercitium domandæ concupiscentiæ, rerum iucundarum, id est honoris, opum, gloriæ, libidinis, libertatis, ingluuiei, ipsius quoq; uitæ appetentiam infirmauerimus, consequens erit, ut et acerborum horror & impatientia debilitetur, & rerum aduersarum patientiores reddamur. Hoc si fuerit è uicino, sequetur & tertium, uidelicet, ut in omnem Dei uoluntatem obedientes nos & spontaneos offeramus.

Nec est putandum, quod nihil residuum in carne nostra, si hoc fecerimus, de ista iucundorum appetentia, & aduersorum horrore sit futurum, cum quo in grauibus tentationibus ardẽtißima oratione sit pugnandum: Si enim id Christo accidit, tanquàm uero quidem homini, attamen iam ab initio uitæ ad patris uoluntatem consecrato, quid nobis non timendum, prorsus corruptis, & non natiuitate tantum, sed & corrupta uitæ conuersatione deprauatis? Quod si sanctis necesse est, ut contra mali huius reliquias ardenti precatione pugnent, ubi graues ingruunt tentationes, quid nobis usueniet, si istam abnegandi nos ipsos exercitationem neglexerimus. Ad doctrinam nostram & hoc facit, quod non semel tantum, sed secundo ac tertio eandem orationem repetit, ut discamus non statim deficere ab oratione, sed ardenter ac indesinenter illi adhærere.

Præterea, & breuitas orationis notanda est hic, de qua uide suprà capite sexto ibi. Ad hunc autem modum orabitis.

QVOMODO ISTA ORATIO Christi ad consolationem nostram faciat.

Videmus in ista oratione luctam spiritus & carnis, quæ in tentationibus pijs animis oriri solet. Duæ sunt hic contrariæ uoluntatis in Christo. Vna carnis, mortem horrentis: altera spiritus, in obedientiam patris spontanei. Ad carnis uoluntatem pertinet, quod dicit: Transeat à me calix iste: ad spiritus uerò, quod subiungit: Veruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu. Non tamen hinc colligendum est, quod duæ sint in Christo personæ. Est unus & idem Christus, qui deprecatur calicem, & qui rursus paternæ se uoluntati subijcit. Non dicit: Veruntamen nõ sicut caro mea, uel alter homo meus uult, sed, non sicut ego uolo. Agnoscit in se istum mortis horrorem, neminiq; alij quàm sibi deprecationem calicis huius adscribit. Et tamen omnino & ista propriæ uoluntatis abnegatio, & sub patris uoluntatem subiectio, eiusdem est. Diuersitas ista affectuum in uno Christo, qua caro dicit: transeat calix iste. spiritus uerò: non sicut ego uolo sed sicut tu, obseruanda est diligenter. Plurimum enim seruit consolationi adflictorum, ne ubi aduersorum horrorem in se sentiunt, & carnis gemitus acerbitatem impositæ crucis deprecantur, putent se nihil habere fidei, uel istam tergiuersationem carnis tantopere displicere Deo, ut illius gratia nolit luctantibus succurrere, aut uelit obedientiam ægrè præstitam repudiare. Absit. Modo hæc lucta terminetur ad exemplum Christi, finali ista subiectione: non sicut ego uolo, sed sicut tu.

De Petro. Ducet te alio quo tu nõ uis Ioh. xxj.

Deinde, ad corroborandam patientiam nostram faciat, quod filius unicus in tantis angustijs tertio calicem hunc deprecatus, non impetrat, quod secundum carnem cupiebat. Possibile erat Deo alia ratione salutem humani generis instituere, uerum adeò firmus in proposito crucis permansit, ut neq; filio suo unigenito tertio crucem deprecanti parcere uoluerit. Si quando ergo et nos ad hunc modum orantes, quod cupimus non impetrauerimus, cogitemus cum hoc acciderit Christo nihil mirandum, si & nobis accidat. Non est enim discipulus supra magistrum.

Tertio loco & hoc cõsolationi seruit, quod angelus de cœlo, in Luca scribitur, Christum confortasse. Hoc exemplo nobis ostenditur, quid sit à cœlesti patre in talibus angustijs sperandum. Si crucem non auferet, quod id nec nobis prosit, nec ad gloriam suam faciat, certe confortabit animos nostros cœlesti consolatione, ut ad

crucem fortiores ac paratiores esse posimus.

Et uenit ad discipulos.] Tertio ab oratione ad discipulos, quos uigilare secum & orare iusserat, regreditur. Notandum hic est, quam curam erga illos gerat. In tanta constitutus angustia, nequit illorum nõ habere rationem. Exemplum hic est omnibus illis propositum, qui alijs mortalibus præesse debent, ut discant, in rebus tristibus non usq; adeò proprijs animum intendere periculis, ut subditorum salutem negligant.

Deinde & consolationi plurimum seruit hic locus. Qui in summa mœstitia nequit suorum obliuisci, quomodo extra pericula constitutus illos negliget?

Et reperit eos dormientes.] Ista discipulorũ somnolentia, non erat ex animi securitate, qua ea quæ gerebantur sus q; deq; tulerint. Absit. Ista quippè carnalium prorsus est, non piorum. Proinde non est committendũ, ut huius exemplum in Apostolis inueniant, qui animi leuitate omnia contemnunt, quæ cum Christo geruntur. Matthæus quidẽ dicit, quod grauati fuerint oculi eorũ. Lucas uerò exactius soporis huius causam assignat, dicens: Et reperit eos dormientes præ mœstitudine. Ergo mœstitia cordis soporem hunc causabatur, tam abest ut cordibus fuerint securis. Et Christus in Cœna ad eos dixit: Tristitia adimpleuit cor uestrum.

Quomodo autem naturaliter comparatum sit, ut mœstitia grauior soporem inducat, relinquo Physicis discutiendum. Quod inducat, testatur Euangelista. Talis erat & sopor Ionæ, de quo Ionæ 1. Nobis expendenda est theologica ratio. Somnus diuinitus homini concessus est, ut ad uirium cum corporis tum animi recreationem faciat. Vt igitur lassitudo corporis opus habet somni beneficio, ita & animi mœstitudo, ne tristis animus, si continuatior sit & intentior tristitia, prorsus frangatur. Ita uidelicet imbecillitati nostræ consuluit diuina prouidentia.

Et dicit Petro: Adeò non potuistis una hora uigilare mecum.] Somnolentiam opprobrat discipulis. Et erat sanè grandis. Admoniti fuerant ut uigilarent, idq; cum ipso Domino uigilanti, & adflicto. Sed ecce ita obdormiunt profundo sopore, ut iterum atq; iterum excitati, non potuerint uel una saltem hora uigilare cum domino, & precationi incumbere. Et hoc faciunt non inferiores apostoli, sed potiores ac selectiores. Quid aliud hic occurrit quàm carnis infirmitas, quæ etiam in sanctis subinde obtineat, ita ut qui uidebantur reliquis feruentiores, ubi declarandus est spiritus feruor, obdormiscant ac frigeant?

At quid est, quod istam carnis infirmitatem illis opprobrat, cum absq; dubio causam illius nõ minus quàm euangelista Lucas cognouerit? Non caret ratione factum hoc Christi. Licet enim mœrorem discipulorũ nõ ignorauerit: deniq; & infirmitatem istam boni consuluerit: proderat tamen, ut eam ipsis obijceret, maximè propter egregias pollicitationes, quibus dixerant Etiamsi moriendũ nobis sit, non te deseremus. Et præsertim Petri gratia: loquitur ista Christus. Vnde & Euangelista non tacet, Petro nominatim obiectum esse, & opprobratum hunc soporem. Erant inducendi, ut seipsos agnoscerẽt, et cautiores redderẽtur. Admonemur ergo hoc loco, quàm debeamus fratrum imbecillitatem boni quidẽ cõsulere: interea tamen simul castigare & reprehendere, ut & ipsi eã agnoscant & detestentur: deinde modestiores reddantur & cautiores. Multa inest nobis infirmitas, maximè ubi in rebus fidei periculosis agendum est. At simul plus inest nobis arrogantiæ et præsumptionis, unde fit, ut propria infirmitate non obseruata reddamur temeratiores & plura præsumamus q̃ præstare posimus. Proinde consilio dei fit subinde, ut aperta imbecillitatis nostræ testimonia & argumenta proferamus. Ea certe nobis ab amicis sunt obijcienda, idq; cũ exaggeratione, graui quidẽ sed amica, ut cõmoniti, nos ipsos agnoscamus, & ad opẽ diuinam confugiamus.

Vigilate & orate, ut ne intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, at caro infirma.] Ad uigilandum excitans, innuit præ foribus esse periculũ, quod non somnum, sed cautionem exigat. Quod uerò non solum ad uigilandum, sed & ad orandũ hortatur, indicat diuina sustentatione opus esse. Vigiliæ ad animi intentionem & cautionem, oratio uerò ad implorandam opem Dei pertinet. Coniungenda sunt erga hæc duo. Vnum ex nobis, uigiliæ uidelicet: alterũ adiutoriũ Dei, quod precibus est ambiendum. Oratio, quod nobis impossibile est, impetrat à Deo. Vigiliæ animum ad precandum intentũ habent ac sedulum. Vnde plerunq; hæc duo uigiliæ & oratio coniunguntur. Hinc usus inoleuit in prima Ecclesia, in serijs & arduis negocijs uigilandi & precandi. Non enim audebant interdiu conuenire fideles, propter sæuitiam tyrannorum.

Ne intretis in tentationem.] Hoc est periculũ, quod Apostolis erat timendum. Tentatio aderat, de qua in Cœna dixit Dominus: Simon, Satan petijt ut cribret uos sicut triticum, etc. Non autem dicit: ne tentemini, sed ne intretis in tentationem, id est, ne uincemini tentatione futura. Sed hac de re uide suprà capite sexto, ibi. Et ne nos inducas in tentationem.

Spiritus quidem promptus, caro autem infirma.] Rationem adiungit, ob quam debeant imminente tentatione non dormitare, sed uigilare & orare, ne in tentationem intrent. Ea est carnis infirmitas. Hanc nondum erant experti Apostoli, quanq̃ ea ipsa sese perdormitantiam istam satis prodebat. Et quoniam præsumpserant spiritus alacritate, quod mori quoq; cum ipso uellent, ea uerò spiritus promptitudo imbecillior erat, quàm quæ carnis infirmitati robur esset additura. Admonet illi non esse fidendum, cum dicit: Spiritus quidem promptus est. Q. d. at ut uidetis carnis infirmitate superatur. Proinde uigilate & orate, ut ope diuina sustentemini in futura tentatione: quandoquidem spiritus uestri alacritas, qua paulo ante mori mecum uolebatis, ne unam quidem horulam carnis potest excludere somnolentiam.

Admonemur hoc loco, ut nunquàm obliuiscamur, quæ sit carnis nostræ infirmitas, ne spiritus præsumptione & alacritate seducamur & securi reddamur. Puerorum ingenium est maiora præsumere de uiribus suis q̃ præstare per ætatem & corporis robur possunt. Animus enim in illis alacrior est, quàm cui corporis

uires

uires satisfacere poßint. Deest illis propriæ infirmitatis experientia, quam plerunq; non sine damno acquirunt, dum imprudentius maiora uiribus suis tentant. Discamus itaq; uel in pueris, q̃ necesse sit, ut carnis nostræ infirmitate considerata cauti simus, & uigilantes in oratione ad Deũ, ne nos astu & tentatione Satanæ adobrui sinat. Est aũt uetus Satanæ astus, ut infirma nostra tentet, inq; illis materiã superandi nos uenetur. Itaq; quisquis sapit, nunq̃ securus erit ab ista Satanæ uersutia, sed perpetua sollicitudine uigilabit, ne ibi uincatur, ubi nouit se ut infirmũ, ita tentationibus quoq; Satanæ obnoxium. Ita solent uigilãtes in bello duces, ubi obsidentur ab hostibus, ibi potißimũ sedulo excubare, ubi norunt ciuitatis propugnacula esse infirmiora. Sciũt enim eam partem urbis insidijs hostiũ potißimũ expositam esse.

Tres sunt hominis partes. Spiritus, anima & corpus. Spiritus est in homine, id quod Græci uocant νοερόν, id est, principale rationẽ intelligentes, qua separamur à bestijs. Hanc etiã mentem uocamus. Hac parte iudicamus & quæ bona uidentur expetimus. Anima est, qua uiuimus & corpori cõiungimur. Corpus est uisibile illud uasculũ, terrenũ, corruptibile & mortale. Spiritus, mox atq; per fidem & cognitionẽ Dei uirtute spiritus sancti regeneratus est Deo seruit & uolũtate illius delectatur, promptus & alacriter ad cœlestia. Anima uerò (id est animales illi sensus & affectus, propter terreni corporis coniunctionem, terreni & carnales) non ita citò obtemperat spiritui, sicut spiritus Deo. Retardatur enim carnis affectibus, ut imperio spiritus regenerati difficulter obediat, imò plerunq; reluctatur etiam. Sic Paulus dixit se mente seruire legi Dei, & carne legi peccati. Et carnẽ concupiscere aduersus spiritũ, & spiritum aduersus carnem. Ista carnis tergiuersatio, quam Christus hic infirmitatẽ uocat, durat in sanctis donec in hac uita sunt. Et quoniã Satanæ per experientiam bene cognita est, totus huc incumbit, ut sicut infirmam Adæ portionem mulierẽ tentando aggressus est, & uirũ deinde per mulierẽ: ita in omnibus sanctis carnis infirmitatem primũ, deinde per hanc & ipsum spiritũ adoritur, uel illecebris uel rebus acerbis à studio recti auocans, ut uincat & perdat. Hanc carnis infirmitatẽ & recalcitrationẽ nõ experiũtur, qui ut carnales toti sunt, ita & carnaliter uiuunt. Spiritu siquidem nõ ducuntur ad spiritalia, cuius ductui caro poßit aduersari, sed ipse quoq; spiritus per cõiunctionẽ animati & terreni corporis brutescit & terrenis ducitur. Hi uerò experiuntur, qui fide sunt regenerati, & qui spiritu filiorum Dei præditi spiritalia sapiunt, & cupidè sectantur. Quapropter & isti soli tentationibus Satanæ petũtur. Carnales enim, qui toti ad uoluntatẽ Satanæ uiuũt, & ab illo captiui tenentur, ut quid & tentarentur? Est itaq; ista Christi admonitio, qua dicit: Vigilate & orate, ne intretis in tentationẽ. Spiritus quidem promptus, at caro infirma, talis, quæ ad solos discipulos & pios è regno & captiuitate Satanæ iam liberatos, spiritu regeneratos, in castris Christi militantes, bellumq; cum Satanæ gerentes, pertineat.

Rursus altera uice abijt, & orauit, dicens: Pater mi, &c. Item: Et relictis illis iterũ abijt & orauit, tertio eundem sermonem.] Primum hic quærendum est, quare secundo ac tertio calicem hunc deprecatus sit, cum tamen in prima oratione uoluntatem suam patris uoluntati coniunxerit, dicens: Veruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu. Sic solet caro crucem horrens. Ea est pugna carnis & spiritus. Caro uicta subinde recurrit, donec prorsus prævalenti spiritui subijciatur. Seruit hic locus consolationi piorũ sub cruce degentiũ, ne putent se frustra spiritu Deo subijci, sicubi caro pro suo ingenio crucis deprecationẽ iterum atq; iterũ extorserit. Deinde notandũ est ex eo quod dicit: Si nõ potest hic calix transire nisi bibam illũ, duplicẽ esse uiam, qua calix paßionis transeat. Vna, ut non bibatur. Hæc est quam caro quærit. Altera, ut bibatur, et sic transeat. Ista est secundũ uoluntatẽ Dei: Ergo calix, quem bibunt cum Christo electi calix est non permanens, sed transiens, & bibendo quoq; transiens. Certè talis calix est mors corporis à qua liberari nõ possumus, nisi bibatur. Pota uerò omnino trãsit. Mors uerò animæ, æterna illa quæ nunq̃ cessabit, calix est non transiẽs, nisi prima uia, ita ut nõ bibatur, (ut & ab electis nõ bibetur) sed permanens omnibus illis à quibus bibetur. Reliqui calices omnes hoc habent, ut dum bibuntur, transeãt. Dicamus itaq; & nos cum Christo: Si non potest hic calix transire, ut non bibã, sicut ego cuperẽ, sed necesse est, ut potus transeat sicut tu uis, bene, fiat uoluntas tua: ut illum bibam & bibendo transeat. 1 2 Sic transibat calix Niniue

Dormite iam & requiescite.] Vt quid eos dormire iubet & requiescere cum antea iusserit uigilare & orare, ne inducerẽtur in tentationẽ? An tempus iam tentationis præterierat? Nequaq̃. Iam enim primũ ingruebat hora illa tẽtationis. Cõmentum Origenis de diuplici somno, in loco nihil est. Non enim de alio somno hic loquitur, q̃ de quo antea illos auocauerat, & quo tenebantur illorũ oculi. Non iubet ut dormiant, sed multomagis indicat nihil iam minus esse q̃ dormiendi tẽpus. Imò adesse horã, quæ facile sit somnũ oculis ipsorũ excussura. Quemadmodũ & cum ad Iudam in Cæna dixit: Quod facis fac citius. Non iußit illũ moliri proditionẽ, sed postea q̃ non sustinuit emendari, hoc loquutionis genere obstinatũ traditorẽ obstinationi & futuræ perditioni permisit. Ita hoc loco non iubet dormire & requiescere, sed hoc loquendi modo, quẽ quidam amicã ironiã uocant, ipsi illos experiẽtiæ, mox ad futuræ permittit: quasi discant, non esse dormiendi tẽpus, sed quàmmaximè uigilãdi. Ita solemus cum illis loqui, qui induci nõ possunt, ut quod noxiũ est, omittãt, & quod bonũ est faciãt, cum tẽpus esset respipiscendi, ut ubi iam instat necessitas talis quæ cogat eos, nolint uelint, omittere quod antea utiliter nolebãt, dicamus: Iam lude, bibe, scortare, &c. Non quod serio iubeamus eos hoc facere, cum necessitas uel tẽporis uel casum diuersum cogat: sed quod uelut opprobremus inobedientiã & obstinationẽ, qua cum licuisset respipiscere et tẽporis cõmoditate bene uti, bene monentibus nõ sustinuerũt obtẽperare, cũ iam etiamsi q̃ maximè uellent, non liceat, quod antea licuisset. Adhortatus fuerat Dominus, ut uigilarent & orarent ne induerentur 1 Sed hoc genus opprobrationis nõ competit, ut utantur, nisi illis qui antea admonendi officiũ probe exequuti sunt.

cerentur in tentationem, cum adhuc esset orandi tempus, nondum irruente hora tentationis. Illi uerò nec uigilauerant nec orauerant, sed altum dormierant. Vbi igitur aduenerat proditor cum militum turba, & iam nec orandi, nec dormiendi tempus esset, sed uel periclitandi uel fugiendi, cõmodum ad eos dicit: Iam dormite & requiescite. Q. d. Iam facite, si potestis, quod me adhortante omittere noluistis. Adsunt qui uobis somnũ adimant: Ecce appropinquauit hora, &c. Excitauit nostris temporibus spiritu suo multorum corda Dominus, ut uideant seculi præsentis cum in religione, tum in uitæ conuersatione corruptionẽ, illamq; fideliter arguant, & ad resipiscentiam quosuis, dum adhuc tempus est uocent antequã irritata patientia Dei excitetur tempestas, cui irruenti nequeamus obsistere, cumq; etiam clausa misericordiæ Dei ianua frustra simus gratiã petituri. Rogo, qui hoc faciunt, quid aliud faciunt quàm quod cum Christo, altũ stertentes è somno quo detinentur, ad uigilandum, resipiscendum, & diuinã clementiam ambiendum excitant? Illi uicißim quid? Surdis auribus omnẽ inclamationẽ negligunt, & studijs suis prauis quàm profundißime indormiunt. Quousq; ? Donec irruente flagello Dei, quod nolint uelint cogantur peruersa illa studia quibus nunc mordicus immorãtur, deserere quidem, sed nimis sero, ut & ipsi tum audiant: Dormite iam somnum uestrum, iam adorate idola, iam missate, iam Deum & homines ludite, iam in bonis Ecclesiæ delitiemini, iam dominemini in grege Domini, iam edite ac bibite, iam superbite, iam scortemini, &c. Quòd si crudelitas Turcica, irascente peccatis nostris Deo, etiam Germaniam, & reliquam Europæ partem iuxta Lactantij uaticinium opprimat, an non istam opprobrationem promeruisse uidebimur?

Rom. 13 Hora est iam nos e somno surgere.

Ecce appropinquauit hora, & filius hominis traditur.] Hoc ideò cõmemorat, ut intelligant iam nihil esse minus quàm dormiendi tempus. Q. d. Hora adest, ut capiar, adsunt hostes, qui mihi manus injiciãt, & uos dormitis? Hora hæc aliud exigit. Iam non poteritis amplius dormire, surgite, &c.

1 Ante hãc horam nõ permittitur quicquam male uolis in iustos. Sic Lucæ xxij. Quotidie apud uos eram in templo docens, & non tenuistis me. Sed hæc est hora uestra & potestas tenebrarum.

Notandum est, quod tempus illud captiuitatis suæ uocat horam, id certum ac determinatũ tempus. Alibi uocatur ipsius hora. Vt Ioan. 7. Quærebant ergo eum apprehẽdere, sed nemo misit in illum manus, quia nondum uenerat hora eius. Admonemur igitur hic, cuiq; suum esse certum ac determinatum tempus, cum uiuendi tum moriendi.

Ecce appropinquauit.] Hora unicuiq; diuinitus constituta, non impeditur aliqua statione, sed est in progressu accelerans & ueniens. Sic Ioan. 12. Venit hora ut clarificetur filius tuus. Item: Quia uenit hora, ut transiret ex hoc mundo. Ioan. 16. Quia uenit hora eius. Et 17. Venit hora clarifica filium tuum. Istum horarũ accursum quæso quotusquisq; cõsiderat, & obseruat? Iam etiamsi dormiamus & planè ad omnia temporis momenta stupidi simus, nihilominus uerum est illud: Tempora labuntur, &c. Hora uenit, & nauis ipsa qua ferimur, ad suam metam dilabitur.

In manus peccatorum.] Ne hoc prætereundum est, quod dicit se tradendum esse in manus peccatorum. Peccatores hoc loco, quemadmodum & multis alijs, nõ sunt intelligendi tales quales omnes mortales sunt, sed omnino impij, & nullo Dei timore præditi, quales Psal. 22. מרעים id est, malicioſi, cum dicit: Et concilium malignantium obsedit me, & Act. 2. ἀνόμοι iniqui uocantur, ubi Petrus dicit: Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, prehendistis per manus iniquorum & crucifigentes interemistis. Eosdem & Christus hic intelligit, cum dicit: Et filius hominis tradetur in manus peccatorum. Hoc est, hora iam adest, ut impijs, reprobis, ac iniquis hominibus copia fiat & potestas super filium hominis, ut pro ipsorum improbitate uim illi inferant, condemnent, conspuant, & crucifigant. Tantundem est, quod dicit: Et filius hominis traditur in manus peccatorum. Plus enim est quàm si dicat: Et filius hominis capietur & adfligetur à peccatoribus. In manus quippe peccatorum tradi, est in omnem illorum potestatem & libidinem tradi.

Quid est autem, quod peccatores eos uocat, quibus se tradi dicit? An non satis erat dicere: Ecce appropinquauit hora, ut filius hominis tradatur et capiatur? uel, ut filius hominis tradatur in manus principũ, sacerdotum ac seniorũ populi. Nam infra dicet Euangelista militum turbam quæ ad capiendum Iesum uenerat missam esse à principibus sacerdotum ac senioribus populi. Quare dicit: Et filius hominis traditur in manus peccatorum? Non caret ratione, non caret doctrina, non caret consolatione præsens locus. Primum faciebat adinculcandam & defensandam Christi innocentiam, quod dixit se in manus peccatorum tradi, id est in potestatem ac libidinem malignorũ, ut indicet se innocenter tradendum, & quæ futura ipsi erant per iniuriam inferenda, utpote ab improbis ac peccatoribus. Licet enim diuino consilio & ex prædestinatione patris esset tradendus, nihilominus non erant iustificandi uiolentiæ & iniustæ mortis ministri, ne Christi, agni immaculati innocentia obscuraretur. Ad doctrinã & consolationem facit hic locus, ut intelligamus diuinæ dispensationis moderationem, qua reprobis ad filiorum suorũ disciplinã utitur. Non solum punit reprobos, pro iustitiæ suæ norma, sed & erudit & castigat iustos, pro paternæ dignationis prouidentia. Ad puniendos reprobos, iustorũ utitur ministerio ad castigandum & probandum iustos, seruitute reproborum, etiam ipsius Satanæ. Vbi in mortẽ erat dandus unigenitus, opus habuit manibus peccatorum. Quis enim iustorũ sustinuisset occidere hominem innocentißimum? Quando suos per iniuriæ tolerantiã exercet, & cruce, quam iuxta seculum nõ meruerunt, probat, necesse habet malorum opera. Iustus quippe nõ potest iniurijs afficere iustum. Impius uerò pro ingenij sui malicia ad eam rem est accõmodißimus ac promptißimus. Quis non uorat ouem. Luporũ est, qui ad hoc natus uidetur. Diuersa est functio magistratus. Huius officium est punire malos, defendere bonos. Non cõuenit itaq; ut is malis utatur ministris, cũ omnia posßit per iustos exequi. Cum itaq; Christus esset insons, & nihilominus contemnendus, summa iniuria afficiendus, conspuendus, flagellandus,

gellandus, irridendus, perforandus, crucifigendus, blasphemandus ac summa inhumanitate tractandus, nec possent ista iustorum manibus fieri, opus erat ministerio reproborum ac peccatorum. Hoc est, quod dicit: Et filius hominis traditur in manus peccatorum. Non qui respectu diuinæ uoluntatis ista faceret, sed qui odio, inuidia, & cordis prauitate ac cæcitate inducti, nullo prorsus Dei respectu, nisi simulato omnia exequerẽtur.

Ex eo uidemus quàm longè abesse debeat, ut ab improbis per iniuriam adflicti ægre feramus. Est enim hoc genus passionis filiorum Dei. Tametsi enim & nonnunquam pro suis delictis meritò ab alijs iustis ex officio corrigantur, habent tamen illud commune cum reprobis. Quando uerò ab iniustis per iniuriam adfliguntur, id habent peculiare cum Christo capite, tanquam selectissimam paternæ bonitatis prouidentiam.

Surgite eamus, ecce appropinquauit, qui me tradit.] Hæc propterea commemorantur, ut sciamus illum animo iam parato ac prompto, gnarum omnium eorum quæ passurus erat, obuiam processisse peccatoribus, à quibus erat capiẽdus. Sic & Ioannes dicit: Iesus itaq; sciens omnia, quæ uentura erant super se, processit ac dixit eis: Quem quæritis? Videmus hoc exemplo, quid & nos deceat, ubi hora adest, ut quod diuinitus impositum est patiamur. Post luctam et mœstitiam carnis, post orationem ad patrem, post propriæ uoluntatis resignationem, paratus iam ad mortem sese sistit. Ad hanc formam oportet, ut & nos componamur. Caro quidem ut supra dictum, infirma, aliquandiu reluctatur ac crucem deprecatur, uerum confortato tandem per orationem spiritu fiducia resumenda est, & animo sponta neo calix propinatus à Deo bibendus.

Qui me tradit.] Cur non dicit: Adsunt qui me capient? Quid est, quod traditoris meminit? Plus culpæ erat in traditore quàm in cohorte militari. Sic & ad Pilatum dicebat: Qui me tibi tradiderunt, maius peccatũ habent: Deinde cur non dicit: Adest Iudas? Non intellexissent, quid periculi esset ab aduentu Iudæ cõdiscipuli. Vbi uerò dicit, appropinquauit qui me tradit, absq; dubio facit, ut cõmoti exiliant. Tantum enim non dicit: In Cæna prædixi uobis, quod unus ex duodecim ex uestro numero sit me traditurus. Rogastis quis ille sit, nec tamen intellexistis: deinde negastis omnes. Iam uerò surgite ut eamus. adest enim de quo uobis dixi, qui me tradit. Iam uidetis, quod uerum uobis dixerim.

Adhuc eo loquente, ecce Iudas unus de numero duodecim uenit, & cum eo turba multa cum gladijs et fustibus, missi à principibus sacerdotum, & senioribus populi. Is uerò qui prodebat eum, dedit illis signum, dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Et confestim accedẽs ad Iesum, dixit: Aue Rabbi. Et osculatus est eum. Dixitq; illi Iesus: Amice, ad quid ades?

Dixit Christus ad somnolentos discipulos: Ecce appropinquauit hora, & filius hominis traditur in manus peccatorum. Iam consequenter quomodo id factum sit, Euãgelista describit, cum dicit: Adhuc eo loquẽte, ecce Iudas, &c. Sunt autem hoc loco ista notanda.

Adhuc eo loquente, ecce Iudas.] Dormientibus discipulis, idq; selectioribus, Petro, Iacobo, & Ioanne, Iudas non dormit, sed sedulo uigilat, & satagit quod cœperat proditionis opus ad finẽ perducere. Videmus hoc exẽplo prauitatẽ humani ingenij, qua fit ut uigilantiores sint ad malum reprobi, quàm ad bonũ pij. Sacerdotes, Scribæ, Pharisæi, & seniores populi nacti sunt ad perdendũ Christum uigilantes ministros: Christus uerò quos habet discipulos ad orationem & necessariam uigilantiã permouere non potest. Sed malos lucri ac quæstus spes uigilãtiores reddit, quàm pios professionis officium, aut gloriæ Dei, uel salutis propriæ habẽda ratio. 1

Ecce Iudas unus de numero duodecim uenit, & cum eo turba multa.] Non dicit: Ecce turba multa, & Iudas cum illis, sed: ecce Iudas uenit, & cũ eo turba multa. Igitur dux erat huius turbæ, quæ ad capiendum Christum erat missa. Sic Lucas: Et qui uocatur Iudas, unus è duodecim, antecedebat eos. Et Ioannes dicit Iudam accepisse cohortem & ministros, &c. Militant itaq; sub Iuda Christi discipulo hostes Christi, contra Christum. Vide quid faciat φιλαργυρία. Debebat uel ipsum armatorum cõspectum horrere discipulus Christi, uerum tanta uis est φιλαργυρίας, ut confestim ex Christi discipulo faciat ducem militum improborum, ad perdendum Christum, qui pro Christo nihil non ferre debebat. 2

Cum gladijs ac fustibus.] Quid opus erat armis contra inermem & imbellem? Quid negocij erat Christi discipulo cum turba & cohorte militari? Duo uidentur in causa fuisse. Vnum, ne defenderetur uel à discipulis, uel à uulgo qualicunq;. Solent enim impij in patrandis sceleribus suis ea timere quæ timenda non sunt, & uicißim de illis quæ uerè timẽda sunt, nullo prorsus metu teneri. Ad capiendum Christũ non erat opus armis. Licet enim Petrus nõnihil reluctari tentauerit. Frustra tamen id fecit, non permittente Christo. Proinde non erat aliqua hostibus Christi aduersaria uis metuenda. Timenda erat ira Dei. At de illa securi erant. Alterum, ut forma seruaretur capiundi Christi, tanq; hominis seditiosi et hæretici. Et huc faciebat, quod nõ quæuis turba, sed à sacerdotibus, Scribis, Pharisæis, & senioribus populi missa cum proditore egressa est. Itẽ quod à præside Rom. Imperij cohors militũ accepta est. Huc enim tendebat consilium Satanæ, ut nõ simpliciter occideretur Christus, sed occideretur uelut homo perniciosus ac seditiosus per potestatẽ legitimam, ad instantiam sacerdotum, Scribarum, Pharisæorum & seniorum populi. 3

Obiter hic notandum est quot & qualia hominum genera contra Christum concurrant. Primum sacerdotes cum Scribis, Pharisæis ac senioribus populi: Deinde Iudas Christi fucatus discipulus, Magistri sui proditor. Tertio, Præses Romani magistratus administrator, à quo ad capiendum Christum sumitur militum cohors. Quarto, ipsa militum cohors. Quinto, Sacerdotũ, Scribarum ac Pharisæorum ministri. Hi omnes & religione, & professione, & uitæ studio diuersi, in capiendo

Christo

Christo conspirant. Eiusdem religionis non erant sacerdotes & præses, nec Iudas & turba quam secũ sumpserat. Illi Iudæi, isti Gentes erant. Eiusdẽ quoq; professionis nõ erant. Sacerdotes rerum spiritalium. Præses uerò secularium curam gerebat. Milites præsidis armati, Iudas Christi pacifici & inermis minister erat. Quid ergo tam diuersos coniungit? Quid singulos ad tantum facinus impellit? Sacerdotes tenebantur & agebantur insatiabili erga Christum odio, per cuius doctrinæ & uirtutis splendorem sentiebãt regno suo plurimum decedere. Horum ministri, ut fieri solet, gratificabantur Dominorum suorum affectibus. Iudas proditor excæcatus erat auaritiæ studio. Præses partim cauebat tranquillitati Imperij: partim gratificabatur sacerdotibus. Milites obediebant iussui præsidis, nulla habita iustitiæ cognoscendæ ratione. In sacerdotibus imago est carnalis sacerdotij, eorum qui religionis nomine gloriam huius mundi & opes terrenas uenantur, imò iam obtinuerunt, & gloriosi opulentiq; pro libidine regnant. Huic ordini intolerabilis est doctrina ueritatis. In Iuda exemplum eorum est, qui ueritatis doctrinam professi, in φιλαργυρίαν dilabuntur, & huius gratia cum carnalibus & fucatis sacerdotibus qui plurimũ cõferre queãt ad prodendum ueritatem conspirant. Præses hoc loco, typum eorum gerit, qui ita rerum terrenarum gubernationem instituunt, ut uel in gratiam Episcoporum potentum, uel propter cauendam publicæ pacis disturbationẽ, aut metu superioris potestatis, ad opprimendam ueritatis doctrinã operam suam ueritatis hostibus, ipsi non hostes, impendant. Cohors militum omnes eos refert, qui nulla cuiusquam religionis ratione mouentur, sed stipendij & lucri gratia, potestatibus ad quæuis siue per fas siue per nefas gerenda seruiunt. Ministri sacerdotum, Scribarum, & Pharisæorum omnes eos repræsentabant, quibus sacerdotalis quæstus & fastus lucro est. Hæc hominum genera, sicubi obtinuerint, quæso quid aliud doctrinæ ueritatis timendum est, quàm quod hic ipsi Christo accidit?

4 Is uerò qui prodebat eum, dederat illis signum.] Signum uidelicet proditionis, quo certò cognosceretur & caperetur Christus. Sed quid opus signo ad cognoscendum eum, qui quotidie in templo in medio ipsorum docuerat, & iam obuius quoq; prodibat, utq; in Ioanne legitur, non solum quærebat quem quærerẽt, sed diserte quoq; se eum ipsum esse respondebat? Origenes dicit traditionẽ hanc de Christo à maioribus uenisse quod facies ipsius uaria secundum aspicientium dignitatẽ fuerit, atq; ideò non statim cuiuis ad cognoscendum exposita. Hoc sciuisse Iudam, atq; ideò, ne pro Christo aliquem ex discipulis caperent, signo uti uoluisse. Meo iudicio, non est opus hac traditione. Milites qui mittebantur non tantam habuerunt Christi notitiã, ut in nocturna caligine timendum illis non fuerit, ne non eum, qui quærebatur appræhenderẽt. Licet enim facibus usi sint & laternis, adhuc tamen opus habuerũt aliquo indicio. Putabat Iudas omnia esse uigilanter & astutè agenda, in capiendo Christo, ne manibus ipsorum elaberetur. Quærebat enim pecuniam, quam accepturus non erat, nisi capto Christo. Ideò dicebat: Quemcunq; osculatus fuero, ipse est compræhendite illum, & abducite caute. Vt in Marco est.

Quemcunq; osculatus fuero] Quid opus tali signo? Cur non aperto indicio usus est? Discipulus erat, non ex manifestis hostibus. Quod agebat, occultũ erat, nemini nisi sacerdotibus & turbæ quæ sequebatur, cognitum. Proditionis notam & infamiam fugiebat, ideò conscientiam Christi & condiscipulorum fallere instituebat: Deinde cauere uolebat ne dolus à Christo et condiscipulis sentiretur, & caueretur. Ideò utitur osculo, quod amicitiæ symbolum habet. Cur autem amicitiam simulent proditores, nemo est qui ignoret. Seducere uolunt, ideò simulatione amicitiæ utũtur, ut fallant. Nemo quippe facile sustinet scienter aperto dolo seduci. Frustra inquit ille iacitur rete ante oculos pennatorũ. Singularem habet maliciam ingenium hoc impiorũ. Vide historias Saulis erga Dauidem, Ioab erga Amasam, Herodis erga Christum adhuc infantem cum dicebat ad Magos: ut & ego ueniens adorem eum. 1 Sam. 18 2 Sam. 20 Matth. 2

Et confestim inquit accedens ad Iesum, dixit: Aue Rabbi, & osculatus est eum. Non est putandum, quod insolens fuerit factum hoc Iudæ. Consuetum erat discipulis alicundè uenientibus ita salutare & osculari Christum, ad testandum amoris & reuerentiæ erga ipsum affectum. Amoris affectum exprimit osculum & salutatio, reuerentiam habet appellatio Rabbi. Hæc duo simulabat & Iudas, licet corde esset infyncero. Videmus itaq; hoc loco, quæ sit sors Christi. Iam tum deliniebatur eorum figura, qui ueluti osculo, religionis simulatione ueritatem Christi produnt. Quid enim aliud faciunt, qui cum non Christũ, sed quæ sua sunt ipsorum quærunt, præcipuam erga Christum religionem per hypocrisim mortalibus obijciunt, pro uili quæstu ueritatem prodentes?

ET HOC NOTANDVM.

Qui cum Iuda erant, nihil offenduntur simulationis huius improbitate, qua discipulus præceptorẽ osculo tam imprudenter sub ipsorum conscientia prodebat. Similes uidelicet habebant labra lactucas. Tales & hodie plerosq;, sanè multos uidemus, qui cum sciant quorundam hypocrisim, sacris tamen ipsorum inoffense utuntur, ob eam uidelicet rationẽ, quod affectibus ipsorum conueniant ac seruiant. Nec in religione tantum hoc malum, sed & passim inter reliquos mortales inualuit. Vbiq; obtinet simulatio, nusquam non est omnium rarissima synceritas. Hinc fit ut pauciss imi sint, qui obsequium simulatorum fugiant. Simulator simulatore utitur, & nihil cauet nisi ne ipse decipiatur.

Amice, ad quid ades?] Quid opus erat quærere ad quid adesset discipulus? Nõ ignorat Christus, ad quid adsit proditor, sed conscientiam illius stimulat, ut intelligat clam se non esse dolum, quo utitur. Ideò ut in Luca est, addit: Iuda, osculo filiũ hominis prodis? Quod igitur amicum uocat, & rogat cur adsit, tantundem est ac si dicat: ô Iuda, amicitiam simulas osculo, & filium hominis Rabbi uocas, putasq; me ignorare quid agas, sed cõscientiã tuã obtestor, dic ad quid ades? Ad quid uteris 6

osculo

ósculo isto? Non me fugit, quod filiũ hominis hoc ósculo prodis. Vox ista Christi grauissima erit omnibus hypocritarum conscientijs. Quod enim hic uerbis Iudæ dicitur: Amice ad quid ades? hoc absq; dubio occurret omnium simulatorũ conscientijs, ut cogitent intra se ac dicant: Amice, quid facis? Quid queris? Et utinam audiant hanc conscientiæ suæ uocem in hac uita, dum adhuc resipiscendi tempus est, antequam desperatione cum Iuda adobruti tandem ubi nihil proderit exclament. Peccauimus, tradentes sanguinem innoxium: uel audiant in extremo iudicio ab ipso Domino: Amici, quomodo huc intrastis, cum nõ habeatis uestes nuptiales: uel quod peius erit, cum sitis hypocritæ ac proditores? Certè tũ obmutescẽt, quũ nunc sint clamosissimi.

Matth. 22

Tunc accesserunt, & manus iniecerũt in Iesum, & cœperunt eum.

Nisi Iohannes, quid factum sit antequàm caperetur cõmemoraret, haud immeritò poterat gloriæ Christi amans aliquam hoc loco potentiæ illius significationem desiderare. Verum ex Ioanne discimus, quãta cum confidentia turbæ isti militari obuium sese dederit, quemq; quærerent interrogauerit, & Iesum Nazarenum se quærere respondentibus dixerit: Ego sum. Atq; isto uerbo omnem hanc turbam retroactam in terram prostrauerit, ac tum demum capi se passus sit.

1 Quæsiuit quem quærerẽt, cum alioqui sciret, quod se quærerent. Verum diligenter omni hic reiecto metu, bonæ conscientiæ, quæ sibi nullius esset mali conscia, formam & ingenium seruare uoluit. Atq; ideò secundo rogauit: Quem quærerent. secundoq; se eum ipsum esse respondit. Hoc exemplo & nostrum est, quicquid pro ueritate ab impijs ferendum sit, ita nos gerere, ut bonæ conscientiæ significationẽ luculentam aduersarijs obijciamus. Quod uerbo turbam aduersariam ad terram prosternit, ad hoc facit, ut declaret, quid posset si uellet, quàm ipsi in se nihil possent, nisi ita constitutum esset, ut pateretur. Deinde præmonstrandum erat, quomodo omnes tandem regni dei hostes casuri essent. In typo isto quidem, ubi subeunda crux erat, ad quam exigebatur diuina dispositione impiorum opera, permissi sunt surgere prostrati, & ceptũ prosequi in ipsa ueritate, uero ubi non hoc agetur, ut Christus patiatur, sed ut impij perdantur, ita cadent, ut nunquàm surgere queant.

Et ecce unus ex his, qui erant cum Iesu, extendens manum, exemit gladium suum, & percutiens seruum principis sacerdotum, amputauit auriculam eius. Tunc ait illi Iesus: Conuerte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas quod non possum nunc rogare patrem meum, & exhibebit mihi plus quàm duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ? quod sic oportet fieri.

Iohannes utriusq; nomina ponit, cum qui percussit, tum qui percussus scribitur. Simon Petrus inquit, cum haberet gladium eduxit eum & percussit Pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen seruo Malchus. Petrus hoc facto ostendit amorem suum & feruorem spiritus erga Christum, opere uolens præstare quod in Cæna pollicitus fuerat. Sed cur non alium æquè ac Pontificis seruum percutit? Scilicet uidebat illum in capiendo Christo reliquis esse urgentiorem, & forsan cum primis manus illi iniscientem, ut bonum sese Domini sui famulum ostenderet. Iste seruus imaginem habet omnium eorum qui hodie pro Episcopis contra uerbum Domini sedulo famulantur. Nec caret mysterio, quod dexteram illi auriculam amputat, quam tamen Dominus, ut in Luca est, in locum suum integram restituit. Auricula, maximè dextera symbolum habet obedientiæ fidei, audiendi uidelicet uerbi Dei. Illa etiamnum carent serui Pontificum, nisi Dominus eam illis restituat.

Conuerte gladium tuum.] Locus hic bene notandus est omnibus subditis. Iudicio rationis Petrus hic nihil uidetur peccare, imò magis facere quod uirum bonum deceat, dum licet uiribus impar, animo tamen & conatu fidelis, magistrum suum è manibus peccatorum uindicare conatur, ut mirum uideri possit, cur iubeat Christus, ut gladium suum condat in uaginam, quem nõ ad cuiusquam iniuriam, sed ad innocentis præceptoris defensionem exemerat. Verum Christus officium hoc Petri, tanquàm illicitum reprobat, idq; ut ex redditis rationibus patet, duplici nomine.

Primo, quod uis illa, quam gladio auertere conabatur Petrus non uulgariter ac temerè à quoquam, sed iussu magistratus, inferebatur. Ista licet iniusta fuerit et manibus peccatorum, nomine quoq; impiorum, & consensu magistratus gentilis & impij illata: gladio tamen subditorum, è quorum numero Petrus erat, reprimi nõ debebat. Huc facit, quod dicit: Omnis qui gladium accipit (intellige extra officium gladij administrandi) gladio peribit. Vsurpabat enim munus sibi non concreditum, contra ius & uoluntatem Dei. Quod dicit gladio peribit, idem est ac si diceret, illicito gladij usu, iustam in se magistratus uindictam & ultionem prouocat, ut gladio pereat. Perinde ac si adolescens in Scholis uirgam usurpet, etiam ubi immeritò uiderit quenquam uapulare, ipse meritò uirga uapulat. Non est igitur subditorum, ut uim à magistratu insonti cuipiam illatam ui reprimãt. Precario intercedere possunt, cõdolere possunt, & ingemiscere: deinde cogitare, si hoc in uiridi, quid futurũ sit in arido. Adhæc orare ad Deum pro magistratu, ut peccatũ suũ aliquãdo cognoscãt et emendẽt. 1

Aliam expositionem, uide in concilio Tiburiensi, cap. vj.

Deinde, quod conatus Petri contra decretum diuinæ uoluntatis pugnabat. Idem enim hic faciebat gladio, quod supra cap. 16. sinistro cõsilio. Voluntas patris erat, ut crucem subiret filius, & oblatio fieret pro peccatis totius mundi agnus ille immaculatus. Isti reluctabatur Petrus, licet toties admonitus à Domino. Occultũ erat hoc mysterium crucis Christi, donec re peracta aperirentur corda discipulorum & exponerentur illis scripturæ, quod ita oportuerit pati Christũ, uide Luc. 24. 2

Hoc

Hoc est, quod dicit: An putas, quod non possum nunc rogare patrem meum, & exhibebit mihi plus quàm duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quod sic oportet fieri? Q.d. Quiesce mi Petre, diuinæ uoluntati reluctari noli. Ita decretum est fieri, scripturas impleri oportet. Calix bibendus est, quem dedit mihi pater. Alioqui, quid opus esset tua opera tantilla, cum possem impetrare à patre plus quàm duodecim angelorum legiones, pro uestra duodecim discipulorum opera, nisi ita oporteret fieri?

1 Ista ratio & nobis obseruanda est: siue patiamur ipsi, siue alios immeriti quicquam ferre uiderimus, cogitemus & nos: Calix quem dedit pater bibendus est, alioqui non relinqueret suos in manibus impiorum.

2 Deinde in Petro hic obseruemus, quàm inepti sint boni etiam alioqui ad ea quæ rectè sunt secundum uoluntatem Dei gerenda, nisi prorsus spiritu Dei ducantur. Petrus suprà quod iussus erat, & licitè poterat facere, non solum non fecit, sed nec induci potuit ut faceret. Vbi hora tentationis appropinquabat, & in mœrore constitutus erat Dominus, uigilare iussus & orare, nec uigilabat nec orabat. Superato postea mœrore, ubi iam patienter erat adeunda crux, hic quod nec iussus erat, nec ipsi licebat fortiter & periculosè quoq; facere conabatur, paratior scilicet ad illicita, quàm licita, ad pugnandum, quàm orandum. Tales hodie plerosq; habet Ecclesia zelotes, qui in causa, cui coniuncti sunt, nullum alium ostendunt feruorem, quàm qualis hic Petri erat, pigri ad orandum & semper parati ad feriendum & ulciscendum. Isti sunt cum Petro tantisper tolerandi & instruendi, donec hunc feruorem deferueant & mitiore spiritu donentur.

In illa hora dixit Iesus turbis: Tanquã ad latronem existis cum gladijs ac fustibus ad compræhendendum me. Quotidie sedebam apud uos in templo docens, & non cepistis me. Hoc autem totum factum est, ut complerentur scripturæ prophetarum.

Suprà dixi, qua ratione turbam hanc cum gladijs & fustibus adeò numerosam & armatam miserint sacerdotes, Scribæ & Pharisæi. Huc Christus respicit isto loco, ut tueatur innocentiam suam, quam uidebat hac forma capturæ peti. Deinde ostendit ista geri non ex ipsorum potestate, nec quicquam eos posse, nisi ita diuinitus iam olim esset constitutum. Nos hic uidemus primum, quàm sit Christiani hominis, utut ad crucem parati, declarare innocentiam suam ubi uiderit illam insidiosè peti. Deinde discimus hoc loco, cuius et suprà memini, ante horam à Deo præfinitam nihil posse aduersus insontes, impiorum conatus. Non dicit: Non conati estis capere me, sed: non cepistis me. Conati enim hoc fuerant, Ioan. 7. Verum nondum uenerat hora. Et uide quàm eos clanculum admoneat eius facti, de quo Ioan. 7 legimus. Missi erant serui Pontificum, ut Dominum in templo caperent. Repererunt docentem, audierunt & stupefacti re infecta abierunt. Rogati à sacerdotibus cur hominem non cepissent, responderunt. Nunquam ad hominem talia docentem. Illi ipsi ergo hic cum appareãt ad capiendum Christum, rectè admonentur facti huius. Q.d. Cur me in templo non cepistis? Audiebatis scilicet & stupebatis, adeoq; indignum putabatis, ut manus in me iniiceretis. Cur id iam facitis? Quia uidelicet ita scripturas adimpleri oportet. Non ergo me iam capitis, uelut captu dignum, cum melius antea de me iudicaueritis: sed ad hoc facinus impellimini cum malicia dominorum uestrorum, tum diuina prouidentia & dispositione. Tertio & hoc notandum est, quod secundo scripturæ commemorantur, quas oportuerit adimpleri: Ergo hic locus nos docet, tantam esse sacrarũ scripturarum ueritatem, ut ne Christi quidem gratia uanescere potuerint, sed necesse fuerit quod spiritus sanctus in scripturis prædixit, præstari. Quid igitur de nobis sentiemus nostrisq; temporibus? An credemus scripturas, nos nostraq; tẽpora cõcernentes, fore mẽdaces?

Tũc discipuli omnes relicto eo fugerunt.

Vide quid caro possit in tribulationibus, etiã apud Apostolos. Vnus prodit. Petrus gladio rem tentat: ubi non permittitur, cum reliquis fugit, & ut audiemus postea, ter negat. Cur ista? Ex metu uidelicet mortis. Tam 1
diu Christum audierant, miracula stupenda & innumera uiderant, & tamen adhuc metu mortis fugiunt. Et 2
qui tandem sunt? Piscatores & pauperes, adeoq; obscuri. Ergo nec paupertas & tenuitas mortis metu uacat, nedum opulentia. A quo fugiunt? Domino, eoq; 3
non absente, sed præsente: deinde iam periclitãte. Quid hinc discimus? Primum uerbi Christi ueritatem. Dixerat enim ex scripturis. Percutiam pastorem & dispergentur oues gregis. Deinde, non posse quenquam pro nomine Christi subire crucem, nisi accepta cœlitus ad ferendũ uirtute. Illa uerò non datur, nisi ubi patiendum est. Non erat hic tempus pugnæ, sed fugæ. Et quia non erat tempus patiendi, ideò nulla dabatur uirtus persistendi & ferendi. Simul & huius admonemur, quod alicubi Græcorũ quisquam dixisse, scribitur: Vir fugiens denuo pugnabit. Fugiunt hic Apostoli, quia non erant cœlesti uirtute corroborati, nec tempus erat illis à Deo præordinatum: ubi uerò pro Domino secundum dispositionem Dei patiendum erat, ibi certè fortiter perstiterunt. Proinde neminem iudicemus, fugæ gratia ignari, quando cuiq; sit pugnandi & patiendi tempus constitutum à Deo.

At illi compræhensum Iesum duxerũt ad Caiapham principem sacerdotũ, ubi Scribæ & seniores conuenerant.

Postquàm Euangelista proditionem Iudæ traditoris: deinde intempestiuos Petri conatus, & fugam discipulorum, capto iam Domino, descripsit, consequenter ex ordine narrat, quò sit abductus, & quibus modis iudicio ac concilio sacerdotali condemnatus.

Compræhensum Iesum duxerunt.] In Ioanne legitur, quod non solum compræhensus sit à cohorte militari, sed & ligatus. Potuit fieri, ut cautionis gratia ligatus sit à militibus. Nam & Iudas, ut est in Marco, iusserat

ſerat,ut comprehenſum cautè abducerent,qua de re ſupra dixi. Verum ita diuino conſilio factum eſt, & ante ſecula ordinatũ, ut uictima illa pro peccatis totius mundi,licet in ſe innocẽs, quia tamen pro nobis maledictum factũ fuerat, non ea forma ad mortem duceretur, quæ innocentiam repræſentaſſet,ſed quæ conueniret in ſpeciem ei,qui omnium in ſe tranſumpſerat peccata,morte ſua delenda. Ideò ut formam geſtaret rei, pro peccatis,licet non ſuis,peccatis tamen plectendi & immolandi, rectè ligabatur. Sic Iſaac cum eſſet typus immolandi Chriſti,ligabatur,Gen. 22.

Hæc Chriſti uincula fideliter nobis ſunt exoſculanda. Per illa quippe ſoluta ſunt noſtra uincula, quibus Satanæ tyrannidi ligati fueramus & obnoxij. Ligatus eſt Chriſtus, ut nos liberaremur, ut & mortuus eſt, ut nos uiuificaremur.

Ad Caiapham principem ſacerdotum.] In Ioanne eſt,quod ad Annam primum eum duxerint. Et redditur ratio,quod is fuerit ſocer Caiaphæ. Abſq; dubio gratificandi gratia hoc fecerunt milites. Sciebant enim gratiſſimũ fore Annæ tanquam ſocero Caiaphæ ſummi ſacerdotis, ſi Ieſum,tanq; intolerabilẽ ſacerdotalis autoritatis ac dignitatis hoſtẽ,ad ipſum primũ abducerent. Caiaphas uerò iſte,aliàs Ioſephus ſi Hieronymo credimus, unius anni Pontificatum pecunia ab Herode coẽmerat. Iam tum ſcilicet delinabatur, ſub quo Pontificum genere infeſtanda eſſet Chriſti ueritas.

Vbi Scribæ & ſeniores cõuenerant.] Licet eſſet adulterinus Pontifex,utputa precio Pontificatum cõtra legem Dei mercatus, tamen quoniam ſimiles habebant labra lactucas, à Scribis & ſenioribus populi, à quibus debebat reſpui,colitur & obſeruatur. Pontifex erat capitalior hoſtis Chriſti, ut qui Pontificatui ſuo timebat, quem magno coẽmerat. Reliqui quæſtus ſacerdotalis erant participes. Ideò, ut omnia corrupta erant in iſto Iudaico ſacerdotio, ita uniuerſi pro regni ſacerdotalis conſeruatione aduerſum Chriſtum conſpirarũt,& conuenerunt, conſulturi,qua ratione illum perderent. Ideò frequentes iam capto Chriſto aderant apud ſummum Pontificem. Quis mirabitur igitur,ſi & hodie ueritati Chriſti accidat, quod Chriſto ipſi tũ accidiſſe legimus?

Petrus autem ſequebatur eum procul uſq; ad atrium principis ſacerdotum. Et ingreſſus intro ſedebat cum miniſtris, ut uideret finem.

Viam ſibi parat Euangeliſta,ad futuram Petri negationem. Quanquam enim & alius quidam diſcipulus,ut Ioannes habet, abductũ Chriſtum ad atrium uſq; Pontificis ſequutus ſit, de Petro tamen duntaxat hic fit mentio, propterea quod ad futuram illius negationem deſcribendam præſtruitur.

1 Videmus aũt hoc Petri exemplo, quàm non debeat nobis rarum uideri, ſi in homine pio, & amor Chriſti, & metus periculi coniungantur. Quod enim fugientibus cæteris diſcipulis, ipſe ſequitur captũ & abductum Dominum, ex amore erat & feruore zeli quo ardebat erga Dominum. Quod uerò non eueſtigio ſequitur,ſed procul,formidinis erat: Ergo rarum non eſt, ſi iſta duo, ardor animi erga Chriſtum, & periculi metus, in homine pio coniungantur.

Obſeruanda deinde eſt hoc loco prouidentia Dei, etiam in firma ſuorũ ad ipſorum ut aliorum utilitatem moderantis ac diſponentis. Audierat Petrus: omnes ſcandalum patiemini in me hac nocte: Deinde de ſe nominatim: Antequam gallus cantet ter me negabis. Præmonitionis huius oblitus ſequitur Dominum, nec obſeruant animi ſui metum, quaſi ad futuram negationem præludentem. Opus igitur erat,ut in ſeipſo primũ uerbi Chriſti ueritatem: deinde propriam imbecillitatem experiretur. Huc deſtinabantur omnia. Igitur licet non hoc animo ſequutus ſit,ut Chriſtum negaret, (non enim dicit Euangeliſta ut negaret Chriſtum, ſed ut uideret finem) ſequitur tamen in eum uſq; locum, ubi negaturus erat Chriſtum. Sein ſoll ſchicKt ſich. Ad hunc uidelicet modum præformandus erat primarij Apoſtoli animus,ut poſtea ab omni arrogantia liberatus, ſciret infirmorum habere rationem.

Tertio. Obſeruandum nobis eſt hoc loco, quàm ad 3
nihil aliud ualeat omnis animi fortitudo, ardor & feruor,etiam in re pia, erga Dominũ, idq; in ſanctis,quàm ad maioris ruinæ occaſionẽ, niſi diuina gratia uel præſeruemur,ne cadamus,uel poſt lapſum erigamur. Quid Petro aliud defuit, quàm ruinæ præſeruatio? Erat illi ſatis feruoris,ſatis amoris,ſatis conatuum, ſatis inquam ſi humanas uires reſpicias. at quoniam aliud erat diuinitus deſtinatum,ad nihil illi hæc omnia ualebant,quàm ad lapſum. Nemo igitur præſumat de ſuis uiribus,neq; alius alium iudicet, ſi ope diuina deſtitutum labi uiderit, neq; multum ſibi polliceatur ex homine quocunq;, utut ſpiritus feruorem erga pietatẽ referente,ſed agnoſcat omnia à diuino pendêre auxilio.

Principes autem ſacerdotum & ſeniores, & totum concilium quærebãt falſum teſtimonium contra Ieſum, ut morti traderent, & non inueniebãt, etiã cum multi falſi teſtes acceſſiſſent, nõ inueniebant.

Supra dixit in domo Caiaphæ congregatos fuiſſe Scribas & ſeniores, interea dum Chriſtus capiebatur. Iam deſcribit ad quid fuerint congregati: nempe ad conſultandum communi conſilio de morte Chriſti. Vocat autem Euangeliſta congregationem iſtam concilium σωέδριον. Quanquam ſciamus omnia quæ Chriſto acciderunt, diuinitus accidiſſe: operæ precium tamen fuerit breuiter hiſtoriam & rationem huius cõcilij expendere. Prodeſt enim pijs diligenter naturã & genium impietatis qua ueritas oppugnatur obſeruaſſe. Redit ad hiſtoriam concilij ſacerdotalis.

In concilio tria uidentur obſeruanda. Primũ, quæ ſit illius ratio. Alterum qui ad concilium cogantur. Tertio, qua iuſtitia & æquitate in cõcilio ſingula inſtituantur. Habemus hic deſcriptum ſacerdotale concilium, nõ ex leuibus ac nihili hominibus, ſed ex ſummis ſacerdotibus, illiſq; omnibus, ut & in Marco, Scribis ac ſenioribus collectum idq; non in prætorio Gentili, ſed in domo ſummi ſacerdotis, ut omnia uideãtur ſanctè & cum

summa grauitate geri. Sed uideamus quale sit hoc sacerdotale concilium.

1 Primum, quæramus, qua ratione concilium hoc sit coactum. Concilij sacerdotalis ratio est, ut si quid in causa religionis et cultus diuini sit corrigendum, aut restaurandum, cõmuni consensu grauiter & prudẽter ne quid temerè committatur, habito consilio statuatur. Nullum igitur in concilio locum habere debet quodcunq; præiudiciũ, nisi unius uerbi Dei, nullum inuidentia, nullum zelus & amarulentia. In hoc uerò concilio sacerdotali longè aliud agitur. Iohan. 11. Legitur de concilio alio præmisso, in quo iam antea concluserant Pontifices & Pharisæi de occidendo Christo. Et hic dicit Matthæus, ut occiderent eum. Non ergo isto concilio quærebatur, ut causa Christi cognosceretur, & ueritati locus daretur, sed hoc unum agebatur, ut Christus captus & ligatus causa non excussa, nisi in speciem, condemnaretur, & Pilato occidendus sisteretur. Neq; enim in eo erant, ut iuste iudicarent, sed ut iustè iudicasse uiderentur.

2 Secundo uideamus qui sint ad hoc sacerdotale concilium coacti. Ad consulta synodica colligendi sunt uiri sancti ac Dei timentes, qui simul ueritatis cognitione & amore sint præditi: quorum iudicio plebs reliqua fidem habere queat, de quibus nemo suspicari possit, quod res suas agant, sed toti in eo sint, ut gloriam Dei promoueant, siue sint in ministerio Ecclesiæ, siue non sint. Hic uerò de alijs non legimus quàm sacerdotibus, Scribis ac senioribus populi, hoc est, insensissimis Christi hostibus non Dei, sed suam gloriam quærentibus. Omnes erant summo sacerdoti obnoxij & obstricti, ut odio concordi inimicitiam Christi professi. Cogita quid & hodie sit expectandum ab illis qui causam ueritatis unanimi furore persequuntur, si ad conciliũ soli uocentur, ut ipsorum sententijs standum sit pijs.

3 Tertio uidendum & hoc, quanta cum iustitia & æquitate causam Christi examinent. Verum quid æquitatis & iustitiæ sperari potest ab illis, qui non ueritatis indagandæ gratia conuenerant, sed tanquam coniurati hostes neci Christi inhiabant? Ideò non expectant accusationem aliquam contra Christum, sed ipsi quærunt testimonia contra illum, eaq; falsa & conficta. Non dicit Euangelista. Totum concilium audiuit testimonium contra Christum, sed quærebat falsum testimonium contra Iesum, ut morti eum traderent. Hoc est, ut uiderentur illum iustè damnasse. Scriptum enim erat in lege: In ore duorum uel trium testium peribit qui interficietur. Verum non habebat lex. In ore duorum uel trium falsorum testium, sed falsum testimonium acriter prohibet, ac falsos testes puniri iubet. In hoc itaq; sacerdotali concilio tanta regnabat iniquitas odio Christi, ut non dubitarent contra manifestam legis prohibitionem, uel falsis testibus subornatis insidiari sanguini innocenti. Tanta uidelicet est animorum excæcatio ex inani gloria & studio quæstus, quo erant infecti sacerdotes & Scribæ. Et hodie uires suas hoc malum exerit.

Deut. 17

DE INNOCENTIA CHRISTI.

Et non inueniebant. etiam cum multi falsi testes accessissent, nõ inueniebãt. Marcus habet. Non erant pauia testimonia. Duo sunt hic notanda. Vnum quãta fuerit Christo uitæ innocentia, ut nec iniquissimi hostes, in tanta falsorũ testium copia, quicquam certi habere potuerint, quod potuisset uel ad speciem illis iusti iudicij sufficere. Magnum est, si cuius innocentia in iustorũ poteat iudicum confessu cõsistere. Quantum est, quod nec iniqui iudices & odio in quo aduersus iustũ flagrantes, inuenire possunt quod ueri similiter damnent? Ista Christi innocentia nõ solum exemplo suo nobis seruit, sed & consolidandæ fidei nostræ gratia probè obseruanda est. Oportebat enim agnum hunc pro nobis immolandum, esse immaculatũ & quàm purissimum. Alioqui non potuissent illius sanguine humani generis repurgari ac deleri peccata. Alterũ, quæ sit hic diuina dispositio, ut spiritus illi mendaces in proferendis testimonijs à seipsis discrepauerint. Ne uidelicet ex falsis testibus accederet isti concilio aliqua iustæ condemnationis species, qua Christi labefactaretur innocentia, quam hostes ipsius summo studio impetebant.

Nouissime aũt uenerũt duo falsi testes, & dixerunt: Hic dixit, possum destruere templũ Dei, & in triduo ædificare illud.

Dixerat Euangelista, multos quidẽ falsos testes contra Iesum surrexisse, nihil tamen esse inuentũ, quod ad illius condemnationem etiam impijssimis, ad innocentis sanguinis effusionem uel in speciem sufficere uideretur. Iam uerò ut ostendat, quales nam fuerint multi illi falsi testes, recitat quid ij protulerint accusationis aduersus Dominum, qui omnium postremo contra ipsum testati sunt. Et tale quid attulerunt, quod uideretur summo Pontifici examinatione dignum, ut ex his postremis conijcere liceat, quàm friuola & falsa reliqui attulerint.

Veniunt autem hoc loco duo quærenda. Primum, Quomodo hos duos Euangelista falsos testes uocet, cum Dominum tale quid dixisse legamus: Nam Ioan. 2. cum è templo eiecisset uendentes & ementes, & numulariorũ mensas subuertisset, atq; ob eam causam à Iudæis compellaretur, quo signo declararet, qua ista potestate faceret, respondit: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Quid ergo falsi habet istorum testimonium? Primum falsum est sensu. Non enim de templo illo lapideo loquutus fuerat Dominus, sed de templo corporis sui. Atq; ita Euangelista mentem uerborũ Christi declarat, cum dicit: At ille dicebat de templo corporis sui. Deinde etiam ipsa Christi uerba deprauauerant, ut calumniam ex illis struere possent. Nõ enim dixerat: Possum destruere templum Dei, uel ut Marcus habet: Ego diruam templum hoc quod manibus est factum, sed: soluite templum hoc. Solutionem templi non sibi usurpauerat, sed ipsis dederat. Ad hæc non dixerat, & in tribus ædificare illud, uel ut Marcus ponit: Et in tribus diebus aliud sine manibus extruã, sed: & in tribus diebus excitabo illud, ad corporis sui excitationem ac resurrectionẽ prospiciens. Itaq; duplici nomine falsi testes erant, uidelicet, cum sensus, tum uerborũ deprauatores ac falsatores. OBSER.

Admonemur itaq; hoc loco, ut in referẽdis aliorum uerbis cauti simus, ne & ipsi falsi testes inueniamur.

Neq;

Neq; enim hi tantum falsi testes sunt, qui quod dictum non est, sed plane fictũ proferunt: sed & hi qui quod dictum est, siue studio, siue per ignorantiam, uel sensu uel uerborum corruptione deprauant & adulterant, maximè si id animo maligno ad nocendũ fiat. Obscurus quidem erat horum Christi uerborũ intellectus, & prima facie nõ potuit aliud intelligi, quàm quod ipsi Iudæi intelligebant, uidelicet quod loqueretur de templo illo lapideo. Et ipsi discipuli primũ post Christi resurrectionem intellexerunt, quod de templo corporis sui non de lapideo illo loquutus sit. Attamen non potuerunt isti testes excusari, quo minus falsorum testium notam gererent, cum non solum adulterinum sensum uerbis Christi dederũt, sed & uerba ipsius peruerterũt quo calumniã, quam struebant, redderent efficaciorem. Ita scilicet malignum est mortalium ingenium, ut quoniam omnis homo mendax est procliue sit ad falsum testimonium concinnandũ, & quod benè potest exponi, peruertendum: addito uel mutato uno & altero uerbulo, ut apparentius reddatur & uerosimilius, atq; ita ad nocendum efficacius, quod falsum est. Et hoc malum hodie passim regnat. Verũ ij quorũ uerba ad hunc modum peruertuntur, maximũ hic habent solatium, quod & Christo ipsi idem accidisse uident. Non est nouũ quod plerunq; quæ à uerbi ministro dicuntur: partim à carnalibus male intelliguntur: partim à malicios is insidiose peruertũtur, cum utrunq; ipsi domino, in quorũ uerbis nihil est quod culpari possit, acciderit. Veruntamen uiderint qui hoc faciunt, quomodo falsi testimonij notam: deinde & pœnam coram iusto iudice effugiant. Alterum, quod hoc loco quærendũ uenit est, Quid damnabile habeant in se uerba Christi, eo sensu quo ab his duobus falsis testibus adducta sunt, uidelicet, de templo illo Salomonis non de templo corporis Dominici intellecta. Nam omnino illa ita citarunt, ut calumniã ex ipsis, quæ ad condemnationem faceret, struerẽt. Vt Matthæus noster recitauit falsum hoc testimonium, nihil etiam hoc sensu uerbis istis inest, quod impium sit & condemnationi obnoxium. Si nanq; dixisset: Possum destruere templum Dei, & in triduo ædificare illud: rogemus Iudæos, quid impij dixisset uel uerum dixisset uel falsum. Si uerũ, nihil habet impij posse destruere templum Dei, modo id non facias. Nam malum facere posse & non facere, laude magis quàm uituperio dignum est. Destructũ uerò templum, præsertim tam operosum, triduo restituere posse omnino diuinam uirtutẽ sapit nõ humanã. Si uerò falsum dixisset, nihil aliud in his uerbis condemnari potuisset, q̃ uana quædam temeritas, quam plus proprijs uiribus tribuisset quàm præstare potuisset. At hoc non fuisset tale uitium quod morte potuisset multari. Quis enim morte dignum iudicabit, si quisquam ita desipiat, ut dicat se posse cœlum & terrã destruere, et in triduo restituere? Solent huiusmodi magis rideri, quàm morte plecti.

Verum ut à Marco recitatur hoc falsum testimoniũ, inest talis calumnia quæ impietatẽ in speciem sapit, temeritati de qua iam dixi coniunctã. Nam non solũ posse destruere templum Dei, sed uelle etiã, & facturũ se hoc dicere, (Id nanq; uidetur uelle quod dicunt illũ dixisse: Ego diruam templum hoc quod est manibus factum) id demum ad calumniam paratũ erat. Et hoc scilicet erat, quod isti testes in uerbis Christi accusabant ac deferebant, tanq̃ summum piaculum morte puniendũ. Templum enim Dei uelle destruere, animũ uidetur resipere Deo & cultui dei inimicũ. Quòd si hoc putabãt Domino obijciendum, cur non quod sequitur, expenderũt, & tribus diebus aliud sine manibus factũ extruam? hoc est, quod sit isto melius. Non potest iure destructor templi Dei dici, qui templũ Dei non hoc animo destruit, ut destructum sit, sed ut melius substituatur. At non credebãt hoc illum præstare posse. Cur ergo cædendũ & damnandum putant, quod de templi destructione præmittunt, cum & illud ipsum uires humanas superaret? Ad hunc itaq; modum falsum hoc testimonium, etiam si hoc sensu dicta essent à Christo hæc uerba, nihil habebat in se, quod ad mortem inferendam sufficisset.

OBSER.

Videmus hic exemplum excæcationis. Hoc ipsum quod conãtur Christo impingere, uidelicet destructionem tẽpli Dei, ipsi omniũ impijssimè moliũtur. Quanto enim sacratius est templum corpus Christi filij Dei templo illo lapideo, tanto maior est impietas qua ipsi Christo necem parabãt quàm fuisset ea, quam Christo impingebant, etiamsi id conatus fuisset, ut templum Dei lapideum destrueret. Sed ista cæcitas ortũ habet ex superstitione, non ex uera religione. Superstitio est plus curare & sanctius æstimare templũ lapideum, quàm templum spiritale, quod est animus hominis pij. Et ex ista superstitione nata est crudelitas illa Iudaica, quam experti sunt, non solum Christus, sed & Prophetæ & Stephanus in Actis cap. 6. Ista superstitio etiam hodie regnat passim, ut pluris æstimetur si quid terreni cultus templis & aris detur, quàm si multa millia animarũ ornatu & decore fidei spolientur, imò etiam trucidentur. Quod aũt Deus non habitet in templis manufactis, testatur propheta Esa. cap. 66. & Stephan. Act. 7. Quod uerò corpora credentiũ sint templa spiritus sancti, testatur Apostolus 1 Cor. 6. Interea tamen quàm ad lapideum templũ uenerati sint, in ipsa historia Iohan. 2. uidere est. Item Matth. 21. Ore uenerabãtur hoc templũ, clamantes templũ Domini, templũ Domini, per hypocrisim, reipsa uerò quæstu suo illud dehonestabant, & Hiere. 7
ex domo Dei speluncã latronũ faciebant. Ad eum omnino modum etiã isti hodie faciũt, qui superstitionis propugnandæ gratia cœlum terra miscent, & tantum sanguinis innocentis effundunt, per hypocrisim simulant reuerentia locorũ sacrorũ, & cultus externi, traditionumq; humanarũ, cum tamen nemo illa plus dehonestet quàm ipsi, & nihil minus curent, q̃ quæ summopere curare uideri uolunt. Quis ignorat hodie quantũ quæstus & auariciæ, quantum impudentiæ & prophanitatis in tẽplis exerceãt? Et tamen ut tum Christus pro hoste templi dei accusabatur, et corruptores illius sacerdotes, pro ueneratoribus & cultoribus habebantur: ita uidemus hodie eos, qui restitutã & repurgatã cupientes ueram Christi religionẽ, & sacrorũ reuerentiam, corruptioni inueteratæ reluctãtur, pro hostibus sacrorũ ac religio-

nis haberi, & uicißim ipſißimos religionis uaſtatores, pro religionis et ſacrorũ cultorib. et antiſtibus uẽditari.

Et ſurgens princeps ſacerdotũ ait illi: Nihil reſpondes? Quid iſti aduerſum te teſtantur? Ieſus autem tacebat.

Quamuis etiam hoc teſtimonium, ut in Marco eſt, par non fuerit ad quæſitam condemnationẽ, tamen illud princeps ſacerdotum præ nimia necandi Chriſtum cupiditate ſilentio tranſire non poteſt, ſed pro ſua autoritate ſurgens conatur illud exaggerare ſua inſtantia, dicens: Nihil reſpondes? Quid iſti aduerſum te teſtantur? Simulat ſe mirari, quod ad teſtimonium tanti ac tam inauditi facinoris tacet Dominus. Proinde uelut admirando dicit: Nihil reſpondes? Et mox, ut grande uideatur facinus, quod iſti teſtes contra Ieſum ferebant, ſubdit: Quid iſti aduerſum te teſtantur? Q. d. Quid hoc facinoris eſt ſingularis & hactenus inauditi, quod iſti contra te teſtantur?

OBSER.

Videmus in hoc ſacerdotum principe exemplum iniqui iudicis & hypocritæ, iniquum iudicem referebat in eo, quod accuſationem contra innocentem amplificat & exaggerat, & quod ſua autoritate conatur accuſatũ animo reddere deiecto, atq; ita territũ opprimere, dum ſurgendo, inſtando, admirando, & quod delatum erat exaggerando, terrori cupit eſſe innocenti, etiamſi demus illum Chriſti innocentiam ignoraſſe. Nam etiamſi de Chriſti innocentia dubitauit, de ſua tamen ipſius malicia & animi erga illum amarulentia dubitare non potuit. Et æqui iudicis eſt, non mox fauere accuſatori, & quod delatũ eſt pro certo amplecti, & amplificare, ſed plus fauere accuſato, & animũ illius donec nondum confeſſus eſt facinus accuſatum hilari uultu erigere, & ad defenſionẽ ſui excitare. Hypocriticum etiam eſt, quod crimen delatum exaggerat. Volebat enim eo uideri magnus amator templi ac cultus Dei. Nam ad iniuriã cultus Dei uidebatur uergere, uelle deſtruere templũ Dei. Hoc itaq; ſummus ſacerdos hypocritarũ more tanquam inferendum malum, uelut ſummus amator cultus Dei ita exaggerare uoluit, dicens: Quid iſti aduerſum te teſtantur? Hypocrita precio ſibi ſummũ illius anni ſacerdotium cõparauerat, non amore cultus Dei moderandi ac tutandi, ſed ambitione regnandi. Forſan ita ſe ob id gerebat, & templi ac cultus Dei amorem præ ſe ferebat, ut reliquo ſacerdotũ cœtui cõmendatus, etiam reliquorũ ſubſequentium annorum Pontificatu dignus haberetur.

Ieſus autem tacebat.] Mirum uideri poteſt quod ad iſtam impudentiã cum teſtium tum Pontificis tacuit, cum paratiſſimã habuerit occaſionẽ, non ſolum purgandi ſe, atq; innocentiam ſuam tutandi, ſed & ſceleratam hoſtium ſuorũ maliciam ac turpißimã hypocriſim redarguendi. Potuit uerborũ ſuorũ mentẽ declarare, potuit cauſam dicere, unde motus iſta dixerit, quid in tẽplo fecerit, qui ſint templi ueri uaſtatores, & id genus multa. Verum mirũ uideri non debet, quicquid ab ipſa Dei ſapientia commiſſum legimus. Imò expendamus potius, quàm iuſtè & prudenter tacuerit, ut ſit, quod & nos in ſimili caſu imitemur. Primum, ſciebat non hoc agi, ut locus ſibi eſſet defenſionis, ſed in ſpeciem aliquid quæri, quod ad condemnationẽ prætexeretur. Sciebat iam eſſe cõcluſum, ut occideretur. Sciebat Pontificem in eo eſſe, ut ex uerbis ſuis aliquid uenaretur, quod damnare uerisimiliter poſſet, atq; ideò nullo alio animo inſtare & reſponſionem exigere, quàm ut eſſet, quod iniquè carperet & damnaret. Tacet igitur, quandoquidem defendi innocentiam ſuam locus non erat. 1

Deinde tam impudens erat iſta accuſatio, ut nec ipſis hoſtibus ſufficere uideretur ad hoc quod quærebant, unde & illam non ſunt proſequuti. Quid ergo opus erat purgatione? 2

Tertio. Voluit inſignem innocentis conſcientiæ fiduciam exprimere. Ipſe ſciebat falſum eſſe quod deferebatur. Proinde tanti hoſtes ſuos præſertim ſummum Pontificem hypocritam & impoſtorem facere nolebat, ut ad iſtorum uel cæterorum quoq; teſtimonium quicq; reſponderet. Digni enim non erant, quibus innocentiam ſuam nocentiſſimis uidelicet nebulonibus innocentiſſimus dominus cõtra impudentes iſtas delationes purgaret. Tale quid legimus de Socrate, qui inimicorũ maledicliones & probra ſilenter præteribat, & rogatus cur id faceret, reſpondebat, illos aut uerum dicere, aut mentiri. Si uerum, ſatius eſſe, ut taceret & culpam agnoſceret atq; emendaret. Si falſum, dignos non eſſe, quibus uel uno uerbo reſponderet. 3

Hactenus nobis iſta ſunt imitanda, ut primũ ita uiuamus innocenter, ut neq; hoſtibus noſtris eſſe poſſit, quod uel in ſpeciẽ in nobis utut accuſatis damnare poſſint. Deinde, ut taceamus, ubi certi ſumus non eſſe locum declarandæ ueritati & innocentiæ. Locus aũt non eſt, ubi omnia geruntur ex amarulentia & odio. Tertio ut conſcientia innocentiæ noſtræ freti, ad accuſationes reproborum ac ſceleratorũ nihil reſpondeamus, ut qui digni non ſint, quibus reſpondeamus.

Hinc tamen nemo colligere debet, quod nuſquam debeat ad accuſata reſpondere, ſi ſe ſciat innocentem. Nam ſi animo non malo, ſed ueritatis cupido ad reſpondendum fuerit requiſitus, debet candidè ac ſimpliciter innocentiam ſuam declarare.

Et reſpondens princeps ſacerdotũ ait illi: Adiuro te per Deum uiuentem, ut dicas nobis an tu ſis Chriſtus filius Dei.

Ad id tandem Pontifex, non ſine diuina prouidentia progreditur, quod erat rei caput. Nihil ille ita timebat, ut & Herodes, ſicut Chriſti aduentũ. Itaq; in hac cauſa parat Domino calumniam. Et ut cogat illum loqui, adiurat eum per Deum uiuentem. Cogitabat, aut dicet ſe hunc eſſe, & parata erit necis occaſio: aut negabit, & rurſus occaſionem habebimus illum ſeditionis accuſandi & condemnandi, quod cum Chriſtus non ſit, paſſus ſit ſibi acclamari à populo, tanquam regi Iſraẽlis.

Vide impietatem Pontificis. Nomine Dei uiuentis abutitur, non ad quærendam ueritatem, quam nõ amabat, ſed ad calumniam. Ita legimus & de Achab, 1 Reg. 22. quomodo adiurauerit Michæam prophetam, ut nõ

diceret

diceret ſibi niſi quod uerũ eſſet in nomine Domini, cum tamen non quæreret ueritatem, ſed calumniam. Hoc eſt ingenium impiorum. Ita impius iſte Pontifex ſimulat ſe non aliud quærere, quàm ut liquido poſſet cognoſcere in hac cauſa ueritatẽ, an Ieſus eſſet Chriſtus uel nõ eſſet: cum tamen nihil minus affectarit quàm ueritatis ſcientiam, nec ueretur ad hanc hypocriſim & maliciam abuti nomine Dei uiuentis.

Dicit illi Ieſus: Tu dixiſti. Veruntamen dico uobis, à modo uidebitis filium hominis ſedentem à dextris uirtutis, & uenientem in nubibus cœli.

Hactenus tacuit, nunc uerò propter diuini nominis reuerentiam, ueritatẽ, de qua fuerat interrogatus imò adiuratus, edicit: licet ſciret non hanc ſed longè aliud quæri. Suprà in Pontifice uidimus impietatem reprobo rum, quod attinet ad abuſum diuini nominis. Hic uerò ſubſequitur exemplum animi pij, maieſtatem diuini no minis reuerentis, & huius gratia facientis, quod malo rum impietas non meretur. Impiorum eſt abuti nomine Dei. Piorum uerò habere illud ſacroſanctum, nec pati ut fruſtra illo adiurentur, ubi ueritas dicenda eſt, utut illa non niſi ad calumniam queratur. Quòd ſi impij, ut nomine Dei ita & ueritatis cõfeßione abutuntur, nulla cedit ob id ad pios culpa, ſed omne peccatum eſt impio rum nomine Dei & luce ueritatis abutentium. Potuiſ ſet dicere, Deum uiuentem noui, ſed tu quis es, qui illius
Act. 19 me nomine adiures? Vox iſta eſt ſpiritus maligni, quæ licet per prouidentiam Dei ad gloriam Euangelij aliquando directa ſit, piorum tamen uox non eſt, quorum eſt reuereri nominis diuini maieſtatem.

Veruntamen dico uobis, à modo uidebitis.] Quod non ſolum dixit. Tu dicis, uel ut in Marco eſt. Ego ſum, ſed addit: ueruntamen dico uobis, à modo uidebitis, etc. cõminationẽ habet, quod poſthac ſint experturi ipſam ueritatem, quam nunc tam non ſuſtineant credere, ut illam etiam blaſphemiæ loco ducant. Ideò non ſimpliciter dicit: A modo ſedebit filius hominis, ſed ueruntamen dico uobis. q. d. At uos mihi iam non creditis, ueruntamen dico uobis, quandoquidem me adiuras per Deum uiuentem, ut dicam an ſim Chriſtus, quod poſthac uiſuri ſitis, id eſt certo experturi, filium hominis, quẽ nunc ut hominem abiectum deſpicitis, ſedere à dextris uirtutis, diuina maieſtate præditum & regnantem, & tandem uenire in nubibus cœli, ad iudicandum reprobos. Iſta inquam poſt hac uidebitis, quicquid nunc de me ſta tuatis. Huc etiam pertinet, quod non ſolum dicit: uidebitis filium hominis à dextris Dei, ſed à dextris uirtutis Dei. ut uirtutem Dei opponat humilitatis formæ, quam tum gerebat, & cuius gratia contemnebatur. Sic nominatim uocat ſe quidem filium hominis. at ſubdit quod illum ſint uiſuri diuina uirtute præditum, & Dominum cœli & terræ qui hoſtes ſuos ſcabello pedũ ſuorũ ſubijciat. Hoc pacto & quibuſuis pijs pro gloria & ueritate Dei zelantibus iſta poteſt uſurpari cõminatio, aduerſus ueritatis & humilitatis filiorum Dei cõtemptores et perſequutores, ut & ipſi cõſtanter dicant: à modo uidebitis nos in gloria Dei patris, quos nunc contemnitis. Sic Sapien. 5. legimus. Quærit hic Origenes, quomodo dicat, à modo uidendum ſe à dextris uirtutis, ab iſtis inimicis ſuis. An de iſtis uel futuris intelligat, & an mox hoc futurum fuerit, uel in extremo demum iudicij die. Simpliciter loquitur Dominus: Illi ipſi ſacerdotes ſtatim poſt reſurrectionem Domini uiderunt, id eſt experti ſunt uirtutem Chriſti regnantis in cœlo. Illi ipſi in fine mundi uidebunt uenientem in nubibus cœli ad iudicandum, quem ipſi in terris uiderunt filium hominis humilem apparentem, & contempſerunt ac condemnarunt. Viderunt ſedentem à dextris uirtutis Dei, non oculis fidei, ut Stephanus, ſed oculis experientiæ, uidebunt Act. 6
in fine mundi non oculis ad uidendum cupidis, ſed uidendo ſtupentibus & horrentibus.

Venientem in nubibus cœli.] Sic Act. 1. uiri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlũ? Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à uobis in cœlum, ſic ueniet, quemadmodũ uidiſtis eum euntem in cœlum. Suſceperat autem illũ nubes ab oculis ipſis eorũ. Hac de re & ſuprà audiuimus cap. 24. ubi iſte aduentus plenius deſcriptus eſt.

Tunc princeps ſacerdotum diſcidit ueſtimenta ſua, dicẽs: Proloquutus eſt blaſphemiam, quid inſuper egemus teſtibus? Ecce nunc audiſtis blaſphemiam eius, quid uobis uidetur?

Hoc ſcilicet quærebat Pontifex impius, ut haberet quod ex ipſius Ieſu ore prolatum in ſpeciem poſſet condemnare blaſphemiæ. Et diuino conſilio ita factum eſt, ut pro ueritate illa, in qua ſita eſt mortalium ſalus, condemnaretur filius Dei, ac mortis ſententiam acciperet non pro re alia, ex illis, quarum accuſabatur falſo. Veritatis cõfeßionem oportebat damnari ab impijs ſcribis, Phariſæis ac ſacerdotibus, idq; in ipſo capite Chriſto.

Sed rogemus hunc Pontificem, quid habeant uerba Chriſti, quod blaſphemum ſit. An quod dixit: Tu dixiſti? uel ut Marcus habet. Ego ſum? An Chriſtũ, eſſe blaſphemum eſt? Non inquiet, ſed facere ſeipſum Chriſtum: deinde non ſolum Chriſtum, ſed & filium Dei, ſedentem à dextris Dei Deo æqualem & conregnantem. Reſpondemus, ſi hoc dãnatur, quod adiuratus dixit ſe eſſe Chriſtum filium Dei, quærere oportebat, num hoc uerè diceret uel falſo. In uero nulla eſt blaſphemia, in falſo aliquando eſſe poteſt. De uero igitur uel falſo primũ erat exquirendum, & non ſtatim iudicandum cauſæ ueritate nondum cognita. Certè non eſt blaſphemus qui hoc quod eſt eſſe ſe confitetur. Sed dicis impiè adſcripſiſſe illum ſibi quod non erat. Hoc erat conuincendus. Interim tibi probandum erat, hominẽ hunc leproſos curantem, cæcos illuminantem, ſpiritus malignos eijcientem, paralyticos & omne morbidorũ genus curantem, mortuos deniq; excitantẽ, idq; uerbo tantum, & in ſumma, facientẽ quæ nemo mortaliũ unq̃ fecit, non eſſe Chriſtum filium Dei, non eſſe præditũ diuina poteſtate, uel certè, quomodo homo blaſphemus, ut tu hunc iudicas, potuerit hæc omnia facere? Quod Chriſtus ſit filius Dei, ſcripturæ prophetarum teſtantur, Pſal. 2. & 110. Quod

sedeat à dextris Dei, idem Psal. 110. habet, de quo suprà in fine cap. 22. dictum est, quod uenturus sit in nubibus cœli ad iudicandum, habet prophetia Danielis cap. 7. quam non oportebat ignorare. Non est igitur blasphemus Christus, sed ipsa ueritas Dei, cum ista sibi adscribit. Verum impij Iudæi non solum hoc damnant in Christo, quod se Christum facit, sed & ipsum Christi regnum cœleste & æternum condemnant, negantes illum, ubi uenerit, quem frustra expectant, sessurum à dextris Dei, patri esse coæqualem, atq; ita non solum in Christi persona, sed & regni ipsius maiestate agnoscẽda errantes.

Scidit uestimenta sua.] Hypocrita simulat se præ nimio cordis dolore blasphemiam nominis Dei ferre nõ posse. Mos iste Iudæis erat, tam pijs quàm hypocritis. De simulatoribus est Iohelis 2. Scindite corda uestra, nõ uestimenta uestra. De pijs in Act. legimus cap. 14. nempe de Paulo ac Barnaba, quomodo tunicas suas scinderint, ubi uidebant populum in hoc esse, ut sibi sacrificaret. Et de Dauide legimus, quod uestimenta sua sciderit, 2 Samu. 1. 3. 13. Et de propheta Elizeo, 2 Reg. 2. De Iob quoq; ca. 1. Quanquàm igitur Leuit. 21. sacerdoti summo præceptum sit, ne uestimenta sua scindat. Voluit tamen insignis hypocrita hac ceremonia causam Christi grauare, tanquàm res sit ardua omnino, si Pontifex scindat uestimenta sua: unde colligi debeat inauditum facinus esse commissum. Verum ita declarandum erat, sacerdotium illud Iudaicum ad Christi confessionem rumpendum & obliterandum.

Quid uobis uidetur?] Ecce posteaquàm sua sententia Christũ damnauit, rogat nunc & alios, quid ipsis uideatur, quasi adhuc illis sit liberum in alterutram partem ferre sententiam, cum tamen omnes antea concluserint, quod Iesum hunc uelint occidere. Ita scilicet non iustitia, sed species iusti iudicij ab hypocritis seruatur.

At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis.

Marcus habet quod omnes illum damnauerint. Lex etenim damnat hominem blasphemum. Sed unde certi erant, Christum hunc esse blasphemũ? Pontifex ita decreuerat & iudicauerat. Hoc illis satis erat. Non licebat isti Pontifici cõtradicere. O si Christi Ecclesia nunquàm fuisset tales experta Pontifices, & Episcopos à sententia Pontificum pendentes.

Quanquàm Marcus dicit, quod omnes Christum damnauerint, uidelicet seniores populi & Scribæ: Lucas tamen de Ioseph ab Arimathæa scribit, quod in consilium hoc & factum non consenserit, utputa hæreticus homo, dissentiens à catholicis Iudæis, & concilio seniorum ac sacerdotũ. Ita perpetuo sunt in populo Dei, ubi inualescunt impij, tales hæretici, qui non uerentur infinitæ multitudini, & autoritate maiorum contradicere.

Tunc expuerũt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt: alij autẽ palmas in facie eius dederũt, dicentes: uaticinare nõbis Christe, quis est, qui te percussit?

Ista ignominia cadit in Christum, propter latam sacerdotum ac seniorum sententiam. Arbitrabantur enim dignum esse omnis generis probris hominem blasphemum & Deo inimicum. Verũ ita oportuit impleri scripturã propheticam, Esa. 50. sic legimus. Corpus meum dedi percutiẽtibus, et genas meas uellentibus, & faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me. Nobis uerò animaduertendum est, primum quod ista Christo nostri gratia acciderunt: Deinde qua patientia hæc tulerit. Tertio, quid nos pro illius nomine uicissim ferre debeamus. 1

Vaticinare nobis Christe.] Ludibrio afficitur in Christo donum prophetiæ mortalibus tantopere necessarium. Meritò igitur prophetis destituti sunt miserrimi Iudæi. Iam olim probro uerbum prophetiæ affecerunt, ut uisum est in prophetis. Hiere. 20. Et factum est mihi inquit, uerbum Domini in opprobrium. Extremæ deplorationis indicium est, quando prophetiæ donum exploditur & contumelia afficitur. 2 3

Petrus uerò sedebat foris in atrio, & accessit ad eum una ancillula, dicens: Et tu cum Iesu Galilæo eras. At ille negauit coram omnibus, dicens: Nescio quid dicas. Cum autem exisset in uestibulum uidit eum altera ancilla, & ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Iesu Nazareno. Et iterum negauit cum iureiurando: Non noui hominem. Et post pusillum accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro: uerè & tu ex illis es. Nam & loquela tua te manifestum facit. Tunc cœpit execrari & iurare, quod non nosset hominem. Et continuo gallus cantauit. Et recordatus est Petrus uerbi Iesu, qui dixerat ei: Priusq; gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras fleuit amarè.

Supra cap. 26. audiuimus quæ fuerit tam insignis Apostoli in præsumendo fortiora, & uerbis Christi contradicendo temeritas: hoc loco ob oculos exponitur, quæ fuerit illius ubi promissis standum erat imbecillitas, & uerbi Domini ueritas.

Historiam hanc negationis Petri omnes Euangelistæ singulari diligentia fuse conscribunt. Nam procul dubio intellexerunt magno consilio diuinitus ita fuisse destinatum, ut qui primarius erat inter Apostolos insignè exhiberet humanæ infirmitatis exemplũ. quo discerent omnes nihil esse de uiribus humanis præsumendum melius, si deserat uirtus diuina, quàm quod in isto Apostolo, satis quod ad animum hominis attinet, forti ac dextro, ostensum est, agnoscerẽtq; postea, ubi nomen Christi coram mundo confessuri erãt, & fortiter quæuis pro eo passuri, non humanis se sed planè diuinis uiribus imbui & corroborari. Sed uideamus ipsam historiam.

Duæ uidentur huius historiæ partes. Prima est, quæ negationem. Altera, quæ Apostoli resipiscentiã tradit. 1

In prima uidendum est priore loco quid extrinsecus acciderit Apostolo: deinde qualiter fuerit affectus, & quomodo se in negando Christum gesserit. 2 1 2

Quid extrinsecus Apostolo acciderit, unde ad negandum

gandum Christum motus est, ob id expendendum est, ut inde cautionis regulam sumant, quibus cordi est Christum non negare, sed constanter confiteri. Plurimum situm esse in occasione nusquàm non traditur. Occasio boni ad bonum, mali ad malum plurimum ualet, etiam apud eos, quibus neutrum ante oblatam occasionem est cordi. Puto Petrus Christum haud facile negasset, si cum reliquis fugisset Apostolis, & cum timidis in latebras sese abdidisset. Verum posteaquàm ausus est aulæ se Pontificis impij committere, licet id non eo fecerit animo, ut Dominum negaret, reperit tamen ibi negandi tentationem et occasionem. Hic nullũ erat aliud hominum genus, q̃ quod contra ueritatis doctrinam pro domino Pontifice sentiret & afficeretur. Omnia resipiebant impietatem, & ad impij Pontificis gustum faciebant, adeò ut & ancillæ contra sexus pudorem & rationem procaciter uiris incognitis insultarent: causaq; sese intrõmitterẽt, cuius nullam prorsus habebant cognitionem: nec ulla hominis captiui cõmiseratione tenerentur, ita ut & illius nomine plures cuperẽt uitæ discrimini reddi obnoxios. Admonemur ergo hoc loco, uitandã esse mali occasionem, ei qui cupiat in bono cõstanter perdurare. Deinde quod ad ueritatis confessionem attinet, periculosas esse impiorũ Pontificum aulas ueritatis ministris, in quibus ipse primus ingressus per ostiariam designatus ad negandam ueritatẽ sollicitat. Nec se hoc loco palpent exemplo Petri, qui aulas principum impiorum, ut in illis crescant sectantur. Non hoc quærebat Petrus. Tenebatur desiderio domini, cupiebat uidere causæ huius finem. At nunc aulici nostri nihil huius affectant, sed ut in seculo crescant, indubitato sese periculo negandæ uel certe negligendæ ueritatis exponunt.

2 Deinde uidendum qualiter in hac tentatione fuerit affectus. Inter metum & cautionem primum dubius fluctuabat. Metus erat quod ad uocem ancillæ ostiariæ, ut Ioannes habet, negabat. Cautionem sapiebat, quod non dicebat simpliciter: Non eram cum eo, sed: nescio quid dicas. Intelligebat abundè quid sibi uellẽt uerba ancillæ, uerum, ut & periculum euitaret, & non mox negaret, dissimulabat se, imò negabat intelligere quid diceretur ab ancilla. Hac astutia plerũq; utimur, ubi ueritas absq; periculo diserte nõ potest edici. Verũ inane est hoc corrupti & hypocritici ingenij commentum & effugium, nolle uideri id agere, quod ipsum tamen reuera agitur. Non est insons, qui ubi confitenda est ueritas callido sese mendacio periculo conatur eximere, etiamsi nõ apertè ueritatem, cuius quæritur confessio, neget.

Cautionem & id sapiebat, quod post primam tentationem egrediebatur ex atrio in uestibulum, sentiens nimirũ sese non fore tutum in isto pontificio famulitio. Feciſſet aliquid, si prorsus in uniuersum aulã reliquisset Pontificis. Verum nihil agit, qui non planè se ab omni malorum occasione auellit. Forsan nõ audebat repente abire, licet moliretur abitum, ne quod dissimulabat, repentina abitione periculosè proderet. Tales etiamnum multi sunt, qui cũ intelligant se alicubi non sine periculo prodendæ ueritatis uersari, non tamen sustinent se cõfestim periculo eximere, sed consultũ putant, ut qua cœperunt dissimulatione, sensim sese absoluant. Verum isti uideant, ne quod Petro accidit, accidat & ipsis.

Vbi moras nectit Apostolus, ecce altera ad negandum obijcitur tentatio, & post alteram tertia. Hic iam absq; omni cautione plus negat q̃ opus erat. Non noui inquit, hominem. Atqui non erat illi dictum: Et tu nosti hunc hominem, sed: Tu eras cum illo, hoc est, unus es ex illius comitatu. Multi cognoscebant Christũ, qui tamen non erant ex illius numero, qui alicubi dicebant: Cum Christus uenerit, nemo sciet unde sit. at hũc scimus unde sit. Vsq; adeò igitur negat se pertinere ad comitatum Christi, ut neq; cognouerit unq̃, quis sit. Nec isto contentus est, sed addit & iuramentũ: imò et sui ipsis deuotionem & execrationẽ si sciat, quis sit hic homo. Videmus hoc loco, quomodo magis atq; magis in tentatione intricetur, qui ope diuina destitutus, non semel effugit, sed dissimulando & negando, cum impijs certat.

PARS ALTERA DE APOSTOLI RESIPISCENTIA.

Hactenus accepimus, quomodo negando Dominum lapsus sit Apostolus, iam cõsequenter uideamus quo sibi ipsi restitutus pœnituerit. Scimus quosdã sibi ipsis blandiri ex eo, quod negant in scripturis deliquisse & Sanctos, indeq; argumenta sumere peruersæ securitatis, ut pote, de Dauide, de Noë, de Magdalena, de Publicano, de Petro, &c. Isti debebant non hoc solum uidere in sanctis, quod lapsi sunt, sed & hoc, quod post lapsum resipuerunt & pœnitentiam egerunt. Proinde cõsultissimè factum est ab Euangelistis, quod non solum Apostoli lapsum, sed mox et pœnitentiam cõscripserunt. Ista quoq; uidetur mihi duabus posse comprehendi partibus. Vna 1
quibus occasionibus ad pœnitentiam sit motus. Altera 2
quomodo se gesserit pœnitendo. De prima. Videmus et hic Apostolũ occasionibus motũ ad pœnitendũ. nõ minus q̃ antea ad negandũ. Ad negandũ sollicitauerat uox ostiariæ, & reliqui famulitij Pontificis, ad pœnitendum uerò uox galli & respectus Christi, ut est in Luca. Admonemur ergo hoc loco fieri nõ posse, ut qui tentatione peccati uictus et absorptus est ad se redeat et pœniteat, nisi aliunde accedat occasio, qua uelut excitetur & cõpungatur. Est aũt optima occasio, si cũ respectu domini insonet uox galli. Vox galli est prædicatio resipiscentiæ in aures eorũ, qui in peccatis obdormierunt, et uelut nocturna somnolentia obsoporati sunt. Vox galli erat, ubi per Nathan prophetam corripiebatur & excitabatur Dauid adulter. Vox galli erat prædicatio Ionæ in Niniue. Vox galli erat prædicatio Petri in Actis, ad resipiscentiã inuitans peccatores Iudæos. Habet ista uox efficatiam, si accedat gratiæ Christi respectus. In secunda parte notandum est, quomodo affectus sit ex galli cantu et Christi respectu negator domini Apostolus. Videmus hic tria. Primum est, quod recordatus est uerborum domini. Altterum, quod ad lachrymandum compungitur. Tertiũ, quod egreditur prorsus domũ Pontificis impij.

Hæc tria requiruntur à pœnitentibus. Primum, ut 1
admoneantur Domini, in quem deliquerunt. Sic recordabatur filius prodigus paternæ bonitatis ac domus. Vt enim obliuio Domini ianuas aperit ad peccandum: ita

illius recordatio ad pœnitendum. Ita passim in scripturis Israëli peccatori obijcitur, quod sit oblitus Domini Dei sui, uerborum, operum ac beneficiorum eius. Deut. 32. Iudic. 3. Psal. 77.

2 Alterum, ut doleat, & pœniteat eum, deliquisse contra Dominum. In lachrymis Petri uera est & seria pœnitentia delicti. Non solum fleuit, sed amarè, inquit, fleuit, quia plurimum illi dolebat, quod Dominum quem tam amabat ardenter negauerat. Nulla est pœnitentia, quæ cor non compungit, nec doloris aliquid incutit. Ita flebat et mulier peccatrix, Lucæ 7. quia pœnitebat eam malæ actæ uitæ. Ita pectus suum tundebat publicanus ille Euangelicus, cordis dolorem quem sentiebat testatus. Hinc usus pœnitentibus, sacci, cinerum, & ieiunij.

3 Tertium, ut egrediatur ex consortio impiorũ, unde peccandi sumpserat occasionem. Licet enim pudoris, uel certe metus & periculi uitandi gratia ploraturus, non intro ad ipsum Dominum, sed foras egressus sit, pulchrè tamen hinc admonemur, relinquendum esse omne illud consortium, quod ad peccatũ sollicitat. Vitandum quidem est et declinandum, antequàm peccetur. Verum si hoc fuerit neglectum, saltem posteaquàm peccatum est, resipiscentes ac pœnitentes egrediamur.

CAPVT XXVII.

MAne autem facto, cõsilium inierũt omnes principes sacerdotum & seniores populi aduersus Iesum, ut eũ morti traderent. Et uinctũ eum abduxerunt, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi.

Prosequitur hoc uigesimo septimo capite Euangelista, quæ consequenter acta sunt cum Christo, postquàm condemnatus est in concilio sacerdotum, quid uidelicet apud Pilatum, quid actũ in eductione ad mortem, quid tempore & loco crucifixionis, quid post mortem, & quomodo, & à quibus & ubi sepultus sit.

Mane facto.] Seduli sunt ad perficiendum quod cœperant. Ea sedulitas plerunq; deprehenditur in malis, ut boni in suo genere frigeant, improbis collati. Tale quid suprà & in Iuda proditore uidimus.

Verum ista sedulitas non erat absq; diuino moderamine. Properandum enim erat, ut agnus iste uerus, pro peccatis totius mundi, ad liberandum captiuos, immolandus, pro ratione typici festi, mactaretur. Ita solet diuina prouidentia ad consiliorum suorum exequutionem improborum uti malicia.

Consilium inierunt omnes, &c. ut eum morti traderent.] Intellige, ut consultarent, quo mortis illum genere, uel certe, quibus rationibus & accusationibus morti uellent tradere. Nam alioqui iam illũ mortis sententia omnes condemnauerant, ut suprà in fine capitis præcedentis audiuimus.

Et uinctum eum abduxerunt, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi.] Hoc scilicet concluserunt, matutino isto concilio, tradendum illum esse Pontio Pilato præsidi, ut crucifigeretur. Et hoc licet diuino sit consilio factum, ut pro nobis maledictis non simpliciter moreretur Christus, sed mortem maledictioni obnoxiam pro nobis maledictum factus subiret: astutè tamen à sacerdotibus ac senioribus impijs istuc cõsilij captum est, ut non ipsi Iesum occiderent, quemadmodum postea Stephanum occiderunt, sed crucifigendum Pilato præsidi homini gentili, traderent. Primum nolebant inuidia necis Christi grauari, proinde decreuerunt eum tradere Pilato, ut ab illo occideretur, ipsi uerò interea à morte illius uiderentur immunes. Sic Actorum 5. dicebant ad Apostolos: Vultis super nos inducere sanguinem hominis istius. Quasi dicat: Malefacitis quòd nobis adscribitis causam & culpam occisi hominis huius, quem non nos occidimus, sed Romana potestas, uelut seditiosum puniuit. Timebant enim populum, deinde nolebant illum occidi morte alia quàm quæ esset omnium turpissima, & maledicto obnoxia, morte uidelicet crucis, ut non solum ipse interimeretur, sed & uniuersa illius doctrina & nominis æstimatio uulgo redderetur ignominiosa. Nam si uel lapidatus esset, uel aliquo alio mortis genere occisus, poterat id uideri cum Prophetis, quorum tum erat uenerabilis memoria habere commune. Itaq; crucis mortem elegerunt, ut ex illa cunctis Israëlitis redderetur abominabilis. Hæc erat concilij malignantium astutia, quæ licet ex instinctu esset Satanæ, ut sermo crucis Iudæis offendiculum, & gentibus fieret stultitia: diuino tamen consilio ad exequutionem nostræ redemptionis contra regnum & potestatem Satanæ seruiuit. Ita legimus illos Ioh. 18. cum audissent: Accipite uos eum, & secundum legem uestram iudicate, ad Pilatum dixisse: Nobis non licet interficere quenquam. Atq; poterant eum lapidibus obruere, uerum hoc nolebant, unde, ut uoti compotes euaderent, fingunt sibi non licere occidere quenquam. intellige talem, qualem hunc fingebant, & hoc mortis genere, deniq; & illo Paschatis festo. Verum, sicut Iohannes subiungit, ita oportuit Christi impleri sermonem, quo significauit qua esset morte moriturus. 1 Gal. 3. 1 2

Istos sacerdotes imitantur & nostri Episcopi. Ipsi iudicant & condemnant quos uolunt interemptos, & postea à se iudicatos & condemnatos magistratus gladio necandos homines sancti & innocentes, quibus non liceat occidere quenquam, offerunt.

Pontio Pilato præsidi.] De isto Iosephus scribit libro 18. antiquitatum Iudaicarum à capite quarto usq; ad septimum. Successit Valerio Grato sub Tiberio, præsidemq; egit Iudæ annos decem. Circa annum octauum regiminis sui Christum cruci affixit. Biennio postea elapso propter innocenter occisos Samaritanos à Vitellio præside Syriæ est officio motus, alio in ipsius locum substituto, & Romam ire coactus, ut se in iudicio Cæsaris contra Samaritanorum accusationem purgaret. Verum antequàm Romã uenisset, mortuus erat Tiberius, inq; illius locum constitutus Gaius. Sub isto, ut Eusebius in Ecclesiastica historia lib. 2. cap. 7. habet, seipsum interfecit Pilatus. Erat homo, ut apparet ex ipsius gestis, non admodũ amicus Iudæorũ genti, propterea opinor, quod suspectã haberet animo erga Cæsarẽ esse nõ fideli

sed

sed seditioso et rebelli. Hunc putarunt sacerdotes commodum fore ipsorum proposito, ut qui non sit laturus inultum intentatum ambitionis regni crimen in Iesu.

Tunc uidens Iudas, qui eum prodiderat, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum ac senioribus, dicens: Peccaui, prodens sanguinem innoxium. At illi dixerunt: Quid ad nos? Tu uideris. Et proiectis argenteis in templo, recessit, & abiens laqueo se suspendit.

Proditoris obstinatam maliciam suprà capite præcedenti declarauit Euangelista, nunc consequenter & finem illius describit, tanta improbitate dignum. Describit autem illum diligenter, idq; duabus de causis. Prima est, quod facit ad illustrandam Christi innocentiam. Altera ut sit exemplo reliquis, in quo conspicuum sit, quem exitum sortiatur, si pecuniæ gratia qui quàm non uereatur cognitam prodere ueritatem. Proinde arbitror haud inutile fore si quæ Euangelista de Iuda hic scribit, diligentius pensitemus. Habent enim quædam bona, licet principali bono destituantur, quod unũ si accessisset, uix æquè uspiam tam insignem pœnitentiam ob oculos expositam haberemus.

PRIMO.

Primum. Videns inquit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus est. Criminis scilicet in Dominum commissi. Sero quidem satis, quod tum demum pœnitudine tangitur, ubi uidet iam damnatum esse sanguinem innocentem. at cito satis etiam tum pœnituisset, si satis bene. Quacunq; enim hora peccator pœnituerit, si diuinæ misericordiæ fiducia accesserit, non erit expers ueniæ. Bonum itaq; in se est uel tandem pœnitere. Non poterat antea sceleris sui grauitatem uidere, donec uidebat hunc esse proditionis suæ finem, ut ad mortem duceretur sanguis innocens. Hic demum in se reuersus cœpit facti sui enormitatem anxius ac pœnitens expendere, sibiq; ipsi admodum displicere. Periculosum sanè est, non tangi peccati conscientia, nisi ubi demũ post illius consummationem animus peccantis reuerberari cœpit. Nemo tamen uel sic in hac uita desperet.

Arbitror etiam nos admoneri hoc Iudæ exemplo, ne inter peccandum nos ipsos falsa persuasione seducamus, quasi nihil forsan, aut non multum ex peccatis nostris sit sequuturum mali. Audierat Iudas toties à Christo, quod esset prodendus & tradendus in manus sacerdotum & crucifigendus, audierat grauem in Cæna postrema comminationem ex ore Christi, dicentis: Filius quidem hominis uadit, sicut de eo scriptum est, ueruntamen uæ homini illi per quem proditur. Bonũ esset illi si natus non fuisset. Verum hæc omnia uelut fabula surdo dicebantur. Non credebat futurum ut occideretur. Cogitabat, ubi opus erit facile uiam elabendi reperiret. Iam ubi præter opinionem uidet illum ad mortem esse condemnatum, demum peccati sui enormitatem agnoscit ac pœnitet. Cauendum itaq; nobis est, ne istis ac similibus persuasionibus decepti in grauia peccata inducamur, quorum postea turpitudinem ac grauitatem sero cognitam præ cordis anxietate ac pœnitudine ferre nequeamus, atq; ita, sicut Iudæ accidit, intuitu illorum desperemus, & in sempiternum pereamus. Nemo cogitet se facile acturum pœnitentiam. Pœnitebit forsan olim quisq;, at non mox quisq; in pœnitentia ita perstabit, ut uictor euadat, nisi singulariter diuina gratia seruetur.

SECVNDO.

Deinde. Ad euidentiam non simulatæ, sed ueræ pœnitentiæ, retulit triginta argenteos ad sacerdotes ac seniores populi, à quibus illos acceperat, & illis inuitis proiecit in templum. Etiam in homine uendito datur exemplum, non esse ueram pœnitentiam, [illegible] non redditur quod malè fuerat ablatum.

Et præterea uidemus hoc loco etiam pecuniam usq; adeò charam, ut illius gratia discipulus prodiderit Dominum ac seruatorem suum, sensu peccati in corde obtinente reddi uilem, quid dico uilem? abominabilem quoq;, & quæ ne uideri quidem amplius possit. Notent hoc exemplum qui pecuniæ gratia tam enormiter quotidie in Deum & fraternam charitatem peccant. Erit olim, ut magna ducti pœnitentia abiiciant, quod nunc summa cupiditate mordicus ad se per fas & nefas rapiunt. Velim etiam hoc loco quosuis admonitos, ut nullius libidini ad peccandum gratificentur, nisi uelint olim summo & incredibili illorum odio exponi, & ut Iudas nefariam pecuniam abiecit, ita execrari & abiici.

Expende etiam summam uanitatem malè partæ pecuniæ. Christum horum argenteorum gratia uendiderat. Nũc in templum abiicit. Quid quæso fructus ex illis percepit? Nihil prorsus. Habuit interea in sua potestate. At illud tanti non debebat esse, ut eius gratia tam enormiter peccaret, & tantum sibi ipsi doloris ac pœnitudinis miser accerseret. Quid aliud faciunt, quàm undequaq; diuitias corradunt, quas breui sunt magno cum dolore post se relicturi?

TERTIO.

Tertio. Confitetur diserte uerbis peccatum suum, dicens: Peccaui, prodens sanguinem innoxium. Ad ueram resipiscentiam pertinet peccati confessio, non ea tantum quæ Deo fiat, sed & quæ hominibus, quorum id interest. Interest autem eorum, contra quos peccatum est: deinde & quibus peccandi data est occasio. In Christum peccauerat Iudas, sacerdotibus uerò & senioribus populi prodendo sanguinem innoxium, peccandi dederat occasionem, dum capiendi et condemnandi sanguinem innoxium accepta pecunia sua proditione fecerat copiam & opportunitatem. Non ergo pœnitendũ tantum erat Iudæ & deo confitendum, sed confitendum illi erat peccatum suum. Primum ergo Christum dominum suum, in quem peccauerat: deinde & coram sacerdotibus, quibus ad peccandum contra sanguinem innoxium operam suam pessimè collocauerat. Benè ergo facit, quod coram sacerdotibus ac senioribus populi peccatum suum confitetur, dicens: Peccaui, prodens sanguinem innoxium. Nam hic non solum suum confitetur peccatum, sed & illis occasionem præstat, quantum in se est resipiscendi ac pœnitendi. Nam si ipse

prodendo

prodendo sanguinem innoxium peccauit, peccarunt utiq; & illi capiendo, condemnando & blasphemando sanguinem innoxium. Et simul Christo testimonium dat innocentiæ, quem prodendo nocentem fecerat. At in hoc deficit, quod non ad Christum ipsum sese prosternit, & ut ignoscat precatur, ut plena esset peccati confessio, & instituta reconciliatio, quæ inter homines: deinde & coram Deo, cõfitendi finis est. Impeditus est acquirendæ ueniæ diffidentia. Petrus quidem & ipse non est coram Domino confessus peccatum suum, ubi pœnitebat, uerum non ueniæ desperatione, sed timore periculi. Hic uerò usq; adeò à periculo sibi non timuit, ut coram ipsis sacerdotibus et senioribus populi, innocentiæ testimonium Christo dederit. Non enim simpliciter dixit: Peccaui, prodens præceptorem meum, sed: prodens sanguinem innoxium.

Quid est autem, quod non dixit: Peccaui prodens Christum dominum meum, filium Dei uiuentis? Si hoc dicere potuisset, de uenia utiq; non desperasset. Dixisset autẽ, si credidisset. Imò si uerè credidisset, Dominũ non prodidisset. Quod autem non crediderit cum Petro & reliquis Apostolis, hunc Iesum esse Christum dominum, filium Dei uiuentis, mundi saluatorem, ex capite sexto Ioannis patet, ubi sic legimus: Sed sunt quidam ex uobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent credentes, & quis esset traditurus eũ. Hoc est, quis esset ille inter discipulos, qui corde esset erga se nõ fideli, sed incredulo & insyncero, ita ut et proditurus ipsum esset. Neq; enim non credebat tantũ in Christum filium Dei, quam fidem habebant reliqui Apostoli, sed & corde erat ab illo auerso & malo, unde in loco memorato statim subditur: Nónne ego uos duodecim elegi? sed unus ex uobis diabolus est. Dicebat autem de Iuda Simonis Scariothis. Hic enim erat traditurus eum, cũ esset unus ex duodecim. Diabolũ enim iam tum uocat, propter singularem animi maliciam et hypocrisim, qua cum hostis esset astutè discipulum simulabat. Hæc itaq; radix est perditionis, quod fide in Christum destitutus est. Tanta tamen uis erat innocentiæ in Christo, ut licet illum non crediderit esse Christum dominum, filium Dei uiuentis, nec corde erga illum syncero, sed prorsus malicioso fuerit, coactus tamen sit agnoscere & confiteri sanguinem innoxium esse à se proditum.

1 Videmus ergo hoc loco, quàm nihil proficiat pœnitentia, si non adsit fides in Christũ seruatorem, quæ sola inter Petrum & Iudam discreuit, ut hic pœnitendo & credendo saluatus sit: iste pœnitendo & non credendo perierit. Ad remißionem itaq; peccatorum adeoq; salutem obtinendam, non est satis, peccatum agnoscere, pœnitere, confiteri quoq;, et quod malè partum fuerat, restituere, nisi adsit fides in saluatorem, quæ ueniam petat et accipiat. Sicuti ad sanitatem non est satis morbum agnoscere, dolere, fateri, nisi medici opera accedat.

2 Deinde & hoc uidemus in ista Iudæ confessione, quanta sit uis ueræ innocentiæ, quæ subinde maleuolorum & hostium mentes reuerberat, & ad pœnitentiam delicti ducit. Moueat hoc, ut studiosius innocentiam erga quosuis retineamus.

At illi dixerunt: Quid ad nos? Tu uideris.] Expendamus uocem istam sacerdotum hypocritarum. Quid ad nos inquiunt? Tu uideris. Tantundẽ est quod dicunt: Quod peccasti sanguinem innoxium tradendo, ad nos non pertinet, sed tu es in culpa. Proinde nihil est quod nobis ista impingas. Tu uide quomodo euadas. Tuum est peccatum non nostrum.

Sed quæso quomodo ad uos ô hypocritæ, non pertinet hoc peccatum? Non ipsi sanguini innocenti insidiati estis? Non uos antequàm caperetur occidendum decreuistis? Non uos Iudæ proditori pecuniam si illum traderet pacti estis, & post proditionem etiam dedistis? Nõ uos à Pilato cohortem militarem accepistis & Iudæ proditori ad capiendum innoxium aßignastis? Non falsos testes, ut aliquam iudicij speciem saltem seruaretis, aduersus insontem quæsiuistis & produxistis? Non tandem ad solam cum iuramento extortam ueritatis confessionem, posthabita omni causæ huius examinatione insontem damnastis? Non temerè damnatũ præsidi iam occidendum offertis? Et quomodo nihil ad uos pertinet proditi sanguinis innoxij peccatum? 1 Apostrophe

Deinde obsecro, si ad uos non pertinet hoc peccatum, quid opus est, ut uos excusetis & totum peccatum in Iudam transferatis? Atqui Iudas non dicit: Peccastis, damnantes sanguinem innoxium, sed se peccasse conquæritur, eò quod sanguinem uobis tradiderit innoxiũ. Si uobis imputasset peccatum, forsan necessariò poteratis uideri uos excusare, & culpam in ipsum abijcere. Iam cum alioqui fateatur & conquæratur se peccasse, & iam plurimum huius gratia doleat, quid causæ est, quod ipsi imputatis peccatum, et uos excusatis? Sed huc adigit uos conscientiæ stimulus, admonensq; per istam Iudæ confessionem, non proditorem solum, sed & uos causatores mali huius communicatione damnari. Scilicet testimonio conscientiæ uicti intelligitis uestram ipsorum culpam, quam tamen ille uobis non obijciebat. At ne uideamini agnoscere peccatum, adeoq; cogamini quod malè iudicastis reuocare, & totam innoxij huius causam in integrum restituere, ac uos ipsos temeritatis & impietatis reos facere, culpam non agnoscitis, sed in Iudam reijcitis. 2 In solent hi præhẽdi, qui peccarit ubi nondum accusati prorumpunt in crimenis purgationẽ, uno die bene ad diu.

Sed sitis extra peccati huius culpam, & sit Iudas proditor solus damnabilis, quod tradiderit sanguinem innoxium, ut rectè dicatis: Tu uideris. Quamobrem igitur non reuocatis uestrum iudicium, & liberatis innoxium à condemnatione & mortis immeritæ periculo? Quare non ad exemplum eorum qui malè de Susanna iudicauerant, comperta damnati innocentia, irritum facitis quod malè iudicastis? Si falsi estis, & per errorem damnastis innoxiũ, si Iudas uerè in culpa est, quod sanguinem innoxium tradidit, quare cognita iam ueritate sententiam non mutatis? An non conspicuum est, quod ex malicia non errore deliqueritis? Nam qui errore deceptus peccat, cognito errore pœnitet & abstinet. Vos aũt iam scienter & prudenter in damnando ac interimendo sanguine innoxio pergitis et perseueratis. 3

Quod si uobis sanguis iste non uidetur esse innoxius, sed planè noxius, et ut iudicastis, blasphemus, adeoq; & turpi 4

turpi morte dignus, cur non dicitis Iudæ: Absit ut peccaris tradendo hunc hominem. Non est innoxius, ut dicis, sed est blasphemus. Vocas tu insontem quem totum sacerdotum ac seniorum concilium habita diligenti deliberatione blasphemum esse deprehendit, & meritò damnauit, atq; ob eam iam causam magistratui puniendum offert? Proinde desiste ab ista inepta pœnitudine. Alioqui periculo mortis & ipse tanquàm totius concilij reprobator & contemptor exponeris. Cur non ita respondetis ad confessionem & quærimonias Iudæ? Sed nihil huius profertis. Quare? Scilicet cõscientiam huius timetis. Scitis Iudam uestræ prorsus conscium esse malitiæ, quod illi uestra consilia communicaueritis, ideò non audetis confessioni illius contradicere. fuisset enim hoc omnium impudentissimum. Sinitis itaq; uerum esse, quod Iudas sanguinem hunc uocat innoxium. Sinitis etiam uerum esse, quod illum accepta à uobis pecunia prodiderit. Sinitis & hoc uerum esse, quod qui sanguinem innoxium prodit & periculo exponit, peccet & damnabilis sit. O cæci quomodo non & hoc agnoscitis, damnabiles eos quoq; esse, qui innoxio insidiantur, laqueos tendunt, data pecunia proditionem sanguinis innoxij procurant, sanguinem innoxium condemnant, & occidendum magistratui offerunt.

5 Ad hæc, cum sitis sacerdotes Domini, & uestrûm sit expiare peccata populi, quomodo reijcitis peccatoris confessionẽ, maximè, cui uos peccandi dedistis occasionem & materiam? Quomodo ad uos non pertinet quid peccetur? Cur non consolamini pœnitentem & per sacrificia uestra peccati remissionem pollicemini? Sed est inexpiabile peccatum hoc Iudæ. Debetis ergo reum sanguinis innoxij iuxta legem uestram punire, tanquàm iudices ac seniores populi, ut nec hac ratione uobis uox ista competat, qua dicitis: Quid ad nos? Tu uideris. Iam nec quod sacerdotum, nec quod iudicũ est officium erga hominem peccatorem facitis, homines impij & hypocritæ, interea prompti ad iudicandum, condemnandum & occidendum eum, cuius nullo pacto potestis innocentiæ refragari.

OBSERVANDA.

2 Hæc est impiorum Pontificum hypocrisis, cuius hinc maxima est cæcitas, quod quibusuis persuasum uolunt, non posse peccare ordinẽ sacerdotalem. Ideò nunquàm sustinuerunt agnoscere peccata sua impij sacerdotes, multominus emendare. Quem prophetam unquàm audierunt? Imò quem non tanquàm hæreticum & sacerdotalis dignitatis contemptorem persequuti sunt? Vetus est sacerdotum uerbum: Non perit lex à sacerdote, nec consilium à sapiente, nec uerbũ à propheta. Ier. 18. Hoc se prætextu perpetuò tuentur. Quid aliud agunt, qui hodie, ne quicquàm deliquisse uideantur. Ecclesiastici passim clamitant, Ecclesiam, Concilia, & Pontificem errare non posse? Deinde non admittendum esse, ut facta Ecclesiasticorum à laicis iudicentur? Iudiciũ esse penes Ecclesiasticos, & maximè Pontificem, qui à nemine debeat iudicari? Tot hodie committuntur flagitia ab Ecclesiasticis, tot stupra, tot adulteria, tot symoniacæ contractiones, tot Ecclesiarum uastationes, tanta Ecclesiastici status corruptio, tot myriadum animarum perditiones, quorum omniũ culpa cum primis debetur Romanæ sedis constitutionibus, dispensationibus, uenditionibus, & in summa libidinosissimæ tyrannidi, & tantum ubi hi qui pereunt apud Pontificios quæruntur se perire, nihil audiunt aliud quàm hanc ipsam Iudaicorum sacerdotum uocem. Quid ad nos? Vos uideritis. Hæc scilicet est cura uerorum pastorum, quomodo ouium saluti consulatur. An non Dist. 40. ca. Si Papa, manifestè legitur, Papam à nemine iudicandum esse, etiam si suæ & fraternæ salutis negligens innumerabiles populos cateruatim mancipio gehennæ plagis multis cũ ipsis in æternum uapulaturus abducat?

Deinde uidemus hoc loco depictum ingenium animi 2
sibi malè conscij, quomodo ille nondum accusatus hoc ipso quod ad excusandum sese prorumpit, prodat.

Tertio, Quæ sit obstinatio eorũ qui non ex errore, 3
sed de, tinata malicia peccant.

Quarto, Quomodo qui culpabiles sunt conscien- 4
tiam eorũ uereantur, quos maliciæ suæ cõsortes fecerũt

Quinto. Monemur etiam hic, ut caueamus nobis, ne 5
cuiquàm impio operam nostram ad peccandum collocemus. nisi idem nobis uelimus accidere, quod hic accidit Iudæ, ut & nobis, ubi pœnitere cœperimus, dicatur: Quid ad nos? uos uideritis.

Sexto. Apparet etiam hic exemplum sacerdotalis 6
corruptionis, qua fit ut cum uelint uideri sacerdotes & iudices in Ecclesia dei, nec sacerdotum, nec iudicũ munus erga peccantes ritè exequantur, cum interea tamen erga innocentes sint inhumanissimi.

Et proiectis argenteis in templo, recessit, & abiens laqueo se suspendit.] Hic est finis Iudæ, exemplum omnium impiè agentium, & post commissa flagitia desperantiũ. Abiens inquit, laqueo se suspendit. Naturale est homini horrere mortem. Oportet igitur maximam esse tentationem, si quis sibi ipse mortem, cum diutius liceat uiuere, proprijs manibus ultro accersat. Necesse est aliquid esse, quod magis morte ipsa horreat, & per mortem ultro accersitam arcere uel effugere cupiat, quisquis seipsum interficit. Iudas itaq; uel impatientia doloris, uel metu pudoris uictus, aut certe instinctu Satanæ adactus, laqueo sibi ipsi uitã ademit, quod nõ feciset si cũ reliquis Apostolis fide Christi præditus fuisset.

Augustinus lib. 1. de ciuitate Dei quatuor causas as- Cap. 26.
signare uidetur, ob quas plerique mortem sibi ipsis ultro inferant. Prima est, impatientia calamitatis alicuius ac- 1
ceptæ, uel instantis adhuc metus: utpote, qui uel amissionem eorum quos charos habuerunt; uel terreni alicuius emolumenti dispendium, ferre non ualent: aut qui seruitutẽ fugiunt, sicut Cato Vticensis, & Zelotes, de quibus scribit Iosephus: aut diutinam ægritudinem corporis amplius ferre recusant, qualis erat de quo Plinius in Epistolis, qui seipsum fame necauit. In hanc classem cõiiciendi sunt, & detestabilissimum hominum genus, usurarij, qui ubi sentiunt annonæ caritatẽ, qua ad quæstum uti uolebant, benedictione Domini per largam telluris fertilitatem tolli, sibi ipsis uitam tollunt. Hi dum temporalem fugiunt incidunt in perpetuam calamitatem. Corellius, Ruffus.

Altera

2 Altera causa est, alienum peccatum quod uel sit illatum cuiquam, uel ne inferatur timetur ac fugitur. Ita seipsam Lucretia Romana mulier propter stuprũ uiolenter sibi à Tarquinio iuniore illatũ, impresso pectori mucrone interemit. Ita seipsam mulieres quædam, de quibus Augustinus libro de ciuitate Dei primo capite supradicto, ne in libidinem persequutorum inciderent, in fluuium abiecerunt. Hæ dum alienum peccatum peruerso modo uel punire uel cauere uoluerunt, inciderunt in proprium.

3 Tertia est, qua futuræ uitæ desiderio nonnulli seipsos interemerũt. Vt de Cleombroto scribit Augistinus, qui lecto Platonis libro de immortalitate animæ, ut statim illam consequeretur, de muro sese præcipitem dedit. Sed hi forsan omnium pauciſsimi reperiuntur.

4 Quarta est pœnitudo uehemens de proprio peccato, si fiducia desit misericordiæ Dei, & accedat instinctus Satanæ. Ita se Iudas laqueo suspendit.

5 Addam ego quintam causam, ardens uidelicet studium conseruandæ uel acquirendæ inanis gloriæ. Hac perierunt multi de secta Donatistarum, de quorum insania legere est apud Augustinum. Hac perijt etiam Razius ille Iudæus, de quo legere est lib. 2. Machabæorum cap. 14. et apud Augustinum epistola 61. ad Dulcitium.

Hæ causæ tales sunt, quæ quidem sensum moueant tentatorum, attamen tantum non efficerent, nisi accederet cõsilium Satanæ, qui homicida est ab initio. Huius
1 Ioh. 8. est malicia, tẽtatis suggerere homicidium uel in seipsos uel in alios. Et huius ueteratoris peruersitas in hoc Iuda diligenter est obseruanda. Quod enim in isto fecit, perpetuò facit, ubi uel minima datur occasio. Vbi peccatur, astipulator accedit, & excusationes & eleuationes peccatorum suggerit, quò securius peccetur. Vbi cognito peccato pœnitudine grauatur conscientia peccatoris, statim adest et quod antea leuis fecerat momẽti, iam facit maximi, & conscientiam alioqui anxiam reddit desperantiſsimam: nec cessat donec uictor desperata uenia tam corporis quàm animæ perniciem inducat. Nouit locum esse ueniæ apud Deum resipiscentibus & gratiam quærentibus. Ideò totus in eo est, ut in ipsa sese tentatione & desperatione ueniæ interimat peccator.

Et ad hoc utitur aliquãdo prauis hominibus, sicut hic sacerdotibus usus est

Absit itaq; ut quod plerosq; audimus dicere, sentiamus nihil esse periculi in causa salutis illis qui sese interimunt ultro. Ipse Satan ueteratiſsimus homicida nouit quid hic miseris sit periculi. Certe nemo facile dicet hoc consilij esse ex spiritu sancto, nec dicet quisquam esse naturalem affectum. Necesse est igitur, ut dicamus esse ex
2 Satana. Adde quod præcepto Dei repugnat, quo uetatur, ne occidemus. Nec locum habet si dicat quisquam, contra hoc præceptũ delinqui, si innoxium se quisquam occidat: secus autem, si noxium, qualis erat Iudas. Constituti sunt à Deo iudices, quorum est officium occidere nocentes. Prætereà nemini licet usurpare hoc munus, nec in se, nec in alios. Quod igitur Petro dictum est, gladio pugnare uolenti, cum gladij administrationem non accepisset diuinitus, id certe ad omnes dictum est, qui in hoc munere non sunt, ut nec in alios nec in seipsos ius habeant inferendæ mortis. Taceo quod ista insania tum potiſsimum habet iniunctam misericordiæ Dei desperationem, quando homo peccator pœnitudinis põdere pressus seipsum è uita tollit. Quis autem dicet saluari posse eum, qui de misericordia dei desperat, quæ tot testimonijs resipiscentibus est promiſsa & toties exhibita.

Tempora hæc postrema sunt periculosa. Parum est fidei, parum est timoris Dei. Leuiſsimè peccatur & pauciſsimi sunt, qui astus Satanæ obseruent. Regnat magna apud inauditam hanc delinquendi temeritatem calamitatum & tentationum impatientia, unde fit, ut iam aliquoties horrenda uiderimus desperatorum hominum
1 exempla. Admonitos ergo uniuersos uolo, ut nemo istã impietatem leuiculam faciat, & falsa salutis spe miseros ad spontaneam necem sollicitet, aut ullo pacto promoueat. Deinde ut quisq; sibi caueat, ne in hos Satanæ la-
2 queos incidat. Oremus omnes: ne nos inducas in tentationem. Et si quid insederit animis molesti, quod ferre nequeamus, accedamus, fideles ac Dei timentes homines, præsertim uerbi ministros, & quod soli ferre nequimus in ipsorum humeros diuidamus, ut altero alterius onera portante lapsum desperationis effugiamus. Et hoc consilij potiſsimum arbitror muliebri sexui necessarium, ut qui singulariter obnoxius sit tentatori Satanæ.

Principes autem sacerdotum acceptis argenteis, dixerũt: Non licet eos mittere in corbonam, quia preciũ sanguinis est. Consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorũ: quapropter uocatus est ager ille, ager sanguinis usq; in hodiernum diem. Tunc impletum est, quod dictũ est per Hieremiã prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos precium æstimati, quem æstimatum emerunt à filijs Israël: & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.

Cum insigni malicia perpetuam habebat hoc genus hominum coniunctam hypocrisim, id est pietatis simulationem, id quod ut paßim, ita hoc quoq; loco uidemus. Pecuniam quam in templum infœliciſsimus Iudas abiecerat, ea ipsa erat, quam proditionis precium ab ipsis acceperat sacerdotibus. Hanc acceptam quomodo simulata religione dispensent, noluit hic Euengelista cum silentio præterire, præsertim propter adimpletam ex hoc facto scripturam propheticam.

Non licet eos mittere in Corbonam, quia precium sanguinis est.] Corbona dictio est Ebraica קרבן, ut Leuit. 2. Et anima quando obtulerit oblationem donum domino. Hinc inoleuit, ut arca, in quam solebant reponi donaria quæ offerebantur à populo, uocata sit Corban, uel Corbona. Hanc Græci uocant gazophilacion, id est repositorium uel conseruatio thesauri. Huius usus erat in templo, ut ad manum esset, unde quæ templo restaurando necessaria essent, peterentur. Vide 2. Reg. 12. & 22. Ambrosius uerò ad Studium de gazophylacio templi Iudaici sic scribit: Quid est Gazophylacium? Collatio fidelium, sumptus pauperum, requies egenorum,

iuxta

iuxta quod ſedens Chriſtus, ut habetur ſecundũ Lucam, duo æra mulieris uiduæ diuitũ muneribus cenſuit præferenda. Hæc ille. De hoc uide Marci 12. & Lucæ 21.

Inſentit Origenes hoc loco.

Ergo ſecundũ Ambroſium, non ſolũ ad ſtructuram templi pertinebant, quæ in gazophylaciũ mittebantur, ſed & ad pauperum & egenorum ſuſtentationem. Nam illi erant iſti populo non minus commendati à Deo, quàm ipſa templi ſtructura. Et hic uſus contribuendi etiam apud priſcos Chriſtianos fuit, ut uidere eſt in Tertulliano in Apolog. ca. 39. Modicam inquit, unuſquiſq; ſtipem menſtrua die uel cum uelit, & ſi modo poßit, apponit. Nam nemo cõpellitur, ſed ſponte confert. Hæc quaſi depoſita pietatis ſunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec in gratijs uoratrinis diſpenſatur, ſed egenis alendis, humandisq;, & pueris ac pupillis re ac parentibus deſtitutis, ætateq; domitis ſenibus, item naufragis, et ſi qui in metallis, & ſi qui in inſulis uel in cuſtodijs duntaxat ex cauſa Dei ſectæ, alumni confeßionis ſuæ ſunt. Hæc ille. Imò ante ea tempora ſub Apoſtolis Ieroſolymis initium cœpit uſus conferendi ad egenorum ſuſtentationem, de quo uide in Actis. Verum ut apud Iudæos aliquoties intercidit, nonnunq; & in ſacerdotũ auaritiã tranſijt, ut uidere eſt 2. Reg. 12. ita & inter Chriſtianos uix ulla in re æquè inualuit ſacerdotum auaritia.

Tertullianus

Sed expendamus quid ſit, quod dicunt argenteos iſtos in Corbonam mitti non licere. Primum, non eſt falſum, quod ſentiunt non quamuis pecuniam in Corbonam recipiendã. Neq; enim recipienda eſt, quæ domino diſpliceat. Longè autem alia eſt ratio offerendi Deo munera quàm hominibus. Deo nõ eſt ratio munerum, ſed magis animorum. Humana cupiditas munerum eſt appetens magis quàm iuſtitiæ. Licet igitur quæ in Corbonam mittuntur in uſum hominum magis quàm Dei cedant: quoniam tamen Deo offeruntur, oportet ut talia ſint, quæ Deo placere poßint. Placere autem non poſſunt, cum quibus aliqua coniuncta eſt iniquitas, uel quæ uerbo ipſius ſunt uetita. Erant igitur argentei iſti illiciti, eò quod ut rationem addunt, precium eſſent ſanguinis. Eſt enim illicitum ſanguinem innoxium uendere. Diſcamus itaq; quid ad hoc requiratur, ut quæ ad uſum pietatis offerimus, ritè offeramus, uidelicet ut munus offeramus Deo acceptũ: ſcientes hic non æſtimari quid offeratur, ſed quomodo acquiſitum, et quo animo. Quædam enim prorſus hic ſunt illicita, quædam uerò minus accepta, ut et inter ea quæ accipere licet multum ſit differentiæ, ſicut uidere eſt Lucæ 21. ubi duo minuta æra uiduæ ditiũ magnis donis præferuntur, inter quæ animorum diſcreuit differentia.

Hactenus nobis ſeruiunt ſacerdotes Iudæorum, uerum in hoc plurimum ſunt deteſtabiles, quod quæ ad externam attinebant religionem ſollicitè conſiderant, ea uerò quæ animorum concernebant ſynceritatem prorſus negligunt. Reſpuunt preciũ ſanguinis, at de crimine empti ſanguinis innoxij ſecuri ſunt. Precium inquiunt, ſanguinis ſunt. Sed quis hoc precium Iudæ dedit? Cur non reſipiſcunt de peccato? Religionem ſimulant igitur non reuera cuſtodiunt, erga donaria templi. Alioquin non ſolum iniuſtam pecuniam reſpuiſſent, ſed & de commiſſo facinore doluiſſent.

Conſilio autem inito, emerunt agrum figuli ex illis, in ſepulturam peregrinorum.] Altera hæc eſt pietatis ſpecies. Pietas eſt locum parare humandis mortuis, præſertim peregrinis. Origenes intelligit de illis, qui licet Hieroſolymis peregrini non eſſent, proprias tamen ſepulturas nõ habebant, quas habebant ditiores, ut neceſſe fuerit eos alienis condi loculis. Mihi uerò ſimilius uidetur, ut intelligamus de peregrinis, qui loci ſacri gratia aliunde ex omni Iudæa Ieroſolymam ueniebant: atq; ibi, ut conditio eſt mortalium, è uiuis ſecedebant, quorum magnum perpetuò fuiſſe numerum credibile eſt. Præterquàm enim quod ter in anno omnibus maſculis comparendum erat Ieroſolymis, ipſa quoq; loci ſanctimonia, tum & ratio colendi Dei multos illuc quotidie ex omnibus circumquaq; locis trahebat.

Rationem habent peregrinorum, ſed mortuorum.

Sed cur hic demum conſulunt humandis peregrinis? ubi antea ſepulti ſunt? Deinde, cur non de ſua pecunia ſepulturam illis emunt? Et ſi de ea quæ aliorũ eſſet, cur non de licita? Et quare agrum figuli? Nunquid & ipſi tam humiliter condebantur? Facile ſcilicet comparabatur ager figuli, iam nec fertilitati nec uſui figuli commodus. Hæc ſatis indicant, quod & iſto loco non tam pij ſunt quàm uideri uolunt.

Hactenus tamen nobis ſeruiunt, quod uel mortuis peregrinis iura humanitatis exhibeat. Idem & nobis faciendum eſt. Verum ita, ut et uiuis antea beneficiamus. Omnino peccatum eſt humare mortuos, ſed ſi ex charitate fiat non ſimulata, ſed uera & ſyncera. Vera non eſt quæ uiuos negligit et erga mortuos officioſa uult uideri

Rectè autem ex ſanguine peregrini peregrinis ſepultura comparatur. Peregrinus in hoc ſeculo Chriſtus erat. Peregrini ſunt & omnes pij. Sepultura quietis ac ſabbati ſymbolum habet. Non eſt autem aliunde nobis quies ueri ſabbati niſi in ea ſepultura, quæ Chriſti ſanguine parta eſt. De hac uide Rom. 6. Heb. 11.

Quapropter uocatus eſt ager ille, ager ſanguinis, uſq; in hodiernum diem.] Memoriam ſtatuunt maliciæ ſuæ, dum ſpecimen pietatis parant hypocritæ. Non quod ipſi id nominis agro dederint, ſed quod inſtinctu dei uulgus hac nota agrum hunc memorabilem fecerit, ut qui debebat uocari ager et ſepultura peregrinorum, uocatus ſit ager ſanguinis: ut quod ſpeciem habebat pietatis, & per hypocriſim erat inſtitutum, locum daret ipſi ueritati, & uocaretur non ſepultura peregrinorũ, ſed ager ſanguinis. Vide Act. 1.

Ita certe uocari debebant etiamnum quæcunq; templa, altaria, ſacella, monumenta, agri, ædes, horti, & quicquid aliud eſt huius generis, quod ſanguine partum eſt. Sanguine uerò partum uoco ſecundum ſcripturas, quicquid fraude, ui & calumnia partũ eſt. Eſa. 1. Quid itaq; faciunt, qui ex malè partis bonis uel pietatis ſpeciem ſimulantes monumẽta ſibi ad poſteros parant, uel oſtentandi gratia ſumptuoſas ædes ſtruunt, quàm quod hic ſacerdotes feciſſe legimus? Maliciæ ſuæ memoriam durabiliorem faciunt, ut oculis mortalium perpetuò ingeratur, quàm iniquè res ſuas acquiſierint. Quot habemus hodie Monaſteria, quot templa, quot Collegia, quæ non ſint ſanguine parta? Quot agros habet Eccle-

sia, quot ditiones, sanguinis expertes? Partim prouenerunt ex bellis: partim ex rapinis ac deprædationibus: partim ex usura & auaritia, ut timendum sit, hæc olim ut ex calumnia parta sunt, ita multum Ecclesiæ datura esse molestiæ.

Tunc impletum est quod dictum est per prophetam Hieremiam.] Versatur hic quæstio, quomodo Hieremias ab Euangelista citetur, cum nihil huius habeat. Tricesimo quidem secundo capite de agro emptum à propheta legitur, sed non de tali, ut possit huc adaptari. In Zacharia uerò capite undecimo ista leguntur: Si bonum est in oculis uestris afferte precium meum, si non, quiescite. Et appenderunt precium meum triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Proijce illud ad figulum (כור־לר est in Ebreo, ut mirer) quomodo uetus reddiderit statuarium, & alius quisquam thesaurarium, cũ & Ieremiæ 18. & 19. eadem dictio reddita sit per figulum) Decorum precium quo appreciatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & proieci illos in domo domini ad figulum. Hæc ibi. Verũ de agro empto nulla fit mentio, nisi intelligatur per figulum. Apparet tamen pro Zacharia positum Ieremiam, à scriba forte, qui putauerit Euangelistam de Hieremia sentire, qui agri empti mentionem facit cap. 32. Nam Glossa ordinaria admonet in plerisq; codicibus non haberi Hieremiam, sed simpliciter: Tunc impletum est quod dictũ est per Prophetam dicentem. Quanquàm Hieronymus dicit se apocrypha quædam sub nomine Hieremiæ uidisse, inq; illis hæc Euangelistæ uerba expresse legisse.

1 Nobis hic duo notanda sunt. Vnum, quod omnia quæ passionem Christi concernunt tanta sunt diligentia iam olim antea spiritu sancti instinctu per sacros uates prædicta, & præsignata quoq;, & ad posteros transmissa. Qua in re absq; dubio electis diuinitus consultum est.

2 Alterum, quod cum scripta prophetarum absq; dubio sacerdotibus nota essent, nihilominus nõ solum adimpletionem ipsorum non obseruauerint, sed ipsi quoq; ea sua cum malicia tum hypocrisi ingenti cæcitate ad-
1 impleuerint. Qua in re uidemus primum exemplũ eorum qui animis sunt excæcatis, quàm non ad ueritatis cognitionem apud eos faciat, quod scripturæ sanctæ sci-
2 entiam tenent: quin amplius quàm qui illius ignari sunt contra ueritatem insaniant. Deinde quàm hostium ueritatis insania tam nequeat ueritatis cursum impedire, ut hoc ipso quod aduersantur, illũ magis promoueant. Ita uidemus hic hostes Christi, seruire prophetijs de Christo, in eo quod acceptam pecuniam emendo agro figuli impendunt, quemadmodum & in eo seruierunt, quod prodendi Domini precium certum, idq; triginta argenteorum, decreuerunt ac proditori dederunt. Et ipse proditor proijciendo pecuniam in domũ Domini, ueritati huius prophetiæ adimplendæ seruiuit. Quis ergo ista perpendens ab impijs ueritatis hostibus hactenus sibi timebit, ut metuat, ne cursum ueritatis sua insania remorentur.

Iesus autem stetit ante præsidem, & interrogauit eum præses, dicens: Tu es rex Iudæorum? Dixit illi Iesus: Tu dicis. Et cum accusaretur à principibus sacerdotum & senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quàm multa aduersum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad ullum uerbum, ita ut miraretur præses uehementer.

Redit Euangelista ad historiam eorum quæ apud Pilatum acta sunt. Hanc quippe per intersertionem eorũ quæ Iudæ proditoris finẽ cõcernebant interruperat.

Iesus autem stetit ante præsidem.] Huc uidelicet à principibus sacerdotum ductus. Stetit autem tanquàm reus ante iudicem, ut uel accusata crimina diluat, uel sententiam in se iudicis accipiat. Hoc uidelicet est quod dicit: Iesus stetit ante præsidem. Non dicit: Venit ad præsidem, sed stetit ante præsidem. Ad præsidem uenire, est præsidis opem contra sontem aliquem implorare. Hoc faciebant in speciem sacerdotes & seniores populi contra Iesum, cum id reuera contra sacerdotum maliciam ipse Iesus facere posset. Verum ita oportebat fieri nostræ salutis gratia, ut non ueniret ad Pilatum præsidem accusaturus inimicos suos, sed illi sisteretur ab improbis accusandus. Discamus interim hoc exemplo patientiæ in Christo, piorum magis esse, stare ante iudicem in forma reorum, modo adsit innocentia, quàm uenire ad iudicem ad accusandum inimicos ut ut reprobos. Nam prius à Christo hic perpessum legimus, posterius ab eo factum esse non legimus. Et suprà capite decimo non dixit: ad reges & principes ibitis, sed ducemini. Iniuriam ferre piorum est. De accepta iniuria ad iudicem deferre, & iure fori causam propriam persequi, etsi in se non sit improbum, sicut improbum est aliquem iniuria afficere, parum tamen conuenit ei qui patientiæ professionem suscepit. Vnde & suprà Christus capite quinto dixit: Si quis abstulerit tibi tunicam, dimitte illi & pallium. Et Paulus 1. Cor. 6. Quare non potius inquit iniuriam patimini? Sit igitur omnibus insontibus id quod Christo hic accidit consolationi, si quando à reprobis apud magistratus tanquàm nocentes fuerint accusati, & in forma reorum ante iudices stare coacti, quando in hoc seculo usuuenire uidemus, ut omnium iniquissimi, quibus iudicis fugiendus erat conspectus, hominem innocentissimum inuidiæ gratia præsidi tanquàm sontem iudicandum sistant.

Et interrogauit eum præses, dicens: Tu es rex Iudæorum?] Ordo eorum quæ acta sunt apud Pilatum, non potest nisi ex omnibus Euangelistis peti, præsertim Luca & Iohanne. Primum ut in Iohanne est rogati sunt 1
à præside principes sacerdotum, quam accusationem adferrent aduersus hunc hominem. Ad quod respondерunt: Si non esset hic nocens haudquaquàm tibi tradidissemus eum. Scilicet autoritatem suam tanti uolebant haberi à Pilato, ut dubitare non debeat, hunc hominem esse nocentem: uel ex eo tantum quod à talibus ac tantis ad condemnandum sisteretur, ita ut nihil opus fuerit de accusatione aliqua quærere, cum iam esset in ipsorum concilio iudicatus & condemnatus. Hos sequuntur hodie,

die, qui quos ipsi iudicarunt et cõdemnarunt magistratibus occidendos offerunt, ita ut ampliore causæ cognitione opus esse iudici seculari non putent: quasi licitè queat non audita causa super aliena cognitione mortis ferre sententiam, hoc quod non est iudicis, sed magis lictoris officium exequi. Pilatus uerò isto responso audito mox subiecit: Accipite eum uos, & secundum legem uestram iudicate. Quasi dicat: Intelligo illum à uobis iam esse iudicatum. Si uos estis hominis huius iudices, non erat opus ut illum ad me duceretis, cũ habeatis uestram legem, secundum quam pośitis in eum animaduertere. Si quicquàm in hanc deliquit, ut arbitror, quandoquidem uestro illum putastis iudicio obnoxium, uos in eum animaduertite. Deinde, ubi præsidis mentem animaduerterunt hinc pendère, ut à se causam hãc reijceret, cœperunt accusare Iesum, id quod Lucas admonet, cum dicit: Cœperunt autem illum accusare, dicentes: Hunc deprehendimus subuertentem populum, ac uetantem tributa dare Cæsari, dicentem se Christum regem esse. Hæc est illa accusatio, qua cupiebant animum præsidis aduersus Dominũ exacerbare, idq; haud sine astu. Sciebant illum non moueri, si dicerent: Hunc deprehendimus, blasphemum in Deum & irreligiosum erga templum nostrum, atq; ideò tanquàm blasphemum plectendum tibi offerimus. Ideò relicta causa, super qua ipsi innocentem falso damnauerant, ad alia se conuertunt, eaq; talia, quorum credebant præsidem habiturum rationem. Sciebant seditionis malum graue haberi apud Romanos præsides. Sciebant intolerabile esse, si quis tributa Cæsari dare prohibeat, & omnium grauissimum, si quis etiam regem sese cõstituat in imperio Romano.

1 De his itaq; illũ accusant. Seditiosum esse dicebant, quod docuisset populum à Galilæa Ierosolymam usq;, suapte uidelicet potestate usus, absq; legitima sacerdotalis ordinis autoritate. Et sanè id fecerat. Populum docuerat, nulla sacerdotalis ordinis potestate requisita. Verum an hoc licitè fecerit uel secus, quærendum erat. Hic apud causæ huius imperitos in speciem haud frustra
2 uidebantur quæri. Quod uerò secundo loco addebant: Et uetantem tributa dare Cæsari. Non erat tale, quod quidem sicut prius prorsus negari nequiuerit (docuerat enim populum) at iusta expositione defendi poterat. Verum quod ita erat ementitum & confictum, ut omnino factum negari potuerit, imò non solum factum negari, sed diuersum quoq; asseri. Neq; enim falsum tantum erat, quod accusabant, sed & uerum, quod iusserat dare Cæsari, quæ Cæsaris essent, idq; in hac ipsa tributi causa tentatus. Proinde quod secundo loco accusant, summam habebat impudentiam. Hoc est non solum falsum erat, sed & omnino tale, ut oppositum eius euinci
3 potuerit. Quod tertio loco dicũt: dicentem se Christum esse regem, habebat fallaciam. In se quidem uerum erat ut & ipse Dominus Pilato fatetur, quod esset Christus rex Iudæorũ. Quod uerò hoc ita accusant, tanquàm quod coniunctum habeat crimen læsæ maiestatis Romanæ, hoc fallaciam habebat. Sciebant impostores hominem gentilem non aliter intellecturum quàm de affectatione terreni regni, eamq; ægerrimè toleraturum putabant. Ideò non dicunt, dicentem se Christum esse filium Dei, sed regis dictionem adijciunt, odiosam præsidibus Imperij.

Videmus hic exemplum eorum, qui ubi uident magistratus ea quæ religionis gratia in speciẽ possent accusari, non admodum curare: ad ea se conuertunt falso accusanda, quæ sciunt illos nullo pacto ferre posse, uidelicet ad crimina seditionis & factionum. Sciunt magistratus huius seculi magis in hoc esse, ut status regnorum sit tranquillus & certus, quàm ut religio sit salua, hoc est, magis curare ut ipsi regnent, quàm ut regnet in populo suo Deus. Hac ratione cum prophetæ in ueteri, tum Christus & Apostoli, et quotquot unquàm uerbum Dei syncerè prædicarunt in nouo Testamento, non solum errorum in religione, sed & seditionum accusati sunt, & hodie accusantur. Et hoc nomine uidemus plerosq; principes supra modum ueritatis doctrinam tanquàm seditionis nota diffamatam, abhorrere.

De his accusatis criminibus intelligit Euangelista noster, cum dicit: Et cum accusaretur à principibus sacerdotum & senioribus, nihil respondit. Quod nihil respondit, eadem forsan ratione fecit, qua suprà capite præcedenti ad falsorum testium testimonia nihil respondit. Et quod Euangelista de Pilato subiungit, quod tacenti Christo dixerit: Non audis quàm multa aduersum te dicunt testimonia? Et quod ne sic quidem aliquid responderit Christus, ita ut admiratus sit præses: non est factum intus in ipso prætorio, sed foris. Nam, ut Iohannes habet, cum prætorium principes sacerdotum ne contaminarentur, ingredi nollent, ipse præses foras Eb. 11.
est ad eos egressus.

Quod autem præses dicitur uehementer Iesu silentium admiratus esse, non erat præter rationẽ. Primum enim capitalia erant crimina de quibus accusabatur. Deinde nonnihil habebant ueri similitudinis, eò quod constabat, quod populum docuisset, & quod rex Israël etiam à populo salutatus esset. Tertio qui accusabant, non erant homines plebei, & modicæ fidei, sed erant ipsi primores & principes populi. Quarto ad quem accusabatur, erat præses imperij, acerrimus seditionis ultor, & magna potestate præditus. Ista stuporem incutiebant Pilato, ubi Iesum ad tanta crimina obiecta constanter tacere uidebat, maximè cum sciret eum per inuidiam traditum.

Nequeo hic non desiderare prudentiam in Pilato. Debebat potius sacerdotum admirari impudentiam, qui de his rebus ausi sint accusare hunc Iesum, quasi hoc in illo detestati sint, quod se diceret esse regem Christũ, atq; ita Romano imperio aduersaretur, uelut ipsi imperij Romani essent ex animo amici, cum omnino aliud agerent, ipsissimi imperij hostes, quales & paulo post deprehensi sunt. Poterat eos rogare. primum, num cre 1
derent et sperarent aliquando ipsis adfore regem suum
Christum in lege ipsorum promissum. Deinde, an cre- 2
derent illum regnum hoc suæ potestati subiecturum.
Tertio, quid ipsi facturi essent, ubi is aduenisset, uel si 3
scirent hunc Iesum, quem nunc hoc nomine accusant, uerè promissum esse Christum. His quæsitis, potuisset

conſpicuo deprehendere iſtorum hypocritarum maliciam, qua uidelicet nec erga Romanum imperium, nec erga ipſum promiſſum Chriſtum animo erant ſyncero, ſed ut ſuum regnum ſtabilirent, omnia aſtutè & malicioſe moliebantur.

Tu es rex Iudæorum?] Iſta interrogaſſe Pilatum non extra Prætorium, ſed intro accito Ieſu, ſeorſum, in Iohanne legimus, ubi & huius cauſæ amplior uentilatio habetur, & ſimul regni Chriſti conditio exponitur: quod non ſit ex hoc mundo, et quod ſitum ſit in ueritate Dei, quodq; uocem regis huius hi ſint audituri, qui ex ueritate ſunt.

De his rebus reſpondet Chriſtus Pilato ſeorſum, quoniam is ſeorſum de regno ſuo quæſierat, idq; non malo animo, ſed multo candidiore quàm erat ſacerdotum ac ſeniorum. Nolebat præſidem in hac cauſa falſis ſacerdotũ delationibus de ambitu regni terreni ſeduci. Ideò non ſolum illi fatetur ſe eſſe regem illum Iudæorum, ſed & regni ſui conditionem talem eſſe oſtendit, quæ non tollat terrenum Romanorum imperium, ut nihil cauſæ ſit, quo ſeditionis accuſari mereatur. Et certe iſta expoſitio regni Chriſti, ad amouendam calumniam hoſtium ueritatis etiam hodie diligenter eſt inculcanda magiſtratibus, ne putent doctrinam regni Chriſti ſeditioſam eſſe, & iura terrenæ poteſtatis ſubuertere. Imò contra prodendi ſunt, qui contra iura imperij & reliquorum magiſtratuũ ex regno Chriſti terrenum principatum fecerunt.

In feſto autem conſueuerat præſes turbæ dimittere unum uinctum quem uoluiſſent. Habebat autem tunc uinctum inſignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Vtrum uultis dimittam uobis Barabbam, an Ieſum, qui dicitur Chriſtus? Sciebat enim, quod propter inuidiam tradidiſſent eũ.

Animus Pilati erat ad liberandum Ieſum. Sciebat enim quod propter inuidiam illũ tradidiſſent. Ideò quærebat undiq; occaſionem liberandi inſontem. Hac ratione præſentis feſti occaſionem uſurpat, ut per conſuetudinem Iudæorum, qua ſolebant ſingulis annis in memoriam liberationis ex Aegypto, uinctum aliquem libertati donare, Ieſum liberaret.

Hæc conſuetudo erat ex humana traditione, non ex lege Dei. Volebant hoc modo memoriam liberationis ex Aegypto conſeruare, deinde animi quandam gratitudinem oſtendere, & commiſerationem erga uinctos, ut qui & ipſi uincti fuerint in Aegypto & liberationis beneficium experti. Verum ipſorum liberatio longè fuerat alia conditione. Iſraël detentus fuerat non legitimè, ſed ſub tyrannide Pharaonis, & tyrannicè preſſus, ut clamor oppreſſorũ meritò miſericordiam apud Deum inuenerit. Hi uerò, quos ipſi liberari uolebant in hoc feſto, legitimis uinculis legitimè puniendi & caſtigandi detinebantur. Igitur in liberando Iſraëlem contra nullam iuſtitiam peccatum fuerat, hic uerò delinquebatur, iuſtitiæ leges retundendo. Deinde, qui Iſraëlem liberauerat, Dominus eſt omnium, non ſolum Iſraëlis, ſed & totius orbis, nedum Aegypti, in cuius manu & poteſtate eſt liberos uincire, & uinctos liberare, cum ſit Dominus uitæ & necis. Hic uerò non ita. Qui magiſtratum gerunt, miniſtri ſunt iuſtitiæ non miſericordiæ, munus adminiſtrantes non propriæ ſed ſuperioris poteſtatis, ita ut illis in iudicio ne pauperis quidem miſereri liceat. Quid igitur? Nunquàm ne licet uinctorum petere liberationem? ergo deneganda eſt illis omnis commiſeratio? Reſpondeo. Magna opus eſt cautione hoc loco, ne uel in iuſtitiam temerè uel in miſericordiam peccemus. Vtraq; enim ſollicitè cuſtodienda eſt. Miſericordiam non debemus etiam erga reos abijcere, ſed hactenus, ut non ſit locus per præpoſteram miſericordiam ueræ immiſericordiæ & iniuſtitiæ. Quod ſi liberatio uincti bono ipſi cedere & ſaluti eſſe poterit, ita ut interea innocentibus nihil ſtruatur calumniæ, nihil periculi, arbitror facilius poſſe & cum minore ſcrupulo huiuſmodi peti liberationem. Alioqui nec reo nec reliquis inſontibus impenditur miſericordia, & temerè in leges iuſtitiæ delinquitur. Et quoniam hi caſus, in quibus cum bona conſcientia poßit uinctorum liberatio peti, rari ſunt, maximè in hoc peßimo ſeculo, ubi alioqui plus æquo iuſtitiæ rigor remiſſus eſt, & uel ſumma regnat tyrannis, uel diſciplinæ uirga neglecta iacet. puto non eſſe opus miſericordiæ, nec licere etiam, ut petitio liberationis uinctorum in conſuetudinem abeat, quæ certe hoc ſeculo non ex miſericordia erga miſeros, ſed neſcio qua praua licentia & ſcelerum contemptu oritur. Atq; ita uirga caſtigandorum nocentum ſenſim frangitur, dum quiſq; ſibi malè conſcius uiam hanc apertam cupit in poſterum, ut aliquando & ipſe per illam ex tricis elabi queat. Iſta indulgentia quid breui ſit paritura, ipſa docebit experientia.

Quod ad Iudaicam conſuetudinem attinet, illam, ut dicere cœpi non probo. Licet enim boni habuerit ſpeciem, eam tamen ſolam habuit abſq; ullius boni ueritate. Quod ſi uoluiſſent memoriam liberationis Aegyptiacæ ſeruare, habebant modum à Deo præſcriptum, in celebrando paſchate. Si iſto nolebant eſſe contenti, & præ nimia animi gratitudine uidebatur etiam de ſuo aliquid adijciendum, poterant tale quid addere, quod non feciſſet contra rationem iuſtitiæ, & magis animum gratum expreßiſſet: utpote, ſi quiſq; debitorem ſuum ab omni debito abſoluiſſet ac liberum reddidiſſet. Hoc poterunt facere quiſq; ſuo iure. Verum non lubebat. At de alieno iure multum remitti facillimum erat petitu. Sed ita ſolet phariſaica non uera iuſtitia, nec uera miſericordia.

Quod autem præſes in eo feſto uinctum aliquem, quem Iudæi uoluiſſent, liberare conſueuerat, non erat & ipſum cum iudicio, ſed animum reſipiebat uulgo parumper indulgentem & gratificantem, ut hoc patientius iugum dominationis ferret. Sciunt enim filij huius ſeculi, eum haud facile imperaturum, qui conniuere ad pleraq; neſciat. Nec ego id abnuo, in loco licitè & utiliter fieri poſſe, uerum in rebus licitis iuſtitiæ legibus non derogantibus. Remittantur potius quæ intempeſtiuam

ſtiuam habent ſecuritatem, quæ parum ſunt humana, quæ tyrannidem ſapiunt. Sit bonos probis & innoxijs, nedum ſecuritas: ſit metus pœnæ reprobis, reſipiat gubernatio paternum affectum. In his poteſt ſaluus eſſe ac diuturnus principatus.

Habebat autem tunc uinctum inſignem, qui dicebatur Barrabas.] De hoc ſcribunt Marcus & Lucas, quod propter ſeditionem in ciuitate factam, cum autoribus ſeditionis uinctus fuerit: addunt etiam quod homicidium in ſeditione patrauerit. Iohannes uno uerbo dicit eum fuiſſe latronem. Hoc ſcilicet eſt quod noſter eum inſignem, propter ſingularem uidelicet maliciam fuiſſe ſcribit. Voluerunt Euangeliſtæ ingentem Iudaicæ maliciæ cæcitatem in hac Barabbæ deſcribenda malicia notare, ut quos non puduerit hominem innocentem tam inſigni latroni poſtponere.

Non eſt tranſeundum, quod inſignis hic latro, homo factioſus & ad maliciam ueluti natus, Barabbas dictus fuiſſe ſcribitur. Barabbas enim Ebræa dictio, ſi interpreteris patris filius uocatur. Recte uidelicet Barabbas dictus eſt, patris filius, cuius inſignis malicia nota fuit ciuitati. Tales enim plerunq; euadunt, qui per paternam indulgentiam nimium licenter educantur, quos & Germani uulgo watters ſunlin uocamus: quibus uidelicet omnia pro libidine permittuntur, atq; ita à teneris annis in omni licentia adoleſcunt, ut nihil non ſibi permittant temerè. Hi, poſtquàm in omnis generis flagitijs edendo, bibendo, ſcortando, ludendo, adoleuerunt, tandem eò euadunt, ut iam non ſibi tantum & parentibus damno & dedecori ſint, ſed & ipſi ciuitati pernicioſi. Tantum ſcilicet mali paternæ debetur indulgentiæ.

Vide Platonem in Critone.

Et ob hanc cauſam non immeritò apud Græcas reſpublicas leges fuerunt, quibus ciuibus præcipiebatur, quomodo educandi eſſent liberi, ut non magis parentum quàm ciuitatis poteſtati ac iuri ſubeſſe coacta ſit illorum educatio. Et in lege Dei ſancitum eſt, ut filius indiſciplinatus, contumax ac proteruus, comeſſationibus, luxuriæ, & conuiuijs uacans, ad magiſtratum ſiſtatur, condemnetur, & à populo lapidibus obruatur. Nimirum admonebatur malas huiuſmodi ciuitatum peſtes, adhuc radices agentes extirpandas eſſe, ne publicis moribus & ciuili tranquillitati noceant. Quod ſi ciuitas iſta Hieroſolyma legi Dei paruiſſet, & iſtis Barabbis commodum in tempore maliciæ finem poſuiſſet, tantũ ciuilium ſeditionum & ſchiſmatum in urbe nõ habuiſſet. Et ipſa Roma huius mali uires ſenſit.

Vtrum uultis dimittam uobis? Barabbam, an Ieſum qui dicitur Chriſtus?] Non dicit: Pro conſuetudine feſti, dimittam uobis Ieſum hunc, quem uinctum adduxiſtis. Non enim erat in ipſius poteſtate dimittere populo uinctum, quem ipſe uoluiſſet, ſed in arbitrio populi. Vnde & ſuprà dixit Euangeliſta: Conſueuerat præſes dimittere turbæ uinctum quem uoluiſſent. Ideò rogat eos, quem ſibi uelint dimitti ex his duobus, Barabba & Ieſu.

Non caret autem ſingulari induſtria, quod cum adhuc alios uinctos haberet, quemadmodum & eo die duo cum Ieſu crucifixi ſunt, neglectis tamen illis Barabbam cum Ieſu coniungit. Sciebat uidelicet hunc inſignem latronem eſſe, & mali nominis in tota ciuitate. Atq; ob eam cauſam arbitrabatur fore, ut hunc ſibi haudquaquàm dimitti peterent. Reliquum ergo uidebatur, ut Ieſum potius dimitti uellent. Hoc erat Pilati conſilium. Nam omnino cupiebat inſontem liberare.

Huc etiam facit, quod non dicit: Qui ſe Chriſtum eſſe dicit. Nec dicit: Qui Chriſtus eſt, ſed qui dicitur Chriſtus. Nolebat nec ſe grauare nec innocentem, ſed quicquid in ea cauſa accuſationis ad ſe fuerat delatum, reiecit in communem famam, uolens inſonti uel ex eo apud populum nonnihil fauoris conciliare, quod uulgo diceretur ipſorum eſſe Meßiach. Vnde & ut apud Iohannem eſt, cum inſtanter clamarent: crucifige, crucifige, reſpondit: Regem ueſtrum crucifigam? Putabat enim eos propenſiore animo erga illum fore, quod rex ipſorum diceretur.

Sciebat enim quod propter inuidiam tradidiſſent eum.] Marcus addit: ſummi ſacerdotes. Duo hæc in Euangelicis literis dantur ſacerdotibus, ſcribis & Phariſæis maligni animi indicia. Vnum quod inuidiam aluerint contra Chriſtum. Alterum, quod odio illum proſequuti ſint. De priore teſtatur hic locus. De poſteriore habemus Iohannis 15. ex ipſis Chriſti uerbis. Hæc duo quamuis ſint diuerſæ rationis, ut non mox alterum coniunctum ſit altero (neq; enim mox odium coniunctam habet inuidentiam, ut in iuſtis apparet, qui cum Dauide hoſtes Dei perfecto odio perſequuntur, quibus tamen inuidere non poſſunt) ex una tamen maligni animi radice naſcuntur apud eos, qui non quæ dei gloriam & proximi ſalutem concernunt, ſed quæ ſua ſunt quærunt, ſeipſos tantum diligunt, & nuſquam non proprijs emolumentis ſtudent, ſiue, opibus aggregandis, ſiue κενοδοξίᾳ intenti.

Et iſti inuidiæ & odij cauſas in ſeipſis habent, non in illis quos inuidia & odio proſequuntur. Aliena proſperitas uidetur inuidiæ morbo dare cauſam. Verum re ipſa magis cauſam præſtat congratulandi quàm inuidendi, ſi adſit uera dilectio. Ita & odij cauſa, quo infenſi erant Chriſto, in Chriſto non erat, ſed in ipſorum malicia. Inuidebant honori illius, quem uidebatur habere ex accurſu populi, & rebus miraculoſe geſtis. Quare? Quia non Dei, ſed propriam gloriam quærebant. Odio illum habebant. Quare? Quod ad Chriſtum attinet, ſine cauſa. Quod ad ipſos uerò, non ſine cauſa. Quia uidelicet metuebant regno ſuo, pariter & nomini. Dicebant enim noſtra eſt hæreditas. Deinde, opera illorum mala erant, quæ Chriſtus lux mundi arguebat. Nuſquam enim non detegebat illorum hypocriſim & maliciam. Vt igitur lucis culpa non eſt, quod furi eſt inuiſa, ſed ipſius furis, qui propter opera ſua mala tenebras mauult q̃ lucem, ita Chriſti culpa non erat, quod hoc hominum genus odio ipſum proſequebatur. In Summa, ita comparati ſunt impij, ut ſiue iuſtum odio habeant, ſiue à quoquam habeantur, perpetuò culpam

Ioh. 15.

Suprà 21.

huius & causam in seipsis habeant. Et quod Christo ipsi ab hoc sacerdotum genere, non sua, sed ipsorum culpa contigit, idem & discipulis ipsius, uerbi ac ueritatis ministris, ab eiusdem generis sacerdotibus eadem pariter ratione perpetuò continget.

2 Sed unde habebat Pilatus, ut certo sciret, quod per inuidiam tradidissent Iesum? Diceret saltem Euangelista, suspicabatur enim, quod per inuidiam tradidissent eum. Iam cum dicit: Sciebat enim, &c. necesse est, certa fuisse in sacerdotibus inuidiæ huius indicia, unde Pilatus id quod res erat colligere potuerit. Sciebat uidelicet illorum arrogantiam, superbiam, auariciam, & regnandi ambitionem. Vtut enim essent in causa religionis hypocritæ, ipso tamen uiuendi genere, & modo administrandi sacerdotium, satis quo fastu essent, & quibus affectibus præditi, declarabant. Hinc facile colligebat, ea quæ de Christo audierat cum dicta tum facta, isti ordini summopere inuisa esse. Ita hodie haud difficile est cognoscere, qua ratione qui in ecclesia Christi, non quæ Christi sed quæ sua sunt quærunt, Euangelicæ doctrinæ illiusq; ministris tantopere aduersentur. Licet enim cum Iudaicis sacerdotibus non dicant Pilato: occide hunc hominem. est enim nobis inuisus. detrahit regno & honori nostro, sed alia prætexant, omnium tamen facillimum est intelligere ex inuidia & odio esse, quicquid cõtra Euãgelij assectatores moliũtur.

3 Addam & hoc. Si Pilatus sciebat quod Iesum per inuidiam tradiderant, hoc est, quod falso illum de rebus istis grauibus accusauerant, non hoc agentes, ut homo Romano imperio pernicioſus plectatur, & publicæ illius tranquillitati consulatur, sed ut odio ipsorum seruiatur, & ut odij natura est (Nam quem quis odit perisse cupit) è medio tollatur, cuius successum ferre non poterat sacerdotalis fastus & ambitio. Quare non hoc illis mox obiecit, atq; ita insontem è manibus ipsorum eripuit? Nihil sine causa. Diuites erant, poterat multum quæstus ex ipsis redire ad præsidẽ, si illis gratificaretur. Deinde erant etiam potentes, poterant præsidi apud Cæsarem negocium facere. Horum gratia dissimulat ad cognitam & expertam horum hominum maliciam. Pilatum hodie referunt, quotquot sciunt quidem quid aduersarios Euangelij ad reluctandum moueat, uerum dissimulare malunt, eò quod sint opulenti & potentes, & forsan cognati etiam, quàm reprehendere.

Vnde & Iohannes dicit, homicidam esse qui fratrem odit.

Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor eius, dicens: Nihil tibi cum iusto illo: multa enim passa sum hodie in somnis propter eum.

Dixit Euangelista, notum fuisse Pilato, quod per inuidiam Christus à Pharisæis ac summis sacerdotibus traditus esset: quibus uerbis tam ostenditur manifestam fuisse Iudæorum erga Dominum inuidiam, quàm declaratur, conspicuam fuisse Christi innocentiam. Huc pertinet & hæc particula de uxore Pilati, quæ cognita Iesu innocentia & sacerdotum malicia admonendum putauit uirum suum, ne se sanguinis innoxij effusione culpabilem redderet.

Quidam putant id quod in somnis passa est, opera Satanæ factum esse, ut per mulierem ita impediretur hominis reparatio, sicuti initio per mulierem introducta est humani generis perditio. Mihi uerò commentum hoc uidetur non esse uero simile. Primum, quod apparet mulierem hanc fuisse Dei timentem, & habentem rationem iustitiæ, in eo quod Christum iustum uocauit, & uirum admonuit, ne in iustum quicquam delinqueret, sed ab illius sanguine abstineret. Deinde, quod si Satan uoluisset impedire mortem Christi melius hoc fecisset, cohibendo furias sacerdotum, Scribarum & Pharisæorum, quos tamen ipse inflammabat. Quomodo uerisimile est uoluisse illum impedire per uxorem Pilati, quod per sacerdotes & Scribas studiosissimè perficere conabatur? Non est igitur credibile, quod hæc mulier acta sit instinctu Satanæ, sed potius quod consilio Dei sit mota. Non quod ita uisum sit remorari opus redemptionis, absit, sed quod ita oportuerit Domino undecunq; dari testimonium innocentiæ.

Apparet hanc mulierem ex conuictu cum Ebræis nonnihil pietatis contraxisse, unde illam haud immeritò quidam ex Patribus constituunt Ecclesiæ gentium figuram. Exemplum sit, quid utilitatis subinde sequatur, si detur conuiuere pijs, uel illis saltem apud quos & si non recta uitæ conuersatio, tamen uerbum Dei qualitercunq; obtinet. 1

Expendendum est, quomodo plerunq; gratia Dei infirmioribus detur, quæ potentioribus negatur. 2

Et hoc æstimandum est quod mulier tantum iudicem, & iam pro tribunali coram populi & magnatum frequentia sedentem audet iusti & æqui admonere. Prudentes seculi in his casibus haud facile ferrent talem admonitionem à muliere profectam. Verum ita comparata est ista iudicum conditio, ut alio qui magni uiri mulierc̃larum quoq; admonitione opus habeant. Et plerunq; profuit, tales admonitiones non spreuisse. Rursus sæpenumero nocuit uxorum monita reiecisse. Exemplo sit Cæsar, qui si Calphurniæ uxoris somnuo locum dedisset, uitæ periculum uitasset. 3

Notent hic iudices quibus gladius commissus est ad uindictam malorum. Vox illa: Nihil tibi sit cum iusto illo. Omnino talis est, ut ad omnes in uniuersum iudices & magistratus pertineat. Non quod nihil sit negocij iudicibus cum iustorum innocentia, quam certe defendere & honore ornare debent, sed quod officium ultionis non iustorum sed reproborum gratia à Domino cõmendatum habeant. Sicut illud Pauli: Lex non est iusto posita, sed iniustis. Proinde signũ est iræ diuinæ, si quando peruerso modo magistratus quos debebat honore afficere, punit & malè tractat.

Multa propter eũ passa sum in somnis.] De somnis non est hic animus quicq̃ dicere. Quid perpessa sit in somnis non liquet. Fieri potest, ut graui & molesto somnio curis & anguſtijs pleno sit affecta, licet diuina operatione, tamen mediante præuia cura & cogitatione de causa quæ tum contra Dominum per sacerdotes & Pharisæos agebatur. Nam ita fieri solet, ut talia somnia sicuti

ſicuti etiam è regione lœta per cogitationes ac meditationes præuias alliciantur. Intellexerat abſq; dubio ſacerdotes à Præſide domino ac marito ſuo cohortem militarem ad capiendum Ieſum accepiſſe, unde ueriſimile eſt cauſam fuiſſe datam mulieri obnoxius de innocentia Domini & malicia ſacerdotum cogitandi, atq; ita per cogitationum uehementiam delabendi in huiuſmodi grauia ſomnia.

Tales oportebat eſſe iudicum animos, utinam ſaltem admonitioni mulierum locum ſubinde darent, ubi occaſio conſimilis offertur.

Principes autem ſacerdotum & ſenio-
res perſuaſerunt turbis, ut peterent Ba-
rabbam, Ieſum uerò perderent. Reſpon-
dens autem præſes ait illis: Vtrum uultis
uobis è duobus dimittam? At illi dixe-
runt Barabbam. Dixit illis Pilatus: Quid
igitur faciam Ieſu, qui dicitur Chriſtus?
Dicũt ei omnes: Crucifigatur. Præſes aũt
ait: Quid enim mali fecit? At illi magis
clamabunt, dicentes: Crucifigatur.

1 *Duo uidemus hoc loco. Primum maliciam ſacerdotum, qua ad exequutionem propoſiti ſui uulgi inconſiderantiam ſeducũt. Perſuaſerunt inquit, turbis ut peterent Barabbam, Ieſum uerò perderent. Quæ utilitas turbæ in eo erat quod latro liberandus, & Ieſus perdendus petebatur? Res ſuas quærebant ſacerdotes non populi. Quærebant occiſo Ieſu regnũ ſuum ſtabilitum.*

Hoc ingenio perpetuo ſunt mali ſacerdotes, ut miſeram plebeculam ad ſtabiliendas res ſuas ſeducant, & nihilominus populi ſeductionem à ſe reijciant in eos, qui populo conſultum uolunt quemadmodum & Iudæorum ſacerdotes fecerunt.

Sed quibus putas uerbis perſuaſerunt turbis? Abſq; dubio occinuerũt illis. Primum autoritatem ſacerdotij & concilij præmiſi, in quo ſit iſte Ieſus blaſphemiæ cõdemnatus: deinde & illud: uenient Romani, &c. His laqueis irretita eſt miſera plebs, ut peteret iuſtum occidi & latronem dimitti. Duo ſunt genera hominum in plebe. Vnum eſt religioſum in ſpeciem: alterũ eſt deditum tẽporarijs. Sic duo adhibita ſunt argumentorũ genera.

2 *Alterum eſt, ingenium populi excæcati, à malis ſacerdotibus pendentis. Eum nolunt occidi, à quo erant ſaluandi, & perſuaderi ſibi ſinunt à tyrannis ſuis, ut liberatorem ſuum perdi petant. Perinde ac ſi miſeræ ouiculæ perſuaderi ſibi ſinerent, ut paſtorem, à quo debebant ali ac defendi, à lupis occidi peterent.*

Huius generis populi in Eccleſia Chriſti adhuc multi ſunt hodie, maximè qui ab Epiſcopis in cæcitate èt ignorantia detinentur. Tales erant iſtæ turbæ, erant ex ciuibus Hieroſolymæ pendẽtibus ab autoritate ſacerdotum & Phariſæorum. Proinde quo magis uidebant Pilatum tueri Chriſti innocentiam, hoc magis inſaniebant & maiore furore clamabant, non dimittendum eſſe Ieſum, ſed crucifigendum.

Debebant reliqua plebe exagris, eſſe iuſtiores & intelligentiores.

Videns autem Pilatus quod nihil pro-
ficeret, ſed magis tumultus fieret, accepta
aqua, abluit manus coram populo, dicẽs:
Innocens ego ſum à ſanguine huius iuſti,
uos uideritis. Et reſpondens uniuerſus
populus, dixit: Sanguis eius ſuper nos, et
ſuper filios noſtros. Tunc dimiſit illis Ba
rabbam, Ieſum autem flagellatum tradi-
dit ut crucifigeretur.

Tradidit ergo Ieſum ad crucem Pilatus, & latronem liberum dimittit. Sed quomodo?

Primum non ex animi ſui ſententia, ſed tumultu populi uictus. 1

Deinde conſpicuo innocentiæ Ieſu teſtimonio præmiſſo, & uerbis & ablutione manuum teſtatus, iuſtum eſſe hunc hominem, & quod nolit reus eſſe ſanguinis illius. Huc debet referri ablutio illa manuum, non quod planè innocẽs fuerit Pilatus à ſanguine Chriſti, ſed quod Chriſti innocentiam ita oportuerit teſtatam fieri ab ipſo iudice. 2

Tertio adiecta etiam futuræ ultionis comminatione, cum dixit: uos uideritis, & nimium efficaci imprecatione populi ſuper ſe & liberos ſuos, dicentis: Sanguis eius ſuper nos & ſuper liberos noſtros. Licet poſtea aliquot millia ex iſto populo gratiam Chriſti adepta ſint, de quibus uidere eſt in Actis cap. 2. 4. & 21. tamen iſta ultionis imprecatio in hodiernum uſq; diem manet in poſteritate Iudaica. 3

Quarto præmiſſa etiam flagellatione. Fecerat enim illum ideò flagellari, quod putabat populum hac pœna contentum, quieturum nec ultra petiturum, ut crucifigeretur. Verũ omnia fruſtra tentabat Pilat.... Ita erat conſtitutum diuinitus ut crucifigeretur Chriſtus. Et nõ potuit dimitti ſicut nocẽs: potuit autem occidi ſicut innocens. Rectè ergo factum eſt, ut latro dimitteretur, & Chriſtus illius loco crucifigeretur. Debebat enim iuſtus pro iniuſtis occidi, ut iniuſti liberarentur ab æternæ ſententia mortis. 4

Tunc milites præſidis ſuſcipientes Ie-
ſum in prætorio, cõgregauerunt ad eum
uniuerſam cohortem. Et cum exuiſſent
eum, circundederunt ei chlamydem coc-
cinam, & coronam de ſpinis contextam
impoſuerunt ſuper caput eius, & harun-
dinem in dexteram eius, & genu flexo
ante eum, illudebãt ei, dicentes: Aue rex
Iudæorum. Et cum expuiſſent in eum,
acceperunt harundinem & percutiebant
caput eius. Et poſtq; illuſiſſent ei exue-
runt eum chlamyde, & induerunt eum
ueſtimentis ſuis, & abduxerunt eum ut
crucifigerent.

Quoniam accuſatus fuerat affectatæ maieſtatis regiæ, milites poſtquàm ſententia lata erat à Pilato, ut

crucifigeretur, uoluerunt ante omnia pro animo suo quem habebant erga Cæsarem illudere affectatæ regiæ maiestatis damnato. Ad hanc rem itaq; cõgregant uniuersam cohortem, ut quod acturi erant non esset paucorum tantum, sed totus ordinis militaris institutum. Volebant enim hoc pacto & omnium militum uoluntatem erga Cæsarem declarari, & communi opprobrio damnatum afficere.

Et cum exuissent eum circundederunt ei.] Vt ostenderent quod homo priuatus malè sibi regium honorem usurpârit, priuatam illi uestem adimunt, & regiæ maiestatis insignia imponunt, ut purpuram, coronam, & sceptrum. Addunt etiam regi competentem salutationem. Verum quoniam hæc probri gratia faciebant, coronam imponunt non ex auro, sed spinis, & sceptrum dant non regium, sed arundineum, & salutationi addunt sputa & uerbera.

Ista imagine expressum est, quomodo regnum Christi in hoc seculo ludibrio futurum esset obnoxium tanquam nihili & inane. Quod totum ex ignorantia eius regni contigit. Si enim Dominum gloriæ cognouissent, utiq; probris istis non affecissent, nec crucifixissent.

Hac in re culpabiles erant sacerdotes Iudæorum & seniores, qui Christum de affectato terreno regno accusauerant, cum regnum eius non sit de hoc mundo, sed prorsus spiritale, cœleste & æternum, nec tollat magistratus huius seculi, sed dirigat.

Notemus hic stultitiam mundi. Regnum Christi irrident, Romanum putant uerè ac solum esse regnum. In hoc esse gloriam, maiestatem, ac potentiam regiam, in regno Christi nihil horum uident, atq; ideò sceptrum illi dant harundineum, hoc est, nihili & inane, ad illudendum illius regno. Hæc est cæcitas mundi. Quæ uerè sunt regia, magnifica, & potentia qualia sunt cœlestia & spiritalia hæc mũdo uidentur esse inania & ludibrio digna, quæ uerò ipsissima sunt uanitas, magnificiunt & extollunt. Quid erat Romanum regnum collatum regno Christi, nisi regnum harundineum? Sic Ezech. 29. regnum Aegypti, quod tum forte putabatur, baculus arundineus uocatur. Regni uerò Christi sceptrum, contra impios tyrannos est uirga ferrea, qua omnium regnorum arundinea sceptra omnium facillimè quatiuntur. De illo nanq; uaticinatum est, quod sit omnia regna mũdi cõminuturũ, et ipsum permansurũ in sempiternũ.

Psal. 2

Dan. 2

DVO SVNT HIC NOTANDA.

1 De malicia eorum, qui doctrinam Christi potentatibus terrenis suspectam reddunt, quod regnum & dominium seculare ambiat, & regiæ administrationi aduersetur. Illi faciũt, ut probris afficiantur qui cunq; regnum Christi promotum cupiunt, & ipsa doctrina regni Dei tanquam seditiosa respuatur. Illi Christo purpuram circundant, & calamum & coronam imponũt. Quid aliud faciunt Romani hodie, qui regnum Christi spiritale in terrenum commutarunt? Nobis obijcitur, quod doctrinam inuehamus quæ magistratibus aduersetur, & faciunt hoc illi ipsi qui Romanorum ambitionem contra imperij maiestatem iam diu insanientem defendunt, cum doceamus cum Christo, Cæsari dandum quod Cæsaris, & Deo quod Dei est, & regnum Christi non esse de hoc mundo. Omnino culpabiles sunt hoc loco cum sacerdotibus Iudæorum, quicunq; ex Ecclesiastica potestate mundanũ regnum & dominiũ faciũt.

Alterum est, exemplum patientiæ in Christo. Insignem iniuriam & contumeliam accipit de causa regni, & patienter tolerat. Irridetur, percutitur, & conspuitur. Imò regnum eius irridetur & probris afficitur. Interea tacet, & omnia tolerat. Rex gloriæ coronatur spinis, sceptro arundineo illuditur, & percutitur, pro salutatione sputis deturpatur. Et hæc omnia illi contingunt nostri causa. 2

Nos uerò quid? Primum quas non persequimur delicias? quem luxum & fastum non affectamus? An ideò nostri gratia contumelias istas, hæc probra, hæc sputa in se transtulit Christus, ut nos postea deliciaremur & omnis generis molliciem, luxum & fastum nobis permitteremus? Dominus noster sub cruce & contumelijs nos præcessit ad cœlestia, & nos tanto studio deliciarum absorpti somniamus nos in itinere Christi esse, & ad cœlestia regna peruenturos? 1

Deinde quàm cupide & quanta cum ulciscendi libidine illatas iniurias persequimur? Quis nostrum patienter tolerat uel uerbulum aliquod acerbius in aures nostras dictum, nedum sputa in faciem iaculata? 2

Et postquàm illusissent ei, exuerunt eum chlamyde.] Cur non in purpura illum, sed proprijs uestibus indutum educere uoluerint milites, non liquet. Hoc tamen liquet, oportuisse hoc ita fieri, propter scripturam de diuisione uestium Christi adimplendam. Solenne hoc est in iudicijs Dei, ut etiam impij cogantur omnia facere, ut ueritas diuini uerbi adimpleatur, idq; tum potissimum, ubi consilio Dei repugnant. Mar.

Exeuntes autem inuenerũt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, hunc adegerunt ut tolleret crucem eius. Et uenerunt in locũ qui dicitur Golgotha, quod est caluariæ locus. Et dederunt ei acetum bibere cum felle mixtum, & cum gustasset noluit bibere.

Ioannes dicit, quod Iesus ipse portârit crucẽ suam. Tres reliqui mentionem faciunt Simonis Cyrenæi, q. coactus sit ferre crucem eius. Non est aliqua hic contrarietas. Christus ipse primum portauit crucem suam aliquandiu: deinde quoniam corpore erat flagellato & debilitato, ne moras nectere cogerentur in itinere, Simonem hunc ex agro uenientem & prætereuntem nacti, coẽgerunt ut tolleret crucem eius & portaret post eum. Credibile est id moris fuisse, ut quisq; crucifigendus crucem suam ipse ferret, propterea quod nemo sustinuerit uel contingere lignum crucis, propter ignominiam eius mortis. Atq; hac ratione coactum esse hunc Simonem, ut crucem Iesu tolleret & portaret. Et nos hodie uidemus, quàm dedecorosum putetur, si quisquã extra lictores, ubi plectẽdus est facinorosus aliquis aliquid

aliquid operæ debeat impendere. Nam ita solemus magis horrere malorũ iustum ac meritũ supplicium quàm ipsa flagitia. Imò usq; adeò abominabiles sunt ipsi lictores iustitiæ ministri & exequutores, ut putetur honesto uiro cum illis nec edendum esse nec bibendum. At interea pauci sunt qui ipsa scelera abominẽtur, quorum gratia lictorũ ministerium necessarium est. Sed uideamus quid hoc loco notandum sit.

PRIMVM.

Christus ipse tulit crucem suam. Hic est principatus eius super humerũ eius. Hac erat debellaturus mortem, Satanã & potestatẽ inferorũ. Huius figuram in se prætulit Isaac, cum esset à patre immolari iussus. Gene. 22.

ALTERVM.

Nec hoc significatione caret, quod crux Christi alij imponitur, qui hãc post eum portet. Erat enim futurum ut qui Christũ sequuntur, crucẽ suã & ipsi tollerent, & post eum portarent. Crux Christi erat multis paritura cruces, & hic princeps crucigerulus habiturus erat multos sequaces crucigerulos. De illis est Matthæi 16. Qui uult post me uenire, inquit, abneget semetipsum, tollat crucem suã & sequatur me. Vide supra. cap. 16.

TERTIVM.

Quod autem Simon iste non sua sponte, sed coactus crucem Christi portat, imaginem habet carnis nostræ, quæ nunquàm sponte cruci se Christi subdit, sed perpetuò reluctatur. Qui Christi sunt inquit Apostolus, carnem suam crucifixerunt cum concupiscentijs. Verum est, at hoc nunquam fit carne non repugnante. Spiritus quidem promptus est & ad cœlestia properat ac ueluti præcedit, cuius imaginem hic Christus habet Simonem præcedẽs. at caro illa nostra corrupta, amans huius uitæ, amans uanæ gloriæ, amans deliciarum & quietis, nunquam non horret crucem. Huius horrorem & caro Christi licet corruptionis ex peccato nullo modo particeps, sensisse legitur. Quid de carne nostra sperare possumus, de carne illa peccati & inobediente? Quid de carne nostra inquam, quam tanto studio deliciatur, mollem ac delicatam reddimus? Quomodo illa se patienter cruci subdet? Gal. 5

QVARTVM.

Quod non Simon, sed Christus ei cruci quam Simon gestauerat adfigitur, hanc habet rationẽ. Simon hic nõ erat heros ille & athleta, qui mortem, peccatũ, & infernum debellaret, & moriendo uinceret, sed hic Iesus eam habebat uirtutẽ, ut pugnam istam depugnare posset. Simon erat clientulus, arma bellica post herum portans quidem, at in loco certaminis deponens, & hæro pugnaturo cum hoste tradẽs. Hac cruce nemo nisi unus Christus pugnare potuit. Nos, quorum in se Simon habuit imaginem, nostras quidem cruces post Dominum ferre debemus, at non ita, ut cum illis peccatum, mortem & infernum uincamus, cum sola crux Christi habeat hanc gloriam: sed ut Christi uestigijs ingredientes ad cœlestia tendamus, ad quæ dux noster prior nos præcessit, & morte sua portas cœli aperuit.

Et uenerunt in locum, qui dicitur Golgotha.] Locus hic extra portam erat in quo plectebantur nocentes, ob quam causam & ignominiosus habebatur. Hic uolebant crucifigi Christum, ut mors ipsius non solum in se, sed & ex loci uilitate imò abominatione redderetur abominabilis. Golgotha dictus est, propter occisorum crania, quæ ibi passim neglecta & sparsa uisebantur. Nam Golgotha Ebraicè, caluaria latinè, cranion græcè dicitur. Augustinus alicubi ex ueterum relatione scribit: locũ hunc caluariam dictum, ob id quod Adam primus homo caput mortalium ibi sepultus sit, ad innuendũ quod ruina humani generis quæ per Adam cœpit, per mortẽ Christi repararetur. Verũ incertum est hoc de sepultura Adæ, & Hieronymus contradicit.

Locus hic non caret mysterio. Extra portam passus est Christus, ut figura quam habemus Num. 19. de uacca rufa, pro peccatis populi extra portam immolata adimpleretur, ostenderetuŕq; Christũ esse hostiam illam, cuius sanguine sanctificandus esset populus Dei. Ea immolatio habebatur ita impura, ut ministri illius aliquandiu immundi haberentur, atq; ideò non in templo, sed extra portam absoluebatur. Hac de re uidere est Ebr. 13. ubi sic legimus: Quorum animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra improperium eius portantes. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, &c.

Ergo hic tria nobis proponuntur. Primum est, adimpletio figuræ, qua tum delinebatur Christi sanguine sanctificandum esse populum. 1

Alterum, mortem Christi fore probrosam, tanquàm hominis è consortio mortalium abiecti & condemnati id quod ad scandalum crucis pertinet. 2

Tertium, ut & nos tanquam eiecti ex hoc mundo, deserto mundo ad abiectum Christum & extra portam ignominiosè passum, egrediamur, & probri illius participes reddamur. Redditur ratio qua moueamur. Non enim, inquit, habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Ita mundi portam egressus est Paulus dicens: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Et alibi: Expurgamenta mundi facti sumus. 3

Et dederunt ei acetum bibere cum felle mixtum, & cum gustasset, noluit bibere.] Bis datus est hic amarus potus, hic & propè expirationẽ in cruce. Mos fuit occidendos forti uino potare, ut hoc minus mortis sentirent angustias. at Christo pro uino dabatur acetum felle mixtum. Sed ita oportuit adimpleri scripturas, Psal. 69. Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Sic declarandum erat quid Domino suo germinârit uinea Israël, à qua expectabatur, ut faceret uuas, & redditæ sunt labruscæ. Esa. 5. & Hiere. 2. Videamus nos hodie quem potum Christo demus, salutem nostram fitienti.

Nec mysterio caret, quod potus iste ab Israële Christo datus, ut bis amarus & acerbus esset, non ex aceto tantũ factus est, sed simul felle mixtus. Nam ita habet populi Dei impietas coram domino, quod per se apud eos qui

qui non sunt populus Dei, impium & prauum est, si à populo Dei perpetretur duplo grauius & impium magis est. Grauatur enim nostra impietas ex beneficijs dei in Christo acceptis, quemadmodum peccata filiorum in parentes, uxorum in maritos, cognatorum in cognatos, amicorũ in amicos, multo molestius feruntur, quàm extraneorum & aliorum.

Postquàm autẽ crucifixerunt eum diuiserunt uestimenta eius, sortem mittentes, ut impleretur quod dictum est per prophetam. Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestimentum meum miserunt sortem.

Quod crucifixerint eum, habent quidẽ omnes Euangelistæ, modum uerò crucifixionis non habent. At Psal. 22. etiam hoc expressum est. Nam ibi sic legimus: Foderunt manus meas & pedes meos dinumerauerũt omnia ossa mea. Ipsi uerò considerauerunt & inspexerunt in me. Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserũt sortem. Non potuit propheta clarius exprimere ipsam historiam post tot secla futuram. Licet enim in historia crucifixionis nullam fecerint Euangelistæ clauorum mentionem, quibus cruci adfixus est, cõmemorant tamen in historia resurrectionis, quomodo discipulis ostenderit manus ac pedes, id est, fixuras clauorum, in manibus ac pedibus. Lucæ 24. Ioan. 20.

1 Ergo iterum adimpletur scriptura etiam in modo
2 crucifixionis. Deinde notandũ est, quomodo istæ fossuræ clauorum, quæ ignominiæ notam in hoc seculo sustinent, ad confirmandos postea credentes & electos diuinæ uirtutis ac ueræ resurrectionis insignia & testimonia fuerint. Taxandus est hic turpißimus ille quæstus, quem sacerdotum auaricia in clauis, quos finxit, exercuit paßim, maximè nostris temporibus in urbe Treuerensi.
1 Nos uerò, primum exosculemur in spiritu fixuras clauorum, non sancti Francisci, sed Christi, quæ & mortis ministræ, qua redempti sumus & resurrectionis testes, qua iustificati sumus, in Christo seruatore nostro
2 fuerũt. Deinde cogitemus & in nobis hæc ipsa, quæ ad mortem faciũt, factura olim ad resurrectionis gloriam.

Diuiserunt uestimenta.] Mirum est, qua ratione cum nullus Euangelista mentionem fecerit, quomodo crucifixus sit Christus, omnes tamen de uestium partitione scribant, cum res ista in speciẽ uideatur haud ita esse magni momenti. Et propheta quoq; tam perspicuè hãc prædicere uoluit, cũ tamen multo grauiora omiserit, ut flagella & coronã spineã, & lateris apertionem.

Et sedentes seruabant eum ibi. Et imposuerant super caput eius causam ipsius scriptam. Hic est rex Iudæorum.

Sedentes seruabant eum.] Postquàm crucifixerant eum, non abeunt, sed cruci assident ueluti custodes aut obseruatores, quid nam acturus sit, ne forte uel discipuli adhuc uiuum cruce deponerent, uel ipse per miraculum descenderet. at nihil erat huius timendum. Neq; enim aliter constitutum erat diuinitus, quàm ut in cruce moreretur: neq; discipuli tantum habebant iam animi, uel spei etiam, ut crucifixũ tollere conarentur. Sed rectè faciunt, quod crucifixum donec mortuus sit, custodiunt. Nam hac in re ipsi causæ quæ agebatur seruiunt, ut testes sint mortis Christi, non solum ministri sicut & hi nobis seruierunt, qui illũ sepeluerunt, & qui sepulchrum quoq; custodierunt.

Et imposuerant super caput eius causam, &c.] Non sine diuino consilio factum est. Primum, ut titulus causæ, sicut alioqui moris erat, etiam Christo imponeretur. Non poterat autem alius à Pilato poni, quàm iste: non qui causam exprimeret cur esset crucifixus, sed qui doceret, quis iste crucifixus esset: nempe rex Iudæorũ, & simul exprimeret maliciam populi Iudaici, qui hæredem uineæ, Dominum suum regem, occidisset. Hoc scilicet intelligebant Pontifices Iudæorum, atq; ideò petebant à Pilato, ut titulum mutaret, non scriberet rex Iudæorum, sed quod dixisset se esse regem Iudæorum. Pilatus uerò, non absq; diuino instinctu, constanter respondit: quod scripsi, scripsi. Q. d. Non muto titulum. Voluistis ut regem uestrum crucifigerem, crucifixi. Vestra posthac erit ignominia, qui hoc à me extorseritis. Proinde titulum non muto. Ioan. 19. de hoc titulo fusius.

Sed meritò quæritur, quomodo hic adeò sit constans Pilatus, cum aliàs in omnibus uoluntati Iudæorũ sit obsequutus? In promptu ratio est. Ea quæ præter hanc tituli mutationem Iudæi à Pilato poposcerent, faciebant omnia ad exequutionem diuini consilij. Hoc uerò, quod iam petunt, ad hoc petunt, ut ignominiam crucis non sibi, sed Christo inurerent, & probrum hoc diluerent, quod regem suũ crucifixerant, Christo hanc regni gloriam adimerent, ne haberetur pro uero Meßiach, sed pro nebulone, qui se falso dixisset esse Iudæorũ Meßiah. At hoc ut falsum erat & probrosum cœlesti regi, ita ad consilium Dei non pertinebat. Vel hic uidemus Pilatum reuera diuino instinctu, licet præter scientiam, pleraq; uel feciße, uel facere noluisse.

Notandum & hoc est, quod titulus non Hæbreis tantum, sed & Græcis & Latinis elementis scriptus est. Licet enim habeat, hunc Iesum esse regem Iudæorum, non tamen id ita intelligendum est, quod regnum eius Iudæos tantum complectatur, & non etiam Gentes. Propterea scriptus est titulus Græcis & Latinis literis quæ certè Gentium sunt literæ. ad ostendendum hunc regem non Iudæis tantum, sed & Gentibus imperaturum. Hac de re uide Psal. 2. Ego constitui regem meum super Zyon montem sanctum meum. Et mox. Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et Esa. 49. Parum est, ut sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israël conuertendas, dedi te in lucẽ gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ. Ideò & Apostoli emißi sunt in uniuersum orbem. Et nouum testamentum græcè scriptum est, quod certè non propter Iudæos, sed Gentium gratia factum est. Nam græca tum legebantur in omnibus ferè gentibus, teste Cicerone in oratione pro Archia.

Sicut igitur Alexãder Macedo rex Macedonũ dictus est, etiã cum ferè toti orbi imperaret, eo quod regni eius

prima

prima ſedes & initium in Macedonia eſſet. Sic Chriſtus rex Iudæorum dictus eſt, licet totius orbis poteſtatem etiam cœlorum habeat: propterea quod Iudæis ſpecialiter promiſſus fuerat, ex eis etiam natus, et in Zyon regni ſui primordia habebat. Sic Eſaias dixit: E Sion exibit lex, & uerbum Domini è Hieruſalem.

Eſa. cap. 2

Tunc crucifiguntur cum eo duo latrones, unus à dextris, & alter à ſiniſtris.

Abſq; dubio malo conſilio, hoc eſt, à Iudæis inſtitutum, ut medius inter duos latrones, hoc eſt, humanæ ſocietatis & publicæ tranquillitatis hoſtes, tanquam talium nebulonum caput & princeps penderet, ut hoc pacto nomini illius perpetuam ignominiam procurarent. Sed optimè factum eſt, ut ita ſcriptura impleretur, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus eſt.

Eſa. 53.

Neq; hoc fruſtra. Propter iniquos enim in cruce pendebat. Rectè igitur medius inter eos pendet, tanquam utrunq; brachijs ſuis complexurus: certè unum ſeruauit, & niſi alterius impietas & incrudelitas obſtitiſſet, & ipſum ſeruaſſet.

Plus itaq; conſolationis habet, & cauſæ quæ agebatur conformius eſt, ut is, qui non propter iuſtos, ſed peccatores uenerat, & crucem ſubierat, non medius inter iuſtos penderet, ſed inter peccatores, ut ipſa crucifixionis forma nos gratiæ huius admoneret: nempe ad hanc crucem redemptionis, tanquam ad thronum gratiæ acceſſum eſſe miſeris peccatoribus.

1 Prætereuntes autem cõuitia iaciebant in eum, mouentes capita ſua, & dicentes:
Tu ille, qui deſtruebas templum, & in triduo ædificabas, ſerua temetipſum. Si fi-
2 lius Dei es, deſcende de cruce. Similiter & principes ſacerdotum illudentes cum Scribis & ſenioribus, dicebant: Alios ſeruauit, ſeipſum non poteſt ſeruare. Si rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credemus ei. Confidit in Deo, liberet eum nunc ſi uult eum. Dixit enim: filius Dei
3 ſum. Idipſum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, exprobrabant ei.

Hæc eſt ſeruatoris in cruce pendentis & peccata totius orbis portantis illuſio, eaq; non aliquorum tantum, aut uulgarium, ſed communiter omnium, præſertim magnatum, ſacerdotum, Scribarum & Phariſæorum. Habet autem hic locus duas partes. Prima eſt, quod crucifixo illuſum eſt. Altera, quomodo illi ſit illuſum.

QVOD CHRISTO ILLVSVM EST.

1 Principio uidemus hic ingenium malicioſæ nationis, quæ exuta omni humanitate potuit tam non compati adflicto & crucifixo, ut etiam illi illuſerit, & conuitijs ac probris miſerè affectum inſectatus ſit. Non potuit hic populus apertiore indicio pectoris ſui impietatem prodere. Hoc ſcilicet erat percuſſum à Deo & uulneratum perſequi, & de adflictione illius exultare, qua de re uidere eſt Pſal. 69. quam ultionem Propheta huic hominum generi imprecatus ſit, ne quis miretur, quod tam miſerabili poſtea clade perierit.

Deinde, uidendum eſt, quo cõſilio factum ſit, ut rex gloriæ tanta ſit ignominia affectus. Hac de re uide Pſal. 22. in annotationibus meis, uerſ. 7. ibi. Omnes uidentes me, deriſerunt me.

QVOMODO ILLI ILLVSERINT.

Caput illuſionis huius eſt, quod tandem deprehenſus ſit, quàm falſo ſibi magnifica adſcripſerit, quædam cum iam nihil minus præſtare poſſit, quàm quæ talem ac tantum deceant, qualem & quantum ſe feciſſet. Ita quidam obijciunt illud: 2

Tu ille qui deſtruebas templum Dei, & in triduo 1
ædificabas, ſerua temetipſum.] Hac de re ſupra capite præcedenti, ubi de falſis teſtibus in concilio ſacerdotum productis agitur, quædam ſunt notata.

Serua temetipſum.] Ita comparatum eſt genus mortalium ut ſeipſum amet, nec facile ferat ſuam ipſius perditionem: ſiquidem ſeſe tueri poſſit. Hinc colligunt, crucifixum hunc nunquam paſſurum, ut in cruce moriatur, ſi talis eſſet qualem ſe feciſſet. Ita ſecundum iudicium rationis iudicant de eo, qui non uenerat ſeipſum ſeruare, ſed potius animam ſuam tradere, ut nos ſeruaremur. Proditur ergo hic primum malicia corru- 1
ptionis humanæ, qua fit, ut omnes cum primis quæramus quæ noſtra ſunt, non aliorum.

Deinde cæcitas illa, qua quod debebant ſumma cum 2
gratiarũ actione prædicare & laudare, in argumentum rapiunt illudendi ſeruatori. Putabant perire crucifixum, ſe uerò ſaluos eſſe: cum contrario modo Chriſtus tam non periret, ut & mortem ipſam moriendo uinceret, et nos qui perituri eramus ſeruaret, ipſi uerò negando crucifixum breui & corpore & anima perituri eſſent. Ad hunc modum filij huius ſeculi putãt piorum mortem eſſe ipſorum perditionem, cum contra ipſi uiuendo & delitiando pereant: illi uerò moriendo ſeruentur, uide Sapien. 3. Sic Chriſtus ſuprà cap. 10. dicit: Si quis perdiderit animã ſuam propter me, inueniet eam, & qui inuenerit animam ſuam perdet eam.

Si filius Dei es, deſcende de cruce.] Hoc nomine Chriſtum in concilio blaſphemiæ condemnauit ſummus Pontifex unà cum reliqua ſacerdotũ, Scribarum ac ſeniorum turba. Iam hic inſultãt crucifixo, tanquam iam cõuicto de blaſphemia cõmiſſa, alioqui haudquaq; paſſuro, ut in cruce moreretur, tantaq; probra ſuſtineret.

Vox iſta, ſi filius Dei es, magnæ tentationis eſt & 1
planè Satanica, ſi expendas quãdo & quomodo affecto ſit obiecta. Videlicet in extremis agenti, & alioqui cogitanti ac querulanti, ſe eſſe derelictum à deo. Sic in deſerto inter beſtias conſtituto, & iam famis moleſtiam ſentienti, Satan dicebat: Si filius dei es, dic ut lapides iſti panes fiant, quem locum uide ſuprà cap. 4. Nam ibi quædam notata ſunt.

At ad declarationem filij Dei non erat deſtinatum, 2
ut de cruce deſcenderet uiuus, quod parum habuiſſet momenti, ſed ut moreretur, ſepeliretur, à tertia die reſurgeret. Oportebat per reſurrectionẽ ex mortuis declarari filium Dei, unde & Paulus dicit: qui declaratus Rom. 1
eſt filius Dei cum potẽtia per reſurrectionẽ ex mortuis.

Quæſierant

Quæsierant iam antea signum Iudæi, uerũ non hoc dandum erat, ut de cruce descenderet, sed signum Ionæ prophetæ erat adimplendum. Supra cap. 12.

Ita & nos sumus quidem filij Dei, sed ut Ioannes dicit, nondum apparet in oculis mundi huius, quod tales sumus. Mundus iudicat filios Dei nõ ex infirmitate, sed ex potentia & felicitate. At Deus filios suos cruci subiectos habet & morti destinatos in hac uita, ut postea maiore cum gloria è mortuis excitatos in sempiternum beatos reddat. Itaq; uox ista: Si filius Dei es, descende de cruce, etiam hodie uox est filiorum huius seculi, qua adflictis pijs cæci insultant.

Similiter & principes sacerdotum.] Illi iam securi triumphant. Ita solent impij, ubi ueritas in speciem periclitari uidetur. Interea tamen paratur Christo sempiterna per crucem gloria: istis uerò perpetua cõfusio. Sed pro sua cæcitate putant rebus & gloriæ suæ iam nihil amplius superesse periculi. Quare? Quia clauis pendebat cruci affixum corpus Christi. Miseri homines perinde triumphabant, quasi ipsa Christi ueritas clauis esset cruci affixa, cum aliud sit corpore cruci esse affixum uerbi preconem, & aliud affixam esse uerbi Dei ueritatem. Sic Paulus dicebat: At uerbum Dei non est alligatum. Præterea, & si ad tempus obnubiletur ueritatis radius, amota tamen nubecula solito clarior tandem promittat. Ita factum est post Christi resurrectionem, ut currente & passim obtinente doctrina Euangelij, gloria Christi multo quàm fuerat antea clarior effulserit. Ita Philippensibus scribit Paulus quod uincula ipsius tam ad obscurationem Euangelij non fecerint, ut doctrinam illius auctiorem etiam reddiderint.

promittat

Alios seruauit, seipsum non potest seruare.] Vide rei indignitatem. Opprobrant quod laudare debebant. Certè laude dignum est, seruasse alios. Hinc argumentum sumunt illusionis. Dignus ne est, qui postquàm alios iuuit, seipsum iuuare in necessitatibus non potest, ut magis infirmitatis huius gratia irrideatur, quàm propter præstita beneficia commendetur. Nam etiam si uerum fuisset, quod dicunt: seipsum seruare non potest, nõ erat tamen hoc nomine ridendus, sed magis miserandus.

Sed quomodo sequitur, non descendit de cruce, non liberat se è morte: ergo non potest se seruare? Quid si nolint seruare se hac ratione, sed multo illustriore? Qui Lazarum quatriduanum mortuum multo maiore cum gloria, & cum maioris potentiæ declaratione è sepulchro quarto, demum post sepulturã die euocauit, quàm si in lecto decumbentem sanitati restituisset. Hic certè illustrius gloriæ suæ consulebat, quod tertio die aperto monumento uiuus et clarificato corpore prodijt, quàm si corpus affixum è cruce liberasset. Qui hoc potuit primum uiuus in Lazaro: deinde mortuus in seipso, quomodo si uoluisset seruare seipsum non potuisset?

Sed ista abscondita sunt ab oculis eorũ. Interea excæcati, pro malicia cordis sui in speciẽ congerunt, quibus gloriam miraculorũ Christi suspectam reddant populo. Q. d. Si ista miracula, quibus alios seruauit, ex seipso tanquam filius Dei fecisset, utiq; eadem iam potentia seipsum quoq; seruare posset. Verum non potest, ut apparet: Ergo non ex propria, sed ex Satanæ potentia, ut diximus, qua iam destituitur, mirabilia ista ad seducendum incautos operatus est. Hæc erat illorum absurda & planè cæca malicia.

Si rex Israël est, descendat nunc de cruce & credemus ei.] Ista habent securam incredulitatis excusationem. Q. d. Quod illi hactenus non credidimus, nec pro rege Israël suscepimus, licet miracula facientẽ, iam apparet quod non præter rationem hoc fecerimus, & quàm stulti sint, qui illum regem Israëlis pridem salutarunt. Nos uerò nolumus temerè assentiri nisi certi reddamur, ne seducamur. Quin iam, si rex Israël est, descendat de cruce, & statim credemus ei, ut uideat nos culpa carere. Ad hunc modum, simul illudunt Christo, & eos qui in eum crediderãt stultitiæ arguũt, seseq; uerò pro sapientibus ac prudentibus uenditant. Verũ ea erat istorum hominum malicia, ut etiam si de cruce descendisset, in eum tamen haud quaquam credidissent. An nõ maius miraculum fuit quatriduanum mortuum è sepulchro uocare & uitæ restituere, quàm adhuc uiuum de cruce descendere? Cur ergo non crediderunt? Excæcati erant propria malicia. Et huius uicio hic quoq; increduli perstitissent, & statim Satanæ id factum dedissent.

Confidit in Deo, liberet eum nunc, si uult eum.] Irrisio hæc magnã habet tentationem. Primum enim homini in extremis constituto, cui nihil supersit, quàm ut à Deo pendeat, omnẽ spem labefactare. 1
Deinde insultare etiam, & probro dare, quod in Deum sperârit. 2
Tertio etiam odium Dei intentare conatur. Quid enim aliud est quod dicunt: Liberet nunc eum, si uult eum? Non dicunt: si potest, sed si uult eum, id est, si amat eum. Nolunt enim tantæ impietatis uideri, ut impotentiam liberandi Deo, sed ut sibi omnem iustitiam adscribant. Christo uerò in cruce pendenti, omnem impietatem: fatentur quidem posse Deum liberare eum de cruce, modo uelit, uerum nolle eum hoc facere homini tam sceleste. Alioqui se non fuisse persequuturos eum, si Deo charus fuisset. At nunc apparere, esse eum hominem blasphemum, à Deo proiectum, & dignum hac cruce. Hoc tantundem est ac si dicant: nos Deo probamur & rectè hunc hominem condemnauimus, tanquam hostem diuini nominis, quem non potest diligere Deus. 3

Hæc sunt grauia, si ingerantur auribus ac menti hominis tentati ac derelicti, & iam nihil aliud quàm iram Dei sentientis. Quæ extrinsecus corpori accidunt, iocularia sunt, istis comparata. Possunt nanq; illa facile tolerari. Si spes in Deum & fiducia illa befactata consistat, ubi uerò illa quoq; concussa fuerit, nihil uspiam ad manum est, quo possit animus tentatus contra desperationem fulciri. Expendamus etiam hic insaniam impiorum, quod Christo uituperio dant spem posuisse in deũ, cum nihil ita sit laude dignũ atq; spem ponere in unum Deum. Cur non dicunt: Bonus homo sperauit in Deum, sed iam deseritur? Nolunt culpam Deo dare. Et tamen hoc ipso maximam iniuriam Deo inurunt, quod rident eum, qui spem in illum posuit. Si saperent, ad hunc modum magis colligerent. Confidit in Deo, liberabit ergo eum, nam uult tales. An non ita scriptura dicit: Sperauit in me,

in me, liberabo eum? Si concedunt & fatentur, quod in Deum sperauerit, cur quod ex eo certissime consequitur, non agnoscunt?

Sed aggerunt. Ita esset, si non esset hostis Dei. Respondemus: Si hostis Dei est, quomodo confidit in Deo? Quis ita insanit, ut spem ponat in hostem suum? Blasphemauit, inquitis? Quomodo potest blasphemare Deum, qui spem omnem illum collocauit? Sed hæc est cæcitas pharisaicæ maliciæ.

De hac irrisione nominatim quæritur spiritussanctus, Psal. 22. uers. 8. Quis autem satis mirari poterit stupendam istam sacerdotum, Scribarum & Pharisæorum cæcitatem, quibus certè uersus iste Psal. 22. abundè notus fuit, nec tamen dubitarunt uaticinium hoc prophetæ de Christo adimplere, & in probrum uertere, quod nobis hodie fidei nostræ firmamentum subministrat. An nõ similem cæcitatem experti sumus in illis, qui cum ignorare nequeãt prophetiam Pauli 1 Tim. 4. de prohibitione coniugij & ciborum: illam tamen non dubitant adimplere, & adimpletionem illius mordicus tueri. Hæc uidelicet natura excæcationis est, ut cum maximè peccẽt, et quæ de impijs prædicta sunt, adimpleãt, nihilominus nihil uelint uideri minus quàm peccare, & hoc ipsum quod faciunt facere.

Idipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, exprobrabant ei.] Hæc particula auxesim habet probri quo Christus in cruce affectus est. Tam enim omnino adimplendũ erat prophetæ uaticinium, Psal. 22. Omnes uidentes me, deriserunt me, &c. Vt & latrones unà crucifixi Christo tam non compassi sint animo, ut & ipsi illum irriserint.

Verum non est putandum, quod utriq; latrones hoc fecerint. Cauet enim hoc Lucas, cum ad hunc modum scribit. Vnus aũt de facinorosis qui erant suspensi, conuicia dicebat in eum, dicens: Neq; tu times Deum, quod in eadem condemnatione es. Et nos quidem iuste, nam digna factis recipimus, hic uerò nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Domine, memento mei, cum ueneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Hæc Lucas. Liquet igitur à Matthæo nostro pluralem numerum pro singulari positum, quemadmodũ & suprà cap. 26. factum uidemus, ubi sermonẽ Iudæ discipulis generaliter adscribit, cum tamen Ioannes dilucidè ostendat à Iuda hoc esse dictum. Potuit unguentum hoc uenundari multo & dari pauperibus. Ita solemus loqui, ubi rei indignitatem exprimere uolumus commissam à talis generis homine à quo nihil huius sperandum erat. uerbi gratia. Si quem uel pater, uel mater, in necessitatibus contemnat ac ope sua destituat, etiam si non utriq; hoc faciant, commodum tamen dicetur: Ergo & ipsi parentes nullam mei rationem habent. Ita à Matthæo dictum est: Idipsum latrones etiam exprobrabant ei. Q. d. Non satis erat sacerdotes, Scribas ac seniores, ac reliquos prætereuntes, expertes huius passionis illudere Domino, nisi idem & latrones facerent: quorum tamen animos ipsa crucis communicatio ad commiserationem permouere debebat. Interea nihil repugnat quod Lucas hoc ab uno tantum factum esse scribit. Sed uideamus ea quæ Lucas scribit. non enim sunt obiter transeunda.

DE LATRONE VTROQVE CIRCA Christum crucifixo.

Imago ista ob oculos nobis exponit, non solum duos istos latrones. Sed simul totum genus humanum in quo sunt electi ac reprobi: ita ut reproborum per impium latronem, electorũ uerò significationem per pium expendamus. Omnes homines cũ electi tum reprobi peccatis ac morti sunt obnoxij, nisi quatenus per Christum crucifixum à peccatis & morte liberantur. Rectè itaq; utriq; dicuntur κακοῦργοι fuisse, ita ut iuxtà seculum nihil inter eos discriminis fuerit. Quod ad Christũ uerò attinet, hic inuentum est discrimen, deprehensusq; alter gratiæ Christi irrisor: alter acceptator ac uenerator. Proinde diligẽter expendendæ sunt utrorũq; imagines.

DE LATRONE IMPIO.

Vnus autem de suspensis facinorosis, conuicia dicebat in eum dicens: Si tu es Christus serua teipsum & nos.

Videmus in hac imagine obstinationem ac peruersitatem impiorum. Primum cruci erat affixus, & mortis iamiam obnoxius, neq; sic tamen in se redit, ut peccata sua agnoscat, & ad Deum conuertatur. deinde licet & ipse in cruce pendeat commiseri tamen nequit ei quem uidet similiter cruci adfixum & eadem calamitate adfectum: sed quod omnium erat inhumanissimum irridet etiam & cõuicijs insectatur. Ita planè impij comparati sunt, ut nec ipsæ adflictiones, nec mors imminens oculos excæcatos aperiant, ut sese agnoscãt causam malorum, peccatum uidelicet, inquirant, Deum metuant ac gratiam redemptoris ambiant. Et cum in ipsissima sint perditione, nihil tamen huius sentiunt, sed & quod deploratius est, doctrinam salutis uituperant, sectatores illius, calamitate aliqua adobrutos, ipsi calamitosiores, ludibrijs afficiunt.

Itaq; bis miseri sunt. Primum corpore: deinde animo, ut taceam quod cum eum aspernantur, à quo uno liberari ac saluari poterant, & solatium illud unicum, quo recreantur miseræ conscientiæ, & sempiterna cum uita tum felicitas acquiritur, doctrinam uidelicet crucis etiam irrident, necesse est eos temporariam miseriam mutare cum sempiterna.

Si tu es Christus, serua teipsum & nos.] Vox hæc eorum est, qui doctrinam Euangelij, à ministris pauperibus, miseris, & contemptis prædicatam irrident, ubi nihil terreni ex illa ad eos redit emolumenti. Qui paupertate homines impij præmuntur, ubi non datur, quantum cupiunt, mox uerbi prædicationem ac ministros illius contemnunt. Impius si sit ægrotus corpore, si non erigitur à ministro uerbi ut sanus reddatur, confestim delabitur in cõtemptum doctrinæ ac ministerij. In summa ubi impij homines qui non nisi terrena in Christo quærunt, ministros uerbi uident æquè miseros, pauperes, ægrotos esse ac nihil posse, nequeunt aliud facere, quàm quod hic impius latro fecit.

DE LATRONE PIO.

Respondens autem alter increpabat eum dicens: Nec tu times Deum quod in eadem damnatione es. Et nos quidem iustè. Nam digna factis recipimus, hic uero, nihil mali gessit.

In hoc latrone imago est electorum qui & ipsi, ut suprà dixi, peccatores quidem sunt ac morti obnoxij, uerum quoniam seruatorem ac Dominum uitæ agnoscunt & amplectuntur, gratiæ cœlestis, quam petunt, compotes euadunt, & temporariam miseriam sempiterna felicitate commutant. Est itaq; imago ista diligenter inspicienda, quandoquidem in illa iam tum depictum ac delineatum est, quà sit iter ab hac præsentis uitæ miseria, & ab ista qua premimur, peccati & mortis captiuitate, ad cœlestem felicitatem & omnimodam libertatem.

Increpabat eum.] *Principio apparet hic, in eo quod alterũ latronem, Christi irrisorem increpat, quàm fuerit erga Christum animo candido ac syncero, quàm displicuerint ei probra & iniuriæ quæ in illum cõmittebantur. Erat enim timore domini perculsus, & ut audiemus, considerabat Domini innocentiam, honorandam magis quàm irridendam.*

Discamus hoc exemplo, etiamsi peccatores sumus, molestè tamen ferre si quid peccetur contra Dominum, & socios ac proximos nostros delinquentes reprehendere. Nam hoc tandem initium est conuersionis ad Deũ, si nobis quæ cõtra Dominum fiunt displicere cœperint.

Et uide hominis considerantiam, audierat etiam sacerdotes, Scribas ac seniores populi, Christo crucifixo illudere, & tamen non illos, sed hunc condemnationis socium, Christi illusorem increpat. Non quod quæ illi faciebant ægrè non tulerit (nam dicit ad istum: Neq; tu times Deũ. satis ostendens, quid de illis sentiat) sed quod uiderit illos esse obstinatos ac deploratos, & extra omnem peccati sensum: deinde iam se[illegible]ac triumphatores, ut locus nõ fuerit eos increpandi. Et Christus ipse cum educeretur de futura calamitate & ultione nihil ad istos, sed ad mulieres sequẽtes ac flentes loquutus est. Nam hic opportunum erat, illic non erat. Ita iste latro, relictis sacerdotibus, Scribis ac senioribus, hunc socium suum in cruce pendentem, & extrema patientem increpat, & de peccato commisso arguit. Erat enim opportunum, cum propterea quod crux ipsa & mors imminens animum hominis permouere poterat, nisi planè impius fuisset, tum quod in eadem cum illo condemnatione erat. Discamus relictis illis, quos deploratos uidemus, aut certè correctionis nondum capaces, eos corrigere delinquentes, in quibus sperare possumus resipiscentiæ locum futurum, & maximè eos, cum quibus aliqua societate coniungimur, ut non temerè, sed ueluti societatis iure arguere eos uideamur.

Neq; tu times Deum.] *Quid in illo reprehenderit, & quibus eum uerbis increpauerit declarat Euangelista. Vide autem latronis philosophiam. Quid reprehendit in socio latrone? Nimirum hoc quod deliquerat. Quid autem deliquerat? Christo eadem exprobrauerat, quæ sacerdotes, Scribæ, ac seniores. Cur ergo non dicit: Et tu isti illudis, cum sis in eadem condemnatione? Quid est, quod dicit: Neq; tu times Deũ? In hoc scilicet est hic concionator latro crucifixus, & peccati reprehensor, ut delinquentem ducat in peccati quod commiserat cognitionẽ. Quærebat enim resipiscentiam illius. Ad peccati uerò cognitionem primarium est, ut sciatur in quem peccetur: deinde unde peccetur. Peccabat impius latro Christi irrisor in Deum. Verum hoc ille non cogitabat. Putabat se hominem tantum eumq; crucifixum, id est, cruce tanquam blasphemum cõdemnatum, irridendo lædere. Deinde non intelligebat peccati huius causam & radicem esse ἀσεβείαν, carentiam uidelicet timoris Dei, quam impietatem uocamus. Ideò commodissimè dicit: Neq; tu times Deum indicans primum peccasse eum contra Deum, non contra hominem: deinde deesse illi timorem Dei. Poterat dicere: Neq; tu cognoscis hunc crucifixum, alioqui non irrideres eum. Nam, ut Paulus dicit: Si Dominum gloriæ cognouissent, utiq; non crucifixissent. Et Christus in cruce: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciant. Verum conuenientius erat, ut primariam illam mali radicem patefaceret, carentiam uidelicet timoris Dei. Nam etiam si non cognoscebant innocentiam ac maiestatem crucifixi, poterant tamen cohiberi ab ista illusione, si timore Dei præditi fuissent, quo docemur ne sontibus quidem, ubi puniuntur illudendum esse, sed potius condolendum.*

Videmus igitur hoc loco, longè aliud esse, contra Christum Christiq; doctrinam delinquere ex ignorantia, quàm si id fiat ex impia illa timoris Dei carentia. Peccauit & Paulus contra Christum Christiq; religionem. Sed ignorans inquit feci, atq; ideò misericordiam consequutus sum. Peccarunt in eundẽ & Scribæ, & Pharisæi, & sacerdotes, sed non solum ex ignorantia, uerum etiam ex eo quod timore Dei præditi non erant. Ideò Paulo obtigit misericordia, quod de alijs non legimus. Quod autem sacerdotes ac Scribæ, Christi irrisores timore Dei destituti fuerint, uerba concionatoris huius satis docent. Non enim dicit: Non times Deum, sed: Neq; tu times Deum. q. d. quemadmodũ & isti irrisores, quibus te coniungis irridendo crucifixum.

Sit ergo principium resipiscentiæ & primus gradus ad consequendam pietatem, timor Dei. Hic ubi fuerit, non permittit ut temerè contra Dominum peccetur. Nam per timorẽ Dei declinatur à malo. Vbi timor Prouer. 15
Dei abest, hic certè omnis generis mala committi necesse est. Sic Psal. 14. Cum propheta corruptionem impiorum notare uellet, causam illius adiecit, dicens: Non est timor Dei ante oculos eorum. Et Abraham Gen. 20.
cogitabat, forsan non est timor Dei in loco isto, ideoq; uxorem suam dicebat esse sororem suam. Satis indicans non esse tutum cõuersari eo loco ubi non est timor Dei. Susanna uerò, quoniam ad timorem Dei instituta erat à Susanna
teneris, malebat periclitari extrema, quàm peccare cõtra Deum. Quid igitur aliud in culpa est hoc nostro seculo quod passim abundat iniquitas, & tanta temeritate delinquitur, quàm quod pauci sunt qui timore Dei præditi sint? Deinde habet hoc timor Dei, ut peccati 2
morsum

morsum sentiat, ac detestetur, id quod uidemus in hoc exemplo. Impius ille latro non habebat peccati sensum. Quare? Quia carebat timore Dei. Non solum peccabat, sed ne quidem sentiebat peccatum, nec intelligebat in quem peccaret. Hanc cæcitatem & stupiditatem in impijs operatur ista ἀσέλγεια. Pius uerò latro, quoniã timore Dei præditus erat, & sentiebat peccatum, & detestabatur, ac reprehendebat peccantem. Et hac uia pulchrè ad consequutionem gratiæ in Christo progrediebatur. Apparet ergo hoc loco, quid seculũ hoc præsens detineat, ne ueritatem Christi cognoscat, in illa conspiret & concordet. Quid hic obstitit, nec utriq; latrones Christum agnouerint, & amplexi sint? Hoc scilicet, quod alter timore dei carebat. Ideò magis irrisor factus est gratiæ Dei, quàm affectator. Detur igitur timor dei aduersarijs Euãgelij Christi, uidebimus quàm incipient amatores esse magis gratiæ Dei, quàm irrisores. Vbi autem ille deest, nemo mirari debet quod in ueritate coire nõ possumus, quod tam multi sunt qui illã auersantur, quod tãta regnat hodie inhumanitas erga adflictos.

Quod in eadem condemnatione es.] Declarationem peccati & ista habet per auxesim uidelicet illius expositam. Erat hic latro primum in communi illa omnium mortalium condemnatione, quam propter peccatum incurrimus natura filij iræ nati. Debebat igitur timere Deum, & non aliorum esse irrisor, etiam peccatorum. Peccatorem adflictum & punitum irridere, ne angelis quidem licet, nedum peccatoribus.

Deinde erat etiam ab ipso mundo condemnatus & unà cum eo quem irridebat cruci ac morti adiudicatus. Debebat igitur non irridere eum, quem pœnæ ac condemnationis consortem habebat, etiam si is nocens & uerè reus fuisset. Nam si meritò displicet Deo inhumanitas ista, qua qui extra uirgam castigationis sunt irridentes eos qui castigantur ab eo, (Nam iudicium magistratus qua rei plectuntur, Dei iudicium est,) quanto detestabilius est, si id fiat ab illis, qui in eadem condemnatione sunt, & pari modo castigantur? quorum erat uirga Domini magis humiliatos seipsos cognoscere & condemnare quàm alios, & socios pœnæ cõmiseratione magis complecti, quàm probris proscindere.

Admonet igitur ista auxesis inhumanitatis quã pius latro in impio reprehẽdit, ut quoniam & nos in eadem condemnatione coram Deo sumus, & in hoc seculo esse possumus, ut istam inhumanitatem, Dei timentes, exuamus, & quisq; suam magis miseriam expendat, & peccata propria accuset, quàm aliorũ: ut hoc pacto discamus cõpati magis adflictis, quàm quæ patiuntur etiam meriti, nedum si innocentes sint, exprobrare.

Et nos quidem iustè. Nam digna factis recipimus. Hic autem nihil mali fecit.] Alteram auxesim commissi peccati habent ista. Primum enim grande peccatum est simpliciter irridere hominem miserum & adflictum à quocunq; id fiat: deinde maius peccatum est, si fiat ab eo, qui in eadem condemnatione & ipse est. Tertio, maximum est, si is qui innocens est, & immeritò & cum iniuria adfligitur, ab eo irrideatur, qui meritò ac nocens punitur. Ita fiebat ab impio latrone. Non solum irridebat crucifixum, sed ipse quoq; simili modo crucifixus, & quod omnino enorme erat, homo impius, & qui cruce digna commiserat, hominem insontem qui nihil mali gesserat. Hoc scilicet est quod dicit: Nos quæ patimur iuste patimur. Iuste in hac condemnatione sumus. Digna enim factis nostris rependuntur. Sed hic, nihil mali gesit. Cur igitur innocentem homo noxius irrides? Deinde, uide quomodo non dicat: Tu quidem iuste: nam digna factis recipis, sed: Et nos quidem iuste: nam digna factis recipimus. In hoc quidem est ut socium admoneat propriorum peccatorum, adeoq; & timoris Dei, unde non dicit: Ego quidem iuste, &c. sed: Nos quidem iuste. simul uerò seipsum coniungit, & peccata propria confitetur, ut hoc pacto socium facilius in peccatorum suorum cognitionem & accusationem inducat. Confitetur ergo his uerbis propriam iniustitiam, seq; ipsum condemnat. Et hac confessione iudicium Dei, quo rei plectuntur, iustificat. Agnoscit iuste cautum esse, ut qui occidit, occidatur & ipse. Non indignatur iustitiæ Dei, qua puniuntur nocentes: non detrahit iudicibus à quibus condemnatus erat ad crucem: non murmurat contra crucifixores, utut impios, sed patienter meritam mortem subit ac tolerat. Vnde? Quia uidelicet agnoscit se tanta commisisse flagitia quæ meritò cruce puniantur.

Discamus hoc exemplo quicquid patiamur, agnoscere peccata nostra, & dignos nos esse fateri, qui ista patiamur, ut & ipsi iustitiam Dei cohonestemus & iustificemus.

Hic autem nihil mali gesit.] Deinde, non solum confitetur propriam iniustitiam, sed Christo quoq; dat innocentiæ testimonium, quod reuera magnum est, & certum indicium animi uerè sese accusantis, & non hoc agentis ut propria peccata extenuentur. Solent enim qui rei sunt, ne uideantur enormius peccasse & insolentius, quos potuerunt accusare, ut aliorum consortio peccata propria nonnihil extenuent. Ita impius latro Christum accusabat, ut hoc pacto sua peccata obtegeret. Hic uerò non ita, sed Christum magis excusabat, dicebatq; illum nihil mali gesisse. at se cum socio digna factis sustinere. Et hoc testimonium innocentiæ Christo nõ sine pondere datur ab hoc latrone. Nam à pœnæ consortibus, idq; in extremis constitutis, excusari, & innocẽtiæ testimonium auferre, semper magni fieri solet.

Cum hic dicit pius latro, quid aliud facit, quàm quod totum illud sacerdotum, Scribarum, Pharisæorum, ac seniorum concilium, deinde & Romani præsidis iudicium & sententiam cõdemnat: ipse tamen interea licet condemnatus, sententiam ferens contra hos omnes quod hominem innocentem, qui nihil mali gesserit, cruci adiudicârint. Tam scilicet non ambit gratiam impiorũ, ut etiã condemnet eos, per quos poterat à cruce liberari.

Et dicebat ad Iesum: Domine, memento mei, cum ueneris in regnum tuum.

Per apostrophen ad ipsum Christum conuersus, ad altiora consurgit pius latro. Corripuit socium flagitiorum,

rum, quem cupiebat habere ſocium pietatis etiam & ueræ cõuerſionis: uerum ubi uidit illum in ſua obſtinatione perdurare, pergit ſibijpſi conſulere, & res ſuas curare. Hoc quomodo faciat & quàm feliciter, iam conſequenter uidendum eſt. Quomodo faciat uerba iam poſita indicant. Quàm feliciter, ſequentia oſtendunt, ubi audiet à Chriſto: Amen dico tibi hodie mecum eris in paradiſo.

QVOMODO.

1 Principio, uoi dicit: Memento mei cum ueneris in regnum tuum, ſatis oſtendit ſe rationem habere futuræ uitæ, & alienum eſſe ab impijs illis qui dicunt: Poſt hæc erimus tanquam non fuerimus. Extinctus cinis erit corpus noſtrũ, & ſpiritus diffundetur tanquam mollis aër. Obliuiſcitur præſentis ſeculi pariter & cruciatus quem mortiferum ferebat, & totus ad habendam futuræ uitæ rationem conuertitur. Docet ergo hic latro, quo conſilio diuinitus factum ſit, ut in præſentis uitæ bonis periclitemur, & uitam hanc temporariam amittere cogamur: nempe ut futuram ſollicite requiramus. De hac fortaſſan non admodum ſollicitus fuit, cum ſibijpſi relictus ſtagitia deſignabat, quorum gratia cruci adiudicatus eſt. Itaq; duorum hic admonemur.

Sapien. 2

1 Requirendum eſſe futuram uitam, nec credendum totum hominẽ moriendo perire, ſed mortem eſſe tranſlationem à præſenti ſeculo ad futuri ſtatum ſeu felicem ſeu infelicem.

2 Curam hanc rebus proſperis infirmari, imò nonnunquam planè conculcari, triſtibus uerò excitari apud electos. Secundo loco obſeruandum eſt, ad quem conuertatur, & cuius hac in re opem imploret. Euangeliſta Lucas hoc euidenter ſatis exprimit, cum dixiſſe illum ad Ieſum ſcribit: Domine, memento mei cum ueneris in regnum tuum. Ad Ieſum ergo, crucifixum illum quem Iudæi omnes, ſacerdotes, Scribæ, Phariſæi & ſeniores populi irridebant, quem tanquam hominẽ blaſphemum & ſeditioſum ac reum læſæ regiæ maieſtatis condemnauerant, cõuertitur. Hunc uocat Dominum, huic tribuit regnum, & tale regnum quod à crucifixo & mortuo homine poſt mortem adminiſtrandum eſſet, cœleſtẽ uidelicet & ſempiternum.

2

Admiranda eſt iſta fides latronis maximè ſi circunſtantias expenderis. Superat omnium Apoſtolorum fidem. Cogitemus qualis tum fuerit Chriſti Eccleſia. Pendebat Chriſtus in cruce infirmitati carnis & morti ipſi, ut blaſphemias Iudæorum ac probra taceam, obnoxius. Pendebat in oculis latronis huius. Quæ ad illius obſcurationem faciebant in oculos & aures latronis huius è uicino pendentis incurrebant. Apoſtoli fuga ſibi conſuluerant, nemini non occurrebat, ipſo exitu hominis huius probari, quis & qualis fuiſſet. Capita ſalutis noſtræ in illo ridebantur ab omnibus: nempe quod ſe Chriſtum & filium dei feciſſet. Nihil reſpondebatur ab ipſo. Nihil apparebat diuinæ uirtutis. Omnia uidebantur tantum non clamare: Deus dereliquit eum, ſeductor eſt, nec uult eum.

Nihil his omnibus mota latronis huius fides, credit eſſe Dominum, & ut Dominum confitetur & inuocat, quem omnes explodebant. In condemnatione mortis agnoſcit innocentem nihil impeditus Iudaici concilij & Romani magiſtratus ſentẽtijs, in carnis infirmitate, & miſeria mortis ſentit filium Dei, Dominum potentiæ, gloriæ & uitæ ſempiternæ. Qui terreni regni titulo condemnatus erat, hunc agnoſcit regem eſſe regni Dei, regni cœleſtis ac perpetui, multo inſtructior in cognitione regni Dei quàm Apoſtoli, cum ante tum poſt Chriſti reſurrectionem fuerunt, à quibus perpetuo terrenum quoddam regnum ſomniabatur. Viderant Apoſtoli miracula Chriſti innumera, audierãt apertè de regno Dei docentem, & tamen poſt reſurrectionem dicebant: Domine, quando reſtitues regnum Iſraeli? Hic uerò, Domine inquit, memento mei cum ueneris in regnum tuum. Hoc dicit moriturus iamiam morituro. Quanto quæſo melius quàm Petrus apoſtolorum coryphæus, qui ubi de myſterio mortis à Domino audierat: Domine nequaquam fiet tibi hoc? Ille putabat mortem Domini impedimentum fore regni adminiſtrandi. Iſte uerò contra, agnoſcit per ipſam crucem ac mortem ingreſſum eſſe ad regnum Dei. Vnde rectè Auguſtinus ad Renatum de anima & eius origine lib. 1. cap. 9. dicit: Illi deſperauerũt de moriente, iſte ſperauit in commorientem. Refugerunt illi autorem uitæ, rogauit iſte conſortem pœnæ. Doluerunt illi tanquam hominis mortem, credidit iſte regnaturum eſſe poſt mortem. Deſeruerunt illi ſponſorẽ ſalutis, honorauit iſte ſociũ crucis. Hæc ille: Quis non mirabitur iſtam latronis fidem?

Auguſt. Latro iniq; mundi huius impietatem condemnat qua ſalutaris crucifixi doctrina pro ſtultitia reputatur, ac docet nos ubi quærenda ſit ſalus & uera uita.

3

Tertio loco, uideamus etiam hoc, quis & qualis ſit iſte homo, cuius fidem erga Chriſtum tantam eſſe comperimus. Quòd ſi Apoſtolus quiſpiam pendens à latere Chriſti, proq; nomine ac fide Chriſti mortem patiens, hæc diceret, nemo forſan fidelium miraretur, uel fidem, uel fiduciam ab illo tantam erga crucifixum ſeruatorem declaratã eſſe. Iam cum non ſolum non fuerit Apoſtolus, ſed latro etiam flagitiorum gratia, quæ commiſerat meritò, proprio ipſius iudicio, cruci & morti adiudicatus. Quis non mirabitur primùm hominis huius fidem & regni Chriſti cognitionem: deinde & fiduciam erga Dominum. Niſi enim credidiſſet, fiduciam regni Dei erga Chriſtum non habuiſſet, hanc niſi habuiſſet, nunquam dixiſſet: Domine, memento mei dum ueneris in regnum tuum.

Vnde igitur contigit huic latroni, tanta Chriſti cognitio, tantaq; fides? Nolim admodum reluctari, ſi quis dicat latronem hunc ex illis fuiſſe, qui in Chriſtum prædicantem ac miracula facientem crediderunt, & à diſcipulis Chriſti baptizati ſunt. Iohan. 3. Poſſibile quidem eſt, ut per reuelationem abſq; prædicatione Chriſtum cognouerit, neceſſe tamen non eſt, ut dicamus eum hanc fidem abſq; præuia Chriſti prædicatione & miraculorum luce conſpecta, per ſolam occultam reuelationem adeptum eſſe: cum æquè credibile ſit, ut dixi, audiuiſſe hunc Chriſtum aliquanto antea, miraculaq; illius uidiſſe. Et quoniam hæc ſententia non ſolũ nihil habet periculi, ſed & uero ſimilior eſt ac tutior, placet eam tantiſper.

Fides latronis unde.

tisper tenere donec certiora tradantur. Scio & Augustinum aliquot locis contra hæreticos pugnantem dicere, neminem probare posse, latronem hunc non fuisse ex baptizatis illis, quos Christi discipuli baptizauerãt, antequam Christus pateretur.

Quòd si latro hic ex credentibus & baptizatis fuit, latrocinium hoc uel ante uel post baptismum & Christi cognitionem commisit. Si ante, exemplum habemus qui iam gratiæ Dei post admissa flagitia participes facti sunt, in hoc seculo nihilominus uirgæ disciplinæ plerunq; subijciantur & corripiantur. Neq; enim gratia Dei temporariam hanc castigationem & flagitiorum punitionem tollit. Si post acceptam fidem latrocinium admisit, exemplum propositum est eorum, qui cum filij Dei sint, & gratiã diuinæ cognitionis iam adepti, nihilominus aliquando talia peccata admittunt, quæ gladio magistratus obnoxios reddant. Vtrunq; quotidie cõtigit, ideoq; in talibus exemplis notandum est.

Fiducia latronis.

Deinde & hoc cogitandum est, quàm admiranda sit fiducia latronis huius erga seruatorẽ Christum. Quod illum fide cognouit, & dæmonibus datur. Nam & illi credunt, sed: ut Iacobus inquit, contremiscunt. Quod autem non solum cognouit Christum, sed & cum tanta illum fiducia inuocauit, dicens: Domine, memento mei cum ueneris in regnum tuũ. amplius aliquid est, & uerè stupendum, si expendamus qualis fuerit. Latro fuit, & latrocinij gratia in ipsa cruce morti adiudicatus pendens, & tamen non ueretur dicere: Domine, memento mei cum ueneris in regnũ tuum. Memento mei inquit. Quamobrem quæso? Et cuius rei recordari potest, ubi uenerit in regnum suum, si tui recordabitur? Scilicet quod unà crucifixus fueris. At id de altero quoq; recordari poterit: deinde non pro ipsius nomine, sed latrocinij gratia mortem meritus in cruce pendes. Vnde audes dicere: memento mei, cum latro sis non temporariam modo, sed æternam quoq; mortem meritus & iræ Dei obnoxius, cuius nomine potius dicendum erat: Domine, ne recorderis mei, sed potius in sempiternum obliuiscare mei. Nihil ista moratur admirandus hic latro, sed & peccata sua agnoscit, & nihilominus bona fiducia gratiam seruatoris nullis meritis adiutus implorat. Tanta uidelicet erat fiducia erga Christum seruatorem. Quare quæso illa nitebatur? Proprijs meritis certè non nitebatur. Necesse est igitur simpliciter bonitate seruatoris & ueritate promißionum nixam esse. His reuera fulcris solis nitendum est omnibus mortalibus. Nemo enim ex omnibus esse potest, qui sine illis in iudicio Dei consistere posit.

Quam feliciter sibi consuluerit latro.

Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.

Audiuimus latronis erga Christum animum, fidem, fiduciam, & inuocationem. Iam considerandum uenit ex uerbis Christi, quanta sit huius fidei ac fiduciæ uirtus. Hodie, inquit Dominus, mecũ eris in paradiso: ergo fide ac fiducia sua impetrauit latro, ut mox à cruce transferretur in paradisum. Quid potest aliud ostendi, cui felicitas ista posit tribui? Rectè igitur Augustinus

Augustin.

80. quæst. quæst. 62. de hoc latrone dicit: Cuius fidei fructum ipse Dominus monstrauit, dicens: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Et alibi: Ad Simplicium lib. 1. quæst. 2. sic scribit: Verbum consummans inquit, & breuians faciet Dominus super terram. Id est, ut compendio fidei per gratiam saluos faciat credentes. Et paulo post. Hoc est uerbum consummans & breuians, quod fecit Deus super terram, qua consummatione & breuitate latro iustificatus est, qui defixis in cruce omnibus membris, & habens libera hæc duo, corde credidit ad iustitiam, & ore confessus est ad salutem, statimq; audire meruit: Hodie mecum eris in paradiso. Consequerentur enim bona opera eius, si præcepta gratia diu inter homines uixisset. Sed tamen non præcesserũt ea, ut eandem gratiam mereretur ex latrocinio fixus in cruce, & ex cruce in paradisum translatus. Hæc ille. Itaq; ex uerbis Domini, tanquam aperto testimonio, latro hic, absq; ullis bonis operibus sola fide & fiducia erga Christum per gratiam illius quam inuocauit, iustificatus est, & à cruce in paradisum translatus.

Amen dico tibi.] Et quoniam difficile creditur tantam esse gratiam ac bonitatem dei erga peccatores, ut fiducia & inuocatione nominis Dei absq; meritis bonorum operum saluentur, ad succurrendum infirmitati nostræ assseuerationem præmisit, dicẽs: Amen dico tibi. Q.d. Ne dubites, omnium certißimũ ac uerißimum est, quod polliceor, hodie mecum eris in paradiso. Ita & Iohan. 5. & 6. ubi fidei salutem & uitam æternam adscribit eadem assseuratione utitur.

Hodie.] Non dicit illi: Mecum eris aliquando in paradiso, sed: Hodie mecum eris in paradiso. Dies illa, dies crucis & irrisionis ac mortis, acerba uidebatur. Verum quæ poterit esse felicior, quàm hæc ipsa, quæ aditum dat in paradisum? An non fide ac certa ista persuasione prædito, gaudendum magis erat de uicinitate paradisi, quàm de paßione & uicinitate mortis? Tanta uidelicet distantia est inter crucem & paradisum, ut uno & eodem die liceat esse in cruce & paradiso: liceat esse miserum & felicem: liceat esse in morte & uita: liceat unico momento summam miseriam cum summa felicitate commutare.

Hodie inquit, mecum eris in paradiso. Dicant hic meritorum, satisfactionum, & purgatorij doctores cur hic latro non sit primum missus in purgatorium, sed rectà cum Domino in paradisum assumptus? Ratio. Quia uidelicet nondum erat caminus ille purgatorius constructus, quem post aliquot centenarios Romani Pontifices postea, ut fictis uerbis in Ecclesia negociarentur, instituerunt.

Mecum eris.] Non simpliciter, eris in paradiso, sed mecum eris in paradiso. Hoc est, meus es, ubicunq; ero, mecum eris. Nihil disputemus de spiritibus mortuorum ubi locorũ sint, quid faciant, an dormiant, &c. cum Domino sunt. Sic Paulus dissolui cupiebat & esse cum Christo. Philip. 1.

In paradiso.] Dictio paradisi, hortum significat, quales solent esse, in quibus regum delitiæ sunt. Ebræi

uocant פרדס. Alias dicitur Eden, hortus uoluptatis, quem Deus in Oriente plantauit. Sed quæritur hic, quomodo Christus eo die fuerit in paradiso, cum corpore in sepulchro, anima in inferno futurus esset. Nihil impedit & in infernum descendisse & in paradisum intrasse animam Christi antequam resurrectionis adesset dies. Nec opus est, ut de terrestri illa paradiso intelligamus, cum sub nomine paradisi intelligatur locus ubi feliciter uiuitur. Vide August. Epist. 57. Et Ezech. 28. Rex Tyri paradisus Dei fuisse dicitur à propheta. Et Paulus in paradisum, id est, tertium cœlum raptus fuit, 2 Corinth. 12.

Sic regio Sodom. paradisus Dei dicta. Gene. 13

1 Omnibus mortalibus in genere maximæ consolationis loco esse debet, quod primus homo in paradisum à Christo ex hoc mundo inductus latro fuit, de quo nihil aliud potest dici, quàm quod crediderit in Christum, & bona fiducia gratiam illius absq; ullis meritis bonorum operũ implorauerit. Nemo desperet cum uideamus hic paradisum etiam latronibus, si credant, patere.

2 Et qui flagitiorum gratia plectuntur exemplo hoc discant non desperare de gratia Christi, & ingressu paradisi, cum audiant hic à cruce iter esse posse ad paradisum.

3 Nec illi desperent, qui resipiscentiam ad extremum usq; uitæ suæ distulerunt. Videmus enim hoc exemplo gratiam Dei in extremis mirabiliter adesse morituris. Sed non est hinc sumenda occasio negligentiæ. Vnus latro legitur hoc modo saluatus. legitur ne desperent morti propter flagitia adiudicati. legitur ne desperent, qui resipiscentiam usque ad extremum uitæ distulerunt. Non legitur, ut flagitia securius committantur, non legitur, ut pœnitentia malæ uitæ ad mortem usque differatur.

A sexta autẽ hora, tenebræ factæ sunt super uniuersam terram usq; ad horam nonam.

Iam deinceps Euangelista commemorare pergit, quæ circa mortem Christi partim diuinitus, partim à crucifixoribus facta, partim ab ipso Christo dicta sint. Et ut ordinem rerum gestarum seruet. Primum miraculum tenebrarum ponit, quæ à sexta hora ad nonam usq; durarunt. Istas liquet non fuisse ex naturali solis deliquio, ob id, quod luna tum plena ad cuius plenitudinem Iudæi pascha ex legis præscripto celebrabant, naturalem solis eclipsim causari non poterat. Constat igitur miraculosas fuisse, & diuinitus ei Iudæorum terræ immissas.

1 Non caruerunt autem significatione iræ Dei, & futuræ cladis Iudaicæ gentis, quemadmodum & tenebræ Aegyptiacæ iram Dei, & futuram ultionem Aegyptiorum portendebãt. Et mundi interitum solis ac lunæ obscuratio præcedet, ut supra uidimus cap. 24. Exo. 10

2 Deinde & mysterium habuerunt quod extra lucem solis Christi, nihil aliud sit quàm tenebrarum horror & caligo. Iudæi Christum mundi huius lucem abijciebant, & quantum in ipsis erat extinguebant, ut meritò etiam hodie in cæcitate constituti sint. Rectè igitur super terram hanc Iudæorum tenebræ factæ sunt pendente in cruce Christo, quæ cæcitatem istam Israelitarum portenderent

Tertio & hoc innuebatur, eam esse horam tenebrarum, in qua regnabat potestas tenebrarum, regnum uidelicet Satanæ, quod in cæcitate & ignorantia Christi consistit. De ista tenebrarum potestate Christus ipse dixerat: cum in horto caperetur. Sed hæc inquiens est potestas tenebrarum. Rectè igitur ad significandum, ibi regnare Satanam principem tenebrarum ubi Christus lux mundi abijcitur & crucifigitur, Christo in cruce existente tenebræ istæ factæ sunt. 3

Et circa horam nonam clamauit Iesus uoce magna, dicens: Eli Eli lama sabachthani? Hoc est, Deus meus, deus meus cur deseruisti me?

Circa horam nonam, diei uidelicet, hoc est, circa horam mortis, cum iam omnino subeunda esset mors, post admirabilem & prolixam omnium patientiam, post toleratas & sacerdotalis concilij & Romani magistratus sententias, post flagellationem, coronationem ex spinis, post sputa & colaphos, post crucis baiulationem, post crucifixionem, post uestimentorum diuisionem, post irrisionem illam cum à potioribus tum à uulgaribus illatam, cum iam dolor crucis supremas haberet, & moriendum esset, tandem in hasce querimonias erumpit.

Ita uidelicet & sanctorum patientia tandem ingrauescente dolore in querimonias impatientiæ speciem habentes soluitur. Sic & Iob posteaquam multa patienter tulisset, tandem uehementia doloris uictus in querelas prorumpit, satis acres & uehementes, de quibus uidere est cap. 3. Nemo igitur huiusmodi querelarũ gratia filios Dei in adflictione constitutos temerè iudicet, quasi alienum sit ab electis, ingrauescente dolore impatientius coram Deo quæri.

QVOMODO.

Deinde, uideamus etiam quomodo quæratur. Clamauit, inquit, uoce magna. Et ad Ebræos capite quinto mentio fit lachrymarum, & magni clamoris. Clamoris uehementia, etsi doloris exprimat uehementiam, plerunq; tamen impatientiæ notam habet. Sic solet in tentatione diu adflicta & pressa patientia, tandem in clamorem erumpere. Et hoc ad consolationem adflictorum facit, quod non solum quæstus est Christus, sed & cum magno clamore quæstus. 2

QVID.

Tertio. Quid itaq; quæritur? Cur me dereliquisti inquit? Ergo quæritur se derelictum esse à Deo suo, idq; contra spem. Nam hoc est, quod non simpliciter dicit: Deus meus, Deus meus, deseruisti me, sed: quare deseruisti 3

ruisti me? Q. d. contra quàm speraui. Quasi enim expostulat cum Deo, quod contra spem suam ab illo desertus sit. Vnde & Psal. 22. ubi hæc uerba prophetico spiritu expressa habentur, paulò post sequitur: In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt & liberasti eos, in te sperauerunt & non sunt confusi: Ego autem sum uermis & non homo, &c.

Sentiebat igitur destitutum esse se diuina uirtute, & in manu inimicorum ac mortis derelictum, ideoq; probro impiorum obnoxium esse factum. Quæritur hoc accidere sibi contra spem, cum Dei sit non deserere, sed liberare sperantes in se. Premebatur intensissimo cordis dolore quem satis testatur clamore ualido, deinde ingeminatione אלי id est, Deus meus, deus meus: & in Psalmo longè à salute mea uerba rugitus mei. Tentabatur etiam desperatione, unde non dicit: ne deseras me, sed quare deseruisti me?

Quæ hic notanda sint, uide in Commentarijs meis suprà Psal. 22.

Deus meus.] Quæritur hic, quomodo Deum habeat Christus, cum ipse sit uerus Deus, benedictus in secula. An Deus Deum suprà se habet à quo opus habeat defendi ac protegi?

Respondeo. Is qui patitur ac moritur, quatenus patitur ac moritur, hactenus infirmus est, & maiore uirtute qua conseruetur opus habet Christus in cruce pendens, secundum carnem, id est humanam naturam uerus homo existens patitur, dolores ac sensum mortis habet, infirmitate præditus est, opus habens Deo, à quo conseruetur. Hactenus Deum habet patrem, à cuius potentia pendet, in cuius etiam manus, spiritum suum moriturus commendat. Secundum humanam itaq; naturam, qua natus est ex Maria uirgine, qua fleuit, esurijt, contristatus fuit, dormiuit, comedit, lassatus fuit, passus est ac mortuus, qua resurrexit & ad cœlos ascendit, patrem suum Deum suum uocat, sicut & post resurrectionem dixit: Ascendo ad Deum meum & Deum uestrum, patrem meum & patrem uestrum. Secundum diuinam uerò naturam, ipse uerus Deus est eiusdem cum patre substantiæ & potentiæ. Proinde in talibus locis diligenter sua cuiq; naturæ in Christo danda sunt, ne quod diuinæ est humanæ, aut quod humanæ est, diuinæ tradamus. Christus ut homo est, eundem Deum & patrem nobiscum habet, ut Deus est, cum patre & spiritu sancto, Deus noster est, benedictus in secula.

Quare me deseruisti?] Secundo quæritur, cum Christus sit filius Dei, quomodo à patre derelictus sit. Si non deserit filios suos Deus, sperantes in se, quomodo Christum filium suum à se pendentem derelinquere potuit?

Respondeo. Vox ista Christi, uox animi adflicti, & in media desperationis tentatione constituti est. Carni uidebatur se esse desertam, ubi iam iam moriendum erat. Verum non esse desertum filium à patre ipsa resurrectio post triduum satis ostendit. Extra hanc tentationem alia est Christi uox, nempe: Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Notas mihi facies uias uitæ, &c.

Et Iohannis octauo: Qui me misit mecum est, & non derelinquit me solum. Et in fine superata hac tentatione, dicit: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Itaq; ueritas illa, quod non deserat Deus sperantes in se, inconcussa manet, nec ex uerbis animi in tentatione constituti, sed magis ex ueritate Dei promittentis & sensu eorum, qui diuinitus eripiuntur iudicanda est.

Latro. Cogitandum etiam hic est, quid offensaculi accidere potuerit fidei latronis, ex istis Christi uerbis: Deus meus, Deus meus quare me dereliquisti? Cogitare potuit, iam dixisti, futurum me hodie tecum in Paradiso. Quomodo duces me in Paradisum, si à Deo tuo derelictus es? Quomodo potest alios saluare, qui seipsum derelictum esse clamat? Ergo rectè dixerunt sacerdotes: Confidit in Deum, saluum faciat eum, si uult eum. Item: Alios seruauit, seipsum seruare non potest. Certe huiusmodi cogitationes potuerunt occurrere latroni. Nam absque dubio clamorem hunc Christi & hæc uerba audiuit, adhuc in cruce uiuus. Primus enim Christus mortuus est, deinde latrones, ut ex Iohanne liquet. Verum qui tentationem istam in se non propter se, sed propter nos suscepit ac deuicit, is huius latronis fidem sua etiam uirtute à desperatione conseruauit. Nam omnino uerum esse oportuit, quod dixerat: Hodie mecum eris, &c.

Quidam autem illic stantium cum audissent dicebant: Eliam uocat iste. Et continuo currens unus ex eis, cum acceptam spongiam implesset aceto, imposuit harundini, dabatq; ei, ut biberet. Cæteri uerò dicebant: sine uideamus an ueniat Elias liberaturus eum.

Quidam illic stantium.] De quibus Euangelista ista scribat, Iudæis ne an militibus crucifixoribus, id est Romanis militibus, non exprimitur. Et quanquàm, ut ex Luca patet, non modica turba Iudæorum spectandi gratia rebus istis adfuit, coniecturis tamen haud uanis colligitur de militibus Romanis, hominibus gentilibus, ista ab Euangelista conscribi.

Primum quod uerbis Christi non intellectis, putârunt Eliam implorari, cum quærulatio ista ad Deum esset directa.

Deinde, quod unus ex ipsis scribitur, arrepto calamo spongiam aceto refertam alligasse, & ori Christi admouisse, quod certe nemo alius, quàm quibus id officij demandatum erat, facile tentasset, ne ex uulgo quidem, nedum ex primoribus Iudæorum.

Eliam uocat iste.] Omnibus mortalibus agnatum est, ut in tribulationibus constituti, cum propriæ uires deficiunt, ad eorum auxilium confugiant, quos & putant posse, & confidunt, uelle etiam, necessitati-

bus ipsorum adesse. Ita isti, uel ex similitudine uocis, uel ex linguæ ignorantia falsi, Eliam à crucifixo, & in extremis constituto implorari putarunt.

Hac enim opinione gentes idololatræ etiam tum fuerunt, quod à magnis & præcipuis uiris, quibus nonnihil commercij cum Deo fuisse creditur, etiam post mortem posit impetrari adflictis auxilium. Istam opinionem mordicus tenent seducti in Papismo christiani, quemadmodum & multa reliqua ex gentibus ad nostra secula traducta. Nobis autem non est attendendum quid sentiat gentilium superstitio, sed quem imploret fidelium religio, non temeraria quadam inducta credendi leuitate, sed exempli Christi mota autoritate. Vox Eli in his necessitatibus usurpanda est credentibus exemplo Christi, non uox Eliæ errore superstitiosorum militum.

Bonum quidem est, quod in huiusmodi impietate creditur post hanc uitam, esse ubi beati feliciter agant.

Item, quod creditur pios uiros Deo singulariter non in hac tantum, sed & in futura uita charos esse.

Item quod creditur, Deum illorum gratia, etiam post mortem eorum, multa posteris beneficia largiri. Hinc illud toties in scripturis, propter Abraham dilectum meum, & propter Dauid seruum meum.

Quod autem creditur, mortuos sanctos in cœlis pro nobis orare, incertum est, quod nullis scripturis probare posit.

Item, Quod inuocantur, ut intercedant pro nobis, inanis superstitio est.

Postremó quod ita inuocantur, ut ipsi nobis in necessitatibus constitutis succurrant, gentilis impietas est, qualem fuisse in istis gentibus hoc loco uidemus.

Et continuo currens unus ex eis cum acceptam spongiam.] Crediderim istum non malo animo acetum Christo ministrasse, si uerum est quod quidam dicunt acetum haustum uulneratis accelerare mortem. Potest enim esse, ut qui acetum hic Christo porrexit, cupierit eum ab extremis illis necessitatibus ac mortis doloribus uelocius liberatum iri. Et id crediderunt etiam isti, opinor, qui dicebant: sine uideamus an ueniat Elias liberaturus eum. Quasi cupientes eum tardius mori, ut locus esset uidendi, num Elias adueniens liberaret eum, quod post mortem fieri non posse putabant. Itaq; diuersa uidentur fuisse uota istorum militum. Qui acetum porrexit, cupiebat Christo mortem accelerare, nihil moratus quæ alij de Elia dicebant. Reliqui cupiebant eum diutius in cruce uiuere curiositatis gratia, ut uiderent num Elias ueniret & eum de cruce liberaret.

Iesus autem cum iterum clamasset uoce magna, emisit spiritum.

Obdormitionem Christi in cruce paucissimis uerbis describit Euangelista. Cum clamasset inquit, uoce magna. Lucas hanc uocem exprimit, quid uidelicet clamauerit, cum dicit: Et cum clamasset uoce magna Iesus, ait: Pater, in manus tuas commendabo spiritum meum. Et cum hæc dixisset, expirauit. Iohannes dicit: Et inclinato capite, tradidit spiritum. Pauca sunt ista ab Euãgelistis de Christi obdormitione assignata, si uerborum paucitas inspiciatur, uerum si diligentius expendantur, multa habent quæ non sine fructu ruminentur, de quibus nos aliqua uidebimus.

Principio. Quod cum clamore magno spiritum emisit, indicium erat maioris potentiæ quàm homini morienti conueniat. Indicabat se sua sponte animam deponere, iuxta illud: potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum resumendi eam. Ad quod etiam id fecit, quod capite inclinato à Iohanne dicitur tradidisse spiritum suum. Reliqui morientes primum moriuntur, deinde capita inclinant. Hic uerò primum caput inclinat, deinde spiritum suum uoluntarie patri tradit, &c. 1

Sunt qui dicant ui & potentia clamoris huius morientis Christi uelum templi scissum, petras ruptas, terramq; motam esse. expendentes diuinam in Christo moriente uirtutem, ut credamus Christum in ipso quoque mortis articulo uirtutem suam pro arbitrio exerere posse, nec dubitemus eum nobis morientibus adesse posse, qui in sua ipsius morte tantum uirtutis ostendit, &c. Augustinus.

Deinde in eo quod Lucas illum dixisse scribit: Pater in manus tuas commendo spiritum meum, uidemus quàm non desperationis uox fuerit, cum dixit: Deus meus, Deus meus quare me dereliquisti, sed tentationis, de qua suprà quædam dicta sunt. Nam alioqui quomodo potuisset spiritũ suum commendare ei, de cuius erga se bonitate & fide iam desperasset? 2

Præscribitur itaq; nobis hoc Christi exemplo, ut ubi moriendum est, bona fiducia cœlesti patri spiritus nostros commendemus, quomodocunq; in tentatione uisus sit nos deserere. Hæc fiducia est filiorum Dei, cum qua mori debemus, nihil de fide patris nostri dubitantes. Hac fiducia præditi non solum spiritus suos, sed simul omnia uxores & liberos securi Deo committere possunt.

Sic' Christus Ioh. xvi. discipulos suos patri commendat.

Præsertim qui ad Christi exemplum peculiaria munera diuinitus administranda acceperant, si illa fideliter exequuti sunt: læta & secura conscientia possunt spiritus suos in manus patris cœlestis, ubi moriendum est commendare. Sic Christus, cum iam omnia consummata essent (ut & in cruce dixit: consummatum est) inclinato capite tradidit spiritum suum.

Tertio & hoc obseruandum est, quod patri spiritum commendans, nullam facit corporis mentionem. An corpori non erat opus diuina cura & protectione? uel non æquè ad Christum pertinebat atq; spiritus? An non erat in illo quoq; declaranda diuina potentia? Vtique, & corpori opus erat protectione diuina, & ad Christum illud æquè pertinebat, & erat in illo illustranda gloria diuinæ potentiæ. Verum inter moriendum alia est spiritus habenda ratio quàm corporis. 3

Primum principalior hominis pars est spiritus. Igitur & principalis illi cura debetur. Nam illo bene constituto,

constituto, nihil periculi potest accidere corpori, cuius gloria pendet à spiritu, & non uicissim gloria spiritus à corpore.

Deinde spiritus è corpore liberatus mox ad cœlestia tendit, ad eum qui dedit illum. Ideò rectè qui moriuntur spiritus suos tanquàm ex hac uita ad superna migrantes Deo patri commendant: perinde ac si quis amicum in alienam regionem migrantem regionis eius principi commendet.

Tertio & hoc discriminis hic obseruandum est, ad consolationem eorum, qui iniustè ab iniquis occiduntur, quod cum extrema in corpora piorum designare permittantur impij, spiritus tamen illorum intactos relinquere nolint uelint coguntur, ut illos cum bona securitate quicquid corporibus contingat, in manus Dei commendare queant. Sic Christus suprà cap. 10. Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem nõ possunt occidere. Ita hoc loco, cum corpus ipsius esset in manibus impiorum et occideretur, spiritum tamen adhuc saluum habens, illum patri commendat.

4 Postremò nec hoc prætereundum est, quod capite inclinato tradidit spiritum, quàm id competat ei morti, quæ propter subsequentem resurrectionem nõ mors, sed obdormitio dicenda est. Velut enim in lecto quodam dormiturus caput inclinauit. Sic nos Germani quoq; dicimus de his, qui moriuntur: Vuenn sie ir haupt nider uuerden legen. Hoc est, quando obdormient & ex hac uita migrabunt. Hac mortis Christi imagine, imò & uirtute, discamus & nos hoc libentius subire mortem, cum illa nihil sit aliud quàm obdormitio quædam. Ideò Christianorum sepulturæ κοιμητήρια, id est, dormitoria uocantur, uocabulo omnium sanè pulcherrimo & appositissimo.

Et ecce uelũ templi scissum est in duas partes à summo usque ad imum. & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & egressi è monumentis post resurrectionẽ eius, uenerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.

Ista miracula nullo alio fine diuinitus facta sunt post mortem Christi, quàm ut primum iram Dei supra Iudæorum gentem: deinde & uirtutem mortis ac regni Christi ab eo tempore declarandam portenderent. Sunt enim duplicis generis. Iram Dei portendebant terræmotus, & petrarum scissura, quemadmodum & suprà de tenebris dictum est. Iudæorum immensa cæcitas & cordis durities, & animorum stupiditas his portentis tenebrarum, petrarum scissarum, & terræ motæ damnatæ sunt.

De uirtute, mortis ac regni Christi indicia habuerunt reliqua duo, uidelicet, quod uelum templi scissum est, et sepulchra sanctorum aperta sunt, corporaq; illorum surrexerunt. Morte enim Christi sublatæ sunt umbræ ueteris sacerdotij, aperta est uia in sancta sanctorum, qua dere uidere est Ebræ. 10. Hoc uoluit scissura ueli. Significabatur Deum abijcere sacerdotium illud Leuiticum cum omni suo cultu, in quo regnabant sacerdotes legis & literæ, & inducere nouum illud spiritus, in quo non esset summus pontifex, qui necesse haberet cum alieno sanguine ingredi in sancta. & primum pro suis, deinde etiam aliorum delictis offerret: sed qui per proprium sanguinem non pro suis, sed pro totius mundi peccatis effusum ingrederetur tabernaculum non manufactum, sed cœleste illud, ut appareret uultui Dei pro nobis & nos spiritu suo sanctificaret in gentem sacerdotalem, & uiam aperiret in ea ipsa sancta ingrediendi in quæ ipse prior ingressus esi.

Quod autẽ monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum surrexerunt, declarauit iam tum à recenti Christi morte, quod per illam esset uictum mortis & inferorum regnum, & ad resurrectionem aperta illius claustra. Sic scriptura de morte Christi dicit: O mors, ero mors tua, morsus tuus ero inferne. Et Ebræ. 2. Vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium. Species futuræ resurrectionis exhibita est, & indicata ueritas uerbi Christi, quo dixit: Ego sum resurrectio & uita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, uiuet.

Notanda itaq; est bonitas Dei, quod in medio portentorum illorum, quibus iram suam supra incredulos & impios Iudæos Christi hostes minitabatur, speciem tamen intermiscet eius felicitatis, quæ credentes in Christum manet. Ita uidelicet irascitur impijs, ut tamen intermixta sit consolatio piorum. Sic horrenda illa signa intenturi mundi utut terribilia sint impijs futura, pijs tamen magnam consolationem adferent. Vnde & Christus dixit: Tunc leuate capita uestra, appropinquabit enim redemptio uestra.

Qui sancti illi fuerint, qui surrexerunt, & an in hac præsenti uita aliquandiu manserint, iterumq; mortui sint, uel cum Christo ad cœlestia migrauerint. Curiosum arbitror uelle inuestigare, cum nihil horum ponat Euangelista. Verum si quis ea de re legere uelit, legat epistolam Augustini 99. ad Euodium, & li. 3. de mirabilibus scripturæ cap. 13.

Illud: Et uenerunt in sanctam ciuitatem, non est opus ut exponatur de cœlesti illa futuræ uitæ Ierusalem, cum etiam terrena Ierusalem propter sacerdotium ac cultum Dei, ciuitas sancta uocetur in scripturis. Quod autem de hac terrena potius quàm de cœlesti intelligenda sint Euangelistæ uerba, sequens particula satis declarat, quæ dicit: Et apparuerunt multis. Si de cœlis intelligendus esset Euangelista, non quadraret, quod sancti isti dicuntur multis apparuisse, imò ne opus quidem fuisset scribere, quod quibusdam uel omnibus etiam apparuissent in cœlis. Ista apparitio uiam parabat fidei in Christum, atq; ideò non cœlis, sed terræ competit.

SVNT HOC LOCO DVO notanda.

Quod

1 Quod ciuitas tam corrupta, tamq; peruersa, ciuitas illa sanguinum, de qua suprà dixerat Christus: Ierusalem Ierusalem quæ occidis prophetas, ciuitas iræ Dei ac horrendißimæ ultioni ac uastationi obnoxia, uocatur ab Euangelista ciuitas sancta. Discamus igitur sanctitatis uocabulum non habere in se significationem propriæ iustitiæ, sed magis commendationem diuinæ gratiæ, qua fit, ut miseros peccatores sibi sanctificet, quibus beneficiat, quos pro suis agnoscat, in quibus gloriam nominis sui illustret. Ita Ierusalem ista certe nihil habebat iustitiæ, cuius nomine sancta dici potuisset, præsertim hoc tempore quo Christum crucifixerat. Habebat tamen hoc, quod erat ciuitas à Deo assumpta, in qua multa & magna diuinæ gratiæ & potentiæ testimonia, ad illustrationem nominis Dei facta fuerant, unde & ciuitas Dei dicta est. Sic Dauid sanctum se uocat, dicens: Conserua me Domine quoniam sanctus sum. Hoc est, tibi assignatus sum, quoniam gratiæ tuæ consecratus sum, &c. Sic populus Israël sanctus dicebatur.

2 Typus hic expressus est, quid futurum sit, ubi in fine mundi resurrexerimus. Ingredietur uidelicet in ciuitatem sanctam cœlestem illam Ierusalem, in qua cum Christo, & omnibus angelis in perpetuum regnaturi sumus, &c.

Centurio uerò, & qui cum eo erant, custodientes Iesum, uiso terremotu, et his quæ facta fuerant, timuerunt ualde, dicentes: Verè filius Dei erat iste.

Dixi suprà, miracula ista à morte Christi facta, duplicis generis fuisse. Hoc est, partim iram Dei innuisse super gentem hanc Iudæorum, partim uirtutem regni Christi ac mortis eius declarasse. Quæ hic Euangelista commemorat, eundem duplicem usum miraculorum istorum tradunt. Primum enim, quod dicit Centurionem cum socijs suis ac commilitibus crucifixi Domini custodibus, uiso terræmotu, & his quæ facta fuerant, uehementer timuisse. satis ostendit eos intellexisse iræ diuinæ signa esse quæ ibi fiebant. Deinde quod scribit eos dixisse: Verè filius Dei erat iste, significat eos ex portentis istis collegisse, Christi crucifixi innocentiam & maiestatem, tanquàm ex certis testimonijs cœlitus illi datis.

OBSER.

1 Videmus hic expressum typum eius fructus, qui post mortem Christi sequuturus erat ex prædicatione Euangelij inter Gentes, quarum Centurio hic cum militibus suis imaginem gessit. Gentes hic, idq; milites, mouentur uisis portentis, timore percelluntur, iræ diuinæ sensu tanguntur, Christi innocentiã & maiestatẽ agnoscunt, & contra sacerdotale concilium, filium Dei confitentur. Quid interea Pontifices, sacerdotes, Scribæ, Pharisæi, Seniores cum reliqua Iudaicæ gentis fece? Illi, ut obstinati solent, in sua cæcitate, pertinacia, incredulitate, & impietate, nullo omnium eorum quæ aguntur sensu præditi, omnium stupidißimi perdurant. Itaq; iam tum delineabatur gentibus fore sensus uidendi & audiendi testimonia cum uerbi tum miraculorum, quæ ad fidei in Christum confirmationem ex uirtute & operatione spiritus sancti in toto terrarum orbe futura erant. Iudæos uerò cæcos fore ac surdos, ut quibus nec oculi uidendi essent, nec aures audiendi, nec cor intelligendi, sicuti diuino quoq; & prophetico testimonio de hac gente prædictum fuerat, qua de re uidere est suprà capite 13. Sed ita solent, quorum condemnatio in uicino est, quorum malicia ad summum usq; iam iam punienda excreuit.

OBSER.

Expendamus timorem hunc Centurionis, & eorum 2
qui cum eo erant, simul etiam turbarum populi, quæ spectandi gratia adstabant, de quibus Lucas scribit, quod & ipsæ uisis istis portentis, pectora sua percusserint, reuersæq; sint. Horum inquam, omnium timorem qualis sit & unde expendamus. Visis inquit, his quæ facta fuerant, timuerunt ualde. Quæ illa erant? Terræ motum nominatim ponit hic noster. Marcus, quod cum tanto clamore expirasset Iesus. Lucas in genere, cum uidisset Centurio, quod accidit, &c. Ergo miraculis istis, quæ suprà commemorata sunt, deinde & clamore Christi, patri spiritum suum commendantis, moti sunt ad hunc timorem. Quare? Collegerunt ex illis Christi innocentiam. Senserunt enim Deum irasci Iudaicæ maliciæ, unde collegerunt isti homini factam esse uim, fuisse illum Deo charum, atq; adeò iustum & innocentem. Tametsi enim gentiles homines essent, crediderunt tamen Deum irasci & exacerbari, si innocentes occidantur. Nec rationem habent sententiæ à Pilato dictæ, non cogitant, quid poterit hic esse periculi, etiamsi sit innocens & immeritò crucifixus? Nos exequuti sumus sententiam à præside dictam. Viderit ipse præses. Nos securi sumus. Et ipsæ adstantes turbæ è populo Iudaico, non cogitant, uiderint seniores nostri Pontifices ac sacerdotes, Scribæ & Pharisæi, quorum sententia damnatus iste Pilato ad crucifigendum traditus est. Nos extra culpam sumus, ipsi dabunt pœnas. Nihil horum cogitant, sed percutiunt pectora sua ac reuertuntur.

Isti homines imaginem eorum gesserunt, qui impijs principibus uel famulantur, uel alioqui subesse coguntur, illi haud prohibere ualentes, quæ uident impia ab illis geri, isti seruire etiã innocentũ oppreßioni coacti. Nostris temporibus sæpenumero accidit, ut multi boni uiri ex officio & ministerio adesse coacti sint, ubi innocentes crudeliter mactabantur: qui perinde atque milites isti rerum quæ gerebantur, improbitate moti, cum timore Dei lachrymas etiam effundere uisi sint. Hi licet hactenus laudandi sint, quod quàm iniquè agun tur non probant, & miserorum ac innocentum compaßione mouentur, excusari tamen nequeunt, quod impij principibus contra conscientiam famulantur.

Vulgus magis poterit excusari, qui principum suorum tyrannidem tam prohibere nequeunt, ut & ipsi illi cogantur esse obnoxij. Hi non possunt aliud quàm exemplo istarum turbarum, pectora sua percutere, Deum timere, & de instituenda resipiscentia cogitare.

His

Hic metus si unquàm, certe hoc tempore locum habet, in quo tantum sanguinis innoxij fusum est, & hodie quoq; funditur, cuius gratia absq; omni dubio breui pœna sumetur à Germania.

Erant autem ibi mulieres multæ è longinquo spectantes, quæ secutæ fuerant Iesum à Galilea ministrātes ei, inter quas erat Marie Magdalene, & Maria Iacobi, & Iose mater, & mater filiorū Zebedæi.

Mulierum istarum mentionem faciunt omnes Euangelistæ. Nec præter rationem. Dignæ enim sunt quarum memoria in sempiternum uigeat in ecclesia Christi, quem tanto sunt amore prosequutæ, ut non in Galilæa solum illi adhæserint, sed & Ieroſolymam usq; profectione, uidelicet omnino periculosa, ut res ipsa declarauit, prosequutæ sint, & prædicanti, miracula q; facienti de facultatibus suis ministrauerint, ut uidere est Lucæ 8. Quem igitur prædicantem ac miracula facientem secutæ fuerant: hunc nec in morte quidem fugientibus Apostolis & Petro negante, deseruerunt. Hoc uidelicet ingenium est synceri amoris. Non solum rebus prospere habentibus adesse & assectari, sed & ubi res aduersæ sunt amoris affectum non dissimulare.

2 Quod autem non è uicino, sed è longinquo stant, muliebris metus indicium erat. Synceræ quidem diligebant dominum, uerum non sine carnis infirmitate. Discamus igitur mulierum istarum exemplo non statim abijcere infirmos ac meticulosos, quasi nihil illis insit dilectionis erga dominum. Videmus enim hoc loco, & certe in Apostolis fugientibus adhuc amplius, plerunq; synceræ Christi dilectioni adiunctam esse carnis imbecillitatem, quæ faciat, ut non libere ueritati Christi quam diligunt pij, adhæreant, sed metu impediti, è longinquo illam sequantur.

3 Quæ illæ fuerint. Matthæus noster & Marcus complures quidem fuisse scribunt, & tamen nominatim non recensent, nisi Mariam Magdalenam, & Mariam Iacobi & Ioſe matrem, & matrem filiorum Zebedæi, & Mariam Salome. Ioannes uerò addit Mariam matrem Domini, & sororem eius Mariam Cleophæ. Istæ absq; dubio nominatiores fuerunt. Quædam cognatæ matris Domini, quædam uerò propterea Dominum secutæ, quod essent beneficio & uirtute illius, uel à spiritibus immundis liberatæ, ut de Maria Magdalene Lucæ 8. scriptum est, uel ab infirmitatibus curatæ, sicuti eodem loco de quibusdam commemoratur.

4 Hæ mulieres scribuntur Dominum à Galilæa secutæ esse: Ergo mulieres Galilææ fuerunt, quemadmodum & discipuli Domini uiri Galilæi fuere. Pharisaica hypocrisis asserebat è Galilæa nihil uenire egregij. Ita solet plerunq; Deus neglectis splendidis locis, gratiam suam impendere obscuris & neglectis.

5 Ministrantes ei.] Ex octauo capite Lucæ appareret, qua in re illi ministrauerint. Nempe in re uictuaria. Nam ibi dicuntur ei de facultatibus suis ministrasse. Nō est autem putandum quod tantum Christi personæ alimenta subministrârint. Etiam Apostoli, qui Christum sequebantur, isto subsidio usi sunt. Locus iste bene notandus est. Primum rex regū qui omnes alit, Dominus cœli ac terræ, nihil habebat unde se sustentaret, nisi quantū accipiebat à pijs sectatoribus. Ita paupertatem elegit, ut pauperes & egenos ad se traheret. Sic alibi dicitur: Qui cum dives esset pro nobis pauper factus est. Et hoc argumento Apostolus utitur, ut fidelium mentes ad largius impendendā pauperibus eleemosynā permoueat. 1 2. Cor. 8.

Deinde exemplum dedit, ut ij, quibus spiritalia seminantur, parati sint ad communicandum de terrena sua facultate suis doctoribus. Alioqui facillimum fuisset Domino absq; ullo mulierc ularum istarum subsidio, & se & discipulos suos sustentare. Verum quod discipulis dixit: edite quæ apud eos sunt, &: Dignus est operarius cibo suo, illo ipse quoq; uti uoluit. Certe animus mulierc ularum omnino pius fuit, & syncerus erga doctrinam Christi. Testatæ sunt hoc cum impensis suis facultatibus tum periculosa ista assectatione. 2

Cum autem uespera facta esset, uenit homo dives ab Arimathæa, nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu, hic accessit ad Pilatum, ac postulauit corpus Iesu. Tunc Pilatus iussit reddi corpus. Et cum accepisset corpus Ioseph, inuoluit illud sindone munda, posuitq; illud in monumento suo nouo, quod excciderat in petra, & aduoluto saxo ingenti ad ostium monumenti, abijt.

His uerbis Euangelista sepulturam Christi describit, in cuius historia hæc nobis uidenda ueniunt. Primum per quos sepultus sit dominus. Alterum quomodo. Tertium ubi. Quartum quando. Vbi & de mysterio sepulturæ Christi dicendum est.

PER QVOS SIT SEPVLTVS.

Hic noster Ioseph̄ quendam ponit ab Arimathæa. Huic duo dat. Vnum quod dives, alterum quod Christi quoq; discipulus fuerit. Marcus illi adscribit, quod honestus Senator fuerit, addit etiam, quod & ipse regnum Dei expectârit. Lucas quoq; dicit eū fuisse Senatorem, adiungit, quod uir bonus ac iustus fuerit, & quod consilio ac facto hostium Christi non consenserit, quodq; & ipse regnum dei expectârit. Iohannes et ipse dicit, quod hic Ioseph fuerit discipulus Iesu, sed addit: quod occultus discipulus fuerit propter metum Iudæorum. Huic coniungit consimilem alium quendam occultum discipulum, nempe Nicodemū, qui ad Iesum nocte uenerat. Per hos uidelicet sepultus est Iesus.

Ergo Ioſepho isti datur, quod iuxta seculum fuerit dives, quod fuerit uir bonus, honestus, iustus, Senator: religione uerò, regnum Dei expectauerit, Christi discipulus fuerit, Iudæorū consilio et facto nō consenserit.

Quod dives fuisse commemoratur, id fit, non quod in Christo quicquam ualeat esse diuitem, sed ut ueluti ratio assignetur, cur hic Ioseph corpus Iesu à Romano præside tam facile impetrârit. Apud huius seculi præsides ac principes multa est diuitum prærogatiua, non apud Deum, qui personas non accipit.

Deinde

Deinde, facit diuitiarum & dignitatis commemoratio, etiam ad hoc, ut fides illius licet occulti discipuli, in hoc facto prædicetur. Nam omnino periculosam pro uinciam subibat, quod corpus Christi à Romano præside dari sibi petebat, illudq; in suo ipsius monumento collocabat. Hoc enim facto quod antea celauerat, satis euidenter in lucem proferebat, quo scilicet animo erga crucifixum hunc fuerit etiam antea, ut nihil illi fuerit expectandũ aliud, quàm certissimæ impiorum Iudæorum insidiæ, unde & Marcus dicit, quod sumpta audacia ingressus sit ad Pilatũ. Videmus igitur hoc loco, q̃ nõ debeamus desperare de illis, qui licet aperta nondum confessione ueritati euangelicæ sese coniungant, in corde tamen illam amplectuntur, & occulti sunt illius discipuli. Vbi occasio dabitur, potest illis per diuinam gratiam contingi, ut metu perculsis discipulis illis, qui manifestam iam habent ueritatis professionem, ipsi prodeant et aperto testentur, q̃ nõ consenserint in effusionẽ illam sanguinis innoxij & ueritatis oppugnationem.

Præscribitur etiam hoc loco Senatoribus, ut si pij & iusti esse uolunt, Ioseph huius exemplum sequantur, qui licet à toto concilio sacerdotum, Scribarum, Phariſæorum ac seniorum condemnaretur Christus, ipse tamen consentire noluit, ut & ipsi sibi caueant, ne contra conscientiam in facinus aliquod iniustum, præsertim ubi innoxiorum sanguini insidiæ tenduntur, consentiant. Si prohibere quod malum est non possunt, hoc tamen possunt, ut sententia sua non astipulentur. Nec cogitant quid profecero, etiam si non consensero? Nihilominus fiet quod maior senatus portio statuit. Deinde quis sciet aut quis credet te non consensisse, uel etiam consensisse. Nihil occultum est quod non reueletur. Hic Ioseph perpetuam inde laudem retulit, quod Iudæis Christum condemnantibus non consensit, & hunc erga Christum animum hac sepultura tam luculenter testatus est. Hoc satius illi fuit quàm cum impijs & iniustis iram Dei cum primis, deinde & perpetuam subire ignominiam.

Quod attinet ad diuites, discant illi hoc loco, fieri quidem posse, ut diues regni cœlorum particeps fiat, id quod in hoc Iosepho apparet, uerum simul curent, ut tales sint, quibus et bonitatis et honestatis, iustitiæ quoq; testimonium dari possit, nec cõtenti sint regno diuitiarum suarum, sed cum Iosepho regnum Dei expectent, in quo solo uera est & æterna opulentia, uita & fœlicitas. Si uerò perrexerint esse mali, auari, tenaces, iniusti, inhonesti, & regni Dei nullam rationem habentes, in solis suis diuitijs bem omnem & uoluptatem habentes, nihil ad eos pertinebit exemplum huius Iosephi.

QVOMODO SIT SEPULTUS.

2 Secundo loco uidendum esse dixi, Quomodo sit sepultus Dominus. Ad hanc considerationem principio pertinet, quod Ioseph ad Pilatum accesserit, & dari sibi corpus Iesu petijt. Timebat enim ne ludibrio aduersariorum exponeretur. Nec audet eum propria potestate deponere. Nam corpora eorum qui à magistratu plectuntur, etiam post mortem in potestate sunt magistratus. Ideò Marcus scribit, quod corpus Iesu donatum sit Iosepho à Pilato. Nec præter causam est quod magistratibus potestas relinquitur in corpora reorũ etiam post mortem. Tanta nanq; malicia est mortalium, ut etiam in cadauera mortuorũ non dubitent sæuire, qui ab illis cum uiuerent læsi sunt. Hic certe omnino credibile est sacerdotes summa cum insania & crudelitate in occisi & emortui corpus sæuituros fuisse, nisi potestate Præsidis prohibiti fuissent. Hactenus inquam nõ absq; causa est, quod magistratus potestatem habet in corpora reorum, non solum cum uiuunt, sed etiam postquàm occisi sunt. Quod uerò plerisq; moris est, ut in subditos quibus seruorum more dominantur, etiam post mortem exactionem pecuniariam exerceant, à mortuis tributa exigentes, quæ germanice ein todfal uocant, qua ratione competenti & honesta defendi possit, non uideo. Nam huiusmodi exactiones nihil respiunt aliud quàm inæquissimum quæstum, quo uiduæ & orphani relicti premuntur. Et hanc inhumanitatem hodie innumera monasteria in subditos suos exercent.

Deinde ad hanc considerationem pertinet, quod Euangelista dicit: Et cum accepisset corpus Iesu Ioseph, inuoluit illud sindone munda. Et quod Ioannes dicit: Acceperunt corpus Iesu, & obuinxerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Omitto hic allegoriam mundæ sindonis et aromatum, qua poterit intelligi Christum quiescere uelle in mente pura, uirtutibus bene olentibus cõdita. Euangelista dicit corpus Iesu linteis & aromatibus obuinctum ab his duobus Iosepho & Nicodemo pro more Iudæorum esse sepultum. Iudæi, quoniam resurrectionem corporum credebant, mortuos suos cum honore sepeliebant, præsertim eos quos Deo charos esse credebant. Ita & isti duo corpus Iesu, de quo honorificè sentiebant, honorificè quoq; sepelire uolebant. Nam nihil morabantur iudicium concilij sacerdotalis de illo latum, nec mortem illam probrosam, quò minus honestè sentirent de mortuo, quem uiuum syncera fide complexi fuerant. In hunc usum Ioseph non quamuis sindonem, sed mundam usurpauit. Ideò Marcus dicit, quod mercatus sit sindonem, uidelicet, quæ noua esset, nullis antea usibus accommodata. Ad hunc usum Nicodemus aromatum attulit libras centum, uidelicet, ut putredini obsisterent. 2

Hanc sepeliendi diligentiam hactenus imitemur & nos, ut testemur quidem & ipsi primum resurrectionis fidem, deinde dilectionem erga mortuos, uerum absq; superstitione. Hac de re uide in annotationibus meis super Psal. 16. ibi. Et caro mea requiescet in spe. 1

Imitemur etiam hoc, quod Christo quem diligunt, tam largiter sepeliendi sumptus impendunt. Sic Maria unguentum 200. denariorum illi in caput effudit. Et Nicodemus hic 100. libras aromatum impendit. Ita largiter demus & nos Christo quæ damus. 2

Tertio, cõsiderandum & hoc est, quod ingenti saxo ad ostium monumenti aduoluto, sepultum Christi corpus concluserit. Non dubitârim hoc singulari studio factum, ne corpus Domini cuiusuis aduersariorum pateret ludibrio. Tametsi uerisimile est ita solitos fuisse Iudæos communire sepulchra, & sepultorum nomina istis saxis 3

saxis memoriæ gratia inscripsisse. Quodcunq; fuerit Ioſephi consilium in hoc facto, certum est diuina factum esse prouidentia, ut sepulchrũ Domini hoc ingenti saxo cõmuniretur ad maiorem resurrectionis certitudinem, & ad tollendam fraudis & sublati corporis suspicionem. Oportebat occasionem dari ad ampliorem diuinæ uirtutis declarationem. Sic Elias iubebat secundo ac tertio hostiam immolandam Domino, & ligna & fossam aqua abundè infusa humectari, ut hoc clarius esset signum diuinæ uirtutis & operationis, ubi igne cœlitus demisso omnia, etiam ipsa aqua, absumebantur.

VBI SIT SEPVLTVS.

Tertio uidendum est, ubi sit sepultus. Hic noster dicit, sepultum esse dominũ in monumento Ioſephi, nouo. Lucas & Iohannes addunt: in quo nemo dum alius sepultus fuerit, & quod sepulchrum illud fuerit in horto, quodq; fuerit excisum in petra. Expendamus ista.

1 Primum, quod Christus non est sepultus proprio & peculiariter sibi parato, sed alieno, Ioſephi uidelicet monumento, mysterio non caret. Vt enim Christi resurrectio, nostra est resurrectio & uita, cuius uirtute corpora nostra in extremo iudicio excitabuntur ad uitam, ita decebat illum in nostro quoq; monumento sepeliri, & ex illo ad æternam uitam & immortalitatem prodire. Nam hoc Ioſephi monumentum typum habet nostrorum sepulchrorum. Venit in carnem nostram, uitam nostram, miseriam nostram, mortem nostram, ut nos à morte & miseria æterna ad uitam eueheret sempiternam: ita uenit etiam in nostram sepulturam, ut illam ad futuram resurrectionem iam tum sanctificaret.

Per hominẽ resurrectio mortuorum.

2 Quod autem sepulchrũ hoc nouum fuit, ita ut nemo alius in illo ante eum sepultus fuerit, diuina est prouidentia factum, ne dici posset nõ Ieſus, sed alius quispiam aperto ostio resurrexisse. Simul tamen allegoriam habet noui pectoris, hoc est, per spiritum sanctum renouati animi, in quo recondi gaudeat Dominus, ita ut nihil terrenæ fecis illi insit, nec quispiam alius in illo quiescat, sed uni Domino recondendo seruiat. Qui pecuniã, qui honores, qui uoluptates, qui inuidentiam, qui superbiam & fastum, in corde habet, nec nouum habet monumentum, nec solum potest recipere Dominum, cum antea Satanam in se conditum habeat.

3 Tertio, quod sepulchrum hoc in horto fuisse scribitur, mysterium habet, & exemplum. Mysterium est, quod de cruce transitus est in paradisum, cuius typum habet hic hortus. Exemplum uerò, quod Ioſephus iste monumentum suum eo loci habuit, quem filij huius seculi delicijs aptare consueuerunt. Commodissimo temperamento hortum suum ita instituit, ut in ipso deliciarum loco conspectu monumenti mortis admoneretur.

In horto captus est, & in horto sepultus.

4 Quarto, quod in petra excisum fuisse monumentum scribitur, ad idẽ pertinet, quod suprà de saxo ad ostium monumenti aduoluto diximus.

QVANDO SIT SEPVLTVS.

4 Hic noster dicit: Cum uespera facta esset. Lucas: Et Sabbatum illucescebat. Ergo initio Sabbati sepultus est. Primum, oportebat Christum hoc uesperi sepeliri ut in tertiũ usq; diem, qui resurrectioni destinatus erat, in sepulchro esset. Nam ita exigebat typus in Iona præmissus, de quo supra capite 12.

DE MYSTERIO SEPVLturæ Christi.

Primum rectè ita sepelitur, ut totum Sabbatum in sepulchro agat, ut postquàm opus à patre iniunctũ perfecerat, die septimo exemplo patris quiescat. 1

Deinde, quoniam electorum sepultura quies est, & uita labor, ita ut sex diebus deputata sit illorum uita: septimo, qui quietis est, sepultura, et octauo resurrectio ad futuram felicitatem. Rectè Christus caput electorum in fine sexti diei, peractis laboribus, mox initio Sabbati sepelitur, ut Sabbatum in sepulchro agat, & octauo die ad futuram gloriam & felicitatem resurgat. 2

Tertio. Habet sepultura Christi etiam hoc, ut ad mysticam ueteris hominis sepulturam pertineat, cuius mysterium in hac nostra sit præsenti uita peragendum. Est autem mystica ueteris hominis sepultura, cessatio ab operibus mortuis, id est, à peccatis, ut resurgat nouus homo, qui uiuat & agat omnia. Hac de re Rom. 6. 3

Deinde, mysterium habet, quod initio Sabbati sepelitur. Sabbatum dies quietis est. Quies sequitur consummationem operum Dei. Ita Deus posteaquàm sex diebus opus cœli ac terræ perfecerat, die septimo, qui Sabbati, id est, quietis insigne habet, ab uniuerso opere quieuit. Ita Christus posteaquàm genus humanum dispensatione sua, quam in cruce iam absoluerat, redemit, rectè cruce depositus, initio Sabbati, id est, quietis in sepulchro abditus quiescit. Sic Psal. 16. dicit: Et caro mea requiescet in spe. 3

Nos etiam mysterium hoc concernit. Consepulti nanq; Christo sumus per baptismũ, ut Apostolus Ro. 6. ait: At sepultura nostra hactenus Sabbatum exposcit, ut quiescat uetus, negocioſus uerò sit nouus homo. Idq; nõ tantũ in tertium usq; diem, sed in id usq; temporis, quo felicitatem octaui diei qui futuræ uitæ est appræhensurus est nouus ille homo noster, non spiritu solum sed corpore etiam ad immortalitatem resurrectionis uirtute glorificatus. Habet enim octauus dies septimum subsequens, resurrectionis futuræ, adeoq; & perfectæ felicitatis typum.

DE MVLIERIBVS.

Erant ibi mulieres. Harum fit hic mentio propter sequentem historiam resurrectionis.

Postero autem die, quæ sequitur parascauen, conuenerunt principes sacerdotum & pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus, quod impostor ille dixit adhuc uiuens: post tres dies resurgo, iube ergo muniri sepulchrũ, usq; in diem tertium, ne quando ueniant discipuli eius et furentur eum, dicantq; plebi, surrexit à mortuis: & erit nouissimus error peior illo priore. Ait illis Pilatus: Ha

betis custodiam. Ite, munite sicut scitis. Illi aũt abeuntes, munierunt sepulchrũ, obsignato lapide, adhibitis custodibus.

Ista licet malicioso sacerdotum & phariſæorum, prudenti tamen Dei facta sunt consilio, ad maiorem certitudinem resurrectionis Christi procurandam. De consilio sacerdotum in præsentiarum uidendum est: de consilio Dei capite sequenti in historia resurrectionis uidebimus.

Postero die quæ sequitur parascauen.] *Is erat dies Sabbati: Ergo principes sacerdotum neglecta Sabbati reuerentia res suas agunt, quò maliciæ suæ erga Christum inseruiant. Et isti hypocritæ Christum reprehendere soliti fuerant, quod uerbo curasset ægrotos die Sabbati. Ita ubiq; hypocrisim sapiunt.*

Domine, recordati sumus quod impostor ille.] *Cur impostorem uocant? ut suspecta reddant omnia illius miracula, & uniuersam doctrinam. Nam hic erat primarius illorum scopus. Et quoniam mortuus iam erat & sepultus, securè illũ uituperant, quasi ipsa morte declaratum impostorem.*

Dixit adhuc uiuus, post tres dies resurgo.] *Notat & Origenes hoc loco, quomodo seipsos hic prodant sacerdotes et Phariſæi, quod data opera suprà in ipsorum concilio uerba Christi, ut testimonio falso illum grauarent, ad falsum sensum detorserint. Suprà enim de templo lapideo, hic uerò de resurrectione corporis sui loquutum esse dicunt. Quod si de resurrectione corporis sui loquutus est, quomodo ibi dixerunt: hic dixit possum destruere templum Dei, &c. Et in cruce pendenti coram multitudine: uah qui destruis templum Dei. Si uerò de templo lapideo dixit, quomodo iam de resurrectione corporis sui loquutum esse affirmant? Quis non uidet quàm scienter illic uerba Christi inuerterint. Ita solent impij omnia pro libitu inuertere: & unũ hoc spectare, ut semper habeant quod prætexant, siue id uerè seu falso faciant.*

Ne ueniant discipuli & furentur eum.] *O astutiam. Anxij erant & conscientijs irrequietis. Ideò astutè præueniunt & suspicionem adornant, qua discipulos & causam Christi si resurrexerit prægrauent. Sed cur hoc perfidiæ tribuunt discipulis? Quid commodi cederet illis ex isto mendacio? Piorum non est uti impostoris.*

1 *Tantum animi non habebant, homines prorsus deiecti*
2 *ac meticulosi, ut monumentum accessissent. Deinde & qui illum sepelierant, et ipsi Christi discipuli, sepulchrũ*
3 *studiosè ingenti saxo aduoluto communierant. Tertio tam aberat, ut sepultum furarentur, resurrexisseq; fingerent, ut ægerrimè post resurrectionem excitatũ esse crediderint his, quæ id ab angelis audierant, ita ut duriciam cordis eorum hoc nomine arguerit Christus.*

Verum quales erant isti impostores, tales alios esse fingunt. Hos imitati sunt impostores nostrorum temporum, qui Christianæ plebi fictis miraculis sæpenumero quæstus gratia fucum fecerunt.

Dicantq; plebi.] *Hypocritæ simulant se curam plebis, tanquàm simplicis & incautæ gerere, cum nihil aliud agant quàm ut regno suo consulant, plebem in corde ridentes & contemnentes. Quasi dicat: Timemus plebi, ne illa seducatur: propterea quod ad credendum quæuis prona est, adeoq; ad seducendum facilis. At qui non solum dixit resurrecturum se tertia die, sed etiam hoc prædixit quod esset crucifigendus à sacerdotibus, Scribis & Phariſæis. Hoc iam erat completum. Meritò iam timent ne & quod de resurrectione dixerat cõpleretur, quo facto ita inualituram intelligunt fidem Christi, ut nihil amplius aduersus illam profecturi sint.*

Et erit nouissimus error peior priore.] *Errorem uocãt, quod plebs hunc Iesum iam crucifixum Meßiam esse credidit. Hunc putant iam sopitum mortuo & sepulto Iesu. Addunt cauendum ne locus detur impostoribus discipulis, quo pristinum errorem ita reponent opinione resurrectionis, ut priore peior sit. Verum quàm non errauerint qui in Iesum crediderunt ante crucem, & quàm ista Christi fides, quam hic errorem uocant, fortior & amplior per uirtutem resurrectionis declarato iam Christo facta sit, res ipsa declarauit. ubi tot credentium millia ex Iudæis primum: deinde totus orbis Christo accesserunt. Ita scilicet uerum est ueritatem per crucem fieri angustiorem & illustriorem, & super impios uenire, quod timent.*

Ait illis Pilatus: Habetis custodiam. Ite, munite, sicut scitis.] *Poterat Pilatus meritò succensere istis hypocritis & negare quod petebant. Verum diuino consilio factum est, ut institutum eorum & conatus non impediretur. Faciebat enim ad illustrationem Dominicæ resurrectionis.*

Illi abeuntes, munierunt sepulchrum, obsignato lapide, adhibitis custodibus.] *Non est satis sepultum esse Dominum in petra, monumentum aduoluto ingenti saxo esse occlusum, custodes etiam adhibent, nec id satis est, sigillo lapidem muniunt, ne quid perfidiæ per ipsos custodes designetur. Omnia cum summa diligentia ad hoc sunt instituta, ut retineretur Christus in sepulchro. Eadem diligentia & pari efficacia quidam hodie ueritatem in abditis detinere moliuntur.*

CAPVT XXVIII.

Vespera autem sabbatorum, quæ lucescit in unam sabbatorum, uenit Maria Magdalene, et altera Maria, ut uiderent sepulchrum.

Et ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim domini descendit de cælo: et accedens deuoluit lapidem ab ostio, sedebatq; supra eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & uestimentũ eius candidum sicut nix. Præ timore autem eius concussi sunt custodes, & facti sunt uelut mortui. Respondens autẽ angelus, dixit mulieribus:

mulieribus: Nolite timere uos: scio enim quod Iesum qui crucifixus est, quæritis. Non est hic, surrexit enim, sicut dixit. Venite, uidete locum, ubi positus erat Dominus. Et citò eũtes dicite discipulis eius, quod surrexit à mortuis: & ecce præcedit uos in Galilæam, ibi eum uidebitis: Ecce dixi uobis.

Historiam resurrectionis Christi descripturus Euangelista, orditur à proposito quarundam fidelium mulierum. Deinde subijcit angelicam apparitionem, & quæ per illam facta sint. Tertio, progreditur ad ipsius Christi apparitionem. Quarto loco intermiscet quid custodibus acciderit, & quanto cum dolo principes sacerdotum cum illis egerint. Tandem in calce totam Euangelij sui historiam terminans, declarat quid mandati Dominus discipulis suis in cœlũ ascensurus dederit.

Quanquam autẽ Euangelistæ in hac materia unum hoc agant, ut resurrectionis historiam describant, eaq; in re fidem nostram in Christum promoueant, nos tamen non solum historiam expendemus, sed post illius tractationem, etiam uirtutem & efficaciam resurrectionis Christi exponemus.

PROPOSITVM ET CONATVS MULIERVM.

Vespera autem sabbatorum, quæ lucescit in unam sabbatorum.] *Vesperam sabbatorum in unam sabbatorum lucescentem diluculum uocat eius diei, qua Christus surrexit, quam hic unam, id est primam sabbatorum appellat, hoc est primam post sabbatum in hebdomada subsequenti. Non est intelligenda hæc uespera, de fine sabbati quo Christus in sepulchro iacuit, sed de initio diei Dominicæ, quod uesperam illucescentem in primam sabbatorum propterea uocat, quod Iudæi more scripturæ diem à uespera ordiebantur, iuxta illud: Et factum est uespere & mane, dies unus. Et alioqui nec ulla sabbati parte licebat quicquam tentare, nec articulus resurrectionis Christi aliud ferre potest, quàm ut ista facta sint prima parte eius diei qua surrexit, quæ sabbatum proximè subsequebatur.*

Vt uiderent sepulchrum.] *Addendum hic est ex Marco, ut ungerent eum. Neq; enim ob eam duntaxat causam sepulchrum Christi inuisere uoluerunt, ut uiderent, sed ut simul ungerent corpus Christi. Nisi uerbum uidendi ita capiamus, ut intelligamus eas ob id uoluisse uidere sepulchrum Christi, ut cognoscerent, num rite & cum honore sepultus esset. Ignorabant enim diligentiam istorum duorum Ioseph & Nicomedi. Et ob eam rationem procurarunt sibi aromata, quibus si antea unctus non esset sepultum ungerent. Erat autem Iudæorum consuetudo, ut honestorum uirorum corpora ungerent huiusmodi aromatibus, quibus putrefactio, quæ ex uermibus est, impediretur. In isto mulierum conatu duo sunt expendenda.*

PRIMVM, QVOD IMITANDVM EST.

Imitandus nobis est affectus iste dilectionis, quem erga Christum hoc loco declararunt mulieres, ut & nos ita erga proximos, quos diligere præcipimur, comparati simus. Vera dilectio est, ut cuiq; tempori suum משפט *tribuamus. Cum circuiret Dominus, prædicareq; Euangelium Dei, ministrabant illi de facultatibus suis, ut suprà capite præcedenti uisum est. At ubi mortuus iam erat ac sepultus, non habentes eandem ministrandi rationem, qua antea erga uiuum usæ fuerant, mutata illius conditione mutant & ministerium suum, affectu dilectionis nullo pacto mutato, ut cui antea cibos, nunc ad ungendum emortui corpus aromata comparârint. Ad hunc modum & nobis agendum est cum proximis. Viuis præstanda est alimonia, & quæ alia uitæ humanæ sunt necessaria, mortuis uerò ministrandum est ad sepulturam.*

Carpenda est hic eorum hypocrisis, qui cum uiuos negligant, erga mortuos officiosi apparent. Sic mundus solet sanctos mortuos colere, quos uiuos aut contemnit aut persequitur.

Videmus etiam descriptum in his mulieribus ingenium dilectionis in eo, quod ante ungendi propositum, & egressum ad monumentũ, de saxi magnitudine quo clausum erat os sepulchri, non cogitauerant, ad unum interitæ ungendi Christi propositum. Sic solet dilectio. Tale quiddam etiam in Petro contigit, cum ambularet supra mare, ut ad Christum ueniret. Illi contra, qui in dilectione Christi languent ac frigent, quo minus diligunt hoc cautius ac prudentius in his quæ Christi sunt & periculosa, sese gerunt.

ALTERVM, QVOD REPRAEHENDENDVM & FVGIENDVM EST.

Licet syncera charitate fuerint erga Christum, delicto tamen nõ carent. Reprehendendum enim est, quod cum de resurrectione Christi futura ab ipso Christo audissent, nihilominus corpus illius ungere uoluerunt, ad morem eorum, qui usq; ad diem iudicij non resurgent. Quod autem de resurrectione Christi audierint, iam antea cum ex hoc Euangelista tum ex Luca uidere est, ubi legitur in uerbis angeli ad hũc modum: Quid quæritis uiuentem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit. Recordamini, ut dixerit uobis, cum adhuc in Galilæa esset, dicens: Quod oportuerit filiũ hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertio resurgere. Et recordatæ sunt uerborum eius. Ergo duplici nomine culpabile est factum harum mulierum. Primum quod officium adornãt corpori Christi haudquaquam congruum, quemadmodum & ij qui illud sepelierant Ioseph & Nicodemus. Deinde, quod uerborum Christi iam oblitæ erant, ex quibus poterant de rebus his quæ agebantur satis instrui. Verum, quoniam exciderat illis lux uerbi Christi consequenter huc delabuntur, ut zelo præter scientiam ductæ, Christo præstare conentur quæ cum uerbo & conditione corporis illius parum conueniunt.

Tales etiam hodie pleroſq; uidemus, qui cum scientia diuinæ uoluntatis careant, non tam quæ Deo quàm

quæ ſibi ipſis probantur faciunt. Et hoc bifariam contingit. Pars etiam ea cæco zelo Dei faciunt, quæ per ſe impia ſunt ac Deo plurimum diſplicent, ut ſunt, quæ in ſanctorum cultu fiunt, & in idolo Miſſatico: pars res medias, nec malas nec bonas uſurpat, & in cultum Dei trahit, nulla alia ratione quàm quod putant Deo probari, quæ bona intentione fiunt, cum ſcriptum ſit: Non facias mihi quod tibi bonum uidetur. Sic arbitrantur ſe obſequium deo præſtare in delectu ciborum, in feriis, in ieiunijs, & alijs rebus medijs. Illi poſtremi, ſi quod faciunt non alicunde faciunt quàm ex dilectionis affectu, errant quidem, ſed multo tolerabilius quàm priores, & habent unde utcunq; excuſentur.

DE APPARITIONE ANGELICA.

2 Et ecce terræ motus factus eſt magnus. Angelus enim Domini deſcendit de cœlo.] Non ſine diuino, eoq; peculiari quodam conſilio factum eſt, ut ad teſtificandam reſurrectionis Chriſti fidem angelorum apparitio intercederet. Erat enim omnino miraculoſum & cœleſtis uirtutis opus, quod homo mortuus tertia die è ſepulchro non uiuus ſolum, ſed & corpore glorificato, ac cœleſti uitæ accommodo reſurrexerat, ut ad ſtruendam rei huius tam inſolentis, tamq; prorſus cœleſtis fidem meritò miſsi ſint angeli teſtes.

Ad hæc, quoniam per Chriſti reſurrectionem, noſtra quæ futura eſt, fundamenta ſua & uires accepit, ut per illam ad cœleſtis uitæ conditionem, adeoq; et angelorum conſortium adaptemur: rectè factum eſt, ut miniſterium accederet angelicum, non quo Chriſtus excitaretur, & è ſepulchro eximeretur: ſed quo excitati illius in nobis fides promoueretur, & ſpecimen quoddam futuræ poſt reſurrectionem uitæ exhiberetur. Erimus enim ſicut angeli Dei, ſed id fieri non poterit, niſi per carnis noſtræ reſurrectionem, quod corruptibile eſt ac mortale deponatur, & quod immortale eſt aſſumatur.

Et ob eam cauſam apparuit angelus in tanta lucis & ſplendoris gloria, ut aſpectus eius eſſet ſicut fulgur, & ueſtimentum eius candidum ſicut nix. Conducebat enim ad cauſam quæ agebatur, ut cœleſtis ac futuræ uitæ ſpecimen aliquod electis obijceretur. Multæ ſunt apparitiones angelorum in ſcripturis, de quibus tamen nihil huius legitur. Quia uidelicet id nõ agebatur quod in Chriſti reſurrectione agebatur.

Et ecce, terræmotus factus eſt magnus.] Primum indicium erat diuinæ uirtutis, qua concutitur orbis.

Deinde typus erat futuri terræmotus, quo tellus ubi reddenda erunt mortuorum corpora concutietur.

Angelus enim Domini deſcendit de cœlo.] Hæc eſt ſubiecta ratio terræmotus. Angelus enim inquit, de cœlo deſcendit, & lapidem ab oſtio monumenti deuoluit, ſupraq; illum ſedit: Ergo deſcenſus angeli tantum roboris exercet, ut tellus cõcutiatur. Quid expectandũ eſt in deſcenſu Chriſti, ſi tantũ poteſt deſcenſus angeli?

Et accedens deuoluit lapidem ab oſtio.] Suprà dixi, meo iudicio, non ob id eſſe deuolutum lapidem ab oſtio monumenti, per miniſterium angeli, ut aperto monumẽto liceret Chriſto iam rediuiuo in lucem progredi & reſurgere. Abſit, ut tantum infirmitatis demus Chriſto. Sed ut fieret fides mulieribus & apoſtolis Chriſtum reſurrexiſſe, apertum eſt ſepulchrum, ut poſſit oſtendi uacuum, non ut deuoluto demum ſaxo per Chriſti reſurrectionem uacuaretur, cum illo excitato iam antea uacuum fuerit. Quanquàm Leo Romanus Epiſcopus ad monachos Paleſtinos ſcribens, aliam uidetur habere ſententiam, cum dicit: Dicant igitur phantaſmatici chriſtiani, quæ ſubſtantia ſaluatoris affixa ſit ligno, quæ iacuerit in ſepulchro, & reuoluto monumenti lapide, quæ tertia die caro ſurrexerit. Hæc ille. Quibus uerbis uidetur ſentire Chriſtum tum demum ſurrexiſſe, cum eſſet per angelum lapis ab oſtio monumenti reuolutus. Verum mihi prior ſententia ueriſimilior uidetur, & gloriæ Chriſti competentior.

Præ timore autem eius concuſsi ſunt cuſtodes.] Non poteſt fieri ut homo mortalis non expaueſcat ad apparitionem ſpirituum cœleſtium. Habet enim hoc in ſe naturæ noſtræ corruptio, ut ſecreto quodam motu horreat cœleſtium ſpirituũ uiſiones. Factum eſt, quippè per tranſgreſsionem Adæ diſsidium quoddam inter homines & ſpiritus cœleſtes, quod per Chriſtum quidem ſublatum eſt, ſed ita, ut licet angeli miniſtri noſtri conſtituti ſint, caro tamen noſtra pro naturæ ſuæ corruptione & imbecillitate, donec illam exuat haud abſq; terrore congreſſum angelorum ſuſtineat. Et ob eam cauſam non de cuſtodibus duntaxat legimus, quod deſcenſu & apparitione angelorum perterrefacti ſint, ſed & de mulieribus Lucas idem commemorat.

Notandum eſt autem, quomodo diuerſum accidat ab eo quod inſtituerant principes ſacerdotes. Cuſtodes adhibuerunt ſepulchro, non ut ipſi expaueſcerent, ſed ut diſcipulos Domini, pauperes & meticuloſos à corpore Domini abſterrerent. Sed ecce re inuerſa, qui ad terrendum pios conducti erant, & ad cuſtodiendũ corpus Domini adhibiti, tam nequeunt impedire Dominicam reſurrectionem, ut etiam mirum in modum angelica apparitione terreantur. Sit hoc ſolatij noſtri gratia dictum. Qui miniſtris uerbi uolunt eſſe terrori, diuina uirtute ad reſurrectionem ueritatis ita terrentur ſubinde, ut ſint uelut mortui, & omnis rationis ac ſenſus in his rebus expertes.

Reſpondens autem angelus, dixit mulieribus: Nolite timere uos.] Officium angeli erat teſtificari de reſurrectione Chriſti. At hoc facturus, ante omnia ſolatur pauefactas mulierculas, dicens: Nolite timere. Cuſtodes non ſolatur, ſed fideles mulierculas. Terror impiorum perpetuus eſſe debet, quemadmodum & perpetui ſunt hoſtes Dei. At terror fidelium conſolationem meretur. Sunt enim amici Dei, & in illius gratia conſtituti. In ſumma, Chriſti reſurrectio impijs terrori, pijs ſolatio eſt. Vnde & dicit notanter: Nolite terreri uos. Q. d. Sicut cuſtodes iſti. Et addit rationem. Scio enim, quod Ieſum quæritis, crucifixum. Q. d. Scio uos eſſe de amicis et credentibus in Ieſum, ſcio ex amore Ieſu uos hic eſſe, proinde non eſt quod uobis à me quicquàm timeatis.

Adſum

Adsum enim non contra uos, sed pro uobis.

Non est hic, surrexit enim.] Hoc est Euangelium de resurrectione Christi. Addit: *Sicut dixit.* Reuocat eas *in memoriam uerborum Christi, propter ueritatem Christi astruendam.*

Nota hic quod dicit ubi posit⁹ fuit dominus. Angelus uocat Christum dominum.

Venite, uidete locum.] Ostendit uacuum monumentum, *ut fidem illis faciat resurrectionis Christi.*

Sed citò euntes dicite discip.] Discipulos sciebat *esse in magno mœrore. Ideò non uult eas esse ociosas in tanto gaudio, sed facit eas ministras & Euangelistas ad Apostolos. Magna dignitas ista mulierum est.*

Et ecce præcedit uos in Galilæam, ibi eum uidebitis.] Hoc *non est confestim à resurrectione factum: nam ut in Iohanne uidere est, ad minus ad octauum usq; diem Ierosolymis fuerunt discipuli. Postremò deinde capite legitur, quod illis Dominus ad mare Tyberiadis piscantibus uisus sit. Prædixerat hoc illis Christus suprà cap. 26. in Cœna. Et infrà dicet ad mulieres: Ite & renunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me uidebunt. Quod sanè non ita est intelligendum, quod primum ac tantum in Galilæa uisuri fuerint Dominũ, cum per octauum uisus sit illis. Ierosolymis & circa eam urbem, sed quod in Galilæa sæpius & exactius illum essent uisuri. Quærendum autem uidetur, quam ob rem uoluerit eos præcedere in Galilæã, et ibi apparere suis.*

1 *Possunt uariæ causæ assignari: utpote, quod discipuli, quemadmodum & hæ mulieres, ipsum fuerant è Galilæa patria regione Ierosolymam usq; sequuti. Voluit*

2 *igitur eos unde uenerant reducere. Deinde quoniam constitutum erat, aliquot dies cum illis agere, & rudes*

Act. 1. *adhuc in cognitione regni dei instituere, & confirmatiores reddere, cõuenientius erat ut hoc faceret in Galilæa q̃ Ierosolymis, ubi periculosum erat discipulis commorari donec sese aperta regni Dei uis & maiestas per spiritum sanctum exereret, quod futurum erat in die Pentecostes. Habuit igitur hac in re Christus rationem infirmitatis discipulorum suorum, donec uirtute com-*

3 *munirentur ex alto. Tertio, quadrabat etiam ad hoc, ut interea temporis discipuli non essent ociosi, sed rebus suis aliquousq; operando adessent, donec tempus adesset ministrandi regno Dei. Vnde & Ioh. ultimo ad piscationem reuersi leguntur.*

Ecce dixi uobis.] Admonitio est, *certo futurum quod dictum est. Q. d. Ita experiemini quemadmodum uobis iam dixi. Si diffiditis uestra est culpa. Ego quod uerum scio uobis manifestaui.*

Apparitio Christi prima.

Et digressæ celeriter à monumento cũ timore & gaudio magno currebãt, ut renunciarent discípulis eius. Cum autem ísscnt ad renunciandum discípulis eius, ecce Iesus occurrit illis, dicẽs: Auete. Illæ aũt accesserunt & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere. Ite renũciate fratrib. meis, ut eant in Galilæam, & ibi me uidebunt.

Et digressæ celeriter.] Iam *consequenter Euangelista post descriptam angelicam, etiam Dominicam apparitionem describit, primam illam, qua se mulieribus pijs mox à resurrectione manifestauit. Et primum mulierum obedientiam ponit, qua quod iussæ erant ab angelo, exequi uolebant. Adijcit quomodo ad uerba angeli affectæ fuerint gaudio pariter & timore. Gaudio, propter resurrectionem Christi, quam ab angelo didicerant. Timore uerò, propter insolentiam uisionis & miraculi magnitudinem. Nondum planè resurrectionis certitudinem animo conceperant, & tamen ex uerbis angeli gaudio quodam afficiebantur. Et quoniã id cuius nomine gaudere cœperant, præter omnem expectationem in summo luctu constitutis ab angelo nunciatũ fuerat, non poterant illud planè credere. Sicut & de discipulis legitur, quod præ gaudio, id est nimio desiderio Domini & miraculi insolentia nequiuerint credere. Atq; ita luctabantur in animis mulierum gaudium de annunciata resurrectione per angelum, & metus propter miraculi insolentiam, donec ipso cõspecto domino in itinere planè de illius resurrectione certæ reddebantur. Et ipsi Apostoli non statim crediderunt nuncianti-bus resurrexisse Dominum, nisi primum ipso conspecto Domino. Tale quid accidit & Iacob, ubi posteaq̃ annos* Gen. 45. *iam aliquot filiũ suũ Ioseph amissum insolabiliter luxerat, audit à reliquis filijs ex Aegypto reuersis illũ adhuc uiuere & dominari in tota Aegypto. Præ nimio desiderio filij, quem omnino credebat extinctum, quæ de uita & dominio illius nunciabantur, credere non poterat.*

Cum autem issent ad renunciandum discipulis eius: ecce Iesus occurrit eis.] Expendamus hic curam domini, quam de discipulis suis habet, & qua se mulieribus istis se amantibus & quærentibus spectandũ offert. Discipulorum rationem habebat, quod nolebat illis resurrectionem suam per hasce mulierculas ex indicio tantum angeli annunciari, sed semetipsum illis uisendum exhibet, ut iam nõ aurium tantum, sed potius oculorum testimonio certum nuncium adferrent. Et omnino propter certitudinẽ resurrectionis suæ uoluit illam nõ tantum ab angelis annunciari mulieribus, & à mulieribus discipulis, sed seipsum & mulieribus & discipulis spectandum & contrectandum offerre.

Auete.] Græce est. χαίρετε, id est, Gaudete. Absq; dubio Ebraice dixit pro more eius gẽtis, שלום Commendatur hic nobis salutandi officiositas, communis quidem in uerbis pijs & impijs, reipsa tamen pijs propria. Non est enim uerus amicus, qui non uerè & in Deo diligit. Ideò exigitur à nobis, ut non uerbis tantum sed & ipsis operibus diligamus.

Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum.] Alibi legitur Maria Magdalena *prohibita esse, ne Dominum tangeret. Et ob eam causam quæritur hoc loco, quamobrem hic mulieres à Domino ad contactum pedum usq; admittantur, cum Maria Magdalena studiosè à Dominici corporis contactu repulsa sit, adiecta ratione, quod nondum ad patrem ascendisset. Meo iudicio, simplicius est, ut dicamus ab Euangelista scribi, nõ quid permissum sit à domino, sed*

quid tentatum à mulieribus, non quid mulieres perfecerint, sed quid facere conatæ sint. Quod autem pedes Domini in terram prostratæ complecti uoluerunt, gestus erat adorantium, unde et Euangelista dicit: Et adorauerunt eum. Nihil dixisse leguntur, uerum hoc quod faciũt opere tantundem est, quod Thomas uerbis postea expreßit: Dominus meus, & Deus meus.

Et meritò procidunt ad pedes Iesu. Primum adorandus est ut deus. Deinde ut proxenos pacis, cuius pedes speciosi erant, tanquàm pacem annunciantes. Pontificis uerò Romani pedes nec illo nec isto nomine, sed plane Antichristiano fastu hodie regibus & principibus exosculandi obijciuntur. Rom. 10.

Nolite timere.] Non dicit: nolite gaudere, sed nolite timere. Timorem illis adimit non gaudium. Ita scilicet Christus ferre non potest, ut suo nomine quisquam in timore fluctuet. Resurrectio Domini non habet materiam timoris credentibus, sed ueri ac perpetui gaudij. Habent hæc uerba consolationem pauidarum conscientiarum.

Ite renunciate fratribus meis.] Idem illis mandat quod angelus, sed notandum hic est, quod discipulos fratres suos uocat. Angelus nõ dixit: Ite nunciate fratribus eius, sed discipulis eius. Nec discipulorum quisquam uocauit Christum fratrem suum, sed Dominum ac Deum. Discamus igitur quo loco Christus habeat discipulos suos: nempe fratrum loco. Rursus quo loco discipuli habeant Christum: nempe loco Domini ac Dei sui. Vide Psal. 22. Narrabo nomen tuum fratribus meis.

Vt eant in Galilæam, & ibi me uidebunt.] De hoc suprà dictum est.

Quæ cum abissent, ecce quidam è custodibus uenerunt in ciuitatem, ac renunciauerunt principibus sacerdotũ omnia quæ acciderant: & congregati cum senioribus, cõsilio habito, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicẽtes: Dicite quod discipuli eius nocte uenerint et furati sint eum nobis dormientibus. Etsi hoc auditum fuerit à præside, nos persuadebimus ei, et securos uos faciemus. At illi accepta pecunia fecerunt sicut erant edocti. Et diuulgatus est hic sermo apud Iudæos usq; in hodiernum diem.

Consilio Domini factum est, ut & principibus sacerdotum, qui mortis causa fuerant, & sepulchrum custodibus ac sigillo munierant, resurrectionis Dominicæ maiestas nunciaretur, idq; nec à mulieribus, nec à discipulis, sed ab ipsis custodibus quos sepulchro addiderãt. Licet enim ista cognitione dominicæ resurrectionis nec fuerint exhilarati nec bene usi: oportuit tamẽ eos, postquàm deplorate impij erant, etiam hanc ueritatem excitati Christi, quam suis mendacijs oppugnaturi erant antea cognoscere, ut contra suas ipsorum conscientias ueritatem reprobantes, proprio iudicio condemnarentur. Ad hunc modum etiam hodie fieri uidemus, ut ueritas doctrinæ Christi in cognitionem eorum ueniat, qui ipsius sunt pertinacißimi hostes, & nihilominus agnita reprobetur.

Et congregati cum senioribus, consilio habito.] Videmus hic iterum quid expectandum sit ab eorum seniorum ac principum concilijs, qui non quæ Dei, sed quæ sua sunt ipsorum quærunt.

Pecuniam copiosam dederunt militibus.] Seruire cogitur impijs sacerdotibus, pecunia sacra ad opprimendam certam & cognitam ueritatem, quæ debebat expendi in usum templi, & cultus Dei necessariũ, & in sustentationem pauperũ. Quid hodie fiat uidemus, taxamus, & gemimus: sed frustra, donec uisum fuerit domino aliquando miseræ suæ Ecclesiæ succurrere. Vide Hieronymum hoc loco.

Dicite quod discipuli eius.] Hoc callidè iam antea ad Pilatũ dixerant, de quo suprà. Non solũ cognitã ueritatem non acceptant, sed habito etiã consilio omnium impijßimè mendaciũ illi contrariũ confingunt & spargunt. Dixissent saltẽ, ut silentio quæ facta uiderant supprimerẽt. Verũ hoc regnũ sacerdotale mendacijs oportebat stabilire. Neq; enim fieri potest, ut ueritas aliter impugnetur quàm mendacijs.

Et si hoc auditum fuerit à præside.] Securitatem illis pollicentur, qua erant apud præsidem autoritate. Si auditum fuerit, inquiunt à præside, nos curabimus, ut securi sitis. Quomodo? Persuadebimus ei. Ita scilicet opus habet hoc regnũ sacerdotale persuasionibus, quibus fucus fiat magistratibus.

At illi accepta pecunia fecerunt.] Hic milites isti personam gerunt eorum qui accepta ab Antichristi regno pecunia ueritatem quam cognouerunt, confictis mendacijs oppugnant.

Diuulgatus est hic sermo.] uidelicet, quod discipuli furati sint corpus Iesu dormientibus custodibus. Ergo miretur quisq; hodie, quomodo in populo Dei tot annos obtinere potuerint tam impudenter cõficta mendacia. Vbi ueritas abijcitur, quid aliud inter homines mendaces q̃ mendaciũ inualescere potest? Ita excæcatis autoritate sacerdotali obtruditur mendacium pro ueritate. Hoc est iudicium Dei omnium iustißimum, ut credant mendacijs, qui credere nolunt ueritati. 2 Thess. 2.

Vndecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montẽ ubi constituerat illis Iesus. Et cum uidissent illum adorauerũt eum: quidam aũt dubitauerunt. Et accedens Iesus loquutus est eis, dicẽs: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritussancti: docentes eos seruare omnia quæcunq; præcepi uobis. Et ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi.

Quoniam mulieribus esse dictum, quod in Galilea uisendus esset Dominus supra commemorauit Euangelista,

liſta, iam conſequenter ſubiungit hoc eſſe adimpletum. Quod tamen ut & ſuprà monui, non ita intelligendum eſt, quaſi in Galilæa tantum uiſus ſit Dominus, aut quod undecim tantũ Apoſtolis, uel quod ſemel tantum, uidelicet in monte hoc, apparuerit. Viſus eſt illis antea Ieroſolymis, uiſus eſt poſtea ad mare Tyberiadis, egit cum illis quadraginta dies poſt reſurrectionem, Act. 1. 10. in quibus certe multoties ſuis apparuit.

Credibile eſt hũc montem ſeceſſus gratia electũ, inque illo ſepiuſum eſſe dominum.

In monte.] Incertum eſt quis fuerit iſte mons. Is nõ eſt in quo cœlos poſt 40. dies aſcendit: nam ille haud procul abeſt à Ieroſolymis, hic uerò in Galilæa.

Adorauerunt eum.] Vt & de mulieribus iam dictum eſt. Nec fruſtra eſt quod adorationis huius mentionem faciunt Euangeliſtæ. Indicant enim Apoſtolis & credentibus tanti fuiſſe reſurrectionis declarationem in Chriſto, ut inde adorandum eum, ueluti deum ac dominum, moti ſint. Declaratus eſt enim ille, ut eſt Rom. 1. ex uirtute reſurrectionis, filius Dei, &c.

Quidam aũt dubitârunt.] Quid? Ergo ab ea certitudine reſurrectionis Chriſti, quam in die reſurrectionis, & octauo poſtea die Hieroſolymis ex apparitionibus illius cõcœperant, in Galilæa conſtituti deciderunt quidam ex undecim Apoſtolis? Non arbitror. Videtur enim hæc dubitatio fuiſſe non de eo, an Chriſtus uerè reſurrexerit, ſed an hoc quod apparebat in monte conſtitutis, uerè eſſet Chriſtus ille, quem Ieroſolymis uiderant et reſurrexiſſe certo cognouerant. Quæ dubitatio tam non demebat fidei reſurrectionis, q̃ nec ea ueræ humanitati quicq̃ ademit, qua ſupra mare ambulantem uidentes turbatis animis ſpectrum eſſe putabant, ubi nõ dubitabant de uero Chriſti corpore, ſed num hoc quod uidebant in ſuperficie maris ingredi, uerè Chriſtus eſſet & non magis ſpectrum aliquod. Ita & hoc loco factum eſſe credibile eſt. Sciebant undecim iam toties confirmati Chriſtum reuera ſurrexiſſe ex mortuis. Sed an id quod in monte hoc apparebat Chriſtus ipſe eſſet, non ſtatim certo cognouerunt quidam ex illis, donec propius acceſſit ſeſeq̃ reuelauit. Perinde atq̃ uidemus hodie multos bonos uiros ad primum euangelicæ ueritatis auditũ non ſtatim acquieſcere, ſed aliquandiu hæſitare, non quod dubitent de Chriſti doctrina & ueritate, ſed quod an hoc quod ueritatis nomine offertur, Chriſti ſit ueritas nec ne, non ſtatim dijudicare poſſunt, donec illam propius conſideratam penitius cognoſcant.

Et accedens loquutus eſt eis.] Hoc eſt ultimũ mandatũ, quod diſcipulis ſuis Chriſtus dedit. Non eſt autem putandũ quod tantũ his uerbis et duntaxat ſemel hac de re illis præceperit. Expoſuit illis conditionem regni dei per 40. dies, declaranitq̃ rationẽ officij quod erant ſub ipſius nomine in toto terrarũ orbe adminiſtraturi. Sic Ioh. 20. in ipſo reſurrectionis die de peccatorum remiſſione & retentione. Et Ioh. 21. ad Petrũ de paſtu ouium cum eſſet ad mare Tyberiadis in piſcatione. Et ut in Luca eſt in die reſurrectionis aperuit illis ſenſum ut intelligerent ſcripturas, oſtenditq̃ quomodo in ſuo nomine prædicanda eſſet remiſſio peccatorum in omnes gentes. In Marco ita ponitur hoc mandatũ Euangelicæ prædicationis, ut uideatur latũ in die reſurrectionis, nõ in monte Olueti ſed Ieroſolymis. Ita & quod hic ponitur, uidetur factũ eſſe in Galilæa. Et tamen fieri poteſt ut in monte Olueti latũ ſit hoc mandatũ. Verum nihil refert, ubi hoc mandati datum ſit diſcipulis, dummodo conſtat eſſe datum. Sunt autem in hac Apoſtolica legatione iſta obſeruanda.

PRIMVM QVIS SIT illius Dominus.

Data eſt mihi inquit, omnis poteſtas in cœlo & in terra.] In omni legatione primaria conſideratio eſt, à quo quis amandetur. Mittuntur hic diſcipuli in uniuerſum orbem. Oportet ergo, ut autoritatẽ habeat & poteſtatem ſupra uniuerſum orbem, is, qui eos amandat. Dicit igitur: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo et in terra. Quod nihil eſt aliud, quam: Ego conſtitutus ſum à Deo Dominus cœli & terræ. Omnia ſunt mihi tradita à patre meo, ut eſt ſuprà 11. Sic Phil. 2. Ebr. 2. Pſal. 8.

Simul hic notandum eſt qualis ſit iſta Chriſti poteſtas. Primum eſt plenaria. Dicit enim: Data eſt mihi omnis poteſtas. Sic nos Germani dicimus: Er hat uollen gewualt. Deinde eſt iuſta & legitima: nempe non rapta, ſed data. A quo? A patre. Sic ſuprà dicit cap. 11. Omnia mihi tradita ſunt à patre meo. Quis præter Deum dare poteſt omnimodã poteſtatem? Tertio, eſt non ſolũ terrena, ſed & cœleſtis. Hoc eſt non talis quæ in terris tantum ualeat, ſed & quæ uires ſuas in ipſis cœlis habeat, non quæ præſentem tantũ, ſed & futuram uitam cõcernat. Hic eſt rex ille qui & in terris & in cœlis poteſt iuſtam & ſolidam conſtituere pacem, cœli & terræ Dominus. Quoniam amandabat iam Apoſtolos ſuos ad Euangelij prædicationem omnium commodiſſimè poteſtatis huius omnimodæ meminit, ut ſcirẽt in cœlis quoq̃ rata fore, quæ ad præſcriptum legationis iſtius in terris acturi erant. Sic Matth. 18. Quæcunq̃ alligaueritis ſupra terram erunt ligata & in cœlo: & quæcunq̃ ſolueritis ſuprà terram ligata erunt & in cœlo. Hanc Chriſti plenariam cœli ac terræ poteſtatem impiè prætexunt Antichriſtiani, de quo ſuprà cap. 10. mox initio capitis. 1 2 3

ALTERVM EST COMMISSA legatio.

Euntes inquit. Iubet eos proficiſci. Marci ultimo dicit: Ite in orbem uniuerſum. Ex uirtute huius uerbi factum eſt, quod iſta legatio apoſtolica penetrauit totum orbem, prænaluitq̃ omnibus Tyrannis. Tanta eſt enim uerbi Chriſti potentia, ut ſemel dictũ uires ſuas exerat cõtra uniuerſas Satanæ & mundi inſidias. Semel dictum eſt Soli: I, & circui orbem, quod mandatum ad finem uſq̃ mundi durat. Ita Chriſtus uirtute uerbi ſui ſemel in hunc mundum Euangelium ſuum miſit, tanta potentia communitũ, ut nullis potuerit uel Satanæ uel mundi uiribus opprimi. Alioqui quomodo poſſibile fuiſſet nouã, & antea inauditam doctrinam in uniuerſum orbem ab idiotis, & nullius potentiæ hominibus induci, & totius mundi impietatem repugnante Satana & mundo reuelari & condemnari, niſi uirtus eius, cuius eſt omnis poteſtas, iſti legationi adfuiſſet?

QVID FACIENDVM ISTIS legatis mandauerit.

3 Docete inquit.] Quoniam dixit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, quod idem est ac si dixisset: Ego sum Dominus & rex cœli ac terræ, debebat subiũgere: Euntes subijcite mihi omnes gẽtes: estote in regno meo Principes ac Satrapæ: diuidite terram in undecim principatus: dominemini meo nomine uniuersis mortalibus. Vel debebat saltẽ Petro dicere: Tu esto uicarius meus: habeto plenitudinem potestatis cœlestis ac terrem imperij: esto inter istos summus Pontifex, personam meam inter eos repræsentans. Verũ nihil horum audimus. Nec constituit eos principes ac dominos, nec ipsum Petrũ super reliquos extollit, nec uicariũ suũ facit, aut summũ Pontificem, aut Ecclesiæ caput & Dominum, quod Panormitanus ille in cõcilio Basiliensi cõtendebat, sed cõmuni omnes & eodẽ mandato docendi inuoluit, dicens: Euntes docete. Rectè itaq; Cyprianus de simplicitate clericorũ dicit: Hoc erant utiq; & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis.

Cyprianus.

1 Quid igitur causæ est, quod Romanus episcopus pro Christi se uicario, & domino Ecclesiæ, qui potestatem plenam habeat cœlestis ac terreni imperij, tanta temeritate uendicat, cum nihil huius ipsi sit Petro, de quo præcessore falso gloriatur, à Domino commissum?

2 Deinde, quomodo se tueri possunt Episcopi illi in Ecclesia principantes ac dominantes, qui malunt more terrenorũ principũ quos æmulãtur dominari et imperare q̃ docere, cũ interea glorientur se in locũ successisse Apostolorũ? Sed hac de re uide suprà ca. 9. circa finẽ, ibi. Et circuibat Iesus ciuitates omnes ac uicos, docens in Synagogis illorũ ac prædicans Euangelium regni. Vbi & de dignitate & utilitate muneris docendi tractatur.

Notandũ & hoc est, cum ad uocandum mortales in regnũ suũ nõ amandauit principes & imperatores, qui uolenter quosuis cogerent, sed doctores, qui docerent, quod nolit nos esse ignaros eorũ quæ regnũ Dei & iustitiam illius cõcernunt. Alioqui quomodo rectè credemus? quomodo quæ speranda sunt sperabimus? quomodo in ueritate cũ patientia perdurabimus si illam ignoremus? quomodo uitã nostrã ad uoluntatẽ Dei instituemus si illius ignari fuerimus? Ideò dati sunt à Domino Apostoli, Euangelistæ, Prophetæ, doctores, et pastores, ut instruamur in cognitione ueritatis, ne quouis uento doctrinæ circumiactemur, &c. Et ob eam causam data est sacra scriptura, diuinitus inspirata, utilis ad docendum, ad arguendũ, ad corripiendũ, ad erudiẽdũ in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonũ instructus. Hac uidelicet ratione Apostolus mauult in ecclesia quinq; uerba cum intellectu loqui, ut alij instruantur, q̃ decẽ millia in lingua ignota: & ita uult in Ecclesia geri omnia, ut omnes discant, & omnes admoneantur. Quo itaq; spiritu ducuntur hodie qui molestè ferunt, quod quæ in Ecclesia aguntur, uulgari lingua aguntur, ut omnes discant & admoneantur? Mallent scilicet ignorantiã populi regnare in Ecclesia, q̃ ueritatis scientiã. At hoc astutè celantes aliud prætexunt. Simulant se uereri, ne si summa illa mysteria ad tantam ac tam promiscuam multitudinem (quæ est præsentis Ecclesiæ facies) lingua uernacula frequenter adferantur & decantentur, fore ut ab impijs & malè institutis in canticum, & prouerbium uertantur, atq; ita impingatur in id quod inhibuit Christus, ne scilicet sanctum canibus detur.

Ephe. 4.

2. Thim. 3.

1. Cor. 14.

Primum. Forsan ignorauit hoc Apostolus, uel uncogitantior fuit, qui ista consideraret, uel tantum rationis sacramentorum, quantum isti sanctuli non habuit. 1

Deinde, quid est quod de sacramentorum celebratione prætexunt, cum non illa tantum, sed omnia agant in Ecclesia lingua populo incognita, quasi data opera uelint Ecclesiam celare quæ dicunt & canunt? 2

Tertio, & in ipsa sacramentorũ celebratione quæso quid aliud agitur q̃ quod per publicam Euangelij doctrinam traditur? An maior est dignitas sacramentorũ, id est uisibilium illorũ signorum, quàm doctrinæ uerbi? 3

Quarto. Si uerentur ne sanctũ canibus detur, quare ferunt quod mysteria illa à tam impuris hominibus quotidie tractantur, imò conspurcantur? Vel putant ne eos duntaxat esse canes in Ecclesia, qui latinè ignorant, & uncti non sunt? Quid agunt illi qui latina lingua utuntur in Ecclesijs eorum qui ferè omnes latinè intelligunt: ut est in Italia, si canendum est ne plebs ecclesiastica intelligat quæ dicuntur? Aut sumus ne nos Germani duntaxat sues & canes, si latinè ignoremus? Est ne tanta latinæ linguæ sanctimonia, ut qui latinè sciunt, sancti sint et digni quibus Christianæ religionis mysteria communicentur: qui uerò nesciunt, pro canibus sint ac suibus habendi, adeoq; mysteriorũ cœlestium cognitione priuandi? At Christus non hoc mandauit Apostolis, ut margaritas suas doctis tantũ communicarent, & idiotis negarent. Absit, Canes ac sues intellexit homines carnales nullã numinis rationẽ habentes, sed omnia cœlestia contemnentes, & uerbi ministros contumeliosè tractantes. At tales non debent in Ecclesia ferri. Si autem cõtigerit tales esse in Ecclesia, non debent ipsorum uitio reliqui cognitione & intellectu eorum quæ aguntur, dicuntur & canuntur priuari. Præposterus honor est, ita habere rationem signorum in Ecclesia, ut fidelium mentibus debitum subtrahatur ministerium: cum non hoc agatur à Christo, ut signa sint in honore, & animæ mortaliũ negligantur: quarũ gratia mortem subire dignatus est, sed magis ut signorum usu, quemadmodũ & doctrinæ, cognitio ueritatis mortalibus offeratur. Verum, ut dixi, aliud agitur. Non hoc in se quæritur, ut signa & mysteria sunt in honore, sed ut ipsorũ sacerdotiũ sit splendidum & ipsi illius prætextu magni habeantur et à plebe indocta suspiciantur et colantur. Imò ipse Satan hoc inueterata nequitia obtinuit, ut manente præposteræ quadam & superstitiosa sacramentorũ & Euangelij admiratione, usus illorũ, quo fidelium mentibus consulitur, interuertatur. Sic multum superstitiosi cultus impenditur Euangelicæ lectioni. at intellectus & usus illius negligitur. Sacramento Eucharistiæ quis honos externus, ab impijssimis etiam hominibus exhibeatur, nemini nõ est notũ. At interea quando curatur, ut fructus et usus illius populo aperiatur & cõmendetur? Hæc sunt Satanæ machinamenta, qui si aperto marte Christi impugnaret Euangeliũ et sacramenta, tantũ non efficeret, quantum hac obtinuit impostura. Curãdũ itaq; est, ut hactenus in honore sint sacramenta & Euangeliũ, ut simul intelli-

gantur, et in uerum usum trahantur. Vetus Euãgelij & sacramentorum honor est uerus & rectus illorum usus, dum ad fidem & cognitionem Dei plantandam & uitæ pietatem instaurandam faciũt, quæ certè sine intellectu eorũ quæ dicuntur & aguntur in Ecclesia obtinere non possunt. Sunt itaq; nullo modo excusandi qui quod primarium erat in Ecclesia & frequenter tractandum, negligunt, dum populum nõ docent, uel cum docere quosdam faciunt, doctrinæ sanitatem respuunt, & adulterinam inducunt: deinde quæ in Ecclesijs agunt dicunt & canunt ita peragũt, ut idiotis prorsus sint barbari, cum Apostolus iubeat, ut uerbum Dei inter nos abundè frequentetur, & ut nosmetipsos doceamus & commoneſaciamus in Psalmis, Hymnis & Cãticis spiritalibus, etc.

Ergo ex mandato Christi docendi munus uenit in Ecclesiam. Non est aũt putandum, quod ij, qui pro suggestu delinquentes acriter increpãt & arguunt, & contradicentium ora obstruunt, id præter Christi mandatum faciant. Nam docendi munus simul hoc includit, ut contra dicentes arguantur, delinquentes reprehendantur, pigri excitentur. Hoc & Christus fecit, & Apostolus facere iussit, 2 Tim. 4. Tit. 1.

QVOS DOCERE DEBEANT.

4 Docete, inquit, omnes Gentes.] Virtus huius mandati in eo est, quod dixit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Pertinent ergo ad regnum Christi omnes Gentes, quas à patre in suam potestatem accepit. Vide Psal. 2. Postula inquit à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ. Supra cap. 10. noluit Apostolos suos ire ad Gentes, sed tantum ad perditas oues domus Israël. Sed quare tum noluerit, ibi dictum est.

OBSER.

1 Ergo omnibus mortalibus offerenda est doctrina salutis, et gratia regni Christi, idq; ex hoc Christi mandato. Pater ita disposuit, & ob eam causam filiũ in hunc mundum misit, illiq; omnem potestatẽ dedit. Vt mundus per ipsum saluetur. Sic Esa. 49. ad illum pater dicit: Parum est ut sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob & feces Israël conuertendas. Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ. Et Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitũ daret, ut quisquis in eum credit nõ pereat, sed habeat uitã æternam. Non enim misit Deus filium suũ in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. Commendatur ergo nobis hoc loco uniuersalis illa gratia Christi qua doctrinam salutis omnibus Gentibus proponere iubet, ostendens se uenisse nõ Israëlitarum tantum, sed & omnium Gentium seruatorem. Et tanta est huius gratiæ tamq; stupẽda exuberãtia, ut ægrè sustinuerint eam primi credentes ex Iudæis agnoscere: unde & in Actis Apostolorum disceptabant cum Petro quod ad uirum Gentilẽ esset ingressus. Et Paulus uocat eam mysterium absconditũ à seculo, Apostolis uerò reuelatũ, etc. Eph. 3.

In Marco dicit, omni creaturæ.

Corroboranda est ergo hic fides nostra ne dubitemus gratiam regni Christi esse uniuersalem, pertinentem ad omnes mortales: eo quod uoluntas Dei in filio suo talis nobis declarata est, quod uelit omnes homines

2 Tim. 2

saluos fieri et ad cognitionẽ ueritatis uenire, de qua uoluntate nobis non aliter quàm iuxta uerbum Christi, & hoc mandatũ, iudicandum. Ideò rectè Ioannes dicit: Ipse est propiciatio pro peccatis nostris: non pro nostris aũt tantum, sed & pro peccatis totius mundi. Oblatio & prædicatio gratiæ ac regni Christi, ut hic uidemus, est uniuersalis, & prædicat nobis uoluntatẽ Dei ad saluandum omnes: uerũ quod non omnes saluantur, nec omnes doctrinã salutis appræhendũt, sed incredulitate plurimi pereunt, debemus nos illorum non gratiæ Christi uitio adscribere.

1 Ioan. 2

OBSER.

2 Si omnes Gentes docẽdæ sunt iuxta hoc Christi mandatũ, sequitur omnes ~~totius~~ mortales naturaliter in erroribus & ignorantia detineri, & nec Iudæos per legis doctrinam, nec Gentes philosophiæ, id est, humanæ sapientiæ studio ad ueritatis qua salus constat, cognitionẽ peruenire potuisse. Lex quidem & Prophetæ de Christo prædixerunt, sed lucem hanc gratiæ Christi tradere non potuerunt. Erat enim adhuc uelamen cordibus Iudæorum impositum, quo etiamnum à ueritate Christi impediuntur. Gentes habebãt suos philosophos, gloriabantur plurimũ de lumine naturæ: uerũ omnis illorum scientia et sapientia inanis ad hoc fuit, ut salutis scientiã inueniret. Quoniã inquit Apostolus, mundus in sapientia Dei per sapientiam non cognouit Deũ, placuit Deo per stultitiã prædicationis saluos facere credentes. Item stultam fecit Deus sapientiam huius mundi. Et: Animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt, &c. Est itaq; absq; luce Euangelij totus mundus in tenebris & tenebrarum operibus, atq; ita sub regno Satanæ, qui princeps est tenebrarũ. Sic Christus uocauit Apostolos suos lucem mundi. Vos estis inquit, lux mundi: nimirum tanq; ministri lucis Euangelicæ. Et Ephe. 4. dicit Apostolus: Hoc igitur dico & testificor in Domino, ut iam non ambuletis sicut & Gentes ambulant in uanitate sensus sui tenebris obscuratũ, habentes intellectum alienati à uita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorũ. Et cap. 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc aũt lux in Domino. Item: Et nolite cõmunicare operibus infructuosis tenebrarũ. Et cap. 6. spiritus malos uocat rectores tenebrarũ, quorũ regnum est in tenebris ignorantiæ dei, sicuti regnum Christi est in luce cognitionis dei. Coloss. 1. Vocat regnũ Satanæ potestatem tenebrarum. Quid hinc aliud colligemus, quàm absq; doctrĩna & luce Euangelij omnia repleri passim erroribus propter tenebras ignorantiæ Dei. Neq; enim alia lux est, qua mundus in cognitione Dei illuminari queat quàm ea quæ est per doctrinã Christi, quæ & hoc nomine ad omnes Gentes missa est, ut uocaret omnes è tenebris ad lucem ueritatis. Sic Petrus uocat hãc doctrinam lucernã lucentẽ in loco caliginoso. Quotquot igitur hãc lucẽ Euangelij Christi respuũt, utut sint sapientes nunq; ad cognitionẽ ueritatis uenire poterũt, sed necesse est ut in tenebris regni Satanæ perdurent ac pereant.

Matth. 5

1 Cor. 1

Ephe. 5

2 Petr. 1

OBSER.

3 Cum igitur ad regnum Christi pertineant omnes totius terræ nationes, sitq; illis doctrina Christi allata & manifestata testimonio Pauli, Roma. 10. & Coloss. 1.

quid causæ est quod tam pauci hodie sunt, qui illam agnoscunt & profitentur, tamq; multæ Gentes ab illa ad doctrinam dæmoniorum & errorum defecerunt? Obtinuerat hæc doctrina Christi per Apostolos toti orbi allata, in Palestina Syria, Mesopotamia, Persia, India, Arabia, Aphrica, Asia, Græcia nõ minus quàm Italia, Gallia, Germania, Britannia & Hispania. At hodie apud omnes eas nationes explosa Christi doctrina & luce, rursus obtinuerunt densæ tenebræ. Quid aliud dicemus esse in causa, quàm quod in dilectione ueritatis ac zelo pietatis non perseuerarunt, id quod futurũ Apostolus prædixit, dicens: Erit enim tempus cum sanam doctrinam nõ sustinebunt, sed ad sua desideria coacernabunt sibi magistros prurientibus auribus, & à ueritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Ergo periculum est nobis, qui adhuc sub Christi nomine & professione sumus, pars quædam, eaq; certè minima, earum Gentium, quibus Christi doctrina communicata est, quæ & sub Christi confessionem uenerũt, & rursus prolapsæ sunt, ne & nos ad eorum exemplum à fide & professione Christi decidamus, nisi in dilectione ueritatis persistamus: præsertim cum & Christus prædixerit, fore, ut rarissimam sit fidem in terra, ubi redierit, reperturus.

2 Tim. 4

QVID DOCERE DEBEANT.

5 Doctrina Christi Apostolis mandata à Christo, non est ex hoc tantum loco colligenda, sed inspiciendi sunt & reliquæ Euãgelistæ. In Marco sic legimus: Ite in orbem uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui nõ crediderit, cõdemnabitur. Ergo doctrina Christi est Euãgelium principio talis, quæ fidẽ exigat ut saluet, & quæ non credita condemnet. Noster infra dicit: docẽtes eos seruare quæ ego præcepi uobis. Hæc est altera doctrinæ Christi pars, quæ exigit ut Christi præcepta seruentur. Hoc est, ut uita nostra Christianæ professioni respondeat. Aliud est quod credendum annunciatur, & aliud quod seruandum præcipitur. Bimembris itaq; est Christi doctrina, cuius prima & primaria portio gratiam Dei offert, & altera & secundaria seruanda mandat, & obedientiam præstandam exigit. De prima uidebimus hoc loco. Alterã seruabimus suo loco tractandam. Prædicate inquit Marcus, Euangelium omni creaturæ. Ex hac Euangelij doctrina absq; dubio & hic noster intelligendus est. Quid autem sit Euangelium iam aliquoties dictum est. Et Lucas hanc ipsam materiam tractans explicatius Christum ad hunc modum dixisse inducit. Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes Gentes. Ergo Euangelium prædicandum est, quod annunciet uniuersis mortalibus remissionem peccatorũ in nomine Christi, qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostri, modo resipiscant, & huic Euangelio credant, sicut Marcus dicit: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.

Vide suprà 9. Luc. ult.

In hac doctrinæ Christi prima & principali parte cõmendatur gratia Christi, qua per fidẽ in illius Euãgeliũ saluamur absq; ullis nostris meritis, sola misericordia Dei, cui disputandum est, quod isti fidei iustificationem imputat, & remissionem peccatorum impertit. In altera uerò huius gratiæ uirtus cõmendatur, & declaratio exigitur, ut audiemus.

Quod in Marco uocatur prædicatio Euangelij, & in Luca prædicatio pœnitentiæ et remissionis peccatorum in nomine Christi, hoc Paulus 2 Corinth. 5. uocat ministerium reconciliationis, elogio omnium exoptatissimo, dicens: Omnia ex deo, qui nos sibi reconciliauit per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis uerbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Eum qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso.

Ergo ad hoc missa est in orbem doctrina Euangelij, ut mundus Deo reconcilietur, & ut fiat ista reconciliatio credentibus datur peccatorum remissio, sine qua certè nemo poterit Deo reconciliari. Deus ipse in Christo reconciliationem hanc, quam nos debeamus ultro sumus ambire conatibus, per Euãgelij prædicationem & ministros reconciliationis in mundum emissos, primus offert, & uelut ad illam per Apostolos nos omnes hortatur. Vsq; adeò scilicet nostram omnium salutem sitit, nec optat cuiusquam perditionem, sed uult omnes seruari, & sibi perpetua gratia reconciliari.

Est quidem hæc Euangelij prædicatio ipsissima gratiæ & misericordiæ Dei erga genus mortalium in Christo prædicatio & oblatio, uerum talis, quæ sine resipiscentia et fide à nemine queat apprehẽdi. Proinde opus est planè ut peccatorum nos pœniteat, & fidem isti gratiæ quam Euangelium nobis prædicat, adhibeamus. Sic Christus Marci 1. prædicationem hanc exorsus dixit: Tempus impletum est, aduenit regnum Dei, pœniteat uos & credite Euangelio. Ecce resipiscentia & fides requiruntur à Christo mox doctrinæ huius initio. Sic hoc loco in Luca iubet prædicari quidem remissionem peccatorũ in suo nomine, sed præmittit pœnitentiã. Et in Marco dicit: Qui crediderit, saluus erit. Qui non crediderit, condemnabitur. Ita & Apostolus Rom. 3. iustitia Dei inquit, in omnes & super omnes qui credunt, Rom. 1. Non pudet me Euãgelij. Virtus enim Dei est ad salutem omni credenti. Ezech. 33. Nolo inquit, mortem peccatoris, sed ut conuertatur impius à uia sua mala & uiuat. Et 2 Pet. 3. Patienter agit propter uos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. His sententijs offertur quidẽ nobis gratia Dei, & peccatorum ad salutem remissio, sed adijciuntur conditiones pœnitentiæ & fidei, ut intelligamus excludi à gratia & salute Dei impœnitentes & incredulos, qui omnium iustissimo iudicio gratia Dei priuantur & pereunt.

DE BAPTISMO.

Baptizantes eos, inquit, in nomine patris, & filij, & spiritussancti.] Non hic instituit baptismum. 6

Liquet

Liquet enim ex cap. Iohannis quarto, discipulos Christi iam antea baptizasse, quod non puto quisquam absq; Christi dicet factũ esse præcepto, multo minus aliũ illic & alium hoc loco esse baptismum. Baptismi autem hic ob eam causam meminit, ut scirent Apostoli, quid agendum cum illis qui Euangelio credidissent: nempe, quod baptizare eos deberent, in nomen patris, & filij & spiritussancti: & ea seruanda illis imponere quæ ipse præcepit. Erant Apostoli Iudæi, & periculum erat, ne Gentes Euangelio adiunctas cogerent iudaizare, & per circuncisionem legis onera subire. In Actis Apostolorũ uidere est quid hæc quæstio de circuncisione negocij dederit Ecclesijs Christi. Ideò disertis uerbis hic dicit: baptizantes eos in nomen patris & filij & spiritussancti. non circuncidentes in seruitutem legis Mosaicæ: Et docentes eos seruare, quæ ego præcepi uobis. Nõ quæ per Mosen Israëli præscripta sunt.

OBSER.

1 Notandum est primũ hoc loco, quod dicit: baptizantes eos in nomen: Ergo baptismus non est simplex quædam ceremonia, quæ actu transeat, sed est initiatio uel cõsecratio in alicuius nomen. Habet quæuis religio suas initiationes & consecrationes eorũ qui in consortium religionis assumũtur. In Iudaismo consecrabãtur Israëlitæ per circuncisionem in religionem paternam à Deo traditã. Pleraq; Gentes etiam baptismate usæ sunt, quo in cultum Deorum sanctificabantur, ut uidere est apud August. contra Cresconium gram. lib. 2. cap. 25. Ita habet & baptismus noster, obsignamur illo & initiamur in alicuius nomen, hoc est religionẽ & cultum. Hoc debebat nos admonere, proprio iure et arbitrio resignato transisse nos in alterius nomen & religionẽ. Sic Paulus 1 Corinth. 1. cum uellet Corinthios à sectarum studio auocare quo se quibusdam magistris addixerant, dixit: Nunquid in nomine Pauli baptizati estis? innuens baptismo signari credentes in nomen non discipuli, sed Domini: nec esse credentes in alicuius arbitrio, nisi eius in cuius baptizati sunt nomen.

OBSER.

2 In nomen inquit, patris & filij & spiritussancti.] Ergo qui baptizantur, initiantur in fidem & cultum, in gratiã & nomen patris & filij & spiritussancti, hoc est almæ ac diuinæ triadis. Sumus igitur nullius creaturæ, sed patris & filij & spiritussancti. Quod autem ista initiatio sit in gratiam patris filij, & spiritussancti, qua saluemur non condemnemur ex eo liquet, quod hæc obsignatio annexa est doctrinæ Euangelij, qua prædicatur toti orbi peccatorũ remissio & uita æterna. Vnde Marci ult. dicit: Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. Baptismus per se neminẽ saluat, uerum fide donari, & gratiæ Christi participem fieri, inq; nomen patris et filij ac spiritussancti, relicto mundo, seq; ipse absignato sanctificatũ esse: id demum est, quod salutis participem & uitæ æternæ consortem facit.

OBSER.

3 Notandum tertio loco est, quod tum potuerit dicere, in nomen Dei, uel in nomen meum, dixit: in nomen patris & filij & spiritussancti. Mysterium sacræ triadis aperiens à seculo absconditum, quod Christianæ fidei fundamentũ esset, ut sciamus adorandam nobis esse Trinitatem illam diuinæ maiestatis, in quam baptizati sumus agnoscendumq; & colendum esse in diuinitate patrem, qui misertus nostri filium pro nobis dedit, ut in illum credentes saluemur. Filium, qui patri obediens factus mortem pro nobis subijt, ut à peccato nos & morte redimeret, quiq; ad hoc omnem à patre potestatem accepit, ut esset dominus ac redemptor noster. Spiritum sanctum, qui corda nostra sua uirtute adflat, regenerat, illuminat, & in omnem ueritatem ducit, omnia nostra moderatur & gubernat spirituiq; nostro attestatur quod sumus filij Dei.

Cum ergo in nomẽ patris, filij & spiritussancti baptizamur, absq; ulla contradictione pro ratione baptismatis nostri ordinanda est fides nostra, & pro ratione fidei nostræ assumẽda est adoratio & inuocatio, adeoq; & cultus. Vnde omniũ fortißime colligit Basilius, cum dicit: Basilius.
Λεῖ γὰρ ἡμᾶς βαπτίζεσθαι μὲν ὡς παρελάβομεν, πιστεύειν δὲ ὡς βαπτιζόμεθα, δοξάζειν ὡς πεπιστεύκαμεν πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα.
Hoc malleo adamantino contunduntur omnium hæreticorum fidem Trinitatis conuellentium argumenta.

OBSER.

4 Sumpserunt ex hoc loco Anabaptistæ, & ex eo qui est Marci ultimo, robur erroris sui contra baptismum paruulorum: quasi Christus hic præceperit qui baptizari debeant, qui non: & quasi baptismus porrigi non posßit infantibus, eò quod primum docendum, credendumq; sit antequàm baptizetur, quæ in pueris infantibus locum non habent. Verum ea de re supra aliquot locis dictum est, ut cap. 8. & 19. Hic certè non præscribitur Apostolis quem baptizare debeant, quem non: sed tantum quod in nomen debeant baptizare patris & filij & spiritussancti. Nec Marci ultimo præcipitur quis baptizandus sit, quis non: sed quis sit saluandus, quis nõ. Vnde quod Anabaptistæ uolunt ex his duobus probare locis, præter mentem est Christi.

6 Docentes eos seruare omnia quæcunq; præcepi uobis.] Hæc est altera doctrinæ Christianæ pars, qua credentibus & baptizatis, hoc est salutẽ iam per Christi gratiam adeptis, quid per omnem uitam seruare debeant, præcipitur. Hæc portio non debet à priore seiungi. Fides enim quæ in priore exigitur, omnino istã obedientiam Christo præstandam meritò requirit. Quemadmodum enim, si ægroto medicus sanitatem pollicetur. primum quidem est, ut uerbis illius credat & bona in illum sit fiducia: requiritur tamen secundo loco, ut obediat etiam iußis illius, ita certè & in Christianismo habet. Primum omnium est, ut Euangelio credamus, & credentes gratiam Christi & remißionem peccatorum adeoq; & imputationem iustitiæ, & ueram salutem appræhendamus: alteram uerò, ut credentes & in gratiam susceptipræceptis Domini obtemperemus, & quæ seruanda præcipiuntur, seruemus. Huc scilicet pertinet quod

quod hic Christus dicit: docẽtes eos seruare omnia quæcunq; ego præcepi uobis. Proinde si Christiani esse uolumus oportet utranq; doctrinæ Christi partem amplecti, non eam tantum quæ per fidem nos gratiæ cœlestis ac regni Dei consortes reddit, sed & eam quæ à ciuibus regni obedientiam regi præstandam exigit.

OBSER.

1 Videmus ergo hoc loco ne Apostolis quidem concessum esse, ut liberè pro suo arbitrio quiduis seruandum imponãt Christi fidelibus. Docentes inquit, eos seruare omnia, quæcunq; ego præcepi uobis. Non dicit: quæcunq; uobis docenda uidebuntur. Istis repagulis debuerant suam potestatem coërcere Episcopi, ut non quiduis præciperent Ecclesijs, extra hanc potestatem à Christo acceptam.

OBSER.

2 Sed meritò quæritur, quæ præcepta Apostoli à Christo, credentibus tradenda acceperint. Primum, non dicit de talibus quibusdam præceptis, quæ alijs tradenda & seruanda Apostolis aliquãdo dederit, sed de talibus quæ ipsis quoq; & cum primis seruanda tradiderat. Deinde nulla alia sunt, quàm quæ eos continuo illo tractatu docuerat. Loquitur enim de tota sua doctrina: perinde ac si diceret: docete eos, ut meo se subdant magisterio, ut me agnoscant Dominum ac præceptorem, nec Mosaicæ legi, nec gentium philosophiæ dediti. Dirigite eos, nec in uestrum, nec cuiusquam alterius, sed in meum magisterium. Ego præscripsi uobis quid seruare debeatis. Habetis normam ueræ pietatis & rectæ uitæ à me acceptam, hanc credentibus in me seruandam tradite. Remittimur igitur non ad unum & alterum Christi mandatum, sed ad uniuersam illius doctrinã, quam ab Euangelistis & Apostolis præscriptam habemus.

OBSER.

3 Non dicit: docentes eos scire & intelligere, sed seruare, omnia quæcunq; ego præcepi uobis. Licet enim scientia doctrinæ Christi à fidelibus requiratur (alioqui quis esset docendi usus? & quomodo seruaretur quod ignoratur?) Christiano tamen non hic finis in discendo præscribitur, ut tantum quæ bona & recta sunt sciat, sed ut seruet etiam ac præstet. Nisi hoc faciat, plagis uapulabit multis.

Sed quæso quis est ex omnibus credentibus tantæ perfectionis, ut omnia quæ à Christo sunt tradita seruet? Respondeo. Nemo. Hunc tantum promouemus, ut seruandi studio in omnia præstanda incumbamus. Vbi delinquitur hic beneficio sanguinis Christi delinquentibus ignoscitur, ut salus nostra constet non ex perfecta mandatorũ Christi obseruantia, sed ex illius gratia qua peccentibus gratuito ignoscitur, ut firmum sit illud: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &c.

7 Et ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi.] Arduum erat munus, quod iniungebat, cui pares esse boni uiri nullo modo poterãt. Et credibile est eos haud parũ illius consideratione territos. Ideò pollicetur illis suam ubiq; per uniuersum orbem præsentiam, opem & gratiam, usq; ad legationis huius consummationẽ. Sic Marcus ultimo dicit: Illi uerò egressi prædicauerunt ubiq; domino cooperante & sermonem cõfirmante, sequentibus signis. Quæ uerba satis exponunt, quo sint ista sensu dicta.

Ita & Iehouah Deus promittit, quod uelit illi in omnibus adesse, ut animo sit forti. Iehos. 1.

Vtuntur hoc loco receptorum errorum defensores, arguentes Christi præsentiam his uerbis perpetuã esse Ecclesiæ promissam, usq; ad consummationem seculi, hoc est finem mundi, & ex præsentiæ illius argumento colligentes, fieri nõ posse ut Ecclesia & generalia Concilia errent, cum habeant Christum præsentem.

Illis respondemus, primum non statim uerum esse sensum, quem his Christi uerbis obtrudunt, quibus nec Ecclesiæ malignantium nec Concilijs magnorum dominorum, sed Apostolis in totum orbem ituris ac prædicaturis Christi promittitur præsentia. Deinde, ut demus hæc uerba non Apostolis tantum, sed etiã uniuersæ Christi Ecclesiæ dicta esse, neq; sic tamen rectè ex illis colligitur, quod ipsi uolunt. Nam etiamsi absq; dubio Ecclesiæ suæ Christus præsto est semper & ubiq;: non tamen credendum est, quod alijs adsit quàm suis, qui in Ecclesia sunt, electis uidelicet & ad uitam destinatis, quos ipse solus nouit. Dominus inquit Paulus, nouit qui sui sint. Illi uerò plerunq; pauciſsimi sunt & contempti. Tempore Arianorum, ubi erat Christus cum Ecclesia? In Athanasio scilicet & paucis illi adhærentibus. Sit ergo hic Christi promissio eorum qui docent & seruant, quæ Christus præcepit, ut nihil loci sit hic ei congregationi, quæ diuersum agit. Iehosue 7. dicit Deus magnæ Israëlis congregationi, existenti adhuc sub duce, Iehosua qui & ipse promissionẽ diuinæ præsentiæ habebat, & quæ congregatio Christum quoq; habebat sequentem (consequente eos Petra inquit Apostolus, Petra aũt erat Christus.) Non ero uobiscum ultra, nisi conteratis eum, qui scelus hoc operatus est. Et belli homines præsentiã Christi pollicentur hodie isti congregationi in qua tam multi scelesti & impij publicè & impune, non occulte ut Acham ille deliquerat, & omnium scelestiſsimè regnant & libidinantur.

DE VIRTVTE RESVRRECtionis Christi.

Hactenus expensa sunt, quæ dominicæ resurrectionis historiam concernentia Euangelista commemorauit, iam ut initio capitis huius polliciti sumus etiam uirtutem illius paucis inspiciamus.

Est aũt illa dupliciter consideranda. Primo, quod 1
attinet ad personã Christi. Huc faciunt quæ Paulus scribit, Roma. 1. Qui prædestinatus est, inquit, filius Dei in uirtute, per spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum, &c. Ergo uirtus resurrectionis declarationem habet filij Dei. Et Ephe. 1. Et quæ sit superemines magnitudo uirtutis eius in nos, qui credimus secundum operationem potẽtiæ uirtutis eius, quam operatus est in Christo Iesu, suscitans illum à mortuis & constituens ad dexterã suam in cœlestibus, super omnẽ principatũ, & potestatẽ, & uirtutẽ, et dominationẽ, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedes eius, &c.

Itaq;

Itaq; resurrectionis uirtute Christus dominatum in omnia cum cœlestia tum terrena consequutus est. Sic Roman. 14. Mortuus est & resurrexit, ut uiuorum ac mortuorum dominetur.

2 Secundo, quod nos, qui in Christum credimus, concernit. Et hæc dominicæ resurrectionis uirtus dupliciter inspicienda est. Primo, quomodo per illam iustificati simus. Vt Roman. 4. Mortuus est propter delicta nostra, resurrexit propter iustificationem nostri. Nisi enim resurrexisset utiq; adhuc essemus in peccatis nostris, 1 Corinth. 15. Et Philip. 3. Et inueniar, inquit, in illo non habens iustitiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Iesu Christi, quæ ex Deo est iustitia in fide, ad cognoscendum illum & uirtutem resurrectionis eius. Et 1 Petr. 3. conscientiæ pacificatio resurrectioni Christi tribuitur. Et conscientiæ bonæ interrogatio, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.

Atq; hæc nostri iustificatio non ita tribuenda est dominicæ resurrectionis uirtuti, ut sentiamus nos per illã à reatu duntaxat peccati liberatos, sed ut simul per illam cum Christo in nouam uitam resuscitemur, qua de re uidere est, Rom. 6. Colos. 2. & 3.

Deinde, quod per uirtutem resurrectionis Christi in extremo iudicio & corpora nostra resurgẽt. De quo uidere est, 1 Corinth. 15. Per hominem mors inquit, & per hominem resurrectio mortuorũ. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur. Nunc quidem caro nostra in capite Christo ad dexteram patris exaltata est. Ephe. 2. Conresuscitauit & consedere fecit, uerum quod ad nostras ipsorum personas attinet, spe sedemus in cœlis cum Christo. 1 Petr. 1. Qui regenerauit nos, inquit, in spem uiuam per resurrectionem Iesu Christi. Hæc, utut tenuiter ac modicè delibata, si ritè expendantur ac fideliter memoriæ mandentur, haud exiguam partẽ cognitionis Christi & fidei Christianæ illustrẽ ac ueræ consolationis plenã reddent.

FINIS.

BASILEAE EXCVDI FECIT IOAN. Heruagius, Anno M. D. XLIIII.